Digitized by Google

16 - a - 8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS
cum Veterum omnium
COMMENTARIIS
et
Selectis recentiorum notis
NOVA EDITIO.

Inscripta
Viro Amplissimo
GVALTERO VALKENIER
I.V.L.
Reip. Amstelodamensis
Consuli & Senatori.

Ex Officina
ABRAHAMI COMMELINI.
CIↃ IↃC XLVI.

OTECA NAZ. ROMA RIO EMANUEL

Digitized by Google

BIB. MORCI DE PERUSIA

Digitized by Google

MAGNIFICO ET PRVDENTISSIMO VIRO

GVALTERO VALKENIRIO,

J. U. L.

REIPUBLICÆ AMSTELREDAMENSIS CONSULI,

Perpetua felicitas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMPLISSIME, PRVDENTISSIMEQVE VIR,

Novam hanc editionem vatis Mantuani, à me Tibi inscribi, nemo mirabitur, sed cuncti laudabunt, ac potissimùm, qui sciunt, quantum Tibi debeant omnes communis Patriæ caussâ, & ego seorsim ratione domus nostræ. Singularis namque amor Reipublicæ, & imprimis inclytæ huic Urbi comprobata virtus, effecere, ut Sapientissimi Procerum cæteri, non digniorem alterum statuerent, quàm Te, ad regundam secum civitatem. Certè si ullius nomen, Tuum saltem fastos Consulares non depretiabit: nec dubitavit eâ de re quisquam, nisi qui ignorat ipsam Rempublicam, aut famam Tuam. Nos qui de ea certi, habemus merito, quod gratulemur, & illi, & nobis privatim: Reipublicæ, quod inter alios tantum moderatorem acceperit, nobis ob domesticum regimen. Etenim parentes, digni virtutum tuarum æstimatores, non aliam ob causam, me liberorumque suorum cæteros, haud alterius curæ, quàm vestræ committendos putavere, quia ab alio non meliùs innocentem posse regi ætatem crederent. Etenim tantas dotes quintum & vicesimum usque ad annum, expertus, cum cogitarem vix ullum grati animi signum à me ostensum, è continenti rubore suffusus sum, tanquam minimè talis forem, qualem me esse oporteret.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

* 2 teret.

R.mi P. D. Timothei [illegible], [illegible], Vicarij, et Abbatij [illegible] Oliuetan.

Digitized by Google

teret. Unde repente pudor has cogitationes extorsit: Ergone æternum vivam ingratus? potuitne tantùm Virgilii anima, non in tantùm obstricta, tanti facere suum Mæcenatem, & Asinium Pollionem, liberosque ejus, ob solam Augusti commendationem? & ego non memor esse beneficii, diuturno adeò tempore mihi præstiti? Quali flumine delendæ utar culpæ, ad quam vix oceanus sufficiat? Ingenuè fateri cogor, me ruptâ verecundiâ, & omni pudore abjecto, cum novam hanc Virgilii editionem molirer, quamvis serò, non alteri, quàm vero Mæcenati meo, hoc est Tibi, addixisse; ratus auctoris momentum tanti apud te momenti allaturum, ut non altero deprecatore, quàm Marone indigeat, dignitatemque ipsius suppleturum meam oblivionem, & ignaviam. Gratus animus, quamvis tardè appareat, apud benevolos semper tamen æstimatur. Hanc virtutem Tibi non propriam, is dubitet, qui mores nesciat Tuos. Mihi experimento comprobati sunt. Accipe igitur Amplissimè Prudentissimeque Vir, & multis nominibus mihi observande, Deum Poëtarum, & Tibi ante amatum, nunc fore magis, tanquam feliciùs, ornatiùsque prodeuntem, ejus prælo, ac curâ, qui parentum te semper loco, ut debet, suspiciet, coletque. Tua etenim collata in me merita effecere, ut obsequentissimus esse debeam, & verè agnoscere: nihil nisi filii nomen desiderari.

Vale Amplissime, Prudentissimeque Vir, ac diu vive Patriæ bono; & ut porrò amore tuo complectaris Virgilii, & tot ejus interpretum editorem, orat paratissimus ad cuncta servitia

Cognatus tuus,

ABRAHAMUS COMMELINUS.

LVGDVNI BATAVORVM,
ANNO CIↃ IↃ C XLV.

Digitized by Google

ABRAHAMUS COMMELINUS

BENEVOLO

LECTORI.

PVBLIVM VIRGILIVM MARONEM, Poetarum eſſe omnium facilè principem, nullus unquam dubitavit. Sive enim ſubactum ingenium, ſive judicium, ſive variam ejus doctrinam, vel eloquentiam, adtendamus; divini fuiſſe animi hominem cum ALEXANDRO Imperatore (qui eum in ſacrario ſuo inter Divos poſuit) confiteri neceſſe habemus. Nec infelicior in recitando fuit, ita ut non immeritò, ipſi verſos ſuos in Theatro referenti aſſurrectum ſit à cunctis: atque (niſi veterum aliqui fallunt) à patre eloquentiæ, adhuc admodum juvenis, *Spes altera Romæ*, fuerit appellatus. Publicè etiam à prudentiſſimis audiebat, ἀμίμητος, ἀμώμητος, μουσηγέτης, tanquam fruſtra Muſarum pultarentur fores ab iis, qui illo duce, & magiſtro, non uterentur. Unde non mirum, illum publicis in ſcholis, omnium eruditorum judicio, volvi revolvique, & pro norma totius Poeſeos haberi. Adeo ut Græci non magis habeant, quod gratulentur ſibi de HOMERO, quàm Latini de VIRGILIO ſuo. Hinc factum, ut & ambo ſuæ gentis dignos nacti fuerint æſtimatores, & interpretes, atque toto adhuc orbe applaudente, habeant. Nec ut de eo edendo cogitarem aliud æquè me impulit, quam de tanto auctore omnium ſæculorum conſenſus, & pereruditi viri, quem mox nominabo inſtigatio. Communicavi tamen conſilium cum Clariſſimis noſtri ævi Viris, SALMASIO, VOSSIO,

Barlæo, Scriverio, Boxhornio, aliis, quorum nulli non fuere, qui non è continenti porrò impellerent eò inclinantem, ſimulque auctores fierent, interpretes potiùs adderem integros, quàm ſelecta ex iis quædam, quod plerunque fieri ſolet damno auctorum. Nec aliam ob cauſſam præſtantiſſimas quaſque editiones expreſſimus, ut in Servio Pariſienſem editionem P. Danielis, quam nobis mutuo dederat Nobiliſſ. ac Incomp. Vir Clavdivs Salmasivs, multis à ſe locis propria manu emendatam; quæ ſic correcta textui inſeruimus. Uſi etiam ſumus exemplari Clar. D. Nicolai Heinsii, qui varias è MSS^{is} lectiones annotârat. Adjecimus & notas è ſummis noſtri & ſuperioris ſæculi Viris, magno judicio excerptas, à Clariſſimo & Præſtantiſſimo Viro Cornelio Schrevelio, Medicinæ Doctore, & Rectore publici Gymnaſii Lugdunenſis; cujus utili opera, quo feliciùs cuncta prodirent, in cæteris etiam uſi ſumus. Hæc neſcire te nolui, benigne lector, ut eidem Schrevelio faveas, melius meliuſque de veteribus mereri Scriptoribus paratiſſimo.

IN

Digitized by Google

IN NOVAM

P. VIRGILII MARONIS

Editionem,

CVRANTE DOCTISSIMO VIRO,

D. CORNELIO SCHREVELIO,

M. D. Gymnasii Lugdunensis Rectore vigilantissimo.

Hoc est grandiloqui Carmen sublime MARONIS.
Hæ voces Latii detinuere Deos.
Sceptra probant vatem; damnataque pagina flammis
Vivit, & AVGVSTI *Cæsaris ore placet.*
Ista poëtarum norma est. tunc surgimus omnes,
Fimbria cum nostra tangitur ista manu.
Hic cunctos super exstat apex: hæc lambit Olympum
Gloria, nec seclis tot sinit esse parem.
Posteritas desperat. amat, quem suspicit unum,
Et radiis tanti sideris orbis hebet.
Tu, SCHREVELI, *reddis Soli sua lumina, & illas*
Cernere das flamma fulgidiore faces.
Scena novum nuper per te Tarpeïa soccum
Induit, & nitidis vestibus Afer iit.
Nunc tua magnanimum ÆNEAM *solertia nobis*
Vindicat, & Phrygius Dux sine nube micat.
Cingitur Andinus non uno interprete vates:
Romaque jam melius Martia verba capit.
Debet Troja tibi, debet Sichæia Dido.
Ipse repurgato carmine Turnus ovat.
Sic Ducibus castrisque Ducum, frameisque tubisque,
Sic audent comites Regibus ire Scholæ.

CASP. BARLÆVS.

NOMI-

Digitized by Google

NOMINA EORUM EX QVIBUS NOTÆ VARIORUM DESUMPTÆ.

Rud. Agricola.
Alciatus.
Alexander Neapolitanus.
Arius.

Barthus.
Becanus.
Behotius.
Beroaldus.
Bersmannus.
Blondus.
Bocatius.
Brissonius.
Brodæus.
Budæus.

Cæl. Rhodiginus.
Camerarius.
Canterus.
Capella.
Carrion.
Casaubonus.
Carolus Stephanus.
Vinc. Chartatius.
Castalio.
Lud. de la Cerda.
Censorinus.
Claudianus.
Corradus.
Crinitus.
Crucius.

Delrius.
Donatus.
Durantius.

Egnatius.
Erasmus.
Erythræus.

Fabricius.
Falckenburgius.
Farnabius.
Ptol. Flavius.
Floridus.
Fruterius.
Fulgentius.

Germanus.
Gesnerus.
Gifanius.
Gloss. MSS. Lugd.
Grapaldus.
Gyrald.

Hartungius.
Heraldus.
Hortensius.

Ian. Gulielmius.
Iunius Philargyrius.
Adr. Iunius.

Kirchmann.

Lactantius.
Lambinus.
Leopardus.
Linacer.
Lipsius.
Loënsis.
Luisinus.

Macrobius.
Magius.
Mancinellus.
Manilius.
Marcellinus.
Aldus Manutius.
Marlianus.
Melancthon.
Mercurialis.
Merula.
Meursius.
Modestinus.
Modicius.
Modius.
Muretus.

Nannius.
Nascimbæn.
Natalis Comes.

Onuphrius Panvinus.
Ortelius.

Palmerius.
Panvinius.
Parrhasius.
Passeratius.
Petitus.
Philargyrius.
Pierius.
Bapt. Pius.
Ang. Politianus.
Iovian. Pontanus.
Pontanus.
Popma.

Rævardus.
Ramus.
Realinus.
Regulejus.
Regulus.
Robertellus.
Rufus.

Sabinus.
Salmasius.
Scaliger.
Schegkius.
Scoppa.
Servius.
Sigonius.
Henr. Stephanus.
Stevechius.
Sulpitius.

Taubmannus.
Tiraquell.
Rob. Titius.
Torrentius.
Turnebus.
Tusanus.

P. Victorius.
Velserus.
Viperanus.
Lud. Vives.
Volaterranus.
Vossius.
Vrsinus.

Willichius.

Xylander.

PVBLII

Digitized by Google

PUBLII VIRGILII MARONIS VITA.

BIBL. NAZ. VITTORIO EMANUELE

PUBLIUS VIRGILIUS MARO Mantuanus, parentibus modicis fuit, ac præcipuè patre: quem quidam opificem figulum: plures, Magi cujusdem viatoris initio mercenarium, mox ob industriam generum tradiderunt, egregiæque substantiæ, sylvis coëmendis & apibus curandis auxisse reculam. Natus est Cn. Pompejo Magno, & M. Licinio Crasso primùm Coss. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur & abest à Mantua non procul. Prægnans mater somniavit enixam se laureum ramum, quem contracta terra coaluisse, & excrevisse illico in specie maturæ arboris refertæque variis pomis & floribus: ac sequenti luce cum marito rus propinquum petens ex itinere divertit, atque in subjecta fossa partu levata est. Ferunt infantem ut sit editus, neque evagisse: & adeo miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris genituræ jam tum daret. Et accessit aliud præsagium. Siquidem virga populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi convaluit tempore, ut multo antè satas populos adæquavisset: quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque etiam consecrata est summa gravidarum ac fœtarum religione, & suscipientium ibi & solventium vota. Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam XVII. anno natali suo accepit, iisdem illis consulibus iterum quibus erat natus. Evenitque ut eo ipso die Lucretius poëta decederet. Sed Virgilius à Cremona Mediolanum, & inde paulo pòst transiit in Urbem. Corpore & statura fuit grandis, aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia: nam plerunque à stomacho & à faucibus ac dolore capitis laborabat: sanguinem etiam sæpe rejecit: cibi, vinique minimi. Libidinis in pueros pronior, quorum maximè dilexit Cebetem & Alexandrum: quem secunda Bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione: utrunque non ineruditum, Cebetem verò & poëtam. Vulgatum est consuesse eum cum Plotia Aleria. Sed Asconius Pedianus affirmat ipsam postea majorem natu narrare solitam invitatam quidem à Vario ad communionem sui, verum pertinacissimè recusasse. Cætera sanè vitæ & ore & animo tam probum constat, ut Neapoli *parthenias* vulgò appellatus sit: Ac, si quando Romæ (quò rarissimè commeabat) viseretur, in publico sectantes, demonstrantesque se, suffugere solitum in proximum tectum. Bona autem cujusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere. Possedit prope centies sestertiûm ex liberalitatibus amicorum. Habuitque domum Exquiliis juxta hortos Mecœnatis, quanquam secessu Campaniæ Siciliæque plurimum uteretur. Parentes jam grandis amisit: ex quibus patrem captum oculis, & duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum jam adultum, cujus exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cætera studia medicinæ quoque, ac maximè mathematicæ operam dedit. Egit & causam apud judices unam omninò, nec amplius quàm semel. Nam & in sermone tardissimum ac penè indocto similem fuisse Melissus tradidit

Digitized by Google

didit. Poeticam puer adhuc auspicatus in Balistam ludi magistrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit,

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte die tutum carpe viator iter.

Deinde Catalecton, & Priapia, & Epigrammata, & diras, Item Cirim & Culicem cum esset annorum XVI. cujus materia talis est: Pastor fatigatus æstu, cum sub arbore condormisset, & serpens ad eum proriperet, è palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem attrivit, & serpentem interemit: ac sepulchrum culici statuit, & distichon fecit,

Parve culex, pecudum custos, tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddet.

Scripsit etiam (de qua ambigitur) Ætnam. Et mox cùm res Romanas inchoasset, offensus materia, ad Bucolicam transiit: maximè ut Asinium Pollionem, Alphenum Varium, & Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis triumvirorum jussu trans Padum dividebantur, indemnem se præstitissent. Deinde Georgicam in honorem Mecœnatis qui sibi mediocriter adhuc noto opem tulisset adversus cujusdam veterani violentiam: à quo in altercatione litis paulum absuit quin occideretur. Novissimè autem Æneidem inchoavit. argumentum varium ac multiplex, & quasi amborum Homeri carminum instar: Præterea nominibus ac rebus Græcis, Latinisque commune, & in quo, quod maximè studebat, Romanæ simul urbis & Augusti origo contineretur. Cum Georgica scriberet, traditur cotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere: non absurdè carmen se more ursæ parere dicens, & lambendo demum effingere. Æneida prosa prius oratione formatam, digestamque in XII libros particulatim componere instituit, prout liberet quidque, & nihil in ordinem accipiens, ut ne quid impetum moraretur, quædam imperfecta transmisit: alia levissimis verbis veluti fulsit, quæ per jocum pro tibicinibus interponi à se ajebat ad sustinendum opus, donec solidæ columnæ advenirent. Bucolica triennio, Georgica VII. Æneida XI. perfecit annis. Bucolica eo successu edidit ut in scenam quoque per cantores crebro pronunciarentur: Georgica, reverso post Actiacam victoriam Augusto, atque reficiendarum faucium causa Attellæ commoranti, per continuum quatriduum legit, suscipiente Mecœnate legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronuntiabat autem maxima cum suavitate, cum lenociniis miris, ut Seneca tradidit Iulium Montanum poëtam solitum dicere involaturum se Virgilio, si & vocem posset, & os, & hypocrisim. eosdem enim versus, ipso pronuntiante, bene sonare: sine illo, inanes esse mutósque. Æneidos vix dum cœptæ tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitaverit sic prædicare,

Cedite Romani scriptores, cedite Graji:
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Augu-

Augustus verò cum jam forte expeditione Cantabrica abesset : & supplicibus atque etiam minacibus per jocum literis efflagitaret, ut sibi de Æneide, ut ipsius verba sunt, vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret : Cui tamen multo post perfectáque demum materia tres omnino libros recitavit, secundum, quartum, sextum. Sed hunc notabili Octaviæ adfectione : quæ cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defecisse fertur : atque ægrè focillata est. Recitavit & pluribus : sed neque frequenter, & ea ferè de quibus ambigebat, quo magis judicium hominum experiretur. Erotem librarium & libertum ejus exactæ jam senectutis tradunt referre solitum, quondam cum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore. Nam cùm hactenus haberet : *Misenum Æolidem*, adjecisse, *quo non præstantior alter.* Item huic, *Ære ciere viros* : simili calore jactatum subjunxisse, *Martemque accendere cantu:* statimque sibi imperasse ut utrunque volumini adscriberet. Anno ætatis quinquagesimo secundo impositurus Æneidi summam manum, statuit in Græciam & in Asiam secedere : trienniòque continuo nihil amplius quam emendare, ut reliqua vita tantùm philosophiæ vacaret. Sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti, destinaretque non absistere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est, eumque non intermissâ navigatione duxit, ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret : ubi diebus paucis obiit decimo Cal. Octobris, Gn. Sestio, Qu. Lucretio coss. Ossa ejus Neapolim translata sunt, tumuloque condita, qui est via Puteolana intra lapidem secundum : In quo distichon fecit tale :

Mantua me genuit : Calabri rapuere : tenet nunc
Parthenope : cecini pascua, rura, duces.

Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex alio patre : ex quarta Augustum : ex duodecima Mecœnatem : ex reliqua L. Varium, & Plocium Tuccam : qui ejus Æneidem post obitum, jussu Cæsaris emendaverunt : qua de re Sulpitii Carthaginensis extant hujusmodi versus,

Iusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius : Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul : tu maxime Cæsar
Non sinis : & Latiæ consulis historiæ.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et penè est alio Troja cremata rogo.

Egerat cum Vario prius quam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset, Æneida combureret, & is facturum se pernegarat. Igitur in extrema valetudine assiduè scrinia desideravit crematurus ipse : Verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit, cæterum eisdem Vario ac simul Tuccæ scripta sua sub ea conditione legavit, ne quid ederent quod non à se editum esset. Edidit autem auctore Augusto Varius : sed summatim emendata : ut qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit:

liquerit quos multi mox supplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem; quod omnia ferè apud eum hemistichia absoluto perfectoque sint sensu, præter illud, *Quem tibi jam Troja*. Nisus grammaticus audisse se à senioribus ajebat Varium duorum librorum ordinem commutasse: & qui nunc secundus sit, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium his versibus demptis:

Ille ego qui sylvas gracili modulatus avena
Carmina: & egressus sylvis vicina coëgi,
Vt quanvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. nec mirum, nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam rescripsit Anti-bucolica: duas modò eclogas sed insulsissimè παρῳδήσας quarum prioris initium est,

Tityre si toga calda tibi est: quo tegmine fagi? Sequentis,
Dic mihi Damœta cujum pecus? anne Latinum?
Non, verum Ægonis. nostri sic rure loquuntur:

Alius recitante eo ex Georgicis, *Nudus ara, sere nudus:* subjecit, *habebis frigora, febrem.* Est & adversus Æneida liber Carbilii Pictoris, titulo Æneidomastix. M. Vipranius à Mecœnate eum suppositum appellabat novæ κακοζηλίας repertorem: non tumidæ, neque exilis, sed ex communibus verbis atque ideò latentis. Herennius tantum vitia ejus, Perellius Faustinus furta contraxit. Sed & Qu. Octavi Aviti ὁμοιοτήτων octo volumina, quos unde versus transtulerit continent. Asconius Pedianus libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit pauca admodum objecta ei proponit, eáque circa historiam ferè, & quod pleraque ab Homero sumpsisset. Sed hoc ipsum crimen sic defendere assuetum ait, Cur non illi quoq; eadem furta tentarent. Verum intellecturos facilius esse Herculi clavam, quàm Homero versum subripere: & tamen destinasse secedere, ut omnia ad satietatem malevolorum decideret.

NVNC quoniam de auctore summatim diximus, de ipso carmine jam dicendum est. quod bifariam tractari solet, id est ante opus, & in ipso opere. Ante opus, titulus, caussa, intentio. Titulus in quo quæritur quid sit. Caussa, unde ortum sit: & quare hoc potissimum sibi ad scribendum poëta præsumpserit. Intentio, in qua cognoscitur quid efficere conetur poëta. In ipso opere sane tria spectantur: Numerus, ordo, explanatio. Quamvis igitur multa ψευδεπιγραφῆ, id est falsa inscriptione sub alieno nomine sint prolata, ut Thyestes tragœdia hujus poëtæ, quam Varius edidit suo nomine, alia hujusmodi, tamen Bucolica liquidò Virgilii esse minime dubitandum est: præsertim cum ipse poëta tanquam hoc metuens, principio hujus operis, & in alio carmine suum esse testatur, sic dicendo: Carmina qui lusi pastorum, audáxque juventa, Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi. Bucolica autem & dici & rectè dici vel hoc indicio probasse suffecerat: quòd eodem nomine apud Theocritum censeantur. Verum ratio quoque monstranda est. Tria genera pastorum sunt, quæ dignitatem in Bucolicis habent: quorum minimi sunt qui αἰπόλοι dicuntur à Græcis, à nobis caprarii. Paulo honoratiores μηλονόμοι ποιμένες, id est opiliones dicuntur: honoratissimi & maximi

Digitized by Google

maximi βουκόλοι, quos bubulcos dicimus. Unde igitur magis decuit pastorali carmini nomen imponi, nisi ab eo gradu qui ferè apud pastores excellentissimus invenitur? Caussa dupliciter inspici solet: ab origine carminis, & à voluntate scribentis. Originem autem Bucolici carminis alii ob aliam caussam ferunt. Sunt enim qui etiam à Lacedæmoniis pastoribus Dianæ primum carmen hoc redditum dicant: cum eidem deæ propter bellum, quod toti Græciæ illo tempore Persæ inferebant, exhiberi per virgines de more non posset. Alii ab Oreste circa Siciliam vago id genus carminis Dianæ redditum loquuntur, & redditum per ipsum atque pastores; quo tempore de Scythia Taurica cum sorore profugerat subrepto numinis simulacro, & celato in fasce lignorum. Unde Fascelinam Dianam perhibent nuncupatam: apud cujus aras Orestes per sacerdotem ejusdem numinis Iphigeniam sororem suam à parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, pastorali scilicet deo: qua tempestate Admeto boves paverat. Alii Libero Nympharum & Satyrorum, & id genus numinum principi, quibus placet rusticum carmen. Alii Mercurio Daphnidis patri pastorum omnium principi, & apud Theocritum, & apud hunc ipsum Poëtam. Alii in honorem Panos scribi putant peculiariter pastoralis dei: & item Sileni, Sylvani, atque Faunorum. Quæ cum omnia dicantur, illud erit probabilissimum, Bucolicum carmen originem ducere à priscis temporibus: quibus vita pastoralis exercita erat: & ideò velut aurei seculi speciem in hujusmodi personarum simplicitate cognosci. Et meritò Virgilium processurum ad alia carmina, non aliunde cœpisse, nisi ab ea vita, quæ prima in terris fuit. Nam postea rura culta: & ad postremum pro cultis & feracibus terris bella suscepta: quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse monstrare, cum pastores primo, deinde agricolas canit: & ad ultimum bellatores. Restat ut quæ caussa voluntatem attulerit Poëtæ Bucolica potissimum conscribendi, considerare. Aut enim dulcedine carminis Theocriti, & ad imitationem ejus illectus est: aut ordinem temporum secutus est circa vitam humanam: quod suprà diximus. Aut cum tres modi sint elocutionum: quos χαρακτῆρας Græci vocant, ἰσχνὸς qui tenuis: μέσος qui moderatus: ἁδρὸς qui validus intelligitur, credibile erit Virgilium qui in omni genere prævaleret, Bucolica ad primum, Georgica ad secundum, Æneidem ad tertium voluisse conferre. An ideò potius primò Bucolica scripsit, ut in ejusmodi poëmate quod magis varium & paulò liberius quàm cætera, facultatem haberet captandæ Cæsaris indulgentiæ, reperendique agri, quem amiserat, ob hanc caussam. Occiso in Curia die tertio Iduum Martiarum, C. Cæsare, cum Augustum Cæsarem penè puerum sibi veterani non abnuente Senatu ducem constituissent: exorto civili bello Cremonenses cum cæteris ejusdem studii, adversarios Augusti Cæsaris adjuverunt. Unde factum est, ut cum victor Augustus in eorum agros, veteranos deduci jussisset, non sufficiente agro Cremonensium, Mantuani quoque, in quibus erat etiam Virgilius, maximam partem finium suorum perdidissent, eo quod vicini Cremonensibus fuerant. Sed Virgilius merito carminum fretus, & amicitia quorundam potentium, Centurioni Arrio cùm obsistere ausus esset, ille statim, ut miles, ad gladium manum admovit. Cumque se in fugam proripuisset Poëta, non prius finis persequendi fuit, quàm se in fluvium Virgilius conjecisset, atque in alteram ripam enatavisset. Sed posteà per Mæcenatem & per Triumviros agris dividundis Varium & Pollionem, & Cornelium Gallum, famâ carminum commendatus Augusto,

& agros recepit, & deinceps Imperatoris familiari amore perfruitus est. Intentio libri quam ---- Græci vocant, in imitatione Theocriti poëtæ constituitur: qui Siculus ac Syracusanus fuit. Et est intentio etiam in laude Cæsaris, & principum cæterorum: per quos in sedes suas atque agros rediit. Vnde effectus finesque carminis & delectationem & utilitatem secundum præcepta perfecit. Quæri solet cur non ultrà quam decem Eclogas conscripserit? quod nequaquam mirandum videbitur ei qui consideraverit varietatem scenarum pastoralium, ultra hunc numerum non potuisse proferri: præsertim cum ipse poëta circumspectior Theocrito, ut ipsa res indicat, videatur metuere ne illa Ecloga quæ Pollioni inscribitur, minus rustica judicetur: cum id ipsum præstruit, dicens: *Sicelides Musæ paulò majora canamus*: & item similiter in aliis duabus facit. Illud tenendum esse prædicimus in Bucolicis Virgilii, neque nusquam, neque ubique figuratè aliquid dici: hoc est per allegoriam. Vix enim propter laudem Cæsaris & amissos agros hæc Virgilio conceduntur: cum Theocritus simpliciter conscripserit, quem hic noster conatur imitari. Sequitur id quod in ipso carmine tractari solet: est numerus, ordo, explanatio. Numerus Eclogarum manifestus est. nam decem sunt, ex quibus propriè Bucolicæ VII. esse creduntur: quod ex his excipiantur, Pollio, Silenus & Gallus. Prima igitur continet conquestionem publicam, privatam gratulationem de agro, & dicitur Tityrus. Secunda, amorem pueri: & dicitur Alexis. Tertia, certamen pastorum: & dicitur Palæmon. Quarta, genethliacum: & dicitur Pollio. Quinta, epitaphium: & dicitur Daphnis. Sexta, Metamorphosim: & dicitur Varius vel Silenus. Septima delectationem pastorum: & dicitur Corydon. Octava, mores diversorum sexuum: & dicitur Damon vel Pharmaceutria. Nona propriam poëtæ conquestionem de amisso agro: & dicitur Mœris. Decima, desyderium Galli circa Polymniam Cytheridem, & dicitur Gallus.

Quod ad ordinem spectat, illud scire debemus in prima tantum & vltima Ecloga poëtam voluisse ordinem reservare: quando in altera principium constituerit, ut in Georgicis ait, *Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi*: In altera ostenderit finem: quippe cum dicat, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Verum inter ipsas Eclogas naturalem consertùmque ordinem nullum esse certissimum est. Etsi sunt qui dicant initium Bucolici carminis non *Tityre* esse: sed, *Prima Syracusio dignata est ludere versu.* Superest explanatio, quam in ordinem digeremus cum prædixerimus, illud in primis tenendum esse, Bucolicum poëma usque adeo ab heroico charactere distare, ut versus quoque hujus carminis suas quasdam cæsuras habeant, & suis legibus distinguantur. Nam cum tribus his probetur metrum, cæsura, scansione, ædificatione: non erit Bucolicus versus nisi in quo & primus pes partem orationis absolverit, & tertius trochæus fuerit, & quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit, quintus & sextus pes cum integris dictionibus fuerint à Theocrito sæpe servati, quod tamen Virgilius victus operis difficultate neglexit: in solo principio incertum industria sive casu Bucolico versu posito. Nam *Tityre*, dactylus pes partem orationis absolvit: *Tityre tu patulæ recubans*, tertium trochæum circa præpositionem, quamvis de composita dictione conclusit: *Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi*, quartum spondeum pro dactylo. cum partem orationis exhibuit, *tegmine fagi*, integrum comma perfecit, Cujus rei diligentiam licet in Theocriti multis versibus admirari.

TE-

Digitized by Google

TESTIMONIA DE VIRGILIO ET EIUS SCRIPTIS.

OVIDII, DE ÆNEIDE.

Tityrus & segetes, Æneïaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

EIUSDEM.

Et profugum Æneam altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus.

EIUSDEM AD AUGUSTUM.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumq; toros.
Phyllidis hic idem, teneræque Amaryllidis ignes
Bucolicis juvenis luserat ante modis.

SEX. AURELII PROPERTII.

Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
Cæsaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Iactáque Lavinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji,
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & impressis hædus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poëtæ,
Quo seges in campo, quo viret herba loco.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

VELLEIVS LIB. I. Princeps carminum Virgilius.

MARCELLINVS LIB. XV. & XIX. Excelsum, eminentissimum vatem, poëtam præclarum nominat.

MACROBIVS LIB. I. Somn. Scipion. Cap. 1. 2. & 7. Homericæ perfectionis per omnia imitator: nullius disciplinæ expers, & quem nullius disciplinæ error involvit. Et Saturnal. lib. c. 24. Hæc est Maronis gloria, ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur.

QVINTILIANVS LIB. X.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium: omnium ejus generis poëtarum Græcorum nostrorumque illi haud dubie proximus. Vtar enim verbis iisdem, quæ ab Afro Domitio juvenis accepi; qui mihi interroganti, quem Homero crederet maximè accedere, Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo, quam tertio. Et Hercle, ut illi naturæ cœlesti atque immortali cesserimus; ita curæ & diligentiæ, vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum. & quantum eminentioribus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Cæteri omnes longè sequuntur.

LIB. ANTHOLOG. V.

Καὶ φίλος Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε κύκνος
Πνείων εὐεπίης Βιργίλιος· ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ.

STATIVS. PAP. THEB. XII.

Nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

D. HIERONYMVS. Virgilius alter apud nos Homerus.

D. AVGVSTINVS. Virgilium pueri legant, ut poëta magnus omniumque præclarissimus atque optimus, teneris imbibitus annis, non facile oblivione possit aboleri.

LACTANTIVS. Latinorum poëtarum primus Virgilius.

ALCIMI DE VIRGILIO ET HOMERO.

Mæonio vati qui par aut proximus esset,
Consultus Pæan risit, & hæc cecinit.
Si potuit nasci quem tu sequereris, Homere,
Nascetur qui te possit, Homere, sequi.

Buco-

Digitized by Google

PROOEMIUM.
IN PVB. VIRGILII MARONIS BUCOLICA.

Bucolica, ut ferunt, dicta à custodia boum: id est ἀπὸ τῶν βουκόλων præcipua enim sunt animalia apud rusticos boves. hujus autem carminis origo varia est. Nam alii dicunt eo tempore, quo Xerxes Persarum rex invasit Græciam; cum omnes intra muros laterent, nec possent more solito Dianæ sacra persolvi: pervenisse ad montes Laconas rusticos, & in ejus honorem hymnos dixisse: Vnde natum carmen Bucolicum ætas posterior elimavit. Alii dicunt Orestem, cum Dianæ Fascelitidis simulachrum raptum ex Scythia adveheret, & ad Siciliam esset tempestate delatus; completo anno, Dianæ festum celebrasse hymnis, collectis nautis suis, & aliquibus pastoribus convocatis: & exinde permansisse apud rusticos consuetudinem. Alii non Dianæ, sed Apollini Nomio consecratum carmen volunt, quo tempore Admeti regis pavit Armenta. Alii rusticis numinibus à pastoribus dicatum hoc asserunt carmen; ut Pani, Faunis, ac Satyris. & hic est hujus carminis titulus. Qualitas autem hæc est, scilicet humilis character. Tres enim sunt characteres: humilis, medius, grandiloquus: quos omnes in hoc invenimus poëta. Nam in Æneide grandiloquum habet: in Georgicis medium: in Bucolicis humilem, pro qualitate negotiorum, & personarum. Nam personæ hic rusticæ sunt, simplicitate gaudentes; scilicet à quibus nihil altum debet requiri. Adhibetur autem ad carmen bucolicum, quód debet quarto pede terminare partem orationis. Qui pes si sit dactylus, meliorem efficit versum: ut *Nos patriæ fines, & dulcia.* Primus etiam pes secundum Donatum dactylus esse debet, & terminare partem orationis: ut *Tityre.* Quam legem Theocritus vehementer observat, Virgilius non adeo. Ille enim in paucis versibus ab ista ratione deviavit. hic eam in paucis sequutus est. Terentianus cum de hoc metro doceret, *Plurimus hoc pollet Sicula telluris alumnus.* Noster rarus eo pastor Maro. Intentio poëtæ hæc est; ut imitaretur Theocritum Syracusanum meliorem Moscho, & cæteris qui Bucolica scripserunt: Vnde est, *Prima Syracusio dignata est ludere versu Nostra nec*, &c. Et aliquibus locis per allegoriam agit gratias Augusto, vel aliis nobilibus, quorum favore amissum agrum recepit, In qua re tantum dissentit à Theocrito, Ille enim ubique simplex est: hic necessitate compulsus aliquibus locis miscet figuras, quas peritè plerumque etiam ex Theocriti versibus facit: quos ab illo dictos constat esse simpliciter, hoc autem fit poëtica urbanitate. Sic Iuvenalis, *Actoris Aurunci spolium.* Nam Virgilii versum de hasta dictum figuratè ad speculum transtulit. Et caussa scribendorum Bucolicorum hæc est, Cum post occisum III. Iduum Martiarum die in senatu Cæsarem, Augustus ejus filius contra percussores patris, & Antonium civilia bella movisset, victoria potitus, Cremonensium agros, qui cum non eum senserant, militibus suis dedit: qui contra sufficerent, etiam Mantuanorum jussit distribui, non propter culpam, sed propter vicinitatem. Vnde est, *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Perdito ergo agro Virgilius Romam venit, & potentium favore meruit, ut agrum suum solus reciperit. Ad quem accipiendum profectus, ab Ario centurione, qui eum tenebat, penè est interemptus, nisi se præcipitasset in Mincium. Vnde est allegoricus, *Ipse aries etiam nunc vellera siccat.* Postea ab Augusto missis triumviris, & ipsi integer ager est redditus, & Mantuanis pro parte. Hinc est quod enim in prima Ecloga legimus recepisse agrum: postea eum querelantem invenimus: ut, *Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum Nostra valent Lycida tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila veniente columbas.* Nec numerus hic dubius est, nec ordo librorum. Quippe cum unus sit liber, de eclogis tantum dubitant: quæ licèt decem sint, incertum tamen est, quo ordine scriptæ sint. Plerique duas certas volunt ipsius testimonio: ultimam, ut, *Extremum hunc:* & primam, ut in Georgicis, *Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.* Alii primam illam volunt, *Prima Syracusio dignata est ludere versu.* Sed est sciendum, VII. eclogas esse meras rusticas: quas Theocritus X. habet, hic in tribus à bucolico carmine, sed cum excusatione discessit; ut in genethliaco Salonini, & in Sileni theologia: vel ut ex insertis altioribus rebus posset placere: vel quia tot varietates implere non poterat. Poëtæ vitam in Æneide diximus. Operis explanatio, in sequentibus comprobabitur. Sane sciendum Virgilium XXVII. annorum scripsisse bucolica Vnde etiam ipse in fine Georgicorum, *Audaxque juventa, Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.* Et dicit Donatus (quod etiam in poëtæ memoravimus vita, in scribendis carminibus naturalem ordinem secutum esse Virgilium. Primo enim pastoralis fuit in montibus vita. post agriculturæ amor. inde bellorum cura successit. Notandum quoque Bucolica, vel Georgica cum apud Græcos in fine habeant accentum: apud nos in tertia à fine habere. Nam ut in ultima sit, latinitas vetat: ut in penultima non sit, brevitatis efficit ratio. Etiam hoc sciendum & personas hujus operis ex majori parte nomina de rebus rusticis habere conficta, ut Melibœus ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, id est, quod curam gerit boum Et Tityrus. Nam Laconum lingua Tityrus dicitur aries major, qui gregem anteire consueverit: sicut etiam in comœdiis invenimus. Nam Pamphilus est totus amans: Glycerium, quasi dulcis mulier. Philumena, amabilis. Personæ, sicut supra dixi, rusticæ sunt, & simplicitate gaudentes. Vnde nihil in his Vrbanum, nihil declamatorium invenitur: sed ex re rustica sunt omnia, negoria, comparationes, & si qua sunt alia. Hinc est quod annos à fructibus computat: ut, *post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* Hinc etiam illa comparationes sunt, *Nam neque me tantum venientis sibilus austri, Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quæ Saxosas inter decurrunt flumina valles.*

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS BVCOLICA.

ECLOGA PRIMA. TITYRVS.

MELIBOEVS. TITYRVS.

Me. TItyre, *tu patulæ recubans sub tegmine fagi,*
Sylvestrem tenui musam meditaris avena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in umbra,
Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.

MAVRI SERVII HONORATI GRAMMATICI IN VIRGILII BVCOLICA COMMENTARIVS.

TITYRE TV PATVLÆ, &c. Introducitur pastor quidam jacens sub arbore securus & otiosus dare operam cantilenæ: Alter vero qui cum gregibus ex suis pellitur finibus: qui cum Tityrum respexisset jacentem, ita exorsus est. sub persona Tityri Virgilius intelligitur; sub Melibœi plebs Mantuana, vel Cornelius Gallus. Quod autem sub fago dicitur jacere, Allegoria est honestissima: quasi sub arbore glandifera, quæ victus caussa fuit. Antea enim homines glandibus vescebantur. Vnde etiam fagus dicta est ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est à manducando. Hoc videtur dicere, Iaces sub umbra fagi in agris tuis, tuas retinens possessiones, quibus aleris: sicut glandibus antea mortales. A lite: ô Virgili sub protectione Augusti securus quiescis. PATVLÆ. patulum dicitur quod patet naturaliter, ut nares, arbor, crux. Parens vero, est quod clauditur & aperitur, ut ostium, & oculi.

SYLVESTREM MVSAM, Id est rusticum carmen. TENVI AVENA. Culmo, stipula: unde rustici cantare consueverunt. Dicendo autem tenui avena, humilis styli genus latenter ostendit: quo in bucolicis utitur. MEDITARIS. cantas, quasi melitaris d pro l. posita; sic solium vel sella, quasi sedda dicitur à sedendo.

NOS PATRIÆ FINES LINQVIMVS. non voluntate, sed vi Cæsaris & militum ejus compulsi, victo Antonio. ET DVLCIA ARVA. unicuique propria terra dulcis sibi videtur, nec enim omnis res delectationem habens dulcis appellatur. Allegoricè voce utitur Mantuanorum, qui suis possessionibus expellebantur.

LENTVS. Id est, otiosus, sive securus. IN VMBRA. Allegorice sub tutela Imp. Augusti. ut, *Qui nunc lenti consedimus arvis.*

RESONARE DOCES AMARYLLIDA SYLVAS, id est carmen tuum de amica Amaryllide compositum doces sylvas sonare. & melius est ut simpliciter intelligamus. Male enim quidam allegoriam volunt, Tu carmen de urbe Roma componis celebrandum omnibus gentibus. Plus enim stupet Melibœus, si ille ita securus est, ut tantum de suis amoribus cantet.

VARIORVM.

ECLOGA, derivatur ab ἐκ & λέγω. An quod hæc Bucolica è Theocriti Eidylliis excerpta sunt? ut vult Turneb: 9. l. Adversar. cap. 22. An potius quod ex incondita turba eorum, quæ subito excidissent calore, selecta quædam & concinniora ἐκλογὰς appellare placuit? ut censet I. C. Scalig. Poët. cap. IV. FARNAB.

Querelæ sunt in hac Ecloga Pastorum, de miseria & calamitate bellorum; quibus commotis & grassantibus fieret, ut veteres agrorum domini possessionibus paternis & avitis expellerentur. Ac si qui retinerent aliquid forte beneficio potentum, ii plane divino quodam numine conservati viderentur. Neque dubium est, quin Augustus Cæsar in hac celebretur. Est autem poëma δραματικὸν: pastores enim introducuntur duo senes; quorum alter exul patria cedit; alter benignitate & favore Cæsaris in suis agellis remanet: Ita fit res miserabilior, cum ætatis hujus errores & exilia commemorantur, quæ erat quiete atque otio dignissima. CAMERARIVS.

TITYRE. Tityrus apud Maronem calamo canit & ut pastor; & quod *tityros* etiam calamus est, auctore Hesychio: & *tityrenus* monaulus vel tibia calamina, quæ avena etiam dicitur. TVRNEB.

LENTVS. Servius otiosus interpretatur, diversa ab ea significatione sequenti: *lenta inter viburna cupressi*, hoc est ὑγρότατα. Et ab ea: *lentum distillat ab inguine virus*; quod viscidum significare videtur & γλισχρὸν, ut & Maro picem lentam dicit, unde & lentescere. GERMAN.

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves (ut cernis) & ipsum,
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.
Me. *Non equidem invideo, miror magis: undique totis*
Vsque adeo turbatur agris. en ipse capellas
Protenus æger ago: hanc etiam vix Tityre duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah, silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis (si mens non læva fuisset)
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

SERVII.

ô MELIBOEE. Scilicet quid miraris? DEVS, id est Cæsar. HÆC OTIA, hanc securitatem vel fœlicitatem.

NAMQVE ERIT ILLE MIHI SEMPER DEVS Et iteratio ipsa exclusit adulationis colorem. SEMPER. Id est, & post mortem, & dum vivit. Alii imperatores post mortem in numerum referuntur deorum: Augustus templa vivus emeruit. Horatius, *Præsenti tibi maturos largimur honores. Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Sic Lucanus de Nerone, *Sed mihi jam numen.* ILLIVS. Octavii Cæsaris.

IMBVET AGNVS. Imbuere, est proprie inchoare, & initiare. Nemo autem unam eandemque rem sæpe inchoat: sed constat sæpe pascua mutare pastores: sicut etiam in Georgicis legimus, *Itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis, tantum campi jacet.* Vnde necesse est pastores totiens aras imbuere, quotiens mutaverint pascua. Invenimus etiam apud antiquiores, Imbuere, esse non inchoare, sed perfundere & madefacere. secundum quod, absolutus est sensus: ut sit, sæpe perfundet.

ERRARE. idest pasci. ut, Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

LVDERE. Scribere, ut Carmina, qui lusi pastorum. Horatius, *Poscimus siquid vacui sub umbra Lusimus tecum.* CALAMO AGRESTI, Rustico stylo: sicut supra, tenui avena.

NON EQVIDEM INVIDEO. Excusat se, Ne frequens interrogatio fœlicitatis alienæ, ex invidia venire videatur: dicit se admirari potius, quam invidere.

VSQVE ADEO. In tantum. TVRBATVR AGRIS. Turbamur sine ulla discretione culpæ, vel meriti. Et invidiose tempora Augusti carpit latenter. Sanè vera lectio est turbatur, ut Servius dicit, ut sit impersonale, quod ad omnes pertinet generaliter. nam Mantuanorum fuerat communis expulsio. Si. n. turbamur legeris, videtur ad paucos referri.

PROTENVS. Porro tenus, id est longe à finibus. nam protenus per e, adverbium loci; per i, protinus adverbium temporis, id est statim. ÆGER. Et corpore & animo æger dicitur. ut, *Esto, ægram nulli quondam flexere mariti.* Sed ægrotus, corpore tantum. AGO autem, proprie: nam agi dicuntur pecora.

SPEM GREGIS. Id est marem & fœminam. reparatio enim gregis in sexu utroque consistit. AH SILICE IN NVDA. Ad hoc pertinet præmissa dolentis interjectio: nam solent herbas substernere parientibus, ut ipse in Georgicis dicit, *Et multa duram stipula filicumque maniplis Sternere.* CONNIXA. Pro eo quod est enixa. id est partu soluta, nam hiatus caussa, mutavit præpositionem: sicut *secludite curas*; pro excludite.

LÆVA. Stulta, contraria. Et sensus hic est, perdituros nos quandoque agros, manifesto prædicebant signa: sed nos mentis imprudentia intelligere nequivimus.

DE COELO TACTAS MEMINI PRÆDICERE QVERCVS. Mire compositum augurium. Nam quercus, in tutela Iovis est: & hujus arboris fructu olim homines vescebantur. Per quercus ergo, agri: per fulmen, ira Iovis: per iram Iovis, ira Cæsaris: per damnum arborum, damnum agrorum figurabatur. Hæc quercus ergo tacta, id est afflata leviter fulmine: ut Cicero, *Tactus est ille, qui hanc urbem condidit Romulus.* significabat motu imperatoris posse agros eorum perire, apud quos fulminatæ sunt arbores: nam agri caussa victus sunt, sicut olim quercus. Quod autem ait tactas: ostendit temporale fore damnum, quale patiuntur arbores leviter fulminatæ. Et bene prædicere, quasi præloqui & prædivinare: cum ita manifestum constet esse augurium.

VARIORVM.

SEMPER-DEVS. Placet Grammaticis hæc legi ὑφὶν, id est conjunctim, ut unum sit nomen. Sicut apud Terentium Semper-lenitas. CAMERARIVS.

DEVS. Solent latini scriptores vocem dei etiam iis tribuere, qui in re aliqua eximie, multumque supra cæteros excellunt. Item qui nobis ad salutem, libertatem, ad res denique magnas singulari ac divino auxilio fuerunt. Cic. i. de Orat. *te cum in dicendo semper putavi deum.* Terent. Adelph. *Laudarier te audit libenter: facio te apud illum, deum.* IACOB. PONTAN.

Sæpe

Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, iste deus qui sit, da Tityre nobis.
TI. *Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi*
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Noram: sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
ME. *Et quæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi?*
TI. *Libertas: quæ sera, tamen respexit inertem,*

SERVII.

DA. Id est dic. Sic contra, *Accipe nunc Danaum insidias*, id est audi.

VRBEM QVAM DICVNT ROMAM. Quæritur cur de Cæsare interrogatus, Romam describat? & aut simplicitate utitur rustica, ut ordinem narrationis plenè non teneat: sed per longas ambages ad interrogata descendat. Aut certè, quia nullus qui continetur, est sine ea re quæ continet, nec potest ulla persona esse sine loco. unde necesse habuit interrogatus de Cæsare, locum describere, in quo enim viderat. Est autem longum Hyperbaton, *Vrbem quam dicunt Romam*. Hic illum vidi juvenem Melibœe. Roma ante Romulum fuit, & ab ea Romulus nomen adquisivit, sed de flava & candida Roma Æsculapii Filia novum nomen Latio facit, tantum conditricis nomine omnes Romani vocantur: Marinus Lupercorum poëta dixit.

STVLTVS EGO. Id est rusticus, qui nescivi judicare. NOSTRÆ. Mantuæ. QVO. Id est, ad quam. nam adverbium posuit pro nomine. ut, *Genus unde Latinum*, id est à quo.

OVIVM TENEROS. Periphrasis agnorum. DEPELLERE. Id est à lacte removere:

SIC CANIBVS CATVLOS SIMILES. Vult urbem Romam non tantum magnitudine, sed etiam genere differre à cæteris civitatibus; & esse velut quemdam alterum mundum, aut quoddam cælum, in quo Deum Cæsarem vidit. Qui enim comparat cani catulum, vel hœdum capellæ; magnitudinis facit, non generis differentiam. Qui autem dicit, leo major est cane: & generis facit, & magnitudinis differentiam, sicut nunc de urbe Roma fecit. Putabam, inquit, ante ita Romam comparandam esse aliis civitatibus, ut solet hœdus capræ comparari. nam quamvis major esset, tamen eam civitatem esse dicebam. nunc vero probavi eam etiam genere distare: nam est sedes deorum. Hoc autem eum dicere, ille comprobat versus,

QVANTVM LENTA SOLENT INTER VIBVRNA CVPRESSI. Nam viburnum, brevissimum est, semper virens & forma & genere à cupresso remota. Nam cupressus, arbor est maxima. Hoc autem genus argumentationis & apud Arist. lectum est, & apud Ciceronem. COMPONERE. Comparare.

ET QVÆ TANTA FVIT. Quæ tanta: ad magnum enim aliquid nimia necessitas venire compellit. Vnde quasi miratur hominem rusticum Romam videre potuisse.

LIBERTAS, Amor libertatis. etenim aliter dicit servus, libertatem cupio: aliter ingenuus. Ille enim carere vult servitute. hic habere liberam vitam, pro suo scilicet arbitrio agere: sicut nunc Virgilius sub persona Tityri, dicit se amore libertatis Romam venire compulsum: & idem latenter carpit ea tempora, quibus libertas non nisi in urbe Roma erat. Aut certè simpliciter intelligamus hoc loco Tityrum sicut pastorem locutum. Nam ubique eum Theocritus mercenarium inducit. Item Virgilius, *Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas*. RESPEXIT INERTEM. Desidem, sese non requirentem. Nam culpat suam inertiam quod non antè Romam ierit, & sit usus puer libertate, qua uti cœpit provectioris ætatis.

VARIORVM.

SINISTRA CORNIX. Quomodo fuit sinistrum auspicium infaustum? Nam bona Latini sinistra dicunt; & ut Cic. de Divinat. 2. *Quid habet augur, cur à dextra corvus, à sinistra cornix faciat ratum?* vel hoc ad certam observationem avium referendum est, quarum aliæ sinistræ; aliæ dextræ auspicium facere crederentur. Abest hic versus à multis codicibus, cum tamen eleganter additus & numerose factus esse videatur. CAMERAR.

VRBEM QVAM DICVNT ROMAM. Roma & ante Romulum fuit & ab ea sibi Romulum nomen acquisivisse, Marianus Lupercaliorum poëta sic ostendit. *Setæa flava & candida Roma Æsculapii filia Novum nomen Latio facit, Quod conditricis nomine ab ipso omnes Romam vocant.* PHILARG.

ROMAM, &c. Ab Roma Æsculapii filia Romæ urbi nomen impositum tradiderunt, ut Marinus sive Marianus Lupercaliorum poëta, cujus hi versus, qui apud Servium leguntur, ita digerendi sunt & concipiendi. *Roma ante Romulum fuit, Et ab ea nomen Romulus Adquisivit ——. Sed diva flava & candida Roma Æsculapi filia Novum nomen Latio facit. Hanc conditricis nomine Ab ipso omnes Romam vocant.* Hos eosdem versus refert Philargyrius. perperam. a. *Settæa flava & candida*, vir doctus qui versus illos constituere voluit, legisse videtur. Nec. n. Roma filia Æsculapii, eadem fuit cum illa *Settæa*, captiva Trojana, quæ classem Æneæ incendit. SALMASIVS.

Digitized by Google

Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, & longo post tempore venit;
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima septis,
Pinguis & ingratæ premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
Me. *Mirabar, quid mœsta deos Amarylli vocares;*
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. ipsæ te Tityre pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

SERVII.

CANDIDIOR POSTQVAM TONDENTI BARBA, CADEBAT. Aut mutatio personæ est, ut quendam rusticum accipiamus loquentem, non Virgilium, per ἀλληγορίαν. Nam ut diximus, XXVIII. annorum scripsit Bucolica: Aut certè est mutanda distinctio: ut sit non barba candidior, sed libertas. nam XXVIII. annorum barbam potest quivis mittere: sed non canam. Et bene candidior libertas: ut intelligamus etiam antè in libertate, sed non tali fuisse Virgilium.

ET LONGO POST TEMPORE VENIT, Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. Iungendum est hoc totum. nam duplici ratione tempus ostendit, quo cum libertas aspexerit: id est quando cœpit secare barbam, & relicta Galatea Amaryllidis amore detineri. ἀλληγορικῶς autem hoc dicit, Postquam relicta Mantua Romam me contuli. nam Galateam, Mantuam vult esse: Romam, Amaryllida. Et bene tempora, quasi rusticus, computat à barbæ sectione. LONGO POST TEMPORE. Aut ἀρχαϊσμός est. Antiqui enim, POST, ANTE, CIRCVM, etiam ablativo jungebant: quod hodie facere minime possumus: Aut longo-post, una est pars orationis; ut sit sensus, Venit tempore longo-post: sicut multo-minus, multo-magis, post-modo, Horatius, *Postmodo, quod mi obsit clare, multumque locuto.*

LONGO POST, ut postposita videatur esse præpositio, & in unitatem coacta.

FATEBOR ENIM. Hoc per parenthesim dictum est.

NEC SPES LIBERTATIS ERAT, NEC CVRA PECVLI. Nec sperare poteram libertatem in oppressa civitate, nec habere curam patrimonii. Peculi autem aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos peculium dicebatur, à pecoribus; in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam pecunia dicta est à peculio. aut certè & hoc ad morum temporum pertinet. nam modo tantum servi peculium dicimus: ut invidiose patrimonium suum dixerit peculium, ac si servus esset: quia se diu apud Mantuam servisse memoravit. Sane peculi, pro peculii, per synæresim dictum est.

EXIRET VICTIMA SEPTIS. Septa proprie sunt loca in campo Martio inclusa tabulatis: in quibus stans Po. Ro. suffragia ferre consueverat. Sed quoniam hæc septa, similia sunt ovilibus: duo hæc invicem pro se ponuntur: ut hoc loco septa pro ovilibus posuit. Item Lucanus contra, *Et misere maculavit ovilia Romæ.* Iuvenalis, *Antiquo quæ proxima surgit ovili.* Sane PINGVIS, melius ad victimam, quàm ad caseum refertur.

INGRATÆ VRBI. Quia cum alimenta civitatibus præstentur ex rusticorum labore, & in his rustici etiam deridentur à civibus, & multa perdunt, & advectarum rerum pretia iniqua suscipiunt.

AMARYLLI. Vocativus Græcus est, qui brevis est quotiescunque nominativus in IS terminatur: ut Amaryllis, Pieris. Horatius, *Dulcem quæ strepitum Pieri temperas.*

CVI. Id est in cujus honorem. SVA POMA. Id est ipsius arboris poma propria. QVID VOCARES. Hoc Virgilii personæ convenit. MOESTA AMARILLI. Quæ nemine lætabare poëta. CVI PENDERE. Id est tibi; quia laudari à te non meruerunt.

TITYRVS. Virgilius. PINVS, Roma vel Cæsar.

FONTES. Poëtæ, vel Senatores. ARBVSTA. Fructeta, scholastici vocabant.

VARIORVM.

POSTQVAM NOS AMARYLLIS, &c. Politianus auctor elegans & curiosus, dicit Romanam urbem triplici olim nomine insignitam fuisse. Appellari enim vulgato nomine Romam, arcano Amaryllida, sacro & rituali Florentiam, seu quod idem est, Anthusam. venustissime igitur, cum puellæ urbique idem nomen sit, sub vocabulo virginis Romam indicavit. NANNIVS. lib. 6. Miscell. cap. 1.

MIRABAR QVID MOESTA, &c. Id est, Mirabar hactenus, quid causæ esset, quod puella tua Amaryllis, tam tristis esset, tamque sollicite deos invocaret: & cui præterea poma in hortis Mantuanis pendere pateretur. Iam liquet: Tityrus nempe Roma aberat: quem ipsæ etiam pinus, fontes & arbusta cum desiderio citabant. Atque hæc sententia (ni fallor) haud paulo melior est, quam illorum, qui hic apostrophen ad urbem Romam comminiscuntur. TAVBMANNVS.

TI. *Quid*

Digitized by Google

TI. *Quid facerem? neque servitio me exire licebat,*
Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves pueri, submittite tauros.
ME. *Fortunate senex, ergo tua rura manebunt:*
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua junco:
Non insueta graveis tentabunt pabula fœtas:
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes,
Hyblæis apibus florem depasta salicti,

SERVII.

SERVITIO. Ab servitio. Servitium est conditionis indicium. LICEBAT, Id est nec deesse officio poteram.

IVVENEM. Cæsarem dicit Octavianum Augustum. decreverat enim Senatus ne quis eum puerum diceret, ne majestas tanti imperii minueretur.

DIES. Id est principia mensium: vel Idus omnium mensium. FVMANT, Id est sacrificant. RESPONSVM PRIMVS DEDIT. Id est permisit libere vivere.

PRIMVS. Id est, ante quem nullus sit.

PASCITE. Id est, ut ante eratis ô pueri, sic & modo pascite in pace. SVBMITTITE TAVROS. Id est, exercete terram & sobolem.

FORTVNATE SENEX. Non ad ætatem Virgilii refert, sed ad fortunatum futurum, præsago usus est verbo. Nam apud Philosophos, senes dicuntur, qui spem futuri temporis habent in victu.

ET TIBI MAGNA SATIS. Ordo est, Magna satis pascua, subauditur erunt. QVAMVIS LAPIS. Quamvis mons sit & lacus. Nam à monte usque ad lacum, & inde usque ad arborem quandam, fuerat terra ei donata.

PALVS. Id est æquor. OBDVCAT. Tegat. JVNCO. Fœno. LIMOSO. Flumine Mincii.

GRAVEIS. Fœtas: accusativus Pluralis, quasi graves, id est gravidas: scilicet non enixas.

CONTAGIA LÆDENT. Morbi vel pestilentiæ corrumpent. unde contingit ut una aliquo morbo moriente, omnes idem morbus corruptas interimat. Dicit ergo quod nec insolita pascua tentaturæ sunt pecudes: nec ex alicujus infirmitate corrumpendæ.

HIC INTER FLVMINA. Inter Padum & Mincium, ubi nutritus es vel cognitus. NOTA. Chara.

FONTES SACROS. Quia omnibus aquis nymphæ sunt præsidentes. FRIGVS OPACVM. Quia æstivo tempore sub umbra fit frigus. Opacum autem, utrum pro opacis locis, incertum est; an pro valde frigidum. Nam unum frigus est hyeme: alterum quo refrigeramur æstate.

AB LIMITE. Limes, est agri terminus. SEPES. subaudi, fiet.

HYBLÆIS. Hybla, vel Hyble oppidum est Siciliæ, quod nunc Magara dicitur: vel locus in Attica, ubi optimum mel nascitur: & posuit speciem pro genere, DEPASTA FLOREM. Depastum florem habens. Hypallage. SALICTI. Virgulti genus, dictum eo quod salit & surgit cito.

VARIORVM.

NEC TAM PRÆSENTES ALIBI, &c. Innuit, velut viventem etiamnum Augustum deum, nec per apotheosin deum factum: ut & Ovid. Trist. 2. per Cæsarem jurans: *Per te præsentem conspicuumque deum*: hoc est, [illegible]. Quemadmodum & Euandrum memorat Tacit. lib. 15. præsenti Herculi aram fanumque dicasse, his verbis: *Magna ara, fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Euander sacraverat, exusta: &c.* Licet tamen PRÆSENTES, propitios & faventes accipere. GERMAN.

BIS SENOS CVI NOSTRA, &c. In magna religione velut numinis potentissimi & præsentissimi dictum est. Nam menstrua sacra diis maximis celebrari solebant; atque eæ erant feriæ religiosissimæ, cum solennibus & anniversariis non satis esse putarent defungi sacris: sed memoriam cultus quot Calendis aut Idibus renovandam putarent.: ea sacra Græci vocant ἐμμήνια. TVRNEB.

NEC MALA VICINI PECORIS CONTAGIA, &c. Sic & κακοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἀποβήσῃ κακός. Senec. n. de ira lib. 3. sumuntur, inquit, a conversantibus mores. ERASM. Adag.

SEPES DEPASTA FLOREM. Est Græcæ figuræ elocutio; ut in 2. Æneid. *Sensit medios delapsus in hostes.* Et Ovid. *Nudus humeris infusa capillos.* Dicit ergo susurrum apicularum depascentium salicta, futurum in causa, ut rustico ibi prope condormiscere libeat. CAMERAR.

Digitized by Google

Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
TI. *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,*
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Ante, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
ME. *At nos hinc alii sitientes ibimus Afros;*
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,

SERVII.

LEVI SUSURRO. Dulci murmure. Hic vocat rusticum ad dulcia, quæ sunt in rebus quibus delectatur. SOMNUM INIRE. Id est dormire, vel carpere.

FRONDATOR. Id est rusticus: vel quod animal frondibus vescitur. Nam tria genera sunt frondatorum. frondator, qui arbores amputat, & qui frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad pastum offerendos; & qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat. aut avis quæ in frondibus habitat, & his vescitur. vel etiam palumbes quæ in frondibus nidificant. AD AURAS. Id est in die.

RAUCÆ. Γογγύζουσαι. PALUMBES. Columbæ, quas vulgus teras vocat: & non dicuntur Latine: sed multorum authoritas Latinum facit. Cicero in Elegeia, quæ Talemastis inscribitur, *Iam mare Thyrrenum longe, penitusque palumbes Reliquit.*

GEMERE. Canere. proprie tamen dicitur de turture. TURTUR, Et masculino & fœminino genere invenitur: ut hic, *Aëria turtur cessabit.* Et Plaut. in Mostel. Tu tibi istos habeas turtures. AB ULMO. Ulmus, lignum est sub quo vinea fit.

IN ÆTHERE CERVI. Id est avium more ante cervi volabunt, & pisces sine aqua vivent: hoc est, ante rerum natura mutabitur, quam nos Cæsarem possimus oblivisci.

FRETA, Maria, à fervore dicta. DESTITUENT, Id est derelinquent.

PERERRATIS, Lustratis, vel errore confusis. AMBORUM. Id est Germanorum & Parthorum. EXUL. Id est Parthus & Germanus, Cæsar scilicet, quo duce, Germanis & Parthis victis, milites Ararim Germaniæ flumen biberunt.

ILLIUS, Id est Augusti Cæsaris. LABATUR, Respuatur, vel oblivioni tradatur. ARARIM, Arar fluvius Galliæ, fluens in flumen Rhodanum. TIGRIS. Armeniæ fluvius influens Persicum sinum. Itaque per Tigrim & Ararim vult diversa loca inter se significare. Dicit enim, prius Parthum ex Arare bibiturum, & Germanum ex Tigri, quam sibi oblivionem futuram non amissi agri, Cæsaris beneficio.

SITIENTES IBIMUS AFROS. Tropus Synecdoche: ab Afris enim, Libyam quæ aqua indiget intelligi vult. Est enim calidissima regio & pene inhabitabilis.

SCYTHIAM. Regio septentrionalis est frigidissima. ET RAPIDUM CRETÆ VENIEMUS OAXEM. Hoc est lutulentum: quod rapiat cretam. Creta terra alba dicitur. Nam Oaxis fluvius est Mesopotamiæ: qui velocitate sua rapiens albam cretam, turbulentus efficitur. Vel Oaxis, fluvius Scythiæ in Creta insula non est: sed aqua, cretei coloris est. Oaxem Philisthenes ait, Apollinis & Anthilenæ filium: hunc Oaxem, in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominavit, ut Varro ait, *Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminus capiens Tellurem Oaxida palmis Scindere dicta.*

VARIORUM.

TURTUR AB ULMO. Non hic aëriam turturem, sed ulmum intelligit. SALMASIUS.

ANTE, PERERRATIS AMBORUM. F. &c. Apparet amborum hic esse, quod Græci ἀλλήλων dicunt; ut pererret Germanus Parthorum, Parthus Germanorum fines. TURNEB.

GERMANIA TIGRIM. De Tigri Curtius l. 4. Nec sane alius ad orientis plagam tam violentus invehitur: multorum torrentium, non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaque à celeritate qua defluit, Tigris nomen est inditum, quia Persica lingua Tigrim sagittam appellat.

SITIENTES AFROS. δίψιος. Intelligit Xerolibyam: quam Catullus *Aridam* vertit: *noster Desertam siti regionem.*

PARS SCYTHIAM, &. R. C. V. OAXEM. Male apud Servium scribitur OAXIDA. Quod versus non patitur, licet locus ita appellatus sit. OAXES igitur apud Poëtam fluvius est Scythiæ Orientalis, qui OAXUS aliis dicitur & OXUS. Sensus ita plane accipi postulat. Et RAPIDUM CRETÆ vocat, quia creta id est albo limo turbidus fluat. Mesopotamiæ fluvium Oaxem dicit esse Servius, sed nugatur. Nullus enim in Mesopotamia fluvius hoc nomine. SALMASIUS.

Digitized by Google

Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot (mea regna) videns, mirabor, aristas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!
Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites:
Ite meæ, fœlix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos posthac viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

SERVII.

PENITVS, id est omnino. DIVERSOS. Quia olim juncta fuit orbi terrarum Britannia. Est enim insula sita in Oceano septentrionali: & à poëtis, alter orbis terrarum dicitur.

EN. Ecce. VNQVAM. Aliquando. En unquam, Virgilius alio loco dividit per interpositionem: ut infrà in ipso libro, *En erit unquam ille dies?* quod significat unquamne, id est aliquando?

CESPITE. Id est terra cum propria herba evulsa. CVLMEN. Eo quod culmo, id est stipula tegitur. Hic prisca rusticanorum ætas habitabat: ideo culmina dicta sunt tecta: quia veteres ædificia de culmo contegebant, id est paleis è messibus. TVGVRIA à tegendo dictum.

POST ALIQVOT ARISTAS, Post multa tempora, & quasi rusticus per aristas, numerat annos. MEA REGNA. Id est ubi dominatus sum. Vel senem se dicit agros suos recepturum. ARISTAS. Gradatim dictum, ex tropo metalepsi. ut per aristas, messes: per messes, æstates: per æstates annos numeret.

IMPIVS MILES. Proprium militis epitheton. Iratus Melibœus impium militem dicit, seu quod agrum suum teneat: seu quod civile gesserit bellum, qui pro Antonio arma portavit, qui bella civilia gessit. Hic læsit Virgilius Octavianum Augustum, tamen secutus est veritatem. Dum miles portando arma, vicit alios, impius nocendo dictus est. NOVALIA. Id est, nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina. Vel etiam novalia dicuntur unde sylva tollitur. HABEBIT. In spe ponitur.

EN QVO DISCORDIA. Ad quam miseriam?

INSERE, Sibimet ipsi imperat: & apostrophen facit ad seipsum, dolendo vel invidendo non habere se id quod Tityrus. PONE ORDINE VITES. Quia quadrato ordine vites ponuntur.

QVONDAM FOELIX PECVS. Quando manebat mihi hæreditas: vel quamdiu ego fœlix fui aliquando in finibus nostris. hic videt se pastor exclusum esse: & videt se non habere illud quo Tityrus utitur.

DVMOSA. Id est rigida, spinosa. PENDERE. Quia cum pascuntur, pendent.

VARIORVM.

DIVISOS ORBE BRITANNOS. Orbem vocabant olim terram continentem, quæ Oceano alluitur. Insulæ Oceani, extra orbem dicuntur esse: non item insulæ maris Mediterranei, ut Sicilia, Sardinia &c. Magna ergo calamitas, quæ propinqua migratione reparari non quibat. quærendæ erant Romanis civibus sedes, extra orbem Romanum. VIVES.

POST ALIQVOT MEA REGNA, &c. Rustica annorum notatio: non ex Olympiadibus, ut apud Græcos: neque ex Consulibus, ut apud Romanos: sed ex temporum annuis qualitatibus, sicut Claudianus inquit

Frugibus alternis, non Consule, computat annum.

LVD. VIVES.

POST ALIQVOT MEA REGNA. Quod mihi est instar regni. Pro affectu enim possidentis intelligendum est. Ita aliàs etiam homines lepide jocantes suas possessiones REGNA vocare solent. Cic. 1. De Orator: *Nisi hic in tuo regno essemus non tulissem.* TVRNEB. lib. 1. 26.

IMPIVS HÆC TAM CVLTA N. M. N. &c. Perite hæc distinxit. *Seges* proprie id est, quod aratum satum est, ἡ σπορίμη γῆ. *Novale*, quod aratione novatum est, necdum satum, ἡ νεαρὰ. Servius exponit Novalia, *nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina.* Immo, arationibus. quamvis ne hoc quidem verum sit: nec enim quotannis arantur novalia; ut nec quotannis seruntur: alternis quippe cessant. SALMASIVS.

NON EGO VOS P. V. P. IN ANTRO. Pastor iste non ita in antro cubat, tanquam in temporario diverticulo, sed veluti in legitimo domicilio. Nam veteres in speluncis ovilia sua constituebant, quod ex Polyphemi moribus patet. Nec suffragium leve est à Græca lingua, quæ μάνδρα nunc pro stabulo, nunc pro antro usurpatur. Fuisse autem hanc speluncam Tityro pro domo, vel illud argumento est, quod ibi suum penum habuerit, cum ita subjungit.

Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte
Fronde super viridi, sunt nobis mitia poma, &c.

NANNIVS Sing. 2.

Carmina nulla canam: non, me pascente capellæ
Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.
Ti. *Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem*
Fronde super viridi. sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis:
Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

SERVII.

CARMINA. Id est, quia non libet rustico canere carenti possessione.

CYTHISUM. Genus fruticis, vel herba, quæ nascitur inter campos & sylvas in Cythisa civitate. AMARAS. Ad nostrum saporem: nam capris dulces sunt.

MITIA. Matura: quæ non remordent cum mordentur.

CASTANEÆ, Id est, mala antiquiora. MOLLES. id est maturæ. ET PRESSI, Emulcti, & in caseum coacti.

FUMANT. Id est, ad vesperum cœna præparanda.

MAIORESQUE CADUNT, Duplicantur: Quia dum duplicantur umbræ, nox imminet.

VARIORUM.

VILLARUM CULMINA, Primo non villa, sed vella dicebant, quo nimirum veherent & unde veherent rustici res suas. Ita etiam veham, non viam nominabant propter vecturas. VARRO de re Rust. lib. 1. cap. 2.

MAIORESQUE CADUNT UMBRÆ. Descriptio vesperæ; quando decedente Sole crescunt umbræ. quo autem ille propius ab occasu abest, eo jaciuntur hæ longius. CAMERAR.

ECLOGA SECUNDA.

ALEXIS.

FORMOSUM *pastor Corydon ardebat Alexin,*
Delicias domini: nec, quid speraret habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos

SERVII.

FORMOSUM PASTOR CORYDON, Corydonis in persona, Virgilius intelligitur: Cæsar Alexis in persona inducitur. CORYDON, Fictum nomen est ab ave: quæ Corydalus dicitur. ARDEBAT ALEXIN, Impatienter diligebat. ALEXIN, Quem dicunt Alexandrum. fuit servus Asinii Pollionis: quem Virgilius rogatus ad prandium, cum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum, dilexit: eumque dono accepit. Cæsarem quidam acceperunt formosum in operibus & gloria. Alii puerum Cæsaris, quem si quis laudasset, gratam rem Cæsari fecisset. Nam Virgilius dicitur in pueros habuisse amorem: nec enim turpiter eum diligebat. Alii Corydonem Asinii Pollionis puerum adamatum à Virgilio ferunt: eumque à domino ipsi datum Corydonem à Virgilio ficto nomine nuncupari, ex eo genere avis, quæ Corydalus dicitur, dulce canens. Alexin vero puerum, quasi sine responsione ac superbum. hunc autem dilectum fuisse Pollionis: & Virgilium gratum se futurum existimasse, si eum laudaret, cujus forma Pollio delectabatur: qui eo tempore Transpadanam Italiæ partem tenebat, & agris præerat dividendis.

DELICIAS DOMINI. Hoc est, qui suo domino Cæsari, vel Pollioni in deliciis erat. NEC QUID SPERARET. Id est nec spem potiundi habebat.

TANTUM, tantummodo.

VARIORUM.

CORYDON PASTOR, Alexidis pueri amore captus, nihil eorum prætermittit, quæ ad puerilem animum demulcendum, mutuumque amorem conciliandum, possunt pertinere: verum ubi se neque querelis, neque blanditiis, aut munusculis quidquam proficere intelligit; tandem ad se rediens, dementiamque suam agnoscens, ad intermissam rei familiaris curam sibi statuit revertendum: ut assueto labore, infelicis sui amoris (qui fere ex otio nasci solet) tædium discutiat. HENRIC. STEPHANUS.

ARDEBAT ALEXIN. Ardeo nunc neutrum, nunc activum est poëtis, more Græcorum, quibus ἄιθω utroque modo usurpatur. GERMAN.

DELICIAS DOMINI. Hominem, qui nobis singulari oblectamento est, quoque solemus affici, & in quem propendere plurimum, magni census scriptores delicias nominant, & in laude quoque hanc vocem ponunt. PONT.

Assidue

Digitized by Google

Assidue veniebat; ibi hæc incondita solus
Montibus & sylvis studio jactabat inani.
O crudelis Alexi; nihil mea carmina curas:
Nil nostri miserere: mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos:
Thestylis & rapido fessis messoribus æstu
Allia, serpyllumque herbas contundit olentes:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristeis Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcam?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.

SERVII.

ASSIDVE, Id est sæpius. INCONDITA, Incomposita: subito dicta, agrestia, vel insanæ mentis dicta verba. vel incondita, id est inconscripta: ut Sallustius in Iugurthino, *At illi quibus vires aderant ruere cuncti ad portas, incondita tenere.*

MONTIBVS, Qui amorem ei præstabant. IACTABAT, Id est fundebat incassum. INANI, Præ amore nihil sibi procurans: sed in absentem juvenem loquebatur.

CRVDELIS, Inexorabilis: qui non flecteris meo amore: nec te pôtiundum præbes. Vel allegoricos, Crudelis Cæsar, qui non flecteris meis scriptis, & non das ereptos agros. ALEXI, Id est Cæsar. MORI, Pro contemptu.

FRIGORA. Non aprica loca. ÆSTV, Æstiva.

LACERTOS, Genus serpentis.

THESTYLIS, Nomen rusticæ mulieris: quæ messoribus æstu fatigatis, diversa genera herbarum contundens, pulmentarium his parat: Vel concubina Corydonis. Vel Thestylis, Id est, fictilis, rusticum nomen: ut ab eo quod ponat cibum rusticis. FESSIS, vel labore, vel æstu: Vel fessis, Id est ferventibus, vehementi ardore fatigatis, vel laboris instantia.

ALLIA, SERPYLLVMQVE, Herbas calidas, quæ æstum repellunt. Nam ut etiam Plinius dicit in naturali historia, *Omnis medicina, aut à contrario, aut à simili quæritur.* Vnde etiam calor potest aut frigore, aut alio calore depelli. Hinc est quod in ultima ecloga, cum amator remedium quærit ardori, dicit se iturum aut ad Scythiam, aut ad Æthiopiam. ut, *Æthiopum versemus oves sub sydere cancri.* quarum regionum altera est frigidissima, altera fervens calore. Sane serpillus herba est, quæ in græco aspirationem habet, quam græci ἕρπυλλον dicunt. In multis enim nominibus, quæ in græco aspirationem habent, nos pro aspiratione, S ponimus. Inde est quod pro herpillo, serpillum: pro ἕξ, sex: pro ἑπτὰ, septem. RAPIDO ÆSTV. Vehementi & ferventi. Fessis autem vel æstu, vel labore.

AT MECVM RAVCIS, TVA DVM VESTIGIA LVSTRO, &c. AT, Si per d fuerit, erit hyperbaton: ut sit, Dum tua lustro vestigia, ad me arbusta resonant, cum raucis cicadis. Sed melius est ut AT, conjunctio sit: & ita intelligamus, Thestylis herbas tritas messoribus parat: Verum mecum resonant arbusta, cum raucis cicadis.

TRISTEIS AMARYLLIDIS IRAS, Bene addit tristes. plerumque enim, ut ait Terentius, *amantium iræ, amoris redintegratio est*: ut veram iram ostenderet, & non fictam illam, quæ aliquid gratiæ habere consuevit. Vnde Horatius, *Vrit grata protervitas.*

SVPERBA FASTIDIA. Ex fastidio enim venit omnis superbia. NONNE MENALCAM. Tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio: & Ceberem puerum, cum Leria puella, quos à Mecœnate dicitur accepisse. Vnde volunt quidam per Amaryllida, Leriam: per Menalcam, Ceberem intelligi.

VARIORVM.

INCONDITA. Recte hoc Servius exposuit. Observavi tamen, incondita ea sæpe dici, quæ natura, non arte fiunt. NANNIVS. lib. 6. Miscell. cap. 5.

FESSIS MESS. ÆSTV, ALLIA, &c. Messores ideo allio, serpilloque vescuntur, quod venenis adversentur: nec in umbra dormientes à Serpentibus infestentur. vel quia vim habent desiccandi humores, nimio aquæ potu in corpus diffusos. SCOPPA. Quod & Macer his versibus subindicat.

Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quodvis animal infundens ore venenum;
Hoc ideo miscere cibis, messoribus est mos:
Vt si forte sopor fessos depresserit illos;
Vermibus à nocuis tuti requiescere possint.

RESONANT ARBVSTA CICADIS. Cicadarum cantu, maximum æstum insinuat; perinde ac si diceret: at nunc meridiano tempore, Solis vapore omnia torrentur, quod arbusta cicadis resonantia demonstrant. Per æstum enim cicadæ vehementius canunt. ut 3. Georg.

Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

PONTANVS.

Digitized by Google

O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quæris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.
Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare. non ego Daphnin

SERVII.

O FORMOSE PVER. Bene dicit Donatus suspendendum O, & sic dicendum, *Formose puer*: ut intelligamus per ironiam eum aliud voluisse dicere: sed in hæc verba, ne Alexin offenderet, amoris necessitate compulsum. NE CREDE. Ne confide. Sallustius, *Virtuti satis credebant*, id est confidebant.

ALBA LIGVSTRA CADVNT. Et rustice & amatorie ex floribus facit comparationem. Ligustrum autem, flos est candidus, sed vilissimus. Vaccinia vero, sunt violæ, quas purpurei coloris esse manifestum est: vel ligustra flores papaverum sunt, vel arborum.

QVAM DIVES NIVEI PECORIS. Tria sunt quibus amatores possunt placere, Divitiis, Pulchritudine, Cantilena. quibus omnibus se valere commemorat. Et multi secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκὸν, legunt nivei quam lactis. Sed melius est, *Quam dives pecoris nivei*. Nam candidæ oves, in ingenti sunt pretio. Vnde in Georgicis legimus, *Continuoque greges villis lege mollibus albos*. Item alibi, *Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est*.

MILLE MEÆ SICVLIS ERRANT IN MONTIBVS AGNÆ. Theocritus, ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω. ERRANT autem, cum securitate pascuntur. Et quod ait agnæ, & à sexu & ab ætate laudavit: nam ex fœmineo sexu in pecoribus copiosior possessio provenit.

LAC MIHI NON ÆSTATE NOVVM, NON FRIGORE DESIT. Multo melius quàm Theocritus: ille enim ait, τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ οὐ χειμῶνος ἄκρω. Sed quia caseus servari potest, non mirum est si quovis tempore quis habeat caseum. Hoc vero laudabile est, si quis habeat lac novum, id est colostrum, quod neutri generis est: nam fœminini esse penitus non potest. Sane hunc versum male distinguens Virgiliomastix, vituperat: LAC MIHI NON ÆSTATE NOVVM, NON FRIGORE: DESIT. Id est semper mihi deest.

AMPHION DIRCÆVS IN ACTÆO ARACYNTHO. Amphion & Zetus fratres fuerunt ex Iove & Antiopa: sed Zetus, rusticus fuit: Amphion vero musicæ artis peritus. Sane Aracynthus, mons est Thebanus. Vnde actæo, littorali debemus accipere, (ut, *At procul in sola secretæ Troades acta*) non Atheniensi: licet Athenæ primo ἀκτὴ dictæ sint. quanquam plerique, Actæo Aracyntho, Atheniensi accipiant, non quod Aracynthus apud Athenas est: sed ut ostendatur rustici imperitia. Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter quàm res habeat, dicit. Hac ratione potest & Oaxis, Cretæ fluvius accipi: cum sit, ut diximus, Scythiæ.

NEC SVM ADEO INFORMIS. Verecunde suam commemorat pulchritudinem. Sic Cicero in Cæliana. *Vt eum pæniteat non deformem esse natum*. Nam pulcherrimum voluit dicere. IN LITTORE VIDI, CVM PLACIDVM STARET VENTIS MARE. Negatur hoc per rerum naturam fieri posse: sed Theocritum secutus est, qui hoc dicit de Cyclope, ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα. Sed illi est excusatio, vel quia ingentem habet oculum Cyclops: vel quia filius Neptuni est. Vnde quia ait, in littore: volunt quidam in aqua à fluctibus derelicta, id est, in lacuna littoris eum se videre potuisse. quam rem illud excludit, *Cum placidum ventis staret mare*. Sed ideo in mari imago non cernitur, quia non stat: quod si stet, non potest etiam nobis imaginem reddere.

NON EGO DAPHNIN. Daphnis filius fuit Mercurii, formosissimus puer; qui primus dicitur pastor fuisse.

VARIORVM.

VACCINIA NIGRA. Nonnulli vacinium exponunt arborem, quæ ad aucupia seratur: Hyacinthos plerique & baccas ligustri. Ego vero vacinia mora agrestia esse dico; quæ à rubo sentis producta, ad tingendas servorum plebisque vestes olim legebantur. idque hoc sensu, *Abi Ligustrorum flores cadunt, & eorum baccæ nigræ colliguntur*, ad aucupia nempe & inducendos colores. BRODÆVS, lib. 4. c. 18.

ACTÆO ARACYNTHO. Affirmamus, Maronem Aracynthum montem Atheniensem intellexisse. Vibius enim sequester ait: *Aracynthus mons est in Attica, quidam in Arcadia volunt*. Luctatius 4. Theb. Actæa regio dicitur Attica. Est etiam Aracynthus mons Acarnaniæ & Thebarum quoque, teste Propertio lib. 4. el. SCOPPA.

QVVM PLACIDVM V. S. MARE Mare hic pro omni aquarum congregatione (sive fons sit, sive fluvius) positum est; & probabiliter pro lacu Mantuano. Sic littus etiam sumitur pro quavis terra, quæ aquis alluitur. CÆL. RHODIGIN.

Indice

Digitized by Google

Iudice te metuam, si nunquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibisco.
Mecum una in sylvis imitabere Pana canendo.
Pan primum calamos cera conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum:
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis

SERVII.

SI NVNQVAM FALLIT IMAGO. Nulla enim res ita decipit quemadmodum imago. Nam & in speculo contraria ostendit universa: & in aqua, remum integrum quasi fractum videmus. quod etiam Cicero in Tusculanis plenius docet. IVDICE TE METVAM. Ac si diceret, Qui meam despicis pulchritudinem.

TIBI SORDIDA RVRA. Vtinam libeat tibi mecum habitare rura tibi sordida, id est quæ tu putas sordida. nam bis accipimus TIBI.

ATQVE HVMILES HABITARE CASAS. Sane melius, habito illam rem: quam, habito in illa re, dicimus. Nam etiam principalitas hujus verbi frequentativi, accusativum regit: ut, habeo illam rem. Inde fit, habito illam rem: non, in illa re: ut, habitare casas. CASAS. quæ mapalia dicuntur. FIGERE CERVOS. Aut furcas, quæ figuntur ad casæ sustentationem: quæ dictæ sunt cervi, ad similitudinem cornuum cervinorum. Aut (quod melius est) figere cervos, id est venari & jaculari, intelligamus: ut magis ad voluptatem eum, quam ad laborem invitare videatur. VIRIDI HIBISCO. Ad hibiscum compellere, scilicet à lacte depulsos. Hibiscus autem, genus est herbæ: & sic dixit hibisco, ad hibiscum: ut, *It clamor cælo*, id est ad cælum.

IMITABERE PANA CANENDO. Exemplo numinis, in agris mecum poteris canere. Nam Pan, deus est rusticus, in naturæ similitudinem formatus. Vnde & Pan dictus est, id est omne. habet enim cornua in radiorum Solis, & cornuum Lunæ similitudinem. rubet ejus facies, ad ætheris imitationem. in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem. pars ejus inferior hispida est propter arbores, virgulta, feras. caprinos pedes habet, ut ostendat terræ soliditatem. fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam cæli: in qua septem soni sunt, ut diximus in Æneide, *Septem discrimina vocum*: καλαύροπα habet, id est pedum, hoc est baculum recurvum propter annum, qui in se recurrit: quia hic totius naturæ deus est. Poëtis fingitur cum Amore luctatus: & ab eo victus: quia, ut legimus, *Omnia vincit amor*. Ergo Pan, secundum fabulas, amasse Syringam nympham dicitur: quam cum sequeretur, illa implorato Terræ auxilio, in calamum conversa est: quem Pan, ad solatium amoris incidit, & sibi fistulam fecit. Sane sciendum, Pana, pa, habere accentum. Græca enim monosyllaba quæ ad nos transeunt, crescunt in obliquis casibus: & in genitivo & dativo tantum singularibus, ultimæ syllabæ accentum dant, ut, Panos pani, Lyncos lynci. Plurales etiam isti duo habent accentum: licet ad nos transire non possint.

NEC TE POENITEAT CALAMO TRIVISSE LABELLVM. Non tibi parum videatur. Terentius. *At enim quantum hic operis fiat, pœnitet*. Id est parum videtur. Et notandum pœniteat trivisse, præteritum pro præsenti positum, usurpative est: quod in defectivis licenter fit, ubi præsens non invenitur. Vt, *Quanquam animus meminisse horret*. LABELLVM. Parvum labrum. Hinc inanissimam quidam tentant facere discretionem: ut virorum labra, mulierum labia dicantur.

QVID NON FACIEBAT AMYNTAS? Quemadmodum mihi non obsequebatur? Et ex affectu alterius hunc cogit.

DISPARIBVS SEPTEM COMPACTA CICVTIS. Inæqualibus cannis. Nam & harmonia inæqualis est. Cicuta autem est spatium, quod est inter cannarum nodos. COMPACTA. Conjuncta. ut, *Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse*.

VARIORVM.

COMPELLERE HIBISCO. Poëtica Syntaxis, ut, *It clamor cælo*, pro ad hibiscum, & ad cœlum. Est autem hibiscus vel hibiscum, herba non dissimilis malvæ, ut ait Theophrastus, sed folio major cauleque pilosior. Ecloga decima, videtur pro junco aut vimine accipi, *Et gracili fiscellam texit hibisco*. RAMVS.

PAN PRIMVS CALAMOS. Pan, id est, Natura omnium rerum, inventor est fistulæ. Pan pastoralis deus: per cornu Solem significat & Lunam: per fistulam, septem planetas stellas: per pellem maculosam, cæli sidera: per cannam, ventos: per ungulas caprinas, soliditatem terræ. Villosus est, quia vestitis gaudet terra. Hic autem natus est Mercurio in arietem converso, & Penelope uxore Vlyssis. PHILARGYR.

SEPTEM COMPACTA CICVTIS. Vetus fistula septem compacta cicutis erat. Habebat autem unaquæq; cicuta sonum suum discrepantem ab aliis; ita ut septem calami, septem vocum discrimina redderent. Nam cum paris essent crassitudinis, vocum mutatio quærebatur, longitudine & brevitate. TVRNEB. Lib. 12. cap. 14.

Digitized by Google

Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens, Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas; invidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Iam pridem à me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades ô formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferant Nymphæ calathis: tibi candida Nais,
Pallentes violas, & summa papavera carpens,
Narcissum, & florem jungit bene olentis anethi.
Tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha:
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,

SERVII.

TE NVNC HABET ISTA SECVNDVM. Commendat munus: & ex eo quod ei hæreditarium datum est: & ex eo quod invidiam meruit. Nam res optimæ, & difficile donantur à vivis: & acceptæ, facile merentur invidiam.

NEC TVTA MIHI VALLE REPERTI CAPREOLI. Commendat à difficultate. Sic in primo, *Relliquias Trojæ ex ardente receptas.*

SPARSIS PELLIBVS ALBO. Qui habent adhuc maculas à prima ætate venientes. Accessu enim temporis, mutant colorem: & eorum maculæ, esse gratiæ minoris incipiunt. Ergo hoc dicit, Servo tibi capreolos, qui adhuc sint pellibus albo sparsis.

QVOS ETIAM NVNC TIBI SERVO. Id est quos adhuc tibi servo: licet roger à Thestyli amica, quæ hos à me cupit abducere. SICCANT. Sugunt.

ORAT ABDVCERE. Orat ut abducat. figuratum est: ut, *donat habere*, id est, donat ut habeat.

ET FACIET. Noluit dicere, & faciam: ne quem amabat offenderet, si se velle alteri dare munus diceret, quod ei paraverat.

HVC ADES Ô FORMOSE PVER; TIBI LILIA PLENIS, &c. Tantum honoris habet puero, ut ei dicat etiam numina obsecutura. Sane calathus græcum est: nam latine quasillum dicitur. Cicero in Philipp. lib. III. *At vero hujus domi inter quasilla appendebatur aurum?*

CANDIDA NAIS. Vel pulchra, vel dea. Nam dii umbris contrarii sunt, quas nigras esse constat. hinc est, *Candidus insuetum miratur limen olympi.*

PALLENTES VIOLAS. Amantium tinctas colore. Horatius, *Et tinctus viola pallor amantium.* Vnde non præter affectionem amantis, eos flores nymphas dicit offerre, qui sunt amantibus similes. PAPAVERA CARPENS; NARCISSVM ET FLOREM BENE OLENTIS ANETHI. Sane Papaver, Narcissus, Anethus, pulcherrimi pueri fuerunt: qui in flores suorum nominum versi sunt: quos ei offerendo, quasi admonet, nequid etiam tale aliquid unquam ex amore patiatur.

TVM CASIA. Herba suavissimi odoris: ut sequentia indicant: quam Græci casiam dicunt. Et sic dictum est, *Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis*: ut in Sallustio. *Leonem, atque alias feras.*

MOLLIA LVTEOLA PINGIT VACCINIA CALTHA, Mollia vaccinia pingit, id est componit, de caltha luteola. Nam nisi LVTEOLA septimus sit casus, non stat versus. Mollia autem, tactus plumei scilicet. Hoc dicens, ex colorum diversitate quærit ornatum.

CANA LEGAM TENERA LANVGINE MALA. Mala dicit cydonea, quæ lanuginis plena sunt: sed non præter obliquitatem. Nam in Æneide diximus, apud Cretenses, infamiæ genus juvenibus fuerat, non amatos fuisse. Et verecunde rem inhonestam supprimit: quam Theocritus aperte commemorat.

VARIORVM.

SORDENT TIBI MVNERA NOSTRA. Sordere cuipiam dicitur, quod illi tanquam sordidum displicet. PONTANVS.

SVMMA PAPAVERA, Papaver autem semper in honore fuisse apud Romanos, indicio est Tarquinius Superbus, qui legatis à filio missis, decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum facti ambage reddidit, PLINIVS. lib. 19. cap. 8.

TVM CASIA. Quid sit, rixantur Medici. LVD. DE LA CERDA statuit esse lavendulam.

LVTEOLA CALTHA. Quærunt Grammatici, quod hic coronamentum sit caltha. Et convenit è Plinio lib. 21. cap. 6. esse violæ genus, quod tamen non perinde notum est. Ego reperi in antiquo Lexico, caltham esse buphthalmon, cujus luteum esse florem omnibus fere constat. TVRNEB. lib. 19. cap. 12.

Digitized by Google

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo.
Et vos, ô lauri, carpam, & te proxima myrte:
Sic posita quoniam suaveis miscetis odores.
Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec si muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? habitarunt dii quoque sylvas,
Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces,
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia sylvæ.
Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam:

SERVII.

CASTANEASQUE NUCES. Bene speciem addidit: dicens castaneas. Nam *Nuces*, generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore: ut avellanæ, amygdalæ, juglandes, castaneæ; sicut contra dicuntur poma, omnia molliora. MEA QUAS AMARYLLIS AMABAT. Ne eas viles existimes, quas Amaryllis est amare dignata, nam apud illam in ingenti fuerunt honore.

CEREA PRUNA. Aut cerei coloris: aut mollia. Horatius, *Cerea Telephi laudat brachia*. HONOS ERIT HUIC QUOQUE POMO. Si à te dilectum fuerit: sicut castaneæ in honore fuerunt amatæ Amaryllidi.

O LAURI. Licet Horatius dixerit, *Depone sub lauro mea*: melius tamen est juxta secundam formam inflectere: nam melius sonat. PROXIMA MYRTE. Vel vicina lauro: vel ad odorem proxima. potest enim utrumque intelligi.

SIC POSITÆ QUONIAM SUAVES MISCETIS ODORES. Quoniam permistione vestra suavem odorem creatis.

RUSTICUS ES CORYDON. Arguit se stultitiæ, quod eum se sperat placare muneribus, qui potest habere meliora. nam supra ait, *Delicias domini*.

IOLAS. Vel ditior amator: vel ejus dominus.

EHEU QUID VOLUI MISERO MIHI? Quomodo eum discedere dicit, quem supra cum eo diximus non fuisse? Nam ait solus montibus & sylvis: sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem: unam quæ percipitur: & alteram imaginariam, scilicet eam quæ nascitur ex cogitatione. Unde ita debemus accipere hunc versum per cogitationem, illa imaginaria voluptate: qua & cernere & alloqui videbatur absentem. Sed postquam objurgatione sua in naturalem prudentiam est reversus, caruit utique illa imaginaria voluptate, ubi nunc sibi se obsuisse dicit per hanc ratiocinationem. *Rusticus es Corydon: nec munera curat Alexis. Nec si muneribus certes, concedat Iolas.* FLORIBUS AUSTRUM. Quo facilius arescunt.

FONTIBUS APROS. Qui puros fontes, cœnosos efficiunt.

QUEM FUGIS AH DEMENS? Iterum per phantasiam quasi ad præsentem loquitur: & quasi ille dixisset sylvas, hic infert, HABITARUNT DII QUOQUE SYLVAS, DARDANIUSQUE PARIS. Et Paris habitavit sylvas, qui de dearum pulchritudine judicavit.

PALLAS QUAS CONDIDIT ARCES, IPSA COLAT. Ideo dea arcium Minerva dicitur, quia de capite Iovis nata est: sed quia dea est artium, & ingenii, ideo ista finguntur. Nihil enim est excellentius ingenio: quippe quo reguntur universa.

TORVA LEÆNA LUPUM. Theocriti sunt isti versus. Et bene se revocat ad rusticas comparationes: pene enim fuerat lapsus, dicendo, PALLAS QUAS CONDIDIT ARCES. Leæna autem dictum est, sicut dracæna. Et quod ait, TORVA LEÆNA LUPUM SEQUITUR: verum est: Nam necesse est, ut veniente lupo, adventus agnoscatur leonis.

VARIORUM.

CASTANEASQ. NUCES. Non est obscurum, nucem generatim de omnibus dici, quæ duro operimento teguntur: pomum autem de iis proprie, quæ molliorem & tenuiorem corticem habent. Sic Græcis κάρυα, & ἀκρόδρυα generaliter accipiuntur. κάρυα quidem ἀπὸ τοῦ καρώσεως capitis gravedine quam concitant; ut nuces à nocendo Grammatici dicunt. GERMAN.

RUSTICUS ES CORYDON. Fastidit. n. Urbanus rusticum, humilem potens; locuples munera sordida & humilia. Et majorem habet animi concitationem conversio sermonis ad se, tanquam ad alteram personam. LUD. VIVES.

FLORIBUS AUSTRUM. Vapore, cujus aura calida & æstuosa statim languescunt flores pulcherrimi. Papinius lib. 3. Sylv. *Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.* TURNEB. lib. 12. cap. 7.

HABITARUNT DII QUOQUE, &c. Vitam rusticam non esse fugiendam, exemplo heroum ac deorum monet. PONTAN.

TORVA LEÆNA &c. Hoc nomen licet veteres Latinum negent, auctoritate tamen valet. Dicebant enim leonem masculum & feminam, ut Plautus in Vidularia: *Nam audivi feminam ego leonem semel parire.* Cic. de gloria lib. II. sic ait: *Statuerunt gloria leæna.* Leam vero Varro ad Ciceronem dicit, lib. III. *Sicut noces pandura ex lea.* PHILARGYR.

Digitized by Google

Florentem cythisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon ô Alexi. TRAHIT *sua quemque voluptas.*
Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et Sol crescenteis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor. QVIS *enim modus adsit amori?*
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

SERVII.

CYTHISVS. Herba est. LASCIVA. Voluptuosa & desidiosa.

TE CORIDON Ô ALEXI. Donoa, antibacchius est: sed o brevis fit: quia vocalis vocalem sequitur. sic Homerus πλάγχθη ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν.

TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS. Notabatur à Criticis, quod hanc sententiam dederit rustico, supra bucolici carminis legem, aut possibilitatem.

ARATRA IVGO REFERVNT SVSPENSA IVVENCI. Horatius. *Videre fessos vomerem versum Boves, collo trahentes languido.* Et hoc vult dicere, Omnia excepto amore finiuntur.

ET SOL CRESCENTEIS DECEDENS DVPLICAT VMBRAS. Variavit: nam ait supra, *Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.* Duplicat autem, auget: Sallustius, *Et Marius victus duplicaverat bellum.*

ME TAMEN VRIT AMOR. Cum jam calor sit Solis exhaustus.

QVÆ TE DEMENTIA CEPIT? Id est, cur amoribus vacas, cum multa sint quæ debes in agro perficere?

SEMIPVTATA TIBI FRONDOSA VITIS IN VLMO EST. Plus est, quàm si imputata diceret. tolerabilius est enim non incipere aliquid, quàm incœpta deserere. Hinc est illud in primo, *Mene incepto desistere victam?* Item in Georgicis, *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* Sane geminam arguit negligentiam; & quod semiputata vitis sit: & quod frondosa ulmus: nam utrumque obest. Vnde est in Georgicis, *Bis vitibus ingruit umbra.* Et aut simpliciter intelligimus hunc locum, ut suam arguat negligentiam: Aut certe illud est, Non mirum me esse dementem, qui habeo vites semiputatas. Nam in sacris dicitur quod corripiatur furore, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis.

QVIN TV. Quin immo, hortantis est. QVORVM INDIGET VSVS. Id est, quæ usus rusticus requirit. Sane & eget illa re, dicimus: ut eget ille Senatu: & eget illius rei. inde est indiget. Nam & hoc, utrique jungitur casui.

DETEXERE. Perficere, finire, multum texere; nam DE, modo non minuentis est, sed augentis.

INVENIES ALIVM, SI TE HIC FASTIDIT ALEXIS. Alium Alexim, alium puerum formosissimum, qui te minime spernat. Et volunt quidam, in hoc loco esse allegoriam antiquam, in Augustum: ut intelligamus, Invenies alium imperatorem, si te Augustus contemnit pro agris rogantem. Sed melius simpliciter accipimus hunc locum. Nam nihil habet quod possit ad Cæsarem trahi: Illud vero paulo post, pene aperte dicetur in Augustum Cæsarem, *Quoniam sors omnia versat.*

VARIORVM.

MALO ME GALATEA PETIT &c. vid. Nannium Miscell. 6. cap. 5.

QVIS ENIM MODVS ADSIT. A. Terent. Eunuch. *Here, quæ res in se neque consilium, neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes.*

SEMIPVTATA T. F. V. Frondosa vitis, id est, de qua si quis biberit, insanit. Sic varus: *Et frondosam,* inquit, *semiputatam queritur vitem.* Asper: *Tarditatem queritur,* inquit, *quia statim post vindemiam putant vites.* vel *frondosa vitis,* quia ajunt mente sanos non haberi, qui ex semiputata vite bibunt vinum. PHILARGYR.

VIMINIBVS, MOLLIQVE PARAS, &c. Omnino huic loco, ille apud Tibull. lib. 2. respondere videtur: *Tunc fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero.* Nam uterque Poëta vas illud pensile innuere videtur, quo rustici ad exsiccandum caseum utuntur, & per quod serum stillat & absumitur, quod Græci ταλάρους & ξηρία vocant, τὸ ἐκθλίβειν ὀρρόν. GERMAN.

ECLO-

Digitized by Google

ECLOGA TERTIA,

PALÆMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALÆMON.

ME. DIc mihi Damœta, cujum pecus? an Melibœi?
DA. Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
ME. Infelix ô semper ovis pecus: ipse Neæram
Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur.
Hic alienus oveis custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
DA. Parcius ista viris tamen objicienda memento.

SERVII.

DIC MIHI DAMOETA. Transit in Eclogam plenam litigii, & pastoralium convitiorum. Qui enim Bucolica scribit, curare debet ante omnia, ne similes sibi sint eclogæ: quod etiam Virgilius fecit. Nam prima habet vnius otium: & alterius, qui de suo agro pellitur, conquestionem. Secunda, amantem exprimit rusticum. Hæc vero, lites habet & altercationem. Vnde etiam dramatico charactere scripta est. nam nusquam poëta loquitur: sed introductæ tantum personæ. Novimus autem tres esse characteres dicendi: Vnum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: ut est in comœdiis & tragœdiis. Tertium mistum, ut est in Æneide: nam & poëta illic, & introductæ personæ loquuntur. Hos autem omnes characteres in bucolico esse convenit carmine: sicut liber etiam iste demonstrat. Nam habet illum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: ut, *Sicelides Musæ, paulo majora canamus.* Habet mistum, ut, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Nam etiam Gallum illic inducit loquentem. Habet dramaticum, ut in prima Ecloga: item in hac, quam miro ordine ex rebus communibus veniente composuit. Habet enim in ipso quasi primo occursu, lites & jurgia: Inde quæritur judex, quo præsente, habeant conflictum & disceptationem. Sequitur inde sententia, quæ universa concludit. CVIVM PECVS; Ab amaritudine cœpit. Nam dicendo, cujum pecus, ostendit eum esse mercenarium. Est autem Theocriti carmen, εἰπέ μοι ὦ κορύδων τίνος αἱ βόες; ἦ ῥα φιλώνδα; οὐκ ἀλλ' αἴγωνος. Cujum autem antique ait, vitans ὁμοιοτέλευτον, ne diceret cujus pecus: quod modo trium est generum. Antiqui dicebant sicut meus, mea, meum, sic cujus cuja cujum. Terentius, *Quid virgo, cuja est?*

NON, VERVM ÆGONIS. Amare etiam hæc rivalis ejus pecora esse dicit: & ut divitias illius ostendat: & dicat duras esse hujus partes, si quidem rivalis ejus, traditis ovibus, solus amicæ communis amoribus vacet. MIHI TRADIDIT. Meæ fidei commisit, & credidit.

INFELIX Ô SEMPER OVIS PECVS. Ordo est, ô infelix pecus semper ovis: id est semper futurum imbecille. NEÆRAM. Amicam communem suam & Menalcæ.

DVM FOVET: Dum amplectitur. PRÆFERAT ILLA, VERETVR. Ac si diceret, ideo timet ab illa discedere: quia scit me præferri, si ipse discesserit?

BIS MVLGET IN HORA. Quod vix per totum diem potest in ovibus fœcundis fieri. Nam pro laude in Georgicis posuit, bis ad diem mulgeri oves: dicens, *Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt: quod jam tenebris & sole cadente, Sub lucem exportant calathis.* Quid autem sit, Bis mulget in hora, ipse dicit,

ET SVCCVS PECORI, ET LAC SVBDVCITVR AGNIS. PARCIVS. Melius hic distinguitur: licet possit dici etiam, parcius ista. Sensus autem est, Noli valde hæc objicere, tamen scias viris fortibus obiiciendas rapinas. Ipse enim ait in nono, *Convectare juvat prædas, & vivere rapto.*

VARIORVM.

Menalcas & Damœtas pastores, mutuis primum inter se convitiis certant: mox interveniente Palæmone judice, amœbæi carminis lege disceptant: ubi neuter vincitur; sed uterque alteri, Palæmonis sententia, exæquatur?

BIS MVLGET IN HORA. Hyperbole, quæ idonea est convitiis Mancipia. a. præter solitum clam oves mulgebant, ut inde peculium augerent. A Græcis ejusmodi homines dicebantur μολγοί, παρὰ τὸ ἀμέλγειν καὶ κλέπτειν τὰ κοινά. Ita à Rom. *Catillones* dicti, qui provincias P. R. spoliassent & bona civium quasi abligurriissent: & inde *Catillatio* grave opprobrium. SCALIGER ad Fest.

PARCIVS ISTA VIRIS. &c. Vir, nomen est sæpe dignitatis: refertur enim & ad virtutem, vimque animi aut corporis, ut Cic. 11. Philipp. *Virum illa causa desiderabat.* Itaque se virum dicit, quasi alter homo nequam sit & non vir. LVD. VIVES.

Novi-

Digitized by Google

Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo (sed faciles Nymphæ risêre) sacello.
ME. *Tum credo, cum me arbustum videre Myconis,*
Atque mala vites incidere falce novellas.
DA. *Aut hîc ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum*
Fregisti, & calamos: quæ tu perverse Menalca,
Et cum vidisti puero donata, dolebas:
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
ME. *Quid domini facient, audent cum talia fures?*
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem, Quo nunc se proripit ille?
Tityre coge pecus: tu post carecta latebas.

SERVII.

NOVIMVS ET QVI TE. Subaudi corruperunt, quod suppressit verecunde: licet Theocritus aperte ipsam turpitudinem ponat & exprimat. ἢ οὐ μέμνᾳ ὅτ' ἐγώ τυ κατήλασα, χὼ τὺ σεσαρὼς εὖ ποτεκιγκλίζευ.

SACELLO. Id est in loco sacro. nam diminutive dictum est, TRANSVERSA TVENTIBVS HIRCIS. Hircos, Id est capros, libidinosa constat esse animalia. Vnde Horatius, *Libidinosus immolabitur caper, & agna tempestatibus.* Quod etiam Plinius Secundus dicit, *Hirci si casu aliquos coeuntes vident, adeo indignantur, ut in eos pene impetum faciant.* Hinc est, *Transversa tuentibus hircis*, id est vestram turpitudinem indignantibus. Alii hoc improbant, & legunt hirquis. Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus; ut sit sensus, Novimus qui te corruperit hirquis transversa tuentibus: & est Hypallage, pro oculis in hirquos retortis; quam rem solet libido perficere. Vnde Iuvenalis, *Oculosque in fine trementes.* Persius. *Patrantis fractus ocello.* SED FACILES NYMPHÆ RISERE. Ideo (inquit) indulsere Nymphæ, quia mites sunt & exorabiles. Sic in Georgicis, *Et faciles venerare Napæas.*

TVM CREDO. Et rustice & naturaliter respondet. non enim ante purgat objecta, sed alia objicit. Ita enim irati facere consueverunt, cum aut non potuerint, aut noluerint objecta dissolvere.

MALA FALCE. Quia tu male uteris. Et dictum est ex affectu utentis. sicut, *Inutile ferrum Cingitur.* In hoc autem maximum nefas est, quod ait, *vites novellas.* Nam vetulæ & cum utilitate inciduntur. Fuerat autem capitale supplicium arbores alienas incidere. Et ARBVSTVM, quidam locum in quo arbores sunt, volunt accipere; sicut salictum.

ARCVM, ET CALAMOS. Nam habent arma pastores; ut in Georgicis docuit, *Armaque, Amyclæumque canem, Cressasque pharetras:*

PERVERSE MENALCA. Aut converse ad turpitudinem. aut intelligamus quendam fuisse Menalcam nobilem: ut istum perversum Menalcam diceret, illius comparatione. Sic Sallust. *Scævus iste Romulus.*

ALIQVA NOCVISSES. Id est aliquatenus, aliqua ratione.

QVID DOMINI FACIENT, AVDENT CVM TALIA FVRES? Plerunque personæ suis nominibus exprimuntur; plerunque per officia designantur. ut si dicas, philosophus: nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientiæ operam dans: personam exprimis per officium, sicut hoc loco fecit: Nam pro servo, furem posuit. Furta enim specialiter servorum sunt. Sic Plautus de servo, *Tu trium literarum homo, vituperas me?* Id est fur.

NON EGO TE VIDI. Manifeste eum furti arguit, dicendo, vidi.

EXCIPERE. Dolo capere: ut, *Excipit incautum insidiis.* LATRANTE LYCISCA? Lyciscæ sunt, vt etiam Plinius dicit, canes nati ex lupis & canibus, cum inter se forte miscentur.

PRORIPIT. Ingerit, immittit. ILLE. Fur.

TITYRE. Alius pastor. COGE. Id est, collige, & in unum redige. POST CARECTA LATEBAS. Loca caricis plena. Carex autem, herba est acuta, & durissima, spartho similis. Alibi, *Et carice pastus acuta.* Sane ut Servius dicit super hoc loco, superfluam volunt esse allegoriam, dicentes rem nusquam lectam de Virgilio. ajunt enim hoc, Varus tragœdiarum scriptor, habuit uxorem literatissimam: cum qua Virgilius adulterium solebat admittere: cui etiam dedit scriptam tragœdiam, quam illa marito dedit, tanquam à se scriptam. Hanc recitavit pro sua Varus: quam rem Virgilius dicit per allegoriam. nam tragœdiæ præmium caper fuerat: Horatius, *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Sed melius simpliciter accipimus. refutandæ enim sunt allegoriæ in bucolico certamine: nisi, ut supra diximus, ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt. AN, pro ergo, ut Comminianus dicit.

VARIORVM.

TRANSVERSA TVENTIBVS HIRC. Legitur & *hirquis*, id est oculis, ac humilibus & languentibus oculis, non ignorante populo. PHILARG.

DA. Au

DA. *An mihi cantando victus non redderet ille,*
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
ME. *Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera*
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
DA. *Vis ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim*
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
ME. *De grege non ausim quicquam deponere tecum.*
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter & hædos.
Verum id, quod multo tute ipse fatebere majus,

SERVII.

MEVS CAPER. Debitus, merito victoriæ.

REDDERE POSSE. Scilicet ne suo judicio videretur esse superatus.

CANTANDO TV ILLVM? Imperitus peritum. CERA IVNCTA FVIT. Supra, *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.*

IN TRIVIIS. Consuetudo enim fuerat, ut per trivia & quadrivia ulularent, & flebile quiddam in honorem Dianæ canerent rustici, ad reddendam Ceteris imitationem, quæ raptam Proserpinam in triviis clamore requirebat. Novimus autem eandem esse Proserpinam, quam Dianam. sic in Æneide, *Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.*

MISERVM CARMEN. Triste, flebile, quale canunt stipulæ: & quod congruit ad imitationem matris orbatæ.

VIS ERGO INTER NOS. Aut nostri comparatione: aut quod melius est, nullo judice præsente. postea enim ex improviso Palæmon adveniet.

VICISSIM EXPERIAMVR. Id est amœbæo carmine. Amœbæum autem est, quoties ii qui canunt & æquali numero versuum utuntur, & ita se habet ipsa responsio, ut aut majus aut contrarium aliquid dicat, sicut hic sequentia indicabunt. EGO HANC VITVLAM, Subdistingue, ut ita intelligamus, ne eam vilem existimes.

BIS VENIT AD MVLCTRAM: BINOS ALIT VBERE FOETVS. Vt eam laudare ex fœtu, & ex ætate videatur. Male enim quidam quæstionem movent, dicentes, vitulam parvam esse: nec congruere ut eam jam enixam esse dicamus: sed debere nos juvencam subaudire; ut sit, *Ego hanc juvencam depono, vitulam ne forte recuses.* Nam & vitula, à viridiore ætate dicta est, sicut virgo: ut paulo post ipse dicturus est, *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.* Item, *Et vitula tu dignus, & hic.* Vnde & juvencam subaudire non possumus: sed secundum superiorem sensum intelligamus. Vitula enim est nomen ætatis: non quod tantum ante partum vaccæ possideant. MVLCTRAM. Et fœmineo genere dicimus hæc mulctra: vás in quo mulgetur: & neutro, hoc mulctrale. Vnde est in Georgicis, *Implebunt mulctralia vaccæ.* Alii faciunt discretionem: ut sit mulctra, tempus quo mulgentur animalia: mulctrale, vas in quod mulgentur.

DEPONO. In sponsione colloco, sequestro. QVO PIGNORE. Qua sponsione, quia pignus sponsioni est.

DE GREGE NON AVSIM QVICQVAM DEPONERE TECVM. Supra enim eum aliena pascere dixit animalia: ut, *Dic mihi Damœta, cujum pecus?*

INIVSTA NOVERCA. Epitheton generale novercarum.

BISQVE DIE NVMERANT AMBO PECVS. Et dum vadit ad pascua: & dum inde revertitur.

ALTER ET HÆDOS. Male quidam privignum accipiunt. alter enim, de duobus dicimus, non de tribus: Vnde alter, de noverca intelligamus. Nec nos moveat quod ALTER dixit de fœmina: nam & in subauditione ponuntur ea quæ non possumus dicere & scimus: quia quoties hæc duo genera junguntur, masculinum præponderat fœminino.

VARIORVM.

NON TV IN TRIVIIS INDOCTE SOLEBAS. Nannius argute referre videtur ad contemtum; ut triviale carmen Poëta eludat potius, quam ad ritum Cereris hymnorum & sacrorum. GERMAN.

BINOS ALIT VBERE, F. Si vitula est adhuc, quare *binos alit ubere fœtus?* sed, ut apud Terentium, virgo dicitur quæ peperit, ut in Adelphis, *Puer natus. nihil habet virgo.* Sic virgo quæ parit. ideo ad secundum partum virgo dicitur, postmodum mulier. hic post partum *vitula* dicitur pro vacca. PHILARGYRIVS.

(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet?
Nec dum illis labra admovi, sed condita servo.
DA. *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit;*

SERVII.

INSANIRE LIBET QVONIAM TIBI. Vel sub sponsione contendere; vel, quod melius est, carmina componere. Nam insani dicuntur poëtæ.

DIVINI OPVS ALCIMEDONTIS. Laus ab artifice. Cicero, *Polycleti esse dicebant.* POCVLA autem FAGINA, quasi rem maximam.

QVIBVS TORNO FACILIS. Donatus sic legit. Legitur tamen & torno facili: ad excludenda duo epitheta: quod est in latinitate vitiosum, si sit, lenta facilis vitis.

CORYMBOS. Vvas hederarum.

CONON. Dux fuit: cujus nomen dicit, quia in omnium ore versatur. nam philosophi tacent, quod non facile potest ad rusticum pervenire. & bene ea dicit philosophi, quæ ad rusticum pertinent; ut, *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.*

RADIO. Id est virga philosophorum, qua geometræ lineas indicant. Inventa autem hæc est ars, tempore quo, Nilus plus æquo crescens, confudit terminos possessionum: ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros: inde geometria dicitur: cum non tantum terræ, sed & maris, & cœli, & aëris spatia metiri consueverit. Significat autem aut Aratum, aut Ptolemæum, aut Eudoxum.

NEC DVM ILLIS LABRA ADMOVI. Hypallage, pocula enim labris adhibemus: ut *Dare classibus austros.* Et tantam in eis dicit venerationem, ut necdum illis usus fuerit.

IDEM ALCIMEDON. Irrisio est facta iteratione verborum: & mire omnia in vituperationem trahit, quæ ille laudavit. ET NOBIS FECIT. Ac si diceret, Putas te solum habere pocula. cui enim Alcimedon non fecit? tu pro reverentia ea non tangis: ego ideo quia vilia esse existimo.

VARIORVM.

POCVLA P. FAGINA COELATVM. &c. Cælata proprie dicuntur vasa aurea vel argentea, in quibus signa vel sigilla intus aut extra eminentia expressa sunt; quæ sola cœlo fieri, non torno possunt exigi. Quo magis miror Virgilium hic ita canere. Profecto vix ac ne vix quidem fieri potest: hoc enim τῶν ἀδυνάτων, ut vitis & hederæ corymbi in poculo per tornum exprimi queant, vel imprimi. Et certe Theocritus non torno factus illud κισσύβιον dicit, sed γλυφάνῳ id est cœlo. Quæ aliter poëta verba exponenda ac vulgo solent. Non ergo dicit torno, vel torni arte superadditam vitem illis poculis; sed præter tornum, quo facta erant illa pocula, insuper additam artificio cælaturæ, vitem; vel ex ipso ligno exsculptam, vel glutino adplicatam & adnexam; pocula ipsa torno facta: Ait enim, TORNO FACILI, quia nihil facilius tornatura. Parum itaque commendasset pocula sua, si torno tantum facta promisisset. Sed ad torni facilitatem, cæli labor additus, Hinc laboriosi cælatores vulgo dicti. SALMASIVS.

DIFFVSOS HEDERA, &c. Legitur & ÆDERA, ab ærendo arboribus, & sine aspiratione dici debet. PHILARGYR.

DESCRIPSIT RADIO, &c. In quibus versibus exponendis mirari satis non possumus quantopere nugentur veteres. *Cononem* ducem interpretatur Servius; quum de Samio astrologo sit capiendum. Scaliger versum illum poëtæ de Archimede exponit, & TOTVM ORBEM de periodo Archimedea, quam eandem cum Olympica putavit esse. Quæ interpretatio multis modis improbanda est. ORBIS quidem de certo annorum numero & conversione passim sumitur, & apud poëtam ipsum sæpe capitur, ut in 6. magni operis,

Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem.

Orbes idem alibi absolute pro annis posuit:

Triginta magnus volvendis mensibus orbes
Imperio explebit.

Sed cum dicat poëta TOTVM ORBEM, aliquid fixum certumque & apud omnes constans significare voluit. Prorsus itaque placet, eos versus de Archimede exponendos esse, sed non eo sensu, quo voluit Scaliger. Quod Archimedis nomen versus ratio respueret, ideo illum sic circum locutus est. Et cum Conone quidem eum conjunxit, cui & familiaris fuit, non tantum contemporaneus & iisdem artibus excellens. quæ altera animorum conjunctio est. TOTVM ergo ORBEM poëta de cælo dixit, ut alibi,

Nec dum orbem medium nox horis acta subibat.

Id est cælum medium. *Medium cæli orbem*, alio loco:

Sol medium cæli conscenderat igneus orbem.

Et *tener mundi orbis*, de cælo in Eclogis. Archimedes *totum orbem radio descripsit*, qui totum cælum descripsit, qui descriptus radio possit indicari. Nec enim hic *radius* diopricum organum, sed radius mathematicus. Vide Cl. SALMASIVM. Exercitat. Plinian. ubi fusius illa tractat.

Et

Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.
ME. *Nunquam hodie effugies: veniam quocumque vocaris:*
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
DA. *Quin age, si quid habes: in me mora non erit ulla.*
Nec quemquam fugio. tantum vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas.
PA. *Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba.*
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe Damœta, tu deinde sequère Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camœnæ.
DA. *Ab Iove principium Musæ: Iovis omnia plena:*
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.
ME. *Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me*

SERVII.

MOLLI ACANTHO. Genus est floris: quia ille dixerat, *lenta vitis.*

SYLVASQUE SEQUENTES. Non secutas: sed quasi adhuc sequentes: ut peritiam artificis laudet.

NUNQUAM HODIE EFFUGIES. Ac si diceret, Ne contendas: excusationes requiris: non quia æstimas vilia pocula. VENIAM. Descendam.

AUDIAT HÆC TANTUM. Subaudi aliquis. TANTUM autem, quia suspicatur eum victum non posse cedere, qui ita etiam ante certamen est contumax. VEL QUI. Quasi requirentis est, cum subito venit Palæmon. Alii distinguunt: vel qui venit. Bene autem dubitat: ne cum ipse immisisse videatur, & sit credibile quod ad ejus judicet gratiam. Hoc etiam Damœtas sentiens, dicit,

NEC QUEMQUAM FUGIO. Id est consentio ad eum judicem, quem tu eligis. VICINE PALÆMON. Benevolum reddit ex vicinitatis commemoratione. Terentius, *Vel virtus me tua, vel vicinitas, quod ego in propinqua parte amicitiæ puto.*

ET NUNC OMNIS AGER, NUNC OMNIS PARTURIT ARBOS. Ipse alibi, *Parturit almus ager.* Sane bene subdidit,

NUNC FRONDENT SYLVÆ, referens ad arbores steriles; nam PARTURIUNT de pomiferis dicimus. Vult autem tempus exprimere, quo & deliciæ sunt in agris, & rustici minus laborant: ut sit duplex ad cantilenam invitatio.

ALTERNIS DICETIS. Quia quasi iratus fuerat, quod Damœtæ prior locus dabatur: idcirco ait, *alternis dicetis.* In Amœbæo enim carmine difficilior pars respondentis est: qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut majorem aut contrariam format responsionem: ut diximus supra. CAMŒNÆ. Musæ, quibus à cantu nomen est inditum.

AB IOVE PRINCIPIUM MUSÆ. Vel Musæ meæ ab Iove est principium: vel, O Musæ, sumamus ab Iove principium. Est autem Arati, qui ait, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέ ποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν ἄρρητον. μεσαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δ᾽ ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα, καὶ λιμένες. πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες. IOVIS OMNIA PLENA. Lucan. *Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Ipse alibi, *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem.* Ipse enim est spiritus, sine quo nihil movetur aut regitur. COLIT TERRAS, Amat. Cæterum superior, colitur: non colit inferiorem. Sic alibi, *Unam posthabita coluisse Samo*, Id est amasse. Nec mirum si rusticus sumpsit ab Iove principium: quem amare terras constat, & habere carminum curam.

ET ME PHOEBUS AMAT. Aut simile est quod dicit, quia unicuique deus is quem colit, summus videtur: ut, *Summe deum sancti custos Soractis Apollo*: ut Apollinem exæquaverit Iovi. Aut certe ordo sit talis, Me & Phœbus amat: ut & plus dicat, nec Iovi videatur Apollinem comparare.

VARIORUM.

MOLLI ACANTHO. Ita cælata esse pocula ait, ut ansas implicare videretur acanthus: in medio autem historiam Orphei expressam esse. MOLLEM Theocritus ὑγρὸν dixit, id est flexibilem. TAUBMANNUS.

Munera sunt, lauri, & suave rubens hyacinthus.
DA. *Malo me Galatea petit lasciva puella,*
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.
ME. *At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas:*
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
DA. *Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi*
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.
ME. *Quod potui, puero, sylvestri ex arbore lecta*
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.
DA. *O quoties, & quæ nobis Galatea locuta est!*
Partem aliquam venti divûm referatis ad aures.
ME. *Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,*
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
DA. *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola:*
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito,

SERVII.

SVA MVNERA. Ipsi grata. Id est laurus & hyacinthus. Nam scimus & Daphnem Ladonis fluminis Arcadiæ filiam, dilectam ab Apolline, & Terræ miseratione in laurum conversam. Et Hyacinthum amatum, tam à Borea, quam ab Apolline: qui cum magis Apollinis amore lætaretur: dum exerceretur disco: ab irato Borea eodem disco est interemptus, & mutatus in florem nominis sui.

ANTE VIDERI. A me, antequam lateat. Horatius, *Nunc & latentis proditor intimo Gratus puellæ risus ab angulo.*

OFFERT VLTRO. Iste plus dicit lege Amœbæi carminis, DELIA NOSTRIS. Deliam alii amicam priorem volunt: alii Dianam, quæ est à Delo: & est canibus nota, per quos venamur, quasi dea venationis. Nam si ad amicam referas, hoc dicit: Sic frequenter ad me Amyntas venit, ut canibus meis notior sit, quam amica Delia.

PARTA. Præparata. MEÆ VENERI. Meæ amicæ.

AERIÆ. Aërii coloris. CONGESSERE. Nidificavere.

AVREA MALA DECEM MISI. Plus dicit. nam cum ille dixisset se esse missurum: iste jam misisse confirmat. Aurea autem, aurei coloris. Et volunt quidam hoc loco esse allegoriam ad Augustum de decem eclogis: quod superfluum est. quæ enim necessitas hoc loco allegoriæ?

DIVVM REFERATIS AD AVRES. Ita, inquit, mecum dulce locuta est Galatea, ut deorum auditu ejus digna sint verba.

ANIMO NON SPERNIS. Id est libentissime amas. Et est Liptotes figura. sicut, *Munera nec sperno.* Et multi hunc locum allegoricôs accipiunt: ut videatur Augusto dicere; Quid prodest, quia me diligis: si ad capiendos hostes pergens, in otio me relinquis? Dicitur enim Virgilium sequi voluisse Augustum, contra Antonium ad Actiaca bella properantem.

RETIA SERVO. Quæ res in venatione minus possidet voluptatis. AMYNTA. Vocativus græcus est. Et sciendum, Græca nomina in *As* exeuntia, sive crescant sive non crescant in genitivo, vocativum in *A* mittere: ut Æneas, Æneæ, ô Ænea: Pallas, Pallantis, ô Palla. ut, non hæc ô Palla dederas promissa parenti.

PHYLLIDA MITTE MIHI. Amicam communem, caussa natalis diei: in cujus tantum sacrificio licebat voluptatibus operam dare. Nam in aliis sacrificiis erat castitatis observatio: quod etiam sequentia indicant, ubi dicit,

CVM FACIAM VITVLA PRO FRVGIBVS. Id est, cum pro frugibus sacrificare cœpero, tu tantummodo venito. Sane NATALIS apud majores plenum nomen: posteritas NATALIS DIES dicere cœpit. Nam cum Horatius dixerit, *Natalis grata numeras*: Iuvenalis ait, *Natali Corvine die mihi dulcior hæc lux.* CVM FACIAM VITVLA PRO FRVGIBVS, IPSE VENITO. Cum sacrificavero. Et figurate, faciam vitula ait: ut faciam thure: ut faciam agna. Horat. *Seu poscat agna, sive malit hædo.* Dicitur autem hoc sacrificium Ambarvale: quod arva ambiat victima. Sic & ipsa in Georgicis, *Terque novas circum felix eat hostia fruges.* Sicut amburbale, vel amburbium dicitur sacrificium, quo urbem circuit, & ambit victima.

VARIORVM.

MALO ME GALATEA P. Malum siquidem Veneri sacrum est. Brissonius monet, in Veneris tutela mala à veteribus collocata, eorumque esum in somniis, rei venereæ fruitionem portendere. ARTEMID. l. 1. c. 85.

QVO CONGESSERE PA. &c. Scilicet *nidamenta*, ut Plaut. Rud. act. 3. 6. loquitur. Vnde & *avium congestus* dicitur, cum ad nidum construendum, festucas, floccos, herbas & talia congerunt. Ita *συμφορεῖν* Græci & *συμφορητάδας ὄρνιθας* dicunt, cum nidos construunt. PIMVONT.

AVREA MALA DECEM, &c. Quidam χρυσόμηλα id est Medica, seu citrina mala intelligunt; alii cydonia. CAMERARIVS.

ME. *Phyl-*

ME. *Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit:*
Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
DA. *Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,*
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.
ME. *Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,*
Lenta salix fœto pecori: mihi solus Amyntas.
DA. *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam:*
Pierides vitulam lectori pascite vestro.
ME. *Pollio & ipse facit nova carmina, pascite taurum,*
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
DA. *Qui te Pollio amat, veniat, quo te quoque gaudet:*
Mella fluant illi; ferat & rubus asper amomum.
ME. *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:*
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
DA. *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,*
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

SERVII.

VALE, VALE, INQVIT IOLA. Hic pastor, aut habuit duo nomina (nam supra eum Menalcam dixit) aut certe Iolam eum, quasi pastorem optimum appellavit, à quodam pastore nobilissimo: sicut virum fortem plerumque Achillem: Adulterum, Parim vocamus. Sane LONGVM VALE ita ait, ut torvum clamat. pro adverbio nomen posuit. Vale, vale inquit, LE corripit sequens vocalis: ut, *Te Corydon ô Alexi.*

TRISTE. Tristis res.

DVLCE. Dulcis res. SATIS. Segetibus. DEPVLSIS. A lacte prohibitis. ut, *Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.*

POLLIO AMAT NOSTRAM, QVAMVIS SIT RVSTICA MVSAM. Blanditur jam Pollioni patrono: quem tragœdiarum & historiarum scriptorem, Horatius fuisse testatur. Nam in secundo carminum, dicit de historiis, *Periculosæ plenum opus aleæ Tractas, & incedis per ignes Suppositos cineri doloso.* Item paulo post, *Paulum severæ musa tragœdiæ Desit theatris.* Quem, carmen suum, licet rusticum, tamen amare confirmat.

PIERIDES VITVLAM LECTORI PASCITE VESTRO Id est, pascite ejus armenta, quia legit hoc carmen: vel vitulam ei nutrite pro præmio

POLLIO. Sane alii legunt Pollio, ut prima producatur: alii Polio. NOVA CARMINA. Magna, miranda. PASCITE TAVRVM. Hic auget: nam vitulam dixerat.

QVO TE QVOQVE GAVDET, Subaudi venisse; pervenerat autem ad consulatum post triumphum Dalmaticum. Nam vicerat Salonas, civitatem Dalmatiæ. Horatius, *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.*

AMOMVM. Flos est Assyrius. ut Lucanus, *Vicina messis amomum.*

QVI BAVIVM NON ODIT. Pro pœna ei contingat, ut diligat Mevium pejorem poëtam: Nam Mevius & Bavius pessimi fuerunt poëtæ; inimici tam Horàtio quàm Virgilio. Vnde Horatius, *Mala soluta navis exit alite, Ferens olentem Mevium.* MVLGEAT HIRCOS. Faciat ea quæ contra naturam sunt.

FRAGA. Mora quæ in herbis nascuntur. Ideo dixit HVMI NASCENTIA.

LATET ANGVIS IN HERBA. Allegoria est: nam videtur hoc ad Mantuanos dicere, qui inter milites versabantur armatos: quos sicut anguis, mortem inferre posse, non dubium est.

VARIORVM.

MELLA FLVANT ILLI, &c. Cum Damœtas, amicis Pollionis, optat mella fluere; nihil aliud vult, nisi ut copiosissima rerum omnium, quæ suavissimæ judicentur, ubertate ditescant. PIERIVS. lib. 26.

QVI BAVIVM NON ODIT: AMET TVA CARMINA MÆVI. Duos sui temporis poëtas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abjecta sunt. Vult ergo notare qui sunt inimici Virgilii, qui Vavium, id est, pessimum poëtam, & Mævium, id est, pejorem poëtam, ut duplum habeant malum. Ex quibus Vavius curator fuit. de quo Domitius in *Cicuta* refert:

Omnia cum Vavio communia frater habebat,
Vnanimi fratres sicut habere solent.
Rura domum, nummos & denique omnia ut ajunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier . . . .
Novit, deposuit alter amicitiam.

PHILARGYR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ME. *Parcite oves nimium procedere: non bene ripæ*
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
DA. *Tityre pascentes à flumine reice capellas:*
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
ME. *Cogite oveis pueri: si lac præceperit, æstus,*
Ut nuper; frustra pressabimus ubera palmis.
DA. *Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in arvo!*
Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.
ME. *His certe neque amor caussa est; vix ossibus hærent:*
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
DA. *Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)*
Treis pateat cæli spatium non amplius ulnas.

SERVII.

NON BENE RIPÆ CREDITUR: IPSE ARIES ETIAM NUNC VELLERA SICCAT. Allegoria ad illud quod supra diximus, pertinet: quia post acceptos agros, ab Ario centurione pene est interemptus, nisi se præcipitasset in fluvium. PARCITE autem, prohibete. PROCEDERE: Id est servate ne procedant. ut *Gnatu parce tuis*.

TITYRE PASCENTES A FLUMINE REICE CAPELLAS. Id est, ô Mantua, noli modo velle aliquid agere de repetendis agris. Nam cum opportunum fuerit,

EGO OMNES LAVABO, id est purgabo apud Cæsarem, cum de Actiaco prælio reversus fuerit. Et bene, in fonte: ipse enim per amicos Cæsaris agrum meruerat recipere, tanquam per rivulos quosdam. nunc autem Mantuanis beneficium dicit se ab ipso Imperatore meriturum. REICE CAPELLAS. reiceca, proceleusmaticus est pro dactylo: & sic est positus, ut *Genua labant*. Item, *arietat in portas*.

COGITE OVES. In ovilia colligite, ut *Tityre coge pecus*. PRÆCEPERIT. Præoccupaverit, nam naturale est, ut lac augeatur frigore, calore minuatur.

VIX OSSIBUS HÆRENT. Vix ossa eorum cohærent.

TENEROS OCULUS MIHI FASCINAT AGNOS. Dicit caussam maciei; & per transitum, pulchrum se habere pecus significat, quod utique meruit fascinari.

ERIS MIHI MAGNUS APOLLO. Relicto certamine, sibi proponunt ænigmata. Bene autem ait, *Eris mihi Apollo*: quia in rebus incertis sola opus est divinatione.

TREIS PATEAT CÆLI SPATIUM NON AMPLIUS ULNAS. Ulna, proprie est spatium, in quantum utraque extenditur manus. Dicta ulna, ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, id est à brachiis. unde & λευκώλενος Ἥρη dicitur. licet Suetonius unum cubitum velit esse tantummodo. Sane hæc quæstio varie solvitur. Nam alii dicunt significare eum sepulchrum Cælii luxuriosi, qui venditis omnibus rebus & consumptis, tantummodo sibi spatium reservavit, quod sepulchro sufficeret, & voluisse eum errorem facere ex cœli & Cælii similitudine; ut sit, Dic mihi ubinam sepultus est Cælius, cujus tribus ulnis continetur sepulchrum? Alii vero volunt puteum significari, qui est in Syene parte Ægypti: quem ad hoc nimiæ altitudinis philosophi effoderunt, ut probarent locum illum esse solum, quem recto Sol intuitu irradiaret. Nam octavo Calend. Iul. die, quando in centro suo est Sol, lumine suo tam imam quoque illius putei, quam summam terram irradiat. Alii dicunt clypeum Ajacis trium ulnarum, in qua expressa cœli forma fuit. alii specum in Sicilia, per quod rapta est à Dite Proserpina; alii mundum in sacro Cereris. Sed neutrum horum convenit rustico. Unde simpliciter intelligendus est cujuslibet loci puteus, in quem cum quis descenderit, tantum cœli conspicit spatium, quantum putei latitudo permiserit. Asconius Pedianus dicit se Virgilium dicentem audisse, in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, volens experiri quis eorum studiosior inveniretur; volens intelligi de Cælio Mantuano, ut supra dictum est.

VARIORUM.

PRÆCEPERIT. Præoccupaverit. Cic. 1. Offic. *Magni etiam ingenii est præcipere cogitatione futura.* Vel interceperit & exsiccarit. TAUBMANN.

EHEU QUAM PINGUI MACER, &c. Insectatio est adversarii: Miror, te, in tanta gratia procerum, in tanta eruditione & applausu omnium, tam macrum pecus pascere; tam habere rem tenuem. Vel miror, te, in tanta ingenii ubertate, tam tenue & exile carmen pangere: certo vel immodico tui met ipsius amore dementatus es; vel captus alterius amore, deliras. LUD. VIVES.

IN ARVO. Alii *Ervum* legunt. Ita ut *Ervum* hic non ὄροβος sit, ut vult Priscian. Sed ὄροβος, apta saginandis bobus herba, qua & nunc Apulia abundare scribitur. Etiam Plinius & Columella *ervo pecus pinguescere* tradunt.

NESCIO QUIS TENEROS OCULUS. &c. Notat Turnebus & à Plutarcho ὀφθαλμὸν βάσκανον dici: Et esse Fascinum Deum fascini aversorem, & ejusdem potestatis Deum Cuninum. Fascinum item certum est accipi pro remedio & amuleto invidiæ. Fascinus quoque Deus est Plinio, invidiæ medicus. GERMAN.

Versus 105, proxima pagina exponitur.

ME. *Dic.*

Digitized by Google

ME. *Dic quibus in terris inscripti nomina regum*
Nascantur flores: & Phyllida solus habeto.
PA. *Non nostrum inter vos tantas componere lites:*
Et vitula tu dignus, & hic: & quisquis amores
Aut metuet dulceis, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

SERVII.

DIC QVIBVS IN TERRIS INSCRIPTI NOMINA REGVM NASCANTVR FLORES. Quia solvere non potuit, ipse aliam objicit quæstionem: & captiose, quibus in terris dixit. Hyacinthus enim ubique nascitur, flos qui natus est primo de Hyacinthi sanguine, postea de Ajacis, sicut etiam Ovidius docet. Est autem quasi lilium rubrum, designans primam Hyacinthi literam. Regum autem nomina, non quoniam ipsi reges fuerunt, sed quia regum filii: ut, *Magnum regina sed enim miseratus amorem.* cum de Ariadne diceret Pasiphaes reginæ filia. Sane multi volunt nomina regum, pro nomine Regis positum; ut sit quemadmodum illud in Terentio, *Non perpeti meretricum contumelias,* cum de una loqueretur. Nam flos iste Hyacinthi tantum, & non Ajacis nomen retinet. Tamen sciendum ænigmata hæc, sicut fere omnia, carere aperta solutione.

PHYLLIDA SOLVS HABETO. Amicam communem. quod plus est, quam esse Apollinem. Nam esse Apollinem impossibile est, quod ille promiserat; hic vero, possibilia pollicetur.

NON. Hic distinguendum est, ut sit sensus, Officium judicis est ferre sententiam, non eorum qui inter se contendunt. Unde male quidam totum jungunt, *Non nostrum inter vos tantas componere lites.* nam non negat se facturum esse quod faciet: judicaturus enim est eos esse pares, dicens, *Et vitula, tu dignus, & hic.* COMPONERE. Finire. ut, *Ante diem clauso componet vesper olympo.* Id est finiet.

ET QVISQVIS AMORES. *Aut metuet dulces, aut experietur amaros.* Et tu, & hic digni estis vitula, & quicunque similis vestri est. Nam supra unus dixerat, *Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.* Item alter, *Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis, Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.* Ad cujus amatoris similitudinem pertinet, *Aut metuet dulces.* Namque hic Menalcas, & amabat, & amabatur: sed tanquam prudens timebat, ne unquam posset amor ille dissolvi. Et contra Damœtas amaritudinem amoris expertus fuerat, ex amicæ Amaryllidis iracundia.

METVET DVLCES. Timebit pro dulcibus, ne eos amittat.

SAT PRATA BIBERVNT. Aut intelligimus hunc exisse, ut juberet pueris suis ut arva irrigarent; quod illis cantantibus factum est. aut, & revera dicit, *rivos claudite.* aut certe allegoricῶs hoc dicit, jam cantare desinite: satiati enim audiendo sumus.

VARIORUM.

TRIS PATEAT COELI SPATIVM NON AMPLIVS VLNAS. Apud antiquos fuit altissimus puteus, in quem descendebant ad sacra celebranda: cujus putei orbis, id est, summus circulus, quo cognoscerent anni proventus, non amplius quam trium ulnarum habebat: cumque descendissent, non ampliorem cœli partem, quam puteus habuit, poterant videre: vel specus apud Ætnam in Sicilia angusto ore, profunda latitudine, per quem rapta Proserpina à Dite patre. vel *cœlum*, pro toto mundo. Alii *cœli spatium*, clypeum Achillis dicunt trium ulnarum, in quo expressa cœli forma fuerat. Aliter: in Sicilia janua speluncæ, in qua Orcus Liberam rapuit. Aliter. Dicit Cornificius ab ipso Virgilio audisse, quod Cœlium Mantuanum quendam tetigit; qui consumptis omnibus facultatibus, nihil sibi reliquit nisi locum trium ulnarum ad sepulturam. Item Oledius Nasso torificium, tantum cœlum patere videtur, quantum torificium patet. PHILARGYRIUS.

DIC QVIBVS IN TERRIS, &c. Olim, qui fundum venderet, sæpenumero locum sepulcri excipiebat, quo ipse posterique sui inferri possent. Ita fecerat Cælius quidam Mantuanus; qui consumptis opibus suis, ac prædiis venditis, solum sepulturæ locum excepit, tribus ulnis hoc est duodecim pedibus latum. Hunc tetigit Virgilius eo ænigmate, quo crucem Grammaticis se fixisse, ipse professus est. Lepide ergo Poëta in ambiguo ejus *Cæli* quod à Cælio est; & *Cæli* quod fit à cælo. *Cæli* autem pro *Cælii* etiam in prosa veteres scripserunt. Cæteræ ergo interpretationes de orificio putei & clypeo Ajacis, &c. ineptæ & falsæ. SALMASIUS. Plinian. Exercit.

DIC QVIBVS IN. T. I. N. R. Præcedentem quæstionem quum Pastor hic solvere non potuisset; aliam ipse proponit æque difficilem, quam de industria obscuravit, dicendo REGES pro rege, poëtarum more, & QVIBVS IN TERRIS. Quid mirum autem à Pastore, pastori hanc quæstionem pro inexplicabili propositam, quibus in terris nascantur flores inscripti regum nomina; quum hodie doctissimis herbariis, qui fabulam hanc & alias plerasque antiquitates tenent, ignotum esse sciam florem istum, qui nomen Ajacis foliis inscriptum præfert; aut αἶ αἶ, notas luctus ex Hyacinthi nece impressas. Hi Hyacinthum, alii Narcissum esse credunt. Verum has omnes simul notas in nullo flore concurrentes invenire est, præterquam in nostro ac Romanorum veterum gladiolo, qui ξυρὶς vel ξιφὶς Dioscoridi dicitur. SALMASIUS. Exercit. Plinian.

ECLO-

ECLOGA QVARTA.

POLLIO.

SICELIDES *Musæ, paulo majora canamus.*
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.
Vltima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies cælo demittitur alto.

SERVII.

SICELIDES MVSÆ PAVLO MAIORA CANAMVS. Asinius Pollio ductor Germanici exercitus, cum post captas Salonas Dalmatiæ civitatem, primo meruisset lauream: post etiam consulatum adeptus fuisset: eodem anno suscepit filium: quem à capta civitate Saloninum vocavit, cui nunc Virgilius genethliacon dicit: quem constat natum risisse statim: quod parentibus omen est infelicitatis. nam ipsum puerum inter ipsa primordia, id est, nono die periisse manifestum est. SICELIDES MVSÆ. Sicelides autem græcum est. Nam Latine Sicilienses facit, id est Theocritiæ. Nam Theocritus Syracusanus fuit; quem in hoc opere Virgilius imitatur, ut diximus suprà. PAVLO MAIORA CANAMVS. Bene paulo dicit. nam licet hæc ecloga discedat à bucolico carmine: tamen inserit aliqua apta ei operi: ergo non majora, sed paulo majora.

MYRICÆ. Virgulta sunt humilia & sterilia, quod vulgo tamaritium dicitur.

SI CANIMVS SYLVAS, SYLVÆ SINT. C. D. Id est miscetur illi.... honos ut dignæ sint consule, id est filio.... consulis Asinio Pollione.

VLTIMA CVMÆI VENIT IAM CARMINIS ÆTAS. Sibyllini, quæ Cumana fuit, & secula per metalla divisit. dixit etiam quis quo seculo imperaret: & Solem ultimum, id est decimum voluit. Novimus autem eundem esse Apollinem. Vnde dicit, TVVS IAM REGNAT APOLLO. Dixit etiam, finitis omnibus seculis, rursus eadem renovari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes completo magno anno, omnia sydera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu. Quod si est idem syderum motus, necesse est ut omnia quæ fuerunt, habeant iterationem. Vniversa enim ex astrorum motu pendère manifestum est. Hoc secutus Virgilius, dicit reverti aurea secula, & iterari omnia quæ fuerunt.

AB INTEGRO. vel denuo, vel ab initio. *Cato* de suo consulatu. Omnia ab integro paranda erant. SECLORVM. Synæresis, pro seculorum; & seculum quidam centum annorum definiunt; quidam centum decem. Horatius *Certus undenos decies per annos.*

IAM REDIT ET VIRGO, Iustitia, quæ Erigone fuit, filia Themidis ut inter homines versaretur, propter eorum scelera terras reliquit; quam ideo virginem dicunt, quod sit incorrupta justitia. Et permiscet laudes tam pueri Pollionis, quam Augusti. Nam fœlicitas temporum, ad Imperatoris laudem pertinet. SATVRNIA REGNA. Aurea secula, quia Saturnus aureo seculo regnasse dicitur.

IAM NOVA PROGENIES CÆLO DEMITTITVR ALTO. Vt videantur homines non ex mortalibus nati, sed ex numinibus, & quasi cœlo lapsi. Et hinc conjicit fore aurea secula, quod Augustus imperat: vel quod talis est natus puer; vel quod consul est Pollio, unde est, *te consule inibit*.

VARIORVM.

SI CANIMVS SYLVAS, &c. CRINITVS, de honest. disciplin. lib. 4. c. 5. Majorem hic subesse eruditionem sensumque remotiorem dicit, qui ex ipsis Romanorum legibus atque decretis elicitur. Nam sylvarum curam inter officia Consulum fuisse, testatur Suetonius in Cæsare. Huic & adstipulatur Scaliger lib. 1. cap. 4. Turnebus ita simpliciter exponit, Si canimus bucolica, cantusque pastoritios, tale tamen sit carmen; quod dignum sit majestate Consulis.

CVMÆI CARMINIS. Carmen, quod hic tribuitur Cumææ, alii dant Erythrææ. Aut igitur utraque idem cecinit; aut poëta quod hujus erat, adscripsit alteri; quod solet. De Sybillarum nominibus, numero &c. Videatur Onuphrius, Panvinus, Rhodiginus, & Augustinus de Civitat. Dei lib. 18. cap. 23. TAVBMANNVS. Vel *Cumæi carminis*, id est Hesiodi, à patre Dio, qui Cumæus fuit. Hesiodus enim suis in libris mentionem facit quatuor seculorum. PROBVS.

IAM NOVA PROGENIES, &c. Vt videantur homines non ex mortalibus nati, sed ex Numinibus, & quasi cælo lapsi. TVRNEB. lib. 16. 13. de Stoicorum sententia dictum censet, qui in [illegible] post deflagrationem cadere de cælo semina dicunt, quibus hominum instauretur genus: qua de re CICERO, 1. de Legib. & 1. de Nat. Deor.

Tu

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Appollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te consule inibit
Pollio; & incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

SERVII.

QVO. Deest nascente. Nam hoc dicit, fave ei Lucina, cujus ortus secula immutabit, aureis scilicet ferrea.

CASTA FAVE LVCINA. Modo Lucinam Dianam accipimus. Sic Horatius, *Sive te Lucinam probas vocari, seu te penitus Iunonem.* Terentius, Iunonem dicit Lucinam: ut, *Iuno Lucina fer opem,* cum tamen ambæ unum sint. Sane hic Dianam, Lucinam non immerito designat. Prior enim genita parturienti matri Apollinem, tulisse auxilium dicitur: Nigidius de diis lib. IIII. *quidam deos & eorum genera temporibus & ætatibus, inter quos & Orpheus primum regnum Saturni, deinde Iovis, tum Neptuni, inde Plutonis: nonnulli etiam, ut magi ajunt, Apollinis fore regnum. In quo videndum est, ne ardorem (sive illa ecpyrosis appellanda est) dicant.* Quidam hoc loco, *Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo,* Octaviam sororem Augusti significari, adfirmant. ipsumque Augustum Apollinem.

TVVS IAM REGNAT APOLLO. Vltimum sæculum ostendit, quod Sibylla, Solis esse memoravit: & tangit Augustum, cui simulachrum factum est cum Apollinis conjunctis insignibus.

INIBIT. Inchoabit, exordium accipiet: aureum scilicet sæculum. & ideo inibit, non iniit, quia consul designatus erat. Quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt. Alii Asinium Gallum fratrem Salonini, qui prius natus est Pollione consule designato. Asconius Pedianus à Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem ejus factam.

INCIPIENT MAGNI PROCEDERE MENSES. Illud tangit, quod Iulius & Augustus menses, in honorem Cæsaris & Augusti, acceperunt nomina. Nam antea Quintilis & Sextilis dicti sunt. Et hoc etiam trahit ad argumentum aurei sæculi. Possumus & *magni* pro pulchri accipere, id est aurei sæculi.

TE DVCE. Vel Auguste, vel Pollio, vel Salonine, id est auctore. SCELERIS VESTIGIA NOSTRI. Bene nullum vult esse præsentium temporum vitium: sed reliquias dicit esse superioris ætatis. Sic in Georgicis cum laudaret Augustum, & carperet tempora, dicens. *Vicinæ ruptis inter se legibus urbes, Arma ferunt: sævit toto Mars impious orbe.* Intulit, *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas:* ut ostenderet tantas esse reliquias præteritorum malorum, ut ne ab optimo quidem rectore sedari posse viderentur. Vestigia autem scelerum dicit bella civilia, quæ gessit Augustus contra Antonium apud Mutinam: contra L. Antonium, fratrem Antonii apud Perusium: contra Sextum Pompejum filium Pompei in freto Siciliensi: contra Brutum & Cassium in Thessalia: contra Antonium & Cleopatram, in Epiro apud Actium promontorium, juxta Leucaten.

IRRITA. Ad nihilum deducta vestigia; & non dicit, *Iam irrita solvent terras formidine;* sed, fient irrita, & solvent terras timore. PERPETVA autem est longa. Immo, solvent perpetua formidine, id est, solvent formidine in perpetuum.

ILLE DEVM VITAM ACCIPIET. Sicut supra artificiose laudem confundit, ut possit esse communis. nam ad quemvis potest referri ILLE. vel ad Augustum, vel ad Saloninum.

PACATVMQVE REGET PATRIIS VIRTVTIBVS ORBEM. Vel Augustus Cæsaris, vel Saloninus, Pollionis virtute pacatum orbem tenebit. Et mira laus utriusque est, & ejus qui pacavit, & qui pacatum tuetur. vel certe patriis illis, deest ab, id est ab illis.

VARIORVM.

TVVS IAM REGNAT APOLLO. TVRNEBVS lib. 26. cap. 13. de Augusto intelligendum negat, & sensum talem esse vult: fave Diana nascenti puero, qui carmine Sibyllæ prædictus est, cui vaticinationes inspiravit Apollo, ejusque præsagia nunc comprobata certaque, fidem merentur, & vigent.

MAGNI PROCEDERE MENSES. Non Iulius & Augustus, sed menses magni anni. Itaque non errabit, qui *magnum mensem* sæculum Chaldaicum vocaverit. Nam ut antea Poëta dixit, *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo;* ibi, per *magnum ordinem sæclorum,* maximum annum intelligit, annorum civilium MCCCCXL, cujus anni mensis est CXX annorum, quod est sæculum. SCALIGER.

PROCEDERE. Nescio autem, an sub hoc verbo *procedere,* lateat quid ἀφηγισμοῦ; nempe, ut cum processu illo, qui magnis mensibus videtur convenire, fructum aliquem ex illis mensibus, & rerum in melius mutatione & convalescentia, Poëta mortalibus promittat, more Iurisconsultorum; quibus *dies procedere,* hoc est proficere dicuntur. Non ignoro autem Poëtam alibi simpliciter, ut hic fortasse accepisse; *Iamque dies alterque dies processit.* GERMAN.

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Erranteis hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,

SERVII.

AT TIBI PRIMA PVER NVLLO MVNVSCVLA CVLTV. Rhetorice digesta laudatio. non enim improvide in principio universa consumpsit: sed paulatim fecit laudem cum ætate procedere. MVNVSCVLA. Bene in rebus minoris ætatis, usus est diminutione; ut nullo cultu, id est inarata, sed sua sponte nata.

ERRANTES HEDERAS PASSIM CVM BACCARE TELLVS. Passim vagantes. Vnde antiqui lyrici dixerunt, flexipedes hederas: quod hac atque illac vagantur. Mire autem puerum laudat ex ipsis muneribus. Nam hedera indicat futurum poëtam: ut, *Pastores hedera nascentem ornate poetam.* Baccar vero, herba est quæ fascinum depellit. ut *Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Per quod pulchrum indicat puerum.

RIDENTI ACANTHO. Læto, suavi, jucundo, fulgenti, ut, *ridet argento domus*: vel quod hians & patens nascitur: & est herba quæ in Egypto invenitur. COLOCASIA. Hanc herbam videtur in honorem Augusti crevisse, quæ Romæ post devictam ab eo Ægyptum innotuit. & dicendo FVNDET abundantiam floris ostendit.

IPSÆ LACTE DOMVM REFERENT. Quid enim est aptius infanti lacte? Et magna laus in hoc est, quod ait, *Ipsæ referent*, id est sua sponte.

NEC MAGNOS METVENT ARMENTA LEONES. Bona usus est moderatione, dicens, Erunt quidem maligni leones: sed minime armentis nocebunt.

BLANDOS. Iucundos ut puero. CVNABVLA. Lectuli in quibus infantes jacere consueverint: vel loca in quibus nascuntur, quasi cynabula. Nam κύειν est Græce eniti.

ET FALLAX HERBA VENENI. Non cicutam dicit, quæ omnibus nota est: sed illam sardonicam, quæ apiastri similis, homines decipit: vel aconita: ut, *Nec miseros fallunt aconita legentes.*

ASSYRIVM VVLGO NASCETVR AMOMVM. Amomum herba est suavissimi odoris, quæ tantum in Assyria nascitur. VVLGO. Passim, omnibus locis.

HEROVM LAVDES ET FACTA PARENTIS. Exepegesis si sit, melior sensus est, Quæ erunt heroum laudes, tui parentis virtutes & bono ordine: primo poëtas, deinde historicos, deinde philosophos legendos dicit.

IAM LEGERE. Id est cum cœperis imbui studiis liberalibus. QVÆ SIT POTERIS COGNOSCERE VIRTVS. Accessu enim ætatis quanta sit virtus agnoscitur, & cujus gloriæ.

MOLLI. fertili.

INCVLTISQVE R. P. S. V. Id est ubique sit uva.

ET DVRÆ QVERCVS SVDABVNT R. M. Id est quæ hodie roscida, olim quercus sudabunt.

FLAVESCET. Albescet. ARISTA. Seges inculta, quæ à nullo colitur.

RVBENS. Matura. SENTIBVS. Spinis, & asperis frutetis.

SVDABVNT. Defluent. ROSCIDA MELLA. Id est Fragrantia.

SVBERVNT VESTIGIA. Id est erunt, sed latenter: & bene. PRISCÆ FRAVDIS. Ad suorum temporum excusationem: sicut supra dictum est. Aut fraudem pro solertia posuit.

VARIORVM.

CVM BACCARE. Plinius de Baccare: Baccar quoque radicis tantum odoratæ est, à quibusdam nardum rusticum appellatum. unguenta ex ea radice fieri solita apud antiquos, Aristophanes priscæ comediæ poëta testis est. Vnde quidam errore falso baccarida ea appellabant, SALMAS.

COLOCASIA. *Colocasia* vocarunt Fabæ Ægyptiæ flores, cujus radicem κολοκασίαν proprie appellatam volunt. Eos flores ad coronas viendas commendat Nicander:

Σπειρέας κυάμοιο δ' Αἰγυπτίου ὄφρα θερείης,
Ἄνθεα μὲ στεφάνους ἀνύσῃς.

Athenæus florem fabæ Ægyptiæ στεφανωτικὸν fuisse indicat. SALMASIVS. Plinian. Exercit.

FALLAX HERBA. Fallax ideo, quoniam nonnulla fallunt nos sua specie, nec tam noxia videntur, quam sunt. Aut certe, quia mortales iis fallaciter ad nocendum utuntur. PONTANVS.

Quæ

Digitized by Google

Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

SERVII.

QVÆ TENTARE TETHIN RATIBVS, QVÆ CINGERE MVRIS OPPIDA. A sequentibus ostendit præcedentia: quæ vitavit, quasi laudi incongrua. Nam per navigationem ostendit fore avaritiam, quæ homines navigare compellit. per muros, bella significat. per agriculturam, famis ostendit timorem.

ALTER ERIT TVM TIPHYS. Vel revera Tiphys, vel qualis Tiphys Argonautarum gubernator. Sane specialia pro generalibus ponit. Nam per Tiphyn, quencunque gubernatorem accipimus: per Argo, quancunque navem: per Trojam, quancunq; civitatem: per Achillem, quencunque virum fortem. Videtur tamen hic locus dictus per ἀποκατάστασιν, id est per omnium rerum revolubilitatem, ex syderum ratione venientem, ut diximus supra. Sane fabula de hoc gubernatore talis est: Pelias cum accepisset responsum ab Apolline, fore ut ab eo, privaretur regno, & vita, qui altero pede nudo ei sacrificanti occurisset: forte vidit Iasonem nudo pede venisse, qui dum Iunonem transmutatam in anus speciem, credens mortalem, petentem per vadum fluminis transferret, alteram ex caligis in limo amiserat. Igitur Pelias metuens ex responsis facta, jussit eum Colchos proficisci ad petendam auream pellem arietis, qui Phrixum & Hellem Colchos pertulerat. qui fabricata navi, quam ab Argo fabricatore, Argo appellavit; contractaque juventute Græciæ, Tiphyn habuit gubernatorem. Sane quidam Argo à celeritate dictam volunt, unde verso in Latinum verbo, argutos celeres dici. Socii vero Iasonis Minyæ appellati sunt; vel ab Argo hujus nominis Colchorum, vel quod multi ex quadam Minya nati Iasoni se conjunxerint; vel quod Minya Iasoninia terra avia fuerit: qui autem cum Iasone profecti sint, apud eos qui de fabulis scripserunt, plenius invenitur.

HEROAS. Quidam à terra dictos volunt, quod terra ἔρα dicta sit, unde initio nati creduntur homines, qui nomen à matre traxerunt.

TE FECERIT ÆTAS. Ætas hoc loco modum annorum significat; ut, *ætas Lucinam justosque pati hymenæos*: nam subdidit, *Desinit ante decem post quattuor incipit annos*; alias pro tempore posita, ut *veniet lustris labentibus ætas.*

CEDET ET IPSE MARI VECTOR. Necessario; siquidem,

OMNIS FERET OMNIA TELLVS. Navigatio enim ex mercimonii ratione descendit. Sane vector, tam is qui vehitur, quam qui vehit dicitur; id est & nauta & mercator. MVTABIT MERCES, quia antiqui res rebus mutabant.

DISCET MENTIRI LANA COLORES. Cum enim tingitur, mentitur alienum colorem.

IPSE SED IN PRATIS A. I. S. R. M. I. C. M. V. L. Hoc in honorem vel laudem Augusti refert. Traditur enim in libris Etruscorum, si hoc animal miro & insolito colore fuerit infectum, omnium rerum felicitatem imperatori portendi. IPSE autem quod addidit, non vacat: nam sunt quædam pronomina, quæ addita nominibus faciunt dignitatem, ut, *ipse modo Æneas & Turnus ego.* Sane in Numæ legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi & natis ejus, in cautione offerret arietem. Ergo hic bene videtur arieti dignitatem dare; dicendo *ipse*; qui oblatus, homicidam crimine homicidii possit exsolvere. IAM. significat modo.

MVRICE. Cochlea similis conchiliis, unde tingitur purpura. MVTABIT, Tinget, inficiet per naturam. LVTO CROCEO. Rubicundo colore, & est Hypallage, pro croco luteo. Nam crocum, lutei coloris est. Vnde & aluta pellis alba per naturam.

VARIORVM.

ALTER ERIT TVM TIPHYS. Tiphys gubernator navis Argus, qua Iason cum LIV delectis Græciæ heroibus, Colchos, ubi aureum illud vellus erat, navigavit. *Argo* autem dicta vel ab architecto; vel à celeritate. Sic Homerus κύνας ἀργὺς, celeres dixit. Inde arguti, qui multum ac celeriter loquuntur. PROBVS.

MVTABIT MERCES. Nam antiqui res rebus mutabant, de quo & Arist. 1. Polit. TAVBMAN.

Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia sæcla suis dixerunt currite fusis,
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deûm soboles, magnum Iovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum:
Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.
O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ,
Spiritus &, quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan deus, Arcadia mecum si judice certet;
Pan, etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe parve puer risu cognoscere matrem:

SERVII.

SANDYX. Herba est, de qua sandycinus tingitur color:

TALIA SECLA SVIS DIXERVNT CVRRITE FVSIS. Ordo est, Talia sæcula currite fusis suis Parcæ dixerunt. CVRRITE. Volvite. Melius est currite; imperativum esse modum: ut sit sensus, Dixerunt Parcæ concordes, suis fusis, id est vaticinationibus, currite talia secla: hoc ordine & eventu vestro estote.

STABILI. Hic immutabili & semper manenti. FATORVM NVMINE. Fata dicta à fando: quia quæ Parcæ dixerunt, hæc credebantur evenire mortalibus. Numine autem, id est potestate, divinatione, ac majestate. PARCÆ. Quæ & furiæ infernales; dictæ Parcæ, κατ' ἀντίφρασιν, quia nulli parcunt. CONCORDES STABILI FATORVM NVMINE PARCÆ. Nam & quod una dixerit, duæ sequuntur: & fixa sunt statuta fatorum. Horatius, *Quod semel dictum, stabilisque rerum Terminus servet*.

IOVIS INCREMENTVM. Nutrimentum. & est vulgare, bucolico quod convenit carmini.

NVTANTEM MVNDVM. Nutat, præsentibus malis: sicut post lætari illum dicit: lætus est, bonis futuris: & bene quasi renascentem describit. Sane Iovem merito puerorum dicunt incrementa curare, quia cum pueri togam virilem sumpserint, ad Capitolium eunt. Nam & in VIII. Ascanius in Numanum intendens sagittam, Iovem magis invocavit, *Iupiter omnipotens audacibus annue cœptis*. CONVEXO, Curvo, inclinato.

TRACTVS. à magnitudine dictum accipitur; & bene per hæc omnia mundum divisit.

O MIHI TAM LONGE MANEAT PARS VLTIMA VITÆ. Vtinam possim frui vita longissima; & habere tantum spiritum, quantus possit sufficere ad tuæ virtutis commemorationem.

NON ME CARMINIBVS VINCET, NEC THRACIVS ORPHEVS. Genere styli sese Orpheo, vel Lino meliorem fore commemorat. Nam non sibi arrogat: sed hoc dicit, Tanta est materia tuæ laudis, ut etiam humile ingenium in ea se supra omnes possit excellere.

LINO. Linus vero cum nomen hominis dicimus, brevis est LI, Statius, *Medio Linus intertextus acantho*. Cum autem linum dicimus, filum significantes, LI longa est; cum producatur apud Græcos. Linus Apollinis & Psamatis filius, qui theologiam scribit.

CALLIOPEA. Græca declinatio. ADSIT pro faveat.

PAN ETIAM. Redit ad numina rustica: nam satis excesserat dicendo Linum poëtam, & Orpheum theologum.

ARCADIA IVDICE. Quæ ei favet, ubi colitur.

RISV COGNOSCERE MATREM. Alludit ad id quod factum est: & rem naturalem ait. Sicut enim majores se sermone cognoscunt: ita infantes, parentes risu se indicant agnoscere. Ergo hoc dicit, Incipe parentibus arridere: & eis spe ominis boni detrahere solicitudinem: ut ipsi tibi arrideant.

VARIORVM.

SANDYX. Hesychius Σάνδυκα esse fruticem qui cocco similem colorem facit. Vetus auctor Glossarum notat Sandycem esse, *herbam tincturæ aptam, quam vulgus varantiam vocat*. Hodie *Garantiam* dicit vulgus infectorum, qui colorem Rubiæ sic appellat, quæ est Græcis ἐρυθρόδανον, sed antiquis. Nam recentiores ἀλυθρίδαν appellant. Galenus Sandaracham & Sandycem factitiam eandem facit. SALMASIVS.

Matri.

Digitized by Google

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

SERVII.

TULERUNT. Alii, abstulerint legunt; ut sit, *Si riseru, abstulerint decem menses matri tua longa fastidia.* matri enim decem menses attulerunt longa fastidia. quia prægnantes solent fastidia pati. DECEM MENSES. quia mares in decimo nascuntur mense, fœmina vero in nono.

CUI NON RISERE PARENTES, NEC DEUS HUNC MENSA, DEA NEC DIGNATA CUBILI EST. Sicut Vulcano contigit: qui cum deformis esset, & Iuno ei minime arrisisset: ab Iove est præcipitatus in insulam Lemnum. Illic nutritus à Sinciis, cum Iovi fulmina fabricasset, non est admissus ad epulas deorum. Postea cum rogaret ut cum Minerva conjugium sortiretur: spretus ab ea est. Unde divinos honores non meruit: ad quos aut per convivium numinum, aut per conjunctionem venitur dearum. Hinc est, quod Iunoni in primo Æolus agit gratias; quod per ejus beneficium divinos honores meruit: ut, *Tu das epulis accumbere divûm.* Alii dicunt quod cum Vulcanus parentes suos diu quæreret, nec inveniret; sedile fecit tale, ut cum eo qui sedisset surgere non posset; in quo cum adsedisset Iuno, nec posset exsurgere; Vulcanus negavit se soluturum omnino, nisi prius parentes suos sibi monstrasset, atque ita factum est ut in Deorum numerum reciperetur.

Sanè NEC DEUS HUNC MENSA. alii ita intelligunt, quasi tam cito extinctus sit, ut nec Veneri nec Libero potuerit operari. Proinde nobilibus pueris editis, in atrio domus Iunoni lectus, Herculi mensa ponebatur. NON DEUS, Id est Iupiter. NEC DEA. Id est Minerva.

VARIORUM.

MATRI LONGA DECEM. Mirum plerisque videtur, cur olim decimo mense mulieres parerent, cum hodie nono soleant; sed ita se res habet. Breviores erant veterum menses, quam nostri; cum ad Lunæ cursum eos metirentur, non Solis. TURNEB. lib. 4. cap. 15.

QUI NON RISERE PARENTES. Significat periculum esse vitæ in puerili tristitia; quod iis dii infantium tutelares non faveant. Nam nascentibus putabant adesse, *mari*, Genium, qui est Deus mensæ: *famina*, Iunonem, quæ dea est cubilis. Qui ergo, inquit, non risere ad parentes, nec Genius illum accepit mensâ, nec Dea cubili. SCALIGER. Vide & Quintilian. lib. 1. 7. & 9. 3. Turneb. lib. 16. 15. Pimpontium. Nannium &c. Pomp. Sabinus Vulcanum intelligi vult, cui parentes non arriserunt, nec Iupiter dignatus est mensa, nec Pallas cubili, quod infaustissimum ei fuit.

ECLOGA QUINTA.

DAPHNIS.

MENALCAS. MOPSUS.

ME. Cur non Mopse (boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leveis, ego dicere versus)
Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
MO. Tu major: tibi me est æquum parère Menalca:

SERVII.

MENALCAS, Virgilius hic intelligitur, qui obitum fratris sui Flacci deflet: vel, ut alii volunt, interfectionem Cæsaris. MOPSUS vero Æmilius Macer Veronensis Poëta, amicus Virgilii. CUR NON MOPSE, BONI. Inducuntur duo pastores canere ad delectationem: Unde & se laudantes sibi invicem cedunt. BONI autem, docti. & figurate ait, ambo boni, id est,

TU CALAMOS INFLARE LEVEIS: calamos aut leves versus, id est subtiles, sed melius est calamos leves, ego dicere versus, boni dicere, versus; boni dicere autem græcum est, ita nos legimus: dicere sane pro canere, ut, *Dianam teneræ dicite virgines.* ponitur & pro nominare, ut *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

HIC CORYLIS MIXTAS INTER CONSEDIMUS ULMOS? Ordo est, Cur non Mopse hic consedimus inter ulmos mixtas, Corylis scilicet, ut canamus. Sane INTER præpositio, quia post posita est, mutavit accentum, sicut CIRCUM.

TU MAIOR. id est vel natu, vel merito.

VARIORUM.

TU MAIOR: TIBI ME, &c. Minorum est majores revereri: eorum auctoritati parêre: consiliis obsequi: eos, in omni re honesta, duces sequi. PONTANUS.

Digitized by Google

Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras;
Sive antro potius succedimus. aspice ut antrum
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.*
MO. *Quid, si idem certet Phœbum superare canendo?*
ME. *Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes,*
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe: pascentes servabit Tityrus hœdos.
MO. *Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi*
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
ME. *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,*

SERVII.

SIVE SUB INCERTAS ZEPHYRIS MOTANTIBUS UMBRAS. Dicit quidem verecunde se illi obtemperare debere: ostendit tamen quid sibi placeat. Nam ex ipsa laude antri, & ex arborum vituperatione; quarum incertas umbras esse dicit: ostendit suam sententiam esse meliorem. Incertæ autem umbræ sunt, & ex Solis circuitu, & ex mobilitate ventorum; quod ipse etiam dicit, Zephyris motantibus umbras. Sane succedimus & dativo & accusativo casibus; secutus tam veterem, quam nostram consuetudinem, suo more jungit; sive umbras succedimus, sive antro; cum alibi secutus tantum antiquos, dativo tantum succedere junxerit; ac *nostris succede penatibus, & successitque gemens stabulis.* Sallustius tamen succedere accusativo junxit. Sed ubi prope significat: *Cum murum hostium successisset, pœnas dederat:* hoc est, cum prope murum accessisset. Succedere autem idem significat, quod & subire, id est, penitus intrare.

LABRUSCA. Vitis agrestis: quæ, quia in terræ marginibus nascitur, labrusca dicitur, à labris & extremitatibus agrorum; vel quod sapore acerbo, labra lædat.

MONTIBUS IN NOSTRIS. Ac si diceret, in nostro territorio. TIBI CERTET. Usurpatum est. nam hodie, certo tecum dicimus. AMYNTAS. Cornificius per ironiam dicitur.

QUID, SI IDEM CERTET PHOEBUM SUPERARE CANENDO? Offensus comparatione inferioris, hoc dixit: licet non amare Menalcas dixerit, *Solus tibi certet Amyntas.* quod tamen quia hic aspere accepit; ille paulo post curat, dicens, *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ.*

PHYLLIDIS IGNES. Phyllis Sitonis filia, regina Thracum fuit. Hæc Demophoontem Thesei filium regem Atheniensium, redeuntem de Trojano prælio, dilexit, & in conjugium suum rogavit. ille ait ante ordinaturum se rem suam: & sic ad ejus nuptias reversurum. profectus itaque cum tardaret: Phyllis & doloris impulsu; quod se spretam credebat: laqueo vitam finivit, & conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum; qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Unde etiam phylla sunt dicta à Phyllide, quæ antea petala dicebantur. Sic Ovidius in Metamorphoseôn libris.

AUT ALCONIS LAUDES. Hic Cretensis sagittarius fuit, comes Herculis; ita peritus ut ictus ejus non falleretur. namque positos, supra capite hominum anulos, trajiciebat; capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positis ex adverso gladiorum lancearumve mucronibus findebat; cujus cum filium draco invasisset, tanta arte direxit sagittam; ut, ea currens, in serpentis deficeret vulnere, nec transiret in filium. JURGIA CODRI. Codrus dux Atheniensium fuit, qui orto bello inter Laconas & Athenienses, cum respondisset oraculum, illos posse vincere, quorum dux ab hostibus fuisset occisus; & hostes scientes à Codro abstinerent, habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria: & illic jurgio eos in suam cædem instigavit, cum à nullo fuisset agnitus: & sic locum fecit oraculo; nam Athenienses eo prælio vicerunt.

CORTICE FAGI. Ubi enim debuit magis rusticus scribere.

MODULANS ALTERNA. Secundum rhythmum componens. Alterna autem, varia, propter musicam: cujus sonus varius invenitur, ex pedum dissimilitudine. Significat autem cantaturum se epicedion & epitaphion. Nam epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto. ut, *Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnin.* Epitaphion autem, post completam sepulturam dicitur; ut, *Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sydera notus.*

LENTA SALIX QUANTUM PALLENTI CEDIT OLIVÆ. Rusticis utitur comparationibus. Salix autem vilissima est arbor, olivæ comparatione.

VARIORUM.

MONTIBUS IN NOSTRIS. Rustice dixit, κατὰ πατριώτας, in his locis: in nostra patria. plerunque enim in saltibus degebant pastores: unde & *Saltuarii* dicti. TAUBMAN.

SOLUS TIBI CERTET. Græca loquendi figura, μάχομαί σοι, quam & Catullus imitatus est: *noli pugnare duobus.* Horatius non semel, ut Ode 1. lib. 1. *Luctantem Icariis fluctibus Africum.* & Ode 3. &c. PONTANUS.

Puni-

Digitized by Google

Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
Mo. *Sed tu desine plura puer: successimus antro.*
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant: vos coryli testes, & flumina Nymphis:
Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

SERVII.

SALIVNCA. Herbæ genus, quam orcitunicam vulgo vocant. ROSETIS. Vbi rosæ nascuntur.

IVDICIO NOSTRO Ac si diceret, Quid alii sentiant, videris; & bene satis fecit, in quo reprehensus est, quod Mopso Amyntam comparasset.

DESINE, Omitte, ut *Desine Menalios*. Salustius, *Bellum, quibus posset conditionibus desineret.*

EXTINCTVM NYMPHÆ CRVDELI FVNERE DAPHNIM. Multi dicunt, simpliciter defleri hoc loco Daphnim quendam pastorem; quem mater sua compressa à Mercurio, & enixa abjecit; hunc Pastores invenerunt inter lauros, Daphnim vocaverunt: quem Pan musicam docuisse dicitur; qui cum & venationis & musices peritissimus esset, adamatus à Nympha est; qui etiam jurejurando adstrictus est, ne cum alia concumberet. Hic dum boves persequitur, ad regiam pervenit; & ob pulchritudinem appetitus, cum regis filia consuetudinem miscuit; hoc cum Nympha rescisset, luminibus eum orbavit. Ille in auxilium patrem Mercurium invocavit; qui eum in cælum eripuit, & in eo loco fontem elicuit, qui Daphnis vocatur; apud quem quotannis Siculi sacrificant. Alii dicunt significari per allegoriam Gajum Iulium Cæsarem; qui in senatu à Cassio & Bruto, viginti tribus vulneribus interemptus est. Vnde & CRVDELI FVNERE volunt dictum. Sed si de Gajo Cæsare dictum est; multi per matrem, Venerem accipiunt: per leones & tigres, populos quos subegit: per thiasos, sacra quæ Pontifex instituit: per formosum pecus, populum Romanum. Alii volunt Quintilium Varum significari, cognatum Virgilii, de quo Horatius, *Ergo Quintilium perpetuus sopor urget.* Tamen CRVDELI FVNERE, ad quemvis potest referri. Quidam dicunt Virgilium fratris sui Flacci mortem deflere.

VOS CORYLI TESTES, ET FLVMINA NYMPHIS. Bene testimoniis utitur, in rebus incredibilibus. Nam fletum facile dearum persona non recipit. Et bonis usus est gradibus: *fleverunt Nymphæ*, quibus insita est naturaliter pietas: homines, ad quos mortis pervenit dolor: pecudes, quæ licet ratione careant, tamen non carent sensu. Feræ; crudelitate gaudentes. Quam rem rursus quia incredibilis est, testimonio comprobat, dicens; *Hoc & montes loquuntur & sylvæ.* Quod autem ait, *coryli & flumina*, usurpatum est. nam testes flumina non dicimus. Quoniam quæ in *is* exeunt, neutrum in *e* mittunt, ut agilis agile. Sed nec hoc teste, nec hæc testia possumus dicere. Vnde per diffinitionem debemus dicere, testes mihi sunt; quæ res? coryli & flumina: Sic Horatius, *Testis Metaurum flumen.* Propert. 2. Eleg. 9. *Testes sunt sydera nobis.*

ATQVE DEOS ATQVE ASTRA VOCAT CRVDELIA. Per quæ hominum fata moveri, atque impleri, vel mutari putabant. *Quæ acceleraverunt Daphnidis mortem.*

CVM COMPLEXA SVI CORPVS MISERABILE NATI. Lugentium est, ut & corpori inhæreant.

NVLLA QVADRVPES. Hic & hæc quadrupes dicimus: ut ipse alibi, *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.*

VARIORVM.

HVMILIS SALIVNCA. Eleganter ejus radix Orcitunica est appellata, quæ sacci habet instar vel tunicæ. Et hæc veterum Latinorum *Saliunca*, est ipsissima montana nardus Græcorum, quæ θυλακῖτις ac πυρῖτις ab ipsis cognominata est. Quod autem vetus auctor Glossarii *saliuncam* exponit κυνόροδον & ἀγριόροδον prorsus fallitur. Hinc etiam *saliuncam* pro rosa agresti, quæ florem album sustinet, accepere; quæ dignitate multum infra rosam puniceam est. Et *saliuncam* vestibus interponi solitam odoris gratia, prodit Plinius libro XXI. cap. VII. SALMASIVS.

EXTINCTVM NYMPHÆ CRVDELI FVNERE DAPHNIM. Alii luctum Salonini, nonnulli Flacci fratris ejus putant. Daphnis Mercurii filius, pastor eximiæ formæ fuisse dicitur. Hic dilectus à Nympha Lyca, fidem dedit nullius se mulieris alterius concubitu usurum; sed fefellit. ob quod orbatus est luminibus; quod licet carminibus & fistula solaretur, non tamen diu vixit. PHILARGYR.

NON VLLI PASTOS ILLIS, &c. Mire hic Virgilius antiquitatem expressit: Siquidem veteres in funere clarissimorum virorum cibis abstinebant, & jejuni mœrebant, quod fecisse Romanos exstincto C. Iulio, Poëta hic affirmat. Hanc itaque consuetudinem antiquam Virgilius in brutis animalibus expressit, ut πάθος & miserationem augeret. LVISINVS.

Daphni,

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri, sylvæque loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit; Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Vt gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis; inducite fontibus umbras

SERVII.

MONTESQVE FERI SYLVÆQVE LOQVVNTVR, Hyperbolicῶs dicit. Et notandum quod cum diceret ejus apotheosin; è contra lætitiam rebus omnibus dat, quas nunc in mœrore fuisse memoravit.

DAPHNIS ET ARMENIAS CVRRV SVBIVNGERE TIGRES INSTITVIT, Hoc aperte ad Cæsarem pertinet: quem constat primum sacra Liberi patris, transtulisse Romam. CVRRV. Pro currui.

THIASOS. Saltationes, choreas. Liberi id est liberalia. Sunt enim thiasi cœtus virginum atque puerorum bacchantium, plangentibus Nymphis. Dicunt etiam thyasos vel rectius thyrsos esse hastas, variis sertis induras, quibus bacchæ mulieres in sacris Liberi patris utebantur.

VITIS VT ARBORIBVS DECORI EST. Bene, ut pastores similitudines de rebus agrestibus sumunt. Locus Theocriti est.

TVIS. Sic tu es Romanis Cæsar. sic pastoribus Daphnis.

PALES. Dea pabulorum 2. dea pastoralis. APOLLO. Hic Apollinem dicit *νόμιον*, id est pastoralem. Nam Admeto regi pavit armenta. & hoc dicit, Nec pabula nascuntur, nec pecora.

GRANDIA ORDEA. Vsurpative metri caussa dixit. nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum singularis sunt. Vnde plurali in prosa uti non possumus: vina tamen possumus dicere Ciceronis exemplo; qui ait in prætura, *Vina, cateraque quæ in Asia facile comparantur.* MANDAVIMVS. Commendavimus vel seminavimus. & recte dicitur reddituris.

INFELIX LOLIVM. Inutile, infœcundum. qui lolium manducant, cæcitatem patiuntur: STERILES autem *avenas* secundum situm Italiæ dixit. Nam in Thracia fructuosæ sunt. Hæc autem dicit contingere, ut ostendat terram quoque dolere Daphnidis mortem.

PVRPVREO NARCISSO. Duo ὁμοιοτέλευτα, & purpureo nunc specioso.

CARDVVS, spinæ genus. PALIVRVS. Herba aspertima & spinosa. vel ut quidam volunt, spina alba.

SPARGITE HVMVM FOLIIS. id est Implete. ut, *Spargitur & tellus lachrymis, sparguntur & arma.* Et dicit ornandum esse locum sepulchri, ex voluntate defuncti. INDVCITE FONTIBVS VMBRAS. Facite nemora circa fontes. & hoc ideo, quia, ut diximus, heroum animæ, habitant vel in fontibus, vel in nemoribus. ut *Lucis habitamus opacis, Riparumque toros, & prata recentia rivis Incolimus.*

VARIORVM.

THIASOS INDVCERE BACCHO. Thiasos autem Grammatici παρὰ τὸ θεῖα ᾄδειν deducunt. Non solum vero ad Bacchum pertinere constat thiasos, sed ad reliqua etiam numina; quod θιασώδεις ἡμέραι, festa & tempora ovantia dicerentur; & θιασῶνες loci convivales. GERMAN.

STERILES DOMINANTVR AVENÆ. Apud veteres Latinos *avena* nomen in frumenti vitio tantum est habita, nusquam inter fruges computata. Inde est, quod nihil de ejus satione legitur apud auctores hujus linguæ, qui agriculturæ præcepta conscripserunt. Glossæ: *avena*, βρόμος. sic tamen Græci proprie vocant frugiferam & sativam, qualis nostra est, non sterilem ac sponte provenientem, quæ iisdem Græcis αἰγίλωψ magis dicitur. Plinius *avenam* promiscue solet vertere, tam αἰγίλωπα quam βρόμον, quum tamen diversa sint. SALMASIVS.

PALIVRVS. *Paliurus* herba non est, ut Servius ait, sed frutex arborescens. Nec παλίουρος Græcorum, ea est arbor quam *albam spinam* vulgo vocamus: ut ergo alias omittamus differentias, *Paliurus* fructum habet πλατὺν, *alba spina* rotundum. Præterea in siliqua fructum gerit Paliurus. *Alba* enim *spina* veterum & nostrum illa est, quam Plinius absolutè vocat *spinam*, Græcorum ὀξυάκανθος. SALMASIVS.

Pastores

Digitized by Google

Pastores : mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite ; & tumulo superaddite carmen:
DAPHNIS EGO IN SYLVIS, HINC VSQVE AD SYDERA NOTVS,
FORMOSI PECORIS CVSTOS, FORMOSIOR IPSE.
ME. *Tale tuum carmen nobis divine poëta,*
Quale sopor fessis in gramine : quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus: Daphninque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
MO. *An quicquam nobis tali sit munere majus?*
Et puer ipse fuit cantari dignus: & ista
Iam pridem Stimichon laudavit carmina nobis.
ME. *Candidus insuetum miratur limen Olympi:*
Sub pedibusque videt nubes, & sydera Daphnis.

SERVII.

SVPERADDITE CARMEN. Duos versus carmen vocavit : Nec mirum ; cum etiam de uno carmen dixerit : ut, *Et rem carmine signo. Æneas hæc de Danais victoribus arma.*

DAPHNIS EGO IN SYLVIS HINC VSQVE AD SYDERA NOTVS. In sylvis notus ; & hinc usque ad sydera.

FORMOSI PECORIS CVSTOS, FORMOSIOR IPSE. Si ad Cæsarem referas, hoc dicit; Boni populi, optimus imperator.

TALE TVVM CARMEN. Laudant se invicem, ut diximus supra ; & tale, deest videtur, vel aliud quid

QVALE SOPOR. Qualis res, ut *Dulce satis humor*. FESSIS. Fatigatis labore.

NEC CALAMIS SOLVM ÆQVIPARAS, SED VOCE MAGISTRVM. Videtur allegoria, quasi ad Theocritum & Virgilium respicere: hinc est, *Tu nunc eris alter ab illo.* Fabula de Calamo talis est. veteres zephyro vento, unam ex horis conjugem adsignant; ex qua & Zephyro Carpon filium pulcherrimi corporis, editum dicunt ; quem cum Calamus Meandri fluvii filius, amaret ; à Carpo mutua vice etiam ipse adamatus est: Sed Carpos cum in Meandrum fluvium cadens, esset extinctus; Calamus patrem propter hoc scelus aversatus, aufugit ; rogavitque Iovem, ut finem suis luctib. daret, sibique mortem præstaret ; ut amato post obitum jungeretur; quem miseratione Iupiter ductus, in harundinales calamos verti jussit; qui semper circa oras fluminum nasci solent ; Carpon vero in fructus rerum omnium vertit, ut semper renasceretur.

ERIS ALTER AB ILLO. Id est, tu solus post illum, bucolicum carmen scribis.

QVOCVNQVE MODO. Prout possumus. Et dicit, se Daphnidis dicturum apotheosin, ut,

DAPHNINQVE TVVM TOLLEMVS AD ASTRA. Tuum, id est quem tu diligis. *Tollemus ad astra*, quia ἀποθέωσιν ejus dicturus est.

AN QVICQVAM NOBIS TALI SIT MVNERE MAIVS. Si amicum laudaveris.

ET PVER IPSE FVIT C. D. Modo Daphnin intelligimus. nam Cæsar non puer occisus est, sed majoris ætatis.

IAM PRIDEM STIMICHON LAVDAVIT CARMINA NOBIS. Ac si diceret, scio esse optim[a] quæ dicturus es : frustra ea verbis extenuas. quia ille supra verecunde dixerat, *Quocunque modo tibi nostra vicissim.* Quidam per Stimichonem, Mæcenatem accipiunt : nonnulli Stimichonem patrem Theocriti, dicunt.

CANDIDVS INSVETVM. Id est deus. Vnde etiam contra ; nigros, mortuos dicimus. Significat benignos & bonos ; sicut è contra, malos nigros dicimus. Horatius, *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.* Sæpe tamen candidum pro pulchro ponit, ut *candida Dido*, & *candida Maia.* INSVETVM MIRATVR L. O. quasi novus Deus, & quibusdam videtur per allegoriam Cæsarem dicere; qui primus divinos honores meruit, & divus appellatus est.

SVB PEDIBVSQVE VIDET NVBES ET SYDERA DAPHNIS. Meritum ejus ostendit, qui summos circulos, & cœli secreta conscendit. *Ergo alacres sylvas & cætera rura voluptas.* Quæ superius occupaverat mœror quod ad sydera abiit ; nam supra ait, *Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.*

VARIORVM.

CANDIDVS INSVETVM, &c. Quia alba semper læta & auspicata fuerunt credita; hinc albos, deorum filios appellabant, ut scribit PLATO 5. de repub.

Ergo alacreis sylvas, & cætera rura voluptas,
Panaque, pastoresque tenet, Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi lætitia voces ad sydera jactant
Intonsi montes: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus deus ille, Menalca.
Sis bonus ô felixque tuis. en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi:
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,

SERVII.

Antiqui autem ERGO pro *merito* dicebant, sicut hic accipitur. Plautus in Persa, *Satin' tu usque valuisti? haud probe: Ergo edepol palles.* Item in Millite, *Hiccine Achillis est, inquit, mihi, immo ejus frater inquam est: Ergo me castor pulcher.*

PANAQVE PASTORESQVE TENET. Id est, habet, moratur, amplectitur.

NEC RETIA CERVIS VLLA DOLVM MEDITANTVR. Adeo placet simplicitas Daphnidi; ut etiam ipse dolus, qui voluptati antea fuerat, conquiescat: scilicet venationis, & est Hyperbole.

INTONSI MONTES. Sylvosi, incædui.

DEVS, DEVS ILLE MENALCA. Hoc consonant, *Deus deus est Daphnis*, quasi vox Sylvarum sit. Et multi sic distinguunt: *Ipsa arbusta sonant Deus*; & subjungunt, *deus ille Menalca*, ut sit sensus: si enim rupes & arbusta deum dicunt, deus est, ô Menalca.

SIS BONVS, Ô FELIXQVE TVIS. Pastoribus, si Daphnin accipimus: si Cæsarem, bene ait tuis: suis enim percussoribus nocentissimus fuit. Nam Augustus ejus filius, omnes est persecutus. FELIX *autem*, propitius: ut, *Sis fœlix, nostrumque leves quæcunque laborem.* Item è contra Iuno, Quæ potuit infelix, Id est irata. Deos enim vel felices, vel infelices, ex rebus quas præstant vocamus.

EN QVATVOR ARAS, ECCE DVAS TIBI DAPHNI, DVOQVE ALTARIA PHOEBO. Feci inquit aras quatuor: tibi ô Daphni duas; & duas aras Apollini, quæ sint altaria. Novimus enim, aras diis esse superis & inferis consecratas: Altaria vero esse superorum tantum deorum: quæ ab altitudine constat esse nominata. quæ nunc dat Apollini quasi deo: Daphnidi vero, aras ponit. Nam licet eum dixerit deum; tamen mortalem fuisse manifestum est. Sane quæritur, cur duo altaria se positurum Apollini dicat; cum constet supernos deos impari gaudere numero: inferos vero pari. ut, *Numero deus impare gaudet.* Quod etiam pontificales indicant libri. Sed constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit; triplicem esse Apollinis potestatem: & eundem esse Solem apud superos; Liberum patrem in terris; Apollinem apud inferos. Vnde etiam tria insignia, circa ejus simulachrum videmus; *Lyram*, quæ nobis cœlestis harmoniæ imaginem monstrat: *Gryphenaum*, quod & terrenum numen ostendit: *Sagittas*, quibus infernus deus & noxius judicatur. Vnde & Apollo dictus est ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν. Hinc etiam & Homerus Apollinem, tam pestilentiæ dicit, quam salutis auctorem; Et Horatius ait, *condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros Apollo.* Vnde Virgilius rationis hujus peritus; per altaria, supernum numen ostendit; per parem numerum, infernam indicat potestatem. Varro Diis superis altaria; terrestribus aras; inferis focos dicari adfirmat. Alii, altaria eminentia ararum & ipsa libamina, * ut, *paterisque altaria libant.*

NOVO, vel recenti, vel primo tempore lactis incipiente expressum. BINA. Duo. QVOTANNIS. Singulis quibusque annis.

DVO. vetuste dixit. ut ambo. *Nam sæpe senex, spe carminis ambo luserat.* Nam hodie hoc significantius duos & ambos dicimus.

PINGVIS OLIVI. Quod Græci λιπίλαιον dicunt & olivi, & olei; nam & olea, & oliva dicitur. HILARANS. Participium est, ab eo quod est hilaro. Sane sciendum nomen unde venit, hilarus vel hilaris, à Græco descendere: nam ἱλαρὸς facit.

VARIORVM.

DEVS, DEVS ILLE. Repetitio illa, significationem habet venerationis & affirmationis religiosæ, esse Deum Daphnidem. ideo & invocatio, & promissio cultus sequitur, quæ est nuncupatio votorum. TAVBMANNVS.

SIS BONVS Ô FELIXQVE. εὔφρων, εὐμενής. Antiqui autem in publica & solenni precatione: *Quod faustum, bonum, felixque sit.* GERMAN.

EN QVATVOR ARAS, ECCE DVAS, &c. Injecit mihi suspicionem Eustathius, qui βωμοὺς quidem dæmonibus, ἐσχάρας autem heroibus tribuit; hic Poëtam aliquo discrimine, Daphnidi duas aras, altaria Phœbo nuncupantem: altaria ut βωμοὺς diis excepisse; aras autem generis appellatione comprehendisse. GERMAN.

Vinæ

Digitized by Google

Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis, Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, & cum solennia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit:
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Ut Baccho, Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
Mo. *Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?*
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,

SERVII.

ANTE FOCUM SI FRIGUS ERIT S. M. I. V. Non frigori calorem opposuit; sed messem, quæ est tempore caloris.

VINA NOVUM FUNDAM CALATHIS. Ordo est, vina fundens calathis, id est calicibus, quæ vina sint novum nectar; id est magna dulcedo. ARIUSIA AUTEM CHIA, à promontorio Chii insulæ Arisio; vel illud vina arvisia novum nectar, calathis fundam. Alii novum mustum intelligunt: vel merum, quale nunquam habueris; ut *Pollio & ipse facit nova carmina.*

LYCTIUS ÆGON. Cretensis: ut, Lyctius Idomenæus. à Lyctio urbe Cretæ.

SALTANTES SATYROS IMITABITUR ALPHESIBÆUS. Pastor quidam. Sane ut in religionibus saltaretur, hæc ratio est; quod nullam majores nostri partem coporis esse voluerunt, quæ non sentiret religionem. Nam cantus ad animam; saltatio, ad mobilitatem pertinet corporis.

SOLENNIA VOTA. Anniversaria sacra, quæ certis diebus celebrantur.

ET CUM LUSTRABIMUS AGROS. Sic supra, *Cum faciam vitula pro frugibus*, Lustrare, hic circuire, dicitur enim ambarvale sacrificium.

DUM IUGA MONTIS APER. Sicut, *In freta dum fluvii current semper*; & futurum & præteritum significat.

UT BACCHO CERERIQUE. Hæc enim duo sunt numina, quæ & rustici maxime colunt; & quorum nomina communia sunt, mortalibus cunctis. Sic in Georgicis, *Vestro si munere tellus, Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Cererem propter aridos; Liberum propter humidos fructus. Itaque nunc Daphnim dicit colendum, propter pecudum proventus.

DAMNABIS TU QUOQUE VOTIS. Id est cum deus præstare aliqua hominibus cœperis, obnoxios tibi eos facies ad vota solvenda: quæ ante quam solvantur, obligatos & quasi damnatos homines tenent. Alii DAMNABIS. Alligabis, vel absolves: utrumque enim sensum habet verbum damno; vel DAMNABIS, reos voti facies.

REDDAM PRO CARMINE DONA? Ille cum supra tantum laudaverat; hic & laudat, & de munere etiam cogitat.

NAM NEQUE TANTUM. Quædam per comparationem laudata majorem emphasin habent, si negatio activa à parte orationis incipiat; ut *Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exit; nec sic immissis aurigæ undantia lora.* SIBILUS AUSTRI. Hic sibilus dicitur res ipsa. Nam sibila ora, participialiter dictum est, pro sibilantia.

VARIORUM.

ANTE FOCUM SI FRIGUS, &c. Bina sacra singulis annis vovet: alterum hyeme, ad Lararium; alterum æstate sub umbra, ad aram cespititiam. TAUBMANNUS.

SALTANTES SATYROS. Apud veteres, nullæ unquam fuerunt celebratæ festivitates aut ceremoniæ citra saltationem. Et olim ipsi saltatores canebant & una saltabant: deinde, animadvertentes, continuo motu gravari anhelitum, & per hunc turbari cantilenam, visum est factu longe consultius, ut alii saltantibus succinerent. LUCIANUS, lib. περὶ ὀρχήσεως.

SOLEMNIA VOTA. Cœnarum tria genera, unum solemne, aliud viaticum, seu adventitium, ut: *ad cœnam vocant, adventum gratulantur*. & Geniale, quod Genio nostro indulgentes, melius vivimus. ut idem Terent. *Quod vix demenso suo, suum defrudans genium.* PHILARGYRIUS.

CUM ET LUSTRABIMUS AGROS. Ambarvalia sacra innuit. Lustrare autem non solum purgandi, καὶ τοῦ περιαγνίζειν, sed & circumeundi vim habet, ut hic. GERMAN.

DAMNABIS TU QUOQUE VOTIS. Id est obligabis, & quasi quadam necessitatis damnatione obnoxios reddes agricolas, ad vota solvenda: cum tu illis tanquam verum & præsens Numen adfueris: ut *Damnati* proprie hi dicantur, non qui vota tantum fecerint, sed qui etiam ab ipso Deo optata impetrarint; unde tunc votorum persolutionis se reos omnino factos, quasi ex Numinis parte voti concepti conditione adimpleta, maxime intelligerent. ERYTHRÆUS.

Digitized by Google

Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.*
Hæc nos, formosum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, cujum pecus? an Melibœi?
MO. *At tu sume pedum, quod me cum sæpe rogaret,*
Non tulit Antigenes; & erat tum dignus amari:
Formosum paribus nodis, atque ære Menalca.

SERVII.

HAC TE NOS FRAGILI DONABIMVS ANTE CICVTA. Bene anticipat & offert munus, quod ille se facturum esse promiserat. CICVTA. fistula, ut *septem compacta cicutis*: & fistulæ qualitatem per principia eclogarum ostendit; ut, *hæc nos, formosum Corydon ardebat Alexin.*

SVME PEDVM. Virga incurva, vnde retinentur pecudum pedes.

NON TVLIT ANTIGENES ET ERAT TVM DIGNVS AMARI. Aut pastorem quendam pulcherrimum dicit; aut Choraulam significat, quem legimus admodum à Virgilio fuisse dilectum. non tulit autem, non impetravit. AMARI, pro qui amaretur.

FORMOSVM PARIBVS NODIS. Et ab arte & à natura laudavit, vel ab ære; ut si dicas, pulcher est equus sella, pulcher frænis. PARIBVS NODIS, id est natura formosum; hoc est pulchrum ære artificium: vel *paribus nodis*, id est, pari intervallo.

ECLOGA SEXTA.

SILENVS.

PRima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit sylvas habitare Thalia.
Cum canerem reges, & prælia, Cynthius aurem

SERVII.

PRIMA SYRACVSIO DIGNATA EST LVDERE VERSV. Character mixtus: nam & poëta præfatur, & cantare Silenus inducitur. SYRACVSIO, quia Theocritum præcipue sequitur; quamvis multi alii bucolica scripserint. LVDERE VERSV, ut ipse ait, *Carmina, qui lusi pastorum.* NOSTRA Romana, inquit, Musa non erubuit se sylvis ante committere, id est imitari Theocritum Syracusanum, & bucolica scribere. Syracusio græce ait: nam latine Syracusanos dicimus, & sic nostra Romana: ut, *Tu quoque litoribus nostris.* DIGNATA EST vero sic ait, quasi loco superiore. ostendit ergo se primum post Theocritum, bucolica scripsisse.

SYLVAS HABITARE. Sicut, *Atque humiles habitare casas.* THALIA. Musa scilicet. & græce ait Θάλεια. nam latine Thaléa dicitur; sicut Cytheria, Cytheréa: sed propter euphoniam, contempsit jus regulæ; & in græcitate permansit.

CVM CANEREM REGES ET PRÆLIA. Cum canere vellem. Et significat aut Æneidem, aut gesta regum Albanorum: quæ cœpta, omisit; nominum asperitate deterritus. Alii Scyllam cum scribere cœpisse dicunt; in quo libro Nisi & Minois regis Cretensium bellum, describebat; alii de bellis civilibus dicunt: alii de tragœdia Thiestis. CYNTHIVS, Apollo à Cyntho monte Deli, in quo natus est.

VARIORVM.

SILENVM in hac Ecloga inducit, ebrium quidem illum, ut Bacchi educatorem decebat, sed tamen perite secundum Epicureorum opinionem de rerum primordiis canentem: idque in gratiam Quintilii vari: qui (teste Donato) una cum Virgilio huic sectæ sub Sirone Philosopho operam dedit. Cæterum, quoniam hæc bucolici carminis humilitati non satis conveniebant, statim ab initio veniam precatur: neque ita multum argumento illi immoratus, statim ad fabulas transit. STEPHANVS.

AVREM VELLIT. Id est vellendo aurem, admonuit: quod à monentibus fieri solet, consecratis auribus Memoriæ. Vnde & in Antestatione, memoriæ caussa, actor auriculam imam tangebat antestati, cum hoc verbo, MEMENTO: quo hic Virgilius allusit. LIPSIVS EPIST. Quæst. lib. 4. 26.

Vellit,

Digitized by Google

Vellit, & admonuit: Pastorem, Tytire, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam,
Non injussa cano: si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget, te nostræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite Pierides, Chromis & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,

SERVII.

AVREM VELLIT Id est movit: alibi, *Postesque à cardine vellit æratos.* Aurem autem ideo, quia memoriæ consecrata est; ut frons Genio; digiti Minervæ; genua Misericordiæ. PINGVES, figurate pingues pascere, id est pascere ut pinguescant.

DEDVCTVM DICERE CARMEN. Tenue. Translatio à lana, quæ deducitur in tenuitatem, id est bucolicum. Sane, cum canerem reges & prælia, Et, *deductum dicere carmen*; quidam volunt hoc significasse Virgilium, se quidem altiorem de bellis & regibus, ante bucolicum carmen elegisse materiam; sed considerata ætatis & ingenii qualitate mutasse consilium, & arripuisse opus mollius, quatenus vires suas, levioribus præludendo, ad altiora narranda, præpararet.

NVNC EGO. Ordo est: *Nunc ego agrestem tenui, Meditabor arundine Musam*, Id est carmen rusticum scribam.

NAMQVE SVPER TIBI ERVNT. Superabundabunt tibi inquit, O Vare, qui ambiant tua facta describere. Hic autem Varus Germanos vicerat, & exinde maximam fuerat & gloriam & pecuniam consecutus: per quem Virgilius meruerat plurima. Alii Varum eum dicunt, qui in Germania cum tribus legionibus interiit, amissis signis, quæ postea Germanicus filius Drusiani,*fugatoque Asinio Pollione, ab Augusto Alfenum Varum legatum substitutum, qui transpadanæ provinciæ & agris dividendis præesset, * qui curavit ne ager, qui Virgilio restitutus fuerat, à veteranis auferretur.

TRISTIA CONDERE BELLA. Epitheton bellorum perpetuum. CONDERE, componere,ut è contrario incondita.

NON INIVSSA CANO. Vel ab Apolline, vel ab Augusto, vel à Mecœnate. Sive, nihil altum mens inchoat; & hoc ideo, quia dixerat, *Aurem vellit*. HÆC QVOQVE. Licet vilia, sicut Theocriti. Et hoc dicit, Si quis, licet rustica,legere fuerit ista dignatus: tuas tamen in his laudes inveniet. Nam per myricas & nemora, bucolica significat.

NEC PHOEBO GRATIOR VLLA EST. Nec enim pagina ulla Apollini est gratior, quam quæ Vari nomen gestat in titulo. Quod ideo dicit, quia hanc eclogam constet in honorem Vari esse perscriptam. Dicitur enim ingenti favore à Virgilio esse recitata: adéo ut cum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro, quam in fine Lycoridem vocat, & spectaret Cicero: stupefactus, cujus esset cœpit requirere. & cum eum tandem aliquando agnovisset, dixisse dicitur, & ad suam & illius laudem, *Magna spes altera Romæ*. Quod iste postea ad Ascanium transtulit, sicut commentatores loquuntur.

PERGITE PIERIDES. Hortatur Musas ad referenda ea quæ Silenus cantaverat pueris. Nam vult exequi sectam Epicuream, quam didicerat, tam Virgilius quam Varus,docente Sirone: & quasi sub persona Sileni, Sironem inducit loquentem. Chromin autem & Mnasylum,se & Varum vult accipi. Quibus ideo conjungit puellam; ut ostendat plenam sectam Epicuream, quæ nihil sine voluptate vult esse perfectum. Sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Virgilio; sed à Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum à Midæ regis pastoribus, dicit crapula madentem, & ex ea soporatum; illos dolo adgressos dormientem vinxisse; postea vinculis sponte labentib. liberatum, de reb. naturalibus & antiquis Midæ interroganti, respondisse: quem alii Mercurii filium, alii Panos & Nymphæ, alii ex guttis cruoris Cæli natum esse dixerunt. CHROMIS ET MNASYLVS. Nomina satyrorum.

PVERI. Nonnulli, pueri, non absurde putant dictum, quia Sileni priusquam senescant, satyri sunt: utrum ergo ætate pueros, an ut ministros & familiares solemus communiter pueros vocare?

VARIORVM.

PASTOREM TITYRE PINGVES, &c. Hujus notæ est, Spartam quam es nactus, orna. Et ne sutor ultra crepidam. Hisce enim temporibus, dum omnes omnia scire videri volumus, ideo res nostræ sursum ac deorsum feruntur. PONTANVS.

NEC PHOEBO GRATIOR PAGINA. Quibus verbis non obscure indicat Maro, hunc Varum bonarum artium, imprimisque Poëtarum amicum & patronum haud vulgarem fuisse. PONTAN.

SILENVM PVERI. Apte personam Sileni inducit disputantem, quem choro Liberi patris magistrum adhibent,qui choro modum adhibere possit: unde & jocelariter illi ferula attributa. PHILARGYRIVS.

Digitized by Google

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant;
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa,
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle;
Ægle Najadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite: carmina vobis:
Huic aliud mercedis erit. simul incipit ipse.
Tum vero in numerum, Faunosque ferasque videres

SERVII.

INFLATVM VENAS, figuratè locutus est, & SEMPER, bene addidit, id est, consuetudine vini, non interdum temulentum esse. IACCHO. Aut vino, aut Libero patre, qui etiam Iacchus vocatur: nam Bacchus à bacchatione, id est insania dictus; unde & comites ejus Bacchæ. Alii à Bacche nympha, quæ cum Brome sorore sua eum nutriverat, in monte Nysa, Anysa nutrice.

SERTA PROCVL. Modo prope, id est juxta. Nam ideo intulit, TANTVM CAPITI DELAPSA: ut ostenderet non longius provolutam coronam; ut est, *procul aëra ramo dependet.*

ATTRITA ANSA. Frequenti scilicet potu. PENDEBAT, manibus non emissa significat.

ADGRESSI. Ordo est, Chromis & Mnasylus adgressi Silenum, nam luserant ambo spe carminis: & SPE pollicitatione. Item alius ordo, Adgressi spe carminis iniiciunt ipsis ex vincula sertis. CARMINIS AMBO. Vetuste, ut alibi, *Verum ubi ductores acie revocavere ambo*: &, *eminus ambo Imbrasidas*: ut, *craterasque duo statuam*: cum hodie sub eadem significatione, ambos & duos, dicamus.

IPSIS EX. Ex ipsis: ut *transtra per & remos*, id est, per transtra.

TIMIDIS. autem timentibus. Nam timidus est qui semper timet: Timens vero qui ad tempus formidat ex caussa. Aut revera timidis: quia pueris per ætatem naturaliter timor est insitus, & timentibus nedum vincula injicerent, expergefieret. VIDENTI, pro vigilanti.

SANGVINEIS FRONTEM MORIS ET T. P. Multi ob hoc dictum putant, quod rubens color deorum sit; unde & triumphantes facie miniata, & in Capitolio Iupiter in quadriga miniata; & bene PINGIT, non inquinat, nam jam vigilantem dixerat. Sane fabula de moro talis est, Piramus & Thisbe fuere ut forma pares, ita amore conjuncti, quos vicinos, paries dividebat, quibus una præstabat colloquium: cum amor crevisset ad cupiditatem, placuit ut utriq; noctu extra domos procederent, locumque coëundi statuerent ad arborem, quæ ante erat albis fructuosa pomis: & cum prior venisset Thisbe ad locum, vidit leam; dum mortem fugit, vestem reliquit, in qua veste fera exercuit iram suam, cruorisque feræ alicujus paulo ante reliquit vestigia in pallio puellæ; qua veste visa Piramus cruentata, tunc ratus est interfectam esse Thisbem, & ob amorum ardorem se interfecit; ex quorum cruore dicitur arbor infecta, nam quæ ante gerebat poma alba, nunc sanguinea. RIDENS, irridens. QVO, ad quam rem.

SOLVITE ME PVERI, quia putaverant eum corona ligari posse. SATIS EST POTVISSE VIDERI. Sufficit enim, quia potui à vobis, qui estis homines, videri. Quod ideo dicit, quia [illegible], cum volunt tantum videntur; ut Fauni, Nymphæ, Silenus. Potest & aliter intelligi, *Solvite me*: Sufficit enim quod talis vobis visus sum, ut etiam ligari possim.

HVIC ALIVD MERCEDIS ERIT. Nymphæ minatur stuprum latenter: quod verecunde dixit Virgilius. Hæc autem omnia de Sileno à Theopompo in eo libro qui Taumasia appellatur, conscripta sunt. Ipse addidit ad commendationem,

IN NVMERVM LVDERE. Id est saltare ad modum rhythmi & cantilenæ. vel ad certam modulationem. FAVNOS. Fauni ab effatione dicti, quod voces de sacris reddebant; quod in septimo Æneidis plene habet.

VARIORVM.

SERTA PROCVL TANDEM. Serta scilicet tantummodo delapsa capiti procul jacebant, id est paulo ante delapsa. Vel ita ipse jacebat ut perpotaverat, tantummodo serta delapsa erant de capite. CAMERARIVS. Puto eum dicere, procul à capite ebrii, & somno obruti jacuisse serta, quibus in compotationibus se redimire olim solebant: tantum tamen capiti fuisse delapsa, alioqui illæsa, non pressa etiamsi procul jacebant. TVRNEB. lib. 13. cap. 4. PIMPONTIVS ita accipit, quasi serta temulenti senis à capite solum delapsa sint, non itidem à reliquo corpore, quod etiam senis redimitum erat.

Ludere.

Digitized by Google

Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes:
Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis.
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas.
Iamque novum terræ stupeant lucescere Solem:

SERVII.

LVDERE, id est illo cantante. MOTARE CACVMINA, montium vel arborum, quibus hoc genus saltationis adsignat; quia hoc genus saltationis vult esse in arboribus, cacuminum motu.

PARNASSIA RVPES. Mons est Thessaliæ Apollini consecratus.

RHODOPE ET ISMARVS. Montes Thraciæ, in quibus Orpheus consueverat canere. Et hoc dicit, Non tantum isti montes gaudent cantante Apolline vel Orpheo, quantum cantante Sileno lætatus est mundus. Namque etiam paulo post dicturus est, *Et invito processit vesper olympo.*

NAMQVE CANEBAT VTI MAGNVM PER INANE COACTA SEMINA. Variæ sunt Philosophorum opiniones de rerum origine. Nam alii dicunt omnia ex igne procreari, ut Anaxagoras. Alii ex humore, ut Thales Milesius. Vnde est, *Oceanumque patrem rerum.* Alii ex quatuor elementis; ut Empedocles: secundum quem ait Lucretius, *Ex imbri, terra, atq; anima nascuntur & igni.* Epicurei vero, quos nunc sequitur; nihil horum comprobant: sed dicunt duo esse rerum principia, corpus & inane. Omne enim quod est, aut continet, aut continetur. & corpus volunt esse atomos, id est quasdam minutissimas partes quæ τομὴν, id est sectionem non recipiunt. Vnde & atomi dictæ sunt, quas Lucretius minutiores dicit esse illis corpusculis, quæ in infusis per fenestram radiis Solis videmus. dicit enim illas nec visum posse recipere. Inane vero dicunt spatium, in quo sunt atomi. De his itaque duobus principiis volunt ista quatuor procreari, ignem, aërem, aquam, terram: ex his cætera, ut illa duo elementa atomi & inane sint: hæc vero quatuor synthera, id est composita ex illis duobus, præstent originem aliis omnibus rebus. Hac autem ratione comprobat, ex atomis & inani originem rerum esse: quod nihil est in rerum natura, quod non & corpus habeat, & recipiat sectionem; & quia recipit sectionem, indicet etiam inanitatem. Ergo VTI MAGNVM PER INANE COACTA SEMINA. Canebat inquit, mundi principium, id est quemadmodum collectæ & coactæ atomi per magnum inane, fuissent origo ignis, aëris, terrarum, & maris. nam *semina*, atomos dicit. Dicimus autem hæc atomus, & hæ atomi.

ANIMÆQVE, Id est aëris: Vnde & jam venti sunt.

LIQVIDI SIMVL IGNIS, puri, id est ætherei, quem Cicero ignitum liquorem dicit. Lucretius, *Devolet in terram liquidi color aureus ignis.* VT HIS EXORDIA, ex seminibus, hoc est atomis. PRIMIS, pro principiis, quæ enim Græci στοιχεῖα, nos principia appellamus.

OMNIA ET IPSE TENER MVNDI CONCREVERIT ORBIS. Ante orbis: & sic omnia quæ in orbe sunt. Nam mutato ordine ait, primo omnia: & sic orbis. TENER, Id est, recens factus. CONCREVERIT, Collectus, & informatus sit.

TVM DVRARE SOLVM, ET DISCLVDERE NEREA PONTO. Canebat etiam quemadmodum se durare ceperit solum, & mixtam sibi ante aquam sua contractione discludere. Sane SOLVM si nominativus est, DVRARE absolute accipiemus, & omnia quæ infra dicuntur ad solum & rerum terrestrium referentur. Si accusativus, ad mundi orbem cuncta pertinebunt.

ET RERVM PAVLATIM SVMERE FORMAS. Canebat etiam quemadmodum terra rerum sumpserit formam.

IAMQVE NOVVM TERRÆ STVPEANT LVCESCERE SOLEM. Canebat quemadmodum post hæc stupeant terræ, Solis ortum: Alii TERRÆ ad homines referunt, pro qui in terra sunt.

VARIORVM.

NAMQVE CANEBAT, VTI MAGNVM, &c. De origine mundi, rerumque principiis quam diversa senserint Philosophi, consulatur Plutarchus de placit. Philosoph. lib. 2. cap. 4. Arnobius lib. 2. Ioseph. antiquit. Iud. cap. 2. &c.

LIQVIDI SIMVL IGNIS. Liquida dicuntur, quæ facilitate translucida ad crassitudinem sui visum admittunt, non turbida, nec obscura, nec ulla nubecula interpellata, quæ facile pertransit aspectus; sic liquidæ gemmæ, & liquidus amnis. SALMASIVS.

TENER MVNDI ORBIS. Quia tum primo progenitus: sicut omnes res primo ortu suo mollitiem quandam suam habebant: postea cum tempore firmitudinem suam nanciscuntur, & quodammodo adolescant. TVRNEB. lib. 24.

Altius atque cadant summotis nubibus imbres.
Incipiant sylvæ cum primum surgere; cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.

SERVII.

ALTIVS ATQVE CADANT SVMMOTIS NVBIBVS IMBRES. Quemadmodum cadant imbres nubibus in altum levatis. Naturale enim est ut nubes cum cœperint Solis esse vicinæ, ejus calore solvantur in pluvias. Vnde in Georgicis ait, de signis serenitatis; *At nebulæ magis ima petunt.*

INCIPIANT SYLVÆ. Bonum sane sequutus est ordinem: ut post Solis & pluviarum commemorationem, diceret ortas sylvas & animalia cuncta procreata. ANIMALIA. Animantia, τὰ ἔμψυχα.

HINC LAPIDES P. I. Quæstio est hoc loco. Nam relictis prudentibus rebus de mundi origine: subito ad fabulas transitum fecit. Sed dicimus, aut exprimere eum voluisse sectam Epicuri; quæ rebus seriis semper inserit voluptates: aut fabulis plenis admirationis puerorum corda mulceri. Nam fabulæ, caussa delectationis inventæ sunt: ut ipse etiam in Georgicis docet, dicens, *Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes.* Sane fabula talis est, Iupiter cum perosum haberet, propter feritatem Gigantum, genus humanum, scilicet quod ex illorum sanguine editi erant mortales; diluvio inundavit terras, omnesque homines necavit, exceptis Pyrrha & Deucalione, qui in monte Atho liberati sunt: Sed hi ex responso Themidis, saxis post tergum jactis, genus hominum reparaverunt; Et Pyrrha quidem reparavit fœminas; Deucalio mares. Alii dicunt Iovem Lycaoni, quod ei filium suum apposuisset epulandum, ipsum quidem fulmine peremisse; fecisse vero diluvium quo homines perirent, exceptis Pyrrha Epimethei filia, & Deucalione Promethei filio: qui Parnassi montis altitudine defensi à diluvio sunt, & hominum genus, ut supra dictum est, reparaverunt. Sunt qui dicant non ex illis lapidibus homines factos: sed quia jacuissent, sentibus atque fruticibus tecti, lapidibus excitatos. Quod autem dicit REGNA SATVRNIA, fabularum ordinem vertit. Nam quo tempore Saturnus regnavit, in terris non fuit diluvium: sed sub Ogige Rege Thebanorum. Secundum autem diluvium fuit sub Deucalione & Pyrrha. Sane sciendum & per diluvium, & per ecpyrosin significari temporum mutationem. Alii Saturnia regna pro Iovis accipiunt, cujus regno diluvium factum volunt sub Deucalione & Pyrrha; non aureo seculo, quo Saturnus regnavit.

CAVCASEASQVE REFERT VOLVCRES, FVRTVMQVE PROMETHEI. Et hic fabulæ ordinem vertit, quæ talis est; Prometheus Iapeti & Clymenes filius, post factos à se homines, dicitur auxilio Minervæ cælum ascendisse: & adhibita facula ad rotam Solis, ignem furatus: quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati dii, duo mala immiserunt terris, febres & morbos: sicut & Sappho & Hesiodus memorant, Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται, πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη δὲ θάλασσα. Quod tangit & Horatius dicens, *Post ignem æthera domo Subductum, macies & nova febrium Terris incubuit cohors.* Ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum: & adhibita est aquila, quæ ejus jecur exederet. Hæc autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit. Vnde etiam Prometheus dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας id est à providentia. Hic primus astrologiam Assyriis indicavit: quam residens in monte altissimo Caucaso, nimia cura & solicitudine deprehenderat. Hic autem mons positus circa Assyrios, vicinus est pene syderibus. Vnde etiam majora astra demonstrat, & diligenter eorum ortus occasusque significat. Dicitur autem aquila cor ejus exedere, quod ἄχος est sollicitudo: qua ille affectus, syderum omnes deprehenderat motus. Et hoc quia per prudentiam fecit, duce Mercurio; qui prudentiæ & rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit præterea rationem fulminum eliciendorum, & hominibus indicavit: unde cælestem ignem dicitur esse furatus. nam quadam arte ab eodem monstrata, supernus ignis eliciebatur: qui mortalibus profuit, donec eo bene usi sunt. Nam postea malo hominum usu in perniciem eorum versus est: sicut in Livio lectum est de Tullo Hostilio, qui eo igni exustus est cum omnibus suis: Numa vero Pompilius impune eo usus est, tantum in sacris deorum. Hinc est quod igne rapto ab iratis numinibus morbi hominibus dicuntur immissi. Ergo secundum fabulam ὑστερολογία est. nam prius fuit ut Prometheus crimen admitteret, post pateretur supplicia, qui tamen postea, præcepto Iovis occisa per Herculem aquila, liberatus est. Alii hunc ferula ignem de cælo subripuisse ferunt, & ideo à Iove religatum ad Caucasum, & volucri objectum; quem postea ab ipso Iove resolutum; quod eum monuisset à Tethide abstinere, quod de ejus semine nasceretur, qui eum regno pelleret, sicut ipse Saturnum patrem, cui post sacramentum, quod eum nunquam se soluturum juraverat, annulum de ipsis vinculis clauso de monte Caucaso lapide dedit, ad pœnæ præteritæ indicium.

VARIORVM.

HINC LAPIDES PYRRHÆ IACTOS SATVRNIA REGNA. Nunc cætera addit de hominum ortu promiscue illa quidem, neque temporibus, neque modo distincta, nimirum ut penitus fabulosa. CAMERARIVS.

CAVCASEASQVE REFERT VOLVCRES. Enallage numeri: nam una tantum fuit aquila. vel dixit VOLVCRES, quod alii vulturem, alii aquilam fecerint. NANNIVS.

His adjungit Hylam, nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent: ut littus, Hyla Hyla, omne ſonaret.
Et fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaën nivei ſolatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implerunt falſis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt
Concubitus; quamvis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in levi quæſiſſet cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas:

SERVII.

HIS ADIUNGIT HYLAM. Hylas Thiodamantis filius, ob ſpeciem Herculi fuit cariſſimus; quem ſecutus navigantem cum Argonautis, in finibus Ionii juxta Mœſiam, apud fontem Calciamnis cum aquatum iſſet, à Nymphis raptus eſt, nec unquam potuit reperiri. Poſtea cum eſſet cognitum quod periſſet in fonte, ei ſtatuta ſunt ſacra, in quibus mos fuerat, ut ejus nomen clamaretur in fontibus. Ad quam imitationem nunc dicit,

VT LITTVS, HYLA HYLA, OMNE SONARET. Per tranſitum rem veram tetigit; tertio enim ab Ephebo puer, in monte comitantibus univerſis, nomen ejus clamabatur. Sane poſtrema ſyllaba LA brevis eſt. ideo quia vocalis vocalem ſequitur. Nam omnis vocativus græcus à maſculino veniens, A terminatus, longus eſt; ut Ænea, Hyla, Palla. Ordo tamen eſt, his adjungit quomodo Hylam nautæ clamaſſent in fonte relictum.

FORTVNATAM PASIPHAEN. Nota fabula eſt, Cretenſium Reginam Minois uxorem, quæ tauri amore flagravit, & enixa Minotaurum crimen dementiæ ſuæ publicavit.

AMORE, quidam pro in amore accipiunt.

AH VIRGO INFELIX. Ad hoc attinet quod ait SOLATVR: ut quod amat taurum, fortunæ magis videatur eſſe, quam morum. Virgo autem (ut dictum eſt ſupra,) à viridiore ætate: nam jam mater fuerat Phædræ, Ariadnes, & Androgei. Caluus in Io, *Ah virgo infelix herbis paſceris amaris.* Quidam virgo, non quod virum illo tempore non haberet, ſed quia talis ei pœna, jam virgini deſtinata ſit intelligunt; ob iram ſcilicet Veneris quæ irata Soli, quod ſe, ut quidam volunt, Anchiſæ, aut alii Marti conjunctam, prodidiſſet; ſobolem ejus inhoneſtis amoribus ſubjecit; ut Circen, Medeam, Paſiphaen; & hoc dicitur, In illa commiſerabili dementia feliciores fuiſſe, quæ ſe animalia credebant, quam Paſiphaen; quæ cum ſciret ſe hominem, taurum ſectabatur. QVÆ TE DEMENTIA CEPIT. Hic objurgari magis quam conſolari videtur; an quia conſolantis & hoc officium eſt, ut merentem ſtrictim & objurget.

PROETIDES IMPLERVNT FALSIS MVGITIBVS AGROS. Prœtides, Prœti, & Stenobœæ, ſive Antiopæ ſecundum Homerum filiæ fuerunt. Lyſippe, Ipponoe, Cyrianaſſa. Hæ ſe cum prætuliſſent Iunoni in pulchritudine: vel ut quidam volunt, cum eſſent antiſtites; auſæ ſunt veſti ejus aurum detractum in uſum ſuum convertere: illa irata, hunc furorem earum immiſit mentibus, ut putantes ſe vaccas in ſaltus abirent, & plerunque mugirent, & timerent aratra; quas Melampus Amythaonis filius pacta mercede ut Cyrianaſſam uxorem cum parte regni acciperet, placata Iunone, infecto fonte, ubi ſolitæ erant bibere, purgavit, & in priſtinum ſenſum reduxit.

COLLO TIMVISSET ARATRVM. Terent. *Syre tibi timuit.* LEVI, humana ſcilicet.

ILLE LATVS NIVEVM. Quis eam amare non intelligat? FVLTVS HYACINTHO. Apud veteres unuſquiſque eo ſuper quod jacebat, FVLTVS dicebatur. Luſilius in tertio, *Et pulvino fultus:* Virgilius. *Atque harum effultus tergo ſtratiſque jacebat velleribus.*

ILICE SVB NIGRA. Vel umbroſa, vel re vera nigra: nam talis eſt. PALLENTES RVMINAT HERBAS. Revomit, & denuo conſumit. *atque iterum paſto paſcitur ante cibo.* Sic Ovidius: Ruminatio autem dicta eſt à ruma eminente gutturis parte: per quam demiſſus cibus à certis revocatur animalibus. Pallentes autem vel aridas: vel quæ ventris calore propria viriditate caruerunt.

VARIORVM.

ILICE SVB NIGRA. Id eſt cujus folia etiam tum, quum maxime virent, nigra ſunt, colore nempe obſcuro ac nigro viridantia. SALMASIVS.

PALLENTES RVMINAT HERBAS. Vbi Grammatici interpretantur, *vel aridas, vel quæ ventris calore, propria viriditate caruerunt.* adeo pallidum non eſt viride. ſed errant illi, *pallentes herbæ* ſunt χλωραὶ & viridantes. cum enim χλωρὸν & χλωρὸν utrumque ſignificet, & quod pallet, & quod viret; alterum pro altero poſitum eſt poëtarum more. ſed in oratore vel hiſtorico, pallidum pro viridi, non feram. SALMASIVS.

gitized by Go

Aut aliquam in magno sequitur grege. claudite nymphæ
Dictææ, nymphæ nemorum jam claudite saltus:
Si quà fortè ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia: forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquæ stabula ad Cortynia vaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaëtontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum,
Aonas in montes ut duxerit una sororum:
Vtque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis:
Vt Linus hæc illi divino carmine pastor,

SERVII.

AVT ALIQVAM IN MAGNO SEQVITVR GREGE. Aliquam, Id est, vaccam. Ac si diceret, Habes aliquid spei: siquidem noveris amare quem diligis. Notandum autem GREGEM, eum de bobus dixisse; cum proprie ARMENTA dicamus. Licet grex sit quorumlibet animalium congregatio. Sic Cicero in Philippicis, *Fudit apothecas, cecidit greges armentorum.* CLAVDITE NYMPHÆ. Melius hoc à persona Pasiphaæ dictum accipimus; ut dicat Silenus, hoc illam aliquando dixisse.

CLAVDITE SALTVS, scilicet ne latius evagetur, eoque minus possit investigari.

SI QVA, pro si, vel si quo modo. DICTÆÆ. Dictis mons in Creta, in quo Pasiphae amasse taurum dicitur.

ERRABVNDA BOVIS VESTIGIA. Illud expressit quod uno verbo Homerus ait, εἰλίποδας βοῦς, hoc est vet. cod. flexibilibus, flexis pedibus incedentes. Et est participium, prope contra rationem figuratum: vel errabunda, errantia; ut ludibundus, ludens. Cicero, *Omnia ludibundus conficiens.* NOSTRIS. Et hic nostris, ut Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, *quomodo minimo periculo id demus adolescentulo*, id est des.

AD CORTYNIA, Bene ad Cortynia. Nam apud Gnoson imperabat Minos ejus maritus. Vnde illuc taurum non vult venire: sed ad Cortynon oppidum Cretæ, ubi aliquando fuerant Solis armenta.

TVM CANIT HESPERIDVM MIRATAM MALA PVELLAM. Mala, quibus acceptis à Venere, Hippomenes vicit Atalantam puellam Sciriam cursu potentem: quæ multos sponsos superatos occiderat: quod plenius in Æneide tertio libro memoravimus, ubi etiam de ipsis malis fabula relata est.

TVM PHAETONTIADAS. Clymenes & Solis filias: quæ dum extinctum fratrem flerent, conversæ sunt in arbores, ut hoc loco dicit, in alnos: ut in decimo, in populos. ubi etiam plenius hæc dicta est fabula. Mira autem est canentis laus, ut quasi non factam rem cantare: sed ipse eam cantando facere videatur. Sane ingeniosi hominis mentionem cum re, quæ animam non habet miscuit: sorores Phaëtontis succina flevisse dicitur: Et quidam ALNOS poetica consuetudine, pro populis accipiunt. DVXERIT, produxerit. VNA SORORVM, una Musarum.

VIRO, Gallo. AMARÆ CORTICIS. Alibi, ait, *Raptus de subere cortex*: quod magis sequi debemus, ut masculino utamur, & est epitheton naturale.

PERMESSI AD FLVMINA GALLVM. Helicon mons est Bœotiæ; quæ & Aonia dicitur. de hoc plurima cadunt flumina: inter quæ etiam Permessus, juxta quem dicit ambulantem Gallum ab una Musa ad cæteras esse deductum, & illic factum poëtam. Qui elegos scripsit, qui& à triumviris præpositus fuit ad exigendas pecunias ab his municipiis, quorum agri in Transpadana regione non dividebantur. Sane Aones originem ab eo loco ducunt, ubi nunc maritima Venetia est.

PHOEBI CHORVS, Id est Musæ. ASSVRREXERIT, Id est honorem præbuerit. ut, *Timolus assurgit, quibus & rex ipse Phanæus.* Id est, cedit.

VT LINVS. Apollinis filius: quem suprà memoravit. Ordo autem est, hæc illi ut Linus dixerit.

DIVINO CARMINE: id est vaticinans, qui divina canebat. PASTOR. Quæritur cur pastor dixerit; nisi forte quod se poëta sub pastoris persona inducit.

VARIORVM.

NYMPHÆ NEMORVM IAM CLAVDITE, &c. Videtur autem hic mihi, bona doctorum pace, ita hujus loci constituenda sententia; ut hoc cum Servio in persona Pasiphaës dictum accipiamus; Nymphas velut ad venandum, & taurum, cujus amore flagrabat, plagis retibusque cingendum & capiendum concitantis; cum erro, vagusque nimium huc illuc pro libidine, nec satis Pasiphaæ in amore obsequens ageretur; ferretur. GERMAN.

VTQVE VIRO PHOEBI CHORVS ASSVRREXERIT. Imitatione Homeri, qui in Hymno in Apollinem, deos omnes Phœbo ipsi assurgere cecinit. Forte etiam assurrectum dicit Maro, Gallo, à Poëtis, ob viri amplitudinem & poëticæ peritiam: alludens, credo, ad Accium, qui in collegio Poëtarum Iul. Cæsari Straboni assurgere dedignatus est. ut VALER. MAX. l. 3. c. 7.

Floribus, atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
Ascræo quos antè seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar aut Scyllam Nisi? aut quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,

SERVII.

ATQVE APIO, Apud antiquos in agone erat species coronæ de apio. Sed in Nemæo agone qui in honorem Archemori institutus est; & volunt quidam hoc coronæ genus ad indicium mortis electum; aut quod humilis herba immaturum de Archemoro luctum ostendat; aut quod supra hanc herbam reptans puer à serpente extinctus sit. Sane in eo agone speciatim apio coronantur poëtæ.

CALAMOS, pro fistula, ut *nec calamis solum æquiparas.*

ASCRÆO QVOS ANTE SENI. Hesiodo, qui Ascræus fuerat de vico Boëtiæ quem dicuntur Musæ pascentem pecus, raptum de monte Parnasso poëtam fecisse munere calamorum. Cui etiam bis pueritiam de senectute præstitisse dicuntur. Ideo ait, QVOS ANTE SENI.

GRYNÆI NEMORIS DICATVR ORIGO: miraculum Apollinis, qui serpentem ibi occidit. Grynæum nemus, est in finibus Ioniis, Apollini à Grino filia consecratum: vel à Gryna Mœsiæ civitate; ubi est locus arboribus multis junco, gramine, floribusque variis omni tempore vestitus; abundans etiam fontibus, quæ civitas nomen accepit à Gryno Euripili filio; qui regnavit in Mœsia, qui adversus Trojanos Græcis auxilium tulit. Eurypilus namque filius Telephi, Herculis, & Auges filii ex Astioche Laomedontis filia fuit, qui Grynum procreavit. Is cum patris occupasset imperium, & bello à finitimis temptaretur; Pergamum Neoptolemi & Andromaches filium ad auxilium de Epiro provocavit; à quo defensus, victor duas urbes condidit; unam Pergamum de nomine Pergami; alteram Grynum ex responso Apollinis. In hoc nemore Calchantem vites serentem quidam augur vicinus præteriens dixit errare: non enim fas esse novum vinum inde gustare: At is opere absoluto, vindemiaque facta; cum ad cœnam vicinos, eumque ipsum augurem invitasset, protulit vinum; & cum diis libare in focum vellet, dixit se non solum poturum, sed etiam Diis daturum & convivis; cui ille eadem quæ ante ei respondit: ob hoc deridens eum Calchas, adeo ridere cœpit; ut repente intercluso spiritu poculum abjiceret. Varro ait *vincla detrahi solita*, id est compedes catenasque & alia, qui intrarunt in Apollinis Grynæi lucum, & fixa arboribus: In quo luco aliquando Calchas & Mopsus dicuntur de peritia divinandi inter se habuisse certamen. Et cum de pomorum arboris cujusdam contenderent numero, stetit gloria circa Mopsum: cujus rei dolore Calchas interiit. Hoc autem Euphorionis continent carmina, quæ Gallus transtulit in sermonem latinum. Vnde est illud in fine, ubi Gallus loquitur, *Ibo & Calchidico, quæ sunt mihi condita versu Carmina.* Nam Calchis civitas est Eubœæ: de qua fuerat Euphorion. DICATVR, laudetur.

NE QVIS SIT LVCVS QVO SE PLVS IACTET APOLLO. Sensus hic est, Si tu Grynæum laudaveris nemus, in nullo se tantum Apollo jactabit. QVO SE PLVS IACTET. In quo plus glorietur Atalanta, Hippomenes, Gallus, Linus, Permessus, Phaëontides, Melampus, Pasiphae, Prœtides.

QVID LOQVAR AVT SCYLLAM NISI, QVAM FAMA SECVTA EST. Scyllæ duæ fuerunt. una Phorci & Cretheidos Nymphæ filia, pulcherrima: quam cum amaret Glaucus marinus deus, dum ipse amaretur à Circe, & eam contemneret; illa irata fontem in quo Scylla solebat se abluere, tinxit venenis: in quem cum descendisset puella, media sui parte in feram mutata est. Hanc postea Glaucus fecit deam marinam: quæ classem Vlyssis, & socios evertisse narratur. Quidam Scyllam hanc à Neptuno amatam dicunt, & per Amphitritem conjugem Neptuni, metuentem pellicis formam, venenis Circes in monstrum marinum esse mutatam. Altera vero Scylla fuit, Nisi Megarensium Regis filia: contra quos dum devictis jam Atheniensibus pugnaret Minos; propter filii Androgei interitum, quem Athenienses & Megatenses dolo necaverant: adamatus ab Scylla est Nisi filia: quæ ut hosti posset placere, comam purpuream parentis abscissam ei obtulit: quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Postea & Scylla à Minoe contempta; vel dolore quod contempta esset, vel quod quasi parricida à Minoe ad puppim religata + tracta sit, in avem Cirim conversa est: & Nisus extinctus, deorum miseratione, in aquilam Piscariem mutatus est; quæ aves hodie, ut ipse in Georgicis dicit, flagrant inter se magna discordia. Modo ergo Virgilius aut poëtarum more miscuit fabulas: & nomen posuit pro nomine, ut diceret Scyllam Nisi, pro Phorci: sicut alibi, Domitus Pollucis habenis Cyllarus: cum Castor, domitor equorum fuerit. Item, *Et manibus Progne pectus signata cruentis*: cum Philomelæ, non Prognes, abscissa sit lingua. Aut certè sit Hysteron proteron: ut utriusque fabulæ videatur facere commemorationem, ut intelligamus, *Quid loquar aut Scyllam Nisi: aut quam fama secuta est, Candida succinctam latrantibus inguina monstris, Dulichias vexasse rates.* Aut certe ut bis accipiendum est. *Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est?* ut est illud in primo, *Non ignara mali, miseris succurrere disco.*

Dulichias vexasse rates; & gurgite in alto,
Ah, timidos nautas canibus lacerasse marinis:
Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo cursu deserta petiverit, & quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sydera valles.
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Iussit, & invito processit vesper Olympo.

SERVII.

DVLICHIAS VEXASSE RATES. Ithacenses à monte. Dulichium insula est, ubi mons est Ithacus: in qua fertur habitasse Vlysses: eoque & ipse Dulichius, & Dulichias habuisse rates dicitur. *Vexasse rates* autem, per Tapinosin dictum est. Nam non vexavit, sed evertit. quod Probus vult hac ratione defendere: dicens VEXASSE venire ab eo quod est veho, vecto, vexo. ut vexasse sit portasse, & sine dubio pro arbitrio suo evertisse. *Vexasse* est enim vis quædam alieni arbitrii, non enim sui potens est qui vehitur. Bene ergo inclinatum verbum est: nam qui fertur, & raptatur, & huc atque illuc distrahitur, VEXARI proprie dicitur; Cato in oratione de Acheis, *Cumque Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* Cicero in Verrinis, *Sed ut à barbaris prædonibus vexata esset. Item; ablati, fana vexata, direpta urbes reperiuntur.*

AH TIMIDOS NAVTAS. Timidos nautas nonnulli pro timentes accipiunt, & bene *ah timidos*, ex dolentis persona. TERI, pro Terei. nam per synæresim dictum est: sicut supra, Furtumque Promethi, pro Promethei. Tereus autem Rex Thracum fuit, qui cum Atheniensibus tulisset auxilium, ac Pandionis Athenarum regis filiam Prognen nomine duxisset uxorem; & post aliquantum tempus ab ea rogaretur, ut sibi Philomelam sororem suam videndam accersiret; profectus Athenas dum adducit puellam, eam vitiavit in itinere, & ei linguam, ne facinus indicaret, abscidit; inclusamque in stabulis reliquit, ementitus conjugi eam perisse naufragio. Sed Philomela rem in veste, suo cruore descriptam misit sorori: qua re cognita Progne Itym filium interemit, & patri epulandum adposuit. Alii Tereum finxisse socero dicunt Prognen uxorem mortuam, & petisse Philomelam in matrimonium, & hoc dolore compulsam Prognen occidisse filium, & epulandam patri apposuisse: quos cum Tereus agnito scelere insequeretur, omnes in aves mutati sunt; Tereus in upupam; Itys in fassam; progne in hirundinem; Philomela in lusciniam. quidam tamen eos navibus effugisse periculum, & ob celeritatem fugæ, aves appellatos volunt.

PHILOMELA DAPES. Atqui hoc Progne fecit: sed aut abutitur nomine: aut illi imputat propter quam factum est: Et bene avis & hominis miscuit mentionem. QVÆ DONA PARARIT. quod satiato Tereo, caput & pedes filii uxor intulerit.

QVO CVRSV. Licet volatum accipere debemus, tamen DESERTA PETIERIT, potest ad hominem referri.

SVA TECTA SVPERVOLITAVERIT. Hoc ad avem pertinet.

MEDITANTE, canente.

EVROTAS. Fluvius Laconum, qui audita ab Apolline suas edocet lauros, quibus ejus plenæ sunt ripæ. ibi namque templum Apollinis est, nam hunc fluvium Hyacinthi causa Apollo dicitur amasse. LAVROS vero multi pro vatibus accipiunt.

ILLE. Silenus. REFERVNT, vel ferunt, vel proferunt; quo verbo aliter in sequenti versu utitur.

COGERE DONEC OVES STABVLIS. Ordo est, cogere, donec oves stabulis vesper jussit, & invito olympo processit. REFERRE, recensere.

ET INVITO PROCESSIT VESPER OLYMPO. Et ex eo quod dies invitus abscessit: & ex eo quod nimio audiendi desiderio vesper exortus est, cantilenæ voluptas ostenditur. Est etiam Solis laudatio, cujus lucis claritas tanta est, ut ea olympus lætetur.

VARIORVM.

QVID LOQVAR AVT SCYLLAM, &c. Alciatus, in libro [illegible], existimat, Virgilium naturam Famæ secutum, quæ plerumque mendax est, falso historiam de Scylla tradidisse; atque ideo, quæ Scyllæ Phorci filiæ congruebant, Scyllæ Nisi attribuisse. Vide NANNIVM. lib. 6. cap. 6.

ECLO-

Digitized by Google

ECLOGA SEPTIMA.

MELIBOEVS.

CORIDON. THYRSIS.

FORTE sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon, & Thyrsis in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas:
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat: atque ego Daphnin
Aspicio: ille ubi me contra videt; Ocyus, inquit,
Huc ades ô Melibœe: caper tibi salvus, & hœdi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.

SERVII.

FORTE SUB ARGUTA CONSEDERAT ILICE DAPHNIS. Ecloga hæc pene tota Theocriti est: nam & ipsam transtulit, & multa ad eam congessit de aliis. ARGUTA autem modo canora, stridula. Alibi argutum, breve significat: ut, *Argutumque caput*. DAPHNIS. Divinum hunc inducit, quippe filium Mercurii, ut diximus supra. Nam hinc est quod paulo post dicturus est: *Caper tibi salvus & hedi.* quasi divinus.

COMPULERANTQUE. Compellere proprie est in unum locum, vel diversa, vel diversorum animalia cogere. Cicero in Pisone, *omni pecore compulso.*

FLORENTES ÆTATIBUS. hoc est ætate florente. ARCADES AMBO. Non revera Arcades: nam apud Mantuam res agitur: sed sic periti, ut eos Arcades putares. Nam & paulo post dicturus est, *Soli cantare periti Arcades.*

ET CANTARE PARES, ET RESPONDERE PARATI. Hoc est, qui possint etiam continuum carmen dicere. Nam hoc est cantare: ut, *Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim.* vel, *Candidus insuetum miratur limen olympi.* Et Amœbæum referre; ut, *Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me Munera sunt lauri.* CANTARE AUTEM PARATI, pro parati ut cantarent & responderent; vel pares parati, quasi pariter parati.

HUC MIHI. Scilicet circa eam partem in qua Daphnis sedebat. DUM TENERAS DEFENDO A FRIGORE MYRTOS. Et varie hic locus exponitur. Nam alii simpliciter accipiunt, Dum myrtos tego, & tueor, ne eas frigus exurat. Alii quia æstatis illud fuisse asserunt tempus, dicunt; Defendo à frigore, tego contra frigus futurum. Alii dicunt, Dum defendo, id est, dum mihi ad defensaculum præparo myrtos à frigore, id est quæ sunt sine frigoribus. Solent enim pastores vendicare sibi loca aliqua propter frigus futurum.

VIR GREGIS. Abusive: nam tantum hominum est. Sic alibi, *Quem legere virum*. Item Horatius, *Et olentis uxores mariti.* Acyrologia est. quod tamen ad Theocriti imitationem dictum est: qui ait, ὦ τράγε τῶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ.

ADES, alii pro imperativo accipiunt, cujus pronunciatio similis est indicativo. Terentius, *Adesdum paucis te volo.* CAPER TIBI SALVUS ET HOEDI. Aut quia in capro est spes hœdorum: aut intelligimus illum etiam hœdos perdidisse, sed nescire: quod tamen ille quasi divinus indicat. Potest tamen etiam scire, sed levius damnum majoris contemplatione contemnere.

ET SI QUID CESSARE POTES. Si tibi potes vel breve otium persuadere. Nam loquitur ad hominem amantem laboris. REQUIESCE SUB UMBRA. Mecum scilicet.

VARIORUM.

COMPULERANTQUE GREGES. Pesto est, *compescere*, id est pecus in eodem veluti Pascuo continere: ut *dispescere*, à pastione deducere, vel quasi in diversa pascere. TAUBMANN.

ARCADES AMBO. Poëta videtur passim præ cæteris à Musicæ studio Arcadas commendare, ea (ut puto) ratione, quod eos Arist. lib. Polit. sit auctor, non intra urbis mænia coire & considere solitos, sed κωμηδὸν habitasse, & sparsas domos per agros habuisse: unde & pecuarium fecisse, pascuis, pastionibusque operam dedisse consentaneum est: inde & studiis pastoralibus, musicæ, cantuique bucolico deditos fuisse eximie, verisimile est. GERMANUS.

Huc ipsi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere: alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
Co. *Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,*
Quale meo Codro, concedite (proxima Phœbi
Versibus ille facit) aut, si non possumus omnes,

SERVII.

HVC IPSI POTVM VENIENT PER PRATA IVVENCI. IPSI, Id est sponte sua. Et intelligimus istum præter capellarum gregem, juvencos habuisse peculiares. aut certe, IPSI referamus ad hœdos & caprum. ut, *Per prata juvenci.*

PRÆTEXIT, prætegit; ut, *Non tamen Anna novis prætexere funera sacris.*

MINCIVS. Fluvius. intelligamus Venetiam, quæ est haud longe à Mincio, cujus est delicias commemoraturus. Alii dicunt loca ipsa prata juvenci appellari. EQVE SACRA. Et de sacra: ut, *Atque chao densos divum enumerabat amores.* Id est à chao. Sacra autem quercus, aut ipsam quam vult intelligi, aut universum genus, quod & Iovis & olim fatidice.

NEQVE EGO ALCIPPEN NEC PHYLLIDA HABEBAM. Has duas intelligamus amicas esse cantantium. Nam hoc dicit, Nec Alcippen habebam, ut ille: nec Phyllida, ut alter. aut ut pleriq; putant, nomen villicæ.

CLAVDERET AGNOS. Ergo varium pecus habuit.

ET CERTAMEN ERAT CORYDON CVM THYRSIDE MAGNVM. Figurate locutus est, Magnum certamen, ille cum illo: ac si dicas, Magna contentio est cum Cicerone Virgilius. & videtur nominativum pro genitivo posuisse, nam Corydonis facit.

POSTHABVI, postposui. MEA SERIA. Necessitatem capri inquirendi, vel hœdorum. LVDO, Cantilenæ. ut, *Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.*

ALTERNIS IGITVR CONTENDERE VERSIBVS AMBO. Hoc est quod ait supra, *Et respondere parati.*

ALTERNOS MVSÆ MEMINISSE VOLEBANT. Si volebant: sensus est, Musæ utriusque meminerant: ut, *Amant alterna camenæ.* Sed multi VOLEBAM legunt; ut sit sensus, Optabam ô Musæ meminisse alternos. id est, omnia quæ dixerunt, tenere. Nam & in fine dicturus est, *Hæc memini.*

REFEREBAT ORDINE. Amœbæi carminis lege, ut diximus supra.

NYMPHÆ NOSTER AMOR LIBETHRIDES. Libethros fons est, ubi coluntur Musæ; à fonte Bœotiæ Libethro poëta, qui primus armoniam tradidit,, & arcem Musis consecravit: Alii locum in quo Hesiodus natus est. Alii templum Libethridum Musarum dicunt; quod à Pierio Apollinis filio consecratum est; & sic ait Libethrides, ac si diceret Hippocrenides, à fonte Hippocrene. Vt autem poëtæ invocent Nymphas (sicut hoc loco: Item in fine, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem*) hæc ratio est, quod secundum Varronem, ipsæ sint Nymphæ quæ & Musæ; nam & in aqua consistere dicuntur, quæ de fontibus manat, sicut existimaverunt, qui Camænis fontem consecrarunt: nam eis non vino, sed aqua & lacte sacrificari solet, nec immerito. Nam aquæ motus musicen efficit: ut in hydraulia videmus. Sane sciendum quod idem Varro tres tantum Musas esse commemorat: Vnam quæ ex aquæ nascitur motu; Alteram, quam aëris icti efficit sonus; Tertiam quæ in aëra tantum voce consistit. Et multi volunt in hac ecloga esse allegoriam, ut Daphnis sit Cæsar, Corydon Virgilius: Thyrsis qui vincitur, Virgilii obtrectator; scilicet aut Bavius, aut Anser, aut Mœvius, pessimi poëtæ. CODRO. Codrus poëta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.

PROXIMA PHOEBI. Subaudis carmina:

AVT SI NON POSSVMVS OMNES. Secundum illud dixit, *Non omnia possumus omnes.* Nam debuit dicere, Aut si ego non possum.

VARIORVM.

PRÆTEXIT MINCIVS. Id est Mincii ripæ prætexuntur arundinibus. TAVBMAN.

DEPVLSOS A LACTE. Vulgo ablactare dicunt. Agnos autem subrumos dicebant, qui sub mammis essent, mamma siquidem rumis, sive ruma dicebatur. VARRO lib. 2. cap. 3.

ET CERTAMEN ERAT. Deridet carminis pastoralis certamen, [illegible]. Et est λέξις ut Scaliger notat, [illegible], Corydon certamen, pro Corydoni.

Hic

Digitized by Google

Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
TH. *Pastores hedera crescentem ornate poëtam*
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.
Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
CO. *Setosi caput hoc apri, tibi Delia, parvus,*
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

SERVII.

HIC ARGUTA. Iuxta quam frequenter canitur, ac per hoc loquaci, garrula. SACRA PINU. Matri deûm consecrata. Sic supra, *Sacra quercu*, scilicet Iovi dicata. & apostropham fecit, tanquam eam consecret, & intellectus pendebit, fistula malo catalysin facere, quam deterior esse.

PASTORES NASCENTEM POETAM. Verecunde locutus est, non jam poëtam dicens, sed nascentem. Sane hoc loco carmen exprimitur Amœbæum. Nam cum Corydon petiisset ut esset Codri similis: hic se adeo Codrum superare dicit, ut se in ejus invidiam possit movere. Hedera autem coronantur poëtæ, quasi Libero consecrati, qui & ut Bacchæ insaniunt (Sic Horatius, *Ut male sanos adscripsit Satyris Faunisque poëtas* vel quod semper virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur.

RUMPANTUR UT ILIA. Sicut etiam in Æneide dictum est, hoc ile, & hæc ilia facit. Unde Iuvenalis ait, *Vis frater ab ipsis Ilibus?* Nam Maryllus mimographus contempsit artem, ad jocum movendum: & parasito dixit, *Tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.* Sed, hoc dictum est per amaritudinem rusticam.

ULTRA PLACITUM. Id est nimie. Irrisorie, Ultra quam placeo & mereor: quicquid autem ultra meritum laudatur, dicitur fascinari. BACCARE. Herba est ad repellendum fascinum.

MALA LINGUA. Fascinatoria, nocendi scilicet studio.

SETOSI CAPUT APRI Multi per duas *e* scribi volunt propter metrum. Sane deest consecrat, ut Æneas hæc de Danais; & si apri, tanquam venator; si capri, tanquam pastor. PARVUS, vel humilis, vel pauper, vel minor ætate.

RAMOSA CORNUA. ut *cornibus arboreis*. MYCON. Vel ejus filius, vel patronus. VIVACIS CORNUA CERVI. Ut enim Plinius dicit in naturali historia, Cum se cervi gravatos ætate cognoverint esse, serpentes requirunt, & eos flatu ad se tractos, cum comederint, juvenescunt & revertuntur rursus in actum priorem; diu enim vivere dicuntur.

SI PROPRIUM HOC FUERIT. Quod supra petierat scilicet, ut talia carmina faceret, qualia Codrus effecerat. Proprium sane veteres, perpetuum; stabile, firmum. Terentius. *Ego deorum vitam eo propter sempiternam esse arbitror, quod eorum voluptates propriæ sunt*, id est firmæ & perpetuæ. Et in Formione, *curavi propria ut poteretur.* Et ipse, *propriamque dicabo*; &, *da propriam Thymbræe domum.* Si proprium, alii hunc Miconem alieni pecoris custodem volunt, & sic dicere; Interim hoc tibi caput Delia dedico: si proprium hoc meum pecus fuerit, plus dabo, idest simulachrum faciam. LEVI, polito DE MARMORE TOTA. quia solent plerunque caput tantum, vel thoraca facere. Sane in libris sacrorum refertur, sacrum dici, quod rite sacratur, ut ædes, areæ, simulachra, dona: Hic ergo cum dicit *levi de marmore tota Puniceo stabis suras evincta cothurno*. Eodem modo & de Priapo dictum debemus accipere. Hic etiam caput apri pro dono offertur, dona autem oblata numinibus tamdiu sacra sunt, & dona possunt dici, quamdiu non fuerint profanata.

SURAS EVINCTA COTHURNO. Ideo singulari usus est numero, quia hoc genus calceamenti utrique aptum est pedi, ut in primo Æneidos, *Purpureoque alte suras vincire cothurno.* EVINCTA, vel simpliciter, vel valde; ut, *eduramque pinum.*

VARIORUM.

HIC ARGUTA SACRA PEND. F. P. Nam qui artem gladiatoriam, aut aliam desinebant, ejus instrumenta diis suspendebant, sacrabantque ipsius potissimum artis præsidibus, ut notat TURNEB. lib. 6. cap. 9. Sic Horat. Od. 26. l. 3.

Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

Dicit igitur; si Codri excellentia est inimitabilis, Poëticæ nuntium remittam.

RUMPANTUR UT ILIA CODRO. Proverbialis hyperbole extremæ indignationis, id est ut invidia conficiatur & pereat, ut Cic. in Vatin. *ut aliquando isti ilia, quæ sunt inflata, rumpantur* TAUBMANNUS.

BACCARE FRONTEM CINGITE. Laudari interdum ab aliquibus antiqui metuebant, & eam laudem vim fascini habere credebant. Vide Plin. lib. 7. cap. 2. Idcirco ab illis, à quibus id metuebant, addi præfiscine, vel præfiscini volebant, quod est sine fascino; ut testarentur adverbio, non se fascinandi voluntate, sed laudandi animo, sine livore ullo, candideque loqui. Qui tamen laudabatur, ei laudationem nihil credebant nocituram, si quodam amuleto esset præmunitus, quale hac *Baccar* herba. PONTANUS.

TIBI DELIA PARVUS. Vel puer, vel pauper: ut Horatius, *Parvi properemus & ampli*, id est divites. PHILARGYRIUS.

TH. *Sinum*

Digitized by Google

TH. *Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis*
Expectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.
CO. *Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,*
Candidior cycnis, hedera formosior alba:
Cum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
TH. *Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,*
Horridior rusco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.
CO. *Muscosi fontes, & somno mollior herba,*
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,

SERVII.

SINVM LACTIS. Sinum genus est vasis: quod cum significamus, SI, producitur: cum vero gremium significamus, SI corripimus. Varro de vita populi Romani, *aut galeolam, aut lepestam, aut sinum dicebant*, Tria enim pro quibus nunc acratoforon dicitur. Atta in Megalensibus, *nempe ad mensam ubi sermo de sinu solet subovri.* Sane notandum haberi considerationem divinarum personarum. Nam ille supra cum veneratione locutus est, apud numen severum consideratione, quod contra hic jocatur, quia loquitur apud numen, quod jocis gaudere manifestum est. PRIAPVS autem, deus Lampsacenus est Hellesponti, qui hortos tuetur. LIBA, placentas.

PRO TEMPORE. Pro necessitate, pro captu rei nostræ, pro viribus quæ sunt hoc tempore.

SI FOETVRA GREGEM SVPPLEVERIT. Si tot agnos habuero quot oves: hoc est enim gregem suppleri per fœturam, & Fœtura est proventus: ipse fœtus vero quod nascitur.

NERINE GALATHEA. Amica Corydonis nobilis; & hoc dicit, O amica quæ talis es, qualis Galatea fuit nympha, quam cum Polysemus Cyclops adamasset, primum concubitum ejus precibus expetivit, mox vim adhibere conatus est; quem illa in mare se præcipitando effugit. Cyclops autem cum eam de mari non posset evocare; Acyn, quam Nympha diligebat, ictu petræ interemit; cujus cruorem Galatea vertit in fluvium, qui ejus retinet nomen. Nerine autem patronymicum est græcum. Nam fœminina patronymica, aut in IAS exeunt, ut Pelias: aut in EIS, ut Atreis: aut in, NE, ut Nerine, Adrastine. Alii pro Nereis accipiunt. THYMO MIHI DVLCIOR HYBLÆ. Vel odore thymi hyblæi, vel mellis hyblæi: ut à materia rem ipsam dixerit. Nam apibus, non hominibus dulcis est thymus.

HEDERA FORMOSIOR ALBA. Quia sunt & nigræ hederæ: ut, *Aut hedera pandunt vestigia nigra.* Nigra autem, vel alba hedera, non ex foliis, sed ex ligno cognoscitur.

PRÆSEPIA. id est, cum possessores novi ceperint assignatos possidere agros.

TVI CORYDONIS. Plenum affectus est: ut, *Si quos amata Tangit honos animum.*

SARDOIS HERBIS. In Sardinia enim nascitur quædam herba, ut Salustius dicit, apiastri similis: quæ herba comesa hominum rictus dolore contrahit, & quasi ridentes interimit. Vnde vulgo σαρδόνιος γέλως.

HORRIDIOR. Spinosior. RVSCO, virgulta brevia acutis foliis & pungentibus; vnde & in sacris scopæ fieri solent. ALGA herba, quæ in mari nascitur. LVX id est dies.

ITE DOMVM PASTI SI QVIS PVDOR, ITE IVVENCI. Quia ad pascendum avidissimi sunt. Ideo autem increpat tauros tarde redeuntes ad stabula; quia superius dixit ille, tunc amicam suam venire debere, cum tauri ad præsepia fuissent reversi.

MVSCOSI FONTES. Lanugine viridiore cooperti. SOMNO MOLLIOR. turpilius * lectus.

RARA ARBVTVS. Aut genus arboris frondibus raris. aut quomodo dicimus rarum hominem, pro egregio & bono.

VARIORVM.

PRIAPE CVSTOS HORTI. Agris & hortis custodiendis Priapus è ligno fabrefactus præponebatur, ad fures scilicet & aves terrendas: quare propter illos, falcem aut fustem gerebat in dextera: propter has, arundinem in vertice. Horatius. *Ego furum aviumque Maxima formido.* PONTANVS.

SARDOIS HERBIS. Σαρδόνιος πόα, quam Latini ranunculum vocant: scelerata herba ab Apulejo dicitur. Ea juxta Dioscoridem in cibo potuve sumpta, mentis alienationem, & cum labiorum contractione, orisque rictu, eas convulsiones facit, ut risus speciem præbeat: unde & risus Sardonius in proverbium abiisse fertur. GERMAN.

Solsti-

Digitized by Google

Solstitium pecori defendite: jam venit æstas
Torrida, jam læto turgent in palmite gemmæ.
Th. *Hic focus & tædæ pingues: hic plurimus ignis*
Semper; & assidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Co. *Stant & juniperi, & castaneæ hirsutæ:*
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.
Th. *Aret ager: vitio moriens sitit aëris herba:*
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit:
Iuppiter & læto descendet plurimus imbri.
Co. *Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho:*
Formosæ myrtus Veneri: sua laurea Phœbo.

SERVII.

DEFENDITE, prohibete, excludite. Horatius, *& igneam defendit æstatem capellis usque meis.* Duo ergo significat, nam aliter patriam dicimus defendere, aliter hostes; ut, *hunc oro defende furorem.*

IAM VENIT ÆSTAS TORRIDA. Iam venit, jam appropinquat: non enim dicit æstatem esse cum adhuc turgere gemmarum palmites dicat. Et bene tarde frondere vites commemorat in Venetia: quæ est provincia frigidior. TORRIDA, calore sicca.

HIC FOCUS ET TÆDÆ PINGUES. Contraria iste dicit. PINGUES autem tædas ait desudantes picem. Nonnulli HINC legunt, ut sit intellectus, quia in domo sua semper ignis sit, ideo subjectum, hinc tantum, ut est, *hinc omnis largo pubescit vinea fœtu.* hoc est, ex hac causa. Sane *hinc* alii propterea: alii, loci significationem accipiunt.

SEMPER. Quantum ad hiemis spatium pertinet.

CURAMUS, quidam timemus accipiunt.

NUMERUM LUPUS. Quia solam considerat lupus prædam; & subauditur, vel ovium, vel similium. TORRENTIA FLUMINA RIPAS. Quæ aucta, riparum munimina spernunt; & totum proverbialiter dictum est.

STANT ET IUNIPERI. Modo, plenæ sunt: alias, horrent. ut, *Stant lumina flamma.* Alias vero stant: ut, *Stant manibus aræ.* Verrius Flaccus, Iuniperum juvenem pirum dicit; vere autem Iuniperus est quasi aculeis prædita, baccas ad piperis speciem gerens. CASTANEÆ HIRSUTÆ. Adhuc intra suos echinos locatæ. PASSIM, abundanter.

RIDENT. Læta sunt: ut, *Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.* Horatius, *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet.*

MONTIBUS, è montibus. FLUMINA SICCA. ὑπερβολικῶς etiam juges aquas & perpetuo fluentes siccari conspicias.

ARET AGER. Ordo est, aret ager & sitit herba, moriens vitio aëris, id est pestilentia corrupti aëris affligitur.

LIBER PAMPINEAS. Sane sciendum, Virgilium pampinos nunquam cum genere dicere: sed Varronem fœminino genere frequentius. INVIDIT COLLIBUS UMBRAS. Exiccatæ sunt vites nimio æstu, & folia amiserunt. INVIDIT COLLIBUS UMBRAS. Ut, *Tene inquit miserande puer, cum læta veniret, Invidit fortuna mihi?* Nam invideo tibi illam rem dicimus, ut, *invidet imperium.*

IUPITER ET LÆTO DESCENDET PLURIMUS IMBRI. Sic alibi, *Conjugis in gremium lætæ descendit.* Aër enim in pluvias solvitur.

FORMOSÆ MYRTUS VENERI. Myrtum ideo dicatam Veneri volunt; quia cum à mari exisset, latuit in myrto, ne nuda conspiceretur; vel quia fragilis est, ut amor inconstans; vel quia jocundi odoris, ut, *sic positæ quoniam suaves miscetis odores.*

VARIORUM.

STANT ET IUNIPERI, &c. Stant arbores, id est vigent & illæsæ sunt, cum fructus proferunt. Stare enim dixere, quod esset firmum salvumque. Sicut contra jacere, quod afflictum & eversum. CAMERARIUS.

SUA SUB ARBORE POMA. Id est, poma sub arbore sua quæque jacent, Itaque sua dicitur auferendi casu, nec tam sua Virgilius, quam sa scripsit: id autem pro sua poni, ut & sos pro suos, docet ex Ennio, Festus. CANTERUS. lib. 6. cap. 28.

IUPITER ET LÆTO DESCENDET P. I. Descendere Iovem in nubes, cum tonaret, fulminaret, plueret, credebant antiqui. Inde vocabatur καταιβάτης, id est descensor, quem Elicium Latini dicunt. Horat. Epod. Od. 13. *& imbres, Nivesque deducunt Iovem.* Nam Iupiter de cælo deducitur priscorum superstitione & sententia, cum in imbres descendat. TURNEB. lib. 9. cap. 9.

Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
TH. *Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,*
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Sæpius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in sylvis cedet tibi, pinus in hortis.
ME. *Hæc memini, & victum frustra contendere Thyrsin:*
Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

SERVII.

FRAXINVS IN SYLVIS PVLCHERRIMA. Bene singulis loca sua consignavit. FRAXINVS IN SYLVIS CEDET TIBI, PINVS IN HORTIS. Non sic erunt pulchræ arbores in suis locis, id est sibi aptis creatæ: sicut tu, si ad me frequenter venire curaveris. FRAXINVS IN SYLVIS, & post,

POPVLVS, in fluviis in Vari, & Hebri, ut est nunc prius populus in fluviis; dein fraxinus in sylvis in Hebri, * *Nec myrtus vincet Veneris,nec laurea Phœbi*, & ita adserit, *illas dum Phyllis amabit.* Non tam necessarium fuit dicere corylos: perinde enim est, ac si dixisset, *Phyllis amat corylos, corylos dum Phyllis amabit.*

POPVLVS ALCIDÆ GRATISSIMA, quia ea velatus ab inferis rediit, quam Homerus ἀχερωΐδα dicit, ab Acheronte ad superos translata; qua corona usus duplici colore foliorum, geminos labores superorum inferorumque testatus est. De hac sane arbore fabula talis est: Leuce Oceani filia inter Nymphas pulcherrima fuit; hanc Pluton adamavit & ad inferos rapuit; quæ postquam apud eum completo vitæ suæ tempore mortua est; Pluton tam in amoris, quam in memoriæ solatium, in Elysiis piorum campis,Leucen nasci arborem jussit, ex qua, sicut dictum est, Hercules se, revertens ab inferis, coronavit.

HÆC MEMINI. Et memini illam rem; & memini illius rei dicimus: ut, *Nec veterum memini, lætorve malorum.* Item, *Numeros memini.*

EX ILLO CORYDON, CORYDON EST TEMPORE NOBIS. Victor, nobilis supra omnes: quam rem quasi rusticus implere non potuit

ECLOGA OCTAVA,

PHARMACEVTRIA.

DAMON. ALPHESIBOEVS.

PASTORVM *Musam Damonis, & Alphesibœi,*
Immemor herbarum quos est mirata juvenca.
Certanteis, quorum stupefactæ carmine lynces,

SERVII.

PASTORVM MVSAM DAMONIS. Apud Theocritum est una ecloga,quæ appellatur Φαρμακεύτρια: In qua inducitur mulier quædam sacris quibusdam pervertens mentem amatoris, à quo spernebatur: quam Virgilius transtulit ad hujus eclogæ ultimam partem. Prima enim ejus pars conquestionem solam habet, amatoris decepti: quem nubendo alteri,antiqua sponsa fefellerat. MVSAM. Ergo cantilenam amorum, quos inter sese cecinerunt.

IMMEMOR HERBARVM QVOS EST MIRATA IVVENCA. Qui cantilenæ suavitate coëgerunt etiam ea animalia oblivisci pascuorum; quæ sunt pascendi avidissima. Nam supra ait, *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.*

STVPEFACTÆ CARMINE LYNCES. Animalia, tanquam Pantheræ in tutela Liberi; & paulatim ad augmenta procedit: dicens,Iuvencæ oblitæ sunt pascuorum:stupuerunt feræ:flumina etiam sensu carentia, cursus proprios retardaverunt.

VARIORVM.

PASTORVM MVSAM, &c. Tacite hic eas vires sibi in carmine asscribit, quas Orpheus habuit, neque id immerito. Nihil enim venustius aut eloquentius hac Ecloga in toto opere Bucolico. Nec imitatitiis rebus, sed suis inventis minor est Theocrito. NANHIVS. lib. 6. Miscell. cap. 10.

LYNCES. Has potissimum nominat, quod sacræ sunt Baccho, qui idem & Phœbus. TAVBMANNVS.

Et

Digitized by Google

Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis musam dicemus, & Alphesibœi.
Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi;
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium. tibi desinet: accipe jussis
Carmina cœpta tuis; atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est:
Incumbens terett Damon sic cœpit olivæ.

SERVII.

REQVIERVNT FLVMINA CVRSVS. Cursus proprios retardaverunt, & quietos esse fecerunt. Sic Sallustius, *Paululum requietis militibus.* Quiesco enim duplicem habet significationem: & aliter dico, Quiesco ego: enim aliter: & aliter quiesco servum, id est quiescere facio. Calvus in Io, *Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.*

DAMONIS MVSAM. Bene repetit, ne longum hyperbaton sensum confunderet; ut in Georgicis repetit, *huc pater ô Lenæe.*

TV MIHI, SEV MAGNI SVPERAS IAM SAXA TIMAVI. Vbi es ô Auguste, sive Venetiæ flumen transcendis (nam Timavus fluvius est Venetiæ vel Histriæ.)

SIVE ORAM ILLYRICI LEGIS ÆQVORIS, EN ERIT VNQVAM, ILLE DIES, hoc est sive per Illyricum navigas mare, Id est, per Dalmatiam: putas unquam erit tempus quo mihi liceat tua facta describere? Putas.

EN ERIT. Ecce jam aderit. Nam EN unum optantis est. ut, *en erit ille dies*; aliud confirmantis; ut, *en erit ut liceat.*

SOLA SOPHOCLEO TVA CARMINA D. C. Ac si diceret, Quanquam impar sit ingenium meum laudibus tuis. nam tuæ laudes merentur exprimi Sophocleo tantum cothurno. Sophocles autem Tragœdiographus fuit altisonus. Alii ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod & ipse utriusque linguæ Tragœdiarum scriptor fuit. COTHVRNVS autem calciamentum tragicum; cujus usum quidam Sophoclem primum scenæ intulisse volunt.

A TE PRINCIPIVM TIBI DESINET. Sic & Homerus, ἐν σοὶ μὲν λήξω, σοὶ δ᾽ ἄρξομαι. Horatius, *Prima dicte mihi, summa dicenda camena.* IVSSIS CARMINA COEPTA TVIS. Supra enim dixerat, *Non injussa cano*,

ATQVE HANC SINE TEMPORA CIRCVM INTER VICTRICES HEDERAM TIBI SERPERE LAVROS. Allegoricῶs dicit. Debet etiam carmen meum florere inter tuos plures triumphos. Nam victores Imperatores, lauro: hedera coronantur Poëtæ. Verecunde autem ait SERPERE, hoc est humiliter procedere. Alii ideo lauri & hederæ simul mentionem factam accipiunt, quoniam Apollo carminum deus; idem Liber pater putatur. Quidam, sicut dictum est, in Pollionem dictum trahunt; qui tunc Illyricum petebat expugnaturus Salonas, & inde ad orientem ad Antonium profecturus. Lauro autem triumphantes coronantur; hedera poëtæ: Pollio & Imperator est & poëta. Cur tamen triumphantes lauro coronentur, hæc ratio est; quoniam apud veteres à laude habuit nomen, nam laudum dicebant: vel hanc in manu habuit Iuppiter, quando Titanas vicit; vel quod ea arbore Præfecti militum, Fidenatibus victis se coronassent sub Romulo; vel quod semper vireat. Hedera autem ideo coronantur poëtæ, quoniam poëtas sæpe vino plurimo manifestum est uti; sicut & de Ennio ait Horatius; & Lyrici omnes in suis carminibus loquuntur; & hæc herba nimium frigida est, & vini calorem temperat, nam ideo & capiti imponitur. Varro ait, Liberum patrem propter calorem vini, hedera coronatum. Idem Varro etiam Musas ait hedera coronari.

FRIGIDA VIX COELO NOCTIS DECESSERAT VMBRA. Simul atque decesserat. Et bene ostendit amatorem tota nocte vigilasse. Siquidem ortum luciferum primus aspexit: & ad eum, quippe ut ad Veneris stellam, locutus est. περιφερομένως autem *nox aut umbra*, pro tenebris posita.

CVM ROS GRATISSIMVS. Masculini est generis, secundum quod etiam in Æneide ait, *Spargit rapida ungula rores Sanguineos.*

INCVMBENS, propter amorem non se sustinens.

TERETI. Teres est rotundum & oblongum, ut columna, arbor. Alii tereti olivæ, baculum de oliva accipiunt.

VARIORVM.

SOLA SOPHOCLEO, &c. Asinium Pollionem intelligit Tragœdiarum scriptorem; aut Varium, cujus extat Thyestes tragœdia, omnibus Tragicis præferenda. PHILARGYR.

DA. *Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum:*
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror: & divos (quanquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mænalus, argutumque nemus, pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis: ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

SERVII.

NASCERE PRÆQVE DIEM, quia dixerat, *Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra*, id est priusquam nox occidit. PRÆQVE DIEM VENIENS. Ordo est, nascere Lucifer præveniensque diem almum age; sic alibi, *Ducebatque diem.* Et hoc dicit, Nascere dum queror conjugis Nisæ indigno amore deceptus, & moriens alloquor divos: quanquam nihil mihi profuerit, quod sum eos sæpe testatus. Quam rem secundum Epicureos ait, qui dicunt, *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

CONIVGIS autem, non quæ erat, sed quæ fore sperabatur. Sic in quarto Æneidos, *Quos ego sum toties jam dedignata maritos.* Alii, *indigno deceptus amore*, antique dictum accipiunt: *indigno* pro magno; ut indignas hyemes; vel impari, quia plus amabat, & minus amabatur: DECEPTVS, pro captus: Amore, aut in amore, aut ob amorem.

ET DIVOS QVANQVAM NIL TESTIBVS ILLIS PROFECI. Sic hoc dicit, tanquam jusjurandum inter eam & Nysam intercesserit.

EXTREMA MORIENS TAMEN ALLOQVOR HORA. Id est, paulo post moriturus. Sic in quarto, *Incubuitque thoro, dixitque novissima verba.*

INCIPE MÆNALIOS. Arcadicos. Nam Mænalus mons est Arcadiæ. Dicitur autem hic versus intercalaris, qui frequenter post aliquantulos interpositus versus: sicut intercalares dies & menses vocantur, qui interponuntur, ut ratio Lunæ Solisque conveniat. Fecit autem hunc versum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dicit in Pharmaceutria: Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα, *O turbo maritum meum domum adducito.* sicut hic in sequentibus, *Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.* MEA TIBIA. Mea musa.

MÆNALVS. Ille mons. ARGVTVMQVE NEMVS. Garrulum, stridulum, ut, *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* PINOSQVE LOQVENTES. Ideo hoc dicere ausus est, quia dicturus est,

SEMPER PASTORVM ILLE AVDIT AMORES. Sic etiam in prima ecloga, *Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.* Sic & in Æneide, *Dant sonitum rauci per stagna loquentia cygni.*

PANAQVE QVI PRIMVS CALAMOS N.P.I. Pan Arcadiæ deus est. ut, *Pan deus Arcadiæ venit*, qui fistula canere primus invenit; quia calamos in usum cantilenæ adducens inertes esse non passus est, id est otiosos, sine arte: & NON PASSVS INERTES. deest esse.

MOPSO NISA DATVR. Honesta turpissimo, pulchra deformi. QVID NON SPEREMVS AMANTES. Speremus pro timeamus; ut, *hunc ego si potui tantum sperare dolorem*; vel quid non speremus perversi accidere, cum hoc mihi acciderit. Difficile esse putamus, qui aliquid amamus, ut ea quæ amamus assequi possimus.

IVNGENTVR IAM GRYPHES EQVIS. Utrum idem jugum subibunt? ut dicuntur jungi jumenta: an coitu jungentur? Griphes autem genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus, omni parte leones sunt, alis & facie aquilis similes, equis vehementer infesti, Apollini consecrati. ÆVOQVE SEQVENTI. Accessu temporum non solum pulchræ deformibus nubent; sed etiam contrariæ naturæ animalia jungentur. Notandum sane ævum hic pro tempore, ut ipse alibi, *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.* Salustius, *In quis longissimo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit.* Alias ævum pro annis; ut, *vos ô quibus integer ævi sanguis.*

CVM CANIBVS TIMIDI VENIENT AD POCVLA DAMÆ. alludit ad personas. Nam Mopsum quasi canem, Nisam quasi dammam vult. Et dammas masculini generis posuit. ut alibi, *Timidi dammæ, cervique fugaces.* Horatius, fœminino ait, *Superjecto pavidæ natarunt æquore dammæ.* Et hoc ne ὁμοιοτέλευτον faceret, dicendum timidi dammæ.

VARIORVM.

PRÆQVE DIEM. Τμῆσις: præveniens diem. age, id est, ducito, *ut 2. Æneid. loquitur.* Vult ut stella Veneris Solem quam primum adducat, qui cælites præsentes habeat, quibus præsentibus sponsalia erant inita. TAVBMAN.

MOPSO NISA DATVR. Schema proverbiale videtur, cum præter omnem spem res præclara contingit cuipiam indigno prorsus; ut nihil jam non posse sperari vel à quovis appareat. PONTANVS.

Mopse,

Digitized by Google

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge marite nuces; tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro, dum despicis omnes:
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,
Hirsutumque supercilium, prolixaque barba:
Nec curare deûm credis mortalia quemquam.

SERVII.

MOPSE NOVAS INCIDE FACES. Quæ solent præire nubentes puellas. Corneæ sane faces, quæ quasi diutissime luceant; quas rapiunt tanquam vitæ præsidia. Namque his qui sunt potiti diutius feruntur vixisse. Varro in Ætiis dicit sponsas faces præire, quod antea non nisi nocte ducebantur ab sponsis. Quas etiam ideo ait limen non tangere, ne à sacrilegio inchoarent; si depositur æ virginitatem, *calcent rem Vestæ*, Id est numini castissimo consecratam. Dicitur etiam ideo à novo marito nuces spargi debere; quod projectæ in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad reformand... * optimum est: vel ideo à pueris aspergendas nuces cum strepitu & convicio flagitari, ne quid nova nupta audiat adversum, quo dies nuptiarum dirimatur. Quidam putant quod hæc esca ad incitandam Venerem faciat. Sane fabula de nucis origine talis est: Dion rex Laconiæ fuit, qui habuit uxorem Inphiteam Prognai filiam; quæ cum Apollinem summo cultu & reverentia hospitio recepisset, ille remunerari volens circa se hospitum cultum, tribus filiabus eorum, quæ Orphe, Lyco, & Caroea appellatæ sunt, divinationem concessit, adjecto ne proditrices numinum esse vellent; neve quærerent quod esset nefas scire. Post Liber pater adveniens, à Dione vel ejus uxore receptus hospitio est, qui cum amata à se Caroea coitum miscuit: sed cum inde ægre Liber profectus esset, cogente amoris impatientia denuo ad hospites redit, causam prætendens dedicandi fani, quod ei rex voverat; sed Lyco & Orphe intellecto circa sororem Carœan Liberi amore, eam custodire cœperunt, ne cum Libero ei esset copia coëundi; quas cum Liber pater moneret, terreretque ut saltim præcepta Apollinis custodientes, pertinacem diligentiam compescerent, videretque ab his & sororem acrius custodiri, & suum secretum studiosius inquiri, Orphen & Lico immisso furore ad Taygetum montem raptas in saxa convertit. Carœam vero quam amaverat, in eodem monte in arborem sui nominis vertit, quæ Latine nux dicitur; quod postea Diana ita factum Laconas docuit. Unde templum Caruatidi Dianæ à Laconibus consecratum.

SPARGE MARITE NUCES. Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Iovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Iuno. Nam nuces in tutela sunt Iovis. Unde & juglandes vocantur, quasi Iovis glandes. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces ut rapientibus pueris fiat strepitus; ne puellæ vox virginitatem deponentis, possit audiri. Modo tamen ideo dicit, *Sparge marite nuces*, ut eum culparet infamiæ. Nam meritorii pueri, id est catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes à turpi servitio, nuces spargebant, id est ludum pueritiæ: ut significarent se puerilia cuncta jam spernere. Unde & illud dictum est, TIBI DUCITUR UXOR. Id est sub tuo nomine aliis ducitur: ut eam non ipsi, sed aliis servituram significet: scilicet ejus corruptoribus. TIBI DESERIT HESPERUS OETAM. Oeta mons Thessaliæ: in quo Hercules exustus est volens, postquam se exuere non potuit tunica Nessi Centauri cruore tincta; & post in cælum receptus est. De hoc monte stellæ videntur occidere, sicut de Ida nascitur, *Iamq; ugis summæ surgebat lucifer Idæ*. Et hoc dicit, tibi Hesperus deserit: tibi id est per te, nox advenit. In eodem monte Hesperus colì dicitur, qui Hymenæum speciosum puerum amasse dicitur; qui Hymenæus fertur in nuptiis Ariadnes, & Liberi patris vocem perdidisse cantando, ex cujus nomine nuptiæ dictæ sunt.

O DIGNO CONIUNCTA VIRO. Iam insultat puellæ. Ergo sic pronunciandum ut habeat contemptum. DUM DESPICIS OMNES. Quoniam ipse despicitur, putat omnes despici.

MEA FISTULA. Cantilena. DUMQUE CAPELLÆ. Scilicet tibi dum sunt odio.

HIRSUTUMQUE SUPERCILIUM. Utrum natura, an quod tibi ita videtur? PROMISSAQUE BARBA. Per incultum corporis ostendit fortitudinem suam.

NEC CURARE DEUM CREDIS MORTALIA QUEMQUAM. Superbia tua damnata est turpi marito, dum credis nullum deorum curare mortalia ostendit. * Quam rem secundum Stoicos dixit. Mortalia vero * ...

VARIORUM.

SPARGE MARITE NUCES. Nuces juglandes nuptialium fescenninorum comites, quibus honor naturæ peculiaris, gemino protectæ operimento: pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis: quæ caussa eas nuptiis religiosas fecerit tot modis fætu munito: Quod verisimilius, quam quia cadendo tripudium, sonumque faciant. PLIN. lib. 15. cap. 22.

O DIGNO CONIUNCTA VIRO. In amore tria requiruntur, ut sit formosus, ut dives, ut bene cantans. PHILARGYRIUS.

HIRSUTUMQUE SUPERCILIUM. Supercilium nota est severitatis, peculiaris senibus; quibus supercilium maxime nutritur, & plerunque adeo est hirsutum, ut tondendum sit. Causam tradit Aristoteles, quia supercilia compagini ossium apposita sunt, quæ senescente ætate laxantur, & ita plus humoris transmitti patiuntur, unde superciliis alimentum affatim impendatur. PIERIUS lib. 31.

Digitized by Google

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala,
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus:
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos.
Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio quid sit amor: duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sævus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.

SERVII.

ROSCIDA MALA: Matutini roris humore perfusa. Sane unde Melus græce traxerit nomen, fabula talis est: Melus quidam in Delo insula ortus, relicta patria fugit ad insulam Cyprum, in qua eo tempore Cinyras regnabat, habens filium Adonem: hic Melum sociatum Adoni filio jussit esse, cumque eum videret esse indolis bonæ, propinquam suam dicatam & ipsam Veneri, quæ Pelia dicebatur, Melo conjunxit: Ex quibus nascitur Melus, quem propterea quod Venus Adonis amore teneretur, tanquam amati filium inter aras præcepit nutriri. Sed postquam Adonis apri ictu extinctus est, senex Melus cum dolorem mortis Adonis ferre non posset, laqueo se ad arborem suspendens, vitam finit; ex cujus nomine Melus appellatus est. Pelia autem conjux ejus in ea arbore se adpendens necata est. Venus misericordia eorum mortis ducta, Adoni luctum continuum præstitit; Melum in pomum sui nominis vertit; Peliam conjugem ejus in columbam mutavit: Melum autem puerum, qui de Cinyræ genere solus supererat, cum adultum vidisset, collecta manu redire ad Delum præcepit. Qui cum ad insulam pervenisset, & rerum esset ibi potitus, Melon condidit civitatem: & cum primus oves tonderi, & vestem de lanis fieri instituisset, meruit ut ejus nomine oves μῆλα vocarentur; Græce enim oves μῆλα appellantur.

DVX EGO VESTER ERAM. Aut dux vos præibam, aut capellas alloquitur. CVM MATRE LEGENTEM. Deest pronomen, & ideo vel hujus, vel puellæ matrem intelligere possumus.

ALTER AB VNDECIMO TVM ME IAM CEPERAT ANNVS. Id est tertius decimus. Alter enim de duobus dicimus. Et vult significare jam se vicinum fuisse pubertati, quod de duodecimo anno procedere non potest. Bene cum annis jungit habitum corporis. Nam & in jure pubertas ex utroque colligitur.

VT VIDI, VT PERII. Vnum est temporis, aliud qualitatis. Nam hoc dicit, *Mox ut vidi*, quemadmodum vel qualiter perii. vel primum ut postquam, duo sequentia pro admirandi significatione posita sint. MALVS ERROR. Definitio amoris. Nam amor errare plerunque compellit.

NVNC SCIO QVID SIT AMOR. Vel quasi jam juvenis, vel quasi spretus. Gravior enim amor fit ex despectione, vel ex desperatione. Terentius, *Perii: quanto minus spei est, tanto magis amo.*

ISMARVS, AVT RHODOPE. Montes sunt asperrimi, Ismaros in Epyro; Rhodope in Thracia. Et perite vituperat ab origine. Item à gestis: ut, *Sævus amor docuit.* Nam de exitu circa deum vituperatio non cadit. EXTREMI GARAMANTES. Populi Africæ. EXTREMI autem, sævi, quasi à consortio humanitatis remoti. ut, *Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.*

NEC NOSTRI GENERIS PVERVM, NEC SANGVINIS EDVNT. Id est nihil habentem in se humanitatis. Nam non dicit, non mortalem. EDVNT. Pariunt, ut in septimo. *Sub luminis edidit oras.*

SÆVVS AMOR DOCVIT NATORVM SANGVINE MATREM, &c. Quasi novam artem insinuavit, & infudit, & fabulam omnibus notam per transitum tetigit. Quis enim ignorat Medeam ab Iasone contemptam, suos filios peremisse?

COMMACVLARE. Polluere. CRVDELIS TV QVOQVE MATER. Vtitur autem optima moderatione. Nam nec totum amori imputat, ne defendat parricidam: nec totum matri, ne amorem eximat culpæ: sed & illam quæ paruit, & illum qui coëgit, incusat. Alii hoc loco cum amore matrem Venerem culpari volunt: eam enim *crudelem*, quia permittit; illum autem *improbum*, qui supra modum noceat; ita ut ad parricidia quoque sui violentia plures impulerit.

VARIORVM.

SÆVVS AMOR, &c. Multiplex Damonis affectus repræsentatur; qui cum quævis opprobria in Cupidinem conjiciat, atque illum magistrum fuisse Medeæ ad parricidium affirmet, tandem veluti dubius subsistens, ac propemodum convitium recantans, quasi non totum illud scelus sit Cupidinis, non enim nisi immani naturæ talia persuaderi posse, culpam inter utrumque dividit, ac ipsam quoq; matrem crudelem pronunciat. NANNIVS. l.6. Miscell. c.7.

Cru-

Digitized by Google

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc & oves ultro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus: narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra myricæ:
Certent & cycnis ululæ: sit Tityrus Orpheus;
Orpheus in sylvis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite sylvæ:
Præceps aërii specula de montis in undas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
Desine Mænalios, jam desine, tibia, versus.

SERVII.

IMPROBUS ILLE PUER CRUDELIS TU QUOQUE MATER. Non est superflua hæc verborum iteratio. Nam syllogismus est plenus, qui constat ex propositione, assumptione, & conclusione. Multi sic distinguunt, quia & intentio loquentis ab initio sic fuit; ut à sævitia amoris inciperet; in secundo loco accusaret matrem, ita tamen ut criminis ejus Invidiam, crudelitati amoris adscriberet, & ideo geminandum ille *improbus ille puer, crudelis*, & distinguendum ita est, *crudelis tu quoque mater. Crudelis mater magis, an puer improbus*; & distingue & subjunge, *tu quoque mater.*

NUNC ET OVES ULTRO FUGIAT LUPUS. Optat omnia fieri contra naturam: AUREA, vel speciosa vel matura & aurei coloris; ut scilicet, quia illa pulcherrima turpissimo marito nupsit, quod bene contra naturam videbatur: cum esset ipsa honesta: consequens fit ut sint & alia contra naturam: ut fugiat lupus oves, ut ferant quercus aurea mala, & reliqua quæ dicit.

PINGUIA ELECTRA. Id est succinæ gemmæ. MYRICÆ. Genus arbusculæ vilissimæ humile, quam tamaricem vulgo dicunt.

CERTENT ET CYGNIS ULULÆ. Aves ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est à fletu, nominatæ. Quas vulgo ulucos vocant. SIT TITYRUS ORPHEUS. Vilissimus rusticus, *Orpheus* putetur in sylvis; inter delphinas *Arion*. Hic Arion Lesbius citharœdus optimus fuit: qui cum à Periandro rege Corinthiorum petisset, ut sibi liceret peragrare alias civitates; permissu ejus per multa oppida, collectis beneficio cantilenæ opibus, Corinthum petere cœpit; in cujus necem cum nautæ & servuli conjurassent, Apollo eum in somnis monuit, citharœdi habitu accepto canens cithara, ut vitaret insidias, auxilium ei non defuturum promittens; in quem cum conjuratorum manus involasset, petit ab eis Arion, ut sibi cithara canere liceret; quod cum ab illis permissum esset, ad ejus cantilenam convenere delphines: Is ubi somnio fidem factam vidit, in mare se præcipitavit, & exceptus ab uno delphine, ad Tænarum Laconicæ promontorium provectus est; ibique ad memoriam casuum suorum in templo Apollinis, delphini signo insidentem se cum citharam, posuit: Exinde Corinthum petit, & universa narravit: In tempore autem hoc etiam navis, in qua navigaverat cum insidiatoribus supervenit; quos cum Rex de Arione requisisset, illi eum mortuum mentirentur, produci Arionem jussit,* adfigi, sed Apollo, tam delphinum, quam citharam ob amorem Arionis, inter sydera collocavit.

DELPHINAS, NAS, ideo brevis est, quia græca declinatio est, sicut *Arcadas accensos monitu.* Nam omnia græca nomina, quæ nominativo plurali ES terminant, ut Arcades, Najades, delphines, accusativum pluralem corripiunt.

OMNIA VEL MEDIUM FIANT MARE. Medium fiat, id est, ut nihil sit nisi mare, hoc est diluvium fiat medium: optat enim confusionem elementorum. VIVITE SYLVÆ. valete. non enim bene optantis est, sed renuntiantis.

PRÆCEPS AERII SPECULA, &c. Quidam hoc ideo dictum putant, quod apud Leucaten soliti erant se præcipitare; qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant, quos amabant.

EXTREMUM HOC MUNUS MORIENTIS HABETO. Id est moriar in invidiam tuam. Nam amare ait MUNUS. Sic Mezentius, *Et hæc tibi porto Dona prius:* vel extremum hoc munus meum habeto, quod morior.

VARIORUM.

OMNIA VEL MEDIUM FIANT MARE, &c. Non dira vota concipit, ut omnia velit inundationibus perire; sed ut moriturus nihil ad se pertinere indicat, quicquid post fata sua sit eventurum. NANNIUS Miscell. lib. 6. cap. 9. Talis est forma illa apud Arist. lib. Meteor. 1. Hæc autem sunt, omnino animum despondentis, & alludentis ad ἐμοῦ θανόντος, &c. & ad Leucadem petram; ex quo præcipitio ob res in amore adversas, amantes se in sinum Ambracinum deturbantes, vitam abrumpebant. GERMAN.

Hæc Damon: vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite Pierides. non omnia possumus omnes.
AL. *Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta:*
Verbenasque adole pingues, & mascula thura;
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus: nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel cælo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Vlyssei:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

SERVII.

HÆC DAMON. Deest dixit.

DICITE PIERIDES. Bene animos erigit auditorum: dicendo. Superiora utcunque dicta sunt; sequentia, nonnisi à numinibus poterunt explicari. Sane ita debemus accipere pastores hos referre, quid aliquando in Arcadia audierint. Vnde & superius ait, *Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.* Id est Arcadicos. *Non omnia possumus omnes.* Sic Cicero, *Vnum sustinere vix pauci possunt: utrunque nemo.*

EFFER AQVAM. Hic inducit mulierem sacris quibusdam pervertentem mentem amatoris, à quo spernebatur. MOLLI VITTA. Lanea scilicet.

VERBENASQVE. Verbenæ dicuntur virgulta, quæ semper virent, jocundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. nam ideo & pingues ait; quamvis hoc & de palma & de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt; omnia tamen hæc à viriditate, verbenæ appellantur.

ADOLE. Incende, sed κατ' ἀντίφρασιν dicitur; nam adole est auge. PINGVES, florentes, virentes. MASCVLA THVRA, quæ in modum testiculorum sunt.

CONIVGIS. Apud Theocritum non conjugis, sed alieni adulescentuli persona subest, sicut supra dictum est. SANOS SENSVS. Qui modo sani sunt, id est non amantes. Vnde è contra amantes insanos vocamus. MAGICIS SACRIS, quibus alienantur animi quadam violentia, ab his qui eorum usum habent. AVERTERE autem, à sanitate mutare. aut avertere ait, pervertere, ut sit mutata præpositio; aut certe in me convertere.

EXPERIAR. Coner, probem, incipiam. SENSVS, hoc est animum, ex quo sensus nostri sunt cerebri. NIHIL HIC. Figuratum est hic. DESVNT, quia absunt. NIHIL HIC NISI CARMINA DESVNT. tanquam omnibus quæ imperaverat paratis, carmina sola magica deesse dicit; nam hoc sequitur, *Ducite ab urbe domum mea carmina.*

DVCITE. pro adducite. DAPHNIN. Hunc Daphnin pulcherrimum inter pastores, & ephebum & ab omnibus amatum fœminis, sicut supra dictum est, multi scriptores adserunt; cujus mentionem Virgilius peritus antiquitatis, non incassum, locis plurimis facit. Hunc igitur, cum Nympha Nomia amaret, & ille eam sperneret, & Chimeram potius sequeretur; ab irata Nympha amatrice luminibus orbatus est, deinde in lapidem versus; nam apud Cephalenitanum oppidum, saxum dicitur esse, quod formam hominis ostendat. Alii hunc Daphnin Pipleam amasse dicunt; quam cum à prædonibus raptam Daphnis per totum orbem quæsisset, invenissetque in Phrygia apud Lytiersem regem servientem, qui hac lege in advenas sæviebat, ut cum multas segetes haberet, peregrinos advenientes secum metere faceret, victosque juberet occidi. Sed Hercules miseratus Daphnidis, venit ad regem, & audita conditione certaminis, falcem ad metendum accepit, eaque regi caput amputavit: Ita Daphnin à periculo liberavit, & ei Pipleam, quam alii Italiam dicunt reddidit; quibus dotis nomine aulam quoque regiam condonavit, ferali sopito metendi carmine.

CARMINA VEL COELO POSSVNT DEDVCERE LVNAM. Vel, id est etiam: ut, *Vel Priamo miseranda manus.* Est autem argumentum à majore ad minus, Si hæc possunt facere carmina: cur non etiam facilia impleantur? quid enim facilius, quam ut Daphnis ex urbe rus redeat, ut civitatem deserat rusticus? Et bene potentiam carminum narrat, quæ pro ea vel fieri possint, vel facta sint.

FRIGIDVS. Nocens: ut, *Frigida Saturni sese quo stella receptet.* CANTANDO. Dum ei incantatur. Nam gerundivus modus ab omni verbo similiter procreatur. Vnde modo CANTANDO à passivo ait, cum supra activo dixerit: ut, *Cantando tu illum?* Tale est illud in Salustio, *Cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur.* Id est, ei imperaretur. Sane veteres cantare de magico carmine dicebant; unde & excantare, est magicis carminibus obligare: Plautus in Bacchidibus, *Nam tu quidem cuivis excantare cor facile potes.*

VARIORVM.

VERBENASQVE ADOLE PINGVES. Maroni nihil aliud est, quam adde frutices, vel virgas & ramos pingues, ut flammam ignemque facile concipiant, quales sunt pineæ, myrteæ, laureæ, oleaginæ virgæ. Nam verbenæ nomen in sacris ita accipiebatur, ut non tantum herbam significaret certam, sed omnem frondem & ramum. PONTANVS.

MASCVLA THVRA. Masculum thus primam bonitatis gloriam habere memorat Dioscorid. lib. 1. cap. 34. Tum vox ista, *Masculus*, apud veteres non semper sexum significat; sed interdum quicquid vegetum, solidum ac robustum est, masculum dicitur.

Ducite

Digitized by Google

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo; terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte Amarylli modo: & Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

SERVII.

TERNA. tria. LICIA CIRCVMDO. Id est, tria alba, tria rosea, & tria nigra circumdo; & bene utitur liciis, quæ ita stamen implicant, ut hæc adulescentis mentem implicare contendit.

EFFIGIEM DVCO. ut, *Effigiemque thoro locat, haud ignara futuri.* Hoc faciunt malefici, hoc est effigiem amatoris circunferunt; unam ex limo; aliam ex luto; tertiam ex cera. NVMERO DEVS IMPARE GAVDET. Aut quemcunque superorum, juxta Pithagoreos; qui terrtarium numerum perfectum summo Deo assignant, à quo initium, & medium, & finis est: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex potestas esse perhibetur: Vnde est, *Tria virginis ora Dianæ.* quamvis omnium prope deorum potestas triplici signo ostendatur; ut Iovis trifidum fulmen; Neptuni tridens; Plutonis canis triceps. Apollo idem Sol, idem Liber. vel quod omnia ternario numero continentur, ut Parcæ, Furiæ, Hercules etiam trinoctio conceptus. Musæ ternæ: aut impari quemadmodumcumque: nam septem chordæ, septem planetæ, septem dies nominibus deorum, septem stellæ in Septentrione, & multa his similia: & impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest; par numerus mortalis, quia dividi potest; licet Varro dicat Pithagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum; ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari. IMPARE, autem propter metrum ait, Nam ab hoc impari dicimus.

NECTE, conjunge, ut ita implicetur mens amatoris, sicut implicantur & connectuntur illi colores invicem. TRIBVS NODIS. Ternos lanæ colores.

AMARYLLI. Hæc Amaryllis ei est quam Græci νύμφην dicunt. VENERIS, DIC, VINCVLA NECTO. Anapæsticus est trimeter hypercatalectus. Hoc autem metrum est Cupidini consecratum.

LIMVS VT HIC DVRESCIT. Se de limo facit, Daphnidem de cera. Fecerat illa duas imagines; alteram ex limo, qui ex igne fit durior: alteram ex cera quæ igne solvitur: ut videlicet mens amatoris ita duresceret ad illam, quam tunc amabat: omnesque alias, sicut ad ignem limus: & ad se ita molliretur & solveretur amore, ut cera ad ignem liquescit.

SIC NOSTRO DAPHNIS AMORE, durescat & liquescat: ut scilicet quam appetit deserens, me potius amet.

SPARGE MOLAM. Far & salem. Hoc nomen de sacris tractum est; far enim pium, id est mola casta salsa (utrumque enim idem significat.) ita fit: virgines Vestales tres maximæ ex nonis Majis ad pridie Idûs Majas, alternis diebus spicas adoreas in cornibus messuariis ponunt; easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt; Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto, & sale duro. Igitur quod in sacris mola casta dicitur, ideo Virgilius in quinto Æneidis *farre pio* enuntiavit: quid enim est pium nisi castum? quoniam piare est propitiare, quod accidere non potest nisi caste inservitum erit rebus sacris. Hic autem dicendo *asperge molam*, rem ipsam proprio nomine memoravit, unde in secundo Æneidus, & *salsæ fruges*, * & in quarto *ipsam molam.* INCENDE BITVMINE LAVROS. Id est lauros divino igne consume. Nam bitumen ex fulmine dicitur procreari. Vnde juxta Babyloniam, quia frequentia cadunt fulmina, hac re lacus redundant: adeo ut inde fabricent muros. Et bene quod conglutinat & ardet, ad veneficium adsumitur; ut glutinetur & ardeat ad amorem maritus.

VARIORVM.

NECTE TRIBVS NODIS. Metrum anapæsticum in honorem Cupidinis dicitur consecratum. PHILARGYRIVS.

LIMVS VT HIC DVRESCIT &c. Mulieres, quæ veneficiis, & magicis artibus utebantur, cereas, cretaceas, laneas imagines adhibebant. Cereas, ut is, quem amore sui capi vellent, instar ceræ mollesceret: cretaceas, ne is se in alias mulieres obfirmaret atque obduresceret tanquam creta: laneas, ut amore sui inflammaretur, non aliter quam lana. PONTANVS.

FRAGILES INCENDE LAVROS. Fragiles lauros, credo, ex eo vocavit, quod inter urendum fragorem & crepitum edunt. Si quis tamen fragiles, quæ facile franguntur, vel ob siccitatem, vel gracilitatem, esse contendat pertinaciter, potius in partes me trahet suas, quam vapulem. TVRNEB. lib. 19. cap. 27.

Digitized by Google

Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Talis amor Daphnin, qualis, cum fessa iuvencum
Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara sui: quæ nunc ego limine in ipso
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres, Amarylli, foras: rivoque fluenti,

SERVII.

IN DAPHNIDE LAVRVM. Aut Archaïsmos est, pro in Daphniden: aut intelligamus supra Daphnidis effigiem eam laurum incendere, propter similitudinem nominis.

BVCVLA. Bovis est diminutio. Sane BOS anomalum nomen est. Nam hic bos, & ô bos producit: sicut his bubus, & ab his bubus. Nam reliqui omnes casus brevem habent syllabam primam.

PROPTER. Iuxta. PERDITA. Amore consumpta.

SERÆ MEMINIT DECEDERE NOCTI. Id est tenebræ illam occupant.

NEC SIT MIHI CVRA MEDERI. Aut nolim ei magicis artibus subvenire: aut nolim cum ipso concumbere. ab utroque enim medicina amantibus venit, & mederi pro medendi.

PERFIDVS. Nunc scilicet perfidus.

LIMINE IN IPSO. In loco sacro, sicut supra diximus, Vestæ. Nam Terra ipsa dicitur, quæ & Vesta. Veneficium autem ita administratur, ut in limine ponantur ejus exuviæ, cui veneficium fit.

PONTO, in Ponto, & modo provinciam dicit hoc nomine; non mare. MIHI LECTA. Ordo est mihi dedit; non mihi lecta.

HIS EGO SÆPE LVPVM FIERI. Est enim opinio quosdam homines, artibus quibusdam in lupos mutari. SYLVIS, pro in sylvis.

ATQVE SATAS ALIO VIDI TRADVCERE MESSES. Magicis quibusdam artibus hoc fiebat. Unde est in XII. tabulis, *Neve alienam segetem pellexeris.* quod & Varro, & multi scriptores fieri deprehensum animadvertunt.

VARIORVM.

IN DAPHNIDE. Ἀρχαϊσμὸς est, pro *in Daphnidem.* aut intelligamus, supra Daphnidis effigiem, eam laurum incendere, propter similitudinem nominis. vel ἐπὶ δάφνιδι, Daphnidis loco & nomine. TVRNEB. lib. 19. 27.

PIGNORA CARA SVI. Proprie *sui*, non *sua*. Nam *sua pignora* sunt, quæ quis de rebus suis dedit; *Sui pignora*, quibus ipsemet pignori est. HANNIVS.

HIS EGO SÆPE LVPVM FIERI &c. De fabula luporum, in homines conversorum, Plin. lib. 8. cap. 22. Lycanthropia vero est morbus melancholicus, quo qui afficiuntur λυκάνθρωποι dicuntur: lupos enim imitantur, in quos se conversos putant: noctu exilientes, & ad diem usque inter sepulchra diversantes: eorum præpallet facies, sitibundi, &c. RHODIGIN. lib. 14. cap. 45.

FER CINERES AMARYLLI FORAS. Purgamenta, quæ Græci περικαθάρματα appellant, quibus expiabatur noxa aliqua, mittebantur in profluentem: interdum & in mare, interdum in trivium; jaciebanturque ab aversis trans caput, nec respiciebant; ne eorum aspectu malum traherent: ea autem secum, sceleris & culpæ admissæ omnem noxam auferre credebant, & contagione quadam aliis tradere, si quis tangeret. Itaque erant ea purgamenta omnibus invisa; ut ea vel pede calcasse nefarium haberetur & inauspicatum, & mali alicujus præsagium. TVRNEB. l. 19. 22.

Trans-

Transque caput jace: ne respexeris. his egô Daphnin
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.
Nescio, quid certe est; & Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.

SERVII.

NE RESPEXERIS. Nolunt enim se videri numina, nisi ex necessitate nimia. Vnde pro miraculo dictum est, *Alma parens confessa deam.* quod non faceret, nisi in periculo filii.

NIHIL ILLE DEOS, NIL CARMINA CVRAT. satis est quod putat artem magicam nil valere. Quidam sic intelligunt, quamvis ille hæc omnia contemnat.

ASPICE. Hoc ab alia dici debet. CORRIPVIT TREMVLIS ALTARIA. *Tremulis*, crispantibus: altaria autem dicuntur, & quæ continent & quæ continentur ab eis; nunc vero, ipsa, quæ ponuntur.

SPONTE SVA, sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum peracto sacrificio libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit; quæ flamma eodem anno Consulem futurum ostendit ejus maritum: sicut Cicero in suo testatur poëmate. BONVM SIT. Ideo optat, ut hoc signum bonum sit: quia ignis medius est. & qui possit etiam nocere.

NESCIO QVID CERTE EST. Hoc non jungendum superiori, est enim aliud prodigium. IN LIMINE LATRAT. In loco ubi amati vestes obruerat. canis enim latratus præ gaudio, domini demonstrat adventum.

IPSI SIBI SOMNIA FINGVNT. Omnia quæ supra dixerat de arte magica, destruit dicendo, hæc vera desiderantibus tantum videri: quod per proverbium est locutus.

VARIORVM.

NE RESPEXERIS. Callimachus, Saturnis legibus cautum inquit, ut qui deum invitum cernat, ingenti mercede cernat; ex quo fortasse isthuc à Virgilio dictum est, quod arbitratur POLITIANVS. cap. 60.

SPONTE SVA, DVM FERRE MOROR. Hunc ἀφημισμὸν & auspicatum omen respexit Tibul. l. 4. ubi agit de sacris, quibus moventem in expeditionem Messalam erat prosecutus: *Lætior eluxit structos super ignis acervos: Quin hortante deo magnis insistere rebus Incipe.* GERMANVS.

BONVM SIT. Antiqui *bonum sit*, & *bene sit* in ominando feliciter dicebant.

NESCIO, QVID CERTE EST. Nannius distinguit nota diastoles, Nescio, & *quid* pro aliquid accipit.

HYLAX IN LIMINE LATRAT. Quippe, ut scribit Lycophronis interpres, canis latratus carmina solvit omnino, καὶ τὰ φάρμακα, sicut æris tinnitus quoque, aut ejusmodi quippiam: ideo & Hecatæ canis immolatur. RHODIGIN. lib. 2. cap. 6.

QVI AMANT, IPSI SIBI SOMNIA FINGVNT. Publius in Mimis. *Amans quod suspicatur, vigilans somniat.* Terent. Andr. *Num ille somniat, quæ vigilans voluit?* Aristoteles dixisse fertur, *Spes esse vigilantium somnia.* Est enim dictu mirum, quas non sibi imagines, rerumque species fingant apud animum, tanquam somnia scilicet, id est, quæ nihil sunt, qui aliquid vehementius sperant: & pascuntur hujuscemodi simulachris mortales miseri. Sic etiam, qui in amorem præcipitarunt, varias, quamvis vigilantes, species, ut si dormirent, fabricantur, in quibus acquiescunt. Vide Chiliad. Adag. PONTANVS.

PARCITE AB VRBE. Non desine dixit, quia qui desinit, finem facit: qui parcit, suspendit id, quod agebat. PHILARGYR.

Digitized by Google

ECLOGA NONA.

MOERIS.

LYCIDAS. MOERIS.

Ly. QVo te Mœri pedes? an, quo via ducit, in urbem?
Moe. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
(Quod nunquam veriti sumus ut possessor agelli
Diceret, Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes; QVONIAM fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hœdos.

SERVII.

QVO TE MOERI PEDES? AN, QVO VIA DVCIT, IN VRBEM. Hæc Ecloga dramatico charactere scripta est. Inducuntur enim duo pastores coëuntes * in agro Mantuano: & hæc Ecloga continuum, ut Servius dicit, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit. Sane hoc continet; Virgilius postquam pene occisus est ab Ario centurione, Romam revertens, mandavit procuratoribus suis ut agros suos tuerentur, & ad præsens obsequerentur Ario. Ergo modo Mœris procurator ejus, secundum præceptum patroni, portat hœdos Mantuam: quos Ario offerat. Sequitur alter pastor, & eum quo pergat interrogat: ille deflet suas miserias; & hinc jam variæ præstatur occasio cantilenæ. QVO TE MOERI PEDES? Subaudis, ducunt, & Zeugma à posterioribus. Quidam hunc ordinem tradunt, *Quo te Mœri pedes? an in urbem? quo ista via ducit.* Sane alii ordinem hujus Eclogæ ita exponunt; cum immunitatem agrorum Virgilius impetrasset, lis est exorta de finibus inter eum & eos qui in proximo agros acceperant; ex quibus Clodius quidam dixit, se omnem litem amputaturum, interfecto Virgilio; quem poëta stricto gladio se insequentem fugit in tabernam carbonariam, & beneficio institoris ex alia parte emissus, servatus est. Inducitur ergo Mœris familiaris Virgilii, referens Lycidæ periculum suum, & Menalcæ; quem nunc pro Virgilio debemus accipere.

VIVI PERVENIMVS. Id est diu vivendo ad ista pervenimus. Et ostendit plerumque obesse hominibus vitæ longinquitatem, quæ interdum caussa miseriarum est. Sensus autem talis est, usque eo nos vita longa produxit; ut audiremus dicentem migrate, hæc mea sunt. Interpositum sane est, quod numquam veriti sumus. ADVENA NOSTRI, qui advenerit in nostros agros, & aut Clodium, aut Arium significat.

QVOD NVNQVAM VERITI SVMVS. Quia inopinata graviora sunt mala. Vnde ait Dido, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre soror potero.*

NVNC VICTI. Id est impotes. Nam quo modo victores dicimus voti compotes, qui quod volunt faciunt: sic victos è contrario vocamus impotes, qui non possunt facere quod volunt. Cæterum quomodo victi sunt Mantuani, qui nec bella gesserunt. Et TRISTES ideo, quia dixit, NVNC VICTI. SORS OMNIA VERSAT. Id est, quæ instabilis est, & nisi hoc ad personam rusticam redigas, aspere contra Augustum dictum est: cujus fœlicitatem, sicut omnia, dicit posse mutari.

ILLI, Id est Ario centurioni. QVOD NEC BENE VERTAT. Quæ res in perniciem vertatur ejus; id est malo omine hoc munus accipiat. Tractum autem hoc est, ab Hectore & Ajace. Nam Hector dedit Ajaci gladium: quo se Ajax postea interemit. Hector vero baltheum accepit ab Ajace: quo circa muros patriæ tractus est. Postea inde & illud comicum natum est, *Dii bene vortant quod agas.* Plerunque enim bona in pejus: mala mutantur in melius.

VARIORVM.

QVO TE PEDES DVCVNT. Quod genus loquendi dicitur de eo, qui non tam voluntate & consilio, quam sponte & impetu quodam ipsorum velut pedum incitatus aliquo pergit, nullo quasi loco sibi ab initio, quo eat constituto ac proposito. Horat. Ode. 16. Epod. *Ire pedes quocunque ferunt.* LAMBINVS.

ADVENA. Externus scilicet & barbarus. Notandumque Mantuam fuisse Romanorum coloniam, atque ita asperari injuriam, cum Romani suos Romanos ejiciant. NANNIVS.

HÆC MEA SVNT. Alludit ad solennem Vindicationis morem, de quo vide Not. Æneid. 10. v. 419. *Injecere manum Parcæ.* Ita qui servum vindicabat, injecta manu dicebat, HIC MEVS EST. Ovid. 1. Amor.: 4. *Et dicam, MEA SVNT, injiciamque manus.* Consule Brisson. Form. lib. 5.

Ly. Certe

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.
MOE. *Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum*
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.
LY. *Heu, cadit in quemquam tantum scelus! heu tua nobis*
Pene simul tecum solatia rapta Menalca!

SERVII.

SUBDUCERE CLIVO. Cicero, *Ex alto in campos dissolvi*. Alii sursum ducere intelligunt. Alii medium clivum accipiunt; ex quo superior pars subducitur in collem surgentem, inferior in subjectam planiciem molliter deponatur*: Usque ad eum autem locum perticam militarem Octavius Musca porrexerat, limitator ab Augusto datus, id est, per quindecim millia passuum agri Mantuani; cum Cremonensis non sufficeret; offensus à Mantuanis, quod pecora ejus in agro publico aliquando clausissent. Alii *subducere* pro desinere accipiunt; nam permansit dicendo dimittere jugum, quasi hoc colles faciant, quod illis accidit per naturam: Alii agrum suum volunt descripsisse Virgilium, ut ostenderet ex utraque parte esse clivosum; ut cum ab una parte ad cacumen ascenderis, ab alia usque ad aquam descendas. Et quidam tales agros lapidosos dicunt, sicut ipse de suo ait, *Et tibi magna satis quamvis lapis omnia nudus*.

USQUE AD AQUAM. Mincii fluminis scilicet.

OMNIA. Quæ supra dixit. Intelligamus autem, aut Virgilii tantum agrum, aut totius Mantuæ situm esse descriptum. Quod alii dicunt Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alpheni Vari qui agros divisit, præter palustria nihil relictum sit; sicut ex oratione Cornelii in Alphenum ostenditur, *cum jussus tria millia passus à muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aqua, qua circundata est, admetireris, reliquisti*. * SERVASSE, Recuperasse. OMNIA CARMINIBUS VESTRUM SERVASSE MENALCAM. Id est vestrum Virgilium, cujus causa agri Mantuanis redditi sunt.

AUDIERAS ET FAMA FUIT. Benevolentiam quidem Augusti etiam fama vulgavit: sed eam belli Actiaci necessitas impedivit. SED CARMINA TANTUM NOSTRA VALENT LYCIDA TELA INTER MARTIA. Hoc etiam Cicero ait in Miloniana, *Silent enim leges inter arma*. Sensus tamen est, sed videlicet hoc tempore, id est, in hoc bello, poëmata nostra, non valde admittuntur; carmina autem nonnulli, quibus sibi Pollionem intercessorem apud Augustum conciliaverat, accipiunt; quo fugato, rursus de prædiis suis fuerat Virgilius expulsus.

CHAONIAS DICUNT AQUILA VENIENTE COLUMBAS. Minora enim auguria majoribus cedunt, nec ullarum sunt virium: licet priora sint. Chaonias autem Epiroticas. Nam in Epiro dicitur nemus fuisse: in quo responsa dabant columbæ. quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades & Columbæ, & Vaticinatrices vocantur. Herodotus hanc columbam de Ægypto venisse ait.

QUACUNQUE. Subaudi ratione. Et bene augurii peritiam dat ei, de quo supra ait; *His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris, &c.* NOVAS LITES. Magnas, id est militaria jurgia. INCIDERE, pro decidere.

ANTE SINISTRA CAVA MONUISSET AB ILICE CORNIX. Ante sinistra, indivise legendum. & dicendo monuisse, oscinem fuisse demonstrat. Sane hoc ad auguralem pertinet disciplinam. Augures enim designant spatia lituo: & eis dant nomina: ut prima pars dicatur antica, posterior postica: ut est dextra & sinistra. Modo ergo, cornicem de nulla harum parte venisse dicit; sed ab antica ad sinistram partem volasse: & in cava ilice consedisse: quæ res agrorum damnum significat. Ilex enim, glandifera arbor est: quæ quoniam vitiosa est, vitium possessionis ostendit fore per milites, clamore gaudentes & litibus, sicut cornix. Nam hæc avis & clamore lætatur: & alias frequenter invadit. Hoc ergo nunc dicit, augurio se esse admonitum, ut abstineret ab occursu litigiosi militis, qui retenturus fuerat possessionem.

TUUS MOERIS. Id est, Tuus amicus. IPSE MENALCAS, pro Virgilio, qui dum agros suos defendit, pene occisus est.

HEU CADIT IN QUENQUAM TANTUM SCELUS? Postquam audivit occidi potuisse Virgilium, quasi obstupuit, & hoc generaliter dicit, Potest in quenquam tantum nefas venire, ut Virgilium necare contendat?

PENE SIMUL TECUM SOLATIA RAPTA MENALCA? Cum suis enim solatiis periit poëta, qui needum editis carminibus moritur. Virgilius autem illo tempore nondum aliquid scripserat. Et dicendo SOLATIA, latenter tempora carpit Augusti, quibus carmina non oblectamento fuerant, sed solatio: quod infelicium esse consuevit. vel tua solatia, tua carmina quibus consolamur.

Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras?
Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas:
Et potum pastas age Tityre: & inter agendum
Occursare capro (cornu ferit ille) caveto.
MOE. *Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.*
Vare tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublime ferent ad sydera cycni.
LY. *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos:*
Sic cythiso pastæ distentent ubera vaccæ:

SERVII.

QVIS HVMVM FLORENTIBVS HERBIS. Sic est dictum, ut, *Tunc Phaëtontiadas musco circumdat amaræ Corticis, atque solo proceras erigit alnos.*

SPARGERET. Id est, aspersam floribus caneret. FONTES INDVCERET VMBRA. Tegeret, cooperiret. VEL QVÆ SVBLEGI TACITVS TIBI CARMINA NVPER. Subaudiendum nesciente te sublegi, intercepi: & bene rustica affectione reminisci se illorum carminum fingit; quæ aliquando Virgilio, licet invito Romam eunti, abstulerat. nam SVBLEGI est furatus sum. Inde & sacrilegus dicitur, qui sacra legit, id est furatur. Plautus in milite, *Quæ etiam nostrum hunc sermonem sublegerat.*

DELICIAS NOSTRAS. Id est communem amicam.

TITYRE DVM REDEO (BREVIS EST VIA) PASCE CAPELLAS. Theocriti sunt versus, ad verbum translati: sed tamen Virgilii negotium continentes. nam allegoricôs imperat suis, ut rem tueantur: nec tamen audeant contra Arii præceptum venire. Sed hoc aut de ipso Virgilii carmine Lycidas retulit; aut, ut alii putant, conversus ad gregalem suum Tityrum dicit. Et bene dum promittunt se cantaturos, nihilominus dicunt. Sane quæritur, utrum in his tribus versibus perfectum carmen sit; an initium alterius carminis imperfecti τίτυρ᾽ ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε τὰς αἶγας, καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε τίτυρε, καὶ τὸν ἐνόρχαν, τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο μή τυ κορύψῃ. INTER AGENDVM. Dum agis. Et honesta locutio est; si dicamus inter cœnandum hoc sum locutus. Afranius, *Inter loquendum*: Ennius, *Inter ponendum.*

OCCVRSARE CAPRO. Ordo, occursare capro caveto.

IMMO, pro, vel. NEC DVM PERFECTA. Nimiæ familiaritatis est signum, quod ei recitabat carmen, necdum ad limam reductum. Dicit autem carmen, quod quasi cœperat in honorem Vari componere: & per transitum ponit diversa schedia.

VARE TVVM NOMEN. Ordo est, Vare tuum nomen sublime ferent ad sydera. SVPERET MODO MANTVA NOBIS. Supersit, reddatur. Et hoc dicit, Si nobis Mantua fuerit reddita, faciam ut te celebrent omnes poëtæ. Et bene affectiose de patria, quasi dubium an superfutura sit.

MANTVA VÆ MISERÆ NIMIVM VICINA CREMONÆ. Bene ingemit Mantuanorum infelicitatem: quibus sola obfuit vicinitas Cremonensium. Nam Cassii, Bruti, & Antonii copias Cremonenses susceperant: quos etiam ipsos bene excusat, dicens miseræ Cremonæ; quæ etiam si vellet, minime tamen tantis copiis posset resistere. NIMIVM autem VICINA. Id est usque ad periculum. Nam ortis bellis civilibus inter Antonium & Augustum; Augustus victor, Cremonensium agros, quia pro Antonio senserant, dedit militibus suis; qui cum non suffecissent, his addidit agros Mantuanos: non propter civium culpam; sed propter vicinitatem.

CANTANTES CYGNI. Id est poëtæ. sic Horatius de Pindaro, *Multa Dyrcæum levat aura cygnum.* Sane blanditur Alfeno Varo, qui Pollione fugato, legatus Transpadanis præpositus est ab Augusto.

SIC TVA CYRNEAS FVGIANT EXAMINA TAXOS. Taxus venenata arbor est, quæ abundat in Corsica: hæc autem insula Græce Cyrne dicitur, à Cyrno Herculis filio. Vnde fecit hanc derivationem Cyrnæas taxos, id est Corsicanas: quibus pastæ apes, mella amarissima faciunt.

DISTENTENT VBERA. Plurimum lactis reportent.

VARIORVM.

FONTES INDVCERET VMBRA. Supra permutatione casuum dixit: *Inducite fontibus umbras*; nisi hic ad κονίαμα, & tectorium opus alluserit. Nimirum opere tectorio incrustare & illinere, Latini inducere dicunt; ut hic fontes veluti umbraculis κονιατοὺς, prætextos & inductos metaphorice intellexerit. GERMAN.

CANTANTES SVBLIME FERENT CYGNI. Horatius, dum se carminum suorum fama, immortalem apud omnes gentes futurum ostendere vult, fingit se in cygnum mutari, qui sublime volans, cantus edat suavissimos, quos vel ultimi terrarum populi exaudiant. PONTANVS.

Incipe

Incipe, siquid habes: & me fecere poëtam
Pierides: sunt & mihi carmina: me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.
MOE. *Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,*
Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.
Huc ades, ô Galatea: quis est nam ludus in undis?
Hic ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: insani feriant sine littora fluctus.

SERVII.

ME QVOQVE DICVNT VATEM PASTORES. Magna verecundia suum meritum extenuat. Nec enim ait, probant, sed dicunt: nec docti, sed pastores: quibus tamen ipse non credo.

VARIO VIDEOR. Varius poëta fuit: de hoc Horatius, *Varius ducit molle atque facetum*. Item, *Scriberis Vario fortis, & hostium Victor.* Nam Varus dux fuit, cui supra blanditur. Qui nonnulla carmina scripsit. Nonnulli sane Alfenum Varum volunt; qui licet Iuris consultus & successor Servii Sulpicii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur; sed hoc teste Horatio falsum est, qui Varium poëtam laudat. NEC DICERE CINNA DIGNA. Etiam Cinna poëta optimus fuit, qui scripsit Smyrnam: quem libellum decem annis elimavit. quibus tamen Poëtis negat suum ingenium comparandum.

SED ARGVTOS INTER STREPERE ANSER OLORES. Argutos, canoros: ut, *Forte sub arguta consederat ilice cornix*. Et alludit ad Anserem quendam Antonii Poëtam, qui ejus laudes scribebat: quem ob hoc per transitum carpsit. De hoc etiam Cicero in Philippicis dicit, *Ex agro Falerno anseres depellantur*. ipsum enim agrum ei donarat Antonius. Et bene illos Poëtas optimos Cygnos dicit; se anserem rudem & levis ingenii, nec debere aut posse se illos imitari. INTER STREPERE. Sane potest & composite, & separatim proferri.

ID QVIDEM AGO. Id est, ut carmen in memoriam possit redire.

SI VALEAM MEMINISSE. Vt etiam in Æneide diximus; ideo ista junxit tempora, quia defectivum est verbum memini. VALEAM autem, si possim; ut in Æneide, *quæ plurima fando Enumerare vales.*

HVC ADES Ô GALATEA. Theocriti versus sunt, ἐξέλθοις γαλάθεια, καὶ ἐξελθοῖσα λάθοιο. quibus inducit Cyclopem usum, cum in scopulo sedens, amicam suam Galateam de fluctibus invitaret ad terras. Cyclops enim dicitur Nympham amasse Galateam; quæ cum Acin quendam pastorem amaret, & Polyphemum sperneret: ille iratus Acin necavit: qui postea Galateæ miseratione in fontem mutatus est: qui hodieque ab Acine, Acinius dicitur, ab illius nominis derivatione. EST NAM LVDVS IN VNDIS? Ludus, voluptas; & ad majorem terrarum laudem, dicit nullam esse in mari voluptatem. nam hæc est plena laus, quæ etiam contrariarum rerum continet vituperationem; & suas laudes ex sequentibus rebus dicit.

LENTÆ, flexibiles. VMBRACVLA. Cicero, *umbraculisque sylvestribus.*

INSANI FLVCTVS. Id est magni: ut, *Quid tantum insano juvat indulgere labori.*

VARIORVM.

ET ME FECERE POETAM. Quid hoc est? *Poëtam* se agnoscit, nec tamen *vatem*. Censet Nannius imitatione Theocriti hoc factum: ubi idem pastor nunc se abjicit, nunc se extollit, ut & modestiæ consulat, & se tamen à contemptu vindicet. Alb. Gentilis hic disputat, *Vatis* nomen dignius esse. Tacitus de Orat. *Quis Saleium nostrum, egregium Poëtam, vel (si hoc honorificentius est) præclarissimum vatem deducit, &c.* Sane hoc nomine Homerus, Ennius, Virgilius appellari fere solent. Et *vates* pro excellentissimo in qualibet etiam arte usurpatur. TAVBMANNVS.

NEC DICERE CINNA DIGNA. Cinna Smyrnam scripsit, quam nonum post annum, ut Catullus ait, edidit. Id quod & Quintilianus ait. Vnde etiam Horatium in arte poëtica dicunt ad eum allusisse, cum ait: *Nonumque prematur in annum.* Fuit autem liber obscurus adeo, ut & nonnulli ejus ætatis Grammatici in eum scripserint, magnamque ex ejus enarratione sint gloriam consecuti. Quod obscurus fuerit, etiam Martialis ostendit in illo versu: *Iudice te melior Cinna Marone fuit.* PHILARGYR.

ARGVTOS INTERSTREPERE ANSER, &c. Anserem Phœbeam laurum pertinacissime fugere tradunt; quoniam foliorum ejus esum sibi exitialem intelligit. Quia enim natura calidus est, cibis delectatur liquidis & frigidis, laurus vero ignea est. Iam vero proverbium, *Anser inter olores*, quadrabit in eos, qui indocti inter eruditos, stulti inter sapientes garrire audent, & cum molestia obstrepere. PIERIVS lib. 24.

LY. *Quid*

Ly. *Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem*
Audieram? Nvmeros *memini, si verba tenerem.*
Mor. *Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?*
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:
Astrum, quo segetes gauderent frugibus; & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes.
Omnia *fert ætas, animum quoque: sæpe ego longos*
Cantando puerum memini me condere Soles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrin
Iam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores.

SERVII.

Pvra svb nocte Serena.

Nvmeros memini. Metra vel rhythmos, vel certe numeros versuum.

Si verba tenerem; hoc est, carmen non teneo.

Daphni, qvid antiqvos, pro antiquorum. Daphni qvid antiqvos signorvm svspicis ortvs?

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrvm. Cum Augustus Cæsar patri ludos funebres celebraret, die medio stella apparuit: ille eam confirmavit parentis sui esse. Vnde sunt versus isti compositi. Dionæi autem, longe repetitum est, à matre Veneris Dionæ. Sane astrum græce dixit; nam stellam debuit dicere. Bæbius Macer, circa horam octavam stellam amplissimam quasi * lemniscaris coronatam ortam dicit; quam quidam ad inlustrandam gloriam Cæsaris juvenis, pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam, super caput auream stellam habentem, posuit: Inscriptum in basi fuit, Cæsari Emitheo. Sed Vulcanius aruspex in concionem dixit cometen esse, qui significaret exitum noni seculi, & ingressum decimi; sed quod invitis Diis secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum, & nondum finita oratione in ipsa concione concidit: Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitæ suæ complexus est; & hæc Mœris non ut sua, sed Virgilii refert, in honorem Augusti composita.

Qvo segetes gavderent frugibus. Ad mensem alludit Iulium, qui dictus est in honorem Cæsaris; quo & uvæ & frumenta maturescunt.

Insere Daphni pyros. Hoc in gratiam Augusti, per cujus beneficium securus de agris suis est. Carpent tva poma nepotes. Ac si diceret, Nihil est quod possis timere. nam illud respicit quod supra invidiose ait. *Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites: Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ: Non ego vos post hac viridi projectus in antro, Dumosa de rupe procul pendere videbo.*

Omnia fert ætas. Idest aufert. nam intelligimus eum subito obticuisse: nec quod cœperat implere potuisse. Animvm qvoqve. Etiam memoriam.

Longos soles. Id est æstivos dies finire: ut, *Treis adeo incertos cæca caligine Soles.* Condere, Finire, usque ad occasum ducere.

Nvnc oblita. Aut omissa, vel figurate quorum ego oblitus sum: Et ostendit Mœrin nullum suum; sed omnia Menalcæ carmina retulisse. Vox qvoqve Moerin iam fvgit ipsa. His versibus ostendit vigorem cantandi, quem prius habuerat, perdidisse; & per allegoriam obsessum malis animum, demonstrat.

Lvpi Moerin videre priores. Hoc etiam Physici confirmant: quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Vnde etiam proverbium hoc natum est, *Lupus est in fabula*: quotiens supervenit ille de quo loquimur, & nobis sui præsentia amputat facultatem loquendi.

VARIORVM.

Daphni, qvid antiqvos s. s. ortvs. Non opus est dicit, ad arandum, serendum, metendum, observare posthac veteres illos & consuetos ortus atque obitus siderum: sufficit pro illis omnibus, una stella Iulii Cæsaris: nec opus est, ut alia imploremus numina, præter numen faustum & propitium Augusti, sub quo procedunt nobis omnia felicissime. Lvd. Vives.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrvm. Dionæum Cæsarem appellat, in gratiam Iuliæ familiæ; tum quod ea ad Iulum genus refert; tum quod Romani à Venere per Æneam originem ducunt. Alludit ergo ad imaginem Cæsaris, quæ cum fulminibus & radiis effingebatur, stella capiti superaddita, quod post ejus mortem continuis diebus, ut tradit Suetonius, apparuisset, existimata Cæsaris anima. Vnde Lucanus lib. 7.

Fulminibus manes, radiisque ornabit & astris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras

German.

Omnia fert ætas, animvm qvoqve. Inter mala, quæ incurrunt in senectam plurima, primum fere incurrit oblivio, ut ait Seneca. Et quoniam tempus aufert, secat, & demetit quodammodo omnia, ob id Saturno falx attributa est: qui Græce κρόνος, cui tempora subjiciuntur, quæ eodem vocabulo, una tantum mutata littera, efferuntur, κρόνος, χρόνος. Pontanvs.

Sed

Sed tamen ista satis, referet tibi sæpe Menalcas.
Ly. *Causando nostros in longum ducis amores:*
Et nunc omne tibi stratum silet æquor: & omnes
(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via: namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris: hic, ubi densas
Agricolæ stringunt frondes, hic Mœri canamus:
Hic hœdos depone; tamen veniemus in urbem.
Aut, si nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes, licet usque (minus via lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.
Moe. *Desine plura puer: &, quod nunc instat, agamus.*
Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

SERVII.

SATIS REFERET TIBI SÆPE MENALCAS. Ordo est, satis sæpe.

CAVSANDO NOSTROS IN LONGVM DVCIS AMORES. Causas nectendo, differs nostra desideria.

TIBI SILET ÆQVOR. In tuam gratiam. Et hoc dicit, Vt possis canere, cuncta siluerunt. ÆQVOR. Spatium campi.

ASPICE VENTOSI CECIDERVNT MVRMVRIS AVRÆ. Frondes scilicet arborum, ostendens vel ipsas auras quievisse, quibus nihil omnino moveatur. Quod quidem ex Theocrito sumptum est. πᾶ δ' ὡς καλὰ κύματα φαίνετ' ἄσυχα παχλάζοντα.

BIANORIS. Hic est qui & Hocnus dictus est: de quo ait in decimo, *Fatidica Mantus & Tusci filius Amnis.* Conditor Mantuæ dictus Bianor autem est: quasi animo & corpore fortissimus, ἀπὸ τῆς βίας καὶ ἀνορίας.

STRINGVNT FRONDES. Amputant, decutiunt. Ipse in Georgicis, *Sed tamen & quernas glandes tunc stringere.*

TAMEN VENIEMVS IN VRBEM. Etiam si paululum quiescentes dederimus operam cantilenæ, & deest hodie.

NOX PLVVIAM NE COLLIGAT ANTE VEREMVR. Aër enim aut cum ortu Solis, aut cum occasu mutatur frequenter: quod Æneide etiam sæpius indicatur.

VSQVE EAMVS. Iugiter eamus, sed CANTANTES: ita enim minorem itineris sentiemus laborem.

HOC TE FASCE LEVABO. Si cantantes ierimus, hœdorum te onere ipse relevabo. Nam fascem ait onus. Sic in Georgicis, *Injusto sub fasce viam dum carpit.*

DESINE PLVRA PVER. Ac si diceret, Nimii desiderii es. Et plura, deest dicere; ut esset, desine plura dicere. QVOD NVNC INSTAT AGAMVS. Nos Centurionem placemus: nam cantare otiosorum est.

CVM VENERIT IPSE. Vel Virgilius, cujus adventu sperabat securitatem: vel ipse Augustus, qui Actiacis bellis fuerat occupatus.

VARIORVM.

CAVSANDO NOSTROS IN LONGVM. Causare est causas afferre. Lucret. lib. I. *Quamvis causando multa moreris.* Id est, multas causas afferendo. πολλὰ προφασιζόμενος. *Caussari* enim est tueri ac defendere se caussis prætexendis. PONTANVS.

NAMQVE SEPVLCHRVM BIANORIS. Veteres autem sepulchra fere propter vias habebant: quo prætereuntes admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales, ut Varro ait. Vnde & inscriptiones plerumque ad viatores directæ. Vid. I. Kirchmann. de Funerib. Rom. lib. 2. 22.

AGRICOLÆ STRINGVNT FRONDES. *Stringere*, proprie est arcta & stricta manu, & per ramos decurrente, vel folia, vel corticem, vel fructum abstrahere. hinc *Oleæ strictivæ* dicuntur ad differentiam *caducarum*. Camerarius *stringunt* interpretatur etiam *constringunt*: quasi fuerit περιφρακτικὴ sepisepimenti indicatio. TAVBMANNVS.

QVOD NVNC INSTAT, AGAMVS. Plaut. Trucul. *Sed hoc agamus, huc qua ventum est gratia.* Idem Capt. *Hoc agamus*, id est, agamus quod est in manibus, & quod instat. HOC AGE, proverbium est, cum jubemus quempiam attentum esse, seu animo præsentem esse. PONTANVS.

ECLOGA DECIMA.

GALLVS.

EXTREMVM hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cum fluctus subterlabêre Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe: sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ.

SERVII.

GALLVS. Hic est Cajus Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Ægypti præfectus. fuit eximius poëta: nam & Euphorionem (ut supra diximus) transtulit in latinum sermonem, & amorum suorum de Cytheride libros scripsit quatuor. Hic primum in amicis Augusti Cæsaris fuit: postea cum venisset in suspicionem, quod contra eum conjuraret, occisus est. Fuit autem amicus Virgilii; adeo ut quartus Georgicorum à medio usque ad finem ejus laudes teneret; quas postea jubente Augusto in Aristæi fabulam commutavit. Hic autem Gallus amavit Cytheridem meretricem libertam Volumnii, quæ eo spreto, euntem Antonium ad Gallias est secuta: propter quod dolorem Galli nunc videtur consolari Virgilius. Nec nos debet movere, quod cum mutaverit partem quarti Georgicorum, hanc eclogam sic reliquit. Nam licet consoletur in ea Gallum, tamen altius intuenti vituperatio est. nam & in Gallo impatientia turpis amoris ostenditur: & aperte hic Antonius carpitur inimicus Augusti, quem contra Romanum morem, Cytheris est in castra comitata.

EXTREMVM LABOREM. Non quod mihi laboriosum est (nam scribere, apud poëtas ludus est. ut, *Et ipsum Ludere quæ vellem calamo permisit agresti*) sed rem tibi laboriosam, scilicet ut Nympha virginitate gaudens, præstes de amoribus cantilenam. Vnde & rogat dicens, CONCEDE. Et verecunde pauca postulat, & eam adjurat etiam.

SIC TIBI CVM FLVCTVS SVBTERLABERE SICANOS. Per Arethusam autem Musam Siculam, id est bucolicum Theocritium invocat carmen. Sane Arethusa secundum latinitatem in penultima habet accentum: secundum rationem græcam, in tertia à fine; sic ut Creusa, & Creusa.

PAVCA MEO GALLO. Non ad cæterarum eclogarum comparationem: sed pauca, quantum ad Galli pertinet scripta; quæ (ut supra diximus) de suo amore composuit. IPSA, quæ amata sprevit amorem. LYCORIS, pro Cytheris, licet enim poëtis alia nomina pro aliis ponere.

SIC TIBI CVM FLVCTVS SVBTERLABERE SICANOS. Varia enim opinio est. Nam alii dicunt ad Arethusam Nympham Siciliæ, Alpheum de Elide venire per maria: secundum quos alibi dixit, Alpheum fama est huc Elidis amnem, Occultas egisse vias subter mare. Alii dicunt ipsam Arethusam jam in fontem mutatam Alpheum fugere, & de Elide ad Siciliam venire: quod nunc est secutus. Sane dicitur quodam tempore patera aurea in Arethusa inventa, quam Olympionicæ in Alpheum miserat; & cum Olympiæ hostiæ cæduntur, cruor earum * in Alpheum infusus, in Arethusam exit. SICANOS. Sicilia autem Sicania dicta, à Sicano terræ filio.

DORIS AMARA. Mater Nympharum est: quam pro mari posuit. vel Doris Oceani filia, conjux Nerei.

SOLICITOS. Solicitatos, plenos solicitudinis post Cytheridis abscessum, quam Lycoridem vocat. Fuerunt enim uno tempore nobiles meretrices tres: Cytheris, Origo, Arbuscula. Horatius, *Explosa Arbuscula dixit.* Idem, *Vt quondam Marsæus amator Originis, illi Qui patrium mimæ donat fundumque laremque.*

SIMÆ. Græcum est nomen: Id est pressis naribus. Vnde & simias dicimus: quod epitheton Theocritus dat præcipue apibus. Et dicens, *simæ virgulta capellæ.* Hic poëtam quasi pastorem posuit, *ὡς τήνῳ αἱ σιμαὶ λειμωνόθε φέρβεν ἰοῖσαι κέδρον ἐς ἁδεῖαν μαλακοῖς ἄνθεσσι μέλισσαι.*

VARIORVM.

EXTREMVM LABOREM vocat, ultimi carminis Bucolici poëma. Ita Hercules apud Propert. lib. 4. 9. *nostræ labor ultime clavæ.* TAVBMAN.

ARETHVSA. Quanquam Georg. 4. inter Nymphas Arethusam nominat; tamen hic *Arethusam* invocat tanquam Musam Siculam; ob patriam, quam illa communem habuit cum Theocrito, cujus imitator, Virgilius. PONTAN.

CVM FLVCTVS SVBTERLABERE SICANOS. Sicanam Siciliam dictam docet Eustathius, ab Iberorum colonia, à Sicano flumine in Siciliam deducta. Vnde & ab Homero & Herodoto promiscue pro eadem Sicania & Sicilia usurpatur. Diodorus tamen differentiam aliquam inter utramque observavit. GERMANVS.

Non

Non canimus surdis: respondent omnia sylvæ.
Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere puellæ
Najades, indigno cum Gallus amore periret?
Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aonia Aganippe.
Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ:
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt saxa Lycæi.
Stant & oves circum, nostri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, divine poëta.
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis:

SERVII.

NON CANIMVS SVRDIS, RESPONDENT OMNIA SYLVÆ. Per Echo, Id est vocis imitationem nos consolamur: & mira brevitate sensus hujus versus explicatus est. QVÆ NEMORA. Hinc carmen videtur incipere, Est quædam Theocriti ecloga, in qua suos amores deflere Daphnis inducitur. vel ut alii, quidam pastor Daphnin amore mortuum deflet. hujus omnem ordinem ad hanc eclogam transtulit.

SALTVS HABVERE PVELLÆ NAIADES. Nymphas simpliciter accipiamus. nam si proprie loqueretur, Oreades diceret. Najades enim, fontium: Oreades, montium Nymphæ sunt. Sane quia diximus easdem Nymphas quas Musas: videtur hoc dicere, quia si cum ipso fuissent Musæ; id est, si dedissent operam scribendis carminibus: non incidisset in tantas amoris angustias. vel cur eum amantem Musæ deseruerint, cum propter ingenium, earum esset antistes.

INDIGNO. Vel meretricio, vel magno. Nam & Ennius ait, *Indignas turres*, Id est magnas. Alii *indigno*, non quia Cytheris pulchra non fuerit, sed quia Gallus ab ea spretus sit.

NAM NEQVE PARNASSI VOBIS IVGA, NAM N. P. Parnassus mons Bœotiæ, Pindus Thessaliæ, ambo Apollini & Musis consecrati.

AONIA AGANIPPE. Nominativi sunt singulares. Aganippe autem fons est Bœotiæ, quæ & Aonia dicitur. Aonia autem brevis fit NI: quia sequitur vocalis vocalem. Callimachus Aganippem fontem esse dicit Permessi fluminis.

SOLA SVB RVPE, Deserta. Mænalus autem & Lycæus montes Arcadiæ sunt.

STANT ET OVES CIRCVM. Scilicet circa Gallum, ejus amorem stupentes. Sensus autem est, Sicut oves ô Galle circum te stare non pœnitet; ita nec te illarum pœniteat. nam etiam Adonis quondam ovium exstitit pastor. Et quod ait NOSTRI, miscuit suam personam, ut frequenter facere consuevit: nam erat integrum, *Tui nec pœniteat illas.* Alii pœnitet, pudet accipiunt.

NEC TE POENITEAT PECORIS DIVINE POETA. Allegoricôs hoc dicit, Nec tu erubescas bucolica scribere.

ADONIS. A habet accentum, quia græcum est nomen: tamen etiam Latine sic dicimus. nam Ádon nusquam lectum est. Et de hoc fabula talis: In Cypro insula regnavit Cinyras, habens filiam, Myrrham nomine; quæ Solis ira in amores incidit patris, cum quo etiam ministerio nutricis concubuit: Namque nutrix Myrrhæ dixit Cinyræ, esse quandam puellam quæ ejus amore flagraret, & concubitum nocte in tenebris propter verecundiam expeteret virginalem: hoc, Cinyras, incitatus libidine, pollicitus est: cupiens deinde videre vultus puellæ, lumen jussit inferri, visamque filiam persequi cum gladio cœpit, ut interficeret, quæ gravida de patre confugit in sylvas, ibique mutata est in arborem nominis sui; sed infantem conceptum etiam in cortice retinuit, & postmodum dente apri excisum emisit in lucem; qui à Nymphis educatus, Adonis cognominatus est, quem quia Venus adamavit, Mars in aprum transfiguratus occidit, quem multi miseratione Veneris in rosam conversum dicunt. Est etiam alter ordo hujus fabulæ; Ex Egypto Epivioſtasterius & Yon fratres, ad insulam Cyprum profecti sunt, atque ibi sortiti uxores, ex quorum genere Celes procreatus est; qui habuit Erinonam filiam; hæc cum esset nimiæ castitatis, & hoc à Minerva & Diana diligeretur, Veneri esse cœpit invisa, quæ cum puellæ castitati insidiaretur, in amorem ejus impulit Iovem, quem dolum postquam Iuno animadvertit, ut fraudem fraude superaret; petit à Venere, ut in amorem puellæ Adonem inflammaret; quem posteaquam nulla fraude sollicitare in ejus amorem potuit, objectis quibusdam nebulis, ipsum Adonem in penetrale Virginis produxit: Ita pudicitia puella per vim & fraudem caruit; sed hanc Diana irata circa Cisseum fluvium in pavonem mutavit: Adonis vero ubi cognovit se amatam Iovis vitiasse; metuens, profugit in montis Cassii sylvas, ibique immixtus agrestibus versabatur; quem dolo Mercurii monte deductum, cum aper, quem fabulæ Martem loquuntur, vehementer urgeret, & ab Adone vinceretur; repente fulmen Iuppiter jecit & Adonem morti dedit: sed cum Venus illusum sibi, & mortem amati Adonis sæpe quereretur; Mercurius miseratus imaginem Adonis, ut vivere crederetur, ad suos reduci fecit. Iuno autem à Iove petiit, ut Adonis, in lucis patriis, ævum degeret: tum Dianæ puellæ Erinomæ formam pristinam reddidit, quæ tamen ex Adone Taleum filium procreavit, & cum viro permansit.

Venit & upilio: tardi venere bubulci:
Vvidus hyberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant: tibi venit Apollo:
Galle quid insanis? inquit. tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.
Venit & agresti capitis Sylvanus honore;
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiæ venit; quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.
Et quis erit modus? inquit. amor non talia curat.
Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
Tristis at ille tamen, Cantabitis, Arcades, inquit,

SERVII.

VENIT ET VPILIO: Ovium custos, & propter metrum ait upilio: nam opilio dicimus. & græco usus est schemate: sicut illi dicunt οὔρεα, pro eo quod est ὄρη, & οὔνομα, pro eo quod est ὄνομα. TARDI VENERE SVBVLCI. Tardi, id est stulti. Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ. *Tardus es*, id est stultus. Nam porci cito ambulant. Alii pro fatigati accipiunt; quidam dicunt ideo tardi, quia porci nusquam pascuntur, nisi radicitus effodiant herbam. SVBVLCI autem pastores porcorum.

VVIDVS HYBERNA VENIT DE GLANDE MENALCAS. Vvidus, pinguis. Et humidum est quod extrinsecus habet aliquid humoris: Vvidum vero quod intrinsecus, unde uvæ dicuntur. quod tamen plerunque confundunt poëtæ. hiberna autem de glande, de collectione glandis, quia per hiemem colligitur.

VNDE AMOR ISTE. Id est tam impatiens, tam turpis. Alii sic intelligunt unde, quod non dignus illo atque superet * fastidiebatur.

GALLE QVID INSANIS. vult spem amoris desperatione sanare. TVA CVRA LYCORIS. Pene irrisorie dictum est TVA CVRA, id est pro qua tu ita solicitus es, te relinquit. Et bene cum alii interrogent, quasi deus Apollo divinat.

PERQVE HORRIDA CASTRA SECVTA. Horrida semper: nunc propter bella civilia. Et subtiliter hic tangit Antonium, ut supra dictum est.

QVASSANS. Concutiens.

QVEM VIDIMVS IPSI. utrum quia præsentia numina agrestium & ipse & Fauni; an quia solent numina plerumque se rusticis offerre. Vnde est, *Satis est potuisse videri.* Notandum sane quod ea numina plerumque quæ amaverunt, dicit ad amatorem venire. Nam Apollo amavit Daphnin; Pan Syringam; Sylvanus Cupressum.

SANGVINEIS EBVLI BACCIS, MINIOQVE RVBENTEM. Ebulum, genus est herbæ sambuco simile. MINIO autem ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter ætheris similitudinem. Æther autem est Iupiter. Vnde etiam triumphantes habent omnia Iovis insignia, sceptrum, palmatam. Vnde ait Iuvenalis, *In tunica Iovis.* Faciem quoque de rubrica illinunt instar coloris ætherei.

AMOR NON TALIA CVRAT. Quasi expertus in Syringa loquitur.

TRISTIS AT ILLE TAMEN. Alii TAMEN superioribus jungunt: sed melius ut sic legamus, *Tamen cantabitis*: ut sit sensus, Licet ego duro amore consumar, tamen erit solatium, quia meus amor erit vestra cantilena quandoque. Videtur enim neque objurgationes, neque consolationes recipere obstinate moriturus; nihil enim ad dicta ab eis respondit.

VARIORVM.

VENIT ET VPILIO. Veteres *oves* appellarunt *Opes*: & hinc deductum *Opicerda* (stercus ovium) & *Opilio*: & in nominibus propriis *Opilius*. Deinde vero, quia in multitudine pecorum, maxime ovium, antiqui illi divitias & censum, collocabant; ex eo *Opes* dictæ divitiæ; ita Græcis πολύμηλοι divites sunt. MEVRSIVS.

TARDI VENERE BVBVLCI. Alii *Subulci*, legendum, asserunt. Potuit enim hoc adjunctum, quod *bubulcis* proprium, submonere Servium & alios, *bubulci* hoc loco legendum esse non *subulci*, quibus tardis esse non licet, per porcorum celeritatem quos sequuntur. Deinde etiam Æl. Donatus tria tantum pastorum genera, quæ dignitatem in Bucolicis habeant, enumerat, *Bubulcos*, Opiliones & Caprarios. Quin & ille ipse Theocriti versus, quem hic noster æmulatus est, nullam *subulci* mentionem habet. ERYTHRÆVS.

TVA CVRA LYCORIS. Id est amor; ut *Iamdudum saucia cura.* Hæc autem Lycoris, Cytheris appellata est. PHILARGYRIVS.

SANGVINEIS EBVLI BACCIS. Hunc versum, Ruellius lib. de nat. stirp. citat; eo consilio ut doceat, *acinos & baccas* indifferenter nonnunquam confundi; etiamsi non indocti homines interesse hoc putent: quod *acini* inter minutiores fœtus herbarum, fruticum, arborumve, densius enascantur; *baccæ* vero dispersius & rarius; GERMAN.

Montibus

Digitized by Google

Montibus hæc vestris: soli cantare periti
Arcades. ô mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores.
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.
Certe sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, & vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret:
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata Lycori:
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer ævo.
Nunc insanus amor, duri me Martis in armis
Tela inter media, atque adversos detinet hostes.
Tu procul à patria (nec sit mihi credere) tantum,
Alpinas ah dura nives, & frigora Rheni,
Me sine sola vides. ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

SERVII.

ARCADES, Pastores; & allegoricôs ostendit Virgilius, quantum ei præstet, amorem ejus canendo. OSSA QUIESCANT. Hinc confirmat se esse moriturum.

OLIM. Futuri temporis est modo.

AUT CUSTOS GREGIS, AUT MATURÆ VINITOR UVÆ. Ac si diceret, Quid mihi cum urbibus, ubi meretrices tam pulchræ sunt, quam perfidæ? Vinitor autem, vel custos, vel cultor vinearum.

SEU QUICUNQUE FUROR. Omnis enim amor plenus furoris est. QUID TUM SI FUSCUS AMYNTAS? quasi ei objectum sit, quod Amyntas fuscus esset, sic respondit; quid deinde si fuscus est?

MECUM INTER SALICES. Videlicet, alterutter, vel quisquis ille, vel ille fuerit.

HIC GELIDI FONTES HIC MOLLIA PRATA LYCORI. Ac si diceret, Quid te juvat inter frigora Gallicana demorari? & cum optasset aliud, iterum ad amatum rediit.

HIC IPSO ÆVO, id est flore ætatis.

NUNC INSANUS AMOR. Hinc usque ad finem, amatoris inconstantia exprimitur; cui electa displicent statim.

TELA INTER MEDIA ATQUE ADVERSOS DETINET HOSTES. Ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est: ut ME, sit meum animum.

NEC SIT MIHI CREDERE TANTUM. Tantum, quidam, tam longe abest ut nolim credere te tam longe abesse: vel certe ordo est, Tu tantum procul à civitate, quæ solebas solis urbibus frui. & per parenthesim dictum est, *nec sit mihi credere*: Id est quod utinam non credam. Hi autem omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus. Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, *miserumque nimis credere est.*

AH DURA. Quæ & amatorem spernis, & Gallicana potes frigora sustinere.

ME SINE SOLA VIDES. Hinc est, *Sola domo mæret vacua.* nam meretrix sola esse non potest. AH TE NE FRIGORA LÆDANT. Inconstantem animum expressit, miserantem & optantem.

TENERAS PLANTAS. Ostendit illam pulchram.

VARIORUM.

MOLLITER OSSA QUIESCANT. Simile est quod sepulchris inscribebatur, sit tibi terra levis, his litteris majusculis S. T. T. L. Quod ad verbum pæne interdum Poëtæ usurpant. Ovid.

Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et patris Anchisæ molliter ossa cubent.

Mart. *Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.* URSINUS.

ATQUE UTINAM EX VOBIS. [illegible] hoc dicit, utinam contentus mea sorte vixissem vitam inhonoratam: reperissem enim in illa conditione amores congruentes. TAUBMANNUS.

NUNC INSANUS AMOR, &c. ME, id est animum meum; Amantium enim sunt σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία. Et venuste dixit Plato, *Amantis animum in proprio corpore mortuum, vivere in alieno.* Congruenter illud, *Animum amantis magis esse ubi amat, quam ubi animat.* PONTAN.

Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est, in sylvis, inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores.
Arboribus: crescent illæ: crescetis amores.
Interea mistis lustrabo Mænala Nymphis:
Aut acres venabor apros: non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor, lucosque sonanteis
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc sit nostri medicina furoris;
Aut deus ille malis hominum mitescere discat.
Iam neque Hamadryades rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent: ipsæ rursus concedite sylvæ.
Non illum nostri possunt mutare labores.

SERVII.

IBO, ET CHALCIDICO QVÆ SVNT MIHI CONDITA VERSV CARMINA. &c. Eubœa insula est, in qua est Chalcis civitas: de qua fuit Euphorion, quem transtulit Gallus. Et hoc dicit, Ibo, & Theocritio stylo scribam carmina Euphorionis. Alii dicunt ideo magis per Chalcidem Theocritum significari, quod de Calchide profecti sint, qui Naxum in Sicilia condiderunt. Alii volunt ipsum Theocritum de Sicilia ad Chalcidem postea migrasse. Circa hanc Chalcidem ille Euripus est, qui septies in uno die æstu maris fluit ac refluit. Sinus ipse in quo supradicta loca constituta sunt, Salæneus dicitur.

SPELÆA FERARVM. Græce ait, pro speluncis.

CRESCENT ILLÆ. Quasi ei iterum displicet, ne cum arboribus, ejus crescant amores. Sane breviter dictus iste totus sensus.

MISTIS LVSTRABO MÆNALA NYMPHIS. [illegible], pro immixtus Nymphis. multis enim unus miscetur.

PARTHENIOS CANIBVS CIRCVMDARE SALTVS. Parthenius mons est Arcadiæ, dictus à virginibus, id est ἀπὸ τῶν παρθένων, quæ illic venari consueverant: vel à Parthenio Iovis filio, Arcadis fratre; vel quod ibi virginitas Calistonis delibata sit; vel quod Partheniæ Lacedæmonii duce Falanto, ibi aliquando consedissent, priusquam in Italiam navigarent, ac Tarentum conderent. VETABVNT FRIGORA. quasi amore ardens loquitur.

TANQVAM HÆC SIT NOSTRI MEDICINA LABORIS. Iam quasi ad se recurrit: & illud quod supra audiit, respicit, *Amor non talia curat.*

IAM NEQVE HAMADRYADES. Amantis animum expressit, cui quod ante placuit, statim displicet. Nymphæ quæ cum arboribus & nascuntur, & pereunt, [illegible]; qualis fuit illa quam Erysichthon occidit: qui cum arborem incideret, & vox inde erupit, & sanguis, sicut docet Ovidius. Dryades vero sunt quæ inter arbores habitant. Oreades quæ in montibus. Sane ab ovibus Nymphæ peribelides; à fluminibus Najades; à pratis Limoniadas; ab alimonia infantum Curotrofæ nominantur. Hoc autem ad superiora pertinet, quia dixerat, *Mistis lustrabo Mænala Nymphis.* NEC CARMINA NOBIS IPSA PLACENT. Quia dixerat, *Carmina pastoris Siculi modulabor avena.*

IPSÆ RVRSVS CONCEDITE SYLVÆ. Propter illud, *jam mihi per rupes videor, lucosque sonantes ire.* Concedite vero hic abite. supra aliter, *concede laborem.*

VARIORVM.

IBO ET CHALCIDICO QVÆ, &c. Id est carmina Euphorionis à me facta Latina, cantu Bucolico modulabor. H. STEPHANVS.

TENERISQVE MEOS INCIDERE, &c. Solebant prisci, non sola deliciarum suarum nomina, sed carmina etiam, de suis delitiis amatoria, in corticibus arborum exarare, tum etiam in parietibus. Ita Ovidius in Oenones epist.

Incisæ servant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt.
Crescite, & in titulos surgite rite meos.

De hoc more vide Aristophanis interpret. in Acharn. locum. item P. Victor. lib. 16. cap. 15. PONTANVS.

PARTHO TORQVERE CYDONIA CORNV. Luxuriosa magnificentia: siquidem ad arma unius sagittarii instruenda, diversarum gentium artificia contraxit. CYDONIA autem SPICVLA, sunt Cretica. Nam Creticæ arundines imprimis idoneæ ad jacula ac sagittas habitæ. TAVBMAN.

Nec

Digitized by Google

Nec si frigoribus mediis, Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosæ;
Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri.
OMNIA *vincit amor: & nos cedamus amori.*
Hæc sat erit divæ vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.
Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra.
Iuniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

SERVII.

NEC SI FRIGORIBVS MEDIIS HEBRVMQVE BIBAMVS. Manifestius hoc dicit, amore se carere non posse: nec si Hebrum Thraciæ fluvium mediis frigoribus bibat: nec si æstibus nimiis fuerit in ardenti provincia. Dicit autem hoc secundum Physicos, qui morbos aut à contrariis, aut à similibus asserunt posse depelli. Sic Theocritus, εἴης δ' ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ Ἕβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτω ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ' αἰθιόπεσσι νομεύοις.

SYTHONIASQVE NIVES. Sython est mons vel gens Thraciæ.

LIBER. Corticis pars interior.

VERSEMVS. Pascamus, quoniam qui pascit huc & illuc agit pecus; quod est versare, ut est in Æneide. *In currum deserto in gramine versas*; aut exerceamus & tractemus, ut in undecimo, *Consilio versare dolos ingressus*; & item, *seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.*

OMNIA VINCIT AMOR, ET NOS CEDAMVS AMORI. Cuivis enim facilius quam amori repugnatur, quod eleganter Plautus explicuit. *Qui amans egens ingressus est princeps in amoris viam, superavit ærumnis suis ærumnas Herculis; nam cum Leone, cum excetra, cum apro Aetolico, cum avibus Stimfalicis, cum Anthæo me deluctari maluerim, quam cum amore.*

HÆC SAT ERIT. Iam ad Musas loquitur.

GRACILI FISCELLAM TEXIT HIBISCO. Ac si diceret, Nisi hac re occupatus minime canerem. Allegoricώs autem significat se composuisse hunc libellum tenuissimo stylo.

QVANTVM VERE NOVO VIRIDIS SE SVBIICIT ALNVS. Vere novo, vel generaliter, vel sibi novo: viridis autem pro tenera; & hoc dicit, Amo inquit Gallum, sed latenter sicut arbores crescunt. Nam comparatio ista hoc significat: scilicet propter Cæsarem subjicitur rei, vel sursum jacit, vel subter jacit.

NOCENT ET FRVGIBVS VMBRÆ. Quanto magis hominibus? Vnde est in Georgicis, *Et ruris opaci Falce premes umbram*; & item alibi, *aut umbra nocet.*

ITE DOMVM SATVRÆ, VENIT HESPERVS, ITE CAPELLÆ. Verecunde se capellarum dicit esse pastorem; Id est, vilissimorum animalium. nam bucolica scribens, debuit se dicere, boum esse pastorem: sed vitans arrogantiam, ultimum se voluit esse, non principem in scribendis Bucolicis: quamvis alii dicant, ideo eum etiam capellarum se memorasse pastorem, quod apud nonnullos de capris propter abundantiam lactis vel fœtuum, major fructus putetur, ut ipse ait, *Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.* Et item, *Quo minor est illis cura mortalis egestas.*

VARIORVM.

VIRIDIS SE SVBIICIT ALNVS. Forsan *subiicit* ita accipiendum, ut submittit apud Lucretium lib. 1. *tibi suaves Dædala tellus, Submittit flores.* Et 2. Georg. & alibi, *Parnassia Laurus Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* Vbi *subjicere*, se surrigere & attollere significare videtur. GERMAN.

SOLET ESSE GRAVIS CANTANTIBVS. De gravitate umbræ Iuniperi, & an noxia sit varie disputatum. Sunt etiam qui legant CVNCTANTIBVS, pro *cantantibus*, & talem inde sensum eliciunt: Surgendum à cantu; quod umbra adventantis noctis gravis sit, atque adeo etiam Iuniperi, quæ alioqui grata: si ergo in noctem sub ea cunctetis. &c. Vid. ROB. TITIVM. lib. 10. cap. 1.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER PRIMVS.

AD MÆCENATEM.

VIRGILIVS in operibus suis diversos secutus est poëtas: Homerum in Æneide: quem, licet longo intervallo, secutus est tamen. Theocritum in Bucolicis, à quo non longe abest: Hesiodum in his libris, quem penitus reliquit. Hic autem Hesiodus fuit de Ascra civitate, qui scripsit ad fratrem suum Persen, librum, quem appellavit ἔργα καὶ ἡμέραι, id est opera & dies. Hic autem liber continet, quemadmodum agri, & quibus temporibus sint colendi: cujus titulum transferre noluit, sicut Bucolicorum transtulit: sicut in Æneide appellavit ad imitationem Odysseæ: tamen eum per periphrasim primo exprimit versu; dicens, Indicabo quo opere, & quibus temporibus ager colendus sit. Ingenti autem egit arte, ut potentiam nobis sui indicaret ingenii, coarctando lata, & angustiora dilatando. Nam cum Homeri & Theocriti brevitate scripta collegerit: unum Hesiodi librum divisit in quatuor. quod ratione non caret. nam omnis terra (ut etiam Varro docet) quadrifariam dividitur. Aut enim arvus est ager, id est sationalis: aut consitus, id est aptus arboribus: aut pascuus, qui herbis tantum & animalibus vacat: aut florens, in quo sunt horti apibus congruentes & floribus. Male autem quidam Georgicorum duos tantum esse asserunt libros: dicentes Georgicam esse, γῆς ἔργον, id est terræ operam: quam primi duo continent libri: nescientes tertium & quartum licet Georgiam non habeant, tamen ad utilitatem rusticam pertinere: nam & pecora & apes habere, studii est rustici: licet possimus agriculturam etiam in his duobus sequentibus invenire. Nam & farrago sine cultura non nascitur: & in hortis colendis non minorem, quam circa terras, constat esse laborem. Et hi libri, didascalici sunt. Unde necesse est ut ad aliquem scribantur; nam præceptum & doctoris & discipuli personam requirit. Unde ad Mæcenatem scribit: sicut Hesiodus ad Persen, Lucretius ad Memmium. Sane agriculturæ hujus præcepta non ad omnes pertinent terras, sed ad solum situm Italiæ, & præcipue Venetiæ, teste ipso Virgilio, qui ait, *Tibi res antiquæ laudis, & artis Ingredior;* cum de Italia diceret.

QVID

QVID *faciat lætas segetes: quo sydere terram*
Vertere Mæcenas; ulmisque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori; atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. Vos, ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum:

MAVRI SERVII HONORATI GRAMMATICI.

IN PRIMVM GEORGICON COMMENTARIVS.

QVID FACIAT LÆTAS SEGETES. Fertiles, fœcundas, id est, Quæ res terras pingues efficiat. segetem enim modo pro terra posuit: sic alibi, *Horrescit strictis seges ensibus.* Pingues autem efficit terras: (ut paulo post dicturus est) cinis, intermissio arandi, incensio stipularum, stercoratio. Vnde etiam *lætas* ait. Nam fimus, qui per agros jacitur, vulgo lætamen vocatur. Sane QVID FACIAT non interrogat, sed pollicetur. QVO SYDERE TERRAM. Quo tempore: ex syderibus enim tempora colliguntur. Et sciendum quatuor primis versibus, textum sequentium quatuor librorum per ordinem contineri. Sane Sydus proprie est quod in se plures continet stellas, sed à poëtis confuse ponitur.

TERRAM VERTERE, περιφραστικῶς arare. VLMISQVE ADIVNGERE VITES. Subauditur, QVO SYDERE. & hoc secundum Italiæ situm locutus est: in qua vites altius elevantur. sic alibi, *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Hoc autem rustici maritare dicunt.

QVÆ CVRA BOVM, QVI CVLTVS HABENDO SIT PECORI. Aut in sequenti epexegesis est; hoc ut sit, *Qui cultus habendo sit pecori*: quod est, quæ cura boum. Aut certe κατ' ἐξοχὴν ait boves, & postea intulit cætera pecora: ut majus animal separaret à minoribus: sicut de hominibus facit; dicens, *Relliquias Danaum, atque immitis Achilli.* HABENDO autem, dum habentur, ut alibi. *Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo*: dativum ergo pro genitivo posuit, nam habendorum pecorum facit, sicut apium parcarum. Et CVLTVM, hic habitudinem corporis significat, alias ornatum. Sallustius, *Cultu corporis ornata egregio.* &, Iugurth. *cultu quam maxime miserabili Romam venit.* alias ad animum refertur. *Vt, queis neque mos, neque cultus erat.* Sallust. *Indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes transiere.*

QVANTA, quam magna. HABENDO PECORI. Hoc est ut habeatur pecus. EXPERIENTIA, vel usu nata doctrina. Hoc est ἡ πεῖρα, vel notitia. PARCIS. Servatricibus frugi, quæ mella custodiunt.

HINC CANERE INCIPIAM. pro dehinc, vel deinceps, non ergo ab apibus, sed quid faciat lætas segetes. VOS Ô CLARISSIMA MVNDI LVMINA, LIBER ET ALMA CERES. Stoici dicunt non esse nisi unum deum, & unam eandemque esse potestatem, quæ pro ratione officiorum nostrorum, variis nominibus appellatur. Vnde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proserpinam dicunt: secundùm quos, pro Sole & Luna, Liberum & Cererem invocavit.

LVMINA. Numina fuit, sed emendavit ipse, quia postea ait. *Et vos agrestum præsentia numina Fauni.* LABENTEM, currentem, vel cito transeuntem. QVÆ DVCITIS ANNVM. Quorum cursu tempora computantur. Nam per Lunam, mensis: per Solem, annus ostenditur. Vel certe deducitis per duodecim sydera, aut ducitis, pro finitis; ut, *noctem custodia ducit*: & alibi, *hic noctem ludo ducunt.*

VARIORVM.

QVID FACIAT LÆTAS SEGETES. Prædivisione, quam Græci προδιαίρεσιν vocant, quid quoque libro præcipiat, significat: Hic enim rationem arvorum, cultibus agrestibus necessariam, ex sydերum observatione, relaturum se promittit: secundo demonstraturum, quemadmodum vitibus ulmi maritentur, & quæ cum his olearum cura agi debeat; tertio, armentorum, pecorumque rationem; quarto apum indicaturum. PROBVS.

QVID FACIAT LÆTAS SEGETES. Videtur autem hic *lætas segetes* dixisse, ut Hom. Iliad. μ. πεδία λωτοῦντα, καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα: qui Homeri versus interpretationi Servianæ respondet. nam ille, *lætas* pingues explicat, & fimum lætamen accipit. Sæpe vero poëta πίονα ἔργα, pinguia culta transfert; & ut hic *lætas segetes*, sic alibi *Sata læta, boumque labores*. GERMANVS.

VLMISQVE ADIVNGERE VITES. Plinius lib. 14. cap. 1. *In Campano agro vites populo nubunt: maritasque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes, cacumina æquant.* Quæ vero arbores vitibus maritandæ, idem lib. 17. cap. 23. Cur autem maritentur vitibus arbores, rationem tradit VARRO de re rustic. lib. 1. cap. 8.

LABENTEM CÆLO QVÆ DVCITIS. Credo equidem hic poëtam ea forma ducere annum dicere, qua sæpe ducere diem, *& noctem ducentibus astris: &, Iamque jugis summæ fulgebat Lucifer Idæ, Ducebatque diem.* Dare autem videtur ducendi anni partes Libero & Cereri, quod messe & vindemia, anni potissima tempora & vices distinguantur. GERMANVS.

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis:
Et vos agrestum præsentia numina Fauni;
Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ:
Munera vestra cano. tuque ô, cui prima frementem

SERVII.

ALMA CERES. Alma, ab alendo: Ceres à creando dicta. Quamvis Sabini Cererem, panem appelleut, Liberum, Lebasium. dictum autem, quia Græce λοιβὴ dicitur res divina: vel simul Liberum, & Cererem posuit, quia eis templa simul posita sunt, & ludi simul eduntur. VESTRO SI MVNERE. Quoniam sine cibo & potione vivere non possumus. vel munere, beneficio; ut, *munere victor amici*. Si autem hic pro, siquidem. Nam si modo confirmantis est. Terentius, *Non si rediret pater ei veniam daret?*

CHAONIAM PINGVI GLANDEM MVTAVIT ARISTA. Epiroticam. Quæ cur Chaonia dicta sit, in tertio Æneidos plenius habes; & hic Epiroticam à loco in quo abundant glandes, quibus antea homines vescebantur. vel quod ibi Quercus Iovi Dodoneo sacrata, quæ hominibus responsa reddebat; ex hac cum fuisset excisa, columbæ, quæ vaticinabantur, volasse dicuntur. Et modo speciem pro genere posuit. non enim aut in Epiro tantum glandes fuerunt: aut de solo Acheloo homines potare consueverant. Pingui autem aristæ, modo pro frumento posuit: & affectate ait pinguem aristam, cum proprie arista ab ariditate sit dicta: glandem vero mutavit arista, ita ait, ut togam paludamento mutavit. ut, POCVLAQVE INVENTIS ACHELOIA MISCVIT VVIS. Achelous terræ fuisse filius dicitur, ut solet de his dici, quorum per antiquitatem latent parentes. Hic cum de Melpomene; vel ut quidam dicunt de Calliope Syrenas habens filias, amisisset, & mœrore conficeretur, auxilium matris oravit, ut sibi seni luctus remedium præstaret, quæ miserans filium, patefactis antris intra se obruit; cui postea ut perennem famam nominis daret, in Ætolica regione fluvium ejusdem vocabuli nasci fecit; quem nonnulli de Pindo monte Thessaliæ oriri adserunt. Circa hunc Staphylus Oenei pastor, cum animadverteret ex capris unam esse pinguissimam, intellexit id pabuli libertate fieri; secutus itaque eandem, cum vidisset uvis vesci; admiratus, & novitatem, & dulcedinem, decerptum fructum protulit regi, qui cum liquorem expressisset, à suo nomine vocavit œnon, ab inventore Staphylem. Sed Hercules cum propter uxorem Dejaniram cum Acheloo contenderet, cornu ejus unum fregit, quod Græce κέρας dicitur: sed hic Acheloum non præter rationem dixit: nam sicut Orpheus docet, & Aristophanes comicus, & Ephorus historicus tradunt; Acheloum generaliter propter antiquitatem fluminis, omnem aquam veteres vocabant. Ergo quia specialiter Achelous Græciæ fluvius est, aut species est pro genere: aut secundum antiquitatem est locutus.

ET VOS AGRESTVM PRÆSENTIA NVMINA FAVNI. Id est, propitia; ut, *Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.* quorum præsentia favor est. Et bene de diversis rebus dicturus, diversa invocat numina. Hoc enim & in sacris fieri solebat, ut post specialia ad eam rem, de qua agebatur invocata numina, omnes dii vel deæ confuse invocarentur. PRÆSENTIA NVMINA FAVNI. Præsentia, quoniam dicuntur usque ad ea tempora, quibus fuit Faunus, qui dictus est à fando, visa esse numina: Quidam Faunos putant dictos ab eo quod frugibus faveant. Cincius & Cassius ajunt ab Evandro Faunum deum appellatum; ideoque ædes sacras, Faunas primo appellatas, postea fana dicta; & ex eo, qui futura præcinerent, Fanaticos dici.

FAVNIQVE PEDEM: Cum unus Faunus sit, cur pluraliter posuit? * sese. Sed Varro ad Ciceronem ita ait: *Dii Latinorum ita*, ut Faunus & Fauna sit per * ex versibus quos vocant Saturnios, in silvestribus locis solitos fari futura, atque inde Faunos dictos. FERTE SIMVL FAVNIQVE PEDEM. *Ferte*, aut simul venite: aut date carmini meo facilitatem, quod utique pedibus continetur: ut sit, *Ferte pedem*, metricam præstate rationem. DRYADESQVE PVELLÆ. Dryades à quercubus, quod jam supra dictum est.

VARIORVM.

LIBER ET ALMA CERES. Hoc loco vult intelligi Lunam, Cererem: à creando dictam; quia maturet fruges. Solem, Liberum, quia libere pervagetur per aëra, neque ei fulgor aliorum syderum lumina perstringat: vel quia maturet vineas. PROBVS.

CHAONIAM PINGVI GLANDEM. Chaonia dicta glans, à Chaonia regione Epiri, in qua Dodonæi Iovis est oraculum, à loco dictum Dodone, ejus regionis. Itaque columbas existimant etiam ab ea regione Chaonas dictas, & in oraculo fuisse vocales, & responsa dedisse consulentibus. Traditur etiam quercus arbor, subjecta tutelæ Iovis, fuisse æque vocalis, ut Dodone; & responsa dedisse apud idem oraculum; quod testatur Virgilius, dicens: *Atque habitæ Grajis oracula quercus.* Vnde dici Chaoniam glandem, ipse declarat, cum dicit: *Chaoniique patrus glandes.* Appellata autem est ea regio, à Trojano Chaone, Chaonia, ut ipse testatur: Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit. PROBVS.

FERTE SIMVL FAVNIQVE PEDEM. Eundem Pana, eundem Inuum, eundem Faunum, quidam interpretantur: quod ei in Italia quidam annuum sacrum celebrant; quidam menstruum. Existimatur autem Faunus fuisse rex Aboriginum, qui cives suos mitiorem vitam docuerit, ritu ferarum viventes: & primus loca certa nominibus, & ædificia quædam locosque sacraverit: à quo & Fana sunt dicta: ipse autem receptus in deorum numerum creditur. Itaq; etiam oraculum ejus in Albunea, Laurentinorum sylva est. PROBVS.

Fudit

Digitized by Google

Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune: & cultor nemorum, cui pinguia Cea
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.
Ipse nemus linquens patrium, saltusque Lycæi
Pan ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis, ô Tegeæe, favens; oleæque Minerva

SERVII.

TUQUE O, CUI PRIMA FREMENTEM FUDIT EQUUM MAGNO, &c. Antiquissimi libri FUDIT AQUAM, plerique habuerunt. Quoniam Neptunus & fluminibus & fontibus, & omnibus aquis præest, ut ipse docet; aut *preceps Neptuno immerserit Eurus*, sed melius EQUUM. Propter armenta. In Corn. equum, in authentico aquam ipsius manu equum. Fabula talis est, Cum Neptunus & Minerva de Athenarum nomine contenderent, placuit diis ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus percusso littore equum animal bellis aptum produxit: Minerva, jacta hasta, olivam creavit: quæ res est melior comprobata, & pacis insigne. Vt autem modo Neptunum invocet: causa ejus muneris facit, quia de equis est dicturus in tertio: alioquin incongruum est, si de agricultura locuturus, numen invocet maris. Equum autem à Neptuno progenitum alii Scythium, alii Schironem, alii Arionem dicunt fuisse nominatum. Et ideo dicitur equum invenisse: quia velox est ejus numen, & mobile, sicut mare. Vnde etiam Castor & Pollux, quia eorum velocissimæ stellæ sunt, equos in tutela habere dicuntur. Sane hunc equum cujuscunque nominis, alii apud Arcadiam, alii in Thessalia editum dicunt; in quo etiam, montem altissimum ostendunt, ubi primum equus visus sit; in tantum ut ob hanc caussam à Thessalis Neptuno equestre certamen memorent institutum: unde ut apud Græcos ἵππιος ποσειδῶν, à nobis equester Neptunus. Alii hanc eandem de equo opinionem varie adserunt: nam primum equum, & mox pullum equinum matre editum tradunt; quidam marem magis pullum initio editum volunt: nonnulli Saturno, cum suos devoraret, pro Neptuno, equum oblatum devorandum tradunt; Vnde Illyricos quotannis ritu sacrorum equum solere aquis immergere: hoc autem ideo quod Saturnus humoris totius, & frigoris deus sit.

PRIMA autem, multi pro olim accipiunt. ut, *Prima, quod ad Trojam pro charis gesserat Argis.* Alii prima ideo quod post Scythium, Arionem genuit. Nonnulli vero ob hoc, CUI PRIMA FREMENTEM FUDIT AQUAM legunt, quod veteres murmura aquæ, fremitum dicebant: Ennius, *Ager oppletus imbrium fremitu.* Et denuo, *ratibusque fremebat imber Neptuni*, Virgil. in XI. *Vicinaeque fremunt ripæ crepitantibus undis.* Ergo prima aut proprium, quia & Pegaso fontem in Bœotia icta ejus ungula fudit; aut *prima tellus*, id est littus. ut, *primaque vetant consistere terra.*

ET CULTOR NEMORUM, CUI PINGUIA CEÆ. Aristæum invocat, id est Apollinis & Cyrenes filium: quem Hesiodus dicit Apollinem pastoralem. Hic (ut etiam Sallustius docet) post laniatum à canibus Actæonem filium, Thebas reliquit: & Ceam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam: post ea relicta, cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit. Huic opinioni Pindarus refragatur, qui eum ait de Cea insula in Arcadiam migrasse, ibique vitam coluisse. Nam apud Arcadas pro Iove colitur, quod primus ostenderit, qualiter apes debeant reparari: ut ait poëta de hoc ipso Aristæo, *Tempus & Arcadii memoranda inventa magistri Pandere.* CULTOR autem pro incola. Cea vero insula in Ægeo mari. DUMETA, frutices.

IPSE NEMUS LINQUENS PATRIUM, PAN OVIUM CUSTOS. Pindarus, Pana ex Penelope filium dicit, unde multi patrium pro paternum accipiunt, eo quod Pan non Arcas sit, sed Ithachesius, ut à patre, non à patria vox hæc videatur detorta; quia in Arcadia genitus. SALTUSQUE LYCÆI. Montis Arcadiæ. PAN OVIUM CUSTOS. Ideo Lyceus Pan ovium custos, quod lupos ab ovium gregibus depellat.

SI TIBI. Si quidem tibi, Mænala autem mons Arcadiæ: dictus ἀπὸ τῶν μήλων, id est ab ovibus, quibus plenus est.

TEGÆE. Vocativus est, à derivatione Tegæi oppidi Arcadiæ, & Tegeus tribrachus est: Tegæus Pæan tertius. FAVENS, Pro volens & per hoc propitius, *Favere* enim veteres etiam velle dixerunt. Ennius, *Matronæ moeros complent spectare faventes.* nonnunquam favere & pro tacere ponitur, ut idem in iniis, * *ore faventes*: Et Virgilius in quinto, *Ore favete omnes.* OLEÆQUE MINERVA INVENTRIX. Eo tempore quo adversum Neptunum de nomine civitatis contendit, quod jam supradictum est. cui fabulæ hoc additur, quod postquam Minerva inventa olea Neptunum vicerit; indigne ferens Alirotheus Neptuni filius oleas cœpit excidere; cui, dum hoc facit, ferrum de manubrio decidit & ei caput amputavit: Neptunus vero dolens filii sui obitum, Martem homicidii cœpit arguere: inde effectum est ut Mars & Neptunus de hac re judicium apud Atheuas experirentur; unde locus ubi Iudices sederunt Areios pagos, Iudices Atheniensium, Areopagitæ appellantur.

VARIORUM.

OLEÆQUE MINERVA INVENTRIX. Sunt qui dicant Athenis prolatam esse olivæ ramum à Minerva. Sunt qui putant olei humorem idcirco Minervæ convenire, quia nulli possit misceri, incorruptus & integer, comparabilis virgini Deæ, quæ ex uno parente dicatur esse genita, quam sapientiam interpretantur virtutem inviolabilem, ut Homerus. GLOSS. MSS. LUGD.

Inventrix: uncique puer monstrator aratri:
Et teneram ab radice ferens, Sylvane, cupressum.
Dijque, deæque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis nonnullo semine fruges:
Quique satis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum

SERVII.

VNCIQVE PVER MONSTRATOR ARATRI. Alii Triptolemum, alii Osyrim volunt: quod magis verum est, ut dicit Propertius, vel Tibullus. Nam Triptolemus frumenta divisit. Quod munus ei Ceres dedit propter humanitatem patris Icari; qui eam, cum Proserpinam captam in conjugium à Plutone quæreret, in Attica suscepit hospitio. Alii talem de hoc Triptolemo fabulam tradunt: Ceres cum Proserpinam filiam quæreret ad Eleusinum regem devenit, cujus uxor Cyntinia puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem pueri amore ducta simulavit reginæ; sed nutrix recepta cum vellet alumnum suum immortalem reddere, interdiu cum lacte divino alebat, noctu in ignem clam obruebat. Itaque præterquam solebant mortales, crescebat: Id sic fieri cum pater admiraretur, nocturno tempore observavit, cum Ceres vellet puerum in cinere & in igne abscondere: Pater exclamavit, illa irata Eleusinum exanimavit. Triptolemo alumno suo æternum beneficium dedit. Nam ad fruges portandas currum draconibus junxit; deditque ei, quibus ille vectus orbem terrarum frugibus obseruit; quem postquam domum rediit cum Cephalus rex interficere voluisset, per cognita jussa Cereris Triptolemo regnum tradidit; qui accepto regno oppidum constituit, & ex patris nomine Eleusinum nominavit, Cererique sacra primus instituit, quæ θεσμοφόρια, Græce dicuntur. Varro de scenicis originibus, vel in Scauro, Triptolemum dicit Nigidius feræ barbaricæ sub virginis * signo arator, quem Orona Ægytii vocant; quod Oron Osyridis filium ab hoc educatum dicunt. Ergo Osyris significatur, ut, Philostephanus περὶ εὑρημάτων, vel Epimenides, qui postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem.

ET TENERAM AB RADICE FERENS SYLVANE C. Sylvanus deus est sylvarum. Hic amavit puerum *Cyparissum* nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. Hanc cum Sylvanus nescius occidisset, puer est extinctus dolore: quem amator deus in cupressum arborem ejus nominis vertit, quam pro solatio portare dicitur. Sane in Bucolicis alium illi habitum dedit, *Venit & agresti capitis Sylvanus honore.* quidam Sylvanum primum instituisse plantationes dicunt, ideo *tenera ab radice* poëtam dixisse. An *ab radice tenera*, quia cæsa cupressus dicitur non renasci; idem invalida, an ab radice tenens?

DIIQVE DEÆQVE OMNES. Post specialem invocationem, transit ad generalitatem: ne quod numen prætereat. More Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. STVDIVM QVIBVS ARVA TVERI. Nomina hæc numinum in Indigitamentis inveniuntur, id est in libris pontificalibus: qui & nomina deorum & rationem ipsorum numinum continent: quæ etiam Varro dicit. Nam (ut supra diximus) nomina numinibus ex officiis constat imposita. Verbi causa, ut ab occatione, deus Occator dicatur: à Sarritione, deus Sarritor: à stercoratione, Stercilinius: à satione, Sator. Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat Flamen sacrum Cereale faciens telluri & Cereri, Vervactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem. TVERI, pro tuendi, aut tuendorum.

QVIQVE NOVAS ALITIS. Id est omnes qui hoc potestis. NONNVLLO SEMINE. Id est aliquo, & hoc dicit, Qui à nobis jacta semina vestris seminibus alitis. Semina autem dicit deorum cæli temperiem, pluvias, teporem: Vel NONNVLLO SEMINE ab hominibus scilicet jacto; ut, *quippe solo natura subest.* Seu rorem. SATIS. Segetibus: ut, *Sata læta, boumque labores. Largo* autem *cælo demittitis imbrem*; *per* hæc aquam & terram significari vult.

TVQVE ADEO QVEM MOX QVÆ SINT HABITVRA DEORVM CONCILIA, INCERTVM EST. *Adeo* hic præcipue: quidam ADEO abundare putant antiqua figura, ut, *omne adeo genus in terris.* Et jam adulatio ad Augustum quem inter deos invocat. Nec totum tamen dandum est adulationi, sed & veritati. nam cum omnes Imperatores post mortem sint inter deos relati, Augustus vivus divinos honores emeruit. quod etiam Horat. testatur dicens, *Præsenti tibi maturos largimur honores: Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Vnde male quidam culpant Virgilium, dicentes eum aviditate laudandi citum interitum Augusto optasse: cum ad rem, quæ tunc fiebat, respexerit. MOX, possumus tamen pro *post* accipere: Horatius, *Mox datura Progeniem vitiosiorem.* Id est postea. Potest & MOX ad vitæ humanæ brevitatem referri. Nam ipse ait in decimo, *Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla est) Viximus.* Sane sciendum mire eum laudasse, quod ait, *Quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est.* Id est, nondum scimus quis deus esse velis. nam deum fieri maximum, est, in potestate habere, quis deus velis fieri: plus esse quam maximum constat.

VARIORVM.

VNCIQVE PVER MONSTRATOR ARATRI. Alii ad Triptolemum, alii ad Osirin hunc locum referunt. Ego certe, ut malim Triptolemum innui à poëta, facit præcedens proxime versus, *oleæque Minerva inventrix:* quod & Minerva Athenarum præses & tutelaris Dea fuerit, & ubique Triptolemus Atticus fuisse canatur. Certe & poëtæ Græci, serendi arandique artem, passim Triptolemo tribuunt. GERM.

Conci-

Digitized by Google

Concilia, incertum est: urbisne invisere Cæsar,
Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Authorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat; cingens materna tempora myrto:
An deus immensi venias maris; ac tua nautæ
Numina sola colant: tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis sydus te mensibus addas:

SERVII.

VRBIS NE INVISERE CÆSAR. Tradidit utrum velis terrarum, an maris, an cæli imperium possidere.

ET TE MAXIMVS ORBIS. Vtrumne, te pro Iove coli velis.

AVCTOREM FRVGVM. Qui frugibus & cæteris rebus originem præstes. TEMPESTATVMQVE POTENTEM. Aut bonarum tempestatum: ut, *Vnde hæc tam clara repente Tempestas?* Aut tempestatum ait temporum: sicut ubique Sallustius.

MATERNA MYRTO. Quæ in honorem est Veneris, à qua Augustus originem ducit per Cajum Cæsarem.

AN DEVS I. V. M. Id est, an pro Neptuno coli te velis & immensi maris, cujus mensura non potest comprehendi. VENIAS autem aliquanti pro sis accipiunt, ac si Græce diceret ἔοις, sive ὑπάρχοις: ire veteres pro esse dicebant.

NVMINA SOLA COLANT. *Sola*, magna, præcipua, Id est, supra alios deos marinos, quasi melior sit futurus, & Neptuno, & cæteris diis marinis. THVLE. Insula est Oceani inter septentrionalem & occidentalem plagam, ultra Britanniam, juxta Orchadas & Hiberniam, in hac Thule cum Sol in Cancro est, dies continuus sine noctibus esse dicitur. Præterea miracula de hac insula feruntur; sicut apud Græcos Ctesias & Diogenes, apud Latinos Sammonicus dicit.

TETHYS EMAT OMNIBVS VNDIS. Tethys est uxor Oceani, nympharum mater. Quod autem ait EMAT, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus & uxor invicem emebant, sicut habemus in jure. Tribus enim modis apud veteres nuptiæ fiebant: usu; si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset: farre, cum per Pontif. Max. & Dialem Flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur, unde confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi & matrimi nascebantur; coëmptione vero atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut si quis prior fuisset defunctus locum hæreditatis justum alteri faceret: & bene, SERVIAT, quia quæcunque in manum convenerat, omnia protinus quæ doti * dicebantur, marito serviant *, hanc Tethyn. Cic. in Timæo, *Salaciam dicit*; generum vero pro marito positum multi accipiunt, juxta Saffo quæ in lib. qui scribitur epithalami ait, χαῖρε νύμφα, χαῖρε τίμιε γαμβρὲ πολλὰ ... τὸν νυμφίον. sic & Pind. ἐν τοῖς ἰσθμίοις.

TARDIS SYDVS T. M. A. Idest æstivis. Vel quia optat ut diu vivat; vel quia Virgo & Libra δυσαναφορα, idest tarde orientia dicuntur. Et *Tardis*, an quia aureo sæculo longiores dies dicuntur fuisse; an post multos tardosque menses, ut deus fiat, an id: *Aut incipient magni procedere menses*, per hunc *magni*.

VARIORVM.

ET TE MAXIMVS ORBIS. Id est totus; ut ipse, *Quo maxima motu terra tremit.* GLOSS. MSS. LVGD.

AVCTOREM FRVGVM. Auctor ab augendo dictus; ut, *Tu sanguinis ultimus auctor.* GLOSS. MSS. LVGD.

MATERNA TEMPORA MYRTO. Maternam myrtum pro Iulia gente dixit, quæ à Venere traditur oriunda. Veneris autem in honorem & in tutelam, myrtus fuit. MSS. Myrtus primum visa fuit in Italia, in tumulo Elpenoris, qui erat Circeis. Tradunt, Romanos & Sabinos, inituros bellum, jacta myrto pacificatos fuisse: unde & loco, monumentum Veneris Cluacinæ mansit. cluere enim pugnare est. & in circo intimo vetus ara, sub titulo Veneris myrteæ fuit. Hanc autem arborem Veneri consecrant poëtæ, tum quod succus expressus, oleumque ex ea explorari usus habeatur in amatoriis, muliebribusq; illecebris & delitiis, efficaciæque certæ in vegetandis, roborandis & adstringendis etiam non nominandis fœminei corporis partibus. Cæterum innuere hic videtur Maro coronam myrteam, quæ & ovalis dicebatur. GERMAN. SABINVS.

VLTIMA THVLE. Insula in Oceano vix paucis nota, quam ideirco nominavit, ut longum ei & magnum tribueret imperium. Alii putant civitatem in ultimis Hispaniæ. GLOSS. MSS. LVGD.

ANNE NOVVM SIDVS TARDIS. Significat Libram inter XII signa, qua æquinoctium autumnale conficit. Et eleganter, TARDIS, ait: quasi futurum sit, ut, Cæsar abierit in cælum, hominis vita tendatur. Vt in Bucolicis, *Et incipient magni procedere menses*, MSS. Vel tardos vocat, ob horas, quibus Romani utebantur, καιρικὰς sive Civiles: quæ Iunio & Iulio mensibus tardissimæ, adeoque longissimæ erant: unde & Martialis lib. XII. Epigr. I. *æstivam horam*, pro longa dixit: ut contra Plautus Pseudolo, *hibernam* pro brevi. TAVBMANNVS.

Quà locus Erigonen inter, Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli justa plus parte relinquit.
Quicquid eris (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos;
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)

SERVII.

QVA LOCVS ERIGONEN I. C. S. Ægyptii duodecim esse asserunt signa. Chaldæi vero undecim. Nam scorpium & libram unum signum accipiunt. Chelæ enim scorpii libram faciunt. Item Chaldæi volunt æquales esse partes in omnibus signis; sed pro qualitate sui, aliud signum xx. aliud xxx. habere: cum Ægyptii tricenas esse partes in omnibus velint. Modo ergo secundum Chaldæos locutus est, dicens posse eum habere locum inter scorpium & virginem. nam Erigone ipsa est virgo. Sciendum deinde est voluisse majores in his signis esse deorum domicilia: ut Solis est Leo: Lunæ vero Cancer. Cæterorum vero quinque planetarum bina sunt signa: prout se ratio syderum sequitur. Nam primus circulus à terra, Lunæ est; secundus Mercurii; tertius Veneris; quartus Solis; quintus Martis, sextus Iovis; Saturni ultimus. Sed remotis Sole & Luna, quorum sunt domicilia Leo & Cancer: hi quinque ordine quo eorum sunt circuli, bina possident signa, unum à sequentibus, & unum à superioribus: ut Mercurii sint Virgo & Gemini: Veneris, Libra & Taurus: Martis, Scorpius & Aries: Iovis, Sagittarius & Pisces: Saturni, Capricornus & Aquarius. Vnde per hæc loca syderum, Augustum & fortem propter Scorpium, id est Martis domicilium: & justum propter Libram: & prudentem propter vicinam Virginem, id est Mercurii domicilium fore significat. Vel certe ideo inter Scorpionis brachia, quæ sunt Libra, & Erigonem, quæ est Virgo; quia Libra æquitas, Virgo Iustitia. Sane hæc Erygone Icari filia fuit, tantæ pietatis in patrem, ut cum eum vidisset mortuum, omni se luctu ac mœrore conficeret; ob quam rem misericordia deorum inter signa locum virginis, sub Iustitiæ vocabulo, jussa est obtinere. Chelas autem sequentes ideo ait, quia sicut dictum est ipsæ sunt Libra. Bene autem Augusto inter Virginem & Scorpium, id est inter justitiam & virtutem, locum tribuit. Nam Chelæ, Scorpii brachia sunt; quæ sexaginta partes in cœlo sunt: solum fore significat.

PANDITVR IPSE TIBI. Ordo est, *Qua locus ipse tibi panditur. Tibi* autem, in tuum honorem & gratiam. IPSE *autem*, ultro, sua sponte. IPSE TIBI. Hic distinguitur, nisi dixeris, *Ipse tibi tum brachia contrahit ardens Scorpius*, * bene optantis, verba maledictum comprehendisse videantur. IAM BRACHIA C. A. S. Ideo Augusto merito juxta Scorpium locum adsignat, quia sydus hoc supra Romam positum creditur. Varro tamen ait se legisse Empedotim. * cuidam Syracusano à quadam potestate divina mortalem aspectum detersum; eumque inter cætera tres portas vidisse, tresque vias. Vnam ad signum Scorpionis, qua Hercules ad deos isse diceretur *: alteram per limitem, qui est inter Leonem & Cancrum: Tertiam esse inter Aquarium & Pisces: Argute itaque eam viam & sedem tribuit Augusto forti Imperatori, quam habuit deus fortis.

ARDENS SCORPIVS. Ardens ad illud refertur, quia Martis est domicilium: nam Scorpii tempus frigidum est, quippe cujus November mensis est. Vel ARDENS ad virus ejus, vel ad cupiditatem Augusti recipiendi. IVSTA PLVS PARTE. Secundum Chaldæos, qui Scorpium dicunt spatium duorum signorum tenere. Ergo & loci spatio te invitat.

QVICQVID ERIS. Ordo est, Quicquid eris, da facilem cursum. Cætera enim per parenthesin dicta sunt. NEC SPERENT TARTARA REGEM. Nec sperent dixit, quasi beneficium de quocunque venerit.

NEC TIBI REGNANDI VENIAT. &c. Allegoricōs dicit illum nec debere mori velle, nec posse. Dira autem pro magna, vel vehemens.

QVAMVIS ELYSIOS M. G. C. Licet præferantur inferi à Græcis Poëtis.

NEC REPETITA SEQVI CVRET. Ceres cum raptam à Plutone Proserpinam filiam diu quæsisset: tandem aliquando eam esse apud inferos comperit: pro qua re cum Iovis implorasset auxilium; ille respondit posse eam reverti si nil apud inferos gustavisset. Illa autem jam Punici mali in Elysio grana gustaverat: quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Vnde Proserpina ad superos remeare non potuit. Hinc ait Lucanus, *Quæ te detineant Ænnea dapes.* Quam necessitatem modo Virgilius Proserpinæ tribuit voluntati. Sane Ceres à Iove postea meruisse dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito: quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est quæ & Luna, quæ toto anno sex mensibus crescit, sex deficit: scilicet per singulos menses quindenis diebus: ut crescens apud superos, deficiens apud inferos esse videatur: & sequitur & PROSERPINA MATREM, ad admirationem Elysiorum posuit, quod matri prælati sunt.

VARIORVM.

ARDENS SCORPIVS. Hoc enim commune omnibus sideribus cæli. aut *ardens*, festinans parare locum Augusto. GLOSS. MSS. LVGD.

IAM BRACHIA CONTRAHIT. Id est, tibi relinquit locum Libræ. Vnde Poëta vetus: *Et libram, quam Cæsar habet.* Alluditur enim ad natalem Cæsaris Augusti principio Libræ, IX Calend. Octob. SCALIGER in Manil.

Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis:
Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes,
Ingredere, & votis jam nunc assuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

SERVII.

DA FACILEM CVRSVM. Meo scilicet poëmati. ATQVE AVDACIBVS A. C. Verecunde suas vires extenuat, & commendat operis difficultatem dicendo AVDACIBVS.

IGNAROSQVE VIÆ MECVM MISERATVS AGRESTES INGREDERE. Aut mecum viæ (id est rationis) aut artis ignaros miseratus rusticos juva; aut mecum ignaros intelligas: aut rusticis ignaris fave mecum, id est quibus etiam ego his scriptis plurimum collaturus sum: aut mecum ignaros agricolas miserare: aut eis mecum fave.

ET VOTIS IAM NVNC ASSVESCE VOCARI. Id est vivus adhuc. Nam (ut diximus) Augustus vivus divinos honores meruit.

VERE NOVO GELIDVS CANIS CVM MONTIBVS HVMOR LIQVITVR. *Novum* multa significat, nam & recens aliquid novum dicitur, ut ipse ait, *Lac mihi non æstate novum*, id est recens. novum dicitur & magnum, ut *Pollio & ipse facit nova carmina*; modo autem Novum Ver ideo ait, quia anni initium mensis est Martius. Et sciendum decem tantum menses fuisse apud majores. Martium autem anni principium habere voluerunt, propter Martem suæ gentis auctorem, quod multis firmatur auctoribus. Nigidius in sphæra Græcanica, novum annum æquinoctium Vernale memorat. Varro epistolicarum quæstionum, *Inter mensem Februarium qui tunc esset extremus, & inter calendas Martias quæ tunc erant primæ. Atta, annum novum voluerunt esse primum mensem Martium.* Et alibi, *Majores Martium primum habuerunt.* Aprilis vero dictus est, quasi terras tepore aperiens. Majus à Maja. Iunius à Iunone. quamquam alii à majoribus & junioribus hos duos menses velint esse nominatos. Nam antea populus Rom. in centurias juniorum & seniorum divisus fuerat. Reliqui jam à numero nominabantur, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December, & hi erant tantum decem menses. Duo vero, propter rationem signorum anni, intercalabantur, qui postea à Iano & à Februo nominati sunt. Februus autem est Ditis pater: cui eo mense sacrificabatur. Quintilis & Sextilis mutati sunt postea in honorem Iulii Cæsaris & Augusti. Vnde sunt Iulius & Augustus. Sic Ovidius in Fastis.

Ergo, VERE NOVO, & anni initio accipiamus, & prima parte Veris. Nam anni quatuor sunt tempora divisa in ternos menses; qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem: ut priore mense Ver novum dicatur: secundo adultum: tertio præceps. Sicut etiam Sallustius dicit, *ubique nova æstas, adulta preceps.* Sic Autumnus novus, adultus, præceps. Item Hyems nova, adulta, præceps vel extrema. Vnde est, *Extremæ sub casum hyemis.* Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum: cujus pars ultima agriculturam continet: de qua parte, multa ad suum hoc opus Virgilius transtulit; sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agriculturam continent. Nam primus præcepta habet quemadmodum debeat materfamilias domi agere: Secundus, quemadmodum foris paterfamilias. Illud quoque sciendum est, in his libris non esse obscuritatem in quæstionibus, sicut in Æneide; nisi in paucis admodum locis. Sed in hoc tantum esse difficultatem, ut res positas intelligamus: id est τὰ κείμενα sicut hæc prima quoque ejus præcepta significant. Nam hoc dicit agrum fertilem, id est pinguem & herbosum, bis debere arari: semel verno tempore, ut & herbæ adhuc teneræ & sine semine avellantur: & æstatis calore, ut superfluus humor siccetur, vel glebarum putrefiat durities: & semel Autumnali arandum cum seminibus. Agrum vero tenuem & sterilem Autumnali tantum tempore arandum: ne si etiam Verno araveris, exiguus ejus humor siccetur æstate. CANIS MONTIBVS. albis ex nive.

LIQVITVR. Liquor cum nomen est *Li* brevis est: cum ad verbum venerit, producitur: ut liquor, liqueris, liquitur: nam mutavit naturam: sicut homo, humus, hu, brevis est: humanis producitur. Item itur, i producitur: iturus corripitur. LIQVITVR Autem, defluit, resolvitur. ET ZEPHYRO PVTRIS SE GLEBA RESOLVIT. Quo tempore Favonii flatu arva laxantur, quæ fuerant præclusa frigoribus. Ipse alibi, *Rura gelu tunc claudit hyems.* Putres autem glebas, solubiles, quas tepor efficit & aratrum.

DEPRESSO INCIPIAT IAM TVM MIHI TAVRVS ARATRO INGEMERE. Aliud pendet ex alio: nam altius impressum aratrum boves cogit in gemitum: quod genus arationis, pingui convenit terræ: nam è contrario paulo post de infœcunda terra dicturus est; *Tenuis sat erit suspendere sulco.* MIHI autem, aut vacat: Cicero, *Qui mihi accubantes in conviviis.* Aut MIHI, id est rustico amanti terras. Et TAVRVM bovem fortissimum accipimus: nam tauri difficile ad aratra junguntur.

ATTRITVS SPLENDESCERE VOMER. Lucretius, *Occulte decrescit vomer in arvo.* quod evenire frequenti aratione novimus, ut & splendidior fiat & teratur. Cato in oratione ad filium, *Vir bonus est, M. fili colendi peritus, cujus ferramenta splendent.* Dicimus autem & hic vomer, & hic vomis; sed ab utroque, hujus vomeris facit.

Illa

Digitized by Google

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit:
Illius immensæ ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos, & varium cæli prædiscere morem
Cura sit; ac patrios cultusque, habitusque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt fœlicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt

SERVII.

ILLA SEGES DEMVM. Seges modo terra, ut, *nec pecori opportuna seges*. DEMVM, novissime, vere, specialiter. VOTIS RESPONDET. Immane quod ait VOTIS. nam plerumque plus optamus, quam speramus posse contingere. RESPONDET, aut satis faciet, aut consentiet: ut, *Dictis respondent cætera matris*. AVARI, id est, quamvis avari, & plus est quam si dixisset parci. Nigidius, *Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit.*

BIS QVÆ SOLEM, BIS FRIGORA SENSIT. Quæ bis & dierum calorem, & noctium senserit frigora. Per quod duplicem ostendit arationem, Vernalem & Autumnalem. nec enim ad tempora æstatis vel hyemis referre possumus, quod ait, *Bis Solem, bis frigora*: quia non sunt in Italia in uno anno duæ æstates, & duæ hyemes: sicut geometræ dicunt esse in quadam parte Indiæ, in insula Taprobane. aut sicut quidam dicunt, ideo bis, ut semel cum fructibus, semel vacua, Solem & frigus perpessa accipiamus.

IMMENSÆ. Infinitæ. RVPERVNT HORREA. Plus est quam si diceret, impleverunt; hoc est ut non habeat ubi reponat.

AT PRIVS IGNOTVM FERRO QVAM SCINDIMVS ÆQVOR. Id est ante quam faciamus vervactum. Si autem non immensum, sed ignotum legeris, nobis ignotum significat. Æquor autem modo terram accipe, ab æqualitate dictum . . . tam, ut, *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.* Vnde & maria, æquora dicunt.

VENTOS. Quia diversis locis diversi prævalent venti. Et hoc dicit, Debes scire, ager cui vento subjaceat. VARIVM CÆLI PRÆDISCERE MOREM. Id est aëris. Lucretius, *in hoc cælo qui dicitur aër.* Et hoc dicit, Debes etiam cæli qualitatem nosse; utrum pluviis gaudeat, an tepore, vel frigore.

PATRIOS CVLTVSQVE, HABITVSQVE LOCORVM. Duas res dicit, Sciendum est, ager & quemadmodum à majoribus cultus sit, & quid melius ferre consueverit. nam habitus locorum, possibilitates vel naturas accipiamus. quas Græci τὰς ἕξεις dicunt. Alii patrios, naturales exponunt.

VENIVNT. Crescunt. ut, *Et pulchro veniens in corpore virtus*; vel proveniunt.

ARBOREI FOETVS ALIBI. Id est poma. Et arboreum aliqui duobus modis . . . . accipiunt. Aliter enim in Æneide de telo, *ingens arboreum.* Cornificius, *ut folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.* ATQVE INIVSSA VIRESCVNT GRAMINA. Bene injussa: nam frumenta studio jussa nascuntur. Vnde est, *Atque imperat arvis.* Et nunc hic unum alibi deest, ut fiat, *Atque alibi injussa virescunt gramina.*

VARIORVM.

ILLA SEGES DEMVM VOTIS, &c. Dici vix potest quantopere Grammatici, in expositione horum versuum hallucinati sint. Verba ergo illa Virgilii ex Theophrasto explicanda sunt. Vere novo invertendas primum glebas dicit. Hæc vulgaris colendi agri ratio; cujus primam arationem vere auspicabantur, quæ & tertia aratione absolvebatur. Sed illam addit felicissime demum perventuram segetem, quæ bis Solem & bis frigora senserit, id est quæ quarto arata fuerit. Quæ tertio aratur tantum, & cujus prima aratio à vere incipit, haud potest frigora sentire. Theophrastus: ἡ προεργασία ἐν τῷ πλάζειν κατ' ἀμφοτέρας τὰς ὥρας, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος, ὅπως χειμασθῇ καὶ ἡλιωθῇ ἡ γῆ, πρότερον καὶ ἐπὶ τῆς φυτείας ἐλέχθη. Hoc est quod dixit Virgilius, *frigora & Solem sentire*, χειμασθῆναι καὶ ἡλιωθῆναι. Cap. vero 5. de arborum plantatione dixerat: Scrobes in quibus defodi oportet inserendas arbores, anno ante præparari vult & aperiri, ut possint χειμασθῆναι καὶ ἡλιωθῆναι. idem omnino præcipit observandum in satione frugum, quod in plantarum insitione. Ergo anno prius arandam esse tellurem ostendit, quam seminibus jactis conseratur. Terram itaque suscitandam esse in vervactum docet, sub exitum autumni, ut anno post sub idem ferme tempus semina possit accipere, & interim annuo illo intervallo subinde mota & exercita, frigus hiemis sentiat & calorem æstatis; utrumque ad eundem scilicet finem, exterminandis ac putrefaciendis glebis. Ex his liquet terram eam quæ utrumque perpetiatur, τὴν χειμασίαν καὶ ἡλίωσιν, melius responsuram cultoris spei, quam quæ ἡλίωσιν tantum percipiat. Quod autem ait *bis frigora & bis Solem sensit*, id ita exponendum est. prima aratio hiberna, sicut ultima, quæ sationi adjuncta erat: his duabus hibernis arationibus bis frigora sentiebat arvum, & bis Solem, verna & æstiva. Sic quatuor arationibus subactum intelligendum est illud solum, quod bis frigora, & bis calorem perpessum est. SALMASIVS.

Gramma-

Digitized by Google

Gramina. nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?
Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis; quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Vnde homines nati, durum genus. ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes invertant tauri: glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.

SERVII.

NONNE VIDES. Aut Mæcenati dicit, aut rustico & argumentatur; quasi hoc dicens, Si una provincia ferre non potest omnia: quanto magis unus ager? VT TMOLVS. Mons Ciliciæ, in quo nascitur crocum præcipue: nam loca commemorat, ubi plus provenit & melius aliquid. Nam crocum & in Africa nascitur, sed non tale, nec tantum, quantum, vel quale in Cilicia. Sed Tmolus est mons etiam Lydiæ, circa oppidum Sardis, qui diversis floribus abundat, unde multi de Tmolo croceos odores similes croco accipiunt; alii non dixisse eum crocum apud Tmolum nasci; sed vinum Tmoleticum crocci odoris. nam & crocum in Cilicia apud Corycum nasci Sallustius meminit.

INDIA MITTIT EBVR. Et in Africa fuerunt elephanti, sed majores in India. Hinc est quod ait Terentius, *Elephantis quem Indicis præfecerat*, id est maximis. Et India mittit quasi pendit. MOLLES SVA TVRA SABÆI? Sabæi populi sunt juxta Syriam & Arabiam: dicti Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod apud eos tus nascitur, quo deos placamus. Molles autem ideo ait, vel quod sub aëre clementiore sunt. (Nam ut ait Lucanus, *Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia cæli*) aut certe quia Alexander Macedo dicitur obscœnos omnes ab exercitu suo segregatos, illic condidisse. Sane tus modo sine aspiratione dicimus: nam antiqui thus dicebant, ἀπὸ τοῦ θύειν. quod diis placuit: tura enim à tondendo dicta esse voluerunt, à glebis tunsis: cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere. Alii Sabæos Arabos . . . colonos Ægyptiorum ex effœminatis collectos ab ..... de Arabia illuc deductos; vel ideo molles, quod fœmineos cultus vestesque gerunt.

AT CHALYBES NVDI FERRVM. Subauditur ubique mittunt. Chalybes populi sunt apud quos nascitur ferrum. Vnde abusive dicitur chalybs, ipsa materies: ut, *Vulnificusque chalybs*. Nudi autem, aut apud quos arbores non sunt: aut vere nudi, propter ferri cædendi studium. Nam legimus, *Brontesque Steropesque & nudus membra Pyragmon*. VIROSAQVE PONTVS CASTOREA. Fibri, canes sunt Pontici: quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant. De his Cicero, *Redimunt se ea parte corporis propter quam maxime expetuntur*. Iuvenalis, *Qui se eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculi*. Castores autem à castrando dicti sunt. VIROSA autem aut fortia, aut certe venenata. Nam licet sint multis remedio, tamen prægnantes eorum odore, abjiciunt & egerunt partum. Et virosa dicta ab eo quod est virus. Alii fortia accipiunt, à viribus.

ELIADVM PALMAS EPIROS EQVARVM. Hypallage est: nam hæc dicit, Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Iovis Olympici curuli certamine. Sane Epiros Græce profertur: unde etiam è habet accentum. Nam si Latinum esset, Epirus, Epiri, Pi haberet, quia longa est. Nec mireris equas currere. nam, ut dicit Plinius, *velociores sunt ideo, quod in cursu urinam faciunt*.

CONTINVO HAS LEGES. Iugiter, in æternum, ad perpetuum: sicut sequentia indicant. nam dicturus est, *Æternaque fœdera*.

DEVCALION VACVVM LAPIDES IACTAVIT IN ORBEM. Iam transit ad fabulam: & poëtice dicit, Ista tum primum statuta, quæ ab initio mundi constat fuisse.

VNDE HOMINES NATI DVRVM GENVS. Expressit τὸ αἴτιον, id est causativum. Nam & Græce populi λαοὶ dicuntur à lapidibus. λᾶες enim lapides dicuntur. ERGO AGE TERRÆ PINGVE SOLVM. Iam redit ad caussam.

PRIMIS EXTEMPLO A MENSIBVS ANNI. Hoc est quod dixit, *Vere novo*: extemplo, induxit, & reposuit.

PVLVERVLENTA COQVAT MATVRIS SOLIBVS ÆSTAS. Quæ glebas solvit in pulverem. Et reddit caussam cur hoc debeat fieri. MATVRIS autem SOLIBVS, id est, vehementer fervidis, magnis. Ipsius manu adjectum, *maturis Solibus*.

VARIORVM.

AT CHALYBES NVDI FERRVM. Gens in Ponto, quæ ferrum reperisse dicitur, & *nudi*, necessitate operis, ut *nudus membra Pyracmon*. PHILAR.

ELIADVM PALMAS EPEIROS EQ. Vnde & [illegible] & [illegible] dicitur: non quod Epeirus palmifera sit, sed equorum ferax generosorum, qui curuli certamine palmam mereri & reportare soleant, suffragante illo: *Et patriam Epeirum referat, fortesque Mycenas*. GERMAN.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit:
Illius immensæ ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos, & varium cæli prædiscere morem
Cura sit; ac patrios cultusque, habitusque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt fælicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt

SERVII.

ILLA SEGES DEMVM. Seges modo terra, ut, *nec pecori opportuna seges*. DEMVM, novissime, vere, specialiter. VOTIS RESPONDET. Immane quod ait VOTIS. nam plerumque plus optamus, quam speramus posse contingere. RESPONDET, aut satis faciet, aut consentiet: ut, *Dictis respondent cætera matris*. AVARI, id est, quamvis avari, & plus est quam si dixisset parci. Nigidius, *Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit*.

BIS QVÆ SOLEM, BIS FRIGORA SENSIT. Quæ bis & dierum calorem, & noctium senserit frigora. Per quod duplicem ostendit arationem, Vernalem & Autumnalem. nec enim ad tempora æstatis vel hyemis referre possumus, quod ait, *Bis Solem, bis frigora*: quia non sunt in Italia in uno anno duæ æstates, & duæ hyemes: sicut geometræ dicunt esse in quadam parte Indiæ, in insula Taprobane. aut sicut quidam dicunt, ideo bis, ut semel cum fructibus, semel vacua, Solem & frigus perpessa accipiamus.

IMMENSÆ. Infinitæ. RVPERVNT HORREA. Plus est quam si diceret, impleverunt; hoc est ut non habeat ubi reponat.

AC PRIVS IGNOTVM FERRO QVAM SCINDIMVS ÆQVOR. Id est ante quam faciamus vervactum. Si autem non immensum, sed ignotum legeris, nobis ignotum significat. Æquor autem modo terram accipe, ab æqualitate dictum . . . tam, ut, *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto*. Vnde & maria, æquora dicunt.

VENTOS. Quia diversis locis diversi prævalent venti. Et hoc dicit, Debes scire, ager cui vento subjaceat. VARIVM CÆLI PRÆDISCERE MOREM. Id est aëris. Lucretius, *in hoc cælo qui dicitur aër*. Et hoc dicit, Debes etiam cæli qualitatem nosse; utrum pluviis gaudeat, an tepore, vel frigore.

PATRIOS CVLTVSQVE, HABITVSQVE LOCORVM. Duas res dicit, Sciendum est, ager & quemadmodum à majoribus cultus sit, & quid melius ferre consueverit. nam habitus locorum, possibilitates vel naturas accipiamus. quas Græci τὰς ἕξεις dicunt. Alii patrios, naturales exponunt.

VENIVNT. Crescunt. ut, *Et pulchro veniens in corpore virtus*; vel proveniunt.

ARBOREI FOETVS ALIBI. Id est poma. Et arboreum aliqui duobus modis . . . accipiunt. Aliter enim in Æneide de telo, *ingens arboreum*. Cornificius, *ut folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur*. ATQVE INIVSSA VIRESCVNT GRAMINA. Bene injussa: nam frumenta studio jussa nascuntur. Vnde est, *Atque imperat arvis*. Et nunc hic unum alibi deest, ut fiat, *Atque alibi injussa virescunt gramina*.

VARIORVM.

ILLA SEGES DEMVM VOTIS, &c. Dici vix potest quantopere Grammatici, in expositione horum versuum hallucinati sint. Verba ergo illa Virgilii ex Theophrasto explicanda sunt. Vere novo invertendas primum glebas dicit. Hæc vulgaris colendi agri ratio; cujus primam arationem vere auspicabantur, quæ & tertia aratione absolvebatur. Sed illam addit felicissime demum perventuram segetem, quæ bis Solem & bis frigora senserit, id est quæ quarto arata fuerit. Quæ tertio aratur tantum, & cujus prima aratio à vere incipit, haud potest frigora sentire. Theophrastus: ἡ κατεργασία ἐν τῷ νεάζειν κατ' ἀμφοτέρας τὰς ὥρας, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος, ὅπως χειμασθῇ καὶ ἡλιωθῇ ἡ γῆ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς φυτείας ἐλέχθη. Hoc est quod dixit Virgilius, *frigora & Solem sentire*, χειμασθῆναι καὶ ἡλιωθῆναι. Cap. vero 5. de arborum plantatione dixerat: Scrobes in quibus defodi oportet inserendas arbores, anno ante præparari vult & aperiri, ut possint χειμασθῆναι καὶ ἡλιωθῆναι. idem omnino præcipit observandum in satione frugum, quod in plantarum insitione. Ergo anno prius arandam esse tellurem ostendit, quam seminibus jactis conseratur. Terram itaque suscitandam esse in vervactum docet, sub exitum autumni, ut anno post sub idem ferme tempus semina possit accipere, & interim annuo illo intervallo subinde mota & exercita, frigus hiemis sentiat & calorem æstatis; utrumque ad eundem scilicet finem, exterminandis ac putrefaciendis glebis. Ex his liquet terram eam quæ utrumque perpetiatur, τὴν χειμασθεῖσαν καὶ ἡλιωθεῖσαν, melius responsuram cultoris spei, quam quæ ἡλιωθεῖσαν tantum percipiat. Quod autem ait *bis frigora & bis Solem sensit*, id ita exponendum est. prima aratio hiberna, sicut ultima, quæ sationi adjuncta erat: his duabus hibernis arationibus bis frigora sentiebat arvum, & bis Solem, verna & æstiva. Sic quatuor arationibus subactum intelligendum est illud solum, quod bis frigora, & bis calorem perpessurum est. SALMASIVS.

Gramma-

Digitized by Google

Gramina. nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?
Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis; quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Vnde homines nati, durum genus. ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes invertant tauri: glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.

SERVII.

NONNE VIDES. Aut Mæcenati dicit, aut rustico & argumentatur; quasi hoc dicens, Si una provincia ferre non potest omnia: quanto magis unus ager? VT TMOLVS. Mons Ciliciæ, in quo nascitur crocum præcipue: nam loca commemorat, ubi plus provenit & melius aliquid. Nam crocum & in Africa nascitur, sed non tale, nec tantum, quantum, vel quale in Cilicia. Sed Tmolus est mons etiam Lydiæ, circa oppidum Sardis, qui diversis floribus abundat, unde multi de Tmolo croceos odores similes croco accipiunt; alii non dixisse eum crocum apud Tmolum nasci; sed vinum Tmoleticum crocei odoris. nam & crocum in Cilicia apud Corycum nasci Sallustius meminit.

INDIA MITTIT EBVR. Et in Africa fuerunt elephanti, sed majores in India. Hinc est quod ait Terentius, *Elephantis quem Indicis præfecerat*, id est maximis. Et India mittit quasi pendit. MOLLES SVA TVRA SABÆI? Sabæi populi sunt juxta Syriam & Arabiam: dicti Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod apud eos tus nascitur, quo deos placamus. Molles autem ideo ait, vel quod sub aëre clementiore sunt. (Nam ut ait Lucanus, *Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia cæli*) aut certe quia Alexander Macedo dicitur obscœnos omnes ab exercitu suo segregatos, illic condidisse. Sane tus modo sine aspiratione dicimus: nam antiqui thus dicebant, ἀπὸ τοῦ θύειν. quod diis placuit: tura enim à tondendo dicta esse voluerunt, à glebis tunsis: cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere. Alii Sabæos Arabos . . . colonos Ægyptiorum ex effœminatis collectos ab ..... de Arabia illuc deductos; vel ideo molles, quod fœmineos cultus vestesque gerunt.

AT CHALYBES NVDI FERRVM. Subauditur ubique mittunt. Chalybes populi sunt apud quos nascitur ferrum. Vnde abusive dicitur chalybs, ipsa materies: ut, *Vulnificusque chalybs*. Nudi autem, aut apud quos arbores non sunt: aut vere nudi, propter ferri cædendi studium. Nam legimus, *Brontesque Steropesque & nudus membra Pyragmon*. VIROSAQVE PONTVS CASTOREA. Fibri, canes sunt Pontici: quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant. De his Cicero, *Redimunt se ea parte corporis propter quam maxime expetuntur*. Iuvenalis, *Qui se eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculi*. Castores autem à castrando dicti sunt. VIROSA autem aut fortia, aut certe venenata. Nam licet sint multis remedio, tamen prægnantes eorum odore, abjiciunt & egerunt partum. Et virosa dicta ab eo quod est virus. Alii fortia accipiunt, à viribus.

ELIADVM PALMAS EPIROS EQVARVM. Hypallage est: nam hæc dicit, Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Iovis Olympici curuli certamine. Sane Epiros Græce profertur: unde etiam e habet accentum. Nam si Latinum esset, Epirus, Epiri, PI haberet, quia longa est. Nec mireris equas currere. nam, ut dicit Plinius, *velociores sunt ideo, quod in cursu urinam faciunt*.

CONTINVO HAS LEGES. Iugiter, in æternum, ad perpetuum: sicut sequentia indicant. nam dicturus est, *Æternaque fœdera*.

DEVCALION VACVVM LAPIDES IACTAVIT IN ORBEM. Iam transit ad fabulam: & poëtice dicit, Ista tum primum statuta, quæ ab initio mundi constat fuisse.

VNDE HOMINES NATI DVRVM GENVS. Expressit τὸ αἴτιον, id est causativum. Nam & Græce populi λαοὶ dicuntur à lapidibus. λᾶες enim lapides dicuntur. ERGO AGE TERRÆ PINGVE SOLVM. Iam redit ad caussam.

PRIMIS EXTEMPLO A MENSIBVS ANNI. Hoc est quod dixit, *Vere novo*: extemplo, induxit, & reposuit.

PVLVERVLENTA COQVAT MATVRIS SOLIBVS ÆSTAS. Quæ glebas solvit in pulverem. Et reddit caussam cur hoc debeat fieri. MATVRIS autem SOLIBVS, id est, vehementer fervidis, magnis. Ipsius manu adjectum, *maturis Solibus*.

VARIORVM.

AT CHALYBES NVDI FERRVM. Gens in Ponto, quæ ferrum reperisse dicitur, & *nudi*, necessitate operis, ut *nudus membra Pyracmon*. PHILAR.

ELIADVM PALMAS EPEIROS EQ. Vnde & ἀγωνιστὰς & ἀθλητὰς dicitur: non quod Epeirus palmifera sit, sed equorum ferax generosorum, qui curuli certamine palmam mereri & reportare soleant, suffragante illo: *Et patriam Epeirum referat, fortesque Mycenas*. GERMAN.

At si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum
Arcturum, tenui sat erit suspendere sulco.
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ:
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patière situ durescere campum.
Aut ibi flava seres mutato sydere farra,
Vnde prius lætum siliqua quassante legumen,

SERVII.

SVB IPSVM ARCTVRVM. Id est autumnali tempore, quo Arcturus oritur. Et sciendum quod SVB præpositio, quando tempus significat, accusativo gaudet: ut hoc loco *Sub arcturum*, id est circa arcturum. Item, *Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese*. Et, *Sub noctem cura recursat*. Et item, *Sub lucem exportant calathis*. Hoc autem est tum cum jam pulvere com.... Arcturus enim pluviarum & tempestatum sydus est. Arcturus autem idem arctofylax, quia post ursæ caudam locatus sit. Item Bootes, quod boves cum plaustro agat: alii Arcadem fuisse filium Calistonis & Iovis dicunt: qui cum matrem in figuram ursæ ira Iunonis transfiguratam vellet occidere, ambo à Iove in cælum esse translatos; ille Arcturus; illa Helice dicta. Alii Icarum hunc volunt esse: qui à pastoribus, quos vino tunc primum reperto, ebrios fecerat, veluti dato veneno, occisus esse. * Manu adjecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi.... potuit, *Illic, officiant segetes ne frugibus illic*; ex altero hoc tantum, *ne deserat humor arenam*. TENVI SVSPENDERE, pro tenuiter suspendere.

ILLIC. In terra scilicet pingui. OFFICIANT, noceant, obstent. HERBÆ, quæ internatæ segetem lædunt. HIC, In sterili, & tenui, & infœcunda. Quia si pressius aratur terra tenuior, humor ad inferiora desidet, & sapor.... bunt: & hoc est quod supra diximus, omnia præcepta quæ commemorat, ad illud pertinent quod ait, *Quid faciat lætas segetes*.

STERILEM EXIGVVS.... pro ociosum, ut interdum lentus.... cessans, ut, *segnisque secundo defluit amne*. ARENAM. Aridam terram, quæ est sicut arena.

ALTERNIS. id est alternatim. IDEM scilicet agricola. TONSAS NOVALES. Agros messos. Dicimus autem & has novales, & hæc novalia. Proprie novales sunt primum arva proscissa, & primum segetem ferentia.

PATIERE. Patieris. SITV DVRESCERE CAMPVM: Segnem, cessantem. Et situ, pro otio, ut redeat in vires priores. Sane sciendum & Ciceronem in dialogis, & cæteros philosophos tractare, non quid debeat fieri, sed quid potissimum fieri. quam rem nunc Virgilius sequitur. Nam cum dicat multa remedia agrorum recreandorum, ponit præ omnibus intermissionem. Vnde eam rem frequenter iterat.

AVT IBI FLAVA SERES MVTATO SYDERE FARRA. Si te terrarum cogit angustia, & non habes, ubi intermisso agro rursus seras; ibi frumenta seras, unde legumina sustulisti. Aut si tibi est opus frumento, stercora sparge, & cinerem: vel incende stipulas. SYDERE. Modo anno.

LÆTVM LEGVMEN. Fertile. Et LÆTVS, prout res fuerit accipimus: ut lætus homo, id est hilaris. lætum pecus, id est pingue. lætum legumen, ut diximus, fertile: & sic in reliquis. SILIQVA. Theca leguminis. QVASSANTE. Id est quassa. LEGVMEN. Legumen dicitur quod manu legitur, nec sectionem requirit. Frumenta vero sunt omnia quæ ex se emittunt aristas. Nam quod supra ait FARRA, frumenta accipimus: species est enim pro genere. SILIQVA. Folliculo intra quem legumina nascuntur. QVASSANTE. quæ sonet cum quassatur. Cæcilius, *Si quassante capite tristes incedunt*. Plautus, *Capitibus quassantibus*. Far enim proprie genus est frumenti optimi. Dicitur frumentum à frumine, quod est gulæ prominens pars.

VARIORVM.

SVB IPSVM ARCTVRVM. Notat Servius *sub* præpositionem, quando tempus significat, gaudere accusativo. Non usquequaque tamen sententia Servii vera; cum infra poëta SVB ablativo junxerit: *Extremo ni jam sub fine laborum vela traham*: & Æneid. lib. 7. *Sera sub nocte rudentum*. GERMAN.

HIC STERILEM EXIGVVS N. D. H. ARENAM. Quidam aspirant harenam; quia hæreat: cui scilicet digammon adjunctum est, quod etiam hauriat, hoc est, in se receptum humorem, trahat. Hujus hanc esse naturam testatur Virgilius, dicens:

Collectum humorem bibula deducit arena.

Bibula enim, quia bibat, dicitur. PROBVS.

TONSAS CESSARE NOVALES. Dicitur autem *ager novalis*, vel quia ad novam sementem est relictus, vel quia intermissus renovatur; à novando, *novalis* dictus. Eandem & terram virginem aliquibus dici, ut & Græcis γῆ παρθένος, Pimpontius observat. TAVBMAN.

AVT IBI FLAVA SERES, &c. Putant, non minus esse utilem ad sationem farris, agrum ex quo alius fructus sublatus sit, quam eum qui vicibus cessat. PROBVS.

MVTATO SIDERE, Id est principio veris alterius anni. GLOSS. MSS. LVGD.

SILIQVA QVASSANTE LEGVMEN. *Siliqua* est θήκη & involucrum seminis quodcunque. Horatius, Persius, Prudentius, *Siliquarum* nomine legumina; vel fructum quemvis vilissimum, qui pecoris immundi potius, quam hominum sit, intelligere, notatur à TVRNEBO, lib. 26. cap. 24.

Aut

Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.
Vrit enim lini campum seges, urit avenæ:
Vrunt lethæo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva.
Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt: sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor:

SERVII.

AVT TENVES FOETVS VICIÆ. Mire ait tenues; nam vicia vix ad triplicem pervenit fructum, cum alia legumina proventum habeant fœlicissimum & fertilem. Fœtus vero gi . . . vel fructus ut inseritur vero fœtum. . . . TRISTISQVE LVPINI. Amari: cum in gustu sit amarum triste. nam incoctus amarus est. Ennius. *Neque ill . . triste quæritat sinapi*: nonnulli proprie calamos lupinorum, alas dici putant, ut Ælius, *Alæ ex lupino, surculi sine foliis.* Cato in originibus, *Alæ ex lupino lugium*. . . tamen Varro de lingua Latina, alam culmum fabæ dicere. . . .

VRIT ENIM LINI CAMPVM SEGES. Bene excerpsit hæc tria, linum, avenas, papaver: & dicit post hæc, frumenta serenda non esse. nam licet manu legantur, & sint inter legumina: viribus tamen frumentis exæquantur. Cœlius libro tertio seri avenam ostendit; sed videtur poëta velut interrogatus, cur linum & quæ sequuntur dicit non seri debere; respondisse, urit enim: que, enim causalis conjunctio est.

LETHÆO PERFVSA PAPAVERA SOMNO. Plena oblivionis. Nam Ceres, Iove admonente, dicitur cibo papaveris, orbitatis oblita, (& re vera papaver gignit soporem) cum jam Proserpinam raptam à Plutone ex inferno recipere non potuisset.

ALTERNIS FACILIS LABOR. Redit rursus ad præceptum quod scit esse præcipuum, id est ad intermissionem. ALTERNIS. Intermissis: subaudi agris. FACILIS. Vtilis.

NE. Pro non. SATVRARE. Recreare & reparare. PINGVI FIMO. Vel humido, vel fertili. SOLA. Terras.

EFFOETOS PER AGROS. Continua fertilitate lassatos: sicut etiam frequenti partu effœta dicitur mulier. CINEREM IMMVNDVM. Ad discretionem illius quo utuntur puellæ: de quibus cineribus in Bucolicis, *Fer cineres Amarylli foras.*

MVTATIS FOETIBVS. Vt omni anno proferunt, sed diversa: nam eadem ferre semper non possunt, nisi intermittant. REQVIESCVNT FOETIBVS ARVA. Non etiam roborantur: quod intermissio efficit arationis: quam rem rursus repetit dicendo.

NEC NVLLA INTEREA EST INARATÆ GRATIA TERRÆ, id est, maxima. Nam Liptotes figura est, id est maxima & præcipua: ut, *Munera nec sperno.* INARATÆ. Non satæ; unde est illud, *Alternis idem tonsas cessare novales.* Alii inaratæ accipiunt, quæ est pabulo pecoribus.

INCENDERE PROFVIT AGROS. Non agros, sed ea quæ in agris sunt, id est stipulas vel quisquilias: hoc est purgamenta terrarum, & alia inutilia concremare. Nam ut videmus, si in agris qui incendendi sunt, desint stipulæ; aliunde illuc nutrimenta portantur incendii. Alii non sæpe profuit, sed sæpe incendere accipiunt.

ATQVE LEVEM STIPVLAM CREPITANTIBVS VRERE FLAMMIS. *Emphasis* poëtica, vel superflua verbi repetitio. Nam stipula per se levitatem significat. unde *levem stipulam* vocamus. CREPITANTIBVS vero, sonantibus.

SIVE INDE OCCVLTAS VIRES. Inde, id est ex igni: occultas autem, arcana quadam ratione cælatas. In hoc autem sensu sequitur Heracliti opinionem, qui dicit omnia ex igne procreari: quem nunc terris alimenta præbere commemorat.

VITIVM. Quod fœcunditatem impedit. EXVDAT INVTILIS HVMOR. Nove locutus est. Nam non ipse humor, sed terra desudat; unde exudat pro exudatur accipimus. potest ergo exudare, & quod emittitur, & quod emittit, accipi.

VARIORVM.

LETHÆO SOMNO. Græco verbo usus est, quod est oblivione. Somnus enim oblivionem facit. Sed Lethæus Infernalis fluvius dicitur; de quo qui bibunt, laboriosa hujus vitæ obliviscuntur. GLOSS. MSS. LVGD.

NE SATVRARE FIMO PINGVI. Fimus, quo stercorantur agri, dicitur proprie lætamen; eo quod suo nutrimento læta faciat germina, reddatque pinguia arva & fæcunda. ISIDOR. lib. 17. c. 2.

Digitized by Google

Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas:
Seu durat magis, & venas astringit hianteis;
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva, neque illum
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo:
Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga,

SERVII.

CÆCA RELAXAT SPIRAMENTA. Breves cavernas, per quas sudor emanat, quæ tenuitate sui non possunt videri: ergo occulta & latentia. NOVAS, quæ ante non fuerant. RELAXAT. Aperit. QVA. Pro quæ.

DVRAT, activum est hic. Dicimus enim & duro & duror: duro neutraliter, & dureo. HIANTEIS. Apertas & patentes.

NE TENVES PLVVIÆ. Aut lentæ & penetrabiles: aut epitheton est aquarum. Aquæ enim naturaliter tenues sunt. sic alibi, *Aut in aquas tenues delapsus abibit*. Alii tenues, inutiles, jejunæ, macræ, quibus contrarium pingues, ut est, *tenuis ubi argilla*.

ACRIOR, pro acris, ut jam senior. AVT BOREÆ PENETRABILE FRIGVS. Quod omnia penetrat. ADVRAT. Adurat & ad Solem & ad frigus pertinet: nam uno sermone duo diversa conclusit, quæ tamen unum effectum habent. nam & frigoris finis, est caloris initium: & summus calor, frigoris est principium. Vnde quasi unus effectus est & frigoris & caloris. hoc est Græci dicunt ἀμφότερον ἰσότητος.

MVLTVM ADEO. Ordo, multum adeo juvat arva. RASTRIS. Et hos rastros dicimus, & hæc rastra. legimus enim, *At istos rastros interea depone*; in Terentio: Item, *Rastraque & incurvi sævum rubuere ligones*. Et rastra dicta, quod terram radant. GLEBAS INERTES. Pigras, nihil creantes. Et transit ad aliud præceptum.

VIMINEASQVE TRAHIT CRATES. Ad agrorum scilicet exæquationem, quam rustici Hyrpicem vocant. IVVAT. Vel adjuvat, vel quasi delectat. Et hic transit ad aliud præceptum.

FLAVA CERES. Flava dicitur propter aristarum colorem in maturitate. ALTO OLYMPO, aut poëtice dictum de cælo, illi favere Cererem, aut vere altam segetem esse, non paleis tantum inanem, sed gravem frumento; nam ideo *flava Ceres*: Et Ceres nomen est quod in polysyllabis in nominativo singulari producit ultimam, cum in obliquis corripiat. ALTO. De alto. NEQVICQVAM. Id est, Non sine caussa. Nam semper duæ negativæ unam confirmativam faciunt. Vnde male quidam locum illum legunt in Terent. *Pater adest, cave ne te tristem sentiat*. Si enim hoc est, dicit, vide ut te tristem esse sentiat. quod procedere minime potest; sed ita legendum est, *Cave te tristem esse sentiat*. Nam & NE, & CAVE prohibentis est. SPECTAT. Respicit.

ET QVI, PROSCISSO QVÆ S. Æ. T. Propria voce usus est, cum enim primo agri arantur quando duri sunt, proscindi dicuntur; cum iterantur, obfringi; cum tertiantur, lirari. QVÆ SVSCITAT ÆQVORE TERGA. Id est vertit, & proprie suscitat, quia jacent inexerciti; terga autem superficiem, ut Homerus, νῶτα θαλάσσης. QVÆ SVSCITAT ÆQVORE TERGA. Id est terram quam araverat.

VARIORVM.

PENETRABILE FRIGVS ADVRAT. ψῦχος ἀλγεινόν. Hic autem *penetrabile* active extulit, ut Æneid. 10. *penetrabile telum*. Idem quoque Lucret. penetrale frigus vocat. Sunt etiam alia præter ignem, quę urere recte dici possunt. Iustinus quoque frigus urere dixit, loquens de Scythis: *Quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis aut murinis vestiuntur*. Nimirum & Græcis αὖρος frigus matutinum, ἀπὸ τοῦ αὔω, uro: unde & Suidas αὖρον ψῦχος exponit, ut Latini pruinam, ab uro deducunt. GERMAN. PONTANVS.

MVLTVM ADEO RASTRIS, &c. Occationem circumloquitur, sed utrum eam quæ satis frugibus adhibebatur; an quæ iterationem sequebatur? Certe nullo ordine præcepta agricolationis exequitur poëta. nam protinus subjicit quomodo arva subigenda sint prorsis & transversis sulcis. Servius ad eum locum, *vimineasque trahit crates*: *ad agrorum scil. exæquationem, quam Rustici Hyrpicem vocant*. Lege, Hyrpicem. Hurpex & Hyrpex ex Græco ἅρπαξ vel ἁρπάγη rastellum vel crates ferrea cum multis dentibus; Et vera est hæc hujus vocis ex origine significatio, quod rapiat & verrat, quæ in terra serpant inutilia, & sic agrum purget ac mundet. SALMASIVS.

ET QVI PROSCISSO QVÆ, &c. Proscissio, prima aratio quę rectis sulcis arvum subigit. Iteratio, secunda, quæ obliquis, & per transversum agitur. Et proprie locutus est, quum *prorumpere* de ea dixit, & de prima *proscindere*. Nam *offringi* dicebantur arva, quum iterabantur. At perperam Servius iteratam illam arationem, quæ per transversum sulcos agit, eandem facit cum autumnali, quando semine jacto arabant. Sed Servio persuasum est, duabus tantum arationibus arva subegisse veteres, vernali & autumnali: æstivæ quippe nunquam meminit; ea inter solstitium & canicularn peragebatur. SALMASIVS.

Rursus

Digitized by Google

Rursus in obliquum verso prorumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida solstitia, atque hyemes orate serenas
Agricolæ. hyberno lætissima pulvere farra,

SERVII.

RVRSVS IN OBLIQVVM VERSO PRORVMPIT ARATRO. Scilicet autumnali tempore, quo jam cum seminibus aratur. Nam hoc præcipit, ut cum denuo aramus, tunc per obliquum aratra ducamus. nemo enim uno tempore bis arat.

EXERCETQVE FREQVENS. Quidam exercet pro tractat accipiunt; ut, *Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.* Frequens autem pro frequenter. ATQVE IMPERAT ARVIS. Id est, ut tantum ferant, quantum ipse desiderat. Et hoc est quod ait supra, *Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ.* Alii ne liberius ferant quæ volunt, sed quod fuerit satum tradunt.

HVMIDA SOLSTITIA, ATQVE HYEMES ORATE SERENAS AGRICOLÆ. Bene ad votum se transtulit, neque enim rusticus aliud potest hic facere nisi optare: nam duo sunt solstitia. Vnum æstivum, octavo kalendarum Iuliarum die: quo tempore remeare Sol ad inferiores incipit circulos. Et aliud hyemale, octavo kalend. Ianuariarum die, quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. Vnde hyemalis solstitii dies minimus, sicut æstivi maximus invenitur. Videtur ergo contrarium esse quod dicit, Optate pluvias per solstitia, & per hyemem, serenitatem: cum (ut diximus) unum æstivum sit, & aliud hyemale solstitium. Sed sciendum modo annum in quatuor partes esse divisum: in duo solstitia, & duo æquinoctia: unum vernale, & aliud autumnale. quæ Græci ἰσημερίας vocant. Sunt autem hæc octavo kalendarum Aprilium, & octavo kalendarum Octobrium die, qui annus olim in duas tantum partes dividebatur; hoc est in æstivum, & in hyemale solstitium, & in duo hemispheria. ut intelligamus omnia eum tempora voluisse complecti. Nam hoc dicit, Optandum rusticis ut autumnali & hyemali tempore sit serenitas: quę duo tempora pro uno habebantur, secundum hemicyclii rationem, ut diximus. Vernali vero, & æstivo tempore, ut sint pluviæ: quæ & ipsa duo tempora pro uno erant. Tamen si diligenter attendamus: poëtica licentia est usus, ut pluralem numerum, pro singulari poneret. nam solstitia pro solstitio, & hyemes pro hyeme posuit. dicit autem, Optanda hæc quæ per naturam non sunt: quo possit utriusq; temporis asperitas mitigari: & æstatis calor, pluviis: & frigus hyemis, serenitatis tepore. Sane quidam, *Humida solstitia atque hyemes orate serenas,* accipiunt; hoc est ea solstitia pro hyemali tantum solstitio quæ humida hiberni temporis ratione esse necesse est: nam æstatis solstitia humida esse non possunt, ut sub una significatione dictum sit, humida solstitia atque hyemes; quod ostendunt subsequentia, *hyberno lætissima pulvere farra*: neque enim aliquid de æstatis solstitio, vel tempore memoravit. Sed verior expositio hoc habet, *Humida solstitia atque hyemes orate serenas Agricolæ*; non quod humida esse debeant, sed humida solstitia epitheton hyemis est; & modo hoc dicit, solstitia illa quæ humida sunt naturaliter, id est hiberna. ò Agricolæ, & hyemes serenas orate, nisi enim serenum cælum fuerit, nec seri poterit, nec arari, ut ipse dixit in sequenti; *hiberno lætissima pulvere farra.* Nisi enim serenum fuerit, pulvis è terra levari non poterit. Ergo hoc dicit, solstitia hiberna, & non solum solstitia, id est solstitiorum sola tempora, sed omnes hyemes serenas optandas.

HYBERNO PVLVERE. Hyberna serenitate, eo quod nimia serenitas pulverem creat. Et est carmen rusticorum antiquum, *Hyberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.* Camillus adulescens est.

VARIORVM.

RVRSVS IN OBLIQVVM VERSO PRORVMPIT ARATRO. De hac aratione Plin. lib. 18. cap. 19. *Omne arvum rectis sulcis, mox & obliquis subigi debet.* Ibid. *Id demum recte subactum erit, ubi non intelligatur, utro vomer ierit.* TAVBMAN.

IMPERAT ARVIS. Credo ea forma dictum, qua à Columella lib. 3. *Nec provident futuro tempori, sed quasi plane in diem vivunt: sic imperant vitibus, ut eas multis palmitibus onerent, &c.* GERMAN.

HVMIDA SOLSTITIA, ATQVE HYEMES. Ineptiverunt quidam dum se astrologos ostentantes, dixerunt, duo esse solstitia, & de utroque sensisse Virgilium; cum Poëta Solstitium hic pro æstate, cui hyems opponitur, usurparit. Et apud bonos latinitatis auctores, Solstitii nomen, Solstitium æstivum duntaxat significat, eique bruma opponitur. Cic. lib. 2. de nat. deor. *Solis accessus, discessusque Solstitiis, brumisque cognoscitur.* Censet ergo Poëta æstatem pluviam, ac serenitatem hibernam multum habere emolumenti ad segetum ubertatem: sic enim utriusque temporis intemperies quasi corrigitur: æstivi quidem siccitas pluviarum irrigatione: Hyberni vero humiditas nimia, aëris serenitate. Cumque æstate maturescunt fruges, omnino ad incrementum humectatione iis opus est, qua temperetur caloris æstus: ne agris illo exinanitis arescant fruges ipsæ, quarum cibus est imber: & calor terræ ἀντιπεριστάσει frigoris astringentis ipsius poros, cohibitus, vires sufficit radicibus frugum, quæ satæ sunt præcedenti autumno. quibus etiam humidum a frigore simul distillans alimentum suppeditat. BERSMANNVS.

HYBERNO LÆTISSIMA PVLVERE FARRA. *Læta farra*, id est fæcundam segetem enasci innuit, & hoc rusticum vetusque canticum, quod in libris antiquissimorum Carminum inveniri, & à Poëta hic spectari Macrob. annotat lib. v. cap. 20. *Hyberno pulvere, verno luto grandia farra, Camille, metes.* Est autem *Camillus*, (ut hoc obiter dicam) παῖς ἀμφιθαλὴς, id est puer patrimus, matrimus. De quo Scalig. ad Catull. Carm. 1. TAVBMAN.

Lætus ager. nullo tantum se Mœsia cultu
Iactat: & ipsa suas mirantur Gargara messes.
Quid dicam, jacto qui semine cominus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ?
Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentes?
Et cum exustus ager morientibus æstuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam

SERVII.

LÆTVS AGER. Hyberno scilicet sereno. Quia ubi hoc contigerit, ne hæc quidem loca quæ fertilia sunt, id est Mœsia, & Gargara, quæ dicturus est in sequentibus, certent cum illo proventu. NVLLO TANTVM SE MOESIA CVLTV IACTAT. Constat quidem Mœsiam circa culturam esse diligentem: sed non ei cultus suus tantum prodest, quantum hyberna serenitas & humidum solstitium. Mœsia autem provincia est Thraciarum vicina Scythiæ. Mysia vero civitas Phrygiæ, haud longe à Troja: quam magis debemus accipere propter Gargara, montes Phrygios. Vnde apparet & in Asia esse regionem quæ Mœsia dicatur. Sane Gargara multi auctores Græci, sicut Serenus Sammonicus tradit, altitudinem Idæ montis, & per hoc abusive omnes summitates montium Gargara appellantes; se etiam Gargara civitatem in radicibus Idæ montis in provincia Mœsia Asiæ,* quam constat naturaliter uliginosam,& ob hoc frugum feracem;in tantum ut multi poëtæ Græci Gargara abusive pro cujusvis rei multitudine vel copia posuerint. Ergo potest & hic sensus esse, ut sit; cum ea sit anni temperies, & hyems serena sit, & solstitium humidum, fructus optime provenire, hæc autem adeo agris esse necessaria, ut sine his, ne illi quidem fecundissimi Mœsiæ agri responsuri sint opinioni fertilitatis, quæ de his habetur.

MOESIA CVLTV. Cultu autem ideo addidit, tanquam diceret omnis seges, quæ tempestivos humores habuerit, æquabit fecunditati arvorum Mœsiorum; quæ propterea quod non quærant solstitiales imbres, sed naturali & proprio humore lætentur, maximum & præcipuum cultum habeant, & ita uberes ibi fructus proveniant, ut fecunditatem agrorum suorum etiam Gargara ipsa mirentur.

ET MIRANTVR GARGARA MESSES. Phantasia est poëtica, rei inanimatæ sensum dare: sic alibi, *Miraturque novas frondes, & non sua poma.* Sane Rubellius, Blandus, & Quadrigarius historici dicunt Gargarum flumen vocari in finibus Thurinis. * fuisset oppidum mediocre, quod Garga nunc vicus est,quem Troes obscuri centum quinquaginta, ignoto & incerto duce insederunt; scilicet nomine à vertice Idæo translato, à quo civitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur.

QVID DICAM. Oratorium schema quædam recusare, quasi non sufficiat materiæ, deinde referre, & quid dicam, quemadmodum juvat arva qui insequitur. COMMINVS. Id est statim, sine intermissione. Non est ergo ex propinquo,qui significatus frequentissimus est in Cisalpina Gallia, vulgo enim dicunt, vado ad eum,sed comminus: unde Virgilius magis patriam consuetudinem videtur secutus. Veteres enim non in tempore, sed in loca comminus ponebant, id est juxta; ut est *comminus obtruncant ferro*, cui contrarium est eminus, id est longe.

INSEQVITVR. Prosequitur, & non finit quiescere. RVIT. Evertit, dissipat. Nam modo agentis est. ut, *Vna Eurusque, Notusque ruunt.* nam aliter dictum est, *Ruit alto à culmine Troja.* MALE PINGVIS. Non pinguis, id est sterilis. nam *male*, apud Virgilium sæpe pro non significat, ut, *male sana sororem*,

DEINDE SATIS FLVVIVM INDVCIT, RIVOSQVE SEQVENTES. Post commemoratam generalem agriculturam, transit ad species & culturas venientes ex tempore. Nam arare, cinerem jacere, incendere æternum est: irrigare autem nonnisi nimiæ siccitatis est; sicut & siccare etiam aut ex magnis pluviis, aut ex fluminis eruptione compellimur.

SATIS. Segetibus, agris satis, id est seminatis: nam participium est. RIVOSQVE SEQVENTES. Iuges aut sequuturos, aut certe rivorum est epitheton; quia, qua duxerit sequuntur. EXVSTVS AGER MORIENTIBVS. &c. Scilicet æstatis calore.

MORIENTIBVS HERBIS. Secundum Pythagoricos, qui dicunt omne quod crescit animam habere: Vnde est, *Atque interfice messes*.

ECCE. Id est ex improviso. SVPERCILIO autem, altitudine, summitate terrarum. Alii supercilia loca in obliquum delineata, quæ superne habeant alia fastigia ex accidenti dicunt. tramites autem sunt convalles, quæ de lateribus utrinque perviæ limitant montes, quæ solent etiam saltus nuncupari. Sed hic tramitem nunc pro valle ac saltu accipere debemus, & pro supercilio, simpliciter edito loco; ut ἴλιον ὀφρυόεσσαν, nam ideo ait clivosi.

VARIORVM.

MIRANTVR GARGARA MESSES. Est & alter sensus. Cum ea sit anni temperies, ut hyems serena sit, & solstitium humidum, fructus optime proveniunt. & adeo hæc esse agris necessaria, ut sine his nec Mysiæ quidem, nec Gargarorum agriculturæ feracitate laudabiles, responsuræ sint opinioni, quæ de eis habetur. Est autem Mysia regio Asiæ circa Ciliciam, frugum ferax, quæ, *nullo cultu tantum se jactat*, id est, gloriatur, quantum si veniat, *serena hyems, & solstitium humidum.* PHILARG.

Gargarus fœminino genere, auctore Eustathio, urbs est Troadis: Gargaron autem vel Gargara, Idæ est promontorium. GERMAN. Vide Macrobium lib. 5. cap. 20. ubi de hoc toto loco longe accuratius, verius, quam Servius, tractat. TAVBMAN.

Elicit

Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet; ſcatebriſque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba;
Cum primum ſulcos æquant ſata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit; & obducto late tenet omnia limo:
Vnde cavæ tepido ſudant humore lacunæ.
Nec tamen (hæc cum ſint hominumque boumque labores
Verſando terram experti) nihil improbus anſer,

SERVII.

ELICIT. Ab eliciendo, & apud antiquos, hodieque in aliquibus provinciis Elyces appellantur ſulci ampliores, ad ſiccandos agros ducti; unde Poëta ipſo verbo uti voluit, nam & ſcrutatores vel repertores aquarum (aquilices dicuntur) barinulas dixerunt. RAVCVM PER LEVIA MVRMVR SAXA CIET. Non ſolum utilitati hanc rem dicit fore, ſed etiam voluptati: murmur autem ſonum aquæ. LEVIA vero lubrica, nitida, detrita.

SCATEBRIS. Ebullitionibus, quæ fiunt cum aqua in aliquas rimas defluxerit. Vnde etiam vaſa æſtuantia ſcaturire dicuntur. vnde vulgo vaſa ubi calida ſolet fieri, ſcutræ appellantur. TEMPERAT. Ruſticus ſcilicet.

QVID QVI NE GRAVIDIS PROCVMBAT ARISTIS. Gravidas ariſtas periphraſticōs pro ſpicis poſuit. Dicimus autem & hic ſpicus, & hoc ſpicum. Cicero in Arato, *Spicum illuſtre ferens inſigni corpore virgo.* Sed ſcire debemus in uſu eſſe à maſculino utrunque numerum: à neutro vero raro, & tantum ſingularem inveniri, nam plurali nuſquam lectum eſt. Et QVID, id eſt, quid dicam quantum juvat arva. CVLMVS. Iunctio ſpicarum.

LVXVRIEM SEGETVM. Bene luxuriem, ut oſtendat rem ſuperfluam, & nocituram niſi amputetur, officere, & bene luxuriem paſcit non ſegetem. Sane luxuriem juxta antiquos multi dictum putant, cum luxuria dicatur.

CVM PRIMVM SVLCOS ÆQVANT SATA. Seminata, hoc eſt, cum adhuc herbæ ſunt teneræ, id eſt cum operiunt ſulcos herbæ, hoc eſt antequam cogantur in culmos, & per iſta tempus oſtendit. Sane hoc hemiſtychium Virgilii unum de invictis eſt. QVIQVE PALVDIS. Et hic, juvat arva, ſubaudiendum.

DEDVCIT. Siccat, detrahit. Sic paulo poſt, *Rivos deducere nulla Relligio vetuit*, Id eſt ſiccare. BIBVLA ARENA. Quia omnis arena bibula eſt.

INCERTIS MENSIBVS. Inopportunis: incerti autem menſes ſunt veris & autumni: nam & hyemis certum eſt frigus, & æſtatis certus eſt calor: quidam incertos menſes pro quibuſcunque qui adſeſtant variam tempeſtatem accipiunt.

EXIT. Exire proprie dicuntur flumina cum abundant extra ripas, ut, *cum ſpumeus amnis Exit.* Veris vero & autumni nunc frigus, nunc calor eſt. OBDVCTO LATE TENET OMNIA LIMO. Superlito, ſuperfuſo. LATE. Valde ac multum, id eſt per plurimum ſpatium. TENET occupat, & operit.

VNDE. Ex quo, vel ob quam rem. TEPIDO HVMORE. Stanti, noxio, inutili. vel hoc eſt incertis menſibus; videtur enim de æſtate dicere, tepido humore. LACVNÆ autem ſunt foſſæ, in quibus collecta aqua ſtare conſuevit; id eſt quaſi lacus minores.

NEC TAMEN HÆC CVM SINT HOMINVMQVE BOVMQVE LABORES. Ordo eſt, *Nec tamen nihil improbus anſer, Strymoniæque grues & amaris intiba fibris officiunt, aut umbra nocet.* Et hoc dicit, Licet hæc omnia quæ dixi, arando ſint experti & hominum & boum labores: tamen ſunt adhuc aliqua quæ obſunt, niſi provideris. ut aves abſint, aut umbra arborum.

IMPROBVS ANSER. Inſatiabilis, nulli probandus. Et dicit anſeres agreſtes.

VARIORVM.

ELICIT. *Elices* enim, auctore Feſto, ſulci ſunt aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris. Columella, *colliquias* etiam vocat, Martianus I C. *diverticula:* Græci ὀχετοὺς. TAVBMAN.

LVXVRIEM SEGETVM. T. D. I. H. Inter vitia ſegetum luxuria eſt, cum onerata fertilitate procumbunt: quæ caſtigatur dente pecoris in herba duntaxat: & depaſtæ quidem vel ſæpius, nullam in ſpica injuriam ſentiunt. PONTAN.

PALVDIS COLLECTVM HVMOREM. Paludis humorem, vocat aquam in agris collectam, vel naturali quadam ſoli uligine, vel pluvia copioſiore, ut aquarum collectio illa, quaſi paludem efficiat. BERSMAN.

PRÆSERTIM INCERTIS, &c. *Incertos menſes* vocat vernos, quibus abundant & exeunt flumina, ex regelatione nivium ut plurimum, quæ montibus deſcendunt. De autumni menſibus accipi non poſſe certum eſt, ut nugatur ibi Servius. SALMASIVS.

Digitized by Google

Strymoniæque grues, & amaris intyba fibris,
Officiunt: aut umbra nocet. Pater ipse, colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,

SERVII.

STRYMONIÆQVE GRVES. Thraciæ, à fluvio vel lacu Strymone, qui sunt circa Amphipolim civitatem. ET AMARIS INTYBA FIBRIS. Donatus dicit, male quidam intybam avem quandam amari jecoris accipiunt. nam intyba dicit cicorea, quarum radices multæ & tenues ambiunt segetes & necant. Fibris autem abusive ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, ut fibræ per jecur, id est venæ quædam ac nervi. Alii fibras proprie dicunt rei cujusque extremitates, sicut Cicero in Gabinium, *Fibræ cincinnorum madentes:* Et in Tusculanis, *Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.* Vnde & jocineris extremæ partes fibræ à nonnullis appellantur. Bene ergo Virgilius intyborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit. Alii herbas adserunt, ut Nigidius commentario grammaticali φορβὴ, herba. *Sed antea fibra dicta est, ut nunc etiam rustici dicunt.* Potest ergo hic fibris pro herbis accipi, quando ipsa intybus herbæ species est. AMARIS, nocentibus. Vt, *Hostis amare.*

AVT VMBRA NOCET. Vt, *nocent & frugibus umbræ.* VIAM. Rationem, μέθοδον.

MOVIT AGROS CVRIS ACVENS MORTALIA CORDA. Dicturus est Iovem fecisse multa, quæ possunt in vituperationem venire: & ea hoc colore defendit, quod dicat voluisse eum ingenium mortalibus ex necessitate præstare, ne torperent otio, quod ex rerum abundantia procreatur. Et movit agros, tanquam ipse colat agros, ut, *ille colit terras;* vel movit, id est jussit coli, ut est terram vertere, *curis* vero solicitudinibus. ACVENS. Exercens.

VETERNO. Pigritia, otio, quia plerunque otiosos solet hic morbus incessere, Plautus in Addicto, *Opus facere nimio quam dormire mavolo, Veternum metuo.* Veternus autem dicitur morbus intercutis, idrops, qui homines efficit pigros, & dicimus hic Intercus, hujus Intercutis.

ANTE IOVEM. Ante regnum Iovis. NVLLI. Vetuste pro non significat, Terentius in Hecyra, *Si non quærit, nullus dixeris.* ut ipse alibi, *Nulla Venus non ulli animum flexere.* Tale est *& nil mea carmina curas,* pro non curas. SVBIGEBANT, domabant. mollibant, ac per hoc colebant.

LIMITE, termino, ut, limes agro positus. NEC SIGNARE QVIDEM, signare, notare; propterea quod cum agri colonis dividerentur, fossa ducebatur ab Oriente ad Occidentem, quæ cardo nuncupabatur; & alia de Septentrione ad Meridiem, qui decimanus limes vocabatur: & alii minores erant in obliquum discreti, qui lineares appellabantur, & agros per centurias sive per jugera divisos coërcebant.

IPSA TELLVS. Ipsa, ultro, sponte sua, ut *Ipsa lacte domum.* AVT PARTIRI. Dividere & designare. FAS. Id est, lex. IN MEDIVM QVÆREBANT. In commune, id est, in publico, ut ipse alibi, consulite in medium.

OMNIA LIBERIVS. quia supra ait, *Atque imperat arvis.* Alii liberius, pro liberalius accipiunt. Bene. tunc enim libere cuncta sponte ferebat: nunc autem imperante alio per laborem culturæ serviunt. ILLE. Iupiter scilicet adeptus imperium. MALVM VIRVS. Bene ad discretionem epitheton addidit. Nam virus & bonum & malum est: sicut venenum: nam idem est. Venit autem à Græco: nam illi φάρμακον medium habent, idest bonum & malum. Sane VIRVS. hodie tres tantum habet casus: hoc virus, hoc virus, ô virus. Antiqui, hujus viri dicebant. Lucretius, *Tetri primordia viri.* Nonnunquam pro fœtore ponitur virus, ut apud Lucilium, *Anseris herbilis virus.* ADDIDIT aut abundat, aut addidit, quia habebant ante nonnihil veneni. ATRIS, modo noxiis, id est ad tenebras & mortem mittentibus.

VARIORVM.

AMARIS INTYBA FIBRIS. Metaphoricōs, amaro succo. Fibras enim animalia habent, id est summæ jecoris partes. INTYBA, pluralis neutrius generis, singularis vero masculini; ut Lucius in V. Intybus herba * præterea pedibus pressus equinis. Item *Intyba* vena quædam pessima, & nervi amari terræ. Profecto dupliciter intyba nocere possunt; tum radicum fibris serpentium terramque defrugantium, & triticum augentium; tum anserum illecebris mire hoc olus expetentium. quam etiam crediderim caussam fuisse, cur post anseres, intuborum mentionem fecerit. GLOSS. MSS. LVGD. GERMAN.

VILEMQVE FASELVM. *Vilem* exponit Nonius *frequentem*: quod, quæ abundant, vilescant. Willichius distinguit *faselum* & *fasciolum*. Illum ait cicerculæ genus esse; hunc herbam, cujus fructus dicantur ὄλλιχοι THEOPHRASTO, lib. 3. c. ult.

30 *Præda-*

Digitized by Google

Prædarique lupos jussit, Pontumque moveri;
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Vt varias usus meditando extunderet artes
Paulatim; & sulcis frumenti quæreret herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensêre cavatas:
Navita tum stellis numeros, & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

SERVII.

PRÆDARIQVE LVPOS IVSSIT. Vtrum ut ipsi prædas faciant, an ut ipsi capiantur? PONTVMQVE MOVERI, ventis scilicet. Cicero, *Mare movetur ventis, ne putescat.*

MELLAQVE DECVSSIT FOLIIS, quia est opinio, fluxisse arboribus mella. IGNEMQVE REMOVIT. Non penitus sustulit, non extinxit, sed occuluit. Vnde est, *Quærit pars semina flammæ, Abstrusa in venis silicis.*

VT VARIAS VSVS. Vsus ἡ χρεία, ut cum opus rebus esset, excogitarentur artes, per quas invenirentur. MEDITANDO, ab agente est, idest dum meditatur. EXTVNDERET. Studiose reperiret & coleret.

PAVLATIM. Epitheton artium est. PASSIM. Abundanter, ubique. RIVIS. Fluminibus. FRVMENTI HERBAM. Periphrasis segetis, ut, *nec graminis attigit herbam.* QVÆRERET, id est ipse usus, & quæreret, quasi adhuc quod non esset, id est quasi intus in sulcis quæreret.

ET SILICIS VENIS. Proprie dictum, Quadrigarius quarto, *Inter venas saxi, abstrusum, latentem & quasi divinitus absconditum*: Et hoc est quod dixit, *ignemque removit.* Sane absconditum dicitur, non absconsum, quia conditum facit, non consum.

ALNOS, arboris species, & per hoc lyntres fluviales ostendit. FLVVII, id est qui in fluviis navigant. SENSERE CAVATAS. Hoc est, quod ait paulatim.

NAVITA. Pro nauta: sicut Mavors pro Mars. NVMEROS ET NOMINA FECIT. Numeros, aut currendi modos, id est ortus & occasus: quod si est, quasi rem philosophorum prætermisit: nam tantum de nominibus dicit, ut plejadas, hyadas. Aut certe revera ait numeros: nam Hipparchus scripsit de signis: & commemoravit etiam, unumquodque signum quot claras, quot secundæ lucis, quot obscuras stellas habeat. secundum quod bene commemoratis signis, quasi notum, stellarum numerum prætermisit. Aut numeros, quia Septentrionem dicimus: Nomina fecit vero notamina, Plautus in Menechmis, *Iuventus fecit nomen Peniculo mihi.* Et in eo quod dicit nautam stellis numeros & nomina fecisse: significat necessitate quærendarum rerum; quæ ante sponte sua cunctis proveniebant, homines navigandi peritiam & studium reperisse: & ex eo quod sequitur, id quod præcedit ostendit. Navigandi quippe peritiam, sequitur studium motus, & rationes syderum cognoscendi, propter tempestatem maris, & ventorum motus.

PLEIADAS. Signum est ante genua Tauri, quod Græci οὖθαρ dicunt, id est * petimen. Quidam autem non omnium boum οὖθαρ, sed eorum tantum, qui sunt ita ut Cyprii gibberes, sicut Aristoteles quoque refert, sed & gibber ipsum οὖθαρ nominat; sed Plejades ortu suo primæ navigationis tempus ostendunt. Vnde Græce Plejades dicuntur ἀπὸ τοῦ πλεῖν: latine Vergiliæ, à verni temporis significatione, quo oriuntur. vel quod Pliones & Atlantis filiæ sint. Sunt autem septem. Taygete, Arcyone, Celænis, Sterope, Merope, Electra, quæ excisum filium dolens, lucere desiit: quidam Steropen volunt non apparere, velut erubescentem, quod sola è sororibus cum Sisypho mortali concubuerit. HYADAS. Hyades, signum est & in fronte Tauri, quod ortu suo efficit pluvias: unde stellæ ipsæ, Hyades vocantur ἀπὸ τοῦ ὕειν, quas Latini exinde Suculas appellaverunt. Alii hyadas, à porcis quos Græci ὗς dicunt; à nobis sues appellantur, non à pluviis, quas ὑετὸς vocant, dictas accipiunt. nam ideo & suculas dici à suibus. Hæ sunt in fronte tauri, in formam Y litteræ. Vnde etiam Yadas dici volunt. Has alii septem, alii quinque dicunt his nominibus, Pytho, Synecho, Baccho, Cardie, Niscis. CLARAMQVE LYCAONIS ARCTON. Elicem dicit, id est majorem Septentrionem: nam minor Cynosura dicitur. Lycaonis autem, subaudi filiam, ut Deiphobe Glauci. Lycaon enim rex Arcadiæ habuit filiam Calisto, quam cum vitiasset Iupiter, Iuno in ursam convertit: & postea Iuppiter miseratus in signum Septentrionis cœleste transtulit. CLARAM ergo, notam; ut, *tuus ò clarissime frater Pandare*; vel quia non, vel nunquam occidit, ideo claram; vel quia illic alia obscurior est.

VARIORVM.

ARGVTÆ LAMINA SERRÆ. Perdix discipulus Dædali, serræ usum primus invenit: cui magister invidens, quod melior in hoc fuisset inventus; ne plura inveniendo laudem ei infringeret, apud Athenas ex arce Minervæ eum præcipitavit. GLOSS. MSS. LVOD.

Tum laqueis captare feras, & fallere visco,
Inventum; & magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem,
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ:
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variæ venere artes. LABOR *omnia vincit*
Improbus; & duris urgens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit: cum jam glandes, atque arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.

SERVII.

TVM LAQVEIS CAPTARE FERAS, ET FALLERE VISCO INVENTVM. Captare, occupare, velle, & unus sensus est divisus interpositione alterius. Nam LAQVEIS CAPTARE FERAS, ad venationem pertinet. idest illaqueare feras incurvatis arboribus: FALLERE VISCO, ad aucupium. Item ad venationem, ET MAGNOS CANIBVS CIRCVNDARE SALTVS. Male autem de aucupio quidam hoc respuunt, totum referentes ad venationem: & dicunt, FALLERE VISCO, pro visceratione positum. Constat enim luparios carnibus tinctis veneno lupos necare. quod ideo non procedit, quia hoc viscum hujus visci facit, sicut templum templi. unde est FALLERE VISCO. Viscus vero id est caro, visceris facit, ut pecus, pecoris. Et si de carne loquebatur, viscere debuit dicere. Lucretius. *Permixtus viscere sanguis*. Item ipse, *Viscus gigni, sanguenque creari*. Primo de nautis, & navigio invento: postea de venatione dixit: nunc de piscatoribus loquitur. cuncta enim hæc necessitas invenit.

ATQVE ALIVS LATVM FVNDA IAM VERBERAT. Ordo est, jam alius & funda. Genus est retis dictum à fundendo, id est jaculum quod dicitur βόλος.

ALTA PETENS. Nonnulli alta petens ad maris piscationem adplicant; ut prima pars, *funda jam verberat amnem*, fluminis piscatio videatur. *Alta petens pelagoque alius trahit humida lina*, de mari dixerit. TRAHIT HVMIDA LINA. Verriculum significat. Et trahit recte, quia hoc genus retis tragum vocatur.

FERRI RIGOR. Durities ferri, unde *enses rigidi* fierent. Vnde & *rigidus homo* dicitur. ARGVTÆ SERRÆ. Stridulæ, sonoræ, ut *arguto pectine*. Et dicitur, Perdix, sororis Dædali filius, invenisse circinum & serram. Lamina autem serræ, definitio.

SCINDEBANT FISSILE LIGNVM, Quod findi potest; aut scindendo fissile faciebant; aut ibi scindebant, ubi fissile erat.

TVM VARIÆ VENERE ARTES. Ex necessitate scilicet diversarum rerum, quibus homines repressa spontanea cunctarum rerum origine, & terrarum fructificatione cœperunt egere. LABOR IMPROBVS. Vel magnus, vel nulli probabilis: nullus est enim amator laboris. vel indefessus, adsiduus, sine moderamine.

ET DVRIS VRGENS IN REBVS EGESTAS. Prior est egestas, quam paupertas; paupertas enim honesta esse potest. Egestas autem turpis est. Persius: *Magister artis ingeniique largitor Venter, negatas artifex sequi voces.*

PRIMA CERES FERRO MORTALES VERTERE TERRAM INSTITVIT. Prima Ceres omne agriculturæ genus hominibus indicavit. superfluam enim quæstionem movent commentarii, dicentes Osyrim vel Triptolemum aratrum invenisse. nam aliud est unam rem invenire, & aliud omnem agriculturam docere: quod fecit Ceres. Nam ferrum dicendo, cuncta generaliter rusticorum arma complectitur. Sane solum hoc nomen est in polysyllabis, quod ultimam producat in nominativo, & eam in obliquis corripiat, ut Ceres, Cereris.

SACRÆ DEFICERENT SYLVÆ. Emphasis est, id est etiam sacræ: quarum sterilitas cæterarum quoque significat infœcunditatem ARBVTA autem sunt rubra poma sylvarum; quæ Plinius unedones vocat: quod asperitate sua plura edi non possint. Sylvæ autem si nominativus pluralis est, figurata declinatio est, si singularis genitivus est, possessiva.

VICTVM DODONA NEGARET. Dodona civitas Epiri est, juxta quam nemus est Iovi sacratum, & abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus columbæ oracula petentibus dare consueverant. & ideo κατ' ἐξοχὴν Dodonæ efficit mentionem. Quia dixit, *Chaoniam pingui glandem mutavit arista:* sunt enim Chaones in Epiro, perinde ut Dodona. Et totum quod dicit hic, hoc est; Prius homines ut legimus pasti glandibus sunt, nec aliud ad victum quærebant. Cum igitur jam deficerent glandes, & non solum quælibet sylvæ, sed etiam sacræ victum hominibus negarent; & cum aliis sylvis ipsa quoque Dodona civitas, quæ juxta se nemus Iovi consecratum habebat, glandes usibus humanis subtraheret. Ceres prima omne genus agriculturæ hominibus indicavit.

VARIORVM.

LABOR IMPROBVS. Quidquid nimium est, & modum normamque excedit, IMPROBVM Latinis dictum est. sic *improbum votum* pro arroganti, & captum ejus modulumque à quo vovetur, supergresso. SALMASIVS.

Mox

Digitized by Google

Mox & frumentis labor additus; ut mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus. intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæque, tribulique; interque nitentia culta
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.
Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris,
Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum;
Concuſſaque famem in ſylvis ſolabere quercu.
Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma;
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.

SERVII.

LABOR ADDITVS. Aut datus: ut nihil mali ante habuerint. aut revera additus: quia ante erat quidem labor, ſed tantum herbarum, intyborum: poſtea acceſſit rubiginis, carduorum. Labor autem quem Græci κοπίαν dicunt.

ESSET. Comeſſet, conſumeret: ut, *Eſt mollis flamma medullas*. RVBIGO autem genus eſt vitii, quo culmi pereunt. Quod à ruſticanis calamitas dicitur. Hoc autem genus vitii, ex nebula naſci ſolet cum nigreſcunt & conſumunt frumenta. Inde & Rubigus deus, & ſacra ejus decimo kalend. Majas Rubiginalia appellantur. Sed hæc res abuſive rubigo dicitur. Nam proprie rubigo eſt (ut Varro dicit) vitium obſcœnæ libidinis, quod ulcus vocatur: id autem abundantia & ſuperfluitate humoris ſolet naſci, quæ Græce [illegible] dicitur. SEGNIS CARDVVS. Inutilis, infæcundus. HORRERET, abundaret, ut totum agrum impleret. SVBIT, ſuccedit loco intereuntium. ASPERA SYLVA. Notandum, etiam de herbis ſylvam dictam.

LAPPÆQVE. Species herbæ hirſutæ. TRIBVLIQVE. Genus * ſpinæ, quod donec viret mollia folia habet; ubi inaruerit aſperantur in ſpinas: Hos tribulos ſparſiſſe pugnaturus cum Romanis Hannibal dicitur, fugamque ſimulaſſe; quem cum Romani inſequerentur ignorantes, & fugere credentes, in hoc genus fraudis incurrerunt, & ab hoſtibus in prælium recurrentibus cæſi ſunt. INTERQVE NITENTIA CVLTA, quæ ideo coluntur ut niteant; aut quæ per cultum nitere debeant.

INFELIX LOLIVM. Infœcundum. contra, *Felicemque trahit limum*. STERILES AVENÆ. Ad diſcretionem earum quæ ſeruntur. Nam in multis provinciis etiam inter fructuum genera numerantur: dominantur vero, eminent, quia & validiores & altiores ſunt.

QVOD NISI ET ASSIDVIS TERRAM INSECTABERE RASTRIS. Iam non claudit, & hoc dicit. Niſi ſæpe ſarrieris: propter illud, *Et amaris intyba fibris Officiunt*: Niſi aves fugaveris: propter illud, *Improbus anſer, Strymoniæque grues*: Niſi falce amputaveris ramos: propter illud, *Aut umbra nocet*: Niſi votis invocaveris pluvias: propter, *Humida ſolſtitia, atque hyemes orate ſerenas*: ſine cauſa ingentes frumenti alieni acervos aſpicies. Per quod oſtendit ruſticum ſua inertia famem, non anni vitio, ſuſtinere. Sane ad illud rettulit, quod ſupra ait, *in medium quærebant*; at nunc ſibi quiſque, nec ad nos pertinet acervus alienus. INSECTABERE. Pro inſectatus fueris. Futurum indicativi pro futuro ſubjunctivi. RASTRIS. Sarculis.

TERREBIS. Pro terrueris.

PREMES VMBRAS. Coartabis & imminues, compeſces. VOTIS. Sacrificiis, precibus. VMBRAS. Id eſt ramos arborum incumbentes ſegetibus amputans. VOTISQVE VOCAVERIS IMBREM. Ut invoces fore tibi pluviam. ALTERIVS ACERVVM. Qui hæc accurate egerit. FRVSTRA SPECTABIS. In alio cernens, quod ipſe non habeas.

FAMEM SOLABERE. Ac ſi diceret, Ne glandibus quidem ſatiaberis; ſed tantum famem produces: quia dixerat, *Et victum Dodona negaret*.

DICENDVM ET QVÆ SINT DVRIS AGRESTIBVS ARMA. Quaſi magnum opus aggredior, ut, *nunc veneranda Pales*. DVRIS AGRESTIBVS. Quia in labore durant. ARMA. Id eſt, inſtrumenta: ut alibi, *Cerealiaque arma*.

QVEIS SINE. Sine quibus. SERI. Seminari. SVRGERE. Creſcere. VOMIS. Et ab eo quod eſt vomer, & ab eo quod eſt vomis, vomeris facit; ſed rationis eſt, ut vomer. nam vomis uſurpatum eſt. rarum enim eſt, ut in is exeuntia, RIS, in obliquis recipiant: ut cinis, pulvis. Talis eſt & in Græcis ratio: nam actin & actis dicunt, delphin & delphis, Eleuſin & Eleuſis: ſed verius in N deſinunt: quod in obliquis habent, & Actinos, Eleuſinos, Delphinos.

VARIORVM.

FALCE PREMES VMBRAS. Quia arbuſta ſeri ſolent. & *Premes*, pro compeſces. PHILARG.

DICENDVM ET QVÆ SINT, &c. Proponit deinceps enarrationem ſupellectilis ruſticæ, quænam ſint inſtrumenta operi faciundo neceſſaria, Græcis ἐργαλεῖα γεωργικά. Atque hæc eſt ſecundum vulgatam diſtributionem hujus libri pars tertia, tota διδασκαλική, cum ſuperiores duæ magis videantur παραινετική. Pleraque eorum, quæ hic referuntur, de ſecundo Heſiodi expreſſa ſunt. BERSMAN.

Vomis, & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere rastri:
Virgea præterea Celei, vilisque supellex,
Arbuteæ crates, & mystica vannus Iacchi.
Omnia quæ multo ante memor provisa repones:
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in sylvis magna vi flexa domatur

SERVII.

INFLEXI PRIMVM GRAVE ROBVR ARATRI. Vet. Cod. Periphrasticôs aratrum, nam inflexi pro flexi posuit, quia IN abundat: grave autem robur, propter sulcos altius imprimendos, & grave robur est, cui vomer accommodatur.

TARDAQVE ELEVSINÆ MATRIS VOLVENTIA PLAVSTRA. Eleusin civitas est Atticæ provinciæ, haud longe ab Athenis: in qua cum regnaret Celeus, & Cererem filiam quærentem, liberalissime suscepisset hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturæ: filium etiam ejus Triptolemum recens natum per noctem igne fovit; per diem divino lacte nutrivit: & eum alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit, ad usum frumentorum hominibus indicandum. Volventia autem plaustra, id est, volubilia: aut quærendum est, quid sit volventia plaustra Eleusinæ matris, id est, qualia ostendit Ceres apud Eleusina. aut certe, qualibus mater deûm colitur. nam ipsa est etiam Ceres, Romæ quoque sacra hujus de plaustris vehi consueverant: volventia autem quæ volvuntur, quod venit à volvo, non volvor.

TRIBVLAQVE. Genus vehiculi omni parte dentatum, unde feruntur frumenta, quo maxime in Africa utebantur. TRAHEÆQVE: Vel tabula est, ut quidam dicunt, quæ trahentibus bubus solet areæ induci, ad pabulum colligendum; vel vehicula sine rotis, quas vulgo tragas dicunt, & causa metri in hoc nomine epenthesin fecit, ut navita, & Mavors, pro nauta, & Mars. INIQVO PONDERE RASTRI. Pro iniqui ponderis, id est magni: scilicet ut sine labore rustici, glebas possint infringere.

VIRGEA PRÆTERRA CELEI VILISQVE SVPELLEX. Id est vasa de vimine: qualia Ceres Celeo aliquando monstravit: ut qualos, corbes, & cætera. Vilis autem supellex quæ . . . nam de genistis, vel junco, vel alba vite solent fieri. Sane hæc, & corbis dicendum est fœminino genere, secundum Tullium, qui ait, in Sestiana, *Messoria se corbe contexit*. SVPELLEX autem usurpatum est. nam artis est, hæc supellectilis. Genitivus enim aut par debet esse nominativo, aut una syllaba major, ut musa musæ: doctor doctoris. Si duabus majorem invenerimus, contra artem id esse manifestum est: ut anceps, præceps & pauca alia.

ARBVTEÆ CRATES. Ex arbuto factæ. ET MYSTICA VANNVS IACCHI. Id est cribrum areale. Legimus tamen & vallus * secundum Varronem hanc fisticula Pollio mysta vallus, quod idem nihilominus significat. Mystica autem Iacchi ideo ait, quod Liberi patris sacra, ad purgationem animæ pertinebant: & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est quod dicitur Osiridis membra à Typhone dilaniata Isis cribro superposuisse. nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis vannus est: quia ut diximus animas purgat. Vnde Liber ab eo quod liberet dictus, quem Orpheus à gigantibus dicit esse discerptum. Nonnulli Liberum patrem apud Græcos λικνίτην dici adferunt, vallus autem apud eos λίκνος nuncupatur, ubi de more positus esse dicitur, postquam est utero matris editus. Alii mysticam sic accipiunt, ut vannum vas vimineum latum dicant, in quod ipsi opeiti * capacitatem congerere rustici primitias frugum soleant, & Libero & Liberæ sacrum facere. Inde mystica.

OMNIA QVÆ MVLTO ANTE MEMOR. Bene non vult rusticum tunc quærere quæ dixit, dicturusve est cum jam opus sint.

SI TE DIGNA MANET D. G. R. Id est, si te capit dignitas ruris, vel agri colendi gloria.

VARIORVM.

VOMIS dicitur, quod trudendo vomat terram. GLOSS. MSS. LVGD.

TARDAQVE ELEVSINÆ MATRIS V. P. Imperiti ea *plostra* appellant. Sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ; sed tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo. axis autem cum rota volvitur: nam rotæ circa ejusdem cardinem adhibentur. Hoc vehiculum sacris Cereris arcanæ, quæ Eleusis appellatur, ab oppido Eleusine Attico; & id ducunt boves. PROBVS.

TRAHEÆQVE. Traha autem vehiculum est à trahendo dictum. nam rotas non habet. GLOSS. MSS. LVGD.

CELEI. Celeus rex Eleusiniorum, apud quem Ceres hospitata dicitur filiam quærens: Hic primus propter usum serendi, quem à Cerere Triptolemus filius ejus acceperat, excogitavit canistra, cistas, & his similia. Pierius monet in Cod. Rom. legi *mustica*, unde quidam interpres existimat vannum musteam, qua vina (quorum deus est Iacchus) percolantur: at nihil hic de vino agitur. PHILARG. RAMVS.

ET MYSTICA VANNVS IACCHI, *Vannus* est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, & Libero sacrum facere. Vnde MYSTICA dixit: est autem usus ejus, ut fabam vannat. PHILARGYR.

DIVINI RVRIS. Quod in deorum tutela est, eorumque numine propitio fœcundatur. BERSM.

Digitized by Google

In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic à stirpe pedes temo protentus in octo:
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur & tilia ante, jugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus à tergo torqueat imos;
Et suspensa focis exploret robora fumus.
Possum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci:

SERVII.

IN BVRIM, in curvaturam, nam buris est curvamentum aratri, dictum quasi *βοὸς οὐρὰ*, quod sit in similitudinem caudæ bovis: Alii burim curvaturam temonis quæ supra est, & quod est infra * urvum dicunt, buris enim ut curvetur, ante igni domatur, * amburitur, unde & quæ naturaliter inveniuntur curvæ, ita dicuntur. Varro ait, *Totum burim indici ab urbe.* ANTE MEMOR PROVISA REPONES. Antequam agriculturam exerceas, ante præparabis hæc omnia, quæ in illius rei sunt usum necessaria. PROVISA. Id est præparata. REPONES. Recondes, & salva custodies.

MANET. Expectat. DIVINI GLORIA RVRIS. Id est si tu gloriam divini ruris vis adipisci: aut si id tibi concessum est cælitus, ut gloriam ruris habeas. DIVINI autem à diis conditi: vel quia terra, dea dicitur.

CONTINVO. Principio statim, aut priusquam agriculturam cœperis. VI. Virtute. DOMATVR. Usui servire cogitur. FORMAM. Modum.

HVIC. Id est aratro scilicet. A STIRPE: Id est arboris, hoc est, *Nec non & sterilis quæ stirpibus exit ab imis*; alibi pro ipsa arbore, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.* Vel alibi dicitur abitio. A radice, vel ima summitate. TEMO. Ad quem ligantur, vel junguntur boves. PEDES PROTENTVS IN OCTO. Subaudi aptatur.

BINÆ. Duæ, quibus latior sulcus efficiat. DVPLICI APTANTVR DENTALIA DORSO. Dentale est lignum ad quod vomer includitur. DVPLICI autem DORSO dicitur, aut lato; ut, *At duplex agitur per lumbos spina.* aut re vera, DVPLICI, cujus utrunque eminet latus. Nam fere hujusmodi sunt omnes vomeres in Italia. Dentale vero est lignum, in quo vomer inducitur.

IVGO. Id est ad jugum. LEVIS. Ideo levis, ne boves laborent.

STIVA. Manica aratri qua regitur gubernaculum. Cicero in Scauriana, *Ab stiva ipsa mecum homines conloquebantur.* CVRRVS IMOS. Currus autem dixit, propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas quibus juvantur.

A TERGO. Post tergum. TORQVEAT. Vertat.

SVSPENSA FOCIS EXPLORET ROBORA FVMVS. Probatæ enim soliditatis sunt ligna, si in fumo minime rimas effecerint, namque ad exudandum fumum adhibita, si rimas faciunt & scissuras, mala sunt & infirma. Totus autem hic locus de aratro Hesiodi est. τῆμος ἄρ' ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον, ὅλμον μὲν τριπόδην τάμνειν, ὕπερον δὲ τρίπηχυν, ἄξονα δ' ἑπταπόδην.

POSSVM MVLTA TIBI VETERVM. Doctrinam suam commendat, veterum autem, aut Hesiodi, qui primus de agricultura scripsit, aut aliorum antiquorum: tibi autem, id est ô Mecænas, inquit; vel ô agricola, hoc est enim tibi.

NI REFVGIS. Quia alibi ait, *sordida rura*; vel quia post dicturus est de minoribus animalibus. TENVESQVE PIGET COGNOSCERE, CVRAS. Tenues, modicas; & potest hoc ex affectu alterius dictum accipi. Nisi grave tibi sit. TENVES. Leves. PIGET. Pigrum est.

AREA CVM PRIMIS. In primis. INGENTI ÆQVANDA CYLINDRO, ET VERTENDA, &c. Hæc per Hysteron proteron posuit, prius enim est ut manu terra vertatur: deinde solidetur glarea: postremo æquetur CYLINDRO, id est lapide tereti, in modum columnæ, qui à volubilitate nomen accepit. Sane area locus est vacuus, aut natura, aut studio factus, ne quid inde edi nascive possit, quasi qui exaruerit. Cum primum autem, id est interea, quod maxime necessarium est, vel inter prima opera & officia.

VARIORVM.

IN BVRIM. *Buris* pars aratri curva, quæ ut curvari possit, ante præuritur. PHILARG.

TENVESQVE PIGET COGNOSCERE CVRAS. Res enim rusticæ civilibus & bellicis collatæ, sunt humiles ac tenues, nec satis dignæ, in quibus cognoscendis viri amplissimi, qualis Mæcenas, studium ponant; ideo dixit, NI PIGET. PONTANVS.

ET VERTENDA MANV. Ante vertenda manu, & sic æquanda. *cum primis* autem, inter prima. PHILARGYR.

CRETA SOLIDANDA TENACI. Mirum est, amurcam à Virgilio præteritam, cum tam firmum contra pestes, quas exponit, remedium sit, atque ab antiquis tantopere prædicatum. SOLIDANDA, pavienda est: CRETA TENACI, terra argillosa, & tenaci. PONTANVS.

Ne ſubeant herbæ, neu pulvere victa fatiſcat.
Tum variæ illudunt peſtes: ſæpe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.
Inventuſque cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Curgulio; atque inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, cum ſe nux plurima ſylvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,

SERVII.

SVBEANT. Succedant, enaſcantur. κυλινδεῖν enim eſt verti. NEV PVLVERE VICTA FATISCAT. Hypallage eſt, pro ne victa fatiſcat in pulverem: id eſt, diſſolvatur, fatiſcat autem ſignificat ad fatim hiſcat.

TVM. Id eſt etiam. VARIÆ ILLVDVNT PESTES: Per ludum nocent, quaſi ludendo & ſine labore ſæviant. SÆPE EXIGVVS MVS. Nitela mus agreſtis robeus: cujus Cicero meminit in Seſtiana. Et quia hic Virgilius vilium animalium mentionem facit: inde præmiſit, *Ni refugis tenueſque piget cognoſcere curas.* Dicendo autem exiguus mus, multum ex ipſa deminutione nominis & numeri ſingularis enunciatione addidit dignitatis: riſus enim eſt quidam poëta, qui ait, *Prætextam in ciſta mures roſere Camilli.*

POSVITQVE DOMOS ATQVE HORREA FECIT. Vltra meritum rei locutus eſt.

AVT OCVLIS CAPTI FODERE CVBILIA TALPÆ. Hoc eſt oculis debiles & mutæ. cum enim talpæ cæci naſcantur, quomodo capti oculis? ille enim capti dicuntur, qui aliquando viderunt. Et mutavit genus: nam hæc talpa dicitur. ſicut etiam de damis fecit: ut, *Et timidi venient ad pocula damæ.*

INVENTVSQVE CAVIS BVFO. Inventus, pro qui invenitur. & CAVIS hic pro principali poſitum. Aliter enim, *Inſonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.* CAVIS. Cavernis & locis cavatis. BVFO. Rana terreſtris, nimiæ magnitudinis. MONSTRA. Id eſt, & alia purgamenta terrarum. POPVLATQVE, veteres populo, munero, aucupo, lucto dicebant; nos addita r littera pronunciamus. FERVNT. Gignunt. FARRIS. Frumenti. Et hic ſpeciale poſuit pro generali. nam non ſolum far, ſed etiam alias fruges & ſegetes, hæc monſtra, vel vermes populantur.

CVRGVLIO. Varro ait hoc nomen per Antiſtichon dictum, quaſi gurgulio, quoniam pene nihil eſt niſi guttur. INOPI METVENS FORMICA SENECTÆ. Senectus ſemper alienum requirit auxilium: nam inopi, non tantum ad formicam pertinet, ſed generale eſt ephitheton ſenectutis: vel ne inops in Senectute ſit, & hoc juxta opinionem poëticam dixit.

CONTEMPLATOR ITEM. Prognoſticon eſt anni futuri fertilis, vel infæcundi. CONTEMPLATOR autem imperativi modi tempus eſt: futurum pro præſenti, CONTEMPLARE, ut, alibi, *Contemplator aquas dulces.* Terentius, *Loquitor paucula*, pro loquere, ita contemplare. NVX PLVRIMA. Id eſt longa, ſignificat autem amygdalum: ſed hoc Græcum eſt τὸ ἀμύγδαλον, τὰ ἀμύγδαλα. Et plurima, ſicut *plurima cervix*, & *qui plurimus urbi Imminet.* SYLVIS quidam pro arboribus accipiunt, ut, *pomaque & Alcinoi ſylvæ*; & alibi, *Sylvarumque aliæ preſſos propaginis arcus.*

INDVET IN FLOREM. Id eſt, Cum flos induet nucem, id eſt, veſtiet. In florem ſe effundet. Figurate hoc dixit. Et bene elegit arborem, quæ foliis prima veſtitur. RAMOS CVRVABIT OLENTES. Multitudine & denſitate foliorum. OLENTES autem odoriferos.

SI SVPERANT FOETVS. Id eſt, ſi flores in fructus vertuntur, & ſi ipſi creſcant & abundent. nam proprie SVPERANT, abundant eſt. PARITER FRVMENTA SEQVENTVR. Et frumenta copioſa provenient. PARITER hic pro ſimiliter antique dixit, ut Plautus in Aulularia, *Pariter moratus, ut pater, avuſque ejus fuit*, hoc eſt, ὁμοίως.

MAGNAQVE CVM MAGNO VENIET TRITVRA CALORE. Aut æſtus nimios futuros ſignificat, cum abundantia frugum. Aut certe per calorem, feſtinationem operis ſignificat: ut alibi, *Fervet opus.*

VMBRA, pro fronde, ut alibi, *Ingentem ſuſtinet umbram*: ut oſtendat eo anno, pro copia frugum, feſtinatam & ſtudioſam trituram futuram. LVXVRIA FOLIORVM EXVBERAT. Superabundat, & amplior eſt.

VARIORVM.

FATISCAT. *Fatiſcat*, ſolvatur. & *Pulvere*, pro ſiccitate. PHILARGYR.

INDVET IN FLOREM Cum flos induat nucem, id eſt, veſtiat: figurate hoc dixit. PHILAR.

SI SVPERANT FOETVS. Si ergo fructus plures fuerint quam folia, argumentum id erit fertiliſſimæ trituræ: ſin plura fuerint folia, ſignum ſterilitatis. PONTANVS.

Nequic-

Digitized by Google

Nequicquam pingueis paleæ teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet,
Et quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: SIC *omnia fatis*
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri.
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit; ſi brachia forte remiſit,

SERVII.

NEQVICQVAM PINGVES PALEÆ TERET AREA CVLMOS. Non pingues, id eſt ſine frugibus: ut alibi, *Nequicquam ſeros exercet noctua cantus*, id eſt non. Et notandum, paleam dictam numero ſingulari, contra artem. nam ea quæ ex pluribus conſtant, numeri ſunt tantum pluralis, ſecundum artem: ut cancelli, bigæ, ſcopæ: licet abutantur poëtæ. Pinguis ſane, & quamvis pinguis poteſt accipi; area vero pro in area.

SEMINA VIDI EQVIDEM MVLTOS MEDICARE SERENTES. Incipit dicere de medicandis leguminibus, quemadmodum & majora fiant, & modico igni ſolvantur. Bene autem ait: EQVIDEM, quod multi pro ego accipiunt, id eſt ego quidem, ut à præjudicio inchoaret. Nam hoc dicit; Equidem hæc vidi fieri: ſed ſic quoque legumina degenerant, niſi ſingulis quibuſque annis hoc fiat. Inde enim eſt, *Sic omnia fatis, In pejus ruere ac retro ſublapſa referri.* MEDICARE antique dixit, nam majores medico & medicor dicebant: ut populo & populor: quæ verba modo ab utraque ſignificatione tantum paſſivæ ſunt declinationis. Sed ut medicare diceret pro medicari, metri neceſſitas fecit. Sane medicor accuſativum regit, ut medicor illam rem: medeor vero illi rei dicimus: nam medeor illam rem, figuratum eſt. SERENTES, aut Saturos, aut ſerere volentes; ut, *& terruit Auſter euntes*: vel SERENTES, ſerere incipientes.

ET NITRO PRIVS. Nitrum ex aqua in modum ſalis coäleſcit, & ad Solem liqueſcit: quod aptum eſt ad lavandum. ET NIGRA PERFVNDERE AMVRCA. Olei ſordibus, ſed his quæ præcedunt. nam ſordes quæ ſequuntur oleum, feces vocantur. Et amurca, per *c* ſcribitur, & per *g* pronuntiatur. ut *c* Gajus. *cn* Gneus. Et *perfundere*, pro vidi perfundentes.

GRANDIOR VT FOETVS. Ideſt, majora grana. SILIQVIS FALLACIBVS. Quæ fallere plerunque conſuêrunt. Interdum enim leguminum folliculi cum inanes ſint, majores videntur.

EXIGVO. Modico. PROPERATA MADERENT. Feſtinanter coquerentur. MADERENT vero antique, pro cocta eſſent & cito.

LECTA, ideſt cum labore electa. SPECTATA. Probata; ut, *Et rebus ſpectata juventus.*

DEGENERARE TAMEN. Cum ex bonis fuerint ſeminibus, mala effici & prava. Tamen in naſcendo degenerare; ut ſequatur, ſi lecta & probata degenerant; quid, ſi non legas? DEGENERARE TAMEN, ἀνακόλουθον. nam cum non propoſuerit quam lecta & ſpectata, vel quamquam, vel licet, intulit tamen. NI VIS HVMANA. Poſſibilitas. Salluſtius, *Sed noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt.* Aut certe multitudo. Tamen verius eſt, & melius quod ait, VIS quaſi violentia ſit in rebus, quæ contra naturam vertuntur in melius. Sic enim violentiam fieri naturæ, omnia in deterius commutantis. Et hoc eſt quod ait, *Labor omnia vincit Improbus.*

MANV LEGERET. Hinc quidam volunt dictum legumen.

SIC OMNIA FATIS IN PEIVS RVERE. Ab argumento adeo omnia in pejus quotidie recidunt. Ruere autem figurate, pro ruunt. AC RETRO SVBLAPSA REFERRI. pro ſublabi & referri; & videtur bis idem dixiſſe.

NON ALITER QVAM QVI ADVERSO FLVMINE LEMBVM. Oſtendere vult uſque ad perfectionem laborari debere, nec tantum laborem procedere, quantum levem remiſſionem in deterius cuncta deducere. ADVERSO FLVMINE. Contra vim & curſum fluminis. LEMBVM autem genus naviculæ admodum breve.

SVBIGIT. Aut rurſum agitat: ut, *Et corpora ſaltu Subjiciunt in equos.* Aut certe SVBIGIT, eſt urget, impellit.

VARIORVM.

PINGVES PALEA. Quidam legunt, *pingues paleæ*: Sed verior lectio, *pingues palea*, id eſt pingues culmos palea, non frumento. PHILARG.

MVLTOS MEDICARE. Pro medicamentis aſpergere: ut, *Seminibus medicantur anhelis.* contra MEDICARI, pro mederi: *Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum*, prævaluit. Medicor enim antiqui dixerunt. GLOSS. MSS. LVGD.

PROPERATA MADERENT. Veteres madere pro coqui uſurpaſſe, multis exemplis doceri poſſet, Plaut. in Mænechm. *Iam ego hæc madebunt faxo, nil morabitur.* Rurſum, *madida quæ mihi appoſita.* id eſt cocta. PONTAN.

Atque

Digitized by Google

Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam sunt Arcturi sydera nobis,
Hædorumque dies servandi, & lucidus Anguis:
Quam, quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.

SERVII.

ATQVE ILLVM IN PRÆCEPS. Atque, id est statim. Alii quidam superfluam conjunctionem volunt. Et hoc dicit. Ita omnia quæ terra profert, nisi continuum in eis studium agricola exerceat; licet medicentur & grandia plerunque nascantur, in pejus ruunt: & sic feruntur, sicut qui contra cursum fluminis & vim, navim agere vult; si aliquantulum manus & brachia remiserit, & fessus vel modice ab opere cessaverit, statim agente vi fluminis & naturali cursu relabitur, nec potest sursum ire, sed in præceps vadit. Nam proprie PRÆCEPS id significat. PRÆCEPS PRONO RAPIT ALVEVS AMNI. Sensus comparatione finitus.

PRÆTEREA TAM SVNT ARCTVRI SYDERA NOBIS. Iam dicit astrologiam, rusticum ita ut navigantem, nosse debere: ut sicut navigandi tempus & ventorum atque tempestatum motus ille ex syderum compositione cognoscit: ita & iste terram colendi congrua tempora, & casus diversos, vel caloris scilicet, vel frigoris, aut pluviarum ex stellis agnoscat. ARCTVRVS autem stella est in signo Boote post Septentrionem: cujus ortus & occasus tempestates gravissimas faciunt. Vnde ait SYDERA, id est tempestates: Vt alibi, *Scit triste Minervæ Sydus.*

HŒDORVMQVE DIES. Bene autem hœdos Arcturo junxit, qui & ipsi pluvias faciunt; & alibi, *pluvialibus hœdis.* SERVANDI. Observandi. Auriga signum est, haud longe à Septentrione, cujus pedem cum cornu tauri una stella conjungit: quem aurigam pater Mercurius inter sydera locavit. Hic in manu sinistra fert hœdos, in humeris capram Amaltheam, quæ aluisse dicitur Iovem, Hœdorum matrem, quos quidam Iovis conlactaneos dicunt. Sane nonnulli hunc aurigam, Myrtilum, quem Pelops occidit, accipiunt; vel certe Erichthonium, qui natus est ex semine Vulcani; quod dum stuprum Minervæ inferre conatur, fudit in terram. Hoc quoque signum tam ortu, quam occasu suo efficit tempestates. Bene autem ait DIES, quia & magnitudine sui multis diebus oritur: & tempestas aut præcedit signum, aut sequitur, aut cum eo est. Sane sciendum omnes astrologos, pro ratione climatum dissentire in ortu sydercum: sed ipsa dissensio ultra septem dies non procedit: septem enim sunt ipsa climata. Hinc est quod Solem ad unumquodque signum, alii quintodecimo kalend. die dicunt venire: alii quartodecimo; alii infra usque ad octavum: nec quisquam procedit ulterius. LVCIDVS ANGVIS. Tres sunt angues in cælo. unus qui inter septentriones est: alter Ophiuchi: tertius Australis, in quo sunt Crater & Corvus, de quo nunc proprie ait anguis: nam ὕδρος dicitur Græce. Et scimus angues aquarum, terrarum serpentes. Hæc autem signa generaliter posuit, non enim hæc tria tantum, sed omnia præcipit observanda.

QVIBVS IN PATRIAM VENTOSA PER ÆQVORA VECTIS. Sic ab agricolis observanda signa esse dicit, sicut ab his qui in periculosissimis maris locis navigant. VENTOSA ÆQVORA. In quibus venti dominantur. VECTIS. His qui vehuntur vult significare: quia latina locutio non habet præsens participium passivæ significationis.

PONTVS ET OSTRIFERI FAVCES TENTANTVR ABYDI. Sestos & Abydos civitates sunt Hellesponti: quæ angusto & periculoso mari segregantur. In his angustiis Leander ad Ero natare consueverat. Nam illa Sestias, hic de Abydo fuit; qui cum frequenter ad amatricem amator nataret, tempestate obrutus interiit: cujus cum cadaver exanime ad litus, in quo Ero de turre expectare solebat, esset adpulsum; puella se præcipitavit in mare, & ita vitam finivit. Vnde elegit locum periculosiorem: quem pro omni poneret pelago. Sane secundum artem hæc ostrea, & hæ ostreæ dicimus. Nullum enim habet latinitas nomen animalis, quod neutri sit generis, sicut Græce τὸ κῆτος, καὶ τὰ κήτη. Licet & Horatius dixerit, *Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini.* & Iuvenalis, *Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.* Quos tamen possumus Græce locutos accipere: ita enim dicunt τὸ ὄστρεον καὶ τὰ ὄστρεα. OSTRIFERI autem, quod ibi plurimum ostreorum sit. FAVCES vero angustiæ.

VARIORVM.

PRÆTEREA TAM SVNT ARCTVRI SIDERA. Distinguit Poëta deinceps tempora operum rusticanorum, ut suo quæque fiant tempore. Quia autem illorum discrimina ab observatione siderum recte sumuntur; ideo hanc partem astrologiæ, quæ tempora docet discernere, ac futuras præscire tempestates, agricolis non minus quam nautis esse necessariam contendit. BERSMAN.

HOEDORVMQVE DIES SERVANDI. Hœdi, sunt duæ stellæ parvæ in sinistra Erichthonii, in cujus etiam sinistro humero insidet capra Amalthea, seu Adrastea capella, quæ educavit Iovem cum hædis; & ob hoc beneficium in syderibus sacrata est; quorum ortum pluviæ sequuntur. PROBVS. RAMVS.

ET LVCIDVS ANGVIS. Draco existimatur, puellarum Hesperidum pomarii custos, relatus inter sidera, intersecare duos septentriones: quæ omnia genera stellarum tempestatem significant. Ait ergo, tam agrestibus observanda esse cœlestia signa, quam navigantibus; quia utrisque noceant tempestates. PROBVS.

Libra

Libra die, ſomnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci, atque umbris jam dividit orbem:
Exercete viri tauros, ſerite ordea campis,
Vſque ſub extremum Brumæ intractabilis imbrem.
Nec non & lini ſegetem, & Cereale papaver
Tempus humo tegere: & jamdudum incumbere aratris,
Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis ſatio: tunc te quoque, Medica, putres

SERVII.

LIBRA DIE. Hic jam incipit diſputare de cognitione temporum ex ſyderibus. DIE. Non eſt Apocope, pro diei: ſed ſecundum antiquos regularis genitivus eſt. Nam ut ſæpe diximus obliqui caſus numeri ſingularis, nominativo plurali, majores non debent eſſe: quod verum eſſe Saluſtius probat, qui in proſa ait, *Dubitavit acie pars*. Hinc eſt & illud, *Curruque abſciſſa duorum Suſpendit capita*. Plautus in Amfitrione, *Neque nox quoquam concedit die*, pro diei. Sed modo dies diei dicimus. Vnde juxta præſentem uſum, die poſuit pro diei. SOMNIQVE. Id eſt noctis, nam ab officio temporis, ipſum tempus oſtendit. Dicit autem æquinoctium autumnale, quod fit Sole in libra poſito. Vernale enim æquinoctium in ariete efficit Sol poſitus; hoc autem dicit, frumenta ſerenda eſſe autumnali tempore: legumina vero uſque ad veris initium.

ET MEDIVM LVCI. Diei. ATQVE VMBRIS IAM D. O. Nocti. Quomodo Zodiacus circulus, qui æquinoctia duo facit; orbem dividit, & luci dixit partem cœli Septentrionalis, de quo ait, *Hic vertex nobis cœli ſublimis*; umbris vero, Auſtralem circulum, qui dicitur eſſe infimus & demerſus, de quo ait. *At illum ſub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi*. DIVIDIT ORBEM. Vt orbem videlicet cœli medium teneat Sol; medium Luna.

EXERCETE VIRI TAVROS. Id eſt cogite laborare. TAVROS autem, boves fortes accipe. SERITE ORDEA CAMPIS. Hordeum oſtendit in campeſtribus locis ſerendum, & hordea uſurpative ait: ſciendum tamen in his, tres tantum caſus uſurpari, hæc ordea, hæc ordea, ô ordea: ſicut vina, vina, vina: & mella, mella, mella. Sane reprehenſus Virgilius dicitur à Bavio & Mævio hoc verſu, *Hordea qui dixit, ſupereſt, ut tritica dicat*.

VSQVE SVB EXTREMVM BRVMÆ. Id eſt non uſque ad Brumæ finem, ſed circa. Nam bruma finitur VIII. Kalend. Ianuarii die: & iſte non uſque ad ipſum diem dicit ſerendum. INTRACTABILIS autem, propter frigus duræ & aſperæ; & bruma dicta à brevioribus diebus.

NECNON ET LINI SEGETEM. Atqui ſupra ait, *Vrit enim lini campum ſeges*; quid igitur? ſuo tempore, non eo anno quo ceſſare debet. CEREALE PAPAVER. Vel quod eſt eſui, ſicut frumentum: vel quo Ceres uſa eſt ad oblivionem doloris. Nam ob raptum Proſerpinæ vigiliis guſtato eo acta eſt in ſoporem; vel quia Myconem Athenienſem dilexerit Ceres, & transfiguratum in papaverem tutelæ ſuæ juſſerit reſervari; vel quia pani aſpergatur.

TEMPVS, tunc ſcilicet eſt. IAM DVDVM. Quamprimum. Hoc dicit ſerendum eſſe eo tempore, non quo pluit, ſed quo imminent pluviæ. INCVMBERE ARATRIS. Inſiſtere arationi.

DVM SICCA TELLVRE LICET. Dum adhuc nondum pluit, ſed jam eſt vicinum. DVM NVBILA PENDENT. Dum pene jam videntur nubila pendere, & expectare ut effundant pluvias.

VERE FABIS. Contra rationem dictum, quia fruges omnes numeri ſingularis ſunt. SATIO. Sementis. Et declinatur ſicut navis. TVNC TE QVOQVE MEDICA PVTRES ACCIPIVNT SVLCI. Ad ipſam herbam Apoſtropham facit. Hæc autem à Medicis tranſlata eſt in Græciam; quo tempore eam Xerxes invaſerat. Huius plena Venetia eſt: &, ut dicit Dionyſius, trium foliorum eſt, ſemperque virens. Quod autem ait PVTRES SVLCI, naturam ipſius herbæ reſpicit. nam uno anno frequenter ſeritur. & ſexies aut amplius ſecatur, poſtea aliquot annis ſponte procreatur. quod etiam ſequens indicat verſus: nam dicendo,

VARIORVM.

LIBRA DIE SOMNIQVE. Æquinoctium autumnale deſcripſit. Somnus enim noctem ſignificat. Vernum æquinoctium fit in Ariete: autumnale in Libra. PROBVS.

PARES VBI FECERIT HORAS. Intellige ex æqualibus, de quibus dictum. In æquinoctiis enim, quia dies artificiales noctibus artificialibus ſunt æquales, ideo & horæ licet aliis diebus inæquales, tamen ſunt æquales inter ſe diurnæ nocturnis. RAMVS.

CEREALE PAPAVER. Cereale ait, quia in ſegete naſcitur. Turnebus docte notavit, Cereris ſimulachra, non ſolum papaver manu geſtare ſolita, ſed & Cereris antiſtitas, cum ſacrum Deæ eſſet, ex Callimacho, [illegible] χειρὶ [illegible] καὶ μήκωνα. ſed in eo videtur potius inſigne & ſymbolum Cereris explicari, quam geſtaminis cauſa. Non rejicienda itaque Mancinelli ſententia, Medicorum aſſenſu firmata, qui inter genera papaverum, hortenſe quoddam θυλακῖτιν nominant, quod & panificiis accommodatiſſimum & ſaluberrimum commendant, ἀπὸ τοῦ θυλάκου nomine ducto, quo vas ad ferendum panem ſignificatur. Eſt & μηκώνη inſula ſic dicta, quod ibi primum papaveris fructum Ceres invenerit. PROBVS. GERMANVS.

Accipiunt sulci: & milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem, robustaque farra
Exercebis humum, solisque inst[illegible]s aristis:

SERVII.

ET MILIO VENIT ANNVA CVRA, ostendit Medicæ curam non esse annuam. Hæc autem herba vulgo dicitur Sylla. PVTRES, subacti, vel initio anni, id est vere, vel post annum: quidam enim Medicam post decennium seri dicunt. VENIT ANNVA CVRA. Vere scilicet.

CANDIDVS AVRATIS APERIT CVM CORNIBVS ANNVM TAVRVS. Quo tempore annum aperit candidus Taurus, qui est auratis cornibus. nam aperit cornibus, non procedit. non enim à capite aut à fronte, sed à dorso oritur, id est à medio sui: unde incipit apparere, nam ea parte qua mutilatus est, oritur, non à fronte. APERIT autem ideo ait, aut quia Aprili mense Sol in Tauro est, quo cuncta aperiuntur: & hoc melius. Sed aliud est aperire annum, aliud inchoare: nam nullus dubitat Martio mense, ut supra diximus, annum inchoari. Aut certe aperit annum dixit; quia unumquodque signum potest inchoare annum, & finire: ut *aperit annum* dixerit, scilicet suum: nam & à Tauro usq; ad Taurum, & à Geminis usque ad Geminos, annus est.

AVERSO autem ASTRO, duplex lectio est: nam alii adverso legunt, cum Cane enim nascitur Sirius, qui est terris adversus, de quo legimus, *Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris Nascitur.* ut, ADVERSO sit pestifero, & contrario mortalibus. Si autem AVERSO legerimus, CVM subaudiamus necesse est; ut, *Atque Ixionis vento rota constitit orbis:* id est cum vento. Vt sit sensus, quo tempore etiam canis cedens, occidit cum averso astro: id est cum Argo: quæ & ipsa media est, sicut Taurus: & à puppi oritur. cui Canem constat esse conjunctum. ET CEDENS, aut locum dans, ut & Argo occidat. nam Canis occasum & navis occasus sequitur; aut certe CEDENS Canis: non recedens, sed incedens accipimus & se movens. Tempore enim quo in Tauro Sol est, etiam Canis ad ortum festinat. Quod autem ait OCCIDIT, ad aspectum nostrum retulit. nam ortus & occasus duo sunt. Vnus ἡλιακὸς, id est Solaris: & alter κοσμικὸς, id est mundanus. unde fit ut ea signa, quæ cum Sole oriuntur, à nobis non possint videri: & ea quæ videmus, quantum ad Solis rationem pertinet, videantur occidere: secundum quod nunc ait OCCIDIT CANIS. Nam canis paranatellon est Cancri: id est cum eo oritur. Cancer autem quo tempore Sol in Tauro est, post horam quartam diei oritur. Nam Taurus & Gemini binas horas tenent. Nigidius commentario *Sphæræ Græcanicæ*: oritur enim Canicula cum Cancro, incolumen venit cum Geminis, occidit cum Tauro: sic ergo fit, ut Canis nobis occidat. quantum autem ad Solis pertinet cursum, in ortu esse videatur. Secundum hanc rationem etiam paulo post dicturus est, *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur*. Nam Eoas ait in ortu Heliaco positas: unde & *Tibi abscondantur* intulit. Hunc Canem alii Icari putant patris Erigone, qui mortem patris filiæ nuntiavit: Alii hunc esse quondam custodem Europæ, quem nulla fera potuit effugere; quique à vulpibus quondam liberaverit Thebas.

TRITICEAM IN MESSEM. Ad messem tritici, vel segetis. ROBVSTAQVE FARRA. Frumenta, quæ plus habent virium, quam legumina: quo tempore nobis Atlantides occidunt, sunt serenda. Atlantides autem, licet septem fuisse dicantur, sex tamen sicut supradictum est, videntur in cœlo; quæ Novembri mense nobis incipiunt non videri. Cum enim Sol in Scorpione fuerit, oriente Scorpione, occidit Taurus, in quo Vergiliæ sunt, id est sexto Idus Novembris. Ergo Eoæ mane abscondantur: non est enim Atlantidum epitheton Eoæ, sed Eoæ, matutinæ; modo enim vespera, modo media nocte, modo mane oriuntur; unde & tibi abscondantur, id est spectando nec occident. Alii ita exponunt, Eoas appellatas quasi quæ semper mane oriantur. Ergo ante occidere Vergiliæ debent quam sero sit, quæ Vergiliæ alioquin sunt Eoæ cum oriuntur, non cum occidunt. Has autem alii volunt, Iovis; alii Liberi nutrices; alii vero ipsas fuisse adserunt Hesperidas.

EXERCEBIS, pro exercueris. SOLISQVE INSTABIS ARISTIS. Non leguminibus, sed solis segetibus. INSTABIS: pro institeris. ARISTIS. Et hic sicut supra, per aristas frumenta significat.

VARIORVM.

CANDIDVS AVRATIS, &c. Hos versus male explicant, nec melius legunt Grammatici. Servius sic intelligit, ut dicat Sirium cum cane occidere, qui Sirius terris adversus est. Nugæ. vera lectio est, quam ibidem ex aliis libris notat: *& averso cedens canis occidit astro*, quam etiam haud recte exponit. *Si autem*, inquit, AVERSO *legerimus*, CVM *subaudiamus necesse est. ut sit sensus, quo tempore etiam Canis cedens occidit cum averso astro, id est, cum Argo.* Imo nihil necesse est, ut tale quid subaudiatur. Canis cedens averso astro, id est Argo, occidit. Nam navis Argo instat & incumbit occidenti Cani. Cedit ergo Canis Argoæ navi, & locum dat insequenti. Extremæ quippe caudæ canis, jungitur Argo aversa. *quia puppe trahitur, non recto cursu*, ut canit Germanicus. De occasu canis loquitur Poëta, qui fit ante diem septimum Kalendas Majas, Sole decimam Tauri partem obtinente, quo tempore *Robigalia* instituêre Romani, quia tunc fere segetes robigo occupet, ab occasu illius sideris, quod calidissimum est quando oritur, frigidissimum quum occidit. Plin. lib. 18. cap. 29. CL. SALMASIVS. Plinian. exercit.

Ante

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Majæ cœpere: sed illos
Exspectata seges vanis elusit avenis.
Si vero viciamque seres, vilemque faselum;
Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis:
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:
Incipe, & ad medias sementem extende pruinas.

SERVII.

GNOSIAQVE ARDENTIS STELLA CORONÆ. Et hoc ad superiora pertinet. Cum enim coronæ pars oritur, occidit Taurus in quo Vergiliæ sunt. Decedat autem non pro occasu dixit, sed Soli cedat: quo in Scorpione posito cum ortu ipsius oritur. Fabula vero de Corona talis est. Cum Liber pater Ariadnen Minois Cretæ filiam regis uxorem duceret: Vulcanus ei coronam obtulit, quam ille ad uxoris insigne inter sydera collocavit. Et stellam per poëticam licentiam dixit. cæterum sex sunt, quibus in cælo declaratur corona. Alii hanc fabulam ita adserunt, Theseum cum ad interimendum Minotaurum Cretam venisset, miseratam ejus Ariadnen, auxilium ei ad occidendum filo ducto, Minotaurum præstitisse; Theseum vero Ariadnen utpote salutis auctorem secum avexisse; qui cum ad Naxum insulam delati essent, Ariadnen ibi vel consulto, vel necessitate, vel monitu Mercurii à Theseo derelictam; quam cum Liber pater adamasset, coronam ei dempti pudoris, sicut supradictum est, dicitur obtulisse, quam etiam inter sydera postea collocavit. GNOSIA autem Cretica, ab urbe Cretæ, quæ Gnosis dicitur. Et stella dicitur Cretica, quia ad laudem illius, quæ Cretici regis filia fuit, in cælo est posita ipsa corona.

SVLCIS. Arationibus. COMMITTAS SEMINA. Quasi custodibus fidis.

INVITÆ TERRÆ. Quæ quasi coacta rusticorum labore, & non sponte, fructus profert: alii, si non suo tempore seratur. ANNI SPEM. Vnde tu annum speres posse deducere.

ANTE OCCASVM MAIÆ. Ante occasum Atlantidum. & hoc est quod ait, quam Atlantides abscondantur. nam Maja una est de ipsis Atlantidibus.

VANIS. Vacuis. ELVSIT. Decepit.

SI VERO VICIAMQVE SERES. In quodam adespoto Græco sic positum est, φαγῦσαι καὶ φάσηλον ὄροβον, ἀμᾶσαι δὲ μετὰ ἀρκτοῦρον δύοντα ἄχρι μέχρι δὲ τροπῶν. VILEMQVE FASELVM. plurimum, abundantem. nam omne quod abundat vile est: ut, *Vilibus aut onerat pomis.*

NEC PELVSIACÆ CVRAM ASPERNABERE LENTIS. Pelusium unum est de septem ostiis Nili, ubi primum lens inventa dicitur; vel ubi optima nascitur. Vnde κατ' ἐξοχὴν locutus est. ASPERNABERE autem, id est, contemnes. LENTIS. Ac si dicat, Etiam inter alia, lentem seras.

HAVD OBSCVRA. Non obscura, hoc est clara. MITTET TIBI SIGNA BOOTES. Si viciam, & faselum, & lentem serere volueris; occidente Boote debes incipere. CADENS BOOTES. Occidens, Verno scilicet tempore. Tunc enim Bootes occidit. Quod autem subjicit,

INCIPE ET AD MEDIAS SEMENTEM EXTENDE PRVINAS. Omnia complexus est tempora: & Vernum scilicet, quo legumen seritur: & Autumnale, quo frumentum. Et multi volunt ita hanc partem astrologiæ librasse Virgilium, ut in omnibus utrunque tempus significaret, vernale & autumnale. unde & supra bina signa memoravit. Taurum cum Cane: Atlantidas cum corona. Tamen nos, quantum ad necessitatem hujus loci pertinet, hæc dixisse sufficiat: nam majoris prudentiæ est ad subtilem harum rerum scientiam pervenire: adeo ut sequentem rationem zonarum Metrodorus philosophus vix quinque expresserit libris; insertis tam Astronomiæ quam Geometriæ partibus; sine cujus lineis haud facile zonarum deprehenditur ratio. Idem etiam Metrodorus asserit frustra culpari à plerisque Virgilium, quasi ignarum astrologiæ: cum eum constet operis lege compulsum, ut quædam exponeret quæ obscura videntur ideo, quia à naturali ordine sunt remota. Vt autem omnia non diceret, rusticarum personarum habuit considerationem, & ipsius est operis brevitate compulsus. AD MEDIAS PRVINAS. Hoc est quod supra ait, usque sub extremum brumæ. Medias autem pruinas abusive ipsas hyemes posuit; medium enim pro legitimo dixit.

VARIORVM.

ANTE TIBI EOÆ ATLANTIDES, &c. Id est, ante tibi Vergiliæ mane occidant, quam serere incipias. Vergiliæ autem juxta Columellam matutino occidunt sexto Idus Novembris. Ibi mirifice nugatur Servius, ex illa distinctione non intellecta ab ipso ἡλιακῶ & κοσμικῶ, ortus occasusve. Vide SALMASIVM, Plinian. Exercit. pag. 724.

MVLTI ANTE OCCASVM, &c. Multi ante occasum Vergiliarum sementem fecerunt; sed inanem messem sustulerunt. Maja autem una est ex Vergiliis. PROBVS.

Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum Zonæ: quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextra, lævaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divum: & via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces
Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis: at illum

SERVII.

DIMENSVM PARTIBVS ORBEM. Annum divisum in quatuor tempora. Et per duodecim signa, duodecim menses accipimus.

PER DVODENA. Multi pro duodecim accipiunt; ut, *Bina manu lato crispans hastilia ferro.* &, *septenaque tela.* Alii quia quotannis per eadem ineat: duodena ergo, sæpius duodecim signa.*

ZONÆ. Id est plagæ vel circuli, quorum primus Septentrionalis; vel, ut quidam volunt, Aquilonius. Zonæ, Circuli, qui cœlum ac terram, veluti Zonæ cingunt. Translative, nam proprie Zonæ in terris, sed pro parallelis, id est circulis posuit. Septentrionalis, Aestivalis, Aequinoctialis, Brumalis, Australis.

CORVSCO SEMPER SOLE RVBENS. *Corusco*, ardenti, hoc est æquinoctiali, & bene à media cœpit, ut necessario extremas & habitabiles concessas mortalibus diceret. TORRIDA. Sicca, quod numquam Sol inde discedat.

QVAM CIRCVM EXTREMÆ. Bene extremæ addidit, id est Borios & Notios; ne eas, quæ circa igneam sunt intelligeremus, quas constat esse temperatas vicinitate caloris & frigoris. quarum unam nos habitamus, alteram antipodes: ad quos hinc torrente Zona, hinc frigidis ire prohibemur. Antipodes autem dicuntur, quod contra nos positi sunt contrariis vestigiis. Terram enim dicunt undique cœlo & aëre cingi. Per has autem duas Zonas in obliquum vertitur signifer circulus, qui Solis continet cursum. Vnde etiam fit, ut duæ Zonæ frigidissimæ sint, ad quas numquam accedit: una fervens, à qua pene numquam recedit: duæ temperatæ, ad quas vicissim venit. TRAHVNTVR, pro extenduntur, aut sine intermissione vertuntur.

CÆRVLEA, frigore scilicet, quia ipse color convenit frigori.

DVÆ MORTALIBVS ÆGRIS. Sicut dictum est temperatæ ex calido medio, & frigidis extremis circulis.

PER AMBAS. Cum vitet utramque temperatam, ipsa præpositio PER, pro INTER accipienda est.

QVA per quam.

MVNDVS VT AD SCYTHIAM. Iam hic definitio est nostri climatis, id est nostræ habitationis: quæ à Septentrione incipiens, in Australi desinit plaga. Riphæas autem arces, Scythiam dicit: cujus sunt montes Riphæi. Quoniam Borius circulus totus supra terram est, ideoque ab *Arato* hic apparens; ille item Australis, vocatur obscurus. Sane aliqui mundum pro cœlo accipiunt hoc loco, qui mundum, nomen volunt esse universæ naturæ.

CONSVRGIT, PREMITVR. Deest ita, ut sit ad Scythiam consurgit, ita premitur in Austros,* premitur, contra devexus in Indos, & fecerat supra Afros. LIBYÆ DEVEXVS IN AVSTROS, quoniam Notius circulus totus infra terram est, & premitur, quasi deprimitur. ARDVVS. Excelsus, summo vertice arctatus.

HIC VERTEX NOBIS SEMPER SVBLIMIS. Id est hæc pars mundi à nobis semper videtur, hoc est Scythiæ, quæ Septentrioni subjacet.

VARIORVM.

QVINQVE TENENT COELVM ZONÆ. Hi versus, quibus Zonæ describuntur à Marone, expressi sunt ex Eratosthene Cyrenæo, qui versibus heroicis librum conscripsit, cui Mercurio titulum indidit. PROBVS.

QVARVM VNA CORVSCO. Media plaga inter Tropicos constat gradibus 47. Sic Ovid. *Quarum, quæ media est, non est habitabilis æstu.* Atque hic error veterum fuit. hodie enim temperies ibi summa pernoscitur, æquatis dierum caloribus cum frigoribus noctium: circa tropicos est ardentior regio. RAMVS.

MORTALIBVS ÆGRIS. Eo expressit Homericum δειλοῖσι βροτοῖσι. Vterque porro vates ad innumeras miserias & incommoda respicit, quibus omne hominum genus affligitur, citra discrimen jactatur. PONTANVS.

HIC VERTEX NOBIS SEMPER, &c. Vertices appellat Maro, quod circa illos vertatur, hoc est circumagatur, circumrotetur mundus sive cælum, quod sæpe mundi nomine intelligitur, quia pars dignior. MACROB. lib. 1. cap. 16.

Sub

Digitized by Google

Sub pedibus Styx atra videt, Maneſque profundi:
Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos;
Arctos, Oceani metuentes æquore tingi.
Illic (ut perhibent) aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ:
Aut redit à nobis Aurora, diemque reducit:
Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.

SERVII.

AT ILLVM SVB PEDIBVS STYX ATRA VIDET. Id eſt, axem noticum, id eſt, auſtralem, qui à nobis nunquam videtur: ſicut Boreus, id eſt Septentrionalis ſemper videtur. Et ſicut variæ philoſophorum opiniones ſunt: ita & hic varie loquitur. Nam alii dicunt à nobis abſcedentem Solem ire ad Antipodas. Alii negant, & volunt illic tenebras eſſe perpetuas. Mire autem ait *Styx* quaſi de inferis STYX ATRA VIDET, MANESQVE PROFVNDI, ut oſtenderet illud quod dicunt philoſophi, recedentes hinc animas & illic alia corpora ſortiri. Vnde & Lucanus ait, *Regit idem ſpiritus artus Orbe alio.* Quod veriſimile eſt, quia dicuntur animæ, aut igni, aut vento, aut aqua purgari: quod ut *fiat* neceſſe eſt, dum aut per frigidas plagas, aut igneam tranſeunt. Et licet alii hoc à Virgilio dictum per poëticam licentiam velint: tamen ſciendum eſt eum poëticæ licentiæ inſeruiſſe philoſophiam.

MAXIMVS ANGVIS. Vel quia ipſe cæteris eſt major, vel quia ad Scythiam, vel quia inter duas arctos. Sane hunc draconem quidam occiſum, & inter ſidera conlocatum à Minerva dicunt: Alii hunc eſſe quem Hercules cuſtodientem mala aurea Heſperidum occidit. HIC, pro illic.

CIRCVM PERQVE DVAS. Et CIRCVM enim, eſt & per; nam per utramque labitur, id eſt, inter duas; majorem cauda tangens, alvo complectens minorem. IN MOREM FLVMINIS ARCTOS. Heſiodus [illegible].

OCEANI METVENTES ÆQVORE TINGI. Hoc refertur ad fabulam: Nam hæ duæ pellices Iunonis fuiſſe dicuntur: quas poſtquam Iuppiter in ſyderum retulit numerum, Iuno rogavit Tethin ſuam nutricem, ne unquam eas pateretur occidere. Vnde nunc metuentes dixit, ſcilicet nutricem Iunonis. Sunt autem hæ, Helice, & Cynoſura; de Helice Lycaonis filia amata à Iove, & à Iunone in urſam mutata, ſupra dictum eſt. Cynoſura quod caudam caninam habeat; hanc Fœnicem vocitatam quidam ferunt, Dianæ comitem, itaque ejus, quod gravida eſſet inventa, in urſam eſſe mutatam, atque ejuſdem rurſus miſericordia ſyderibus inſertam. Quidam prodidere has nymphas fuiſſe Cretenſes, Iovis nutrices, & ob meritum conſecratas; quæ ideo non occidunt, quia ſecundum clima noſtri cœli Arctous circulus, in quo cardo convertitur, infra horizontem non venit. Nam reliqua ſigna dicuntur omni nocte in Oceano tingi.

ILLIC. In Auſtrali, id eſt obſcuro [illegible]. Scilicet poëtæ: nam in rebus dubiis ſuam denegat fidem. INTEMPESTA. Inactuoſa, alta, denſa, craſſa, qualis eſt intempeſta. Poſſe autem hoc fieri in aliqua parte mundi, ut pene ſibi totum vindicet nox, probat Britannia: quæ lucis dives, vix quoddam ſpatium noctibus cedit. Aut intempeſta ſilet, quia Epicurei dicunt, non ire Solem per alterum hemiſphærium; ſed ſemper his ab ortu colligi ſcintillas, & fieri orbem Solis.

OBTENTA. Obducta. Et obtenta ſicut oſtenta, ab eo quod eſt enim oſtendor, veteres participium oſtentus, non oſtenſus dicebant; ipſe alibi *prætentaque Syrtibus arva*; Terentius in Eunucho, *An ego occaſionem mihi oſtentatam tam brevem.* Similiter & illud in Formione: *Neque me nunc domum reciperem, ni mihi eſſet ſpes oſtentata huiuſce habendæ.*

REDIT A NOBIS, Id eſt ad illos, & hoc ſecundum Stoicos, qui dicunt Solem viciſſim per utrumque hemiſphærium ire, & alternis noctem facere.

SERA pro ſero, ut, *Seramque dedit per membra quietem.* ACCENDIT LVMINA VESPER. Bene accendit lumina veſper, poëtice, ut ipſe veſper accendat, non [illegible]mines, & ſæpe hac figura utitur. *Iam falcem arbuſta reponunt.*

DIEMQVE REDVCIT. Vt quando diſcedit à nobis, & dies clauditur: tunc illic ſit Aurora.

AFFLAVIT ANHELIS. Curſu anhelantibus. SERA. Nocti vicina. VESPER. Stella, quæ & Venus & lucifer dicitur. Nam Veſper eo quod quibuſdam menſibus veſpere: Lucifer autem dicitur, quod quibuſdam mane oriatur.

VARIORVM.

SVB PEDIBVS. Sub Horizonte. Et alludit ad Antipodas. Antipodas autem eſſe, tam certum eſt, ut nemo niſi inſenſatus, dubitare auſit. TAVEMAN.

ILLIC VT PERHIBENT. Hic docet Turnebus laſcivia quadam poëtam indulgere voluiſſe Epicureorum decretis; quibus Sol in occaſu interire, & in ortu alius novuſque renaſci videbatur. GERMANVS.

ACCENDIT LVMINA VESPER. Alludit ad tempus illud, quod antiqui primam facem vocabant; quo lumina accendebantur, quodque conticinium præcedebat. GERMANVS.

Hinc tempestates dubio prædiscere cælo
Possumus; hinc messisque diem, tempusque serendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat; quando armatas deducere classes,
Aut tempestivam sylvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur & ortus,
Temporibusque parem diversis quattuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa forent quæ mox cælo properanda sereno,
Maturare datur. durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem: cavat arbore lintres:

S E R V I I.

HINC TEMPESTATES. Id est ex hac causa, ex hac ratione astrologiæ. Ex hac temporum scientia vel syderum observatione. Et hoc contra Epicureos, qui dicunt acervum stellarum sine causa esse. Et jam conclusio est: Nam hoc dicit, Non sine causa intuemur ortus siderum & occasus: hinc enim universa noscuntur. DVBIO COELO. Id est, etiam dubio cœlo: Et bene DVBIO, nam idem alibi cœli fraudem dixit, quod nunc prospera, nunc adversa ingerit. PRÆDISCERE, prævidere.

MESSISQVE DIEM. Pro tempore. TEMPVSQVE SERENDI. Id est autumnale.

INFIDVM. Cui nullus potest, aut debet committere fidem. nam subito fallit hominem. MARMOR. Mare.

QVANDO ARMATAS DEDVCERE CLASSES. Id est quando sit tempus ad agendum navale prælium. ARMATAS DEDVCERE CLASSES, aut quia in puppibus insigebant arma navigantes; *ut præfigere puppibus arma*; aut instructas armamentis suis.

TEMPESTIVAM PINVM. Opportunam, nam tempore importuno hæ cæsæ, arbores cito termites faciunt; Ita enim ligni vermes vocantur. nam hac re etiam rustici Lunæ cursum observare dicuntur: melius enim arbores Luna decrescente caduntur.

NEC FRVSTRA SIGNORVM OBITVS. S. E. O. Perseveravit contra Epicureos. OBITVS autem Occasus.

TEMPORIBVSQVE PAREM D. Q. A. De rebus contrariis fecit declamationem, dicendo, parem ex diversis, vel semper sibi convenientem. Re vera enim nihil est tam contrarium inter se, quam æstas & hyems; & tamen de his annus efficitur.

FRIGIDVS AGRICOLAM. Non generaliter frigidus, sed quando frigidus fuerit, & quasi titulus est, Agricolam nunquam vacuum esse debere. CONTINET. Vt non possit propter frigus & imbrem, agriculturam exercere. CONTINET autem, Detinet & impedit.

MVLTA FORENT QVÆ MOX COELO PROPERANDA &c. Ordo est; Multa maturare datur, quæ forent in serenitate properanda sereno cœlo. Nam male quidam FORENT, esse temporis præsentis volunt: ut sit sensus, Multa sunt properanda, quæ maturare datur, mox cœlo sereno. id est, in usum cæli sereni. Quod non est idoneum, licet re vera FORE, tantum semper futuri sit temporis. nam foret, & præteritum & præsens & futurum complectitur. Sallustius, *Ni virtus fidesque vestra spectata mihi foret.* id est esset, Et ordo est, Multa maturare datur, & diligenter facere: quæ velis cœlo sereno properanter facere, non diligenter poteris facere, dum festinas & tardius ad laborem redibis. Oportet ergo, ut dum domi resides, ea quæ tibi præparare potes, & necessaria vides, parare studeas; ut cum fuerit serenitas data, statim ad laborem prodeas. Sane maturare, duas res significat, aut in otio, & suo tempore facta maturata dicuntur; aut accelerata & ante tempus acta, quod hic significat. Cato, *properare dicit eos, qui prima quæque ordine suo maturare transigunt; festinare autem illos, qui multa incipiunt: eaque adnectendo, nec terminando præpediant.* Aulus Gellius; *mature veluti celeriter dicimus.* Nigidius, *mature fieri quod neque cito, neque tarde fiat, quod hinc debet intelligi; quia poma, quæ neque acerba sunt, neque putrida, matura dicuntur.*

PROCVDIT. Cudendo extenuat. Id est producit tundendo; & bene, quia præposuerat multa, enumerat singula.

VOMERIS OBTVSI. Hebetis, & obtusum est quicquid sine acumine est, vel calore: ut, *non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.* & Antiqui tamen N litteram addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut obtusus: in aliquibus remansit, ut tunsus. Obtusi autem, reverberati & acumine carentis. DENTEM. Acumen. ARBORE. De arbore. LINTRES. Fluviatiles, naviculas. Sane non sine ratione lintrium meminit, quia pleraque pars Venetiarum fluminibus abundans, lintribus exercet omne commercium, ut Ravenna, Altinum. Vbi & venatio, & aucupia, & agrorum cultura lintribus exercetur. Alii lintres, in quibus uva portatur, accipiunt.

V A R I O R V M.

TEMPESTIVAM PINVM. *Pinum* dicit, quia utile lignum navigiis. quasvis tamen arbores intelligit: quæ intempestivius excisæ termites faciunt. Est autem *termes* Vitruvio, qui θρὶψ Græcis, ligni vermiculus. TAVBMANNVS.

Aut

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alij vallos, furcasque bicornes;
Atque Amerina parant lenta retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga:
Nunc torrete igni fruges; nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus,
Fas & jura sinunt. rivos deducere nulla
Relligio vetuit: segeti prætendere sepem:
Insidias avibus moliri: incendere vepres:

SERVII.

AVT PECORI SIGNVM, AVT NVMEROS IMPRESSIT ACERVIS. Id est facit aut characteres, quibus pecora signantur: aut tesseras quibus frumentorum numerus designatur. nam numeros pro litteris posuit, quibus numeri continentur. Sed hoc non de æstate, qua signari vel fruges, vel animalia solent; sed de hyeme, qua imber frigidus esse potest. Loquitur autem hoc, secundum ea quæ aliter dicuntur, aliter audiuntur, ut dictum est.

AMERINA RETINACVLA. Virgas de quibus vites religantur. quæ virgæ abundant circa Amerinum oppidum Italiæ, cujus crebram in Rosciana facit Cicero mentionem. Alii genus salicis dicunt, dispari colore à cætera salice: nam est rubea, & ad connectendum aptior; quia præter morem lenta est, quæ nunc quoque Amerina à rusticis dicitur. LENTÆ autem flexuosæ. Hic computat ea quæ quilibet domi potest facere, dum ab agricultura pluviis impeditur; aut nimium frigus terram constringit. cuncta enim utilia sunt humano usui quæ hic dicit, & quovis tempore possunt fieri.

EXACVVNT. Repurgant & reformant in altitudinem pristinam. VALLOS. Fossas, & muros de terra factos & glebis, qui fiunt in circuitu cohortium & vinearum: aut quibus aquæ ducuntur de locis aquosis. Vallos, quos aliqui palos, Græci χάρακας. Homerus σκόλοπας. Ælius Gallus de verbis ad jus civile pertinentibus, vallos tegulas grandes, quæ supra collicias infimæ ponuntur appellat. Alii vallos hic quadridentes dicunt; nam vallos qui scolopes dicuntur, ante muros poni, ut, *Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.* BICORNES. Duorum cornuum.

FACILIS. de qua facile aliquid fiat. Vnde faciles homines qui hac & illac cito ducuntur. Ergo Facilis, quæ cito legitur, vel solvatur. RVBEA VIRGA. Quæ abundat circa Rubos Italiæ oppidum. Horatius, *Inde Rubos fessi pervenimus.* Id est ea virga, quæ apud Rubos plurima nascitur. An à rubo, cujus meminit, *ferat & rubus asper amomum.* FISCINA genus est vasis, id est corbulæ brevia, quas perferunt qui arbusta vindemiant. Lucilius in quinto, *Fiscina fallaci cumulo.* Nævius in Andromacha: *Quod tu mi Gnate, quæso ut in pectus tuum demittas, tamquam vindemiator in fiscinam.* Plautus in Mercatore, *Vobiscum habete cum porcu, cum fiscina.*

NVNC TORRETE IGNI FRVGES N. F. &. præparate panem, quo utamini in serenitate, ne ea res impedimento sit postea: multi tamen de certo frugum genere dictum volunt. Nam far, minium, panicum, moli, nisi ante fuerint tosta, non possunt. Nam quod ait *saxo frangite*; potest accipi & pinsere, quod significat pilo tundere, quia & vulgo cavatum saxum pilum dicimus; quæ omnia fieri oportet, propter facilitatem molendi. Multi usterologiam putant, quia ante est molere, quam coquere. Nonnulli tradunt rusticos solitos, si quando ad excudendas fruges essent imbribus impediti, spicas integras condere, & prout indiguisset usus, hyeme torrere; quo facilius à gluma sua separatum triticum molerent. Alii non accipiunt Husteron proteron, sed modo hoc, modo illud facito, ut diversa dixisse videatur.

QVIPPE ETIAM FESTIS QVÆDAM EXERCERE DIEBVS. Non mirum est rusticum aliqua facere debere per pluvias, cum sint quædam quæ facere possit etiam festis diebus. Sunt enim aliqua quæ si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter & Pontifices sacrificaturi, præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant; ne pro negotio suo, & ipsorum oculos, & cerimonias deûm attaminent; feriæ enim operæ deorum creditæ sunt. Sane feriis terram ferro tangi nefas est; quia feriæ deorum causa instituuntur, festi dies hominum quoque.

FAS ET IVRA SINVNT. Id est, divina humanaque jura permittunt. Nam ad religionem fas; jura pertinent ad homines. Et non sine causa hoc dictum à Virgilio, gnaro totius sacrorum ritus ponitur. religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum prætermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. Cum ergo hic dicit, *Festis quædam exercere diebus Fas & jura sinunt, & nulla relligio vetuit*: ostendit multa quæ ad rem divinam pertinent ex præcepto & posse fieri, & vitari ab his scilicet, qui religiosi, ut supra dictum est, appellantur; quem morem Poëta agendo aliud subtiliter docuit.

RIVOS DEDVCERE NVLLA RELLIGIO VETVIT SEGETI PRÆTENDERE SEPEM, INSIDIAS AVIBVS MOLIRI, &c.

VARIORVM.

INSIDIAS AVIBVS MOLIRI. Non de aucupatione loquitur, sed aves jubet à satis prohiberi, referens ad illud, *Nihil improbus anser, &c.* GROSS. MSS. LVGD.

Palan-

Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli.
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Fœlices operum. quintam fuge: pallidus Orcus,

SERVII.

DEDVCERE. Id est, siccare. Nam irrigare inducere est. ut, *Deinde satis fluvium inducit*. Sane sciendum secundum Varronem contra religionem esse, vel si Irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus. Nymphæ enim sine piaculo non possunt moveri. Sed scimus necessitati religionem cedere: Vnde perite Virgilius ait,

BALANTVMQVE GREGEM FLVVIO MERSARE SALVBRI, id est, salutifero. Nam dicturus est in tertio scabie tentari animalia, nisi laventur. De irrigatione vero nihil ad hunc pertinet locum, quia DEDVCERE, ut diximus, siccare significat. Sed qui disciplinas Pontificum interius agnoverunt, à die festo sine piaculo dicunt posse fieri, quæ supra terram sunt; vel quæ omissa, nocent; vel quæ ad honorem deorum pertinent, & quidquid fieri sine institutione novi operis potest, ut rivorum inductionem sic accipiamus, per fossam vel pratum purgatum deducere, id est emittere; quoniam cautum in libris sacris est, feriis denicalibus aquam in pratum ducere, nisi legitimam non licet; cæteris feriis omnes aquas licet deducere. Ergo hic, ut aliquibus videtur; deducere, purgare est, & sordes emittere, quæ præcludant aquam; ideoque à Pontificibus, ut novum fieri non permittitur feriis, ita vetus purgari permittitur. Alii hoc secundum augurale jus dictum tradunt, quod etiam in bello observetur, ne novum negotium incipiatur. Ergo rivos deducere, non est novum negotium, & potest hoc illuc referri: *quique paludis collectum humorem, bibula deducit arena*. Sane quæ feriæ, à quo genere hominum; vel quibus diebus observentur; vel quæ festis diebus fieri permissa sint, si quis scire desiderat, libros pontificales legat.

VETVIT. prohibuit. PRÆTENDERE SEPEM. Circundare, & opponere. Et subaudi nulla religio vetuit.

INSIDIAS AVIBVS MOLIRI. Id est aucupia facere. INCENDERE VEPRES. Hoc etiam sicut & priora, licet festis diebus agere.

BALANTVMQVE GREGEM, Id est ovium. MERSARE. Frequenter mergere, propter scabiem. FLVVIO SALVBRI. Non est epitheton amnis, sed ad factum refertur.

SÆPE OLEO. Et hic aut conjunctio esse debuit, ut est, *Illa Notos atque atra volans in nubila fugit*, pro & in Notos, ut esset, Sæpe aut oleo aut vilibus onerat pomis, & bene rusticorum laudat industriam. COSTAS ASELLI. Aut re vera costas, aut clitellas. ut Horatius, *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt*. AGITATOR. Verberator. Dictus ab agendo, et per hoc asinarius dicitur.

VILIBVS POMIS. Abundantibus, quia vulgo nascuntur: ut, *Vilemque phaselum*. LAPIDEMQVE REVERTENS INCVSVM. Molam manualem cudendo asperatam, & bene verbum vulgare vitavit.

MASSAM PICIS VRBE REPORTAT. Aut qui oleum vel poma portaverat ad urbem; aut certè ideo ait: REPORTAT, quia pix in agris nascitur, & in urbe distracta, in agrum à plerisque reportatur. Varro dicit antiquos nundinas feriatis diebus agere instituisse; quo facilius commercii causa ad urbem rustici commearent; & bene per hæc omnia quæ superius dixit, ostendit ferias non pollui.

IPSA DIES ALIOS ALIO DEDIT ORDINE LVNA. Plenissime de lunæ diebus omnibus expressit Hesiodus, ἤματα δ' ἐκ Διόθεν πεφυλαγμένος εὖ κατὰ μοίρας πεφραδέμεν δμώεσσι τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην ἔργα τ' ἐποπτεύειν ἠδ' ἁρμαλιὴν δατέασθαι. quam rem breviter iste prælibat. Sed est ita, quoque luna omnes dies felices dedit, sed alios aliis rebus aptos. Inde ait felices; & hoc est ad opera sumenda aptos felicibus operis. Alii felices pro fecundis accipiunt; ut, *felicemque trahit limum*. ALIO ORDINE. Hoc est, non omnes dies facit æquales; sed diversi ordinis & modi, cum ipsa sit una & eadem.

FELICES OPERVM. Quibus feliciter possunt opera exerceri, vel ad opera sumenda: vel certe FELICES, aptos felicibus operibus. QVINTAM FVGE. Vt quinta luna nullius operis initium sumas. Dicitur enim hic numerus Minervæ esse consecratus, quam sterilem esse constat. Vnde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur: ut, Orcus, Furiæ, Gigantes.

PALLIDVS ORCVS. Quia pallidos facit. nam ipse niger est. Probus, *Orchus* legit. Cornutus verat aspirationem addendam. Hesiod. Orcum quinta luna dicit natum. Celsus, ut Iurisiurandi deum pallidum dictum, quia jurantes trepidatione pallescunt. nam apud Orcum defunctæ animæ jurare dicuntur, ne quid suos, quos in vita reliquerunt, contra fata adjuvent. ORCVS. Pluton, deus inferni.

VARIORVM.

IPSA DIES ALIOS, ALIO, &c. Certe hic Virgilius secutus Hesiodum, posuit dierum faustorum & inauspicatorum discrimina; quæ partim ad superstitionem, partim ad causas naturales referri possunt, nata aliqua ex parte ex aspectibus, quibus Luna intuetur Solem: sicut Medicorum critici septimus, decimus quartus, vigesimus primus: nam quadrati aspectus cient pugnam naturæ cum morbo: superstitione tamen invaluisse observationem apparet, nec esse certam rationem discriminis dierum apud Hesiodum, quod dicat aliis alios dies probari. GERMANVS.

Eume-

Eumenideſque ſatæ: tum partu terra nefando
Coeumque, Iapetumque creat, ſævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum:
Ter pater extructos disjecit fulmine montes.
Septima poſt decimam felix, & ponere vites,
Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere. nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius ſe nocte dedere:
Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves ſtipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur; nocteis lentus non deficit humor.
Et quidam ſeros hyberni ad luminis ignes

SERVII.

EVMENIDES SATÆ, id eſt natæ, & ut ſæpe dictum eſt, κατ' ἀντίφρασιν, Eumenides vocantur. Quod non habent bonam voluntatem, id eſt mentem; ſicut Parcæ, quia nulli parcant. NEFANDO. Sacrilego.

COEVM. Nomina ſunt Gigantum. Per Coeum autem & Typhœum, & Iapetum, omnes gigantes intelligimus: quos quinta luna dicit eſſe natos.

ET CONIVRATOS CÆLVM RESCINDERE FRATRES. Othum & Ephialtem dicit, qui fuerunt filii Neptuni, & novem digitis ſingulis creſcebant menſibus: qua freti altitudine cœlum voluerunt evertere: ſed confixi ſunt ſagittis Apollinis & Dianæ.

PELIO OSSAM. Monti Theſſaliæ. Pelio o longa eſt, ſed fit brevis ſequente vocali: ut, *ſub Ilio alto.* OSSAM. Alium montem Thraciæ.

OLYMPVM. Tertium montem Macedoniæ: & tertium quaſi majorem involvere ait.

PATER. Iuppiter. DISIECIT. Dejecit.

SEPTIMA POST DECIMAM FOELIX. Aut ſeptimamdecimam dicit; aut hoc dicit, Fœlix quidem eſt ſeptima, ſed felicior decima: ut primum locum decimæ tribuat, quæ ſit valde felix; ſecundum ſeptimæ, quæ poſt decimæ fœlicitatem ſit ſecunda: ut ea nulla ſit felicior, excepta decima. Aut certe ſicut quidam volunt, quartamdecimam dicit ut fœlix ſit ſeptima duplicata: id eſt, cujus numerus poſt decimam invenitur: quo die re vera melius vites ponimus.

DOMITARE BOVES. Inſtruere, quomodo poſſint ferre laborem arandi: & ſciant ad jugum pariter incedere.

NONA FVGÆ MELIOR, CONTRARIA FVRTIS. Non ut quibuſdam imperitis videtur, Virgilius aut fugam ſervis ſuadet, aut eis indicat dies quibus ſe à rapinis abſtineant. Nam & fugam de profectione & curſu legimus: ut, *Simul arva fuga, ſimul æquora verrunt*; unde velocem equum fugacem dicimus: & fuga poteſt etiam honeſta eſſe; ut ſi quis hoſtem, ſi quis imminentem tyrannum, ſi quis ſævum judicem fugiat. CONTRARIA autem FVRTIS illuc ſpectat, ut domino ſit ſpes inveniendi quod amiſerit, & ſervus rapere aliquid aufugiens formidet.

ADEO. Valde. Terentius, *Adoleſcentem adeo nobilem.* MELIVS SE NOCTE DEDERE. Per noctem melius noſtro obſequuntur labori. NOCTE autem non eſt adverbium, ſed nomen, ablativique caſus. adeo ut ei Horatius junxerit præpoſitionem: ut, *Vt jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.* nam adverbium NOCTV facit, ſicut DIV. Salluſtius, *Diu noctuque laborare, feſtinare.*

SOLE NOVO. Oriente die, & Sole adhuc recenti, necdum ferventi. IRRORAT. Illuſtrat. Aut ſimpliciter irrorat matutino enim tempore ros cadit. Et dicit hoc loco, & die & noctu inſiſtendum labori. EOVS. Id eſt lucifer: de quo etiam Cinna in Smyrna ſic ait, *Te matutinus flentem conſpexit Eous, Et flentem paulo vidit poſt Heſperus idem.*

ARIDA PRATA. Iam matura.

TONDENTVR. Secantur. NOCTEIS. Accuſativus pluralis. NON DEFICIT. Non deſerit. Vnde & qui deſerunt exercitum ad hoſtes tranſeuntes, defectores vocantur. SEROS IGNES. Nocturnos.

VARIORVM.

IMPONERE PELIO OSSAM. Synalæpha bis neglecta poterat videri inanem eorum conatum exprimere: quod & Fabricio viſum eſt. Hunc autem locum I. Scaliger lib. 5. c. 3. Poët. contra Græculorum & Criticorum ſubtilitatem defendit. TAVBMANNVS.

LICIA TELÆ ADDERE. Licium dicitur, quod utrinque ſtamina ligat: aliquando pro ſtamine ipſo. Itaque hoc nunc dicitur, telæ texturam eo die felicem futuram. BERSMAN.

MVLTA ADEO GELIDA. Valde diligens diviſio temporum: primo enim quatuor partes anni exſecutus eſt: deinde dies lunares: modo horas, in quas dies & nox dividitur. GLOSS. MSS. LVG.

Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
Interea longum cantu solata laborem
Arguto conjunx percurrit pectine telas:
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerunque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curasque resolvit:
Ceu pressæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.
Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta;
Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,

SERVII.

FACES INSPICAT. Incidit ad spici & aristarum imaginem. ARGVTO: Sonoro, stridulo.

AVT DVLCIS MVSTI VVLCANO DECOQVIT HVMOREM. Hypermetrus versus est: unde & sequens à vocali inchoat. Bene autem ait, DECOQVIT HVMOREM, id est rem superfluam: sicut supra posuit, *Luxuriem segetum tenera depascit in herba*.

AHENI. Vasis in quo coquitur vinum. Et TEPIDVM dicitur: quia quod bullit, quasi tremere videtur. AHENI. Ex ære facti.

CERES. Frumentum. MEDIO ÆSTV. Id est per diem, quando æstus est.

NVDVS ARA, SERE NVDVS. Sic Hesiodus, *γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοώτειν, γυμνὸν δὲ ἀμάειν.* Id est, adeo sereno cœlo ut vestimentis non egeas. Sane quidam post hoc hæmystichium dicitur subsecutus, *Habebis frigore febres*. Nam non dicit nudum esse debere, quasi aliter non oporteat aut possit: sed sub tanta serenitate dicit hæc agenda, ut & amictus possit contemni. HYEMS IGNAVA COLONO. Quæ ignavum reddit colonum.

PARTO. Parato. AGRICOLÆ PLERVNQVE FRVVNTVR. Dicit agricolas per hyemem his frui, quæ æstate paraverint. PLERVNQVE autem dicit, quia dicturus est aliqua, quæ rusticus etiam hyeme possit efficere.

GENIALIS HYEMS. Convivalis, voluptuosa. Nam quotiens voluptati operam damus, indulgere dicimur Genio. Vnde è contrario habemus in Terentio, *Suum defraudans Genium*. Genium autem dicebant antiqui, naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis. CVRASQVE RESOLVIT. Quiescere facit à labore & curis.

PRESSÆ CARINÆ. Onerariæ. CVM IAM PORTVM TETIGERE. Dat comparationem de navigantibus: quod sicut illi expleta jam navigatione, & positis in sicco navibus lætantur, & epulis vacant: sic etiam rustici finitis completisque æstivis laboribus, hyeme convivia celebrant, & à curis solvuntur.

IMPOSVERE CORONAS. Aut re vera coronas: aut spiras funium accipimus.

SED TAMEN ET QVERNAS GLANDES. Sunt aliquæ derivationes, ex usu magis quam ex ratione venientes: ut quernus, ficulnus, ilignus, colurnus; à corylo, ilice, ficu, quercu.

CRVENTA. Matura. CRVENTA autem ideo, quia matura, cruoris colorem imitantur.

PEDICAS. Laqueos, quibus pedes illaqueantur.

VARIORVM.

FACES INSPICAT. *Inspicat*, findit in modum spicarum, cui multæ sunt aristæ. PHILARGYRIVS.

DECOQVIT HVMOREM. Hic versus longior est una syllaba, sed sine vitio, quoniam sequens à vocali incipit. PHILARGYR.

ET FOLIIS VNDAM DESPVMAT. Ramo pampineo spumam aufert. Cum autem defrutum à defervendo sit dictum, Willichius *despumat* interpretatur *defrutat*: quomodo Columella *vinum defrutare* dixit. TAVBMANNVS.

MVTVAQVE INTER SE. Hinc *mutuitare* Gellio, pro mutua convivia agitare, & se epulis mutuis accipere & alternis, ut placet Turnebo. GERMANVS.

CEV PRESSÆ CVM IAM PORTVM. Accipio autem PRESSAS, mercibus oneratas, ut Tibullus. *Presserat externa navita merce ratem*. GERMANVS. vel tempestate jactatæ, scopulisque afflictæ. RAMVS.

Auri-

Digitized by Google

Auritosque ſequi lepores: tum figere damas,
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ:
Cum nix alta jacet; glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempeſtates autumni, & ſydera dicam?
Atque ubi jam breviorque dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver?
Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret hordea culmo;
Omnia ventorum concurrere prælia vidi;
Quæ gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque levem, ſtipulaſque volantes.
Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris

SERVII.

AVRITOS LEPORES. Majores aures habentes. Horatius aliter ait, *Doctum & auritas fidibus canoris Ducere quercus.* Senſum audiendi habentes.

BALEARIS FVNDÆ. Hiſpanicæ: à Balearibus inſulis Hiſpaniæ, ubi inventa eſt funda.

QVID TEMPESTATES AVTVMNI. Verno & autumnali tempore fiunt tempeſtates, quando nec plena æſtas eſt, nec plena hyems. Vnde medium & confine utriuſque temporis ex conjunctione contrariarum rerum tempeſtates efficit. Sane ſciendum ultimas partes tam autumni quam veris ſignificare, quibus fiunt procellæ. quod de autumno, hic indicat verſus, *Atque ubi jam breviorque dies, & mollior æſtas:* de vere hic, *Spicea jam campis cum meſſis inhorruit.* Deinde ait, RVIT. Id eſt præcipitatur, in fine eſt. Et in hoc talis eſt ſenſus, Quid dicam quantum oporteat ſolicitum & ſtudioſum eſſe agricolam tempore autumni & veris?

VIGILANDA VIRIS. Vigilanter providenda.

SPICEA IAM CAMPIS. Spicos de maturis frugibus abuſive dicimus. Nam proprie eſt ſpicus, cum per culmi folliculum, id eſt extremum tumorem, ariſtæ adhuc tenues in modum ſpiculi eminent. INHORRVIT. Intremiſcit.

FRVMENTA LACTENTIA. Adhuc tenuia, & lactis plena. Sane ſciendum Varronem in libris divinarum rerum dicere, Lactantem deum eſſe, qui ſe infundit ſegetibus, & eas facit lacteſcere. Et ſciendum inter lactantem & lactentem hoc intereſſe: quod Lactans eſt quæ lac præbet: Lactens cui lac præbetur.

FLAVIS. Maturis. ET FRAGILI CVLMO. id eſt quæ in fragili culmo erant. STRINGERET. Secaret. ut, *Hic ubi denſas Agricolæ ſtringunt frondes.*

OMNIA VENTORVM CONCVRRERE. Inter ſe, ut, *Mutatis transverſa fremunt.*

SVBLIME EXPVLSAM ERVERENT. Per ſublime portarent erutam ſegetem. TVRBINE NIGRO. Tempeſtate noxia. Horatius. *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

CVLMVMQVE LEVEM. Culmus dicitur ipſe calamus: ſtipulæ vero folia quæ ambiunt culmum.

AGMEN AQVARVM. Impetus: ut, *Leni fluit agmine Tybris.* Eſt autem hic Ecbaſis poëtica ad deſcribendam tempeſtatem.

VARIORVM.

BALEARIS FVNDÆ. Fundis nemo figit, ſed intra inſidias cogit, ubi incluſam feram jaculis petiit. ergo ὕστερον πρότερον eſt. BALEARES FVNDÆ, quia apud inſulas Baleares fundarum uſus repertus eſt, & *inſulæ Baleares* primo Gymneſiæ dictæ: poſt vero cum à Græcis occupatæ ſunt, quia cum lapidibus fundæ rotantes ſubmoverent adverſarios, qui eas incolebant, ἀπὸ τὸ βάλλειν, *Baleares* appellant. PHILARGYR.

IN VIRIDI STIPVLA. *Stipulæ* nomine pro culmo abutitur. *induceret arvis*, pro ſegetibus. PHILARGYRIVS.

QVÆ GRAVIDAM LATE SEGETEM. Eam procellam vel tempeſtatem innuit, quam per *vim tempeſtatis calamitoſæ* ſignificat juriſconſultus: cujus etiam in Verrem actione ſecunda meminit Cic. his verbis: Eademque vi & injuria, cum penitus pecunias maximas cogeres, per omnes partes provinciæ, te, tanquam aliquam calamitoſam tempeſtatem peſtemque pervaſiſſe demonſtro. GERMAN.

CÆLO V. AGMEN AQVARVM. Grammatici interpretantur *impetum*, ſed AGMEN ſignificat ſimpliciter fluentis aquæ motum. nam & *leni agmine fluere* dicitur fluvius. SALMASIVS.

Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta, boumque labores
Diluit: implentur fossæ, & cava flumina crescunt
Cum sonitu; fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit: fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit. ingeminant Austri, & densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
Hoc metuens, cæli menses, & sydera serva;
Frigida Saturni sese quo stella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.

SERVII.

COLLECTÆ EX ALTO NVBES. Ab Aquilone, qui utique de alto flat, id est à septentrione: & tempestates gravissimas facit. Nam Auster humilis est. ut, *Mundus, ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.* RVIT ARDVVS ÆTHER. Tonitribus percrepat. ut, Cœlique ruina.

CAVA FLVMINA. Profunda & alta. Lucanus. *Rutubamque cavum.*

FRETIS SPIRANTIBVS. In motu positis. Alibi, *Quà vada non spirant, nec fracta remurmurat unda*

CORVSCA FVLMINA. Coruscantia. ut, *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.* MOLITVR. Agitat, & jacit.

TERRA TREMIT. Terræ motus efficitur. Vel tremit terra, Tremere videtur: & pavent hi qui terram colunt.

HVMILIS PAVOR. Qui humiles reddit, ut, Pallidus Orcus.

ILLE FLAGRANTI AVT ATHO, AVT RHODOPEN. Secundum Epicureos per transitum loquitur, qui dicunt fulmina non judicio deorum, sed ex nubibus fieri. nam montes quid necesse fuerat fulminari? Athos autem mons est Græciæ, Rhodope mons Thraciæ.

AVT ALTA CERAVNIA. Montes sunt Epiri, à crebris fulminibus dicti. Vnum enim fulmen quod colorat, aliud quod transfigit, aliud quod afflat: ut est, *Ex quo me divûm pater, atque hominum rex, Fulminis afflavit ventis.*

INGEMINANT AVSTRI. Repetunt suos flatus venti. PLANGIT. Resonare facit. Alii legunt PLANGVNT: ut sit, *nemora & littora plangunt,* id est resonant.

HOC METVENS CÆLI MENSES, ET SYDERA SERVA. Id est duodecim signa quibus menses cognoscimus. SYDERA autem vel tempestates, vel planetarum motus. Sciendum autem (ut diximus) de planetis quinque, duos esse noxios, Martem & Saturnum: duos bonos, Iovem & Venerem: Mercurius vero talis est, qualis ille cui jungitur. Vnde etiam fingitur minister esse deorum: quod eorum obtemperat potestati. Hinc est quod dicit, QVOS IGNIS COELI CYLLENIVS ERRET IN ORBES. Id est utrum in septentrionalem, an in Australem partem inclinetur: aut cui planetarum cohæreat, ut qualitatem Mercurii ex illo possis agnoscere. Cyllenius autem ignis propter stellam Mercurialem dicitur; quia in Cylleno monte Arcadiæ dicitur natus esse Mercurius.

FRIGIDA SATVRNI SESE QVO STELLA RECEPTET. Id est nocens. ut, *Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Ideo autem hoc dicit, quia Saturnus deus pluviarum est. Vnde etiam senex fingitur: nam senes semper novimus esse gelidos. hic autem in Capricorno facit gravissimas pluvias, & præcipue in Italia. Vnde & Horatius ait, *Seu tyrannus Hesperiæ Capricornus undæ.* ut in Scorpio grandines: item in alio fulmina: in alio ventos. Vnde præcipit nos scire debere, in quod se signum recipiat sydus Saturni. Sane petite ait RECEPTET: ut ex frequentativo verbo nobis ostenderet Saturnum bis ad unumquodque signum reverti: quod alii planetæ minime faciunt. Solus enim est qui & longius à Sole discedat, & bis ad unumquodque signum recurrat.

QVOS IGNIS COELI CYLLENIVS ERRET IN ORBES. Ordo est, in quos orbes cœli erret Cyllenius ignis. Et bene ERRET, nam planetæ vocantur ἀπὸ τῆς πλάνης, id est ab errore. nam interdum ad austrum, interdum ad septentrionem, plerunque contra mundum, nonnunquam cum mundo feruntur.

VARIORVM.

FRIGIDA SATVRNI STELLA. Satis cognitum est Saturni stellam frigidam esse; & ideo apud Iudæos Saturni die frigidos cibos esse. Frigida autem stella dicitur, quia sit glacialis, pestilens, atrox, permutabilis. GLOSS. MSS. LVGD.

In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno.
Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus, & socij comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

SERVII.

IN PRIMIS VENERARE DEOS. Post hæc cognita, da præcipue operam sacrificiis, quibus tempestates, & pluviæ possint repelli. Et mire hoc statim subjunxit: quia occurrebat, quid prodest tempestates futuras videre? Et bene ait IN PRIMIS, præcipue, & ante omnia. nam alia neglecta possunt habere emendationem: tempestas adveniens, nisi ante prævideris, universa subvertit.

ANNVA SACRA REFER CERERI. Anniversaria magna, sicut in Æneide; *Annua quæ differre nefas*: Et Ambarvale sacrificium dicit. LÆTIS OPERATVS I. H. Aut dans operam conviviis: aut postquam opera cuncta compleveris.

EXTREMÆ SVB CASVM HYEMIS. Circa finem hyemis, antequam ver incipiat. IAM VERE S. Ver, pluviale tempus est: sed circa finem incipit esse serenum. Dicit ergo VERE SERENO, ut sit jam tunc & ver, & serenum.

TVNC AGNI PINGVES. Subaudi sunt; qui aut epulis, aut sacrificiis sunt apti. MOLLISSIMA VINA. Carentia asperitate, & defœcata.

DENSÆ IN MONTIBVS VMBRÆ. Quia tunc incipiunt arbores frondescere.

TIBI: In honorem tuum, & in tuam gratiam.

CVI TV LACTE FAVOS ET MITI DILVE BACCHO. Id est, Cui tu liba de lacte, melle & vino. Nam superfluum est quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Virgilium, licere Cereri de vino sacrificare. Pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem ait Plautus in Aulularia, cujus ipsi utuntur exemplo, *Cererine nuptias facturi estis? qui? quia temeti nihil allatum intelligo.* non est huic loco contrarium. nam aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare: in quibus re vera vinum adhiberi nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur; quas præsentia sui pontifices ingenti solennitate celebrabant. Alii hunc locum aliter accipiunt, ut MITI BACCHO, non sit septimus casus, sed dativus, & duo nomina intelligimus, Liberi & Cereris: nam supra quoque ait, *In primis venerare deos.* ut sit sensus, cui Cereri, & miti Baccho favos lacte dilue; id est eis sacrifica melle & vino permistis.

FOELIX HOSTIA. Id est fœcunda. Et dicit Ambarvale sacrificium: quod sæpe de porca fœcunda & gravida fieri consueverat. vel felicem dicit, cujus sacrificio & immolatione fœcunditas agrorum merebatur.

OMNIS QVAM CHORVS. Chorus proprie est coævorum cantus atque saltatio.

CEREREM CLAMORE VOCENT. Invocent, dari copiam frumentorum.

TORTA REDIMITVS TEMPORA QVERCV: Id est habens in memoria victum priorem, à quo Cereris revocatus est benignitate. Nam olim homines glandibus vescebantur.

DET MOTVS INCOMPOSITOS. Id est saltationem aptam religioni, nec ex ulla arte venientem; Sallustius, in Catil. *Saltare elegantius, quam necesse est probæ.* CARMINA DICAT. Hymnos.

VARIORVM.

ATQVE ANNVA MAGNÆ SACRA REFER CERERI. Vnde mos natus Cereri sacra faciendi, aperit Diodorus lib. 5. cap. 2.

MAGNÆ CERERI, quia *Ceres*, quæ & *Tellus*, dicta est *Magna mater*, quod prima deorum & hominum sit genitrix & educatrix: & proinde *Ops* etiam nominata, ab ope præbenda: Homero etiam ζείδωρος, *vitæ elargitrix.* Vide Vine. Chartarium de Imaginibus Deorum. TAVBMAN.

LÆTIS OPERATVS IN HERBIS. Operari & facere, pro sacrificandi verbo usurpant Latini, ut ῥέζειν ἱερὰ τοῖς θεοῖς. Tiboll. lib. 2. Eleg. 5. *Tunc operata deo proles discumbit in herba.* Horat. Ode 14. l. 3. *Vnico gaudens mulier marito, Prodeat justis operata divis.* Livius lib. 1. de Tulli regis exitu, *operatum his sacris se abdidisse.* Alioqui operari proprie est opus facere, seu operam in aliqua re ponere. Æneid. 3. *Connubiis, arvisque novis operata juventus.* PONTANVS.

TVNC AGNI PINGVES, &c. Plautus in Mænechm. Cereales cœnas, vocat opimas & lautas, & multis ferculis oneratas; quod Cerealibus populariter solerent genio indulgere, id quod ex hoc loco facile intelligitur. TVRNEB. 18. 14.

Digitized by Google

Atque hæc ut certis possimus discere signis,
Æstusque, pluviasque, & agentes frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;
Quo signo caderent Austri: quid sæpe videntes
Agricolæ, propius stabulis armenta tenerent.
Continuo ventis surgentibus, aut freta Ponti
Incipiunt, agitata tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor; aut resonantia longe
Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi.
Clamoremque ferunt ad littora; cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ: notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cælo labi, noctisque per umbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus:
Sæpe levem paleam, & frondes volitare caducas;

SERVII.

MENSTRVA LVNA. Vnde & bene dicitur,

CADERENT AVSTRI. Desinerent venti. Ex hoc etiam loco prognostica sunt translata de Arato, pauca de multis.

VENTIS SVRGENTIBVS. Flare incipientibus. Vnde è contrario, Cum venti posuere, idest flare desierunt. AVT FRETA PONTI. Litora pelagi, quæ feriuntur fluctibus. Duo autem dicit naturalia. Futura enim tempestate, & ante ventum, fluctus movetur: & fragor auditur ex sylvis, arcana quadam ratione naturæ.

ARIDVS FRAGOR Sonitus, qualis solet fieri ex aridis, cum franguntur, arboribus. Ergo ARIDVS, nimius. Omne enim quod aridum est, cum frangi cœperit, nimium efficit sonum. Fragor etiam à fractarum rerum nominatus est sonitu.

AVT RESONANTIA LONGE LITTORA MISCERI. δὶς τὸ αὐτὸ, id est bis idem dixit.

MISCERI autem, perturbari. ut, *Miscet agens telis.*

IAM SIBI TVM CVRVIS MALE TEMPERAT VNDA CARINIS. Scias, inquit in pelago esse gravissimam tempestatem cum mergi ad littora confugiunt. Poëtice autem ait: *Iam sibi tum unda male temperat curvis carinis*, Idest sibi non parcit, sed crescit in perniciem suam. nam in carinam scindendam consurgit.

CLAMOREMQVE FERVNT. Idest, si cum clamore revertuntur. nam plerunque plura dicit signa, è quibus unum non sufficit, sed omnia animadvertenda: ut, *Tum cornix plena pluviam vocat improba voce. Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

MARINÆ FVLICÆ, Ad discretionem fluvialium.

ALTAM SVPRA VOLAT ARDEA NVBEM. Ardea dicta est quasi ardua: quæ cum altius volaverit, significat tempestatem. Lucanus, *Aut siccum quod Mergus amat: quodque ausa volare Ardea sublimis pennæ confisa natanti.*

PRÆCIPITES COELO LABI. Sequitur vulgi opinionem. non enim omnia prudenter à poëta dicenda sunt. Quod autem videmus è cœlo stellas quasi labi, διάττονται sunt ignis ætherii, quæ fiunt cum vehementior ventus altiora conscenderit; & trahere exinde aliquas particulas cœperit, quæ simulant casum stellarum. Nam stellæ cadere non possunt: quarum natura est ut stent semper. unde & stellæ vocantur. Sane sciendum est, ut ait Aratus, ab illa parte ventum flaturum, in quam ille ignis ceciderit.

VARIORVM.

ATQVE HÆC VT CERTIS POSSIMVS, &c. Ad prognostica tempestatum delabitur, quæ est quinta & extrema hujus libri pars. Et sunt quædam, non agricolis modo, verumetiam nautis & pastoribus familiaria. PONTANVS.

CVMQVE MARINÆ FVLICÆ, &c. Græcos versus Arati expressit; & quæ Arato Αἴθυιαι ipse reddidit *fulicas*. qui Græco poëtæ ἐρωδιὸς, vertit *ardeam*, sic κέπφοι, mergos vertit.

Aratus - - ἢ ἐν ἁλὶ δῖναι.

Αἴθυιαι χερσαῖαι τινάσσονται πτερύγεσσι.

Ad verbum transtulit. ἐν ἁλὶ δῖναι αἴθυιαι, marinæ fulicæ. χερσαῖαι τινάσσονται πτερύγεσσι, in sicco ludunt. ἐν χερσῷ τινάσσονται πτερύγεσσιν, in sicco alis plaudere ac ludere, &c. SALMASIVS.

Aut

Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cum fulminat, & cum
Eurique, Zephyrique tonat domus: omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. nunquam imprudentibus imber
Obfuit: aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugêre grues: aut bucula cœlum
Suſpiciens, patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit ova,
Anguſtum formica terens iter; & bibit ingens
Arcus, & è paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum

SERVII.

COLLVDERE PLVMAS. Moveri. Terentius, *Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere.* Ideſt, moveri. Virgilius, *Ludere pendentes pueros.*

AT BOREÆ DE PARTE TRVCIS CVM FVLMINAT. Hoc vult dicere, Vbique ingentes efficit pluvias, ab iſtis ventis mota tempeſtas.

NVNQVAM IMPRVDENTIBVS IMBER OBFVIT. Alii IN vacare volunt; alii augentis habere ſignificationem: ut ſit, Nunquam imber obfuit valde prudentibus. quæ res valde non ſunt idoneæ. Vnde melius eſt ita intelligere, Nunquam imber obfuit non ante proviſus: tam clara ſui dat ſigna: ut IMPRVDENTIBVS, ignaris accipiamus: nam hoc dicit, Nunquam neſcienti nocet imber, quia ſe deſignat ante venturum. & ſcimus leviora eſſe mala, quæ ex opinione contingunt.

AERIÆ FVGERE GRVES. Aërii coloris; aut altum volantes. Dicit autem grues de vallibus fugere, non pluviam de vallibus ſurgere. AVT BVCVLA CÆLVM SVSPICIENS PATVLIS. Hic locus omnis de Varrone eſt. Ille enim ſic,

Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi:
Et velut inſolitum pennis infundere rorem:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et bos ſuſpiciens cælum (mirabile viſu)
Naribus aërium patulis decerpſit odorem.
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

ET VETEREM IN LIMO RANÆ CECINERE QVERELAM. Fabula duplex eſt. Nam ut Ovidius dicit, Ceres cum Proſerpinam quæreret, ad relevandam ſitim acceſſit ad quendam fontem. tunc eam Lycii ruſtici à potu prohibere cœperunt: & conturbantes pedibus fontem, cum contra eam emitterent turpem naribus ſonum; illa irata eos convertit in ranas; quæ nunc quoque ad illius ſoni imitationem coaxant. Sed hoc non eſt valde aptum. Nam illa magis inſultatio fuerat, quam querela: & pœnam ſacrilegii juſte pertulerunt. Vnde magis Æſopus eſt ſequendus; qui dicit hoc, Cum Iuppiter omnibus animalibus reges daret: & ranis, ni fallor, colendum breviſſimum lignum dediſſet; illæ queſtæ & aſpernatæ ſunt eum, & tunc eis hydrum iratus dedit, qui veſcitur ranis.

BIBIT INGENS ARCVS. Sequitur iterum vulgi opinionem. CORVORVM EXERCITVS. Multitudo.

IAM VARIAS PELAGI VOLVCRES, ET QVÆ ASIA CIRCVM, &c. Hæc vera lectio: & ſenſus talis eſt, Iam varias pelagi volucres, & eas quæ circum prata rimantur in dulcibus ſtagnis Cayſtri, videas certatim largos humeris infundere rores. Nam ſi IAM VARIÆ legeris, ſenſus nulla ratione procedit: Cayſtrus autem Aſiæ fluvius eſt. Aſia vero, palus: Vnde fecit Aſia prata. Et de palude Aſia A longa eſt. nam de provincia corripitur. ut, *Europa atque Aſia pulſus*, & eſt Homericus verſus, ἀσίῳ ἐν λειμῶνι καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

VARIORVM.

SVRGENTEM VALLIBVS IMIS. Attollentem ſe cum nebulis. Nebulæ enim aſſurgentes pluviam: humi quaſi reptantes, ſerenitatem inducere exiſtimantur. Hæ enim radiis ſolaribus paulo poſt diſſipantur: illæ vero ſublato tandem vapore, quem continent rorido, materiam pluviæ ſuppeditant. BERSMANNVS.

BIBIT INGENS ARCVS. Sic & Plautus: *Ecce autem bibit arcus, pluet credo hodie.* Credebat enim antiqua ſuperſtitio, arcum demiſſis in terram cornibus aquam haurire. Vnde & Vitruvius, Non minus aquæ vapores à fontibus ad nubes per arcus excitari. GERMANVS.

Digitized by Google

Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hyemem: testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.
Nec minus ex imbri Soles, & aperta serena
Prospicere, & certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna:
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones; non ore solutos

SERVII.

RIMANTVR PRATA. Pascuntur in pratis, cibum per terræ rimas requirentes. Nam rimari hinc tractum est à porcis, qui glandes rimantur de rimis terrarum.

ET STVDIO GESTIRE LAVANDI. Gestire est lætitiam suam corporis habitu significare. nam ut homines verbis lætitiam suam exprimunt, ita aves corporis gesticulatione. INCASSVM autem ideo ait, quia plumarum compositio aquam minime ad corpus admittit.

RAVCA PLVVIAM VOCAT IMPROBA VOCE. Rauca contra naturam suam. ET VOCAT Poëtice ait: non enim vocat, sed denuntiat pluviam. Et notandum cornicem, & rauca voce, & solam, pluviam prædicere: Corvos vero serenum, & plures & voce tenui ac purissima contra naturam suam: ut, *Tum liquidas corvi presso ter gutture voces.*

TESTA CVM ARDENTE VIDERENT. Propter vilitatem noluit dicere lucernam, nec iterum lychnum: sicut in heroico carmine. ut, *Dependent lychni.* Medius vero in his libris est stylus, sicut diximus supra.

PVTRES CONCRESCERE FVNGOS. Nam ut dicit Plinius, cum aër humidus esse cœperit, favilla quę cum fumo solet egredi, prohibita aëris crassitate in lucernis residet, & quasdam velut fungorum imitatur imagines.

NEC MINVS EX IMBRI SOLES. Id est serenitates. Et versa vice dat prognostica, quibus agnoscamus ex tempestivo cælo serenitatem futuram. APERTA SERENA. Aër enim densatur nubilo, & rarescit sereno. ut, *Denset erant quæ rara modo: & quæ densa, relaxet.*

NEC FRATRIS RADIIS OBNOXIA SVRGERE LVNA. Obtusa subaudi à superioribus: nam hoc dicit, Nec tamen luna videtur obtusa, quæ est radiis Solis obnoxia. nam ut dicunt Physici, ab eo accipit lumen.

TENVIA. Proceleusmaticus est pro dactylo, quam rem quotiescunque facit Virgilius, servat locum Synizesi: ut, *tenuia*. Item &, *Genua labant*: nubes tenues, pro velleribus accipiendæ.

DILECTÆ THETIDI HALCYONES. Ceyx filius Luciferi, habuit uxorem Halcyonem: à qua cum prohibitus esset ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cujus corpus cum ad uxorem delatum fuisset, illa se præcipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis & Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quæ halcyones vocantur. Sane sciendum est quod cum de muliere dicimus, hæc Halcyone facit: Cum de avibus, hic & hæc halcyon, hi & hæ halcyones. Illæ autem aves nidos faciunt in mari, media hyeme. Quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. Inde etiam dies ipsi *Halcyonia* nominantur. NON ORE SOLVTOS. Scilicet manipulos. Alii *soluto ore* accipiunt, id est nimium patenti.

VARIORVM.

ET APERTA SERENA. Serenitas, in eo quod serat cælum, id est aperiat, eleganter epitheton nominis & etymologiam ostendit. serenum enim est dictum à serendo, id est aperiendo: sic alibi Virgilius, *Et vastas aperit sirtes*, id est, reseret. GLOSS. MSS. LVGD.

TENVIA NEC LANÆ PER COELVM, &c. Turnebus vult & vellerum nomine apud poëtas etiam venire, *plumam*. Ego illi suffragatus, addam etiam lanam, pro lanuginosa consistentia roscida & velut araneosa; quæ per auras nonnunquam natare & vagari cernitur, accipi. GERMANVS.

DILECTÆ HALCYONES, Hinc proverbium: & apud Plautum in Casina: *Halcedonia sunt circa forum*: pro summa tranquillitate. RAMVS.

Immundi

Immundi meminere ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt.
Solis & occaſum ſervans, de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunque illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras,
Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.
Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant: & ſæpe cubilibus altis,
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe foliis ſtrepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulceſque reviſere nidos.
Haud equidem credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut RERVM *fato prudentia major:*
Verum ubi tempeſtas, & cœli mobilis humor

SERVII.

IMMVNDI autem, luto gaudentes. Horatius, *Et amica luto ſus.*

MAGIS IMA PETVNT. Deprimuntur ed valles.

NEQVICQVAM SEROS EXERCET NOCTVA CANTVS. Id eſt non. Perſius, *Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.* Item Virgilius, *Et ſummo clypei nequicquam umbone pependit.*

NOCTVA autem avis eſt lucifuga: quæ ſignificat pluviam ſi cecinerit poſt Solis occaſum. De hac autem talis eſt fabula. Nyctimene poſtquam cum patre concubuit, & agnovit facinus eſſe: in ſylvis ſe abdidit: & lucem refugit: ubi deorum voluntate converſa eſt in avem: quæ pro tanto facinore omnibus avibus eſt admirationi.

SVBLIMIS IN AERE NISVS. Niſus rex Megarenſium, pater Scyllæ, de quo plenius in Bucolicis diximus.

POENAS DAT. Adverſante ſibi patre. Scylla ejuſdem Niſi filia, quæ patri ſuo abſciſſam comam purpuream Minoi obtulit contra patrem pugnanti, & inde in avem converſa eſt: quas aves dicit nunc diſcordes nimis eſſe inter ſe.

FVGIENS. Patrem ſcilicet. AETHERA: Aërem.
ATROX. Gcudelis & immitis. STRIDORE. Sonitu alarum.

TVM LIQVIDAS CORVI PRESSO TER GVTTVRE VOCES, &c. Plinius in naturali hiſtoria dicit corvos eſſe obliviosos, & plerunque minime ad nidos ſuos reverti. ſed quadam ratione naturæ hæc congerunt ad ſuos nidos, quæ vermes poſſint creſtre: ex quibus relicti eorum pulli, aluntur interdum. Horum oblivionem probat etiam ex rebus, quas cum abſconderint, derelinquunt: quod etiam muſtelæ dicuntur efficere.

HAVD EQVIDEM CREDO. Proponit ſibi quæſtionem acerrimam, & de intima philoſophia: quam tamen tota facilitate diſſolvit. Nam quærit cur homines, quos conſtat eſſe prudentiores animalibus, per ſe non ſentiant qualitatem aëris futuram, ſed eam magis ex aliis animalibus colligant. Et hoc dicit, homines prudentiam habere naturalem; & ſuo judicio poſſe vel lætos eſſe, vel triſtes. quæ res in hæc animalia cadere minime poſſunt, quæ nihil ſuum habentia, naturam aëris ſequuntur: & pro ejus qualitate aut læta videntur aut triſtia: nec prædicere aëris naturam videntur; ſed eam vel proſperam, vel adverſam advenientem ſequuntur. Nos vero & læti inter nubila eſſe poſſumus, & in ſerenitate ſoliciti.

AVT RERVM FATO PRVDENTIA MAIOR. Id eſt non eſt illis divinitus conceſſum ingenium, nec prudentia, quæ eſt major rerum fato: Alibi, *Metus omnes, & inexorabile fatum Subiecit pedibus.*

VARIORVM.

SOLIS ET OCCASVM. Plinius: *Veſpertinum Noctuæ ſilentium, ſerenitatis eſt præſagium: contra garrulitas, pluviæ.* Cur autem Noctua ſive Νυκτιμένη ſit lucifuga, vide apud Ovid. 2. Metamorph. TAVBMAN.

TVM LIQVIDAS CORVI PRESSO, &c. Eodem tropo, liquidum citharæ carmen, ab Horatio & Lucretio dicitur, more Græcorum; qui in eum ſenſum ὑγρὸν quoque accipiunt, hoc eſt, διαλυτὸν, εὐκαμπὲς, lentum, flexile; ut unda, ignis, aër, liquidi epitheto ſæpe apud Maronem inſigniuntur. GERMAN.

Mutavere vias; & Iuppiter humidus Austris
Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa, relaxat:
Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille avium concentus in agris;
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.
Si vero Solem ad rapidum, Lunasque sequentes
Ordine respicies; nunquam te crastina fallet
Hora, nec insidiis noctis capiere serenæ.
Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (namque is certissimus author)
Pura, nec obtusis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt:
Votaque servati solvent in littore nautæ

SERVII.

IVPPITER. Aër: ut Horatius, *Manet sub Iove frigido Venator.*

AVIVM CONCENTVS. Commistus cantus, id est symphonia.

LÆTÆ PECVDES. Aëris serenitate gaudentes.

SOLEM AD RAPIDVM. Velocem. Et notandum, hæc signa magis fida & subtiliora esse, quæ ex Sole & Luna colligimus.

LVNASQVE SEQVENTES ORDINE RESPICIES. Non ordinem respicies, sed ORDINE, id est rationabiliter Solem sequentes. Luna enim Solis circulum sequitur, licet ipsa sit inferior. Donatus dicit LVNAS, noctes accipiendas: sed male. non enim signa quæ dicturus est, ex nocte, sed ex luna colligimus.

NVNQVAM TE CRASTINA FALLET HORA. Hyperbole est: ne hora quidem te decipiet.

NEC INSIDIIS NOCTIS CAPIERE, &c. Decipieris. Nam Aphæresis est, & plerunque scimus nos decipi serenitate.

REVERTENTES CVM PRIMVM COLLIGIT IGNES. Cum incipit renasci.

OBSCVRO CORNV. Non clare lucenti.

MAXIMVS AGRICOLIS PELAGOQVE PARABITVR IMBER. Id est si non habuerit pura cornua, & intra eam nigrum aërem videris, erit ubique pluvia: sicut supra, *Omnia plenis Rura natant fossis, atque omnis navita ponto.*

SI VIRGINEVM SVFFVDERIT ORE RVBOREM. Si forinsecus habuerit ruborem. nam de interiori parte, INFVDERIT diceret.

AVREA, id est, pulchra; ut, *At non Venus aurea contra.* PHOEBE. Idest luna. Venit autem ab eo quod est Phœbus. Et sciendum quædam propria nomina fœmininum ex se facere; neutrum autem nullas ut Phœbus, Phœbe: Iulius, Iulia: Tullius, Tullia. non ut appellativum, doctus, docta, doctum.

SIN ORTV QVARTO. Aratus tertiam dicit animadvertendam esse lunam: hic quartam, non illud improbans, sed hoc magis probans. nam ad hoc pertinet, *Namque is certissimus author.*

EXACTVM AD MENSEM. Usque ad mensis ultimam partem. Vnde & exacti menses dicuntur, qui circa partum sunt. Ipse in sequentibus, *Exactis gravidæ cum mensibus errant.*

VARIORVM.

ET OVANTES GVTTVRE CORVI. Crocitationibus crebris lætitiam suam significantes. Ovantes, lætantes, ait Festus, ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites, geminata O littera. Forsitan, dum τὸ Io triumphe toties ingeminant. FESTVS, PONTANVS.

LVNA REVERTENTES CVM PRIMVM C. I. Colligit ignes revertentes Luna, cum renascitur, seu renasci incipit. Ad ejus ergo colorem jubet nos attendere. Et quadrat huc vulgatus versiculus: *Pallida luna pluit; rubicunda flat; alba serenat.* PONTANVS.

VOTAQVE SERVATI SOLVENT. Illustratio ex adjunctis, quod tanta sit futura serenitas, ut nautæ à tempestatibus liberi, marinis Diis sacra faciant. RAMVS.

Digitized by Google

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas,
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres. namque urget ab alto
Arboribuſque, ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diverſi erumpent radii: aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, male tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo cum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni;

S E R V I I.

GLAVCO ET PANOPEÆ ET INOO MELICERTÆ. Glaucus piſcator fuit de Anthedone civitate: qui cum captos piſces ſuper herbam poſuiſſet in littore: & illi recepto ſpiritu rurſus mare petiſſent: ſenſit quarundam herbarum potentiam, quibus converſus eſt in numen marinum. Panopea autem eſt Nympha marina. INOO autem patronymicum eſt à matre Ino. Melicerta proprium numinis. Sane Ino & Melicerta filius, poſtquam ſunt in numina commutati, Græce Palæmon & Leucothoe ſunt appellati: Latine Portunus, & Mater Matuta. His ergo numinibus dicit mox ſacrificaturos nautas in littore eis diebus quibus prædicta ſerenitas affuerit: eo quod ſint in mari ſervati.

SOL QVOQVE ET EXORIENS, ET CVM SE CONDET IN VNDAS. Dicitur enim occidens Sol, ſe in mare tingere.

SIGNA DABIT. pluviarum, vel ſerenitatis. CERTISSIMA SIGNA. De quibus nemini ſit neceſſe dubitare.

ET QVÆ MANE REFERT. Ortu diei. SVRGENTIBVS ASTRIS. Superveniente nocte.

MACVLIS VARIAVERIT ORTVM. Non clara & pura luce reſplendens in ortu ſuo.

CONDITVS IN NVBEM. Id eſt ſi orbis ejus quaſi concavus fuerit. quod ipſe exprimit dicens, MEDIOQVE REFVGERIT ORBE. Auſter.

VRGET, imminet & inſiſtit. SATIS. Segetibus. NOTVS. Ventus. SINISTER. Noxius.

SVB LVCEM. Oriente luce. DENSA INTER NVBILA. Operto Sole nubibus.

DIVERSI ERVMPENT RADII. Abſcondito Sole & operto diverſi radii per nubem erumpent.

TITHONI CROCEVM LINQVENS AVRORA CVBILE. Tithonus frater Laomedontis regis, adamatus eſt ab Aurora. Cumque optaſſet prolixiorem vitam, converſus eſt in cicadam.

MALE DEFENDET PAMPINVS VVAS. Id eſt, non defendet. nam decuſſis pampinis etiam vim grandinis patitur.

EMENSO OLYMPO. Percurſo & perluſtrato cœlo, cum jam deſcendet ad occaſum.

PROFVERIT MEMINISSE MAGIS. Ideo MAGIS, quia à Sole venientia veſpertina ſigna, meliora ſunt.

CÆRVLEVS PLVVIAM DENVNCIAT. Breviter collecta concluſio.

V A R I O R V M.

SOL QVOQVE ET EXORIENS. Nunc ea tempeſtatum prognoſtica perſequitur, quæ à Sole vel Oriente vel Occidente capi poſſunt, de quibus multa Plinius lib. 18. cap. 35. Maronis prognoſtica ex Arateis dilatans. PONTANVS.

NASCENTEM MACVLIS VARIAVERIT. Signum eſt enim, Solem non prævalere nubi, ut diſſolvat eam, aut conſumat; ideoque pluviam ſequi conſentaneum eſt. Maculæ illæ à ſpiſſitudine & denſitate exiſtunt vaporum circa horizontem, qui prohibent, ne Sol clara luce in ortu ſuo reſplendeat. BERSMAN.

TAM MVLTA IN TECTIS CREPITANS. De ſpeculatoribus futuræ grandinis, qui eſſent publice huic rei præpoſiti, dicerenturque χαλαζοφυλάκες, vide ſenecam, Natural. lib. 4. cap. 6. PONTANVS.

Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis
Fervere. non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat convellere funem.
At si, cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit: frustra terrebere nimbis;
Et claro sylvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque, & operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora Ponti,
Obscœnique canes, °importunæque volucres

SERVII.

OMNIA TVM PARITER VENTO. Id est, ubique & pluviæ & venti erunt. FERVERE. Æstuare & impleri. Cuncta hæc erunt in occasu consideranda. ME NOCTE. Gratiorem sensum fecit, interposita suæ personæ commemoratione. nam hoc dicit, nulli se suadere illa nocte navigare.

AT SI CVM REFERETQVE DIEM C. R. oc ad futuræ serenitatis pertinet signum. nam si de ipso die dicas, de quo præmisit, stultissimum est.

CLARO AQVILONE. Serenifico: quia est & nubilus, sicut fere omnes venti. Horatius, *Albus ut obscuro deterget nubila cælo Sæpe Notus, neque parturit imbres perpetuos.*

DENIQVE QVID VESPER SERVS VEHAT. Conclusio est, quæ hoc continet, Signa quæ possumus ex stellis, vel ex ventis colligere; melius ex Sole colligimus. QVID COGITET HVMIDVS AVSTER. Id est in quam partem se flectat; utrum ad serenitatem, an ad pluvias, ut diximus supra.

SOLEM QVIS DICERE FALSVM AVDEAT. Id est fallacem. Sallustius. *Ambitio multos mortales falsos fieri coëgit.* CÆCOS TVMVLTVS. Conjurationes & latentes insidias.

ILLE ETIAM EXTINCTO MISERATVS CÆSARE ROMAM. Bonum epilogi reperit locum: ut in Augusti gratiam defleat Cæsaris mortem. Constat autem occiso Cæsare in senatu, pridie Iduum Martiarum, Solis fuisse defectum, ab hora sexta usque ad noctem. quod quia multis protractum est horis, dicit in sequentibus, *Æternam timuerunt secula noctem*. FERRVGINE TEXIT. Ferrugo, est purpura nigrior, Hispana. Alibi, *Et ferrugine clarus Hibera.*

IMPIA SECVLA. Quibus fuerat Cæsar occisus. ÆTERNAM TIMVERVNT SECVLA NOCTEM. Propter diutinum, & prolixum Solis defectum. id est, timuerunt, ne semper ille defectus maneret.

TEMPORE QVANQVAM ILLO TELLVS. Ac si diceret, quanquam illo tempore non solum Sol defecerit; sed etiam diversæ res, & elementa quasi fleverint Cæsaris mortem, & inaudita portenta fuerint: ut ex reliquorum comparatione, minus mirum videatur Solem defecisse. ÆQVORA PONTI. Non sine caussa addidit PONTI, quia sunt & campi æquora. ut, *Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.*

IMPORTVNÆQVE VOLVCRES. In alienum tempus ruentes: ut stryges, aut bubones nocte gaudentes, per diem possent videri.

VARIORVM.

DENIQVE, QVID VESPER SERVS VEHAT. Satyram quandam suam sic M. Varro inscripsit, *Nescis quid vesper serus vehat.* Gellius lib. 13. cap. 18. Vsurpatur proverbio adversus nimium securos in rebus secundis. PONTANVS.

ILLE ETIAM EXTINCTO MISERATVS, &c. Scaliger constanter negat, ullam Solis eclipsim his versibus designari. Potius intelligitur (inquit) res prodigiosa, quæ circa Solem acciderit toto anno cædis Cæsaris. Plinius enim refert, *illum annum prodigiosum fuisse Solis pallore continuo & quodam quasi ejus defectu perpetuo*; quod non tacuit Tibullus:

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Neque aliter Ovidius, lib. xv. Metamorph.

- - - Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Sed, neque pridie Iduum, quod vult Servius, interfectus est Cæsar; neque pridie Idus, quibus interfectus, conjunctio Luminarium fuit. SCALIGER De Emendat. temp. lib. 5.

OBSCOENIQVE CANES. Mali ominis, ob latratus, luporum more abominabiles. *Obscænitas* ominis propriè. nempe quia obscæna omnia & fœda antiquis visa tristia & infausta: ut contra pura purgataque læta & felicia. Hinc *obscæna dicta*, appellat Accius *δύσφημα*. TAVBMANNVS.

Signa

Digitized by Google

Signa dabant, quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa?
Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit: inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens; & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis; pecudeſque locutæ,
(Infandum) ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt:
Et mæſtum illachrymat templis ebur, æraque ſudant.
Proluit inſano contorquens vortice ſylvas
Fluviorum rex Eridanus, campoſque per omneis
Cum ſtabulis armenta tulit. nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit: & alte
Per noctem reſonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno

SERVII.

VIDIMUS UNDANTEM RUPTIS FORNACIBUS ÆTNAM. Malum enim omen eſt, quoties Ætna, mons Siciliæ, non fumum ſed flammarum egerit globos. & ut dicit Livius, *Tanta flamma ante mortem Cæſaris ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, ſed etiam Rhegina civitas afflaretur.* UNDANTEM autem, Undæ modo flammas evomentem.

LIQUEFACTA SAXA. Igne ſoluta. SONITUM TOTO GERMANIA COELO AUDIIT. Bene GERMANIA, quam vicerat Cæſar, ut eo occiſo, in rebellionem videretur exurgere.

INSOLITIS TREMUERUNT MOTIBUS ALPES. Aut novis, id eſt nunquam antea in Alpibus factis. aut magnis & majoribus ſolito.

SUB OBSCURUM NOCTIS. Circa noctis obſcurum. PECUDESQUE LOCUTÆ, INFANDUM. Aut infanda verba protulerunt; aut hoc ipſum infandum fuit, quod ſunt contra naturam locutæ.

ILLACHRYMAT TEMPLIS EBUR. Scilicet ſimulachrorum. ÆRAQUE SUDANT. Signa ſunt laboris futuri.

INSANO. Magno. ut, *Quid tantum inſano juvat indulgere labori?* Et ſciendum flumina, cum ſupra modum creſcunt; non tantum ad præſens inferre damnum, ſed etiam alia futura ſignificare.

FLUVIORUM REX ERIDANUS. Padum dicit. FLUVIORUM autem REX, per Italiam. aut certe per totum orbem, ſecundum quod dicit Lucanus, qui ait cum de iſto flumine loqueretur, *Non minor hic Nilo, ſi non per plana jacentis Ægypti Libycas Nilus ſtagnaret harenas. Non minor hic Iſtro, niſi quod, dum permeat orbem, Iſter caſuros in quælibet æquora fontes Accipit, & Scythicas exit non ſolus in undas.* Dicit ergo tantum tunc excreviſſe Eridanum, ut etiam ſylvas moveret, & erueret arbores.

TRISTIBUS EXTIS. Viſceribus pecorum triſtia portendentibus. FIBRÆ MINACES. Fibras dicit venas aliquas, quæ ſi forte apparerent in viſceribus, malum omen erat, quæ nunc apparuere.

AUT PUTEIS MANARE CRUOR. Nec ceſſaverunt eodem tempore, aut fibræ minaces apparere, aut puteis manare cruor. ALTÆ URBES. Magnæ.

NON ALIAS COELO CECIDERUNT PLURA SERENO. Omen eſt in eo, & quia ſereno cœlo miſſa ſunt fulgura, & quod plura miſſa ſunt.

VARIORUM.

PECUDESQUE LOCUTÆ, INFANDUM. De locutione pecudum vide Valerium lib. 1. cap. 6. de prodigiis. Auguſtinum lib. 3. de Civitate Dei. Plinium lib. 8. cap. 45. Eſt frequens in prodigiis priſcorum, bovem locutum. Quo nuntiato, Senatum ſub divo haberi ſolitum. PONTANUS.

ILLACHRYMAT TEMPLIS EBUR. Ita Apollinem Cumanum tempore Achaici belli contra Ariſtonicum, fleviſſe, prodidit Auguſtin. lib. 3. de Civitat. Dei, cap. 11. BERSMAN.

FLUVIORUM REX ERIDANUS. Ubi ſit Eridanus multi errant, ipſum eſſe Rhodanum putant propter multitudinem. Theſias, hunc in Media eſſe? Chærilus, in Germania, in quo flumine Edion extinctus eſt. Ion, in Achaja. Sed Virgilium credibile eſt Padum ſignificaſſe: cujus inundatio ſemper prodigioſa eſt exiſtimata. quem *fluviorum regem* dixit, ſive quod multa in ſe flumina currentia ex Alpibus recipit; ſive, quia ipſius ſimulacrum in cælum ſit receptum inter aſtra. GLOSS. MSS. LUGD.

Digitized by Google

Fulgura: nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum vidêre Philippi:
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam, & latos Æmi pinguescere campos.
Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra rubigine pila:
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
Dii patrii Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia servas:
Hunc saltem everso juvenem succurrere seclo
Ne prohibete. satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus periuria Troiæ.
Iampridem nobis cæli te regia, Cæsar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas versum, atque nefas: tot bella per orbem,
Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro

SERVII.

DIRI COMETÆ. Criniti, & pessimi: quia sunt & boni. ut diximus in Aeneide, facti ex Iove, vel Venere. quam rem plenissime Avienus exequitur.

PARIBVS CONCVRRERE TELIS. Quia in civili bello Romani contra Romanos, eisdem & similibus telis armisque pugnaverunt. Lucanus, *Pares aquilas, & pila minantia pilis.*

ITERVM VIDERE PHILIPPI. Civitas est Thessaliæ: in qua primo Cæsar & Pompejus; postea Augustus & Brutus cum Cassio dimicaverunt.

NEC FVIT INDIGNVM SVPERIS. Quasi exclamatio est ad deos.

EMATHIAM ET LATOS AEMI PINGVESCERE CAMPOS. Emathia Thessalia est, dicta ab Emathio rege. Æmus autem mons est Thessaliæ. PINGVESCERE vero aut fœcundos fieri ex humano cruore. aut PINGVESCERE dixit poëtice: quasi humana copora terra devorans, pinguis effici potuerit; sicut ex carnium comixtione frequenter humana caro pinguescit.

INCVRVO. Vna pars orationis est. SCABRA RVBIGINE. Aspera. unde & scabies dicitur à corporis asperitate.

GALEAS INANES. Concavas: ut, *Galeam ante pedes projecit inanem.* GRANDIA OSSA. Aut multa, aut ingentia: quasi antiquorum heroum.

DII PATRII INDIGETES, ET ROMVLE, VESTAQVE MATER. Patrii dii sunt qui præsunt singulis civitatibus: ut Minerva Athenis: Iuno Carthagini. INDIGETES autem, proprie sunt dii ex hominibus facti; quasi in diis agentes. Abusive autem omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes. Romulum autem ideo invocat, quia ipse jam inter deos colebatur. Et recte eum ad Augusti salutem invocat, quasi ex eo descendentis, & qui illius sit urbis imperator, quam Romulus condiderat.

VESTAQVE MATER, QVÆ THVSCVM TIBERIM, ET ROMANA PALATIA SERVAS. Poëtice. Nam verum nomen ejus numinis quod urbi Romæ præesset, sciri sacrorum lege prohibetur. quod ausus quidam tribunus plebis enunciare, in crucem levatus est.

LAOMEDONTEÆ LVIMVS PERIVRIA TROIÆ. Excusat Augusti tempora, & eum dicit suis viribus non compensare damna reipub. quæ ex majorum vitiis descendisse confirmat. Horatius, *Neglegis immeritis nociturum postmodo natis, Te fraudem committere.* ATQVE HOMINVM QVERITVR. Cum cælestes possis mereri.

VBI FAS VERSVM, ATQVE NEFAS. Apud homines scilicet, qui spernunt licita, appetentes illicita.

VARIORVM.

DII PATRII INDIGETES. Lamentationi precationem seu votum admiscet, pro salute & incolumitate Augusti Imperatoris, tum temporis & ætate florentis & imperio. Invocat autem Deos Romæ tutelares, ut ipsum pravis sæculi sui moribus medicinam adhibentem, & rempub. collapsam instaurantem, jubeant esse longævum. BERSMAN.

Dignum

Digitized by Google

Dignus honos: squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: sævit toto Mars impius orbe.
Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

SERVII.

SQUALENT ABDUCTIS ARVA COLONIS. Ad bella scilicet. ut, *Et latos vastant cultoribus agros.*

HINC MOVET EUPHRATES, ILLINC GERMANIA BELLUM. Undique bellum movetur. EUPHRATES. namque Orientis est fluvius: Germania autem Occidentis provincia.

VICINÆ RUPTIS INTER SE LEGIBUS, &c. Et externa & civilia bella desæviunt.

UT CUM CARCERIBUS. Hoc vult dicere, Res quidem publica habet optimum imperatorem: sed tanta sunt vitia temporum præteritorum, quæ in dies singulos aucta sunt; quemadmodum in processu equorum cursus augetur; ut ea, licet optimus rector, refrænare non possis: sicut & auriga à ferventi cursu equos plerunque non potest revocare.

ADDUNT SE IN SPATIA. Id est currendo plus eorum cursus augetur.

NEQUE AUDIT CURRUS HABENAS. Currus. Id est equi. Sane sciendum translationem hanc esse, non comparationem: quæ si ponatur in fine, vitiosum est.

VARIORUM.

HINC MOVET EUPHRATES ILLINC. Undique moveri bellum ait, ab ortu & occasu Solis. *Euphratis* autem mentione innuit Parthicum bellum, quod Antonius imperfectum reliquerat. Et Parthi quidem æmulatione imperii, Germani vero immanitate Romanis erant terribiles. TAUBMAN.

UT CUM CARCERIBUS SESE EFFUDERE QUADRIGÆ. Horat Satyr. 1. lib. 1. *Ut cum carceribus missos rapit ungula currus.* Carceres dicti, ubi coërcentur equi, ne inde exeant antequam à magistratu signum aurigantium factionibus missum, ad similitudinem carceris, ubi coërcentur & custodiuntur noxii. PONTANUS.

NEQUE AUDIT CURRUS HABENAS. Notandum quod poëta librum in comparatione finierit, antitheton tertia, ubi in utraque voce sit commutatio. Sic enim rectum sit. *Fertur curru auriga, neque audiunt equi habenas.* PHILARGYR. Servius autem, nescio quam Rhetoricam & Logicam nobis ostendit: *Sane sciendum*, inquit, *translationem hanc esse, non comparationem, quæ si ponatur in fine, vitiosum est.* Fallitur in utroque Servius. comparatio enim est, non translatio: nec quia in fine est, ideo vitiosa est. Interdum enim res sequitur, simile præcedit: ut quinta Ecloga, ut *Cereri Bacchoque tibi sic vota quotannis Agricolæ facient.* Aliquando contra, ut bis in hoc libro: *Non aliter quam qui adverso, &c.* Item, *Ceu pressæ cum jam portum tetigere.* Qua de re poterat Quintilianus Servium monere, qui lib. 8. cap. 3. hunc Virgilii locum satis aperte explicat. RAMUS.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER SECVNDVS.

Hactenus arvorum cultus, & sydera cœli:
Nunc te Bacche canam; nec non sylvestria tecum
Virgulta, & prolem tarda crescentis olivæ.
Huc pater ô Lenæe (tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager: spumat plenis vindemia labris)
Huc pater ô Lenæe veni: nudatàque musto

SERVII.

HACTENVS ARVORVM CVLTVS, ET SYDERA COELI: NVNC TE BACCHE CANAM. Mire iteravit illum versum, *Quid faciat lætas segetes, quo sydere terram.* In hoc autem libro exequitur culturam agri consiti, qui omnium arborum continet genera. Et sciendum est Virgilium, vites quoque arbores dicere. ut, *Nec secius omnis in unguem arboribus positis secto via limite quadret.* & HACTENVS, ut multi volunt, una pars orationis est, & est adverbium significans hucusque. Alii duas partes volunt, pronomen & adverbium: ut sit tenus hac: sicut, Et *crurum tenus à mento palearia pendent.* sed melius est unam partem accipere orationis, HACTENVS. SYDERA COELI. Pleonasmos. nec enim alibi, quam in cœlo sunt sydera.

BACCHE. Inventorem pro vitibus posuit, de quibus κατ' ἐξοχὴν in hoc libro loquitur; nam vites præcipuæ sunt, licet & aliarum arborum faciat commemorationem. NEC NON SYLVESTRIA TECVM VIRGVLTA. Id est infœcundas arbores, quibus præcipue in Italia vites cohærent.

TARDÆ CRESCENTIS OLIVÆ. Res enim diu duratura tardius crescit.

HVC PATER O LENÆE. Pater, licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohæret: nam Liber pater vocatur. LENÆVS autem ἀπὸ τοῦ ληνοῦ id est à lacu. nam quod Donatus dicit ab eo, quod mentem leniat, non procedit: nec enim potest Græcum nomen, Latinam etymologiam recipere. TVIS HIC OMNIA PLENA MVNERIBVS. Tuis muneribus hic sunt omnia plena: & ea ubique requiruntur.

PAMPINEO AVTVMNO. Cujus tempore vites foliis & fructibus plenæ sunt: & sub quo maturæ fiunt. ET PAMPINEO, pro pampinoso dixit; ut nemus frondeum, pro frondosum. TIBI FLORET AGER. In honorem tuum exultat & lætus est. Nam autumnali tempore revera florere non potest ager.

VINDEMIA. Cum vindemiam numero singulari dicimus, unius anni significamus: cum plurali, multorum: ut messem, messes: hyemem hyemes. hæc enim semel tantum annis quibusque contingunt. Multi tamen volunt VINDEMIAM esse totius orbis generaliter, VINDEMIAS singularum partium: ut plus significet singularis, quam pluralis numerus. sicut plus est cum dicimus, per terram pluit, quam per terras. tunc enim omne elementum per singularem numerum, non terras aliquas significamus.

MVSTO. MVSTVM numero tantum singulari dicimus, sicut & vinum: licet Ovidius abusive dixerit MVSTA. Sed hoc ille plus fecit, quod & MVSTIS dixit: cum (ut diximus) de his nominibus tres casus tantum usurpari consueverint.

VARIORVM.

NVNC TE BACCHE CANAM. Bacchi appellatione vites significat, & tria proponit explicanda: de vitibus; de arboribus sylvestribus, iis nimirum, quæ vitibus sunt usui, subministrando iis pedamenta, aut vincula, aut similem aliquam rei rusticæ operam præstando: denique de excolendis oleis. PONT.

HVC PATER Ô LENÆE. Pater nomen plerunque divinitatis est, ut hic; & Æneid. viij. *Tuque ô Tybri, tuo genitor cum flumine sancto.* Nam de deo Tyberino hoc dicit. Et 3 Æneid. *Da pater augurium,* eodem sensu accipio: tametsi Macrobius exquisitius quiddam, reconditumque magis affert. Et est dignitatis nomen, ut eodem libro,

Cum pater in ripa, gelidique sub ætheris axe
Æneas tristi turbatus pectore bello. Et,
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta.

Sic & mater divinitatis est, ut Luna mater, mater Matuta: & dignitatis, ut, *castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.* TVRNEB. l.13.c.8.

Tin-

Digitized by Google

Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Namque, aliæ nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt, campoſque, & flumina late
Curva tenent; ut molle ſiler, lentæque geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Iovi quæ maxima frondet
Æſculus; atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylva:
Vt cerasis, ulmiſque: etiam Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.
Hos natura modos primum dedit: his genus omne
Sylvarum, fruticumque viret, nemorumque ſacrorum.
Sunt alii, quos ipſe via ſibi repperit uſus.
Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum

SERVII.

PRINCIPIO ARBORIBVS. Creandarum arborum naturaliter ſunt tria genera. Aut enim ſua ſponte naſcuntur: aut ex ſeminibus fortuito jacentibus ſurgunt: aut ex radicibus pullulant. nam cætera uſus invenit, favente natura.

SPONTE SVA. SPONTE, modo nomen eſt: quia junctum eſt ei genus; quo caret ſemper adverbium. VENIVNT. Creſcunt: ut alibi, *Illic veniunt felicius uvæ.* CAMPOSQVE ET FLVMINA LATE CVRVA TENENT. Per tranſitum oſtendit in quibus locis arbores ſponte naſcantur, ſcilicet in humidis. Nam terra mater eſt rerum omnium, & ſeminum cunctorum creatrix.

VT MOLLE SILER. Arboris genus eſt. SILER. Et notandum genus neutrum de arbore: quod eſt admodum rarum.

GLAVCA CANENTIA FRONDE SALICTA. Locum ſalicum, pro ipſis arboribus poſuit. bene autem ait *&* GLAVCA, *&* CANENTIA: nam ſalix ab una parte alba eſt, ab altera viridis. Sane Cacephaton eſt, GLAVCA CANENTIA:

PARS AVTEM POSITO &c. Quacunque ratione projecto, vel ab avibus, vel ab hominibus: ne incipiat eſſe induſtriæ. Dicit quippe pleraſque arbores ex ſemine naſci, non ſtudio hominum jacto, ſed quocunque modo & eventu. PARS SVRGVNT. Pro ſurgit.

NEMORVMQVE IOVI, QVÆ MAXIMA, &c. Ordo eſt, Nemorumque maxima æſculus, quæ Iovi frondet; id eſt, quæ creſcit in Dodonæo nemore, quod erat Iovi conſecratum.

ATQVE HABITÆ GRAIIS ORACVLA QVERCVS. Nam in Dodonæo nemore arbores, dantes reſponſa, fuiſſe dicuntur. HABITÆ autem GRAIIS: vel quaſi non credens dixit, vel quaſi Italus, qui loca illa neſciret. vel revera quondam HABITÆ, quia illo jam tempore ſilebant.

PVLLVLAT AB RADICE. Mira in ſingulis proprietas. nam ait, *Sponte ſua veniunt*, *ſurgunt de ſemine*; pullulant ab radicibus.

VT CERASIS, VLMISQVE. Hæc ceraſus, his ceraſis facit. Sane Ceraſus civitas eſt Ponti, quam cum deleſſet Lucullus, genus hoc pomi inde advexit, & à civitate Ceraſum appellavit. Nam arbor ceraſus: pomum ceraſum dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, ſed durum; & cornum appellabatur: quod poſtea mixto nomine, cornoceraſum dictum eſt. PARNASSIA LAVRVS. A Parnaſſo monte Apollini conſecrato.

HOS NATVRA MODOS PRIMVM DEDIT. Bene primum. Nam ut etiam ſupra diximus, favor naturæ fuit etiam ad alios inveniendos. contra naturam enim nihil hominum inventum valeret.

VIA SIBI REPPERIT VSVS. Ratione: ut, *Inveni, germana viam.*

HIC PLANTAS TENERO. Inter plantas & plantaria, hoc intereſt; quod plantæ raptæ ſunt de arboribus: Plantaria vero, quæ ex ſeminibus nata, cum radicibus & terra propria transferuntur: ut, *Et viva ſua plantaria terra.*

VARIORVM.

DIREPTIS CRVRA COTHVRNIS. Nam cothurnatus erat Bacchus. Et apud Tacitum lib. 11. *In celebrando vindemiæ ſimulachro, Silius Bacchum referens, edera vinctus erat, & cothurnos gerebat.* Cothurnis enim tragœdi calciabantur, qui in theatro dicturi erant, & alta intonantique voce cantaturi. Eſt ergo calciamentum in modum crepidarum, quo heroës utebantur: ſed tale, ut in dextro & lævo conveniat pede. Inde adagium in hominem inconſtantem & fidei lubricæ, *cothurno verſatilior.* ISIDORVS lib. 19. cap. 34.

Digitized by Google

Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, & acuto robore vallos.
Sylvarumque aliæ pressos propaginis arcus
Expectant, & viva sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin &, caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius; mutatumque insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite, ô proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo:
Neu segnes jaceant terræ, juvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, ô famæ merito pars maxima nostræ,

S E R V I I.

SVLCIS. Fossis: ut, *Ausim vel tenui vitem committere sulco.* HIC STIRPES OBRVIT ARVO. Altius deponit validiores cum radicibus plantas.

QVADRIFIDASQVE SVDES. Ita robustas, ut possint in quatuor partes dividi. ET ACVTO ROBORE. Pro acuti roboris accipimus. Et bis idem est dictum. nam & valli, & sudes idem sunt.

SYLVARVMQVE ALIÆ PRESSOS PROPAGINIS. Propago præcipue vitibus congruit. unde apparet SYLVAS, eum etiam de vitibus dicere.

ET VIVA SVA PLANTARIA TERRA. Et aliæ sylvarum expectant plantaria cum sua terra viva, id est naturali. ut, *Vivoque sedilia saxo*, id est naturali. Inde est, *Mutata ignorent subito ne semina matrem.*

QVIN ET CAVDICIBVS SECTIS. Caudicibus posuit pro codicibus: sicut caulem, pro colem sauricem, pro sorice dicimus. Fit autem, quod nunc dicit de oliva & myrto: quarum sicci stipites secantur usque ad medullam; & terræ infossi ex se arbores creant: quod sine dubio mirum est.

TRVDITVR. Urgente natura procreatur. E SICCO LIGNO. Ex arido. RADIX OLEAGINA. Derivatum ab olea.

IMPVNE VIDEMVS. Sine damno sui. Et loquitur de insitione. Sane insitas arbores dicimus: insertas vero caussas, aut fabulas.

LAPIDOSA CORNA. Dura. Alibi, *Lapidosaque corna Dant rami.*

PROPRIOS GENERATIM. Generatim, per singula genera. Generaliter autem est simul omnia. [illegible]

SEGNES TERRÆ. Pigræ, infœcundæ. & docet posse industria etiam loca asperrima, ad fertilitatem perduci. ISMARA. Montes Thraciæ.

OLEA MAGNVM VESTIRE TABVRNVM. Per hos montes, significat etiam montuosa & aspera loca tendenda esse. TABVRNVS autem mons Campaniæ. VESTIRE vero, implere significat.

TVQVE ADES MECOENAS. Adesto, & inceptum favorem omnibus libris impendito. nam ubique eum invocat.

O DECVS, O FAMÆ MERITO PARS MAXIMA NOSTRÆ. Horatius, *O & præsidium & dulce decus meum.*

V A R I O R V M.

QVIN ET CAVDICIBVS SECTIS. Caudex etiam codex veteribus. Quid proprie sit caudex, quid truncus, & omnino de partibus arboris, consulas licet Prædium-rust. CAROLI STEPHANI. Quintus hic modus est procreandarum arborum, qui est [illegible], ut Theophrastus loquitur: vel ut Plinius, *confecto arboris trunco.* Genera autem hujusmodi insitionum tria recenset Columella lib. 5. cap. 11. Vide & Varronem lib. 1. cap 40. Item Plin. lib. 17. cap. 14.

TRVDITVR E SICCO RADIX OLEAGINA. Id est olea. Hic innuit, vallum, sive palum oleagineum, βλαστικὸν εἶναι καὶ ἄῤῥιζον, hoc est, vim habere germinandi, etiamsi radicibus expers sit: sicut *ficulneum & vinaceum.* WILLICHIVS.

QVARE AGITE. Absoluta Naturæ & Curæ sive artis partitione, hortatur agricolas, ut generatim, id est, in singulis arborum generibus, propriam & cuique speciei congruentem culturam servent, & loca sterilia vinetis & olivetis frequentent. TAVBMANNVS.

Me-

Mecœnas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto:
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox. ades, & primi lege littoris oram.
In manibus terræ: non hic te carmine ficto,
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.
Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, ſed læta & fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt: tamen hæc quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſylveſtrem animum, cultuque frequenti
In quaſcunque voces artes, haud tarda ſequentur.
Nec non & ſterilis quæ ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Creſcentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.

SERVII.

PELAGOQVE VOLANS DA VELA PATENTI. Simplici generi carminis præſta favorem: ut VELA, favorem accipiamus. PATENS PELAGVS, carminis facilitatem. Hoc autem carmen facile eſſe, ipſe ſignificat dicens, & IN MANIBVS TERRÆ: hoc eſt in facili & in promptu res poſita eſt.

NON EGO CVNCTA MEIS AMPLECTI VERSIBVS OPTO. Id eſt, Non ſum univerſa dicturus: nec enim poſſum. quare & ſuam verecunde extenuat poſſibilitatem; & Mecœnatis auribus, ex ſui carminis brevitate blanditur. Alii aliter accipiunt. Conſtat Mecœnatem fuiſſe literarum peritum, & plura compoſuiſſe carmina. nam etiam Auguſti Cæſaris geſta deſcripſit, quod teſtatur Horatius dicens, *Tuque pedeſtribus Dicis hiſtoriis prælia Cæſaris Mecœnas melius, ductaque per vias Regum colla minacium.* ut hoc nunc dicat, INCEPTVM VNA DECVRRE LABOREM. ideſt, adeſto, & ſimul ſcribamus. licet enim quæ tu ſcribis, conſtet eſſe ingentia: meum autem carmen & breve ſit, & totum id explicare non poſſim; debes tamen favere minoribus: ut, PELAGOQVE VOLANS DA VELA PATENTI, ſit ingentia ſcribe. ET PRIMI LEGE LITTORIS ORAM. Fave minora ſcribenti. NON EGO CVNCTA MEIS. Lucretii verſus. ſed ille *ænea vox* ait, non *ferrea*.

PRIMI LEGE LITTORIS ORAM. LEGE, nauticus ſermo eſt, qui nunc & ad navigandum, & ad lectionem poteſt referri. Nam hoc dicit, faveto principio, vel humilitati carminis mei.

IN MANIBVS TERRÆ. Id eſt in facili & in promptu eſt terrarum deſcriptio. quod πρόχειρον Græci dicunt. NON HIC TE CARMINE FICTO, ATQVE PER AMBAGES ET LONGA EXORSA TENEBO. Id eſt ſimpliciter univerſa deſcribam: neque ut in Æneide, aliquibus figmentis, aut ullis utar ambagibus.

LONGA autem EXORSA, dicit prooemia longe repetita: quæ conſtat eſſe vitioſa.

SPONTE SVA, &c. Ad illud quod omiſerat redit, & exequitur qualitatem trium generum, quæ ſupra memoravit: arborum ſcilicet ſponte natarum, procreatarum ex ſemine, & earum quæ de radicibus pullulant.

INFOECVNDA QVIDEM. Fœtu carentia. & per tranſitum rem phyſicam tangit. nam ſemen ſalicis eſum, dicitur infœcunditatem mulieribus gignere. Et ſupra ait, *glauca canentia fronde ſalicta*. LÆTA ET FORTIA. Quaſi hoc in ipſis arboribus genus ſit fœcunditatis.

QVIPPE SOLO NATVRA SVBEST. Quia ut ſupra diximus, naturaliter rerum omnium mater eſt terra, & univerſa intra ſe continet ſemina. Hinc eſt, *Quippe ſolo natura ſubeſt.* Nam natura dicta eſt ab eo quod naſci aliquid faciat. Mire autem ait SVBEST. Ideſt, ineſt latenter, quia non apparet. Vnde Epicurei dicunt nihil eſſe, quod non habeat originem ſui. Nam hoc eſt, *Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.*

SCROBIBVS MANDET MVTATA SVBACTIS. Nos *ſcrobes* genere dicimus maſculino; licet Lucanus dixerit contra artem, *Exigua poſuit ſcrobe.*

EXVERINT SYLVESTREM ANIMVM. Naturalem aſperitatem & infœcunditatem.

ARTES. Fœcunditates, ex arte venientes.

HOC FACIET. id eſt erit fœcunda, ſi inde transferetur.

VRVNTQVE FERENTEM. Quæ ferre poteſt: ſi ei umbra non noceat.

Digitized by Google

Iam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant succos oblita priores:
Et turpeis avibus prædam fert uva racemos.
SCILICET *omnibus est labor impendendus, & omnes*
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus.
Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, & casus abies visura marinos.
Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentes,

SERVII.

POMAQVE DEGENERANT. Modo DEGENERANT, in pejus vertuntur. alias in melius. Poma vero arborum ex semine procreatarum dicit: quas constat, nisi translatæ aut insitæ fuerint; non respondere qualitati seminis sui. FERT VVA RACEMOS, Vvam pro vite posuit, id est fructum pro arbore. Sane racemus, bottryonis est pars, & botryo Græcum est, & sic uvam pro vite posuit. sicut Horatius, pro vino: nam sic ait, *Cæcubum & prælo domitam Caleno, Tu bibes uvam.*

COGENDÆ IN SVLCVM. In ordinem componendæ: aut certe arandæ. MVLTA MERCEDE. Multo labore. à sequente, quod præcedit intellige.

SED TRVNCIS OLEÆ MELIVS. Quia supra ait, *Truditur è sicco radix oleagina ligno*: Et jam redit ad eos modos, quos invenit industria. Dicendo autem MELIVS, ostendit etiam alias arbores ex truncis posse creari. Sane olea est arbor ipsa: unde derivatio est oleum. Oliva vero fructus ipse, unde olivum dicitur. Legimus tamen & olivam de arbore, ut, *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.*

SOLIDO PAPHIÆ DE ROBORE MYRTVS. Sicut & olea. PAPHIÆ autem Veneriæ, à Papho insula, in qua Venus colitur. Huic autem myrtus consecrata est; vel quod hæc arbor gaudet litoribus, & Venus de mari dicitur procreata: vel quod, ut Medicorum indicant libri, hæc arbor apta est mulierum necessitatibus plurimis.

PLANTIS ET DVRÆ CORYLI NASCVNTVR. Duras dixit, non ad lignum, sed ad fructum ipsarum referens. alii EDVRÆ legunt, quasi non duræ, ut paulo post, *Enodes trunci*; id est sine nodis. ut E modo, minuentis, non augentis habeat significationem. Sane coryli proprie dicuntur. nam avellanæ ab Avellano Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ sunt.

HERCVLEÆQVE ARBOS VMBROSA CORONÆ. Ipse alibi, *Herculea bicolor cum populus umbra.*

CHAONIIQVE PATRIS. Iovis Epirotici. ARDVA PALMA. Aut alta, aut ad quam difficile pervenitur. CASVS ABIES VISVRA MARINOS. Est enim abietis species apta navibus, quam Sappinum vulgo vocant.

FOETV NVCIS ARBVTVS HORRIDA. Versus dactylicus. nam male quidam horrens legunt. Horrida autem hispida. Et jam transit ad insitionem, quæ duplex est. Nam aut insitio dicitur, cum fisso trunco surculus fœcundæ arboris, sterili inseritur: aut oculorum impositio; cum inciso cortice libro alligatur alieno, & arboris germen inserimus.

ET STERILES PLATANI MALOS GESSERE VALENTES, &c. Dicit quid in quam arborem debeamus inserere. In arbuto nucem; in platano malum; in fago castaneam; in orno pyrum. Sed castaneæ fagos eget expositione: non enim in castanea fertili, infœcunda fagus inseritur: unde aut hypallage est, ut Castaneæ fagos, sit pro fagi castaneas gessere. aut est mutanda distinctio, ut sit. *Et steriles platani malos gessere valentes Castaneæ.* Hoc est infœcundæ arbores platani, fortesque ramos castaneæ portaverunt.

VARIORVM.

IAM, QVÆ. *Iam* particula hic propterea ponitur, & tempus significat, ut *jam tempus agi res.* PHILARGYRIVS.

SERIS FACTVRA NEPOTIBVS VMBRAM. Virgilius hic poëtice *nepotes* dicit; ut alibi etiam locutus videtur, cum cecinit, *etiam Parnassia laurus, Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* Rursum, *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.* Tum mecum facit perantiquus liber meus, qui verbum illud *nepotibus*, exponit, radicibus: ita ut ex eo versu sensus hic eliciatur: satas semine arbores, non modo ipsas tardas venire; verum etiam ab ea arbore, abs terra pulli qui nascuntur, sero crescere. VRSINVS.

ARDVA PALMA. Quia Hercules, cum ab inferis rediret, hanc primus arborem dicitur contemplatus esse, & se inde coronasse, conveniente colore arboris illi eventui, quo e tenebris in lucem commeavit. PHILARG.

Casta-

Digitized by Google

Caſtaneæ fagos; ornuſque incanuit albo
Flore pyri; glandemque ſues fregere ſub ulmis.
Nec modus, inſerere, atque oculos imponere, ſimplex.
Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cælum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoque, nec Idæis cypariſſis.
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ,
Orchites, & radii, & amara pauſia bacca;
Pomaque, & Alcinoi ſylvæ: nec ſurculus idem

SERVII.

FAGOS; ORNVSQVE INCANVIT ALBO FLORE PYRI. Secundum quam diſtinctionem fagos, licet brevis ſit GOS. Finalitatis tamen ratione producitur. Fagos enim incipit eſſe nominativus caſus Græcus ſingularis, non pluralis; noſter Accuſativus. Alii neutrum probant: & ita accipiunt, *Caſtaneæ flore fagos incanuit: Pyri flore ornus incanuit*; ut ſimiliter fagos nominativus ſit Græcus.

NEC MODVS, INSERERE ATQVE OCVLOS IMPONERE, SIMPLEX. Aut, non eſt ſimplex aut fortuita ratio, ſed ea quæ ingenti labore colligitur. aut hoc dicit, Non eſt idem inſerere, quod & oculos imponere: quarum rerum diſcretionem hoc loco commemorat, ſicut nos diximus ſupra.

TRVDVNT. Propellunt, ejiciunt. TVNICAS. Id eſt arborum interiores libros.

HVC INCLVDVNT. Quia ait ex aliena arbore: & eſt mutatio. ideo non ait hic includunt, ſed Hvc. Sic Cicero, *Includuntur in carcerem condemnati. utique qui illuc fuerant aliunde deducti.* INOLESCERE. Concreſcere, *συμφύεσθαι*.

MIRATVRQVE NOVAS FRONDES ET NON SVA POMA. Ingens phantaſia. & ſane *Mirata eſtque*, legendum eſt, ut ſtet verſus.

PRÆTEREA GENVS HAVD VNVM. Docet nunc etiam in ſingulis arborum ſpeciebus eſſe aliquam varietatem.

LOTOQVE. Lotos Nympha quædam fuit, quam cum amatam Priapus perſequeretur; illa deorum miſeratione in arborem converſa eſt, quæ vulgo faba ſyriaca dicitur.

VNAM IN FACIEM. in eandem ſimilitudinem.

ORCHITES à Græca etymologia, ſed obſcœna, id eſt à teſticulis qui ὄρχεις dicuntur. RADII. Olivæ ita à longinquitate nominatæ. AMARA PAVSIA BACCA. Oliva à paviendo dicta, ideſt tundendo. aliter enim ex ſe oleum non facit. AMARA autem BACCA viridi, ut alibi, *Floribus atque apio crines ornatus amaro.* ideſt viridi. nam de pauſia viride oleum fit. unde contra dulce dicitur, non viride.

POMAQVE. Subaudi à ſuperioribus, non unam naſcuntur in faciem. ALCINOI SYLVÆ. id eſt pomiferæ arbores. nam Alcinous rex Phæacum fuit, diligens cultor hortorum. unde per ejus ſylvas, arbores pomiferas intelligimus: de quo Homerus ait, quod haberet καὶ ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ, αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

VARIORVM.

NEC MODVS INSERERE ATQVE OCVLOS. Ratio inſerendi duplex. Aut enim inciſſo trunco ſurculus fœcundæ arboris ſterili inſeritur; quæ *Inſitio* dicitur, ἐγκεντρισμὸς Græcis: aut inciſo cortice, alienæ arboris gemmen libro inſeritur, quæ *oculorum* dicitur *impoſitio*, Græcis ἐνοφθαλμισμὸς, id eſt *inoculatio*. De his omnibus videatur Plin. l. 17. 16. & 14. Columella lib. 5. 11. Palladius lib. 3. 17. TAVBMAN.

AVT RVRSVM. *Rurſum* non habet hic ſignificationem iterandi, ſed abundat. PHILARGYR.

PLANTÆ. *Plantas* abutitur pro ſurculis. PHILARGYR.

LOTOQVE. Lotos arbor Africæ: unde & Panis & Vinum: & nomen etiam genti, ut *Lotophagi* appellentur. Eſt & herba hoc nomine in Ægypto, cujus grano itidem panis conficitur. Vid. Plin. lib. 13. c. 17. &c. Sed & Adagium, *Lotum guſtavit.* TAVBM.

Crustumiis, Syriisque pyris, gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam,
Purpureæ, Preciæque: & quo te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Amminea vites firmissima vina:

S E R V I I.

CRVSTVMIIS. Crustumia pyra sunt ex parte rubentia, ab oppido Crustumio nominata. SYRIISQVE PYRIS, GRAVIBVSQVE VOLEMIS. Id est magnis. Nam & volema ab eo quod volam impleant dicta sunt. Vnde & involare dicimus.

NON EADEM ARBORIBVS PENDET VINDEMIA NOSTRIS. Id est vites quoque diversæ sunt. NOSTRIS autem, Italis. Et bene PENDET dixit, Nulla enim vitis in Italia est quæ non pendeat.

QVAM METHYMNÆO CARPIT DE PALMITE LESBOS. *Lesbos* insula est, cujus civitas Methymna habet pretiosissimum vinum.

THASIÆ VITES. A Thaso insula nominatæ. MAREOTIDES ALBÆ. Ægyptiæ: Mareotis enim pars est Ægypti. & dicendo ALBÆ, ostendit etiam esse purpureas, vel alterius coloris.

PINGVIBVS HÆ TERRIS HABILES, LEVIORIBVS ILLÆ. Pinguibus Thasiæ, Levioribus Mareotides. Nam ordinem positum sequimur, cum aperte aliquid non commemoratur.

PASSO PSYTHIA VTILIOR. Bene VTILIOR. ut ostendat etiam de alia uva posse passum fieri; sed melius de Psithia. Passum autem dicitur à patiendo. Nam decoquitur mustum, & inde fit passum. hinc Defrutum dictum est quod defraudatur, & quasi fraudem patitur. TENVISQVE LAGEOS. Lageos est, quæ Latine leporaria dicitur. *Tenuis* autem, penetrabilis. quæ cito descendit ad venas.

TENTATVRA PEDES. Terentius, *Neque pes neque mens suum satis officium facit.* OLIM autem adverbium est cujuslibet temporis.

PVRPVREÆ. Purpurei coloris. PRECIÆQVE. Hæ cito maturescunt. unde & preciæ dictæ sunt, quasi præcoquæ: quod ante alias coquantur. QVO TE CARMINE DICAM RHETICA? Hanc uvam Cato præcipue laudat in libris, quos scripsit ad filium: contra Catullus eam vituperat, & dicit nulli rei aptam esse, miraturque cur eam laudaverit Cato. Sciens ergo utrumque Virgilius, medium tenuit; dicens. *Quo te carmine dicam Rhetica.*

NEC CELLIS IDEO CONTENDE FALERNIS: Licet sis à Catone laudata, tamen vino te Campano præferre non debes. CELLIS autem Apothecis dicit. nam cellas vinarias dicimus. Et FALERNVS mons est Campaniæ, in quo optima vina nascuntur.

SVNT ETIAM AMMINEÆ VITES FIRMISSIMA VINA. Amineum vinum dictum est, quasi sine minio, id est rubore, nam album est. Sane AMINEVM dici versus probat, qui stare non potest, si, *Aminneum* dixerimus.

V A R I O R V M.

CRVSTVMIIS. Pro Crustuminis. PHILARGYRIVS.

QVAM METHYMNÆO CARPIT DE PALMITE LESBOS. Lesbos est insula Asiæ, in sinu Ægæo, conspicua Troadi & Thraciæ; à Lesbe, filio Macharis, appellata: in qua est oppidum, quod appellatur Methymna, ex quo fuit Arion citharœdus. PROBVS.

SVNT ET MAREOTIDES ALBÆ. Mareotin constat lacum esse in Ægypto, item partem illam Libyæ, quę inter Cyrenaicam regionem & Ægyptum à Ptolomæo Marmarica appellatur. Est etiam Mareotis, pars Epiri, in qua vinum optimum nascitur, unde *Mareotides uvæ dictæ.* Plinius Lybiæ partem, quæ est Ægypto contermina, *Mareotidem* appellat, à Mareotarum gente, quæ ibidem habitat, appellatam. Sunt tamen, qui *vites Mareoticas*, non Ægyptias, sed Græcas, interpretentur, Columella lib. 3. cap. 2. GERMANVS.

ET QVO TE CARMINE DICAM RHETICA? Vt docte observavit Turnebus, Senecæ visus est Poëta incertus laudandi & vituperandi. At Plinius secundum post Phalernum vinum, dedisse locum Rhetico videtur. Rheti autem populi in Italiam usque supra Veronam & Comum extenduntur. Vina autem Rhetica grata fuisse Augusto, scribit Tranquillus. GERMANVS.

SVNT ETIAM AMMINEÆ VITES. Varie hic versus legitur. Nam quidam sunt, qui legunt SVNT ET AMINEÆ. Ego utrumque defendi posse video: hoc auctoritate Sereni, qui cap. 29. sic scripsit, *Succus Amineæ vitis cum pane medetur.* Illud Ausonii Epist. 5. sic scribentis, *Solus qui Chium miscet & Ammineum.* TVRNEBVS. lib. XXIX. cap. XXVI.

AMINEOS. Aristoteles in Politicis hoc scribit, Thessalios fuisse, qui suæ regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum. PHILARG.

Tmolus

Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus,
Argitiſque minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te menſis, & diis accepta ſecundis,
Tranſierim Rhodia, & tumidis Bumaſte racemis.
Sed neque quam multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus: neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Ionii veniant ad littora fluctus.
Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur; ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lætiſſima. denique apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem, & frigora taxi.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos:

SERVII.

TMOLUS ET ASSURGIT QUIBUS ET REX IPSE PHANÆUS. Aſſurgit, Duplex eſt hoc loco expoſitio. nam alii volunt ſine vitio in ſubauditione eſſe poſita, quæ aperte dicere non poſſumus; ut ſit, *quibus vinis aſſurgit*, id eſt cedit Tmolus & Phanæus. Quod ſi aperte dicatur, eſt utrunque vitioſum, tamen VINIS de Græco traxit: nam [illegible] dicunt. Pleraque autem ſubaudiri, quæ aperte non poſſumus dicere, & ipſe alibi docet dicens; *Nec dextræ erranti deus abfuit.* Et Salluſtius qui ait, *Quis à Sertorio triplices inſidiæ, per idoneos ſaltus poſitæ erant.* Prima autem & ſubaudiendum reliquit inſidia: quod penitus dicere non poſſumus. Alii ad ſuperiora referunt, ut QUIBUS, non ad vina referamus, ſed ad vires: ut ſit, quibus viribus cedit Tmolus & Phanæus, montes viribus conſiti. Et eſt figura: qualis illa in Æneide, *Me puer Aſcanius capitiſque injuria chari: Quem regno Heſperiæ fraudo*: ſcilicet Aſcanium, non, quem caput. Tmolus mons eſt Ciliciæ: Phanæus mons eſt in promontorio Chii: dictus à Phanæo rege. Ut autem ASSURGIT, cedit ſit, tractum eſt à ſedentibus, qui in honorem alicujus, aſſurgere conſueverunt. REX IPSE PHANÆUS. De Lucillio hoc tractum eſt, qui ait, Chios te dynaſta, id eſt [illegible].

ARGITISQUE MINOR. Quantum ad ſolam pertinet ſpeciem.

MENSIS ET DIIS ACCEPTA SECUNDIS. Grata ſacrificiis & menſis ſecundis. pomorum ſcilicet.

BUMASTE. Uva in mammæ bovis ſimilitudinem.

SED NEQUE QUAM MULTÆ SPECIES &c. Scit apud diverſos lecta eſſe innumerabilia vitium genera; quibus offenſus ait, Colligere tanta vitium genera, nec utile eſt, nec poſſibile. Qui enim conatur univerſa cognoſcere, debet etiam impoſſibilia ſcire, ut eſt arenarum vel fluctuum numerus.

NEC VERO TERRÆ FERRE OMNES OMNIA POSSUNT. Aut generale eſt, ſicut ait in primo, *Et quid quæque ferat regio*: aut ad ſuperiora pertinet, ut ſit ſenſus talis; Non prodeſt noſſe cuncta vitium genera: nec omnia procreantur in omnibus terris.

CRASSIS PALUDIBUS. Lutoſis naturaliter.

LITTORA MYRTETIS LÆTISSIMA. Locum poſuit pro ipſis arboribus; ſicut ſalictum pro ſalicibus. nam myrtetum eſt locus: arbor vero ipſa myrtus vocatur.

DENIQUE APERTOS BACCHUS AMAT COLLES. Hinc eſt quod vites amant montium laxiora.

ASPICE ET EXTREMIS. Intuere etiam extremum orbem cum ſuis cultoribus domitum: nam ſubaudimus CUM. Et per tranſitum majeſtatem Romani laudat imperii.

EOASQUE DOMOS ARABUM. Arabia, Panchaja, Sabæorum gens eſt, apud quam tus naſcitur. ut, *Solis eſt turea virga Sabæis.* Item, *Totaque turiferis Panchaja pinguis arenis.* Plautus *Arabico ture.* PICTOSQUE GELONOS. Stigmata habentes: populi Scythiæ. ut, *Pictique Agathyrſi.*

VARIORUM.

MENSIS. *Menſis*, quæ poſt inferuntur, per quod ſignificat & eſui & potui bona. PHILARG.

DIIS ACCEPTA SECUNDIS. *Diis ſecundis* intelligit, hoc eſt, propitiis. PHILARG.

REFERT. Aut intereſt, aut prodeſt. PHILAR.

LIBYCI. Ipſe, *Litus arenoſum Libyæ*; dixit. PHILARGYRIUS.

Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno,
Balsamaque, & baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ:
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali: quo non præsentius ullum,

SERVII.

DIVISÆ ARBORIBUS PATRIÆ. Regionis, ut, *Italiam quæro patriam*. SOLA INDIA NIGRVM FERT HEBENVM. Atqui & in Ægypto nascitur; sed Indiam, omnem plagam Æthiopiæ accipimus. Sane & hæc hebenus, & hoc hebenum dicitur: hic neutro usus est, Lucanus vero ait, *Hebenus Mareotica vastos. Non operit postes*. Hebenus autem arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem.

BALSAMAQVE. *Que* vacat. ut alibi, *Dixitque, & prælia voce diremit*. Sane BALSAMVM est arbor ipsa: Opobalsamum, succus collectus ex arbore: nam ὀπὸς dicitur succus: τὸ ξύλον lignum ipsius arboris. Probatio autem opobalsami, ut dicit Plinius, hæc est, *Si contra solem feratur & corruptum non sit, manum ferentis exurit*. SEMPER FRONDENTIS ACANTHI? Acanthus arbor est in Ægypto semper frondens, ut oliva, laurus. Acanthus dicta, quia spinis est plena. Abundat hac etiam Circina insula.

VELLERAQVE VT FOLIIS DEPECTANT TENVIA SERES? Apud Indos, & Seres, sunt quidam in arboribus vermes, & bombyces apellantur; qui in aranearum morem tenuissima fila deducunt. Vnde est sericum: nam lanam arboream non possumus accipere, quia ubique procreatur.

OCEANO PROPIOR GERIT INDIA LVCOS. Hæc enim habet arbores magnas, quæ est juxta Oceanum. hinc est, *Extremi sinus orbis*. DEPECTANT. Decerpant. sed alii DEPECTAT legunt. quod si est: Seres, posuit pro Ser: sicut trabes pro trabs. Sic Lucanus, *Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes*.

NON TARDA. Id est strenuissima. nam Liptotes figura est. MEDIA FERT TRISTES SVCCOS. Di, sine sibilo proferenda est: Græcum enim nomen est, & Media provincia est. TRISTES SVCCOS, Amaros. ut, *Tristesque lupini*. TARDVMQVE SAPOREM FELICIS MALI. Apud Medos nascitur quædam arbor, ferens mala, quæ medica vocatur: quam per periphrasin ostendit, ejus supprimens nomen. hanc plerique citrum volunt; quod negat Apulejus in libris quos de arboribus scripsit: & docet longe aliud genus arboris esse. TARDVM autem SAPOREM dicit, vix intelligibilem, quod illi ad carnem mediam citri referunt. Nam prima & interior facile suum ostendit saporem.

FELICIS MALI. Secundum eos qui dicunt, citrum fœcundum: nam hæc arbor, id est citri, omni pene tempore plena est pomis; quæ in ea partim matura, partim acerba, partim adhuc in flore sunt posita. Aut certe FELICIS, salubris. Nulla enim efficacior res est ad venena pellenda.

VARIORVM.

BACCAS FRONDENTIS ACANTHI. Servius ACANTHON, *pro spina Ægyptia nigra accepit*, & dicit, *hac Cercinam insulam abundare*. Non Ægyptia spina abundat Cercinna, sed Loto arbore. Nam Cercinna prætenta est initio Syrtis majoris, in qua Lotos multa. Quod si & poëta ipse *Acanthum* eo loco pro spinoso Loti genere, vel paliuro Africana sumpsit? Nam inter arbores peregrinas recenset, BACCHAS S. FROND. ACANTHI. Atqui in Acantho sive spina Ægyptia nullæ proprie baccæ, sed siliquæ grandes, quæ *baccæ* appellari non possunt. SALMASIVS.

MOLLI CANENTIA LANA. Pimpontius, liniferas arbores notari putat, quæ byssum ferunt, linum auro contra carum. Sed docet Lipsius, *Byssum* è terra gigni, ut linum: & imperite à multis confundi *Byssina*, *Bombycina & Serica*: Cum *Byssina* vestis fit è lino: *Bombycina* è verme; *Serica* ex arborum lana confecta. TAVBMANNVS.

GERIT. Pro habet, ut alibi, *Virginitus, habitumque gerens*. PHILARG.

AERA. *Aëra arboris*, nunc pro cacumine: aut aërem cum dicit, qui circa cacumen est. PHILAR.

MEDIA FERT TRISTES SVCCOS. Pars Parthorum Media est appellata, à Medo, filio Medeæ & Ægei, ut existimat Varro: qui quatuor libros de Argonautis edidit. Arbor autem, quæ describitur à Virgilio, nascitur quidem & in Italia; sed non est ejusdem effectus, cujus in Media, & appellatur Rododaphne. Cydonium ergo malum, quod Cotoneum Medici accipiunt, videtur ejusdem pene cum hoc Medico, quodcunque sit, esse efficaciæ. namque usurpatum à veteribus ex Plutarcho constare videtur ad halitus commendationem & gratiam conciliandam, hoc indicio, quod juberet Solon, sponsam consuetudinem cum sponso accubitumque auspicari malo Cydonio recens ab ea vorato. PROBVS. GERMAN.

Pocula

Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro:
Et, si non alium late jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis;
Flos apprima tenax: animas, & olentia Medi
Ora fovent illo; & senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaïa pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem

SERVII.

SÆVÆ NOVERCÆ. Aut hæ quæ sævæ sunt: aut epitheton est omnium novercarum.

NON INNOXIA VERBA. Liptotes. id est nocentissima. Et est augmentum, quasi parum putent venena miscere, nisi etiam magicos cantus addiderint.

MEMBRIS AGIT ATRA VENENA. Radices, nuces, lupini, citrum, apium prosunt contra futurum, non contra jam acceptum venenum. Vnde etiam antiquitus ante ullas alias epulas, hæc solebant mensis apponi. apparet ergo non eum de citro loqui in præsenti, cum dicit MEMBRIS AGIT ATRA VENENA. Iam data.

FACIEMQVE SIMILLIMA LAVRO. Figura Ciceronis, qui ait in Cæsarianis, *Sed simillimum deo judico.* Sane etiam hæc probat citrum non esse: nam citri arbor & multum non potest crescere, & multo habet folia majora quam laurus.

ALIVM LATE IACTARET ODOREM. Et infinitum emittit suum odorem, & longe alium quam laurus.

FLOS APPRIMA TENAX. Apprima, id est maxime. Et est nomen pro adverbio. sicut, *Et pede terram Crebra ferit*, pro crebro. ANIMAS. δύσπνοιαν, Id est pulmonis vitiosum anhelitum; quod exprimit subdens, *Senibus medicantur anhelis.* OLENTIA ORA. Putentia, id est δυσωδίαν oris: Notandum sane huic uni tantum arbori incubuisse Virgilium, & expressisse ubi sit, qualis sit, cujus potestatis sit; sicut in quarto de herba amello, quod qui de arboribus aut herbis scripserunt, in omnibus exequuntur.

SED NEQVE MEDORVM SYLVÆ. Iam incipit laus Italiæ, quam exequitur secundum præcepta Rhetorica. Nam dicit eam & habere bona omnia, & carere malis universis.

GANGES. Indiæ fluvius, per quem provincia significatur. HERMVS. Lydiæ fluvius, arenas aureas trahens.

LAVDIBVS ITALIÆ CERTENT. Figurate. nam certo tecum dicimus. BACTRA. Regio juxta Assyrios: unde & populi Bactriani dicuntur.

PANCHAIA. Arabia, ut diximus supra.

NON TAVRI SPIRANTES NARIBVS IGNEM. Quales fuerunt in Colchide civitate Scythiæ. nam hoc habet fabula; Iason Colchos profectus ad tollendum vellus aureum, quod dicaverat Marti Phryxus, fretus Medeæ auxilio: & pervigilem draconem occidit, & ejus dentes sevit, junctis tauris ignem afflantibus; unde nati sunt armati, qui primum fecerunt impetum in Iasonem frustra: postea mutuis vulneribus conciderunt. has autem conditiones OEta rex proposuerat; cui Apollo responderat, tandiu eum fuisse regnaturum, quandiu illud vellus fuisset in templo.

VARIORVM.

FLOS APPRIMA TENAX. De flore Medicæ arboris, non satis diligenter Poëta noster locutus est. Duo namque in ea sunt genera florum, valde inter se discrepantia. Alterum namque illorum sterile & infæcundum est, quod Theophrastus vocat ἄγονον. Neque enim inde unquam pomum existit; cum principio careat: videturque ipsum ornatus tantum gratia à natura in ea stirpe creatum. Alterum vero fæcundum, γόνιμον ab eodem appellatum, contrarium multis partibus illius. Qui sane flos firmus est & stabilis. Quare recte vocatus est TENAX à Poëta: quod epitheton illi alteri nullo modo quadrat. Quare miror Athenæum, Macrobium, cæterosque, qui de hoc sedulo quæsiverunt, ac multa undique testimonia citarunt, ut probarent, quod ostendere volebant, *Malum Medicam esse citrium*, hoc firmo argumento usos non esse. VICTORIVS.

OLENTIA. *Olentia*, & ad animas est referendum, & subaudiendum male olentia. Sic Plautus in Milite glorioso: *Tum in Apulis non sum natus, non sum animata.* PHILARG.

ANHELIS. *Anhelis* autem illis qui anhelant, deficiunt. PHILARG.

PANCHAIA. Regio Arabiæ, ubi & templum Triphyli Iovis. Ipse alibi: *Panchæis adolescunt ignibus aræ.* PHILARG.

TAVRI. *Tauri* autem hi sunt, quos ignem flantes Æetæ imperio Iason junxit, unguento usus, quod ei Medea dederat. PHILARG.

Digitized by Google

Invertêre, satis immanis dentibus hydri:
Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis.
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert:
Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima; sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres absunt, & sæva leonum
Semina: nec miseros fallunt aconita legentes:

SERVII.

SEGES HORRVIT. Non placuit. Seges autem quia de semine.

GRAVIDÆ FRVGES. Largæ, abundantes. MASSICVS HVMOR. Vinum Campanum à Massico monte Campaniæ.

HINC ALBI CLITVMNE GREGES. Vocativus est Clitumne. Clitumnus autem fluvius est in Mevania; quæ pars est Vmbriæ partis Tusciæ, de quo fluvio, ut dicit Plinius in historia naturali, animalia quæ potaverint, albos foetus creant.

MAXIMA TAVRVS VICTIMA. Quia triumphantes de albis tauris sacrificabant.

PERFVSI FLVMINE SACRO. Fluento. Perfusi autem tauri qui ante triumphantes usque ad templa ducebantur. Aut certe PERFVSI GREGES intelligamus: quod ad equos triumphales potest referri.

DVXERE TRIVMPHOS. Si equi, duxerunt: si boves, deduxerunt.

HIC VER ASSIDVVM. Verna temperies: nam ver, assiduum esse non potest. Horatius, *Ver ubi longum tepidasque præbet Iuppiter umbras.*

BIS GRAVIDÆ PECVDES. Verum est, unde enim in Bucolicis, *Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.* BIS POMIS VTILIS ARBOS. Biferæ sunt arbores.

AT RABIDÆ TIGRES ABSVNT. Malum Armeniæ. ET SÆVA LEONVM SEMINA. Malum Libyæ.

SEMINA. Genera. Et est Lucretii sermo: Nam quod ait SÆVA, aut cruenta accipimus, aut re vera sæva semina. Vt enim dicit Plinius, *Animalia hæc quæ sunt cum acutis unguibus, frequenter parere non possunt: vitiantur enim intrinsecus se moventibus pullis.* NEC MISEROS FALLVNT ACONITA LEGENTES. Mira arte usus est, ut excusaret rem quam negare non potuit. Nam aconita nascuntur in Italia: sed non ea obesse dicit, quia sunt omnibus nota. Hæc autem herba dicitur nata esse de spumis Cerberi, quo tempore eum Hercules ab inferis traxit. Quæ quia in saxis & cotibus nascitur, aconitum dicitur, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, id est à cote: & dicimus τὸ ἀκονίζειν, καὶ τὸ ἀκονᾶν.

VARIORVM.

SEGES HORRVIT. Vt factum est in Colchide. & hic est Hydrus, quem Cadmus in Bœotia occidisse fertur; cujus dentes ipse partim ibidem sevit; partim Æetes in Colchide: ex quibus utrique seges armatorum hominum nata est. PHILARG.

HVMOR. Vinum à montibus Falernis, qui *Massici* dicuntur. PHILARG.

CLITVMNE. *Clitumnus* amnis est, Vmbriam à Tuscia dividens. significat autem boves Mevanienses, qui sunt albi. PHILARG.

HINC ALBI CLITVMNE GREGES. Hujus fluminis Deum docuit Turnebus Iovem Clitumnum dici, ex Vibio Sequestr. Clitumnus Vmbriæ, ubi Iupiter eodem nomine est. Et Plin. *Adiacet templum priscum & religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus ornatusque prætexta: præsens numen, atque etiam fatidicum indicat sortes.* GERMAN.

MAXIMA TAVRVS VICTIMA. *Victimæ* de majoribus animalibus dicebantur, hoc est, armentis, etiamsi lactentes essent. *Hostiæ*, de minoribus, etiamsi opimæ [illegible]. Inter victimas, taurus præstabat: inter hostias, ovis: ut docet SCALIGER, contra Festum.

FLVMINE. Clitumnus & deus, & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt. PHILARG.

FALLVNT ACONITA LEGENTES. Solinus tradit ab Acone portu in Ponto, Aconita nominata. Herbam eandem Hecateidem alibi appellat; quod vis ejus primum ab Hecate deprensa sit. Sunt qui hic Aconita usurpasse generaliter Maronem credant, respicientem ad fallaces alias herbas & plantas, & potissimum venenum arboris Sabææ, tam thureæ virgæ similis, ut plerumque legentes fallat, de quo Lucanus, lib. 9.

Non tam veloci corrumpunt pocula letho,
Stipite quæ diro virgas mentita Sabæas,
Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.

GERMAN.

Nec

Nec rapit immenſos orbes per humum; neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem:
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis;
Fluminaque antiquos ſubter labentia muros.
An mare quod ſupra memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu aſſurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Iulia qua ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?

SERVII.

NEQVE TANTO SQVAMEVS. Sunt quidem ſerpentes in Italia, ſed non tales quales in Ægypto, aut in Africa. IN SPIRAM autem, in collectionem volubilitatis: quod eſt à funibus tractum.

ADDE TOT EGREGIAS VRBES. Laudat Italiam à civitatibus, quas & plures habet & maximas, & opportuniſſime collocatas.

FLVMINAQVE ANTIQVOS SVBTER LABENTIA MVROS. Quod laudat etiam Cicero in libris de repub.

AN MARE QVOD SVPRA. Id eſt Adriaticum. QVODQVE ALLVIT INFRA. Id eſt Tyrrhenum.

TE LARI MAXIME. Larius eſt lacus vicinus Alpibus; qui juxta Catonem in Originibus, per ſexaginta extenditur millia. Et Larius Lari vocativus facit, ſicut Iulius Iuli, Mercurius Mercuri.

FLVCTIBVS ET FREMITV ASSVRGENS BENACE MARINO? Benacus lacus eſt Italiæ, qui magnitudine ſui, tempeſtates imitatur marinas. ASSVRGENS autem vocativus eſt caſus, ut ſit, *Memorem & te, o Benace aſſurgens*, id eſt tumeſcens fremitu marino. Aut certe Antiptoſis ſit, pro aſſurgentem.

AN MEMOREM PORTVS? LVCRINOQVE ADDITA CLAVSTRA? In Bajano ſinu Campaniæ, contra Puteolanam civitatem lacus ſunt duo, Avernus, & Lucrinus: qui olim propter copiam piſcium vectigalia magna præſtabant. Sed cum maris impetus plerunque irrumpens exinde piſces excluderet, & redemptores gravia damna paterentur, ſupplicaverunt ſenatui: & profectus C. Iulius Cæſar, ductis brachiis excluſit partem maris: quæ antea infeſta eſſe conſueverat, reliquitque breve ſpatium per Avernum, qua & piſcium poſſet copia intrare, & fluctus non eſſent moleſti. quod opus, Iulium dictum eſt. ſed hic ambitioſe undam Iuliam appellavit frementem contra moles à Iulio oppoſitas.

INDIGNATVM MAGNIS STRIDORIBVS ÆQVOR. A ſolita excluſum licentia, & indignationem ſuam, ſtridoribus prodens.

VARIORVM.

TE LARI MAXIME, TEQVE FLVCTIBVS. &c. Vterque lacus eſt in Italia. Larius Vmbros tangit, & pervenit uſque Commum. Benacus eſt, ex quo Mincius flumen oritur, quod præterfluit Mantuam. PROBVS.

TE LARI. *Larius* lacus in Gallia eſt Ciſalpina, non amplius centum viginti ſtadiorum circuitu patens. Benacus in eadem regione, mille & ducentorum. PHILARG.

ASSVRGENS. *Aſſurgens* hic, pro aſſurgentem. Pendet enim ex verbo *memorem*. PHILARG.

LVCRINOQVE ADDITA CLAVSTRA. Hunc Lucrinum lacum, & Bajas ipſas, totumque littoris illius tractum, ab amænitate & nitore, molles dici à Poëtis conſtat; quia in eo ſeceſſu molleſcere & effœminari delitiis & otio, capti homines illecebris loci, viderentur. Vnde Martial. Epigr. lib. 10. *In Lucrina lota Salmacis vena.* Non quod Salmacis, quæ eſt in Caria, Lucrino adjungi poſſit; ſed hyperbolice Martialis ad exprimendas lacus veneres & amænitates, dixit, in eo Salmacin ipſam laviſſe, qui fons ab evirandi effœminandique facultate, abunde ab Ovidio celebratus eſt. GERMAN.

INDIGNATVM. Agrippa in ſecundo vitæ ſuæ dicit, excogitaſſe ſe, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verum hujus gloria Auguſto ceſſit. *Indignatum* autem ideo dixit, quia quo tempore in Lucrinum lacum mare immiſſum eſt, deinde terra effoſſa, contigit inter ipſum Lucrinum & Avernum, ut duo lacus miſcerentur. & tanta tempeſtas orta eſt, ut prodigii loco habita ſit, ac nuntiatum ſit ſimulacrum Averni ſudaſſe. Propter quod Pontifices ibi piacularia ſacra fecerunt. PHILARG.

IVLIA. *Iulia unda*, ſignificat portum Puteolanum. PHILARG.

IVLIA VNDA. Per prolepſim poſitum eſt, ut loca prius laudet, quam illum, qui ea fecit, ut laudes inveniant auctorem, id eſt, Auguſtum. PHILARG.

TYRRHENVSQVE FRETIS IMMITTITVR ÆSTVS AVERNIS. *Æſtus Averni* ideo dixit; quoniam per Lucrinum lacum mare Tyrrhenum influxit in Avernum. PHILARG.

Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos;
Scipiadas duros bello: & te maxime Cæsar;
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum Saturnia tellus;
Magna virûm: tibi res antiquæ laudis, & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fonteis;
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis; quæ robora cuique,
Quis color, & quæ sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumosis calculus arvis;

SERVII.

AVRO PLVRIMA FLVXIT. Copiosior fuit, in rem pretiosiorem.

ASSVETVMQVE MALO LIGVREM. Id est labori. VOLSCOSQVE VERVTOS. Italiæ populi sunt.

EXTVLIT HÆC DECIOS. Creavit. Decii autem duo fuerunt, quorum unus bello Italico; alter Gallico se devovere pro repub. MARIOS. Marii multi fuerunt; quorum unus septies fuit consul. CAMILLOS. Abusive. Nam unus fuit qui à Gallis sublata signa revocavit.

SCIPIADAS. Pro Scipionibus dixit: sicut Amazonidum pro Amazonum alibi posuit. Scipiones autem duo fuerunt, avus & nepos: quorum unus, leges victæ Carthagini imposuit; alter eandem diruit. Hæc autem omnia plenius in sexto memoravimus.

IMBELLEM AVERTIS. Id est avertendo reddis imbellem. ROMANIS autem ARCIBVS, Romanis urbibus, à Romano imperio.

MAGNA VIRVM. Virorum fortium. Iam concludit, laudans à viris, à fertilitate rerum, à Saturni imperio. TIBI RES ANTIQVÆ LAVDIS ET ARTIS INGREDIOR. In tuam utilitatem scribo carmen Georgicon. Antiquæ autem laudis, vel magnæ, vel quod apud majores in ingenti honore fuerat agricultura.

ASCRÆVM CARMEN. Hesiodicum. Nam Hesiodus de civitate Ascra fuit.

NVNC LOCVS ARVORVM INGENIIS. Naturis. Tempus est inquit naturam agrorum describere. Et multi hoc loco culpant Virgilium, quod in unum coëgit quatuor librorum propositionem. Nam & de arvo, & de consito, & de pascuo, & de floreo isto in loco commemorat. quod ideo non est reprehendendum; quia non ea late exequitur; sed carptim & breviter transit; quæ latius explanat in singulis.

QVÆ ROBORA CVIQVE. Quæ sit possibilitas uniuscujusque.

QVIS COLOR. Quæ species. quomodo dicimus, quo colore ille recitavit: licet breviter etiam sit dicturus de colore terrarum.

DIFFICILES PRIMVM. Pene steriles, parum creantes. MALIGNI. Infœcundi, quia malignum veteres infæcundum dicebant, ut ipse alibi. *Quale per incertam lunam, sub luce maligna, Est iter in sylvis.*

TENVIS VBI ARGILLA. Sine humore, quia est & pinguis. CALCVLVS. Lapis brevis terræ admixtus. Dictus calculus, quod sine molestia sui brevitate calcetur.

VARIORVM.

GENTEMQVE SABELLAM. Hi sunt autem qui olim Ausones dicebantur. de Sabellis Varro in Agemodo sic ait. *Terra culturæ causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis.* PHILARG.

MALO. Pro labore. Sic etiam è contrario laborem pro malo solet ponere. ut ibi: *Ille dies primus lethi, primusque laborum Causa fuit.* PHILARG.

VOLSCOSQVE VERVTOS. Quod verutis pugnent. PHILARG.

EXTREMIS ASIÆ IAM VICTOR IN ORIS. Alii hæc de Indis Parthisque; alii de Ægypto, ubi tum Augustus in Antonium bellum movebat: alii de Arabia, itemque Æthiopia intelligunt. TAVBMANNVS.

AVERTIS. *Avertis* & imbellem facis, aut *imbellem* victum jam, nec bellantem. Cæterum quid grande si imbellem avertis? PHILARG.

Palladia

Digitized by Google

Palladia gaudent sylva vivacis olivæ.
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus; & strati baccis sylvestribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta;
Quique frequens herbis, & fertilis ubere campus:
Qualem sæpe cava montis convalle solemus
Despicere; huc summis liquuntur rupibus amnes;
Felicemque trahunt limum: quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi prævalidas olim, multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,
Hic laticis; qualem pateris libamus, & auro;
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium, vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urenteis culta capellas:
Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti;
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos.

SERVII.

VIVACIS OLIVÆ. Diu viventis. hinc supra, *Tarde crescentis olivæ*. Res enim diu duratura, tarde crescat necesse est. TRACTU. Plaga, regione.

DULCIQUE ULIGINE LÆTA. Uligo proprie est naturalis humor terræ, ex ea nunquam recedens. bene autem DULCI addidit, ad discretionem amaræ. Uliginosus ergo ager est, semper uvidus. nam uvidus dicitur, qui aliquando siccatur.

FELICEM LIMUM. Terrarum scilicet, Id est fertilem. nam fluminum limus est noxius. HUC. Illuc.

ET FILICEM CURVIS INVISAM. Radices enim ejus sibi invicem sunt nexæ, & avulsæ renascuntur. OLIM. Quovis tempore.

PATERIS ET AURO. Pateris aureis. ἐν [illegible]. ut, *Molemque & montes*.

PINGUIS TYRRHENUS. Victimarum scilicet carnibus. INFLAVIT EBUR. Tibiarum quibus in aurem sacerdotis cani solebat.

LANCIBUS PANDIS. Aut patulis, aut extorum pondere incurvatis. FUMANTIA REDDIMUS EXTA. Sacerdotum usus est verbo. Reddi enim dicebantur exta, cum probata & elixa, aræ superponebantur.

AUT URENTEIS CULTA CAPELLAS. Omne enim quod momorderint, urunt. unde est, *Et admorso signata in stirpe cicatrix.*

SATURI TARENTI. Aut fœcundi, aut quod est juxta oppidum Saturum. Tarentum enim & Saturum vicinæ sunt Calabriæ civitates. Horatius. *Me Satureiano vectari rura caballo.*

VARIORUM.

PINGUIS. Plautus in Aulularia: *Tibi dabitur pinguior tibicina, quæ propter assidua sacrificia pinguescit.* PHILARG.

ULIGINE. *Uligo* dicitur naturalis terræ humor. PHILARG.

INFLAVIT CUM PINGUIS EBUR TYRRHENUS. Intelligit eburneam tibiam, qua in sacris ejusmodi epulis utebatur tibicen. Dicitur *pinguis*, vel victimarum carnibus, ut Servius exponit: vel, quod Musica barbara, non sit subtilis; vel, quod flatu buccæ tumeant: vel quod Tyrrheni seu Etrusci, quorum inventum est tuba, natura pingues sint; unde & Catullus, *Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus.* TAUBMAN.

REDDIMUS. Quia debentur. PHILARGYRIUS.

PANDIS. Cavis. ut ipse alibi: *& pandas ratibus posuere carinas.* PHILARG.

SIN ARMENTA. Quare de armentis dicit, cum tertius liber ad pecudes divisus sit? Solvitur sic: Varietatis causa, ne uniformis narratio esset. *Nunc & armenta.* Non de his dicit, sed de terra, quæ utilis sit armentis. Aut enim posuit quæ nutriant, & sic quæ nutrit. PHILARG.

ET SATURI PETITO LONGINQUA TARENTI. Tarentum, oppidum in Italia, quod condiderunt Parthenidæ, hoc est exules Lacedæmoniorum, duce Phalanto. In finibus autem Tarentinorum est locus, quem Saturium vocant: unde etiam in 7. mentionem facit paludis Saturæ. PROBUS.

Digitized by Google

Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere, & presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando)
Optima frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.
Aut unde iratus sylvam devexit arator:
Et nemora evertit multos ignava per annos;
Antiquasque domos avium, cum stirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis:
At rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias, roremque ministrat:
Et tophus scaber, & nigris exesa chelydris
Creta, negant alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras:
Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres;
Et bibit humorem, & cum vult, ex se ipsa remittit:
Quæque suo viridi semper se gramine vestit;
Nec scabie, & salsa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexit vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ est: illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.

SERVII.

LIQVIDI FONTES. Puri, sine pestilentia.

ET QVANTVM LONGIS. Vt in Æneide diximus; hoc dicit Varro fuisse in Rosulano agro, postquam Velinus siccatus est lacus: ubi longam perticam magnitudo superabat herbarum.

AVT VNDE IRATVS. In fœcunditate diuturna.

ANTIQVASQVE DOMOS. Aut re vera antiquas, aut charas. Sallustius, *Tantum antiquitatis curæque maioribus pro Italica gente fuit.* Est autem ecbasis in illa descriptione.

IEIVNA GLAREA. Sicca & sterilis terra.

CASIAS ROREMQVE. Casia, & Rosmarinus, apibus aptæ sunt herbæ.

TOPHVS SCABER. Lapis asperrimus. Vnde & scabies dicitur ab asperitate. NIGRIS. Nocentibus.

NEGANT. Nicander & Solinus, qui de his rebus scripserunt.

QVÆ TENVEM EXHALAT NEBVLAM. Dicit agrum omnium rerum feracem. Quatuor enim genera agrorum imitatur, qui solus potest quod illi quatuor: sicut sequentia indicant. FVMOSQVE VOLVCRES. Quasi fumos: scilicet ex humore.

SVO GRAMINE. Naturali scilicet, non coacto.

NEC SCABIE, ET SALSA LÆDIT RVBIGINE FERRVM. Proprie. Nam rubigo quasi scabies ferri est.

VARIORVM.

PINGVIS. Fertilis, quia regio ejus herbosa est. Alii dicunt agrum, in quo condita est Tarentus, *Saturum* vocari. PHILARG.

ET CVI PVTRE SOLVM (NAMQVE HOC IMITAMVR. A.) Locus hic indicat studium nostrum subigendi glebas. Terram enim illam dicit optimam frumentis, *cui putre solum*: conemur ergo terram solutam putremque reddere & cum hoc præstiterimus, recte nostro officio functi videbimur, atque ubertatem frugum expectare poterimus. terra ergo, quę vi sua, sponteque habet, quod nos arte laboreque nostro illi afferimus, idonea esse percipitur. VICTORIVS.

RОREM. *Rorem* quem *marinum* vocant, dicit: & est humile virgultum, quod in exilibus agris pascitur. PHILARG.

DVLCEM. Ordo est, *æque dulcem*, hoc est tam dulcem. PHILARG.

Talem

Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo poſſis cognoſcere, dicam.
Rara ſit, an ſupra morem ſi denſa, requiras:
Altera frumentis, quoniam favet, altera Baccho:
Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo:
Ante locum capies oculis; alteque jubebis
In ſolido puteum demitti, omnemque repones
Rurſus humum, & pedibus ſummas æquabis arenas.
Si deerunt; rarum, pecorique & vitibus almis
Aptius uber erit: ſin in ſua poſſe negabunt
Ire loca, & ſcrobibus ſuperabit terra repletis,
Spiſſus ager: glebas cunctantes, craſſaque terga
Expecta, & validis terram proſcinde juvencis.
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec manſueſcit arando;
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſervat)
Tale dabit ſpecimen. tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulceſque à fontibus undæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis

SERVII.

DIVES CAPVA, Ideo dives, quia talem arat. VESEVO. Veſevus mons eſt Liguriæ, ſub alpibus poſitus. nam Campaniæ Veſuvius dicitur: pro quo multi Veſevum eſſe poſitum volunt.

ET VACVIS CLANIVS NON ÆQVVS ACERRIS. Acerræ civitas eſt Campaniæ, haud longe à Neapoli: quam Clanius præterfluit fluvius: cujus frequens inundatio eam exhaurit. Vnde ait VACVIS, ideſt, infrequentibus.

SVPRA MOREM. Abundanter, plus æquo. Illi autem verſus incomparabiles ſunt: tantam habent ſine aliqua periſſologia repetitionem.

DENSA MAGIS CERERI. Bene addidit magis: nam hoc vult oſtendere quid ubi melius naſcitur. poteſt enim & frumentum in rara, & vinum in denſa, ſed non feliciter naſci.

CAPIES. Eliges. ut, *Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.*

IN SOLIDO. Ne ager ſit concavus.

APTIVS VBER ERIT. Aptior ubertas & fertilitas.

GLEBAS CVNCTANTES. Validas, graves, magnas: ut, *Aviduſque refringit Cunctantem.* EXPECTA. Proba. ut, *& rebus ſpectata juventus.*

NEC MANSVESCIT ARANDO. Dum aratur. alibi de arboribus ita, *Exuerint ſylveſtrem animum.*

SVA NOMINA. Propriam generoſitatem. ut, *Et nos aliquod nomenque decuſque Geſſimus.*

SPECIMEN. Dignam probationem. SPISSO VIMINE. Spiſſi viminis.

QVALOS COLAQVE PRÆLORVM. Qualos, per quos vinum defluit: qui & ipſi à colando dicti ſunt. Præla autem trabes ſunt, quibus uva jam calcata premitur.

ELVCTABITVR. Cum mora egredietur.

VARIORVM.

VESEVO. Campaniæ mons Veſevus. PHILARG.

ORA. Et hoc emendavit ipſe, qui *Nolam* poſuerat. Nam poſtea offenſus à Nolanis, qui eidem aquam negaverant, *ora* pro *Nola* poſuit. PHILARG.

SVPRA MOREM. Ordo eſt: Si requiras rara ſit, an ſupra morem denſa. & *Supra morem* hic pro valde eſt poſitum, hoc eſt ſupra modum, ſupra juſtum. PHILARG.

CAPIES OCVLIS. id eſt, eliges, ut, *Nunc terras ordine longo.* PHILARG.

SALSA. Hyperbaton, id eſt, *ſalſa tellus.* PHIL.

SVA NOMINA. De vino vero & fructibus proprie *Nomen* dicebatur: unde Cato, *Ne vinum nomen perdat.* Ita vinum perdere etiam *Notam* dicitur, cum aut acuit, aut alio quovis caſu alteratur. Nam dicebatur *Nota vini.* Horat. 1. Serm. 10. *Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.* Hinc tralatio, *Homines de meliore nota,* Ciceroni, vide Scalig. ad Ætnam. TAVBM.

TALE DABIT SPECIMEN. Specimen pro argumento. PHILARG.

Digitized by Google

Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud unquam manibus jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo
Lætior: ah, nimium ne sit mihi fertilis illa:
Neu se prævalidam primis ostendat aristis.
Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit:
Quæque levis. promptum est oculis prædiscere nigram,
Et quisquis color: at sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceæ tantum, taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.
His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere, & magnos scrobibus concidere montes.
Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. optima putri
Arva solo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robustus jugera fossor.
At si quos haud ulla viros vigilantia fugit:

SERVII.

AMAROR. Amaritudo. & est sermo Lucretii: & vera lectio ipsa est. Nam multi AMARO legunt: ut sit, Sensu amaro.

HABENDO. Dum habetur. LENTESCIT. Cohæret.

IVSTO LÆTIOR. Vltra modum, plus quam oportet.

AH NIMIVM NE SIT MIHI FERTILIS ILLA. Ne herbæ plus æquo crescentes spem adimant frumentorum. Vnde ait in primo, *Luxuriem segetum tenera depascit in herba.*

PRIMIS ARISTIS. Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet: quas culmi tenues ferre non possunt.

ET QVISQVIS COLOR. Vera lectio hæc est. nam male quidam, ET QVIS CVIQVE legunt, excludentes AT: ut sit, *Et quis cuique color, sceleratum exquirere frigus, Difficile est.* Alii *colos* legunt, ut excluso s, fiat Synalœpha: & scandamus ita, *Et quis cuique col' at sceleratum*: ut sic sit, quemadmodum, *Inter se coisse viros & decernere ferro.* quod non procedit. Tunc enim R in S mutatur, cum longa opus est syllaba; ut color, colos; labor, labos; honor & honos. hic autem non solum longam non facit syllabam, sed etiam excluditur S cum superiore vocali. unde legendum est *quisquis color* quod nec obscuritatem affert, nec fidem derogat lectioni. SCELERATVM. Nocens, omnia exurens.

HEDERÆ PANDVNT VESTIGIA NIGRÆ. Hederæ indicant frigus. nam VESTIGIA appellavit indicia. NIGRÆ autem, ad albarum discretionem, ut, *Hedera formosior alba.*

HIS ANIMADVERSIS. Idest, agri qualitate deprehensa. TERRAM MVLTO ANTE MEMENTO EXCOQVERE. Hoc dicit, non esse eo anno ponendas vites, quo fodiuntur scrobes: sed post annum. ut calore, frigore, & labore rustici, possit terra putrefieri.

INFODIAS. Obruas. ET LABEFACTA MOVENS. Hypallage. movens & labefaciens.

VARIORVM.

AD DIGITOS. pro inter digitos. PHILARG.

NIGRÆ. Id est frigidæ terræ argumenta demonstrat. PHILARG.

ARVA SOLO. Sensus: optima arva sunt, si putrescit solum. & quia rem difficilem videbatur præcepisse, adjecit: *Et id venti curant gelidæque pruinæ.* Propter quod docuit nos oportere, ut Solibus & pruinis coquatur. Ipse alibi: *ut cui putre solum: namque hoc imitamur arando.* PHILARG.

LABEFACTA. Nota figuram. movendo labefaciens, aut movens & labefaciens. PHILARG.

Digitized by Google

Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, & quo mox digesta feratur:
Mutata ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam cæli regionem in cortice signant:
Vt, quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit; quæ terga obverterit axi,
Restituant. adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus, an plano melius sit ponere vites,
Quære prius. si pinguis agros metabere campi,
Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive solum, collesque supinos,
Indulge ordinibus: nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Vt sæpe ingenti bello cum longa cohorteis
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus; nec dum horrida miscent
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum:
Non animum modo uti pascat prospectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas

SERVII.

ANTE LOCVM SIMILEM EXQVIRVNT. Dicit, in translatione arborum similem terram esse requirendam.

ARBORIBVS SEGES. Quia de seminario loquitur arborum, bene *segetem* appellavit. DIGESTA. Id est, ordinata. ut, *Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.*

MATREM. Terram. ut, *Antiquam exquirite matrem.*

QVA TERGA OBVERTERIT AXI. Septentrioni. Nam Græce ἄρκτος dicitur.

COLLIBVS AN PLANO MELIVS SIT PONERE VITEM, QVÆRE. Atqui supra ait, *Denique opertos Bacchus amat colles*: sed etiam in vallibus poni posse vites superius indicavit. ut, *Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes Sufficiet Baccho vites.* Vnde modo utrumque complectitur, & dicit quemadmodum in plano, quemadmodum in collibus vites ponere debemus.

METABERE. Eliges. & longe alia significatio est, *Metor metaris* (unde Lucanus, *Hespérios audax veniam metator in agros*) & alia, METIOR METIRIS. Illud enim metatus sum: hoc messus sum facit; ut, *messum de pollice florem.*

DENSA, Pro dense. ut, *Et pede terram Crebra ferit*, pro crebro.

INDVLGE ORDINIBVS. Da operam: ut, *Indulgent vino.* & eos effice largiores. Nam de plano ait, *Densa sere.* IN VNGVEM. Ad perfectionem. Et est translatio à marmorariis, qui juncturas unguibus probant. Horatius, *Ad unguem Factus homo.*

ARBORIBVS POSITIS. Vitibus ordinatis. SECTO LIMITE. Ducto. Vnde & sectæ philosophorum dicuntur, idest, ductus. QVADRET. Consentiat, congruat. Translatio à quadris lapidibus, qui sibi invicem bene conveniunt.

FLVCTVAT. Splendet. NVMERIS. Ordinationibus.

PASCAT PROSPECTVS. Delectet; ut, *Atque animum pictura pascit inani.*

VARIORVM.

ANTE LOCVM SIMILEM EXQVIRE. Dicit in translatione arborum similem terram esse requirendam, &c. PHILARG.

DIGESTA FERATVR. Antistrophe, id est translata digeratur. PHILARG.

AXI. id est septentrionali. PHILAR.

INDVLGE ORDINIBVS. Da spatia; *Nec secius*, minus. PHILARG.

OMNIA SINT PARIBVS NVMERIS, &c. Hoc refertur ad superius illud, *Indulge ordinibus.* Vt autem hic Poëta confert & committit arborum ordines cum militaribus; Cyrus quoque de hortorum suorum & arborum distributione & [illegible] glorians, ordines suos vocabat, alludens ad militiam. GERMAN.

S Terra,

Terra: neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia, quæras:
Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altius, ac penitus terræ defigitur arbos,
Æsculus in primis: quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque per annos
Multa virûm volvens durando secula vincit.
Tum fortes late ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad Solem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum sere: neve flagella
Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas.
(Tantus amor terræ) neu ferro læde retuso
Semina; neve oleæ sylvestres insere truncos.

SERVII.

FORSITAN ET SCROBIBUS QUÆ SINT FASTIGIA, QUÆRAS. Vt etiam supra diximus, scrobes sunt masculini generis. nam Cicero in OEconomicis sic dicit: & Plautus ait, *Sexagenos scrobes.* Minor autem est Lucani, & Gracchi authoritas. Nam Lucanus ait, *Exigua posuit scrobe.* Gracchus, *Abunde fossa scrobis est.* quod exemplum in Terentiano est. QUÆ SINT FASTIGIA QUÆRAS. Fastigium & summæ & imæ partis possumus dicere: sicut altum & mare & cælum dicimus. Hinc est, *Cælumque profundum.* Cum & puteus sit profundus.

AUSIM. Ausus sim, audebo. SULCO. Id est fossæ.

ÆSCULUS IN PRIMIS. Arbor est glandifera, quæ licet ab esu dicta sit, tamen per æ scribitur; sicut & cælatum, licet à celo celas habeat derivationem.

NON FLABRA. Hoc nomen tantum pluralem recipit numerum. ab eo vero quod est flamina, flamen possumus dicere: licet sit vitandum propter aliam significationem. Nam dicitur flamen Dialis, flamen Martialis.

NEVE INTER VITES CORYLUM SERE. Radices enim ejus nocent vitibus. NEVE FLAGELLA SUMMA PETE. Flagella dicuntur summæ arborum partes; ab eo quod ventorum crebros sustinent flatus.

TANTUS AMOR TERRÆ. Sic diligenter à rusticis ager est colendus. FERRO LÆDE RETUSO. Retuso, obtuso, quo vites quassantur potius, quam putantur.

NEVE OLEÆ SYLVESTRES INSERE TRUNCOS. Non quod non prosit, sed ut etiam ipse dicit, propter casum incendii.

VARIORUM.

FASTIGIA. Infimas altitudines dixit. PHILARGYR.

SCROBIBUS. Pro humillima scrobe posuit, ut, *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis.* & rursus: *Omnibus est labor impendendus, & omnes cogenda in sulcum, ac multa mercede domandæ.* PHILARG.

VITEM TENUI COMMITTERE SULCO. Hic videtur Maro vitem ab arbore distinguere; ut qui altius arborem statuat defigendam, vitem tenui sulco committat, arbori maritandam. Certe Vlpianus sub tit. arb. furt. cæs. l. vitem, vitem arboris appellatione complectitur: quamvis inter rei rusticæ scriptores sint qui fruticem & θάμνον maluerint vitem, quam arborem nuncupari; quod per se, ad justam arboris magnitudinem non assurgat. GERMAN.

FLABRA. Producta prima syllaba legendum. PHILARG.

CORYLOS. Antipharmacon esse ajunt, quod infra manifestum facit, dicendo: *In veribus torrebimus exta colurnis*, scilicet ut hostia nocens, eo virgulto coquatur, quod vitibus nocet. PHILARG.

SUMMAS DEFRINGE EX ARBORE PLANTAS. Sic & Iurisconsulti, defringendi vocabulum retinuerunt inter eos, qui quadam juris solennitate, in locis consitis, surculum defringebant vindiciarum loco, vi quadam festucaria in caussis possessionis, & judiciis recuperatoriis. TURNEBUS.

PLANTAS. Sagittas dicit, id est sarmentum de summa parte præcisum. PHILARG.

RETUSO. Quare *retuso*? solvitur, quoniam hebes ferrum vulnerat magis, quam secat. PHILARGYR.

Nam

Digitized by Google

Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas,
Ingentem cœlo sonitum dedit: inde secutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad cœlum picea crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas à vertice sylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi; non à stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque ima similes revirescere terra:
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat author,
Tellurem Borea rigidam spirante movere.
Rura gelu tum claudit hyems: nec semine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio est, cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris;
Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis: jam præterit æstas;
Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis:

SERVII.

INCAUTIS PASTORIBUS. Negligentibus, circa alia occupatis.

ET RUIT ATRAM. Egerit, emittit, & ruere facit. Nam modo RUIT agentis est.

A VERTICE. Ab Aquilone. ut, *Hic vertex nobis semper sublimis.*

FERENS. Flans. ut, *Fieret vento mora ne qua ferenti.* HOC UBI. Subaudi contigerit. SUPERAT. Superest. ut, *Quid puer Ascanius, superatne?*

NEC TIBI TAM PRUDENS QUISQUAM. Dicit quo tempore vites ponendæ sint: & probat tolerabiliter autumno, melius verno. nam dicturus, *Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis.*

CONCRETAM RADICEM. Ante enim quasi gutta quædam est ex terra & humore procreata, quæ postea tenditur in radicem. VERE RUBENTI. Floribus splendido.

CANDIDA VENIT AVIS. Iuvenalis, *Serpente ciconia pullos Nutrit.*

VARIORUM.

PRÆSERTIM SI TEMPESTAS À VERTICE. Negat Victorius Servii sententiam defendi posse; ut, *à vertice*, ab Aquilone accipiamus: sed potius pro eo, quod est à superiore cæli parte, vel stirpium cacucuminibus & flagellis. quod Græcis κατ' ἄκρας. GERMAN.

HOC UBI. Quidam distinguunt, *hoc ubi non.* & erit sensus: ubi oleæ in oleastrum insitæ non fuerint, etiam si incendio conflagrarint, exustæ à trunco revivíscent, & cæsæ reverti possunt, *atque ima similes revirescere terra.* Insitæ autem cum summe perierint, oleastri truncus remanet. PHILARG.

MOVERE. Non arari prohibet: neque enim hic de arvis loquitur, sed scrobes fieri vetat. PHILARG.

NEC SEMINE IACTO. Syllepsis per adsumptionem casus. Nam ex ablativo, id est, semine, assumendus nominativus, hoc est, semen. & erit sic: nec semine jacto patitur. semen radicem terræ affigere. PHILARG.

CONCRETAM. Concreta vero utrunque. *concreverit* autem, commixtam dixit: & *jacto hic semine*, id est deposito. PHILARG.

CANDIDA VENIT AVIS LONGIS. I. C. Periphrasis est ciconiæ, ex suis adjunctis. Huic autem avi honos serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit, occidisse. Plinius. lib. 10. cap. 23. Eam Petronius Arbiter istis epitheris afficit.

Ciconia etiam grata, peregrino hospitas;
Pietate cultrix, gracilipes, crotalistria;
Avis exsul hyemis, titulus tepidi temporis, &c.

VER ADEO FRONDI NEMORUM. Digressio in veris laudem, ex variis ejus adjunctis, quod tum concipiunt plantæ, aves, pecudes, fruges, vites. *Est enim ver* (ut Theophrastus ait, de caussis plantarum lib. 1. cap. 14.) *tempus omnium vivacissimum, fecundissimumque, utpote quod humidum calidumque natura sit.* RAMUS.

ADEO. Abundat. UTILE. Bis subaudiendum. PH.

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commistus corpore, fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris;
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager: Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor;
Inque novos Soles audent se gramina tuto
Credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem:

SERVII.

VERE TVMENT TERRÆ. Asper simpliciter accipit, ut terræ nominativus sit pluralis. Donatus vero terræ genitivum vult esse singularem: ut sit sensus mutata distinctione, *Vere tument sylvæ*, scilicet à superioribus; *terræ & genitalia semina poscunt*. Id est tument sylvæ, & genitalia semina terrarum requirunt. Sed melius Asperum sequimur: ut GENITALIA SEMINA, quæ nos jacimus intelligamus; non quæ ex terra sylvæ suscipiunt. Genitalia autem dicimus semina, quibus aliquid procreatur & gignitur. TVMENT. Suspenduntur.

PATER OMNIPOTENS FOECVNDIS. Interdum pro aëre Iuno, & pro æthere Iuppiter accipitur. Aliquoties & pro aëre,& pro æthere Iupiter. Iuno vero pro terra & aqua: sicut hoc loco intelligimus. Nam æther non habet pluvias, unde ætherem pro Iove accipimus: cui tribuuntur aër & æther: quæ duo mixta terræ & humori universa procreant. Dicit autem verno tempore esse pluvias, quibus cuncta nascuntur. unde *fœcundis imbribus* dixit: quibus terra fœcundatur.

MAGNO COMMIXTVS CORPORE FOETVS. Pro corpori. ut, *Hæret pede pes*. Item alibi, *Et magno se corpore miscet*. Licet possimus accipere, Commixtus terræ magno sub corpore, id est ætherio.

CERTIS DIEBVS. Statutis, legitimis, à natura arcana quadam ratione dispositis: ut tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex ætherio calore descendere.

ALMVS AGER: Ab eo quod nos alat. ZEPHYRI. Favonii. alibi, *Et Zephyro putris se gleba resolvit*. Horatius. *Solvitur acris hyems, grata vice veris & Favoni*. NOVOS SOLES. Dies vernales.

NEC METVIT SVRGENTES PAMPINVS AVSTROS. Varie. Nam supra ait, *Audent se gramina tuto Credere*.

VARIORVM.

VERE TVMENT TERRÆ. Quasi impatienti libidine seminis concipiendi turgeant. A virginibus ducta metaphora, quarum plena pubertate habitus viro maturus est, toto corpore velut tumescente; præsertim pectore ac mammis. Vnde & *tumida virginitas* eleganter à Papinio lib. 2. Thebaid: dicitur. TVRNEB. Ab hac ergo verna parte Mathematici augurato annum inchoant; quam Ægypti more, & Romani Veneri genitrici, ut generationis antistitæ, feriis, consecrationibusque dicarunt: cui per exempla, majorumque ritus & præcepta Epicuri, Lucretius opus suum præcipua invocatione & præfatione nuncupavit. GERMAN.

TVM PATER OMNIPOTENS FOECVNDIS, I. Æ. Videtur hic ex disciplina Stoica locutus, & Chrysippi præsertim; qui fusionem illam purissimi ætheris per singulas res, Deum esse censuit, fatalem necessitatem, & futurorum omnium certissimam providentiam, qui ratione homines, animalia sensu afficiat, terram seminibus impleat; quibus innumerabiles stirpium nascentium formæ propagentur & in lucem erumpant, spiritu illo æthereo excitatis: unde & *σπερματικὸν αἰθέρα* nominarunt. Sunt & quibus non incommode Poëta videtur per Ætherem, Iovem innuere, qui quinto corpori & cælo præest, & veris tempore rerum regenerationem & renovationem instaurare & auspicari videtur; tum cum aërem ipsum calefacit, & cum uxore ἥρᾳ, hoc est, aëre committitur: iisdemque caloribus terra quoque vicinitate provocari ad conceptionem & partum apparet, ut fruges genus omne summittere incipiat. GERMAN.

CORPORE. *Corpore* aut suo, aut terræ. sic *terræ* pro corpori. PHILARG.

CERTIS. *Certis* pro his, neque aliis ullis. PHILARG.

LAXANT. Exprimere voluit naturam lactis animalium. Nam *laxant arva sinus* dicens, partum significat: deinde statim humorem superare quo alat fetus, intulit. PHILARG.

GRAMINA. Celsus ait *germina* reliquisse Virgilium. loquitur enim de omnium arborum fetu. Vnde male quidam *gramina* legunt. An ideo non metuit, quia non surgunt? quod magis placet. PHILARG.

NEC METVIT. Quomodo non metuit, si surgunt? solvitur: Neque surgentes metuit, sed ne surgant. Hoc dixit: non metuit, ne tempestate opprimatur. PHILARG.

Digitized by Google

Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis:
Immiſſæque feræ ſylvis, & ſydera cœlo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret friguſque, caloremque
Inter; & exciperet cœli indulgentia terras.
Quod ſupereſt, quæcunque premes virgulta per agros
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum; aut ſqualenteis infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuiſque ſubibit

SERVII.

TRVDIT. Propellit, effundit in folia.

NON ALIOS PRIMA. Hoc ſecundum licentiam poëticam dixit. nam falſum eſt. Conſtat enim poſt factum mundum ex qualitate curſus Solis tempora eſſe diviſa.

TENOREM. Ductum, hic continuationem.

VER ILLVD ERAT. Abſoluta elocutio: quicquid illud fuit, ver fuit.

HYBERNIS FLATIBVS. Aſperis, ſævis.

VIRVMQVE FERREA PROGENIES. Procreata ex lapidibus ad laborem. Alibi, *Vnde homines nati durum genus.*

IMMISSÆQVE FERÆ SYLVIS. Hunc ordinem propter Arcadas tenuit; qui ſe Proſelenos eſſe aſſerunt, id eſt ante lunam natos: quod & Cicero in Fundaniana commemorat: & Statius qui ait, *Arcades aſtris, lunaque priores.*

HVNC LABOREM. Vel frigoris, vel caloris.

QVIES. Tranquillitas. Et eſt veris definitio, *Cœli indulgentia.*

QVOD SVPEREST. Non quod deeſt, ſed quod ſequitur. PREMES. Demerges, infodies. QVÆCVNQVE VIRGVLTA. Sive de plantariis, ſive de arboribus.

LAPIDEM BIBVLVM. Qui arenarius vocatur.

AVT SQVALENTES INFODE CONCHAS. Conchæ autem propter admittenda ſpiramina infodiuntur. Lapis vero arenarius, & propter ſpiramina, & propter hauriendum humorem, ſi forte nimius fuerit. SQVALENTES. Sordidas.

VARIORVM.

NON ALIOS PRIMA. Si creſcit, deficit. In quo videtur ſecutus Epicurum, qui ait: *Omnia quæ orta occidunt, & aucta ſeneſcunt.* Varro autem in Satura quæ ſcribitur de ſalute: *Sic mundum haud natum eſſe, neque mori.* Plato autem non natum, at mori. Metrodorus autem, neque natum, neque mori. Zenon ex hoc mundo quamvis aliqua intereant, tamen ipſum perpetuo manere, quia inhæreant ei elementa, è quibus generantur materiæ, ut dixit creſcere quidem, ſed ad interitum non pervenire, manentibus elementis, à quibus revaleſcant. PHILARG.

VER ILLVD ERAT. Quomodo dicunt homines diem feſtum agere magnum orbem, poteſt & zodiacum circulum dicere, qui faciat diviſionem temporum: quod ſi eſt, *agebat*, pro circumagebat, accipiendum erit, orbis. PHILARG.

PARCEBANT. Hic *parcebant* pro abſtinebant. PHILARG.

FERREA. quia creditum eſt primo homines è terra natos, à qua humo homines exiſtimabant dictos. PHILARG.

IMMISSÆQVE. Pro innatæ: neque enim ab alio immiſſæ ſunt. PHILARG.

INDVLGENTIA. Et nove *indulgentia* dixit. Veteres enim indulgitatem dicebant. ut Cœlius in VII. *Conſuetudine uxoris, indulgitate liberum.* PHILARG.

TERRAS. Id eſt, fetus terræ. PHILARG.

AVT LAPIDEM BIBVLVM. *Lapidem* autem *bibulum*, hic non lapidis epithetum eſt, ſed ex lapide beneficium, id eſt per quem terra humorem poſſit ad radices vitis admittere. INFODE. Verbum *infode*, venit ab eo quod eſt fodio fodis fodit. Vnde Plautus in Rudente: *Luctuoſus multo, multam terram confode.* &, *infode conchas*, circa radices ſcilicet. PHILARG.

INTER. Id eſt interveniret: Fuit autem prior lectio, *friguſque calorque*, ut Plautus: *Neque frigus neque calor metuo, neque ventum, neque grandinem.* Aliter hypermetrus verſus erit. PHILARGYRIVS.

Halitus, atque animos tollent sata. jamque reperti,
Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ
Vrgerent: hoc, effusos munimen ad imbres:
Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.
Seminibus positis, superest deducere terram,
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes:
Aut presso exercere solum sub vomere, & ipsa
Flectere luctantes inter vineta juvencos:
Tum leveis calamos, & rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris; & dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acie falcis nondum tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde:
Ante reformidant ferrum: tunc denique dura
Exerce imperia, & ramos compesce fluenteis.

S E R V I I.

ANIMOS TOLLENT. Sument ab his rebus magnanimitatem. IAMQVE REPERTI. Scilicet diligentiores.

EFFVSOS MVNIMEN AD IMBRES, Contra nimias pluvias.

HIVLCA. Nimiis caloribus fissa.

AD CAPITA. Positarum scilicet vitium. IACTARE AVTEM BIDENTES. Hoc ad comminuendas pertinet glebas. Dicit autem circumfodiendum esse: & ad ipsa capita plantarum terram adducendam, & sæpius ideo, quia & vento & imbribus à capite terra descendit.

FLECTERE LVCTANTES. Cum quadam moderatione ducere; ne tenera adhuc virgulta concutiant.

LEVEIS CALAMOS. Nitidos. Dicit autem & cannas & virgas radendas; ne ex corticibus rubigo, adversa vitibus, possit creari.

SEQVI TABVLATA. Tabulata sunt rami effusiores & in plana tendentes, non in altiora crescentes.

ADOLESCIT. Crescit. PER PVRVM. Per aërem, quasi inanem.

IPSA ACIE FALCIS NONDVM TENTANDA. Si ACIES, sensus hic est, Teneris adhuc vitibus, non est falcis ACIES necessaria. si ACIE, subaudimus virgulta: ut sit, Ipsa virgulta nondum falcis acie tentanda sunt.

STIRPIBVS. Solidioribus palmitibus, id est truncis.

V A R I O R V M.

IAMQVE REPERTI. Et, IAM, hic pro propterea ponitur, & utrum saxo & testa: an illud sensit testam cavam, superiorem lapidem? hoc enim fit. PHILARG.

SATA. *Sata* autem dicit virgulta quæ presseris. & hoc bis repetitum: non enim duo sunt, sed unum iteratum, ac si diceret: hoc monimentum contra imbres & æstus. PHILARG.

SEMINIBVS. Iterum *seminibus* pro arboribus accipi oportet. &, *superest*, sequens est. PHILARGYRIVS.

SÆPIVS AD CAPITA. *Capita vitium* stirpes sunt & radices, quibus tanquam ore alimentum attrahunt. Quo sensu Plato forte, *hominem*, arborem inversam, dixit. TVRNEB. lib. 13. cap. ult.

TABVLATA. Nunc *tabulata* dici dispositionem ramorum, per quos vitis usque ad summum ascendit. & est relatio facta ad omnes, in quibus extructiones singulæ, tabulata dicuntur. PHILARG.

STIRPIBVS. Hic radicibus. Alii *stirpem* pro ipsa materie vitium positum volunt, ut idem alibi: *& ammorso signata in stirpe cicatrix.* PHILARGYRIVS.

SEPES. Insuper etiam pecus prohibendum. PHILARG.

Texen-

Digitized by Google

Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum est:
Præcipue dum frons tenera, imprudensque laborum:
Cui, super indignas hyemes Solemque potentem,
Sylvestres uri assidue, capreæque sequaces
Illudunt: pascuntur oves, avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi:
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theseidæ posuere; atque inter pocula læti

SERVII.

TEXENDÆ SEPES ETIAM. Alii hic distingunt: alii separant texendæ, sepes etiam & specus omne tenendum.

FRONS TENERA: Frondis vera lectio est. Lucretius, *Frondiferasque domos avium.* Apud antiquiores enim singularis nominativus erat frondis: hodie vero & à fronte & à fronde unus est, nominativus frons; sicut etiam lens a lente, & à lende capitis breviore pediculo.

SOLEMQVE POTENTEM. Intolerabilem, gravem. INDIGNAS autem HYEMES. Sævas.

SYLVESTRES VRI. Id est boves agrestes, qui in Pirenæo monte nascuntur inter Gallias & Hispanias posito. Sunt autem exceptis elephantis, majores animalibus cæteris. dicti VRI, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est à montibus. CAPREÆQVE SEQVACES. Id est persecutrices; seu quod vites persequantur; ut, *Maleæque sequacibus undis.*

INCVMBENS SCOPVLIS. Etiam saxa caloribus penetrans.

ADMORSO. Participium est, ac si diceret abroso.

NON ALIAM OB CVLPAM. Victimæ numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus, Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri: & Caper, qui obest vitibus, Libero. Item capra Æsculapio, qui est deus salutis: quum capra nunquam sine febre sit. ARIS autem OMNIBVS non sine caussa dixit. Nam cum numinibus cæteris varie pro qualitate regionum sacrificetur, ut Veneri Paphiæ tantum de ture: unde est, *Haud equidem tali me dignor honore.* Genitrici vero, Id est, Romanæ, etiam de victimis: Libero ubique caper immolatur; quia vites, quæ in honore ipsius fuerant, ab eo comestæ sunt. Iratus Liber pater eum occidi fecit, & ei tolli utrem, in quo mitti vinum fecit pro ejus vindicta.

VETERES INEVNT PROSCENIA LVDI. Primi ludi theatrales ex liberalibus nati sunt: Ideo ait, *veteres ludi.* PROSCENIA autem sunt pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercentur.

PAGOS ET COMPITA CIRCVM. Id est, per quadrivia, quæ compita appellantur; ab eo quod multæ viæ in unam confluant. & villas, quæ pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν appellantur, id est à fontibus, circa quos villæ consueverant condi. unde & pagani dicti sunt, quasi ex uno fonte potantes. COMPITA autem sunt, unde ludi compitalitii vocantur.

THESIDÆ. Athenienses, qui primi ludos instituere liberales.

VARIORVM.

DENTIS, ET ADMORSO SIGNATA. Capræ non solum Baccho & Æsculapio; verum & Minervæ immolari sunt solitæ, auctore Plinio l. 8. c. 47. quod ejus morsus arboribus exitialis esset, olivam lambendo quoque sterilem faceret. Porro dicunt & rei rusticæ scriptores, vulnus à capra plantæ inflictum aut lethale esse, aut certe conduci & coalescere nunquam posse, sed indelebili se suo stigmate & cicatrice semper prodere. GERMAN.

NON ALIAM OB CVLPAM BACCHO CAPER. Postquam mortale animalium genus, cepit carne vesci: ex his quæ frugibus nocerent, vel aliquos læderent fructus, prima existimatur hostia fuisse, sus: secunda caper. ille, quia terram rostro, protrudendo semen erueret: hic, quia vitem læserat. PROBVS.

PROSCENIA. *Proscenium* proculdubio pulpitum dicit. *veteres ludi*, Dionysia: antiquissimi enim quos rustici confecta vindemia faciebant. PHIL.

INGENTES. Quidam legunt *ingeniis*: ut sit, præmia posuerunt ingeniis. Dabatur autem hircus præmii nomine. unde hoc genus poëmatis tragœdiam volunt dictam. PHIL.

COMPITA. Vt relatio *placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se via, atque itinere dirigens; sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub dio sit; ubi pagani agrestes buccina convocati, solent certa inire consilia. hinc & lares compitalicii, & feriæ compitaliciæ. PHIL.

THESIDÆ POSVERE. Ideo quia primi Athenienses Liberalia statuerunt. Thesidæ dicti à rege Theseo. PHILARG.

Molli-

Mollibus in pratis unctos saliere per utres.
Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesque cavæ, saltusque profundi,
Et quocunque deus circum caput egit honestum.

SERVII.

MOLLIBVS IN PRATIS VNCTOS SALIERE PER VTRES. Unctos vel oleo vel lexivia. IN PRATIS autem ideo, ne læderentur cadentes. VTRES vero fiebant ad insultationem etiam mortuorum caprorum, ne quid ex his esset quod non sentiret injuriam. SALIERE. Secundum artem locutus est. Nam Salio salui dicebant: unde & Cicero ait, in Miloniana. *Cum hic de rheda rejecta penula desiluisset.* Sic etiam ab eo quod est CANO, non cecini, sed canui dicebant; unde Sallustius, *Cornua occanuerunt.*

NEC NON AVSONII TROIA GENS. Hoc est, etiam Romani hæc sacra celebrant & canunt. nam hoc est VERSIBVS INCOMPTIS LVDVNT. Id est carminibus Saturnio metro compositis. quod ad rhythmum solum vulgares componere consueverunt. Horatius, *Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter.*

RISVQVE SOLVTO. Id est cachinno.

ORAQVE CORTICIBVS SVMVNT. Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra & turpia fieri, quibus posset populo risus moveri: quia ea excercebant propter verecundiæ remedium, hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas factas de arborum corticibus sumerent.

ET TE BACCHE VOCANT. Hymnos in tuum canunt honorem.

TIBIQVE OSCILLA. Mollia, pensilia. ut, *Pilentis matres in mollibus.* OSCILLORVM autem variæ sunt opiniones. Nam alii hanc asserunt fabulam; Icarius Atheniensis pater Erigones, quum acceptum à Libero patre vinum, mortalibus indicaret, occisus est à rusticis: qui cum plus æquo potassent, inebriati venenum se accepisse crediderant. hujus canis est reversus ad Erygonem filiam, quæ cum ejus comitata vestigia pervenisset ad patris cadaver, laqueo vitam finivit. Hæc deorum voluntate inter astra relata est, quam vocant virginem. Canis quoque ille est inter sydera collocatus. Sed post aliquantum tempus, Atheniensibus morbus immissus est talis; ut eorum virgines furore quodam compellerentur ad laqueum; respondit que oraculum sedari posse pestilentiam illam, si Erigonis, & Icarii cadavera requirerentur: quæ cum diu quæsita nusquam invenirentur, ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem: ad quem se tenentes homines, hac atque illac, agitabantur; ut quasi etiam per aërem illorum cadavera quærere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inventum est ut formas, ad oris sui similitudinem facerent, & eas pro se suspensas moverent. Unde & oscilla dicta sunt ab eo, quod in his cillerentur, id est moverentur ora. nam cillere est movere: unde & furcillæ dictæ sunt, quibus frumenta cillentur. Alii dicunt oscilla membra esse virilia de floribus facta, quæ suspendebantur, per intercolumnia: ita ut in ea homines acceptis clausis personis impingerent, & ea ore cillerent, id est moverent ad risum populo commovendum. & hoc in Orpheo lectum est. Prudentioribus tamen aliud placet, qui dicunt sacra Liberi patris ad purgationem animæ pertinere. omnis autem purgatio aut per aquam fit, aut per ignem, aut per aërem: sicut & in sexto ait, *Aliæ panduntur inanes Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto, Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.* Ut nunc per oscilla genus purgationis, videlicet aëris, quod est maximum intelligamus: Nam primum aquæ est, secundum est ignis, tertium aëris.

HINC OMNIS LARGO PVBESCIT VINEA FOETV. Post hæc sacra celebrata.

VARIORVM.

VNCTOS SALIERE PER VTRES. τὰ ἀσκώλια, festa erant Athenis, quibus in medio theatri super utres, id est, ἀσκοὺς, inflatos obunctosque uno tantum saltabant pede, ut delabentes risum excitarent, idque in Honorem Bacchi: unde ἀσκωλιάζειν Græci hunc ludum, Latini cernuare dicunt. Illis porro ludis usurpabantur caprini utres, tanquam hircis tergore suo, Baccho derosa vite pœnas dantibus. GERMANVS.

OSCILLA EX ALTA SVSPENDVNT. Hoc genus lusus per sex Latinarum feriarum dies celebrabatur, in memoriam & imaginem vitæ humanæ, in qua altissima dejiciuntur, infima in altum efferuntur; idque ad memoriam redintegrandam initio acceptæ vitæ illis diebus: per oscillationem, motus cunarum; per lactatam potionem, lactis alimentum veteribus significantibus. GERMAN.

MOLLIA. *Mollia* hic pro mobilia. & videtur Virgilius opinionem illorum sequi, qui in honorem Liberi patris putant oscilla suspendi, quod ejus sit pendulus fructus. OSCILLA. *Oscilla* autem dicta, sive quoniam capita & ora hostiarum in summis perticis figebantur, sive quia hunc lusum Osci dicuntur frequenter exercuisse, & per Italiam sparsisse. PHILARGYR.

Digitized by Google

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque, & liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter:
Cui nunquam exhausti satis est. namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Æternum frangenda bidentibus: omne levandum
Fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Et jam olim seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus & sylvis Aquilo decussit honorem:
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, & curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitam attondens, fingitque putando.

SERVII.

ERGO RITE SUUM BACCHO DICEMUS HONOREM. Iuste igitur Liberi celebrabimus sacra. HONESTUM. Pulchrum.

CARMINIBUS PATRIIS. Id est Romana lingua. pleraque enim sacra, pro gentium qualitate: pleraque secundum suum ritum coluntur. nam hymni Libero apud Græcos græca, apud Latinos latina voce dicuntur. Hymni vero matris deûm ubique propriam, id est Græcam linguam requirunt.

STABIT SACER. Placebit. Tunc enim est aptum sacrificium, cum dedicatum animal victimæ patiens invenitur. unde & alibi sic ait, *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.* Id est placere faciam. Contra Lucanus, *Discussa fugit ab ara Taurus.* SACER autem, execrabilis: ut, *Auri sacra fames.*

IN VERUBUS TORREBIMUS EXTA COLURNIS. Quia sicut etiam caper est Inimicus vitibus, ita eis nocet & corylus, Vnde & ait supra, *Neve inter vites corylum sere.*

EST ETIAM ILLE LABOR. Iam paulatim tendit ad vitium vituperationem, dicens & infinitum esse earum laborem; ut, *Cui nunquam exhausti satis est.* & incertum fructum; ut, *Et jam maturis metuendus Iupiter uvis.* & ipsum etiam fructum perniciosum: ut, *Bacchus & ad culpam caussas dedit.*

EXHAUSTI SATIS EST. Exhaustionis, finitionis. quod quia asperum visum est, se ad figuram transtulit, & ait EXHAUSTI. ut, *Servantissimus æqui*: pro æquitatis. OMNE SOLUM. Continens, scilicet vites.

ÆTERNUM. Semper, perpetuo. Et absolute locutus est. LEVANDUM FRONDE NEMUS. Relevandum, spoliandum. Omne autem nemus dicit & arborum & vitium. Vnde paulo post dicturus est, *Bis vitibus ingruit umbra.*

LABOR ACTUS IN ORBEM. Id est in anni circulum labor se invicem sequitur rusticorum.

OLIM. Quandoque. Significat autem finale tempus autumni. SERAS FRONDES. Sero cadentes. Tarde enim spoliantur vites frondibus.

FRIGIDUS ET SYLVIS AQUILO DECUSSIT HONOREM. Varronis hic versus est.

ACER. Non quilibet: sed acer & diligens. CURAS VENIENTEM EXTENDIT I. A. Quasi in tempore alieno præmeditatur futurum laborem.

ET CURVO SATURNI DENTE. Id est falce, quæ est in ejus tutela. Nam Saturnus dicitur patri Cœlo virilia falce amputasse, quæ in mare cadentia Venerem creaverunt: quod ideo fingitur; quia nisi humor de cœlo in terras descenderit, nihil creatur. Alii Saturnum deum esse temporum dicunt; quæ sicut falx, in se recurrunt. Alii vero dicunt Saturnum in progressu nihil nocere: cum retrogradus est, esse periculosum. Ideoque eum habere falcem in tutela; quod & ipsa protenta nihil valet: retro acta vero, quicquid ei occurrerit secat. RELICTAM. Scilicet à se paulo ante desertam.

FINGITQUE PUTANDO. Componit. ut, *Fingitque premendo.*

VARIORUM.

ERGO. *Ergo*, veteres pro merito dicebant. Hinc Plautus in Milite glorioso: *Hiccine Achilles est, inquit mihi, immo ejus frater, ergo mecastor pulcer est.* & erit sensus. Merito, inquit, sacra faciemus ei, cujus beneficio vineta proveniunt. PHILAR.

ET DUCTUS CORNU, STABIT SACER. Improbant enim Aruspices hostiam, quæ admota altaribus reluctatur. PHILARGYR. Vtrumque verbum solenne, & Pontificale est: Nam victima *ducebatur*, non trahebatur. Statius 4. Theb. *gregum pulcherrima cervix ducitur.* Et tunc aptum sacrificium erat, cum animal dedicatum victimæ *staret*, & non reluctaretur. BRISSON. Formul. lib. 1.

LEVANDUM. Hic putandum. PHILARG.

SERAS. Vetulas, aridas. PHILARG.

RELICTAM. *Relictam*, neglectam, non putatam. PHILARG.

Digitized by Google

Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto:
Postremus metito. bis vitibus ingruit umbra:
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ.
Durus uterque labor. laudato ingentia rura,
Exiguum colito. nec non etiam aspera rusci
Vimina per sylvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet cura salicti.
Iam vinctæ vites: jam falcem arbusta reponunt:
Iam canit extremos effœtus vinitor antes.

SERVII.

PRIMVS HVMVM FODITO. Hoc est ad laborem primum te esse convenit, ultimum ad fructus legendos. Vinum enim factum de uvis immaturis cito acescit: & hoc loco inest vitium vituperatio, quarum fructus aut immaturi collecti depereunt: aut si earum fuerit expectata maturitas, nihilominus pereunt. Nam dicturus est, *Et jam maturis metuendus Iupiter uvis.*

ET VALLOS PRIMVS SVB TECTA REFERTO. Vitium sustentacula, quæ in nonnullis locis, in tecta portantur; ne imbribus depereant cito.

METITO. Vindemiato. Et per hoc dicit maturam uvam debere colligi. BIS VITIBVS INGRVIT VMBRA. Vitis & arboris, ut dempta folia Solem admittant, quo possint uvæ maturescere.

BIS SEGETEM DENSIS OBDVCVNT SENTIBVS HERBÆ. Semel autumnali, semel vernali tempore.

DVRVS VTERQVE LABOR. Et vellendarum herbarum, & frondium secandarum. LAVDATO INGENTIA RVRA, EXIGVVM COLITO. Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura: quod ideo dictum est, vel quia majores, agros incultos rura dicebant, id est sylvas, & pascua: agrum vero, qui colebatur: ut intelligamus, Laudato ingentes sylvas, colito agrum minorem. vel, quod melius est, quia ait in primo, *Alternis idem tonsas cessare novales, Et segnem patiere situ durescere campum:* quod fieri non potest nisi fuerint spatia majora terrarum. nam & Cato, ut diximus, & Cicero in OEconomicis, ob hoc laudant prædia latifundia; vel quod, ut dicit Donatus, etiam non culta præstant aliquid domino?

RVSCI. Ruscum virgultum est, unde vites ligantur. Et commemorat labores qui licet circa alia, tamen pro viribus exercentur.

INCVLTIQVE EXERCET CVRA SALICTI. Quasi cum indignatione ait, Caussa vitium, ut cura nos etiam sponte nascentium rerum fatigat.

FALCEM ARBVSTA REPONVNT. Putatæ sunt, nec falcem requirunt.

IAM CANIT EXTREMOS EFFOETVS, &c. Melius est *Effœtus* legere, quam *effætos*: ut quidam legunt. Et ANTES alii extremos vinearum ordines accipiunt: alii macerias quibus vinea clauduntur: quæ maceriæ fiunt de assis, id est siccis lapidibus. unde assæ tibiæ dicuntur, quibus canitur sine chori voce. Dicuntur autem ANTES à lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad maceriam sustinendam: nam proprie antes sunt eminentes lapides, vel columnæ ultimæ, quibus fabrica sustinetur. & appellantur antes ἀπὸ τ̃ ἀνθεστάναι: ad quam etymologiam, etiam extremos ordines vinearum possumus trahere, qui ante stant. Hoc autem dicit, Iam cantat rusticus labore finito: tamen deesse non potest quod exercere circa culturam vitium debeat.

VARIORVM.

PRIMVS. Per hoc intelligendum, primus puta. & inutiles palos sub tecta referto, pro quibus novos posueris. PHILARG.

POSTREMVS METITO. Metere tam ad vites, quam ad segetes refertur; ut apud Græcos ἀμᾶν & ἀμητὸς, non modo θερίζειν, sed & omnes fructus respicit. Sic & vindemia, & vindemiare ad aliorum fructuum, quam uvæ collectionem pertinet: unde Plinius, *prima mellis vindemia melior:* & Columella, *Mox vere transacto sequitur mellis vindemia.* GERM.

EXIGVVM COLITO. Videtur Poëta velle populares suos ad pristinam nascentis urbis revocare frugalitatem & moderationem; cum scilicet post exactos reges, septena civibus singulis jugera tantum assignata sufficerent, ut refert Plinius. GERMAN.

IAM CANIT EXTREMOS E. V. ANTES. Inepta Grammaticorum natio, quæ Virgilius EXTREMOS ANTES dixit, ipsi interpretantur Antes, *extremos ordines vinearum.* Ita Festi Epitomator. Servio *ultimæ columnæ quibus fabrica sustinetur.* Philargyrio, *extremæ quadrarum partes.* Nugæ. Si Antes propria sua notione extremitatem designaret, frustra summus Poëta, EXTREMOS ANTES dixisset; quod non ἐπιθετικῶς ab eo positum, sed rei signandæ. Vt extremi sunt Antes in vineis; ita & primi ac medii. Lassus & effœtus vinitor in extremis Antibus, qui in primis adhuc vegetus & integer, utpote laborare tum incipiens, quum in extremis vineæ ordinibus labore jam fractus sit. ANTES igitur sunt ordines cujuscunque rei anteriores & qui frontem spectant; Atque inde dicti. Glossæ veteres recte *Antes*, στίχοι ἀμπέλων. SALMASIVS.

ANTES. Cato de re militari: *Pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas.* sunt autem extremæ quadrarum partes. PHILARG.

Solli-

Digitized by Google

Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus:
Et jam maturis metuendus Iuppiter uvis.
Contra, non ulla eſt oleis cultura: neque illæ
Procurvam expectant falcem, raſtroſque tenaces,
Cum ſemel hæſerunt arvis, auraſque tulerunt.
Ipſa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem, & placitam paci, nutritor, olivam.
Poma quoque, ut primum truncos ſenſere valentes,
Et vires habuere ſuas, ad ſydera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne graveſcit,
Sanguineiſque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cythiſi, tedas ſylva alta miniſtrat,
Paſcunturque ignes nocturni, & lumina fundunt.
Et dubitant homines ſerere, atque impendere curam?
Quid maiora ſequar? ſalices, humileſque geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbram

SERVII.

TVLVISQVE MOVENDVS. Genus ipſum culturæ pulveratio vocatur; quo imminutæ glebæ vitibus applicantur.

MATVRIS METVENDVS IVPPITER VVIS. Aër, more ſuo, cujus varietas plerunque laborem decipit ruſticorum. Et tacite videtur admonere, quod in primo aperte dixit, ſacrificiis tempeſtates eſſe pellendas.

NON VLLA. Id eſt nulla, alii NON NVLLA legunt, id eſt aliqua: non ut in vitibus nimia.

PROCVRVAM EXPECTANT FALCEM. Vt putentur: quod tamen ad curam refertur anniverſariam. nam neceſſe eſt, licet tarde, olivam putari. RASTROSQVE TENACES. Ad fodiendum ſcilicet. Quia cum trahitur raſtrum per agros, omnem ſpurcitiam ſecum colligere videtur. Negligentiam autem ferunt oleæ quum jam cœperunt eſſe valentiores: nam adhuc parvæ, nimiam curam requirunt.

AVRASQVE TVLERVNT. Ferre auras, proprie eſt aſſueſcere aëris varietati; quæ obeſt rebus teneris nimium.

IPSA SATIS TELLVS. Hoc dicit, Aratum olivetum & oleis prodeſt, & exinde frumenta gignuntur.

SVFFICIT HVMOREM. Scilicet subminiſtrat arboribus. GRAVIDAS CVM VOMERE FRVGES. CVM abundat: nam hoc dicit, Subminiſtra fruges vomere, id eſt per vomerem. Ennius, *Effudit voces proprio cum pectore ſancto*, id eſt proprio pectore. Nam CVM, vacat. Vrbanus tamen ſic accipit, GRAVIDAS CVM VOMERE, id eſt ſtatim poſt arationem.

HOC. Hac re. NVTRITOR autem, pro *nutri*, nam pro activi imperativo præſenti, paſſivum futurum poſuit.

ET VIRES HABVERE SVAS. Quia tenera virgulta ſolent religari fuſtibus validioribus; ſicut ſupra ait de vitibus, *viribus eniti quarum & contemnere ventos*.

FOETV NEMVS OMNE GRAVESCIT. FOETV id eſt utilitate: nam omnis utilitas fœtus eſt. illuc autem tendit laus iſta ſylvarum, ut & probet non mirum eſſe ſi & poma & olivæ ſine ulla cultura præbeantur; & creſcat vitium vituperatio, circa quas tantus impenditur labor.

AVIARIA. Secreta nemorum, quæ aves frequentant. BACCAS autem SANGVINEAS, accipimus poma ſylveſtria.

TONDENTVR CYTHISI. Virgulta, à Cytho inſula, ubi abundant, nominata.

AVT ILLÆ. Id eſt ſalices aut geniſtæ. Multi tamen & *tiliæ* legunt; ut tria dixerit, Salices, tilias, & geniſtas.

VARIORVM.

EXPECTANT. Subaudiendum, talis cultura. Cæterum & oliveta coluntur. & quod ait, *nec curvam expectent falcem*, extrinſecus ſubaudiendum omni anno, quia & ipſa ex intervallo radi ſolent. PHILARGYRIVS.

QVID MAIORA. Quomodo majora, ſi ſalices plus ſunt humiles, quam myricæ? ſolvitur. Hic ſenſus eſt, & hæc ſubdiſtinctio. Quid majora ſequar? & tranſit etiam illa, quæ putes eſſe contemnenda. multum poſſunt, & ſalices, & myricæ, ſive geneſtæ, prodeſſe. PHILARG.

Sufficiunt: ſepemque ſatis, & pabula melli.
Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos; juvat arva videre,
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice ſylvæ,
Quas animoſi Euri aſſidue franguntque, feruntque,
Dant alios aliæ fœtus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedroſque, cupreſſóſque:
Hinc radios trivere rotis; hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuere carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi.
At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus: Ityræos taxi curvantur in arcus.
Nec tiliæ leves, aut torno raſile buxum,
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto:
Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado; nec non & apes examina condunt
Corticibuſque cavis, vitioſæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Baccheïa dona tulerunt?

SERVII.

VNDANTEM BVXO SPECTARE CYTORVM. Montem Macedoniæ, in quo abundat buxus: quæ vento mota, æſtus imitatur undarum.

NARICIÆQVE PICIS. A loco in quo abundant pices.

NON VLLI OBNOXIA CVRÆ. Non debitricia, nihil labori noſtro debentia.

IPSÆ CAVCASEO. Caucaſus mons eſt Scythiæ, poſitus hic pro quibuſlibet aſperrimis montibus. Steriles autem ait ſylvas, comparatione pomiferarum arborum.

HINC. De ſylvis ſcilicet: nam de cupreſſo efficit rotas nullus aut radios. TRIVERE. Tornavere, compoſuere de torno. TYMPANA. Tecta vehiculorum. PANDAS. Curvas.

VIMINIBVS SALICES FOECVNDÆ. Legitur & FOECVNDÆ FRONDIBVS VLMI. AT MYRTVS VALIDIS HASTILIBVS. Alibi, *Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.*

ET BONA BELLO CORNVS. Apta eſt enim etiam cornus haſtilibus.

ITYRÆOS TAXI CVRVANTVR IN ARCVS. Ityræos, hoc eſt in arcuum Ityræorum ſimilitudinem. ITYRÆOS autem dicit, *Parthicos.*

NEC TILIÆ LEVES, AVT TORNO RASILE BVXVM. Ordo eſt, Nec non tiliæ leves aut raſile buxum, torno formam accipiunt. NEC NON dicit, hoc eſt etiam.

MISSA PADO, pro in Padum. Species eſt pro genere.

VITIOSÆQVE ILICIS ALVEO. Carioſæ. Vult autem probare etiam putres arbores habere aliquam utilitatem. Sane pro *alveo*, per Synæreſim *alvo* dicimus.

QVID MEMORANDVM ÆQVE. Quid similiter laudandum. TVLERVNT. Dona Liberi: ſicut ſylvæ multa ſponte procreantes. Alii ET QVÆ legunt; ut ſit ſenſus, Quid dicendum eſt quæ tulerunt, ipſa etiam dona Baccheja. ut hoc dicat, [illegible]arum eſt quod vites tantum laborem requirunt, etiam munera earum cauſſas præſtant furoris.

VARIORVM.

VNDANTEM. Fluctuantem. PHIL.

VNDANTEM BVXO SPECTARE CYTORVM. Cytorus mons eſt aut civitas, aliis quidem Paphlagoniæ, aliis Ponti, buxo abundans. Vnde & Catullo Carm. 4. buxifer dicitur. Vide & Plin. lib 16. cap. 16. VNDANTEM ait, quia vento agitata, æſtus undarum imitatur. TAVBMAN.

NARICEÆ. Naricex; ut hic: *Naricii poſuerunt mœnia Locri.* PHIL.

OBNOXIA. Egentia. PHIL.

ROTIS. Rotas ex ſolidis tabulis factas, tympana appellavit; & agricolæ neceſſaria diſtinguunt. PHIL.

ITYRÆOS IN ARCVS. Id eſt præſtantiſſimos: quales ſunt Ityræi gentis Parthicæ. *Probus, Itureos* populos Scythiæ facit; manifeſto errore. legendum enim Syriæ, ut annotat SCALIGER ad Varron.

BVXVM. Signum, non arborem dixit. Quamvis Ennii exemplo, & arborem potuerit dicere neutro genere. Ille enim ſic in ſeptimo: *Longique cupreſſi Stant rectis foliis & amaro corpore buxum.* PHIL.

Bac-

Digitized by Google

Bacchus & ad culpam caussas dedit: ille furentes
Centauros letho domuit, Rhætumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O FORTVNATOS *nimium, sua si bona norint,*
Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreiaque æra:
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno;

SERVII.

ILLE FVRENTES CENTAVROS. Atqui in Æneide ait, *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.* Sed hoc solvit Horatius dicens, *Nec se Mars melius cum Marte confundet Thyoneus.* Nam re vera licet irarum caussas Mars habuerit, Lapithæ tamen & Centauri in furorem sunt ebrietate compulsi. Deinde hoc loco Centauros ait in furorem actos à Libero, non Lapithas.

MAGNO HYLÆVM LAPITHIS CRATERE MINANTEM. Bonum schema, ita enim pinguntur, quasi poculis bella tractantes.

O FORTVNATOS NIMIVM, SVA SI BONA NORINT, AGRICOLAS. Non est abruptus transitus ad laudem vitæ rusticæ: nam ad superiora pertinet. post vituperationem quippe vini, ista quasi consolatio est: per quam ostenditur quantas voluptates rusticis, natura præstiterit. Quod autem FORTVNATOS NIMIVM ait; non ad fortunam, sed ad fortunæ pertinet quantitatem: nam hoc dicit, Quantum in re est, maximas eis natura præstitit voluptates: quas si nossent, essent non fortunati, sicut nunc sunt, sed nimium fortunati.

PROCVL DISCORDIBVS ARMIS. Longe à civitatibus, plenis jurgio & rapinis.

IVSTISSIMA TELLVS. Proprie. nam si justus est, qui quod acceperit reddit; terra utique justissima est, quæ majore fœnore semina accepta restituit.

SI NON INGENTEM FORIBVS DOMVS ALTA SVPERBIS. Vt etiam in laudem fecit Italiæ; non solum vitam laudat rusticam, sed etiam contrariam, id est, urbanam, vituperat. Nam ista quæ de urbibus dicit, opinabilia sunt bona, non vera, sicut rustica. Multum enim interest inter verum & opinatum malum, seu bonum; Vnde Iuvenalis, *Pauci dignoscere possunt Vera bona.*

INHIANT. Habere desiderant. Et dicimus inhio illam rem. PVLCHRA TESTVDINE. Id est Indica: unde postes ornabantur, vel lectuli. Lucanus, *Foribus testudinis Indi Terga sedent fulvo maculas distincta smaragdo.*

ILLVSASQVE AVRO VESTES. In quibus artifex ludens, auro aliqua depinxerat. Male autem quidam inclusas legunt. EPHYRÆAQVE ÆRA. Corinthia, quæ laudat etiam Cicero. Nam Ephyrus est Corinthus.

ALBA NEC ASSYRIO FVCATVR LANA VENENO. Assyrii, populi sunt adjacentes Syriæ; apud quos primum usus inventus est purpuræ. VENENO. Colore.

VARIORVM.

RHORTVMQVE. Turnebus lib. 19. cap. 18. putat integrius hic & apud Horat. Ode XIX. lib. 2. & alibi scribi RHOECVM, auctore Æliano, in cujus Histor. lib. 13. legitur ῥοῖκον. Vide Palæphatum, Hyginum cap. 33. & 62. Diodorum lib. 4. cap. 8. TAVBMAN.

PHOLVMQVE. Hic quæstio est, cur Pholum inter Centauros interfectum dicat, quem Hercules etiam hospitem habuerit, nec dum infestaverit, sed peremptis Centauris, cum sagittas ejus Pholus miraretur, una earum supra pedem ipsius cecidit, & ei lethalis fuit. Inter Lapithas autem, & Centauros bellum fuit propter Hippodamiam, sive Deianiram: & cum ad rapiendam virginem insolentes Centauri fuissent, à Lapithis sunt attriti. PHIL.

IVSTISSIMA TELLVS. *Iustissima tellus* quomodo, si alibi dicit: *Cœumque Iapetumque creat sævumque Typhonem?* solvitur. Ideo *justissima*, quia cum decimis reddit fructus, quod est magnæ justitiæ. PHIL.

INHIANT. *Inhiant*, miramur, & subaudiendum salutantes. PHIL.

MANE SALVTANTVM TOTIS VOMIT Æ. V. Salutatores innuit, quos Communes amicos Roma vocavit, qui sportæ causa divitum obeuntes limina, matutinum passim AVE portabant. Vnde & Martial lib. 1. Epigr. *Et matutinum portat ineptus ave.* GERMAN.

TOTIS VOMIT ÆDIBVS. Pulchre & antique. Hinc & *Vomitoria* in Spectaculis dicebantur, unde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundebant. Vide MACROB. lib. 6. Saturnal. c. 4.

FVCATVR LANA VENENO. *Venenum*, ut docent etiam Iurisconsulti, ambiguæ significationis est vocabulum; ut malo & bono distingui debeat; ut Græcis φάρμακον. quod etiam βαφὴ & βάμμα est; ut hic *venenum*, pro colore & tinctu. GERM.

Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.
At secura quies, & nescia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Spelunca, vivique lacus, at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt: illic saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, parvoque assueta juventus:
Sacra deûm, sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant; cælique vias, & sydera monstrent:

S E R V I I.

NEC CASIA LIQVIDI CORRVMPITVR VSVS OLIVI. Casia est herba, de qua fit unguentum. Mire autem ait, Vsus olivi corrumpitur. nam oleum generalem usum habet, quod cum in unguentum fuerit corruptum, uni rei tantum esse aptum incipit.

ET NESCIA FALLERE VITA. Aut quia innocentes sunt; aut quoniam immobilis est status vitæ eorum. Vrbanorum enim fortuna, aut insidiis, aut proscriptione variatur.

LATIS OTIA FVNDIS. Fundus dicitur ab eo quod sit rerum omnium fundamentum.

SPELVNCÆ VIVIQVE LACVS. Id est bona naturalia, non sicut in urbibus labore quæsita. unde Iuvenalis, *Et speluncas dissimiles veris.* FRIGIDA TEMPE. Tempe proprie sunt loca amœna Thessaliæ. Abusive cujusvis loci amœnitas.

MOLLESQVE SVB ARBORE SOMNI. μαλακοὶ δ' ὑπὸ δένδρεσιν ὕπνοι.

ILLIC SALTVS. Venationes, quæ penitus in urbibus non sunt. LVSTRA FERARVM. Bene ferarum addidit, quoniam sunt in urbibus lustra meretricum. PARVOQVE ASSVETA. Id est non ut urbana, quæ est segnis & prodiga.

SACRA DEVM, SANCTIQVE PATRES. Duo dicit, Sacra deorum sancta apud illos sunt, sancti etiam parentes.

EXTREMA PER ILLOS IVSTITIA EXCEDENS TERRIS VESTIGIA FECIT. Hoc Aratus dicit; Iustitiam primo & in urbibus, postea in agris tantum fuisse: ubi eam inducit loquentem, cur abscedat è terris.

ME VERO. Diu quæsitum est, utrum philosophiæ, an rusticitatis esset vita fœlicior. unde nunc dicit primam esse philosophiam: post ipsam, rusticam vitam. Suam autem personam pro quocunque ponit. sic paulo post, *Rura mihi placeant*: pro cuilibet. Sic in primo, *Non illa quisquam me nocte per altum Ire juvat.* In tertio, *Ne mihi tunc molles sub divo carpere somnos.* Et hoc est quod dicit Horatius in arte poëtica, *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author*

QVARVM SACRA FERO. Poëta enim, quasi Musarum sacerdos est.

CÆLIQVE VIAS. Aut artes; ut, *Inveni germanæ viam.* Aut certe circulos, quibus sydera continentur.

V A R I O R V M.

NEC CASIA LIQVIDI CORRVMPITVR V. O. Omnia unguenta fiunt mixto olivo. Et recte dixit *corrumpitur*: quicquid enim desinit illud esse quod fuit, *corrumpi* dicitur. Et mixtiones illæ, quæ fiunt à myrepsis & pictoribus, sunt φθοραί. Tum notum est, magnum luxus instrumentum fuisse, quotidianas veterum unctiones. TAVBMANNVS.

SACRA. *Sacrum* dici volunt, quod sit cum religione. *sanctum*, quod cum amore. PHILARG.

ME VERO PRIMVM DVLCES MVSÆ. Sic Horat. Ode. 1. lib. 1. se beatissimum fore pronuntiat, si Lyrici nomen adipiscatur, cum in studio Poëtico summas habeat voluptates suas. PONTAN.

PRIMVM. primum & ante omnia. ut, *Primus ibi ante omnes.* PHILARG.

QVARVM SACRA FERO. Scilicet se Musarum sacerdotem profitetur, & in Musarum sacris curandis potissimas partes sustinere: alludens ad sacra Deorum solennia, in quibus magistri & reges, fercula ipsa, cistas & κειμήλια gestabant: ut ex illo, *Sacra Dionææ matri Divisque ferebam Auspicibus cœptorum operum*, constat: ut & præfuisse Cereris mysteriis matronas nobilissimas quasque, nemini non notum est. GERMAN.

INGENTI PERCVLSVS AMORE. Ita quidem multi legunt; sed longe rectius PERCVSSVS. Lucretius. *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.* Græci quoque ἀψάμενοι γυναικὸς dicunt eum, qui mulierem quampiam deperit. Muret. in Catull. Dicitur autem μουσόπληκτος, qui percitus est, & attonitus furore Musarum. Et transfertur ad eos, qui sua poëmata sic amant, quemadmodum parentes suos liberos. PONTANVS.

SIDERA. Vtrum ea quæ cum cælo feruntur infixa; an vaga, quæ contraria cœlo cursus conficiunt. An omnes cœli viæ notæ sunt. A sinistra austri, septentriones à dextra. Quod vulgo dicunt, laborat luna. Hinc Varro in *Cynistore*: *Eclypsis quando fit, cur luna laboret. & si hoc ridicule credunt, dicant, quid laborant.* PHILARG.

Defe-

Digitized by Google

Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis; rurſuſque in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis;
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, ſylvaſque inglorius. ò, ubi campi,
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis

SERVII.

DEFECTVS SOLIS VARIOS. Atqui uno modo tantum Sol deficere nobis videtur, tunc ſcilicet cum luna plena è regione ejus obſtiterit radiis, & eos nobis fecerit non videri. Vnde varios accipimus defectus; non quia varia ratione contingant (nam ratio una eſt, ut diximus) ſed quia vel variis temporibus fiunt, vel varie: interdum enim duobus, interdum quatuor, interdum pluribus deficit digitis.

LVNÆQVE LABORES. Vel errores, quia non recta incedit: vel defectus, qui contingunt Lunæ; quotiens terræ altitudo interveniens radiis Solis, eam illuminari non patitur, à quibus dicitur lumen accipere.

VNDE TREMOR TERRIS. Variæ ſunt opiniones. Alii dicunt ventum eſſe in concavis terræ, qui motus etiam terram movet. Salluſtius. *Venti per cava terræ citari.* Lucanus, *Quærentem erumpere ventum Credidit.* Alii aquam dicunt genitalem ſub terris moveri, & ſimul eas concutere, ſicut vas aquæ: ut dicit Lucretius. Alii σφογγοειδῆ terram volunt, cujus plerunque latentes ruinæ, ſuppoſita cuncta concutiunt.

QVA VI MARIA ALTA TVMESCANT OBICIBVS RVPTIS. Alii ſic accipiunt, quod ruptis obicibus, id eſt Calpe & Atlante montibus Hiſpaniæ & Mauritaniæ, Oceanus eruperit, & iſta fecerit maria: quod non procedit. Si enim hoc eſſet, non diceret tumeſcant, ſed tumuerunt; quum eruperunt Oceani maria. unde æſtuaria Oceani accipimus; qui per Gallias & Hiſpanias in infinitum erumpit contempta lege riparum, ad quas rurſus recurrit. Cujus rei opiniones Lucanus in primo commemorat dicens, *Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet, Deſtituatque ferens an ſydere mota ſecundo Tethyos, unda vagæ lunaribus æſtuat horis: Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas. Erigat Oceanum, fluctuſque ad ſydera tollat.*

QVID TANTVM OCEANO PROPERENT SE TINGERE SOLES HYBERNI. Circulorum hoc efficit ratio, ut etiam in Aëneide diximus.

TARDIS MORA NOCTIBVS. Tarde venientibus, id eſt æſtivis.

SIN HAS NE POSSIM NATVRÆ ACCEDERE PARTES. Phyſicæ philoſophiæ, unde ſunt illa quæ dixit.

FRIGIDVS OBSTITERIT CIRCVM PRÆCORDIA SANGVIS. Secundum phyſicos, qui dicunt ſtultos homines eſſe frigidioris ſanguinis: prudentes, calidi. Vnde & ſenes, in quibus jam friget; & pueri in quibus necdum calet, minus ſapiunt.

INGLORIVS. Comparatione philoſophiæ. ſic in Aeneide, *Et mutas agitare inglorius artes.* Non quod nulla gloria medicinæ eſt; ſed quod minor, quam divinitatis & augurandi, quæ ei Apollo obtulerat munera. ut, *Augurium cytharamque dedit, celereſque ſagittas.*

SPERCHIVSQVE. Fluvius Theſſaliæ.

VARIORVM.

DEFECTVS. Varios defectus ſecundum Epicurum, qui ait: non unam cauſam pronuntiandam, qua Sol deficere videtur, ſed varias. Poteſt enim fieri, ut extinguatur, ut longius recedat, ut aliquod eum corpus abſcondat. PHILARG.

LVNÆQVE LABORES. *Lunæ* autem *labores* dicit, cum dimittit lumen. PHILARG.

TARDIS. *Tardis noctibus*, id eſt tarde venientibus, id eſt æſtivis. PHILARG.

HYBERNI. Celſus Oceanum ſignificari ait, qui æſtu ſuo diffidit terram inter Mauritaniam, & Hiſpaniam. ut hoc ſit, *obicibus ruptis.* Cauſſa autem brevium dierum eſt, quod ſigna hyemalia tranſverſa oriantur, atque occidant. cauſa longorum dierum, quod æſtiva recta oriantur, & occidant. PHILARG.

FRIGIDVS OBSTITERIT CIRCVM PRÆCORDIA SANGVIS. Hic reſpexiſſe videtur, ad illum Ariſt. locum de animalibus; quo docet, omnium prudentiſſimum eſſe hominem; quod tenuiſſimum, puriſſimum & calidiſſimum habeat ſanguinem eum, qui circa cor verſatur & reſidet: cum & cauſam ſanguinem conſtituat eorum, quæ ad mores attinent & ad ſenſum, ut materiam ipſum ſanguinem omnium, cum alimentum ſit quidem materia, ſanguis autem poſtremum alimentum, qui & magnas efficiat diverſitates & momenta, calidus vel frigidus, purus vel turbidus. Reſpicit ergo eorum opinionem, qui in ſanguine prudentiæ ponebant partes. GERMAN.

VIRGINIBVS BACCHATA LACÆNIS. Vbi bacchatæ ſunt. & non hæc optat, ſed talia. Bacchi enim orgia in montibus celebrari ſolebant à furioſis Bacchis; quæ à Spartanis, quorum mons erat Taygeta, δύσμαιναι, appellabantur. PHILARG.

Tay-

Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra.
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas:
Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.
Fortunatus & ille, deos qui novit agrestes,
Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille

SERVII.

TAYGETA. Mons Laconum Libero & Baccho sacratus. HÆMI. Montis Thessaliæ: in quo etiam sunt Tempe.

FELIX QVI POTVIT RERVM COGNOSCERE CAVSSAS. Repetitio est superioris coloris: nam hoc dicit, Et rustici felices sunt; & qui tribuunt operam philosophiæ. RERVM CAVSSAS. Id est physicam philosophiam.

INEXORABILE FATVM. Alibi, *Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.*

SVBIECIT PEDIBVS. Calcavit. FATVM. Ex fato venientia. ACHERONTIS AVARI. Omnem mundum in mortem trahentis.

DEOS QVI NOVIT AGRESTES. Qui abstinet civicis malis; & aut rura habitat, aut cum suis numinibus rura descripsit.

NYMPHASQVE SORORES. Non Panis vel Sylvani: sed inter se sorores: ut, Æneæos fratres: inter se scilicet.

POPVLI FASCES. Honores qui à populo præstantur. Proprie autem locutus est, ut fasces populi, regum purpuram diceret.

INFIDOS AGITANS DISCORDIA FRATRES. Discordiam posuit pro avaritia. Ab eo quod præcedit id quod sequitur. *Infidos autem fratres* ideo ait, quod avaritiæ caussa dissentiunt.

AVT CONIVRATO DESCENDENS DACVS AB ISTRO. Id est non eum solicitat conjuratio Barbarorum.

ISTER autem, fluvius est Scythiæ. NON RES ROMANÆ, PERITVRAQVE REGNA. Regna scilicet Barbarorum. Nam duo dicit; Rusticum, nec Romanum imperium movet, id est ad ambitum cogit: nec barbarorum regna peritura. Non enim Romano maledixit imperio, licet hoc alii dictum velint ex generali venire sententia, quod omnis magnitudo imperii periculis subiacet. unde etiam Iuvenalis ait, *Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci Descendunt reges, & sicca morte tyranni.*

VARIORVM.

QVI ME. Qui, pro aliquis: & subaudiendum deus. PHILARG.

GELIDIS IN VALLIBVS HÆMI. Alii *Æmi* legunt. Mons est Thraciæ, cæteros ejus spatii, magnitudine ac sublimitate superans, mediamque Thraciam dividens. Strabo lib. 7. Plin. lib. 4. cap. 11. RAMVS.

SVBIECIT PEDIBVS. Quia Philosophiæ cognitione, & mortis metum, & inferos quibus voluptas humana inquinaretur, domari & tolli credebant. Ita Lucret. lib. 3.

Et metus ille foras preceps Acherontis agendus,
Funditus, humanam qui vitam turbat, &c.

PER STREPITVM, intelligit opinionem formidolosam, quæ vulgo est, de Acheronte. PHILARG. TVRNEB. lib. 21. 10.

STREPITVMQVE ACHERONTIS AVARI. Fortasse Acherontem avarum ea ratione dixit, ut *summanus Pluto*, Plauto dicitur, quasi manium summus; qui omnes avarissime in suum thesaurum rapit: unde summanare, pro avide rapere & furari summani more. Nimirum & Πλούτωνα vocant διὰ τὸ νεκροῖς πλουτεῖν. unde & Cicero de natura Deor. *Terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est; qui dives, ut apud Græcos πλούτων, quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Videtur autem hic poëta doctus, secutus Sironis præceptoris disciplinam, alludere ad illud Lucretianum, *Et metus ille foras praceps Acherontis agendus.* GERMAN.

NYMPHASQVE SORORES. Dryades, Hamadryades, Orestiades, Limoniades, Najades, sylvarum, montium, pratorum, aquarum: quæ sunt sibi inter se sorores. RAMVS.

DESCENDENS DACVS AB ISTRO. Aufidius Modestus legisse se affirmabat hunc morem esse Dacorum; ut cum ad bella proficiscerentur, non prius rem capesserent, quam de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, jurarent non se ad patriæ sedem regressuros, nisi hostibus cæsis. & idcirco Virgilium familiari sibi hypallage usum dixisse, *Istrum conjuratum*, apud quem Daci conjurare consueverunt. PHIL.

DACI autem, ut ait Strabo, in diversum ad Germaniam & Istri fontes vergunt. Philipp. Melanchthon, *Dacos* fuisse censet, quos nunc Septemcastrenses appellamus, & vicinas gentes, quæ sæpius contra Romanos conjurarunt: & victæ tandem fuere à Domitiano. *Daciam* Pompon. Sabinus *VValachiam* interpretatur. ISTER. vero, *Danubius* est; qui & *binominis* Ovidio. TAVBMAN.

Aut

Digitized by Google

Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua, carpſit; nec ferrea jura,
Inſanumque forum; aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum: penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidiis urbem, miſeroſque penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.
Condit opes alius, defoſſoque incubat auro.
Hic ſtupet attonitus Roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos, geminatur enim plebiſque patrumque,
Corripuit. gaudent perfuſi ſanguine fratrum:
Exilioque domos, & dulcia limina mutant,

SERVII.

AVT DOLVIT MISERANS INOPEM, AVT INVIDIT HABENTI. Cicero in Tuſculanorum quinto libro hoc tractat; dicens, in quem cadit una mentis perturbatio, poſſe in eum omnes cadere: ſicut poteſt omni virtute pollere, cui virtus una contigerit. unde nunc Virgilius noluit ruſtico aſſignare miſericordiam; ne ei daret etiam cæteras animi paſſiones, quas novimus & à bonis, & à malis rebus venire. A bonis opinatis duas: unam præſentis temporis, ut gaudium: & unam futuri, ut ſpem. A malis ſimiliter duas: unam præſentis, ut dolorem: & unam futuri, ut metum. quas paſſiones eſſe animi non dubium eſt. unde & ipſe ait in ſexto, *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Salluſtius etiam in Catilinæ bello ait, *Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. nam animus haud facile verum providet, ubi illa officiunt.* Ergo aut ſecundum Ciceronis tractatum hoc dixit: aut quod abſolutius eſt; intelligamus ideo ruſticum paupertatem non dolere, quod eam malum eſſe non credit; ſed munus deorum. Lucanus de paupertate, *Et munera nondum Intellecta deûm.* Eſt & aliud quod poſſumus accipere; ideo ruſticum nec bonis, nec malis alienis moveri, quia ejus non intereſt; quippe qui ab urbibus eſt remotus.

FERREA IVRA. Dura, inexorabilia, immutabilia.

INSANVMQVE FORVM. Litigioſum. POPVLI TABVLARIA. Vbi actus publici continentur. Significat autem templum Saturni, in quo & ærarium fuerat, & ubi reponebantur acta, quæ ſuſceptis liberis faciebant parentes. Iuvenalis, *Tollis enim, & titulis actorum aſpergere gaudes, Argumenta viri.*

CÆCA FRETA. Subito in tempeſtatem ſurgentia.

PENETRANT AVLAS ET LIMINA REGVM. Profitentur ſatellitium. Limina autem ait interiorem familiaritatem. ſic Turnus, *Stirpem admiſceri Phrygiam, ſe limine pelli.* PETIT EXCIDIIS VRBEM. Incertum, alienam; an ſuam.

GEMMA BIBAT. Gemmeo poculo, non gemmato. SARRANO DORMIAT OSTRO. Tyria purpura: quæ enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur; à piſce quodam, qui illic abundat: quem lingua ſua Sar appellant. Iuvenalis, *Aut pictæ Sarrana ferentem Ex humeris aulæa togæ.*

HIC STVPET ATTONITVS ROSTRIS. Scilicet, ut concionetur.

PER CVNEOS, GEMINATVR ENIM PLEBISQVE PATRVMQVE CORRIPVIT. Ordo eſt, Corripuit enim hunc geminatus per cuneos plauſus, & plebis & patrum.

EXILIOQVE DOMOS. Voluntario ſcilicet propter avaritiam.

VARIORVM.

AVT DOLVIT. Non crudelem ruſticum inducit, qui inopis non miſereatur; ſed qui ſciens paupertatem malum non eſſe, pauperis non doleat ſortem: & ideo adjecit, *aut invidit habenti*, quia non invidet, ſciens divitias bonas non eſſe. PHIL.

FERREA IVRA. Quia veniam dare non norit. PHILARG.

TABVLARIA. Negotia publica, & rationes populi quæ in tabulis ſcribuntur, unde tabularia dicta. VIDIT: expertus eſt; ut, *illic Ætneos vidit Cyclopas Vlyxes.* In *tabulario* ergo, inſtrumenta, literæ, tabulæque publicæ continebantur. *Tablinum* autem privatarum ædium erat, ut ex Cicerone cognoſcitur. PHILARG. GERMAN.

HVNC PLAVSVS HIANTEM. Senſus: hic audet concionari, & in roſtris conventum populi, favoremque miratur. PHILARG.

PER CVNEOS. Vel à forma ipſa cunei prima; vel à ſimilitudine cunei militaris, hoc eſt, peditum globi in cunei formam redacti. cunei dicti ſic loca in theatro, id eſt graduum ordines, in quibus vulgus ſpectatorum ſtabat inter ſedentium ſubſellia: unde Iuvenalis, *cuneus an habent ſubſellia totus? Quod ſecuritas ames?* GERMAN.

GEMINATVR ENIM. *Geminatus* legit Turnebus; qui & hunc verſum vult reſpondere illis Horat. *Lætum theatris ter crepuit ſonum*: & alibi, *Certet tergeminis tollere honoribus*: quos ad theatralem populi plauſum refert. GERMAN.

Atque alio patriam quærunt sub Sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam, parvosque nepotes
Sustinet: hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trãpetis;
Glande sues læti redeunt, dant arbuta sylvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea pendent dulces circum oscula nati,
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesque in gramine læto,
Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos: fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, & socii cratera coronant:
Te libans Lenæe vocat; pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo:
Corporaque agresti nudant prædura palæstra.

SERVII.

ALIO SUB SOLE. Sub alio climate.

HINC ANNI LABOR. Ex agricultura habet totius anni substantiam. HINC PATRIAM. Donatus villam intelligit, non revera patriam.

MERITOSQUE JUVENCOS. Sui consortes laboris.

NEC REQUIES. Id est nunquam potest rusticus omni parte destitui. CEREALIS MERGITE CULMI. Manipulos spicarum, mergites dicimus.

SICYONIA BACCA TRAPETIS. Oliva, à civitate Laconiæ Sicyone, ubi abundant olea. TRAPETIS autem, molis olivaribus. Et declinatur trapetum, sicut templum. Terentianus, *Quos super insidens trapetos signa gyris temperat.* Quod metrum aptum est olivam terentibus.

ARBUTA. Poma sylvestria.

DULCES CIRCUM OSCULA NATI. Contra illud, *Exilioque domos & dulcia limina mutant.*

C[A]STA PUDICITIAM SERVAT DOMUS. Non [illegible] urbibus impudica.

IPSE [illegible] AGITAT. Suspendendum. & sic infe[r]endum *festos*. nam hoc dicit, omnes dies sic habet, ut festos putes. Alii dicunt, festos dies cum religione concelebrant.

AGRESTI PALÆSTRA. Rustica luctatione. Palæstra autem dicta est, vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est à luctatione: vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, hoc est à motu urnæ, nam ducti sorte luctantur.

VARIORUM.

ALIO SUB SOLE JACENTEM. Quia ortus & occasus dierum, & noctium, aliarumque id genus rerum diversa est in diversis locis ratio. Horatius Ode 16. lib. 2. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?* Idem, *cœlum mutare* dixit. PONTANUS.

REQUIES. Nec requiescit, nec intervallum est. PHILARG.

MERGITE. *Mergites* fasces culmorum spicas habentium, quas metentes brachiis sinistris complectuntur. quidam cavos dicunt. PHIL.

SICYONIA BACCA. Quoniam oleum Sicyonium magno in pretio est. *Sicyon* urbs Peloponnesi. *trapetis* autem, molis lapideis, ubi oliva molitur. PHILARG.

COQUITUR. Familiaris est figura pro coquitur, ut mitescat. PHIL.

FESTOS. Non cum festi venerint, sed omnes dies, quasi festos agit, id est lætos. PHIL.

IGNIS UBI. In medio *ubi ignis*, & proprie *coronantur*, usque ad coronam summam implentur.

CERTAMINA PONIT IN ULMO. Hic poëta Græce locutus videtur: quandoquidem Græci ἆθλα τιθέναι dicunt, & [illegible]. unde & ἀθλοθέτας & ἀθλοθεσία, quamvis nonnunquam confundantur. Supra, *præmia Tyresidæ posuere.* Eadem significatione usurpavit Jurisconsultus l. liberto de ann. legat. *Certamina*, inquit, *sub nomine ipsius celebrarentur.* GERMAN.

Hanc

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus, & frater. sic fortis Hetruria crevit:
Scilicet, & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis:
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Nec dum etiam audierant inflari classica; nec dum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

SERVII.

SIC FORTIS HETRVRIA CREVIT. Secundum historiam. nam constat, Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse.

ANTE ETIAM SCEPTRVM DICTÆI REGIS. Antequam regnaret Iuppiter, qui est in Dictæo monte Cretensi nutritus.

IMPIA QVAM CÆSIS GENS EST EPVLATA IVVENCIS. Arati est hoc, qui dicit quod majores bovem comesse nefas putabant.

NEC DVM IMPOSITOS DVRIS. Iuvenalis, *Nescierant primi gladios excudere fabri.*

ET IAM TEMPVS EQVVM FVMANTIA SOLVERE COLLA. Allegoricos hoc dicit, Debemus fatigato ingenio parcere, & facere finem carmini. Sane non est comparatio, sed translatio: sicut & in primi fine diximus. Et plerique volunt, ideo eum dixisse hoc loco carmini Georgico finem se esse facturum, quod duo sequentes libri, pastorales sunt, non Georgici; ut etiam in prima hujus carminis parte memoravimus;

VARIORVM.

HANC VITAM. id est, aureum seculum. PHILARGYR.

HANC OLIM VETERES VITAM C. S. Cicero in Cat. Major. *In agris tunc erant Senatores: siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est, eum Dictatorem esse dictum; & à villa in Senatum arcessebatur Curius, &c.* Plinius lib. 18. 3. *Ipsorum hinc manibus Imperatorum colebantur agri gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore.* TAVBMAN.

COLVERE SABINI. Sabini, ut quidam existimavere à religione & deorum cultu *Sevini* appellati. Plin. lib. 3. cap. 12. RAMVS.

ETRVRIA. Maximum enim imperium Etruscorum in Italia fuit, ut ait Livius, ab Alpibus usque ad fretum Siculum. Vnde totum mare, quod à dextra Italici litoris est, Tyrrhenum dicitur. Hoc Varro doctius dividit in provincias marinas. PHIL.

SEPTEMQVE VNA SIBI MVRO C. D. ARCES. Repetitur autem versus sexto Æneidos: *Septemque una sibi muro circumdabit arces.* Montes autem sunt, Capitolinus, Aventinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis, Palatinus. Varro septimontium etiam nominat diem, à septem montibus, in quibus Roma erat sita: cujus item meminit Plutarch. *ἐν ῥωμαϊκοῖς.* rationem reddens, cur curando illo die & celebrando, juncto curru Romani non uterentur. RAMVS. GERMAN.

IMPIA QVAM CÆSIS GENS EST. E. I. Varro lib. 2. cap. 5. Bos, socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Prometheus vero primus bovem occidit. Plin. lib. 7. cap. 56.

INFLARI CLASSICA. Indicatur sæculum ferreum, quo bella ceperunt, inventis etiam ensibus. Tibull. lib. 1. Eleg. 1. *Martia cui somnos classica pulsa fugent.* PONTANVS.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER TERTIVS.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos sylvæ, amnesque Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia jam vulgata. quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

SERVII.

TE QVOQVE MAGNA PALES. Invocat deam pabuli, dicturus de animalibus: sicut de frumentis dicturus & vitibus, Cererem invocavit & Liberum. Sane non est mirandum esse usum eum procemio; sicut est usus in primo. nam aliud quodammodo inchoaturus est carmen, pastorale scilicet, post completum Georgicum. deinde etiam si unum sit, scimus concessum esse scribentibus, ut iteratione procemii, legentium interdum reficiant laborem. Nam & Livius frequenter innovat principia. Vt, *Incensa à Gallis urbe. ut Completis consulibus.* Et Cicero, in Verrinis qui in frumentaria conciliavit auditorum animos, iteratione principii. ut, *Omnes qui alterum iudicant.* PALES autem ut diximus, dea est pabuli: quam alii Vestam; alii matrem deûm vocant. hanc Virgilius genere fœminino appellat. Alii, inter quos Varro, masculino genere, ut, *hic Pales.* Huic sacra solvuntur XI. Kalendas Majas die, quæ Palilia vocatur.

PASTOR AB AMPHRYSO. Amphrysus fluvius Thessaliæ, apud quem Apollo spoliatus divinitate, ob occisos Cyclopas, Admeto regi pavisse armenta dicitur. unde eum nunc invocat, qui Nomius vocatur, vel ἀπὸ τῆς νομῆς id est à pascuis: vel ἀπὸ τῶν νόμων, id est à lege chordarum. SYLVÆ AMNESQVE LYCÆI: κατ' ἐξοχὴν montem Arcadiæ posuit: vel quia pecorosa; vel quia Pan illic est rusticum numen.

CÆTERA, QVÆ VACVAS TENVISSENT CARMINA MENTES. Hoc est, fabulæ, quæ delectationi esse poterant, & occupare mentes curis solutas, jam descriptæ à multis in omnium ore versantur.

QVIS AVT EVRYSTHEA DVRVM? Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus; qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. unde eum durum appellavit, qui potuit ad complendum odium novercale sufficere.

AVT ILLAVDATI NESCIT BVSIRIDIS ARAS? Busiris rex fuit Ægypti: qui cum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemptus est, quum etiam eum voluisset occidere. hujus laudes scripsit Isocrates: unde *illaudati*, participium est pro nomine; ut sit illaudabilis, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruit: ut est illud in septimo Aeneidos, *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos.* Pro inaccessibiles: non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat.

VARIORVM.

TE QVOQVE MAGNA PALES. Sunt viri docti, qui mirentur in hoc opere, quod præcepta rei pecuariæ doctrinamque præ se fert, Virgilium oblitum instituti, nihil omnino, quod ad cultum curamque suilli pecoris pertineat, expedivisse; cum à Varrone & Columella porcorum pastiones, saginationesq; magno studio commendatæ fuerint. Poëtam consulto hanc partem prætermisisse credo; quod non quo reliquum pecus, suillum pari studio & labore haberi soleat, vel in gratiam Romanorum, Iuliæque familiæ ad Venerem genus referentis, religione aliqua, belluæque abominatione, Veneri Adonidis nece, & Cereri, rostri injuria invisissimæ, utrique Deæ, Romæ præcipuo honore habitæ, silentio, data opera, docendi hanc particulam, præteriisse. GERMANVS.

MAGNA PALES. Hinc Palilia. Sunt qui Parilia legant, eaque non à Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque & herbæ parturiant pariantque. Sed *Pales* deus, alius est à *Pale* dea: quod nos docet locus iste Arnobii lib. 3. adversus gentes: *Cesius & ipse assequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iovialem, ac Palem, sed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis, ministrum Iovis, ac villicum.* Quæ verba aperte ostendunt de Pale, Iovis villico, loqui Varronem: quod Servius non animadvertit. GERMAN. VOSSIVS.

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodamèque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modo vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.

SERVII.

CVI NON DICTVS HYLAS PVER. Id est à quo. Horatius, *Scribêris Vario fortis & hostium*, Pro à Vario. Hylas autem socius Herculis fuit, qui aquatum profectus, raptus est à Nymphis in Mysia. LATONIA DELOS. In qua Latona enixa est Apollinem & Dianam; quam insulam ante vagam Apollo, ut in tertio legimus, *Mycone celsa Gyaroque revinxit:* ubi fabulam plenius diximus, stabilem fecit.

HIPPODAMEQVE. Græca quæ in e exeunt, plerunque ipsum e in IA solvunt: ut, Hippodame Hippodamia: Penelope Penelopia. Fabula talis est, Hippodame filia fuit OEnomai regis Elidis & Pisarum: hic equos habuit velocissimos, utpote ventorum flatu creatos, qui procos filiæ multos necavit: sub hac conditione provocatos ad curule certamen, ut aut victus traderet filiam, aut victor necaret. Postea cum Pelopem amasset Hippodamia, corrupit Myrtilum aurigam patris, primi coitus pactione: qui factis cereis axibus, quum victore Pelope à puella promissum posceret præmium, ab ejus marito præcipitatus in mare est, cui nomen imposuit. nam ab eo Myrtoum dicitur pelagus.

HVMEROQVE PELOPS INSIGNIS EBVRNO. Tantalus pater Pelopis, volens deorum tentare divinitatem, invitatis eis, filium suum epulandum apposuit: à quo omnes dii abstinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus consumpsit. Postea punito Tantalo, cum dii voluissent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quæ corpora universa consumit, ossa tantum reservans.

ACER EQVIS. Victor etiam OEnomai. VIA. Ratio ineunda. ME QVOQVE POSSIM. Sicut se alii sustulerunt carminis merito.

VICTOR. Effector propositi: Sic paulo post, *Illi victor ego.*

PRIMVS EGO IN PATRIAM. Ideo primus, quod ante illum nullus Mantuanus poëta fuit. aut quia nullus exinde talis emersit. MODO. Tantummodo.

AONIO VERTICE. Bœotio. Eliconia ipsa est Bœotia, in qua est Elicon mons, Musis dicatus.

IDVMÆAS PALMAS. Abundantes, quantæ sunt apud Idumen civitatem Phœnicis. Lucanus, *Et arbusto palmarum dives Idume.*

IN MEDIO MIHI CÆSAR ERIT, TEMPLVMQVE TENEBIT. Id est, ipsi templum dabo. Et verbo usus est pontificali. Nam qui templum dicabat, postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab alio necesse fuerat jam teneri, & ab humano jure discedere. Quod autem dicit, IN MEDIO MIHI, ejus templum fore significat. nam semper ei sacratus numini locus est, cujus simulachrum in medio collocatur; alia enim ad ornatum tantum pertinent.

VARIORVM.

CVI NON DICTVS HYLAS PVER? Hylas Thejodamantis filius, Dyropum regis; quorum gens subjecta Parnasso fuit: qui, patre interfecto, Herculem secutus, studio ejus virtutis ardens. Cum ex comitatu Argonautarum in Mysiam Hercules recessisset, ad materiam quærendam remi, quem fractum volebat reficere; & Hylas, ad hauriendam aquam, Ascanii fluminis urnam extulisset: dum accedit ad ripam adamatus à Nymphis est. Propter hunc Hercules comites deseruit, nec secutus est Iasonem, ut refert Apollonius in Argonautis. PROBVS.

QVA ME POSSIM TOLLERE HVMO. Horat: Ode 2. lib. 3. *Cœtus vulgares & udam Spernit humum fugiente penna.* Quia humus demissa est, & in infimo jacet, & pedibus feritur; ideo humilia nominamus, quæ nullo in honore, quæ contempta & abjecta sunt. Item humi jacere, est despici, nihili fieri. Ergo *tollere se humo*, erit nomen sibi parare, in hominum notitiam pervenire. PONTANVS.

AONIO. Bœotio, quod ibi primi Aones fuerunt. PHILARG.

IDVMÆI. Gens est Syriæ. Quidam *Idumæas palmas*, ab Iduma, quæ est urbs Lydiæ, palmarum ferax, dictas volunt. Plerique Idumam syriæ Iudææ civitatem credunt. PHILARG.

MVSAS. Helicon mons est Musis dicatus. PHILARG.

ET VIRIDI IN CAMPO. Hic est campus, de quo ait: *Et qualem infœlix amisit Mantua campum.* PHILARG.

IN MEDIO MIHI CÆSAR. Locus medius apud Romanos honoratior, ut semper apud hunc poëtam observare est. GERMANVS.

TENEBIT. Pro possidebit. *Compos voti* autem, pro lætus animi. PHILARG.

Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens, lucosque Molorchi,
Cursibus, & crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ
Dona feram. jam nunc solennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel scena ut versis discedat frontibus: utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto
Gangaridûm faciam, victorisque arma Quirini:

SERVII.

TYRIO CONSPECTVS I. A. In habitu pontificis: cujus se officium dicit in templi consecratione sumpturum.

CENTVM QVADRIIVGOS AGITABO AD FLVMINA. Id est unius diei exhibebo Circenses: quia ut Varro dicit in libris de gente populi Romani, olim XXV. missus fiebant: sed vigesimusquintus dicebatur ærarius; eo quod de collatione populi exhibebatur. qui desiit esse, postquam conferendæ pecuniæ est consuetudo sublata: unde hodieque permansit, ut ultimus missus, appelletur ærarius. Ergo *centum currus* secundum antiquitatem dixit, sicut etiam *ad flumina*. Olim enim in littore fluminis Circenses agitabantur: in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum. unde & Circenses dicti sunt, quia exhibebantur in circuitu ensibus positis: licet alii à circumeundo dicant Circenses vocari. CVNCTA MIHI. In honorem meum. Et hoc dicit, Ex aliis agonibus ad me certatura Græcorum multitudo conveniet. Per *Alpheum* autem, Iovis Olympici agonem significat. Nam *Alpheus* fluvius est Elidis, quæ civitas juxta Pisas est, in qua colitur Olympicus Iuppiter. LVCOSQVE MOLORCHI. Id est sylvam Nemeam, in qua celebratur Agon in honorem Archemori. Molorchus autem pastor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeum leonem, suscepit hospitio.

CRVDO CÆSTV. Duro. ut, *Seu crudo fidit pugnam committere cæstu*. TONSÆ OLIVÆ. Minutis foliis compositæ: ut, *Tonsisque ferunt mantilia villis*. Habiturum se autem coronam tonsilem dicit.

VEL SCENA VT VERSIS. Apud majores, theatri gradus tantum fuerunt. Nam scena de lignis tantum ad tempus fiebat; unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pægmata, à ludorum theatralium editoribus. Scena autem quæ fiebat, aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ nudabatur interior. Vnde perite utrunque tetigit; dicens, VERSIS DISCEDAT FRONTIBVS: singula singulis complectens sermonibus. Quod Varro, & Suetonius commemorant.

PVRPVREA INTEXTI TOLLANT AVLÆA BRITANNI. Hoc secundum historiam est locutus. Nam Augustus postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis quos adduxerat, donavit ad officia theatralia: dedit etiam aulæa, id est velamina, in quibus depinxerat victorias suas; & quemadmodum Britanni ab eo donati, eadem vela portarent: quæ re vera portare consueverant. quam rem mira expressit ambiguitate, dicens INTEXTI TOLLANT. Nam in velis ipsi erant picti, qui eadem vela portabant. Aulæa autem dicta sunt, ab aula Attali; in qua primum inventa sunt vela ingentia, postquam is populum Romanum scripsit hæredem.

SOLIDO ELEPHANTO. Ebore integro, non sectili. GANGARIDVM. Gangaridæ populi sunt inter Indos & Assyrios, habitantes circa Gangem fluvium; unde etiam Gangaridæ dicti sunt. Hos devicit Augustus. unde est, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*. Gangaridûm vero pro Gangaridarum posuit; quia hic Gangarida facit. Quod autem ait, VICTORISQVE ARMA QVIRINI. Non est contrarium, nam ut etiam in primo Æneidos diximus; Suetonius Tranquillus hoc de Augusto commemorat, *Quodam tempore tres partes populi consentiente senatu obtulisse ei tria nomina: Quirini, Augusti, Cæsaris: Ille ne unum eligendo, alias offenderet partes; primo Quirinus est dictus: inde Cæsar: post in nomine permansit Augusti.* Vnde eum Virgilius omnibus istis appellat nominibus. Nam Quirinum, Romulum accipere non possumus; quia Gangaridas penitus ignoravit.

VARIORVM.

ALPHÆVM. *Alpheus* fluvius Elidis. Eos autem ludos accipimus per Alphæum, qui olim Pythici dicebantur, vel Olympici, qui quinto quoque anno celebrabantur. PHIL.

LINQVENS. Participium instantis pro præterito. PHIL.

LVDOSQVE MOLORCHI. Per *ludos Molorchi* accipimus eos, qui Nemei, ubi Molorchus rex, qui Herculem ad Nemeum leonem tendentem recepit hospitio. PHIL.

TONSÆ. Compositum ut Cicero: *Cum saltatrice tonsa*. PHIL.

VEL SCENA VT VERSIS. Videtur innuere exostram, quæ machina sit lignea, qua quæ intus geruntur & fiunt, versatione rotarum spectatoribus nudantur & ostenduntur. GERMAN.

Atque

Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali surgentes ære columnas.
Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphatem,
Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.
Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa,
Bisque triumphatas utroque ab littore gentes.
Stabunt & Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæque ab Iove gentis
Nomina; Trosque parens, & Trojæ Cynthius author.
Invidia infelix furias, amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exsuperabile saxum.

SERVII.

VNDANTEM BELLO. Quasi non undas, sed bella portantem: propter Antonii & Cleopatræ gravissimum prælium. MAGNVMQVE FLVENTEM. Magne. ut, *Tortumque repente Clamat*.

AC NAVALI SVRGENTES ÆRE COLVMNAS. Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat; multa de navali certamine sustulit rostra; quibus conflatis quatuor effecit columnas, quæ postea à Domitiano in capitolio sunt locatæ: quas hodieque conspicimus. unde ait, *Navali surgentes ære columnas*. Nam rostratas Duillius Cæsar posuit, victis Pœnis navali certamine: è quibus unam in rostris; alteram ante circum videmus à parte januarum.

NIPHATEM. Niphates & fluvius est & mons: ut, *Et Cimini cum monte lacum*. Per Niphatem autem, populos juxta habitantes accipimus. Nam nec fluvius, nec mons unquam potest pelli.

FIDENTEMQVE FVGA PARTHVM. Tunc enim melius jaculantur sagittas.

RAPTA TROPHÆA. Raptim & sine labore quæsita. DIVERSO autem EX HOSTE, Orientis & Occidentis accipimus. Vnde ait, *Vtroque ab littore*: Orientis, propter Gangaridarum: Occidentis, propter Britannorum triumphum.

STABVNT ET PARII LAPIDES SPIRANTIA SIGNA. In templo Cæsaris majorum statuas ejus dicit se esse positurum, quas commendat & à pretioso marmore, & ab arte; dicens, *Spirantia signa*. sic alibi, *Vivos ducent de marmore vultus*. Item, *Pariusve lapis circundatur auro*.

ASSARACI PROLES, DEMISSÆQVE AB IOVE GENTIS NOMINA. Ponam, inquit, eorum statuas, qui à Iove usque ad Assaracum, & ab Assaraco usque ad Augustum originem ducunt. Assaracus autem avus Anchisæ, pater Capis fuit.

TROSQVE PARENS. Trojanorum rex, Ganymedis pater; à quo Troja nominata est. TROIÆ CYNTHIVS AVTHOR. Vel Appollinem dicit, propter muros; vel Cynthium regem Trojæ, quem in Troicis suis Nero commemorat.

INVIDIA INFELIX. Quæ invidentes efficit infelices. Dicit autem se talia scripturum vel facturum, ut magnitudine sui mereantur invidiam; ipsam tamen invidiam nihil esse nocituram, timore pœnarum. AMNEMQVE SEVERVM. Tristem. Contra Terentius, *Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides*.

TORTOSQVE IXIONIS ANGVES. Quibus religatus ad rotam est, postquam illicitos Iunonis petivit amplexus.

ET NON EXVPERABILE SAXVM. Quod contra montem Sisyphus volvit. ET NON EXVPERABILE dixit, non quod superari non potest, sed quod superari non valet summum montis cacumen.

VARIORVM.

COLVMNAS. *Columnas* dicit, quæ in honorem Augusti & Agrippæ rostratæ constitutæ sunt. PHIL.

ET DVO RAPTA MANV. Non est otiosa hæc adjectio MANV. Innuit siquidem Poëta, non hoc bellum gestum auspiciis Imperatoris, sed eum præsentem & [illegible] huic bello prælioque præfuisse, quasi socium consortemque periculi: ut infra de Ascanio, *fortemque manu fudisse Numantum*. GERMANVS.

RAPTA. Dicendo *rapta*, celeritatem victoriæ ostendit. PHIL.

VTROQVE AB LITORE. *Vtroque* autem *ab litore*, id est Oceani orientalis, & occidentalis, ut sit de Ægypto & Cantabris. vel de India, & Britannia. PHIL.

STABVNT ET PARII LAPIDES. Paros, insula est Cyclas, in Ægæo mari; in qua mons est Marpessos, unde marmor exciditur candidum, ut ipse Virgil. in VI. *Marpesiam cautem* vocat. PROBVS.

AB IOVE. Ex Iove & Electra Atlantis filia nascitur Dardanus: ex quo Ericthonius, cujus Tros, cujus Assaracus, cujus Laomedon, & Capis. & Laomedontis Priamus, ejus Hector, & ceteri. At Capis, Anchises: cujus Æneas, cujus Iulus, à quo Iulia gens stemmate descendit ad Cæsarem. Alii sic: per Assaracum Trojanos dicit. Nam Assaracus avus Anchisæ. Ennius: *Assaraco natus Capis optimus, isque pium ex se Anchisen generat*. ergo Assaraci familia usque ad Augustum pervenit. PHIL.

CYNTHIVS. Apollo, à Cyntho Deli monte. & utrum, quia ex oraculo ejus condita est Troja, an quia muros ipse ædificavit, dictus Trojæ auctor? PHIL.

Interea

Digitized by Google

Interea Dryadum sylvas, saltusque sequamur
Intactos, tua Mecænas haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat: en age segneis
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum,
Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardenteis accingar dicere pugnas
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.
Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos, seu quis fortes ad aratra juvencos,

SERVII.

INTEREA DRYADVM SYLVAS. Donec laudandi Cæsaris tempus adveniat, interim georgica scribo. *Intactos* autem ait *saltus*, quod ante ipsum nullus latine carmen georgicum scripsit.

TE SINE NIL ALTVM MENS INCHOAT. Ac si diceret, Non meo ingenio, sed tuo fretus imperio, ad hoc carmen accessi.

VOCAT INGENTI CLAMORE CITHÆRON. Hortantur nos ad scribendum illi montes, qui animalibus sunt referti. *Cithæron* autem pars est Parnassi.

TAYGETIQVE CANES. Id est Lacones: nam Taygeta civitas est Laconiæ. Et hoc ideo quia dicturus est, *Nec tibi cura canum fuerit postrema*. DOMITRIXQVE EPIDAVRVS EQVORVM. Epiri civitas est equis nobilis.

VOX INGEMINATA REMVGIT. Duplicata per Echo. Alibi, *Non canimus surdis, respondent omnia sylvæ*. MOX TAMEN. Id est postquam georgica conscripsero. *Et ardenteis pugnas* legendum est: nam male quidam ardentis Cæsaris accipiunt: ut is communis sit syllaba.

TITHONI PRIMA QVOT ABEST AB ORIGINE CÆSAR. Id est tua facta tot annis celebrabuntur, quot anni sunt à te usque ad mundi principium. Et modo Tithonum pro Sole posuit, id est pro Titane. Nam Tithonus frater Laomedontis fuit, quem prælianem Aurora dilexit, & rapuit; à quo usque ad Cæsarem non valde multum tempus est.

SEV QVIS OLYMPIACÆ. Dicturus est de armentis & gregibus. Armenta autem sunt equorum & boum, quod hæc animalia apta sunt armis: ut, scutis, boum coria, equi prælio. Greges vero capellarum & ovium sunt. ipse paulo post, *Hæc satis armentis, superat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges hirtasque capellas*. HÆC TAMEN. Id est armenta & greges. Sciendum quod plerunque confundit authoritas. OLYMPIACÆ MIRATVS PRÆMIA PALMÆ. Studiosus curulis certaminis, quod geritur apud Pisas in honorem Iovis Olympici.

VARIORVM.

INTEREA DRYADVM SYLVAS. Dryades creditæ sunt fuisse Nymphæ, quæ cum arboribus & nascerentur & interirent. Plura Natalis Comes l. 5. cap. 11. Dryades & Hamadryades, ait Gyrald. Syntag. 5. Nymphæ sylvestres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum est, & speciale quercus; unde & Querquerelanæ Nymphæ, ait Festus, præsidentes querceto virescenti. PONTANVS.

VOCAT INGENTI CLAMORE CITHÆRON. Cithæron, mons est Bœotiæ: ibi arcana Liberi patris sacra celebrantur tertio quoque anno, quæ Trieterica dicuntur. Existimatur autem Liber esse cum Musis: & ideo ex hedera, fronde ejus, corona poëtis datur. Nunc ideo vocari se ejus sacris vult accipi, quod & de vitibus præceperit. PROBVS.

TAYGETIQVE CANES. *Taygetus* mons Laconiæ. PHIL.

EPIDAVRVS. Civitas Peloponnesi, Asclepio sacrata. *Epidaurus* tamen à Ptolomæo in Peloponneso constituitur: & à Plinio lib. 4. cap. 5. in Achaja, ita ut plures urbes cognomines ei fuisse verisimile sit. PHILARG. RAMVS.

DOMITRIXQVE EPIDAVRVS EQVORVM. Hæc civitas Illyrii, nobilis Æsculapii tutela, & aurea eburnaque ejus statua, à Thrasymede Pario sculpta, vel certe absoluta, pallio quidem (ut Eusebius describit) amicta, & baculo sinuoso serpentis nexu involuto innixa. Huic, ut Minervæ, noctuam sacram quoque dicant. GERMAN.

CÆSARIS. Hic distingue, ut Æneadas significasse videatur, quia una Actiaca pugna Octaviani Cæsaris fuit. PHIL.

TITHONI. Ab infinito infinitum, quia Tithoni origo non potest comprehendi. & satis in Cæsarem blande. Servius hic Tithonum pro Titane Sole accipit: sed nescio, an usquam apud poëtas Græcos, aut Latinos ea metonomasia reperiatur: cum & sententia hujus loci optime constatura sit, si referamus originem Tithoni Phrygis, ad Dardanum ipsum vel Iovem κατ' ἐξοχὴν, in gratiam Iuliæ familiæ per Æneam & Creusam à Iove, Dardano, & Tithono ex ordine oriundæ. PHILARG. GERMAN.

SEV QVIS OLYMPIACÆ MIRATVS. Sive quis studio equorum alendorum tenetur, ob victorias Olympiacas, quod ἱπποτροφεῖν dicebatur. Victoria autem curulis certaminis in ludis Olympicis erat omnium nobilissima. De origine vero ludorum Olympicorum legendus Pausanias lib. 5. TVRNEBVS. lib. 22. cap. 13.

Corpora

Corpora præcipue matrum legat. optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis & albo:
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior: quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Ætas Lucinam, justosque pati Hymenæos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum læta juventus,
Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optima quæque dies miseris mortalibus ævi

SERVII.

CORPORA PRÆCIPVE MATRVM LEGAT. Magis matrum; per quod ostenditur etiam patrum corpora esse requirenda. TORVÆ FORMA BOVIS. Paulo post, *& faciem tauro propior*, id est, tauro similis. TORVÆ. Terribilis.

TVRPE CAPVT. Magnum. ut, *Turpes pascit sub gurgite phocas.* PLVRIMA CERVIX. Longa. ut, *Quum se nux plurima sylvis, induet in florem.*

CRVRVM TENVS. Vsquè ad crura. Et modo TENVS adverbium est: nam si esset præpositio, ablativo cohæreret. PALEARIA autem sunt pelles dependentes è gutture.

ET CAMVRIS HIRTÆ SVB CORNIBVS AVRES. Id est curvis. unde & *cameræ* appellantur. Præcipit autem aures, & magnas & hirsutas esse debere.

NEC MIHI DISPLICEAT. Liptotes figura est, id est valde placeat. ut, *Munera nec sperno.*

FACIEM TAVRO PROPIOR. Imaginem, similitudinem totam.

LVCINAM IVSTOSQVE PATI HYMENÆOS. Hysteron proteron est: Ante enim est Hymenæus, post Lucina consequitur. Item Hysteron proteron est, *Desinit ante decem, post quatuor incipit annos.* Ante enim incipit, sic desinit.

CÆTERA. Ætas scilicet, quæ est vel ante quartum, vel post decimum annum. Et bene ostendit per hæc tempora, posse quidem armentis, sed inutilem provenire fœturam.

SVPERAT GREGIBVS DVM LÆTA IVVENTVS. Dum suppetit. Et dicit juvenili ætate eas debere concumbere; quia cito deficiunt, & quia tempora meliora depereunt.

PECVARIA. Ab eo quod est pecuare venit: nam pecua, ut ait in Pompejana Cicero, ab eo quod est pecu venit: ut genu genua.

SVFFICE PROLEM. Subministra. Vnde etiam suffectos consules dicimus.

MISERIS MORTALIBVS ÆVI PRIMA FVGIT. Ista sententia non solum ad animalia pertinet, sed generaliter ad omnia.

VARIORVM.

TVRPE CAPVT. *Turpe* autem *caput*, amplum, atque magnum, ac per hoc terribile. PHIL.

CRVRVM TENVS. Hic autem *crurum tenus*, genitivo suo apposuit, alibi ablativo, ut, *pube tenus.* Modestus, *tenus* pro fine accipit. Sallustius: *Fine inguinum ingrediuntur mare.* PHIL.

PALEARIA. Vnde & paleæ, quæ collum amplectuntur: & ea pars annuli, quæ gemmam cohibet, propter similitudinem palea dicitur. Cicero de officiis III. *Cum paleam ejus annuli ad palmam converteret, à nullo videbatur.* PHIL.

CAMVRIS. *Camuri* boves sunt qui conversa introrsus cornua habent, quibus contrarii patuli, qui cornua diversa habent. Lævi, quorum cornua terram spectant. his contrarii Licini, qui cornua sursum versum reflexa habent. PHIL.

ALBO. Divisè, pro albis maculis. An potius absolute *albi* dixit, perinde ac si diceret albitatem. ut est illud: *Sparsis etiam nunc pellibus albo.* PHIL.

LVCINAM. *Lucina* dicta Iuno, eo quod lucem nascentibus præstare dicatur. Sic Terentius: *Iuno Lucina fer opem, serva me obsecro.* Ex *Lucina* partus, ex Hymenæo concubitus accipimus. PROBVS. PHILARG.

PECVARIA. Non loca, sed ipsa pecora dixit. ut alibi idem usurpavit *æstiva*, pro pecoribus quæ in æstivis agunt. *Nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota æstiva repente.* PHIL.

OPTIMA QVÆQVE DIES MISERIS MORTAL. &c. Hos versus expendit Seneca, & divinitus illustrat Epistol. 108. quem omnino vide. TAVBMAN.

Digitized by Google

Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus:
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne post amissa requiras,
Ante veni, & sobolem armento sortire quotannis.
Nec non & pecori est idem delectus equino.
Tu modo, quos in spem statuis submittere gentis,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit;
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponti:
Nec vanos horret strepitus (illi ardua cervix,
Argutumque caput; brevis alvus, obesaque terga:
Luxuriatque toris animosum pectus: honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo) tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,

SERVII.

SVBEVNT MORBI, TRISTISQVE SENECTVS. Naturalem ordinem tenuit; dicens, advenire morbum, senectutem, mortem.

INCLEMENTIA. Inexorabilitas & duritia.

SEMPER ENIM REFICE. Vacat ENIM. Sane dicit ante subueniendum esse; ut antequam pereant, reparentur armenta.

SOBOLEM ARMENTO SORTIRE QVOTANNIS. Substitue, subministra. Et est verbum judiciorum: nam subsortiti dicuntur judices, qui occupatorum funguntur officio.

EST IDEM DELECTVS EQVINO. Vt habeant matres optimas. IN SPEM STATVES SVBMITTERE GENTIS. Id est quosvis admissarios fieri. Notanda sane exquisita varietas: nam in bobus matres ante descripsit: in equis admissarios ante commemorat.

ALTIVS INGREDITVR. Cum exultatione quadam incedit. MOLLIA CRVRA REPONIT. Ennius de gruibus dicit, *Perque fabam repunt, & mollia crura reponunt.*

PRIMVS ET IRE VIAM. Matris præire vestigia. IGNOTO PONTI. Per quem nunquam transierat. ARGVTVM. Breve.

LVXVRIATQVE TORIS ANIMOSVM PECTVS. Nodosum & eminens pulpis.

SPADICES. Quos phœniciatos vocant pressos, myrteos. GLAVCI autem sunt felineis oculis, id est quodam splendore perfusis. COLOR DETERRIMVS ALBIS, ET GILVO. Atqui alibi ait, *Qui candore nives anteirent.* Sed aliud est candidum esse, id est quadam nitenti luce perfusum; aliud album, quod pallori constat esse vicinum.

GILVVS autem, melinus est color. Multi autem ita legunt, ALBIS ET GILVO: ut non album & gilvum: sed albogilvum vituperet, quod falsum est. quod si singuli colores vituperandi sunt, quanto magis mixtus uterque? id est albogilvus.

TREMIT ARTVS. Figurate. pro artubus tremit.

VARIORVM.

SORTIRE. Quasi subsortire, & subjice. An potius pro elige & junge, ut uxorem sortiri dicimus. PHILARG.

ARGVTVMQVE CAPVT. Argutum aliquando est, quicquid habet συμμετρίαν τινα, & elegantiam: nugatur enim hic Servius. PONTANVS.

SPADICES, GLAVCIQVE. Palmæ cujus rem deficit color, colorem dicit. Siculi enim palmam, quam Græci phœnica appellant, vocant spadica. Spadix vero color est, quem Leucopyrum vocant: hoc est albus & fuscus. Glaucus autem color, viridis. PROBVS.

GLAVCIQVE. *Glaucus* autem cœruleus est color, id est subviridis albo mixtus, & quasi clarus. Nam ille sine dubio displicet, qui ex albo & gilvo constat, ut sit unum albo & gilvo. Alioqui repugnant illi, *Qui candore nives anteirent, cursibus auras:* &, *bigis it Turnus in albis.* PHILARG.

ET GILVO. Et *Gilvo spadi* & fœnicius est, quales sunt fructus palmarum, neque satis diluti coloris, neque nimium pressi. Gilvus color, aliis buxeus est, aliis flavus qui ex viridi, rufo & albo concretus est. Gellius, gilvum vult esse medium, inter nigrum & album. Mancinellus ex Plinio, melinum, album interpretatur, à Melo insula. PHIL. GERM.

Digitized by Google

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo:
At duplex agitur per lumbos spina: cavatque
Tellurem, & solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, & quorum Graii meminere poëtæ,
Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.
Talis & ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit: abde domo, nec turpi ignosce senectæ.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit: & si quando ad prælia ventum est,
Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. ergo animos, ævumque notabis

SERVII.

VOLVIT SVB NARIBVS IGNEM. Flatu indicat magnanimitatem suam.

DVPLEX SPINA. Aut revera duplex, aut lata. ut, *Duplicem gemmis auroque coronam.* Item, *Et duplici aptantur dentalia dorso.*

AMYCLÆI DOMITVS POLLVCIS HABENIS CYLLARVS. Atqui Castor equorum domitor fuit: sed fratrem pro fratre posuit poëtica licentia. ut, *Quas illi Philomela dapes*, pro Progne. Item, *Revocato à sanguine Teucri*, pro Dardani. Aut certe ideo Pollucem pro Castore posuit, quia ambo licenter, & Polluces & Castores vocantur. nam & ludi, & templum stellæ Castorum vocantur.

MARTIS EQVI. δῖμος ϗ Φόβος. ET MAGNI CVRRVS ACHILLIS. Pro equis: hi sunt Baliarchus & Xanthus.

CONIVGIS ADVENTV PERNIX SATVRNVS. Dum cum amata Philyra Saturnus coiret, Ops ejus uxor advenit: cujus præsentiam veritus, se in equum convertit, qualem potuit numen imitari. exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus. Sane OPS cum de uxore Saturni dicimus, o corripitur, ut ops opis. cum vero de Nympha dicimus, OPIS longa est o. ut, *Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.* PERNIX autem ad equum refertur: nam Saturni stella tardissima est.

PELION. Montem Thessaliæ, in quo Chiron habitavit.

HVNC QVOQVE. Licet bonum & tot signis probatum. MORBO GRAVIS, AVT IAM SEGNIOR. Duo sunt quibus minuuntur corporis vires: senectus, & morbus. unde mire utrumque complexus est.

ABDE DOMO. In domo. nam si adverbialiter vellet loqui, domi diceret: Tale est illud in quarto, *Non Lybiæ non ante Tyro.* NEC TVRPI IGNOSCE SENECTÆ. Cicero in Catone majore, & laudat & vituperat senectutem: unde dupliciter hunc locum intelligimus: aut, *Nec ignosce turpi senectæ:* aut, *Non turpi senectæ ignosce.* id est abde & ignosce senectæ, quæ turpis non est: quia per naturam venit.

AD PRÆLIA VENTVM EST. Alibi, *nocturnaque bella.*

ANIMOS ÆVVMQVE NOTABIS. Præcipue ante omnia ætatem & magnanimitatem requires. POST CÆTERA. Id est parentes & studium.

VARIORVM.

AMYCLÆI. *Amyclæ*, civitas Laconiæ. Xanthum autem dicit & Cyllarum equos, quos Neptunus Iunoni dedit. illa Castori & Polluci, ut poëtæ Græculi fabulantur. PHILARG.

GRAII MEMINERE POETÆ. Nomine Graiorum poëtarum maximè Homerum capimus, quem prætertitum à Virgilio in omni parte operum suorum; cum præsertim Orphei, Musæi, Hesiodi & Theocriti meminerit, satis admirari non possum. Atqui cum multa ab his quos nominavi, mutuatus sit; Homerus tamen Mantuanus non immerito à quibusdam appellatus est, qui Homerum fere totum Æneide sua expresserit. VRSINVS.

PERNIX. *Pernix* autem ad equum refertur. Nam tardissimus est Saturnus. PHIL.

SATVRNVS. Saturnus cum Philyram Oceani filiam in Thessalia adamasset, & cum ea coiret, adventante uxore, se in equum, illam in equam convertit: atque ita uterque opprobrium effugerunt, Hinc natus est Chiron centaurus. Quidam Philyram in florem conversam esse dicunt, vel in arborem, unde liber philyrinus, quo coronæ illigantur. PHILARGYR.

SI QVANDO. Bene, *si quando*, quia senex raro. PHILARG.

PRÆLIA. Pro coitu dixit. PHIL.

Præcipue; hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Cum spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis.
Iamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras.
Nec mora, nec requies: at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur; humescunt spumis, flatuque sequentum.
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis

SERVII.

ET QVIS CVIQVE DOLOR VICTO: QVÆ GLORIA PALMÆ. Vult probare, moveri equos vel amissione, vel acquisitione victoriæ. nam eo tendit sequens iste decursus. Vnde est paulo post, *Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.* Lucanus, *Quantum clamore juvatur Eleus sonipes.*

EFFVSI CARCERE CVRRVS. Vsurpative pro carceribus; qui ab arcendo dicti sunt. Nam carcer est custodia noxiorum.

IVVENVM. Aurigarum, vel spectantium. HAVRIT. Ferit; ut, *Latus haurit apertum.*

VERBERE TORTO. Frequenti scilicet iteratione.

FERVIDVS AXIS. Alibi, *Frenaque ferventesque rotas.* Nam tam rotæ, quam axis cursu calescunt.

PRIMVS ERICHTHONIVS. Vulcanus impetrato à Iove Minervæ conjugio; illa reluctante, effectum libidinis projecit in terram: inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius; quasi de terra & lite procreatus. Nam ἔρις, est lis, & χθὼν terra. Hic ad tegendam pedum fœditatem, junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem.

RAPIDVS. Velox. VICTOR. Sui propositi effector.

FRENA PELETRONII. Peletronium oppidum est Thessaliæ, ubi primum domandorum equorum repertus est usus. Nam cum quidam Thessalus rex bobus Oestro exagitatis satellites suos ad eos revocandos ire jussisset, illique cursu non sufficerent, ascenderunt equos, & eorum velocitate boves secuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sed hi visi, aut cum irent velociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneon potarent, capitibus inclinatis locum fabulæ dederunt: ut Centauri esse crederentur. qui dicti sunt Centauri ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Alii dicunt Centaurorum fabulam esse confictam, ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem; quia equum constat esse velocissimum. Bene autem PELETRONII addidit: quia sunt & alii Lapithæ.

EQVITEM. Equum pro equo, rectorem posuit.

VARIORVM.

HINC ALIAS ARTES. *Artes* hic virtutes. & *prolem parentum* nove posuit. est enim proprie liberarum. ut, *Geminam partu dabit Ilia prolem.* PHILARGYRIVS.

ERICHTHONIVS. Varro in libro qui Admirabilium inscribitur, Erichthonium ait primum equos quattuor junxisse ludis, qui Panathenæa appellantur. de hoc Erichthonio alibi satis dictum, qui anguinis pedibus fuisse memoratur. PHIL.

FRENA PELETHRONII. *Pelethronios Lapithas* ideo appellavit, quia sunt Thessali. Pelethronium antrum est, ubi Achillen Chiron erudivit. Alii Pelethronium regem Lapitharum volunt. Plinius & Solinus non ad Lapithas Pelethronios, qui Pelethronium montem Thessaliæ incolebant, ubi & cognomine est oppidum; sed ad Pelethronium proprium viri nomen, qui primus frenis equos domuerit, referunt. PHILARG. TVRNEB.

GYROSQVE DEDERE. Pro docuere. aliter enim fræna dedere, & aliter gyros. & est syllepsis, cum aliquid assumitur, quod dictum supra non est. PHILARG.

EQVITEM. Hic *Equitem* sine dubio equum dicit, maxime cum inferat, *insultare solo.* Ennius annalium VII. *Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti, Proyciunt sese.* PHIL.

SVB ARMIS. Id est insident armato. PHILARGYRIVS.

Insul-

Digitized by Google

Insultare solo, & gressus glomerare superbos.
Æquus uterque labor: æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis, & cursibus acrem:
Quamvis sæpe fuga versos ille egerit hosteis,
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas,
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animadversis, instant sub tempus, & omnes
Impendunt curas denso distendere pingui,
Quem legêre ducem, & pecori dixere maritum:
Pubentesque secant herbas; fluviosque ministrant,
Farraque, ne blando nequeant superesse labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes:
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant, & fontibus arcent:
Sæpe etiam cursu quatiunt, & Sole fatigant,

SERVII.

GRESSVS GLOMERARE SVPERBOS. Vt cum disciplina incedat.

QVAMVIS SÆPE FVGA VERSOS. Ordo est, Quamvis sit sæpe victor; quamvis nobili genere procreatus, tamen à magistris est ætas magnanimitasque requirenda: quæ si non fuerint, illa nihil prosunt.

NEPTVNIQVE IPSA DEDVCAT ORIGINE GENTEM. Ab equo Neptuni, qui natus est tridentis percussione.

HIS ANIMADVERSIS. Moribus & ætate deprehensis. INSTANT sub tempus, Coëundi scilicet: quo eis cura major adhibeatur.

DENSO DISTENDERE PINGVI. Non laxo. quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt. vnde ait, *Denso pingui*: id est viribus pleno. Sane PINGVE est generis neutri: & ita in omnibus idoneis invenitur. Nam nec pinguedo, nec pinguetudo latinum est.

PVBENTESQVE SECANT HERBAS. Adultas, maturiores: quibus robur acquiritur. BLANDO LABORI. Periphrasis est coitus.

IEIVNIA. Infirmitatem venientem ex inedia.

IAM NOTA VOLVPTAS SOLLICITAT. Dicendo *nota*, per transitum tetigit rem ab aliis diligenter expressam. Nam equæ pullæ cum primum coëunt, si macræ sunt, & debilitantur, & debiles creant: post primum autem partum, tenues esse debent.

FRONDESQVE NEGANT ET FONTIBVS ARCENT. Contra illud, *Florentesque secant herbas, fluviosque ministrant.*

VARIORVM.

ÆQVVS VTERQVE LABOR. Durus uterque labor, & sub jugum mittere, & sub femur. PHILARGYRIVS.

NEPTVNIQVE. Neptunus etiam parens quorundam equorum fertur, ut Pegasi ex Medusa, & Arionis ex Cerere, cujus feminium Adrastus habuit. PHILARG.

DENSO DISTENDERE PINGVI. Absolute posuit, ut est illud Lucretianum: *Hic fessæ pecudes pingui.* Plin. lib. 8. cap. 50. *Omni pinguedine detracta, in olla caro decoquitur.* Varro lib. 3. de re Rustica: *Et lux pinguetudini inimica.* Errat igitur hic Servius, qui pinguedinem & pinguetudinem Latina non esse docet. PHIL. RAMVS.

DIXERE MARITVM. Pro designavere. Cic. de Republ. sic: *Dictatore L. Quinctio dicto.* sed & Horatius: *Quem Venus arbitrum dicit bibendi*, pro designat. PHIL.

BLANDO. Mire *blandum laborem* coitum dixit, quod fit cum voluptate. PHIL.

NE BLANDO NEQVEANT SVPERESSE LABORI. Blandum laborem ἀφροδισιασμὸς appellat initum, sive admissuram. Et admittere equum, vel taurum dicimus, ad equam vel vaccam implendam. Admissarius equus est ἀναβάτης; nam & ἀναβαίνειν dicunt, ut Latini supervenire, salire. BVDÆVS IN Pandect.

REFERAT. Non enim potest unus equus duas patrias habere. &, *referat*, sicut ibi positum: *Et salis occultum referat in lacte saporem.* &, *qui te tantum ore referret.* PHIL.

IEIVNIA. *Iejunia*, pro macie. PHIL.

IPSA AVTEM MACIE TENVAT ARMENTA. ut: *Frondesque negant: & frondibus arcent.* PHIL.

PRIMOS. *Primos concubitus*, anni redeuntis accipiendum: alioquin contrarius videbitur, cum infert, *Iam nota voluptas.* ergo primos poëtice, pro primum. Quidam notam voluptatem, non coitum, sed desiderium accipi volunt. PHIL.

Cum graviter tunsis gemit area frugibus, & cum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, & sulcos oblimet inertes:
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus, cura patrum cadere, & succedere matrum
Incipit: exactis gravidæ cum mensibus errant.
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, & acri
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, & plena secundum
Flumina: muscus ubi, & viridissima gramine ripa,
Speluncæque tegant, & saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans (cui nomen asilo

SERVII.

CVM GRAVITER. Hoc est die medio. Hoc autem ad exprimendum diei tempus est positum: non quod equæ æstatis tempore coëant. NIMIO NE LVXV. Nimio, pingui. Et bene rem turpem aperte à Lucretio tractatam vitavit translationibus, quas omnes ab agricultura traxit.

LVXV. Propter luxuriem segetum.

GENITALI ARVO. Pro muliebri folliculo, quam scilicet vulvam vocant, ut etiam Plinius docet: nam folliculus ante dicebatur. SVLCOS OBLIMET INERTES. Claudit meatus. Et hoc similiter per translationem dixit. nam legimus supra, *Et obducto late tenet omnia limo.*

EXACTIS GRAVIDÆ CVM MENSIBVS ERRANT. Vicinis partui. tunc enim diligentius tractandæ sunt, ne abigant.

SALTV SVPERARE VIAM. Quod solet fieri cum pascunt pedibus impeditis.

VACVIS. Magnis. PLENA FLVMINA. Ne inclinentur ad potum.

EST LVCOS SILARI CIRCA ILICIBVSQVE VIRENTEM &c. Ordo talis est, Circa lucos Silari fluminis Lucaniæ & Alburnum ejus montem, est plurimus volitans: ac si diceret, est multa musca.

VOLITANS autem modo nomen est, non participium.

VARIORVM.

TVNSIS. Quæ tunduntur. non enim cum tunsæ sunt, sed cum tunduntur. Ne graviter tunsis, graviter gemat. & *tusis* sine *n* littera legendum. PHIL.

OBLIMET. Lucretius: *ne oblimet*, pro obturet, & occludat. alibi, *oblimet*, temperet. Horatius. *Rem patris oblimare malum est ubicunque.* PHILARGYRIVS.

SITIENS VENEREM. Quare *sitiens*? solvit quæstionem. Alii dictum volunt *sitiens* libidinis plenæ. PHIL.

RVRSVS, hic contra significat. PHIL.

RVRSVS CVRA PATRVM CADERE, ET SVCCEDERE MATRVM. Prægnantibus major est adhibenda cura, largoque pascuo firmandæ: nec aliquot mensibus a conceptu exercendæ, nec in angusto clausoque continendæ: neque frigori, aut fluminibus tranandis committendæ. Nam hæc omnia incommoda fœtum abigunt. PONT.

NON ILLAS GRAVIBVS. *Gravibus* aut epitheton est plaustrorum, aut gravibus onustis dixit. Sed poëtice plaustris juga ducere, non jugis plaustra. PHIL.

INNARE RAPACES. Hoc dicit: innatant fluvios, sed non rapaces. Nam infra ait: *saltibus, &c.* PHIL.

SALTIBVS. His *saltibus.* Aliter supra, *Nec saltus superare viam sit passus. vacuis* autem *saltibus*, sine maritis dixit. Saltus isto loco Nonius campi spatium interpretatur. Alioqui saltus sunt loca vasta, & sylvestria, ubi arbores exiliunt in altum, Isidor. lib. 16. cap. 3. Quidam censent ex eo dictum saltum, quod in eo feræ ac pecudes saliant. PHILARG. PONTAN.

SAXEA PROCVBET. Nove *saxea umbra*, quæ saxis fiat, & *procubet*, protendatur. PHIL.

SILARI. Ordo: plurimum volitans circa lucos Silari, Alburnumque virentem ilicibus. volitans absolute. *Silarus & Alburnus* in Lucania sunt montes. PHIL.

ASILO. Nigidius de animalibus: *Asilus est musca varia tabanus, bubus maxime nocens. Hic apud Græcos prius myops vocabatur: postea magnitudine incommodi æstrum appellarunt.* & hoc est quod ait, *æstrum Graii vertere vocantes.* Non de Latino in Græcum, sed de Græco in suam linguam, quæ prior fuit. PHIL.

Roma-

Romanum eſt, æſtron Graii vertêre vocantes)
Aſper, acerba ſonans: quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther
Concuſſus, ſylvæque, & ſicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Iuno peſtem meditata juvencæ.
Hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior inſtat)
Arcebis gravido pecori: armentaque paſces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.
Poſt partum, cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoque notas, & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacris, aut ſcindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cetera paſcuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem,

SERVII.

OESTRVM GRAII VERTERE VOCANTES. Vertere ex ſoni ſimilitudine, Onomatopœiam fecere. Non enim poſſumus accipere, ex latina lingua mutavere, cum conſtet Græcam primam fuiſſe. OEſtrum autem Græcum eſt: Latine aſylus, vulgo tabanus vocatur. CVI NOMEN ASILO. ut, *Cui Remulo cognomen erat.*

SICCI TANAGRI. Non multum valentis. Tanager autem fluvius eſt Lucaniæ: & SICCI ad tempus æſtatis relatum eſt. Eſt enim torrens hyeme. Et hoc dicit, armentorum mugitu cuncta reſonare.

HOC QVONDAM MONSTRO. Argumentatur ab exemplo; dicens, œſtro contra pellicem ſe defendiſſe Iunonem. Nota autem eſt fabula: Io Inachi filiam à Iove Iunonis adventu converſam eſſe in vaccam, cui Iuno immiſit œſtrum: quo toto orbe fatigata tandem aliquando venit ad Ægyptum, & illic in Iſim conversa eſt. Tranſit autem per mare anguſtum, quod Boſphoron appellatum eſt, nunc Helleſpontum nominatur.

PESTEM MEDITATA IVVENCÆ. Vel quam peſtem ante excogitaverat: vel *meditata*. inferens & exercens accipiamus. Horatius, *Horrendumque cultus Diluviem meditatur agris*, id eſt, infert, exercet. Nam & in ipſa meditatione exercitium eſt.

HVNC QVOQVE. Id eſt etiam hoc malum removе. FERVORIBVS ACRIOR INSTAT. Tunc eſt acrior. Et dicendo tempus, oſtendit quemadmodum poſſit evitari.

GRAVIDO PECORI. A gravido pecore. Nam arceo à te dicimus. SOLE RECENS ORTO. Statim Saluſtius, *Coria recens detracta veluti glutine adoleſcebant.*

IN VITVLOS. Modo generaliter & de equis & de bobus accipimus. NOTAS. Characteres.

PECORI HABENDO SVBMITTERE. Admiſſarios facere.

ET CAMPVM HORRENTEM FRACTIS INVERTERE GLEBIS. Ecbaſis poëtica. Suffecerat enim, *Aut ſcindere terram.*

CÆTERA PASCVNTVR: Per hoc intelligimus illa omnia, quæ dixit animalia domi eſſe ſervanda.

TV QVOS AD STVDIVM. Locus de bobus domandis.

VARIORVM.

OESTRVM GRAII VERTERE. Quomodo Graji vertêre, cum omnia, quæ Latina ſunt, à Græca ratione deſcendant? ſolvit quæſtionem: Græci cum myopem primo dixerint, diſplicuit nomen: quia proprium non erat. OEſtrum dixerunt, hoc eſt, quia furiam œſtrum vocant. Dividit enim furia armenta, cum ab ea ſtimulantur. Latine vero hoc animal tabanus dicitur. PHIL.

FVRIT. Poëtice convertit. Nam cum furor boum ſit, ætherem ait furere. PHIL.

SICCI. Quare ſicci, cum ripam dixerit? oſtendit hunc non eſſe fluvium, ſed rivum. ut alibi: *Et arentem Xanthi cognomine rivum.* PHIL.

IVVENCÆ. Ionem dicit Inachi filiam, quam in bovem converſam œſtro percuſſiſſe dicitur. Illa ſe in mare præcipitavit, quod Ionium vocaverunt: & Iſis dicitur, quaſi ſola Dea. Hoc enim Ægyptiis placet. PHIL.

HABENDO. Id quod habetur. Lucilius in xxx. *Nonnunquam dabit ipſa ætas quod poſſit habendo.* PHIL.

AVT ARIS SERVARE SACRIS. *Sacræ pecudes* ſunt aris deſtinatæ. Nam & equum in ſacris publicis Romæ immolatum, auctor eſt Plin. lib. 28. cap. 9.

TV QVOS AD STVDIVM, ATQVE VSVM, &c. De domitura boum, lege Columel. lib. 6. cap. 2.

CÆTERA. *Cætera*, quæ non inuruntur. PHILARGYRIVS.

Iam

Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi;
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio assuerint, ipsis è torquibus aptos
Iunge pares, & coge gradum conferre juvencos.
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & summo vestigia pulvere signent.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ, non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata: nec tibi fœtæ
More patrum niveæ implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium, turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Iovis in luco currus agitare volantes:

SERVII.

VIAMQVE INSISTE DOMANDI: Institue artem domandi.

CIRCLOS. Circus est principale, vnde fit circulus, & per syncopam circlus: sicut periculum & periclum, seculum & seclum. GRADVM CONFERRE. Pariter incedere.

ROTÆ INANES. Sine pondere.

TEMO ÆREVS. Fortis: sic in quinto, *Ærea quem obliquum rota transiit*. Item Horatius, *Inclusam Danaem turris ænea*.

PVBI INDOMITÆ. Hoc ad iuvencos tantum pertinet. Nam de equis contra dicturus est. ut, *Namque ante domandum Ingentes tollent animos*

VESCAS FRONDES. Siccas & teneras. Nam vescum hoc est proprie. unde & telæ aranearum vescæ vocantur.

FRVMENTA MANV. Eis etiam farraginem dabis.

PRÆLABI FLVMINA PISÆ. Quia ut supra diximus, circa ripas fluminum, agitabatur curule certamen.

VARIORVM.

DVM MOBILIS ÆTAS. *Mobilis*, flexilis: & est duplex lectio. Potest enim & sic legi: *Iuvenum dum mobilis ætas.* Videtur Maro τὸ [illegible] & [illegible] ætati tribuisse vigenti; quod animatum ab inanimi maxime discernatur motu & sensu: & quo corpus mobilius sit, hoc & vividum magis videatur, quia veteres Philosophi statuerint eximie familiarem esse animo motum. PHILAG. GERMAN.

IPSIS E TORQVIBVS APTOS. *Aptos*, unitos aut connexos. est enim apta jungi. PHIL.

INDOMITÆ. Verum dum quosdam domas, interea indomitis hæc præstabis; an antequam domes, interea? PHIL.

VESCAS. *Vescas*, teneras & exiles. Nam *vescum* apud antiquos significabat macrum, & quasi quod escam non reciperet. Afranius in Sororibus, *As puer est vescus, imbecillus viribus.* Sed vide ne *vescas*, appetibiles dixerit. Lucretius certe pro edace posuit, ut, *vesco sale saxa peresa.* PHILARG.

FETÆ. *Fetæ* nostro more. neque enim mulgeri nisi enixæ possunt. Antiqui autem *fetum* pro gravido solent ponere. ut Varro Atacinus: *Feta feris Libya.* & ipse Virg. *Scandit fatalis machina muros Feta armis.* PHIL.

MORE PATRVM. *More patrum* sic intellige, ut dixerit mulgeri. Nec implebunt mulctralia more patrum, qui lac magis reservabant fetibus. alioquin accusabitur ob avaritiam eorum, qui sibi omne lac mulgebant. Legitur & *mulgaria*, ut Valgius ait: *Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis, & sinum vini cessamus ponere Bacchi.* PHIL.

SIN AD BELLA MAGIS STVDIVM. Dixit breviter de iis, quæ in domitura & cura juvencorum agrestium observari convenit. Nunc ad pullos equorum transit, quos laboribus bellicis, ludisque Circensibus, aut sacris certaminibus præparare cupimus. PONTANVS.

ALPHEA FLVMINA PISÆ. Elidis amnem vocat Alpheum Eclog. x. quoniam alluit urbem Elim, Pisæ & Olympiæ vicinam. ubi ludi exercentur Olympici. Quod sequitur de agitatione curruum in luco Iovis, qui eodem loco erat sacer Iovi, cui etiam ipsi ludi, eandem cum priore versu sententiam continet. PONTANVS.

Digitized by Google

Primus equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum, lituoſque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frenos audire ſonanteis.
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulſus ab ubere matris
Audiat, inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena.
Qualis Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes, atque arida differt
Nubila; tum ſegetes altæ, campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris; ſummæque ſonorem
Dant ſylvæ, longique urgent ad littora fluctus.
Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas, & maxima campi

SERVII.

INQVE VICEM. Frenorum ſcilicet, ne adhuc tenera ora lædantur.

ETIAM INSCIVS ÆVI. Nondum habens ab annis fiduciam.

VBI QVARTA ACCESSERIT ÆTAS. Quartus annus. Nam ætatem plerunque generaliter dicimus pro anno, pro triginta, pro centum, pro quovis tempore. SITQVE LABORANTI SIMILIS. Præparetur ad futurum laborem.

QVALIS HYPERBOREIS. Hyperborei montes ſunt Scythiæ: ſic dicti, quod ſupra, id eſt ultra eos flat Boreas. Dicit autem, ſic currat equus, ut ventus.

ARIDA autem NVBILA, ſine pluviis. DIFFERT. Diſſipat.

HORRESCVNT. Contremiſcunt. Perſius, *Seis comitem horridulum trita donare lacerna.* Id eſt trementem.

ILLE VOLAT. Scilicet ventus. ÆQVORA, campum planum æquor appellat. VERRENS. Trahens.

AD ELEI METAS. Id eſt fines Circi. Elis autem civitas Arcadiæ, in qua agebatur curule certamen. & eſt ſpecies pro genere.

VARIORVM.

ET STABVLO FRÆNOS AVDIRE. De hac domitura Varro lib. 2. c. 7. Neque prius biennio confecto à lacte removendum: eoſque cum ſtent cum matribus, interdum tractandum; ne, cum ſint disjuncti, exterreantur. Eademque cauſſa ibi frænos ſuſpendendum, ut equuli conſueſcant & videre eorum faciem, & è motu audire crepitus. RAMVS.

PLAVSÆ SONITVM CERVICIS. Sonum autem illum ex colliſione manuum, & palpationem in equis, vocant Græci ποππυσμὸν & ποππύζειν. Lege quæ in hunc locum ex Xenophonte de re equeſtri ab Vrſino deſumuntur. PONTANVS.

PRIMO. Non *primo ubere*, ſed *jamprimo*, quaſi unum lege: ut ſit *Jamprimo audeat depulſus ab ubere matris.* PHIL.

INQVE VICEM. Celſus, *inque vicem*, ſic intelligit, ut ſit nonnunquam ſine capiſtris. vel, ut ſit in utraque parte ductus facilis. PHIL.

ETIAM. Etiam, pro adhuc. PHIL.

SITQVE LABORANTI SIMILIS. Hoc eſt, non vere laboret, ne tædium capiat. Ac, *per aperta volans*, currens. PHILARG.

VIX SVMMA VESTIGIA PONAT ARENA. Alludere videri poteſt ad Ladan, Alexandri curſorem, qui pendentibus veſtigiis vix arenam ſignabat: cujus Solinus meminit, & Catullus & Martial. l. 10.

Habeas licebit alterum pedem Lade,
Inepte fruſtra ligneo curres pede.

GERMAN.

AQVILO DENSVS. Denſus Aquilo, ut quem conſtet denſare & conſtringere; ut Auſtrum laxare & reſolvere. Vide Ariſt. Meteor. GERMANVS.

ELEI CAMPI. Maximi ex omnibus, quod ſint pedum ſeptingentorum, cum alii minus. PHIL.

Digitized by Google

Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere jam domitis finito. namque ante domandum
Ingentes tollent animos: prensique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.
Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem, & caeci stimulos avertere amoris:
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul, atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata:
Aut intus clausos satura ad praesepia servant.
Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminisse, nec herbae.
Dulcibus illa quidem illecebris, & saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna sylva formosa juvenca:
Illi alternantes multa vi praelia miscent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora sanguis:
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu: reboant sylvaeque, & magnus Olympus.
Nec mos bellantes una stabulare: sed alter

SERVII.

SPVMAS AGET ORE CRVENTAS. Quod est signum equi fortissimi, si velut rubras egerit spumas.

BELGICA ESSEDA. Gallicana vehicula. Nam Belgae civitas est Galliae, in qua hujuscemodi vehiculi repertus est usus. MOLLI COLLO. Domito. ut, *Mollia colla reflectunt*.

DVRIS PARERE LVPATIS. Frenis asperrimis. Dicta autem lupata à lupinis dentibus, qui inaequales sunt, unde etiam eorum morsus vehementer obest.

CAECI AMORIS. Latentis Cupidinis. RELEGANT. Removent. FLVMINA LATA. Ne natatus sit facilis.

VIDENDO. Dum videtur. Gerundi modus à passivo.

IN MAGNA SYLVA. Alii Sila legunt: ut sit mons Lucaniae, quod modo nulla necessitas cogit: ut in Æneide, *Ac velut ingenti Sila sub monte Taburno*. Vbi utrunque speciale est.

REBOANT SYLVAE. Resultant, remugiunt. Est autem Graecum verbum. nam apud Latinos nullum verbum est quod ante o finalem, habeat o: excepto INCHOO quod tamen majores aliter scribebant; aspirationem interponentes duabus vocalibus, & dicebant incoho. tria enim habebant nomina in quibus c literam sequeretur aspiratio; sepulchrum, orchus, pulcher: è quibus pulcher tantum hodie recipit aspirationem.

VARIORVM.

BELGICA. *Belgica*, Gallica. PHIL.

ESSEDA. *Esseda* autem vehiculi, vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli. Caesar testis est libro ad Ciceronem III. *Multa millia equitum atque essedariorum habet*. Hinc & gladiatores essedarii dicuntur, qui curru certant. PHIL.

MOLLI. *Molli* autem mobili dixit, ut, *Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu*. PHIL.

NAMQVE ANTE DOMANDVM. Antequam domueris. Nec opus, ut novam regulam condas, & passive interpreteris. RAMVS.

DVRIS PARERE LVPATIS. Lupata sunt fraena, quae & lupi vocantur, à λύκος quod Graecis est ferrum quoddam fraeni: atque hinc λυκοσπάδες equi praeferoces & ad tractandum difficiles. Ovid. 4. Trist. Eleg. 6. ex parte, totum fraenum significavit, *duros accipit ore lupos*. PONTANVS.

LAVIT ATER. Hoc ab illa declinatione descendit: lavo, lavis, lavit. Fervo, fervis, fervit. PHIL.

VERSAQVE. *Versa*, infesta. Plautus in Casina: *Necesse est versis gladiis depugnarier*, id est infestis. PHIL.

Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris, tum quos amiſit inultus amores:
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura jacet pernix inſtrato ſaxa cubili:
Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi collectum robur, vireſque receptæ,
Signa movet, præcepſque oblitum fertur in hoſtem.
Fluctus ut in medio cœpit cum albeſcere Ponto,
Longius, ex altoque ſinum trahit: utque volutus
Ad terras, immane ſonat per ſaxa, nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat unda
Verticibus, nigramque alte ſubjectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes pictæque volucres,
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

SERVII.

EXVLAT. Extra ſuum ſolum habitat.

ASPECTANS. Cicero de Catilina, *Retorquet oculos profecto ſæpe ad hanc urbem, quam è ſuis faucibus ereptam eſſe luget.*

VIRES EXERCET. Ab incultu robur acquirit.

PERNIX. Modo perſeverans. Horatius. *Pernicis uxor Apuli.* Pernix autem perſeverans, à pernitendo tractum eſt.

CARICE ACVTA. Herba duriſſima. OBLITVM. Iam ſecurum ex ante acta victoria.

IMMANE. Adverbium eſt. FLVCTVS VT IN MEDIO. Sic paulatim taurus movetur ad prælia.

AMOR OMNIBVS. Id eſt in unoquoque genere unus eſt amor, id eſt ſimilis; ut puta in lupis unus eſt amor, id eſt ſimilis. Item in equis, & aliis omnibus pro qualitate ſui generis. ſicut alibi ait, *Sopor ſuus occupat artus.* id eſt ipſis aptus. Nam in omnibus animalibus non eſt amor unus atque idem; ſed in ſingulis generibus, pro qualitate naturæ.

VARIORVM.

PLAGASQVE SVPERBI. Sic poſitum, ut, *& vulnere tardus Vlyxi.* PHIL.

ET STABVLA ADSPECTANS REGNIS. Affectum eundem animi (quod animadverterunt etiam veteres Grammatici) tribuit Virgilius tauro, qui victus in pugnâ pellitur ſuis ſedibus, quem affectum Cicero in I. Catilina extitiſſe dicit, cum ejectus ab ipſo ex urbe fuit: utrique enim dolorem, quem animo tunc ſentiebant, & quam inviti inde abirent, ſigno quodam demonſtrarunt. PONTANVS.

PERNIX. Legunt & *pernox.* ſed *pernix* melius, id eſt pertinax. PHIL.

INSTRATO SAXA CVBILI. Nota figura, non ſaxis. PHIL.

VENTOSQVE LACESSIT ICTIBVS. Videtur hic mihi gladiatorium verbum *Ventilare* circumſcribere, & repræſentare. *Ventilare* ſiquidem gladiatores dicuntur, cum ante pugnam gladiis motis & luſoriis ictibus aërem ferientes, proludunt ad certamen. Vnde & Seneca lib. 21. epiſt. 118. *Quam ſtultum eſt, cum ſignum pugnæ acceperis, ventilare.* GERMAN.

ET SPARSA AD PVGNAM PROLVDIT ARENA. Et Græcis [illegible], proludia pugnæ dicuntur, ut excurſiones ad prælium laceſſendum: quod verbum & ad forum tractum eſt. GERMAN.

OBLITVM. *Oblitum*, quaſi exercitationum & virium, quem ſecuritas & amor corruperit, adeo ut nec crederet hoſtem eſſe rediturum. PHIL.

FLVCTVS VT IN MEDIO CEPIT CVM ALBESCERE. Fluctus albicantis ratio ab Ariſt. redditur probl. ultim. κγ. ſectionis. mare enim pro ventorum qualitate varios colores reddit. GERMAN.

OMNE ADEO GENVS IN TERRIS, &c. In unoquoq; genere ſuus furor & ſtimuli ſunt amoris, quibus ad libidinem concitentur. De quo Ariſt. lib. 6. 18. Hiſt. animal. Locum etiam hunc Maronianum, quaſi commentario quodam exponit Phædra Senecæ in Hippolyto, Act. I. Totus etiam qui ſequitur Chorus de imperio Cupidinis in Deos, homines atque beſtias diſſerit. Puto Senec. hoc in argumento facundiam ſuam oſtendere voluiſſe. PONT.

Digitized by Google

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere.
Per sylvas tum sævus aper, tum pessima tigris
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam frena virûm, nec verbera sæva,
Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes.
Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram: fricat arbore costas,
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca serus freta: quem super ingens
Porta tonat cæli: & scopulis illisa reclamant

SERVII.

CATVLORVM OBLITA. Vi scilicet nimii amoris. LEÆNA autem Græcum est, sicut dracæna. nam nos hic & hæc leo dicimus (lea namque usurpatum est) quia in o exeuntia, masculina, fœminina ex se non faciunt. ut fullo, latro, leo.

INFORMES VRSI. Vel magni: vel qui tempore quo nascuntur, forma carent. dicitur enim quædam caro nasci, quam mater lambendo in membra componit.

SOLIS. Desertis. LIBYÆ autem IN AGRIS, Serpentibus plenis.

TOTA TREMOR PERTENTET EQVORVM CORPORA. Signatis sermonibus utitur, ad vim exaggerandam; dicens & *tota corpora*, & *pertentet*, id est penitus tentet: cum dicat levem odorem equarum.

NOTAS ODOR ATTVLIT AVRAS. Hypallage est, pro auræ odorem apportaverint notum.

FRENA VIRVM, pro virorum fortium.

RVPESQVE CAVÆ, ATQVE OBIECTA RETARDANT. Ad illud superius respicit, Post montem oppositum, & trans flumina lata.

SABELLICVS EXACVIT SVS. Sabinus: & est species pro genere. Dicit autem suem domesticum, quem cicurem vocant. nam de apris supra ait, *Tunc sævus aper*: hoc enim vult probare non tantum feras, sed & mansueta animalia amore in furorem moveri.

PROSVBIGIT. Fodit, & pedibus impellit alternis. quod pugnaturi sues facere consueverunt, ad acquirendum robur. Vnde etiam latera & costas terentes, durant ea in futura certamina.

HINC ATQVE ILLINC. Et à pedum motu, & ab attritione costarum.

QVID IVVENIS. Ne forte occurreret, illa animalia carere ratione; dicit etiam gravius homines in amore moveri. Fabula talis est: Leander Abydenus & Hero Sestias fuerunt invicem se amantes. Sed Leander ad Heronem natatu ire consueverat, per fretum Hellesponticum; quod Seston & Abydon civitates interfluit. Cum igitur juvenis oppressi tempestate cadaver, ad puellam delatum fuisset, illa se præcipitavit è turri.

PORTA TONAT CÆLI. Aër nubibus plenus, per quem iter in cælum est.

VARIORVM.

TAM MVLTA INFORMES VRSI. Quamvis sint hodie, qui receptam persuasionem, & multorum historicorum fidem & asseverationem, experientiæ contrariæ usu convellant, negentque informem ita carneam molem ab Vrsa nixu egeri, ut aut molam muliebrem pene referat, quod in artus mater lambendo effingat. GERMAN.

FLVMINA, CORREPTOS, VNDA TORQVENTIA MONTES appellavit & est ordo, flumina torquentia unda correptos montes. PHILARGYRIVS.

ET PEDE PROSVBIGIT TERRAM. Non intelligendum eos hoc facere ad acquirendum robur, quamvis studio & exercitatione vires crescant: sed significare voluit, ipsos lutum facere; in quo, cum sæpe se volutarint, tandem exarescere; & sic durius tergum, cutemque impenetrabiliorem reddunt: qui alter modus est, quo se armant, & quasi loricam induunt. Neque hæc de sue mansueto, ut Servius, intelligenda. VICTORIVS.

IVVENIS. Leandri nomen occultavit, quia cognita erat fabula. PHIL.

Æquora

Digitized by Google

Æquora: nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
Atque canum? quid, quæ imbelles dant prælia cervi?
Silicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium: superant montes, & flumina tranant:
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis,
Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leveis auras: & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per & scopulos, & depressas convalles

SERVII.

NEC MISERI POSSVNT REVOCARE PARENTES. Hoc est amor parentum.

IMBELLES. Licet imbelles, tamen moventur in pugnam.

FVROR INSIGNIS. Notabilis & præcipuus.

GLAVCI POTNIADES MALIS MEMBRA ABSVMPSERE QVADRIGÆ. Potnia civitas est, de qua fuit Glaucus: qui cum sacra Veneris sperneret, illa irata, equabus ejus immisit furorem, quibus utebatur ad currum, & eum morsibus dilaceraverunt. Ordo autem talis est, Quo tempore Glauci membra malis absumpserunt Potniades quadrigæ. Hoc autem ideo fingitur, quod eis furorem Venus immiserit, quia dilaniatus est Glaucus, effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet à coitu, ut essent velociores.

TRANS GARGARA TRANSQVE SONANTEM ASCANIVM. Gargara pro quibuslibet montibus, sicut Ascanium pro quibuslibet fluminibus posuit: quod etiam sequentia indicant.

SVPERANT MONTES, ET FLVMINA TRANANT. Hoc etiam Varro dicit, *in Hispania ulteriore verno tempore equas nimio ardore commotas, contra frigidiores ventos ora patefacere ad sedandum calorem, & eas exinde concipere & edere pullos, licet veloces, diu tamen minime duraturos. Nam brevis admodum vitæ sunt.*

EXCEPTANT. Frequenter excipiunt.

VARIORVM.

CRVDELI FVNERE VIRGO. Ita hic *virgo*, quemadmodum ibi de Pasiphaë: *Ah virgo infelix.* PHILARG.

QVID LYNCES. Lynces, quas & Æneid. 1. *maculosas* dixit, currum Bacchi trahunt: quarumque urina glaciatur in gemmam, quæ lyncurium dicitur: Plinius lib. 8. cap. 38.

ET GENVS ACRE LVPORVM. Amor luporum non amplius quam dies duodecim durat. Caudæ autem lupi vulgo creditur inesse amatorium virus exiguo in villo: eumque, cum capiatur, abjici: nec idem pollere, nisi viventi direptum. PLIN. lib. 8. c. 22.

GLAVCI. Glaucus Sisyphi filius, cum ad mimicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, & equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit. unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur. PHILARG.

GLAVCI POTNIADES MALIS MEMBRA. Potnia, oppidum Magnesiæ equis celebre. Magnesia autem Thessaliæ annexa est, quæ & ipsa equorum præstantia clamit. Vnde & Lucilius, *An equam te acrem atque animosam Thessalam, ut indomitam frenis subigam ante domemque?* Sunt qui dicant Glaucum equas suas pro pabulo carni humanæ assuefecisse, ut avidius hostem appeterent: tandem humani alimenti penuria in Glaucum dominum suum, eas morsus vertisse. GERMANVS.

ASCANIVM. *Ascanius* amnis est Mysiæ. sed quia in Asia est. PHIL.

GARGARA. De Gargaris supra dictum: *& ipsa suas mirantur Gargara messes.* PHIL.

ORE OMNES VERSÆ IN ZEPHYRVM. *In*, pro contra. In fætura res incredibilis est in Hispania, sed est vera; quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione, ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam è vento concipiunt certo tempore equæ; ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova *ὑπηνέμια* appellant: sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. VARRO lib. 2. de re rust. cap. 1. PHIL.

EXCEPTANTQVE. Frequentativum fecit ab excipiendo, hoc est crebro excipiunt. PHIL.

ET SÆPE SINE VLLIS CONIVGIIS. Hoc etiam Varro. PHIL.

Diffugiunt, non Eure tuos, neque Solis ad ortus,
In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluvio contristat frigore cælum.
Hinc demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas.
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam sit, & angustis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnassi, deserta per ardua dulcis

SERVII.

CAVRVM. Pro Corum, sicut saurex pro sorex, caulis pro colis.

HINC DEMVM HIPPOMANES. Scit lectum esse apud Hesiodum herbam esse quandam quæ hippomanes vocatur, quasi ἵππου μανία, si enim eam comederint equi, furorem patiuntur. Vnde nunc adjecit, *Vero quod nomine dicunt.* Nam vult illam herbam abusive hippomanes dictam; quod possint equi furere & alia quacunque ratione. Re vera autem hippomanes dicit esse virus, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore feruntur amoris furore. ut sit hippomanes, virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου.

LENTVM VIRVS. Viscidum. MISCVERVNTQVE HERBAS, ET NON INNOXIA VERBA. Exprimit augmenta malitiæ novercarum, quæ virus herbis & cantibus herbarum armant venena.

SINGVLA DVM CAPTI CIRCVMVECTAMVR AMORE. Dum speciatim singula describimus.

SVPERAT. pro superest. LANIGEROS AGITARE GREGES. Lucretius contra: *Buceriæque greges.* AGITARE, aut curare, aut pascere.

HIRTASQVE CAPELLAS. Id est setosas: ut, *Hirsutumque supercilium.* HIC LABOR, HINC LAVDEM. Ad tuenda imbecilliora animalia.

ET ANGVSTIS HVNC ADDERE REBVS HONOREM. Humilem materiam alto sermone decorare. Sic illud in quarto est, *In tenui labor, at tenuis non gloria.*

SED ME PARNASSI DESERTA PER ARDVA. Per Parnassi ardua, Eliconem & Citeronem montes Musis dicatos significat. & hoc dicit, Scribendi amor rapit me ad opus arduum, & à nullo ante descriptum. Quod per periphrasim & allegoriam poëticam indicat.

VARIORVM.

HINC DEMVM. Ordo: Hinc virus lentum ab inguine distillat, quod vero nomine Hippomanes dicunt pastores: vero nomine, quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equæ in libidinem ardescunt. & Theophrastus, carunculam in fronte equini pulli: quæ ad veneficia & amatoria facere existimarunt. PHIL.

HIPPOMANES. ἀπὸ τῆς ἵππου μανίας, id est ab equæ insania, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου. PHIL.

VERO QVOD NOMINE. Hippomanes etiam vocarunt virus quod effluit ab inguine equarum, quando in venerem incitantur, non tantum id tuberculum quod innatum fronti pulli equini de ventre afferunt, & à matribus statim prærroditur. Vtrumque ad veneficia & amatoria facere existimarunt. *Vero*, inquit, Philargyrius *nomine, quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equæ in libidinem ardescunt.* Servius, *vult illam herbam abusive Hippomanes dictam.* Quæ ridicula sunt, & Grammaticis tanti nominis indigna. Vero ergo nomine, ait, poëta Hippomanes illud dictum, quia equas ad furorem incitat. Lapsus est etiam memoria Servius, qui Hesiodum pro Theocrito appellavit. pessime vero uterque Grammaticus mentem Theocriti percepit; qui ἱππομανὲς illud φυτὸν ideo dictum produnt, quod eo gustato equi in libidinem & furorem incitati ardescerent. Hic non est verborum Theocriti sensus. μαίνεσθαι ἐπί τινι non dicitur, qui alicujus rei gustu, vel haustu ad insaniam adigitur; sed qui rei ejus, cujus cupiens est, quocunque modo potiundæ ardore insanit. Igitur μαίνονται ἵπποι ἐπὶ φυτῷ ἱππομανεῖ, non qui herba ea gustata furorem patiuntur; sed qui gustandæ insano ardore perciti feruntur; ideoque veluti furentes ad eam herbam toto impetu decurrunt. Plura hac de re SALMASIVS, Plinian. Exercitat.

QVOD SÆPE MALÆ LEGERE NOVERCÆ. Hic autem, non odii, sed incesti amoris caussa, illas legere hippomanes, & miscere herbas cum cantionibus magicis, ait. PONT.

Raptat

Digitized by Google

Raptat amor: juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo.
Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens, stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas.
Et multa duram stipula, filicumque maniplis
Sternere subter humum: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat, turpesque podagras.
Post hinc digressus, jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, & fluvios præbere recentes:
Et stabula à ventis hyberno opponere Soli
Ad medium conversa diem; cum frigidus olim
Iam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæc quoque non cura nobis leviore tuenda;
Nec minor usus erit, quamvis Milesia magno

SERVII.

IVGIS. Per juga. QVA NVLLA PRIORVM. Dispono ire ad fontem Castaliam, per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam. Ordo autem est, Qua nulla priorum orbita Castaliam divertitur.

MOLLI CLIVO. Id est facili itinere & descensione. Hic autem locus totus de Lucretio translatus est.

NVNC VENERANDA PALES. Id est Dea pabuli invocanda nunc maxime.

STABVLIS IN MOLLIBVS. Clementioribus, & aëris temperati. vel propter plagam australem, vel propter suppositas herbas animalibus.

FRONDOSA REDVCITVR ÆSTAS. Donec vernum tempus adveniat. Nam, ut etiam in primo diximus, ver & æstas, sicut etiam hyems & autumnus, unum fuerunt secundum rationem hemisphærii.

TVRPESQVE PODAGRAS. Respexit ad curam, quæ sine pannis & medicaminibus sordidis non fit.

POST HINC. Cum hoc feceris. & POST HINC, unum vacat: sicut, *Primus ibi ante omnes.*

FLVVIOS PRÆBERE RECENTES. Id est aquam statim haustam. Nam si pigram potaverint, statim contrahunt morbum.

STABVLA A VENTIS. Figurate, scilicet ventos non perferentia. HYBERNO SOLI. Contra plagam meridianam, per quam Sol currit per hyemem: quod explanat dicens. *Ad medium conversa diem.*

EXTREMO ANNO. Mense Ianuario, qui est penultimus. Nam ut etiam in primo diximus, *Vt primis extemplo à mensibus anni*: à Martio mense inchoabat annus apud majores. Ergo EXTREMO ANNO, Extrema parte anni.

HÆC QVOQVE NON CVRA: Cum de capellis loquitur, figurate neutro usus est genere. Nam integrum erat, HÆC QVOQVE NON CVRA NOBIS LEVIORE TVENDA: Sane perite: quoniam scit planam esse ovium utilitatem, eam præterit, & exaggerat meritum capellarum; ut dictis in lucem promat, rem per se minus patentem.

MILESIA VELLERA. Lanæ pretiosissimæ. nam Miletus civitas est Asiæ, ubi tinguntur lanæ optimæ. Ipse in quarto, *Milesia vellera nymphæ Carpebant.* Cicero in Verrem, *Quid à Milesiis lanæ sustulerit.*

VARIORVM.

CASTALIAM MOLLI, &c. Castalius fons est Delphis, in Apollinis oraculo: qui abluit ipsam aram dei: dictus à Castalo, Delphici Apollinis filio, nepote Neptuni. Apollo autem dicitur Musigetes. PROBVS.

IN MOLLIBVS. Nunc tepidis, ut dicimus, *mollis hyems.* PHIL.

DVM MOX. Celsus *dum mox*, pro donec interpretatur. sed ut puto, *mox*, abundat. PHIL.

SVBTER. Ad pecora respicit, ut sint stramenta, quibus incubent. PHIL.

EXTREMO. Hic *extremum annum* sub Aquarii sidere collocat. ut quia primus nascentis anni dies ab urbe condita Kal. Martiis fuit, inde Februarius ultimus anni haberetur. Aquarium autem multi Ganymedem volunt. PHILARG.

HÆ QVOQVE. Id est capellæ. Legitur & *hæc*: Veteribus enim mos fuit, ut neutra femininis jungerentur. Vnde Terentius: *Tua nihil refert utrum fecerit.* & in Eunucho: *Hæc adornant ut lavet.* nam integrum erat, *hæ quoque non cura nobis leviore tuenda, sane; &c.* PHIL.

QVAMVIS MILESIA MAGNO. Fuere Milesii deliciis, luxuque notabiles, ex eoque proverbium Græce fertur: *οἴκοι τὰ μιλήσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε*, hoc est, domi, non hic Milesia: in eos videlicet, qui domesticum luxum celebrant, ubi minus probatur. POLITIAN. cap. 16.

Vellera

Digitized by Google

Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.
Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis:
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Læta magis pressis manabunt ubera mammis.
Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cyniphii tondent hirci, setasque comanteis
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.
Pascuntur vero sylvas, & summa Lycæi,
Horrenteisque rubos, & amanteis ardua dumos.
Atque ipsæ memores redeunt in tecta; suosque
Ducunt, & gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem, ventosque nivales,
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Avertes: victumque feres, & virgea lætus
Pabula: nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero Zephyris cum læta vocantibus æstas,
In saltus utrunque gregem, atque in pascua mittes;

SERVII.

MAGNO autem MVTENTVR. Ingenti pretio comparentur. Nam apud majores omne mercimonium in permutatione constabat: quod & Cajus Homerico confirmat exemplo. TYRIOS INCOCTA RVBORES. Figurate: quæ coquendo Tyrium traxit ruborem, id est migravit in purpuram.

DENSIOR HINC SOBOLES. Binos enim pariunt capellæ plerunque.

BARBAS. Sic de quadrupedibus. Nam hominum barbam vocamus. *Incana* autem dicit nimium cana.

CYNIPHII HIRCI. Libyes à fluvio Cinyphe.

MISERIS NAVTIS. Qui frequenter patiuntur pericula. In usum autem castrorum ideo dixit, & quia de ciliciis poliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium; ne jactis facibus ignis possit adhærere. Et bene laudat capellas, dicens ciliciorum usum & in mari, & in terra prodesse mortalibus: hoc est in duobus elementis concessis hominibus.

PASCVNTVR SYLVAS. Et pasco & pascor illam rem dicimus, & pascuntur pro depascuntur. SVMMA LYCÆI. Montis Arcadiæ. & est species pro genere.

SVOSQVE DVCVNT. Educunt fœtus proprios & enutriunt. unde & educatos dicimus.

QVO MINOR EST ILLIS C. Ordo est, Igitur omni studio averte ab eis ventos, & glaciem, quo egestas mortalis, idest necessitas mortalitatis minor est illis curæ: hoc est minus ad ipsarum pertinet curam, nam hoc dicit, Quanto illæ sibi adesse non possunt, tanto eis à te impendenda est major diligentia.

AT VERO ZEPHYRIS CVM LÆTA V. Æ. Subaudi advenerit. Dicit autem ver quo flare Zephyrus incipit: ut in primo, *Et Zephyro putris se gleba resolvit.*

VARIORVM.

VELLERA MVTENTVR TYRIOS &c. Opponuntur hæc τοῖς ψυχροβαφέσι. Notandum enim ψυχροβαφῆ purpuram appellari, quæ frigida tantum aqua intingitur non jure decocti, quæ in fervente jure non coquitur. VELLERA autem à vellendo dicta. PHILARG. SALMAS.

LÆTA MAGIS PRESSIS MANABANT FLVMINA MAMMIS. Nota *mammas* pecudum dici. legitur & *ubera*. PHIL.

CYNIPHII TONDENT HIRCI. Cinyps oppidum est, & flumen Africæ regionis Garamontum. Apud eos hirci villosissimi nascuntur, quos tondent ad cilicia, quibus nautæ utuntur. PROBVS.

CINYPII. Gætuli, à Cinypho flumine Gætuliæ id est Libyæ. Tondent autem pastores, ut sit genitivus singularis *Cinyphii hirci*. PHIL.

CASTRORVM. In usum castrorum, quod inde *tomenta* fiant, itemque cilicia, quæ Celsus ait retulisse Varronem, ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit. PHIL.

PASCVNTVR. Pro depascuntur. PHIL.

MORTALIS. *Mortalis*, mortifera intelligenda. PHI.

QVO MINOR EST. Pro quo minus est. ut sit sensus: Quo minus est illis curæ mortifera egestas, si diligens circa eas fueris, necessitas mortalitatis minor est. PHIL.

NEC TOTA CLAVDES. Id est, præbebis tota bruma fenum. PHIL.

FOENILIA BRVMA. *Fenilia*, sicut & palearia, dicuntur tecta in villa aut domo rustica, sub quibus fænum & paleæ reponuntur. *Tabulatum* appellant Varro & Columella sæpius; unde reponere fænum in tabulato, apud eosdem. PONTANVS

Luci-

Digitized by Google

Luciferi primo cum ſydere, frigida rura
Carpamus: dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.
Inde, ubi quarta ſitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ;
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem:
Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos; aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus
Solis ad occaſum, cum frigidus aëra Veſper
Temperat, & ſaltus reficit iam roſcida Luna:
Littoraque Alcyonem reſonant, & acanthida dumi.
Quid tibi paſtores Libyæ, quid paſcua verſu
Proſequar, & raris habitata mapalia tectis?

SERVII.

FRIGIDA RVRA CARPAMVS. Id eſt carpere cogamus animalia. Et mane paſci oves præcipit ſecundum morem ſuæ provinciæ. Nam in aliquibus locis morbum contrahunt, niſi jam ſiccato rore paſcantur.

DVM GRAMINA CANENT. Nocturnis & matutinis lucentes roribus herbæ.

QVERVLÆ CICADÆ. Canoræ. Horatius, *Sub cantu querulæ deſpice tibiæ.* Aut certe QVERVLÆ dicitur propter illam fabulam, quod Titonus maritus Auroræ, poſt optatam longiſſimam vitam, diu vivendo in cicadam dicitur eſſe converſus. RVMPENT ARBVSTA. Nimio clamore. Iuvenalis, *Et aſſiduo ruptæ lectore columnæ.* Perſius, *Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.*

ILIGNIS CANALIBVS. Factis ex Ilice. Sane canalis melius genere fœminino, quam maſculino proferimus.

SICVBI MAGNA IOVIS ANTIQVO ROBORE QVERCVS. Quia omnis quercus Iovi eſt conſecrata. Quod autem dicit *Iovis quercus*, & *Ilicibus crebris ſacra nemus accubat umbra*: Non revera conſecratos lucos dicit nos petere debere: ſed ita denſos, quales ſunt illi quos religio defendit. Vnde apparet *quercum Iovis*, & *ſacram umbram*, generalia eſſe, non ſpecialia epitheta: nam ut diximus, & omnis quercus Iovi eſt conſecrata, & omnis lucus Dianæ.

TENVES AQVAS. Epitheton eſt aquarum. Alibi, *Aut in aquas tenues dilapſus abibit.*

AERA VESPER TEMPERAT. Refrigerat æſtatis calorem. REFICIT. Recreat. LVNA. Nox.

LITTORAQVE HALCYONEM RESONANT, ET ACANTHIDA DVMI. Quo tempore reſonat per littora Halcyon avis; cujus fabulam in primo memoravimus. Per DVMOS vero Acanthidis, quam alii laſciniam eſſe volunt; alii vero carduelem, quæ ſpinis & carduis paſcitur. ut inde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta ſit, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id eſt ſpinis, quibus paſcitur.

QVID TIBI PASTORES LIBYÆ. Dicit pro qualitate provinciarum diverſa eſſe genera paſtionum.

SINE VLLIS HOSPITIIS. Sine ullis ſtabulis.

VARIORVM.

RVMPENT. *Rumpent*, complebunt. ut, *Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.* aut, in conſuetudine eſt, *rumpunt*, ſive vehementer clamant. & *exallacmenos* dixit, & arbuſta rumpent cantu ſuo. PHILARGYRIVS.

TENVES. Id eſt parvas, cui contrarium illud, & *pingui flumine Nilus.* PHIL.

SOLIS AD OCCASVM. Intellige tempus occidentis Solis, non autem plagam occiduam. *Nam*, ut Varro ait, *ita paſcere pecus oportet, ut adverſo Sole agat. caput enim ovis maxime molle eſt.* RAMVS

ET SALTVS REFICIT IAM ROSCIDA LVNA. Non hic per *Lunam* noctem accipio. Non enim omnes noctes uno tenore, eandem vim roris gignunt. Luna namque ſilente, ros non multus deſcendit: contra autem in plenilunio, magna copia ipſius funditur. Sequitur ergo non rem ipſam tantum, quam notam illi fuiſſe veriſimile eſt, ſed Alcmânis nobilis Poëtæ ſententiam, indicaſſe; qui *rorem*, Iovis ac Lunæ filium eſſe cecinit. VICTORIVS.

MAPALIA TECTIS. *Mapalia* caſæ Maurorum, qui in eremo habitare dicuntur. ſicut illud Lucani: *Surgere congeſto non culta mapalia culmo.* PHIL.

RARIS. *Raris*, quia non junguntur, & diſtantibus locis fiunt. PHIL.

Sæpe diem, noctemque, & totum ex ordine mensem
Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet. omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram:
Non secus, ac patriis acer Romanus in armis,
Injusto sub fasce viam cum carpit, & hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæoticaque unda,
Turbidus & torquens flaventes Ister arenas:
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu late, septemque assurgit in ulnas.
Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallenteis haud unquam discutit umbras:

S E R V I I.

ARMENTARIVS. Abusive. nam de gregibus loquitur. TECTVMQVE LAREMQVE. Tentoria more militum: ac si casam diceret.

AMYCLÆVMQVE CANEM. Laconicum. Et est species pro genere. Amycla autem civitas est Laconiæ: unde est, *Amyclæus domitus Pollucis habenis Cyllarus.*

PATRIIS ACER ROMANVS IN ARMIS. Generaliter sibi concessis: ac si diceret Martiis.

INIVSTO SVB FASCE. Sub magno onere. ut, *Ego hoc te fasce levabo.* Magnum autem onus dicit propter arma, alimenta, vestitum.

ANTE EXPECTATVM. Dicto citius, antequam ejus expectetur adventus. Et est una pars orationis: hoc est adverbium. STAT. Obstat. nam Aphæresis est.

AT NON QVA SCYTHIÆ GENTES. Subaudi talis est pastio. MÆOTICAQVE. Mæotis palus, est Scythiæ frigore congelascens.

ISTER fluvius Scythiæ, qui & Danubius nominatur.

QVAQVE REDIT MEDIVM RHODOPE PORRECTA SVB AXEM. Qua Rhodope mons Thraciæ protentus in orientalem plagam, Gammaides in septentrionalem reflectitur. Nam ideo ait, REDIT SVB AXEM. Nam axis est septentrio: qui Græce ἄρκτος nominatur.

INFORMIS. Nivis superfusione, carens varietate formarum, nullisque agnoscenda limitibus.

SEPTEMQVE ASSVRGIT IN VLNAS. Crescit in septem ulnas Vlna autem, ut diximus, secundum alios, utriusq; manus extensio est: secundum alios, cubitus: quod magis verum est. quia Græce ὠλένη dicitur cubitus: unde est λευκώλενος ἥρη.

PALLENTES HAVD VNQVAM. Nunquam nubes dissolvit. Nam pallentes umbræ sunt, non ex nocte, sed ex nubibus factæ.

V A R I O R V M.

OMNIA. *Omnia secum Armentarius Afer agit tectumque laremque.* quomodo tectum & larem bajulat pastor? solvitur. *tectum* dicit tentorium, unde tectum faciat. nunc *larem*, deos dicit penates, id est ignem, unde focum faciat. PHIL.

ARMAQVE. Reprehenditur hic, quod Gætulis sagittas, non lanceas dederit. PHIL.

AMYCLÆVMQVE. *Amyclæum* non Laconicum, sed pro bono cane accipiendum. item *Cressamque pharetram*, pro bonam. PHIL.

INIVSTO SVB FASCE. Merito itaque hinc *fascis iniustus* à poëta dicitur, & repetitur à Vegetio lib. 1. quando & tyrones 60. librarum pondus gestare, atque iter militari gradu facere, id est XX. millia passuum, quinque horarum spatio absolvere cogebantur; quo in expeditionibus deinde facilius annonam & arma portarent. PONTANVS.

ANTE EXSPECTATVM. Certe hostem de improviso opprimere, ut is non prius hostem adesse, quam se captum intelligat, non minima pars est artis imperatoriæ; & in celeritate plerumque res sita est. Natum enim illud Iulii Cæsaris: VENI, VIDI, VICI. PONTAN.

ANTE EXPECTATVM. Id est ante expectationem, & prius quam expectaretur, & ante quam putetur venire potuisse. PHILARG.

HOSTI. *Hosti stat*, figurate, pro contra hostem stat. PHIL.

REDIT. Num addita præpositione, ut solet, pro, it, redit, quod ibi flectatur in sinum, & quasi redire videatur. Hinc annotandum vetuste *axem* pro septentrione positum. PHIL.

Nec

Nec cum invectus equis altum petit æthera; nec cum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Vndaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes:
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.
Æraque diſſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt
Indutæ; cæduntque ſecuribus humida vina:
Et totæ ſolidam in glaciem vertêre lacunæ;
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſecius aëre ningit.
Intereunt pecudes: ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, & ſummis vix cornibus extant.
Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem,
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.

SERVII.

CONCRESCVNT SVBITÆ CVRRENTI IN FLVMINE CRVSTÆ. Aquæ congelaſcunt fluentes. Notandum ſane, quia cum hæc cruſta dicimus fœminino genere, lapidis, aut ligni, aut gelu partem ſignificamus. Cum vero cruſtum dicimus, edulium aliquod ſignificamus, partem panis vel placentæ. Ipſe in ſeptimo, *Orbem fatalis cruſti.* Horatius. *Dant cruſtula blandi Doctores.* Iuvenalis. *Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo*

HOSPITA PLAVSTRIS. Facilis. Vnde & hoſpitalis homo dicitur, hoſpiti apte ſerviens.

ÆRAQVE DISSILIVNT VVLGO. Paſſim crepant. nam tam nimio frigore, quam calore æra rumpuntur. Perſius, *Findit infantes ſtatuas.* VESTESQVE RIGESCVNT. Durantur, ut frangi potius quam ſcindi poſſe videantur.

CÆDVNTQVE SECVRIBVS HVMIDA VINA. Etiam vinum naturaliter calidum illic gelatur. Intelligimus autem peregrinum: nam illic non naſcitur, ſicut paulo poſt ipſe docet, dicens; *Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.* Sane volunt phyſici vinum non gelari: unde hoc loco aut Hyperbole eſt: Aut quia dixit HVMIDA, aquæ mixta intelligamus: Ita enim gelari dicuntur.

TOTÆ SOLIDAM IN GLACIEM VERTERE LACVNÆ. Foſſæ ad ſiccandos agros paratæ, cum alibi tantum incruſtentur, illic uſque ad imum congelantur.

STIRIAQVE IMPEXIS. Stiria, id eſt gutta: inde fit diminutivum, ut dicamus ſtilla. Inde eſt diſtillat, & ſtillicidium. Senſus autem duplex eſt. Nam aut hoc dicit, De impexis barbis pecudum pendens gutta duratur. Aut certe de tectis & arboribus gutta horrida induruit in modum barbarum.

NON SECIVS. Non ſegnius quam inchoaverat.

PRVINIS. Abuſive nivibus. nam pruina eſt matutini temporis frigus.

CONFERTO AGMINE CERVI. Conjuncto. Cervi enim congregatione gratulantur.

MOLE NOVA. Nivium magnitudine.

CASSIBVS. Id eſt retibus. Hinc eſt quod & incaſſum dicimus, id eſt ſine cauſſa, quaſi ſine caſſibus: ſine quibus venatio eſt inanis.

GRAVITERQVE RVDENTES. RV enim more ſuo corripuit. ut in ſeptimo. *Et ſera ſub nocte rudentum.* Perſius producit, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.*

VARIORVM.

STIRIAQVE. Stillicidium congelatum, *Stirians* dicit. PHIL.

AERE. *Toto Aëre*, id eſt, à terris ad cœlum. PHILARG.

PVNICEÆVE AGITANT PAVIDOS FORMIDINE PENNÆ. Seneca lib. 3. de Ira, Quod accidere vides animalibus mutis, idem in homine deprehendes, frivolis turbantur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad umbram aſpis exſurgit: urſos leoneſque mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad minima. Porro & cervos rubræ pennæ aſpectu terreri, Auſonius comprobat his verſibus:

An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multa indagine pennæ?

Vt & Ovid. Metamorphoſ. xv.

Nec formidatis cervos includite pennis. PONT.

Ipsi in defossis specubus, secura sub alta
Otia agunt terra; congestaque robora, totasque
Advolvêre focis ulmos, ignique dedêre.
Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subjecta trioni
Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro:
Et pecudum fulvis velantur corpora setis.
Si tibi lanicium curæ; primum aspera sylva,
Lappæque, tribulique absint: fuge pabula læta:
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem (quamvis aries sit candidus ipse)
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum, plenoque alium circumspice campo.

SERVII.

SPECUBUS. Artis fuerat: specibus dicere: quia quarta declinatio in dativo & ablativo pluralibus, *u* in *i* vertit: & ita facit dativum pluralem, ut ab hoc fluctu, his fluctibus. sed quia pinguius sonat & melius, specubus dicimus. unum tamen nomen est quod aliter non dicimus, ut tribubus: nam tribibus nemo dicit.

HIC NOCTEM LUDO DUCUNT. Quasi perpetuitatem noctis sub terris locati ludo concelebrant.

FERMENTO ATQUE ACIDIS IMITANTUR VITEA SORBIS. Potionis genus est quod cervisia nuncupatur. & consequens est ut vinum per naturam calidum, in provincia frigida non possit creari.

SEPTEM SUBJECTA TRIONI. Tmesis, pro septentrioni.

GENS EFFRENA VIRUM. Sæva, rectorem recusans. RIPHÆO EURO. Scythico vento. Riphæi autem montes Scythiæ, ut diximus, à perpetuo ventorum flatu nominati. Nam *ῥιφὴ*, Græce impetus & *ὁρμὴ* dicitur, *ἀπὸ τ ῥίπτειν*.

PECUDUM FULVIS VELANTUR CORPORA SETIS. Rhenonibus. Nam ut Sallustius dicit in historiis, *Vestes de pellibus Rhenones vocantur.*

SI TIBI LANICIUM CURÆ. Et hæc lana dicimus, & hoc lanicium: sicut fuga & effugium. Quod autem dicit oves lanæ caussa non debere pinguescere, physicum est. Omne enim pingue animal caret pilis: quod hirsutum efficit macies.

LAPPÆQUE TRIBULIQUE. A quibus rebus lana decerpitur.

CONTINUO, pro perpetuo: semper hoc enim fieri debet. VILLIS LEGE MOLLIBUS ALBOS. Lana enim alba pretiosior est, quippe susceptura alium quemlibet colorem. Quod autem hic per transitum tangit, in aliis plenius legitur; maritum pecoris, & cornu, & ungulis, & palato album esse debere. Alioquin licet sit candidus lanis, constat ex eo pullos nigros creari.

ARIES SIT CANDIDUS IPSE. Bene addidit, IPSE, quasi qui aut dominus gregis est; aut qui antea pro damno capitali dari consueverat. Nam apud majores, homicidii pœna, noxius arietis damno luebat: quod in Regum legibus legitur.

PULLIS. Nigris. UDO PALATO. Semper humido. Alibi, *Et uda vocis iter.* REIICE, REII: aut quasi monosyllabum produxit licenter: aut ut supra diximus, quia cum faciat rejeci, i. pro duplici habetur, & REII efficit longam. Ideo & in aliis modis præsumit sibi productionem.

VARIORUM.

FERMENTO ATQUE ACIDIS, &c. De potionum generibus è frumento, scripsit eruditum cap. xij. lib. 2. Adr. Iunius. De quatuor sorbi generibus Plin. lib. 16. cap. xxj. Osiris, si qua regio vitibus inepta esset, docuit ex hordeo potum fieri, haud multum virtute gustuque, vino inferiorem. DIODOR. lib. 1. cap. 2.

TRIONI. Id est septentrioni subjecta & Hyperboreo, propterea quia regio, quæ septentrioni subjacet, Hyperborea vocatur, ab eo quod flatus Boreæ excedat. PHIL.

EURO. *Euro* pro vento accipere debemus. PHILARGYR.

RIPHÆA. *Riphei montes* sunt in eodem tractu. PHILARG.

SI TIBI LANICIUM CURÆ. De cura Lanitii, hoc est, tam lanæ, quam lanati pecoris; id enim est *Lanitium*, autore Turneb. lib. 15. 21. Arnobius: Lanitia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari. Plin. lib. 6. 17. *Seres, lanitio sylvarum nobiles.* De re ipsa vide Columell. lib. 7. 3. TAUBMANN.

LAPPÆQUE. Quia læta pascua, solocem lanam faciant, hoc est minutam, duram, atque hirsutam. PHILARG.

CONTINUOQUE. *Continuo* pro perpetuo, semper enim hoc fieri debet. PHILARG.

Munere

Munere ſic niveo lanæ (ſi credere dignum eſt)
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, feſellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.
At cui lactis amor, Cythiſum lotoſque frequentes
Ipſe manu, ſalſaſque ferat præſepibus herbas.
Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt;
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.
Multi jam excretos prohibent à matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capiſtris.
Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis,
Nocte premunt: quod jam tenebris, & Sole cadente,
Sub lucem exportant calathis (adit oppida paſtor)
Aut parco ſale contingunt, hyemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed una
Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui: nunquam cuſtodibus illis

SERVII.

MVNERE SIC NIVEO LANÆ. Mutat fabulam Nam non Pan, ſed Endymion amaſſe dicitur Lunam: qui ſpretus pavit pecora candidiſſima, & ſic eam in ſuos illexit amplexus: cujus rei myſticæ, volunt quandam ſecretum eſſe rationem. SI CREDERE DIGNVM EST. Tantum de luna ſacrilegium.

SALSASQVE FERAT PRÆSEPIBVS HERBAS. Et ut multum potantes, reddant plurimum lactis: & ipſum lac non ſit fatuum; ſed habeat ſalis occultum ſaporem, id eſt vix intelligibilem & non ſtatim apparentem.

EXCRETOS. Validiores. FERRATIS CAPISTRIS: Id eſt duris:

NOCTE PREMVNT. Cogunt in caſeos.

CALATHIS. Vaſis æreis: in quibus lac vel recens caſeus in urbe diſtrahitur.

AVT PARCO SALE. Aut modico ſale: aut re vera parco, id eſt ſervatore: quia omne in quod mittitur ſervat. Nam & homo frugi, parcus vocatur. Aut certe parco, dixit pro parce, ut ſit nomen pro adverbio.

NEC TIBI CVRA CANVM FVERIT. Liptotes, pro magna tibi cura ſit canum. POSTREMA. Vilis.

VELOCES SPARTÆ CATVLOS, pro Spartanos. VNA, hoc eſt cum pecore. In Laconicis velocitas; in Moloſſis fortitudo laudatur. Sparta autem Laconiæ eſt civitas. Moloſia civitas Epiri,

PASCE SERO PINGVI. Aqua lactis, quæ pingues efficit canes.

VARIORVM.

MVNERE SIC NIVEO LANÆ. Pan Mercurii filius, cum Lunam concupiſſet, & haberet optimum pecus: poſcente ea partem pecoris pro concubitu, dicitur pollicitus, & duas partes feciſſe gregum, quarum alteram candidiorem, ſed lanæ craſſioris. Lunam, deceptam candore, deterius pecus abduxiſſe, ut Poëta ſignificat. PROBVS.

FEFELLIT. Cepit & fefellit. & bene, *ſi credere dignum eſt*, quia dicturus erat impia in Deam. fabula ſic eſt: Pan cum Lunæ amore flagraret, ut illi formoſus videretur, niveis velleribus ſe circundedit, atque ita eam ad rem veneream illexit. Hujus opinionis auctor eſt Nicander. nec poterat eſſe niſi Græcus. PHILARG.

AT CVI LACTIS AMOR. Alia porro eſt ratio paſcendarum oviumque caprarumque, è quibus lactis, aut caſei copiam habere volumus. Has enim pinguiori cibo alimus, & cythiſos, lotoſque præbemus, & herbas ſale conditas præſepibus imponimus. PONTAN.

CYTHISVS. Arbor à Cythiſo inſula, ubi multa naſcitur, dicta. PHIL.

LOTOSQVE. *Lotos* arbor pyro ſimilis, utraque pecori bona. PHIL.

EXCRETOS. Id eſt ſeparatos, aut qui excreverint, id eſt valde creverint. PHIL.

SVB LVCEM EXPORTANT CALATHIS. Enallage numerorum hunc locum corrupit: ſed una litterula mutata, germanam Virgilii lectionem effeceris, (ut pro *exportant*, lege *exportans*, tollas etiam parentheſin, quæ neceſſaria non eſt. *Sub lucem exportans calathis adit oppida paſtor.* SCALIGER. in Catull.

AVT PARCO SALE CONTINGVNT. *Tangere* veteres pro tingere, imbuere, linere, aſpergere, etiam dixerunt. Lucret. lib. 1. *Contingunt mellis dulci, flavoque liquore.* Rurſum, *croci contacta colore.* TVRNEB. lib. 15. c. 17.

NEC TIBI CVRA CANVM, &c. Canis ſpecies triplex eſt; Villaticus, pecuarius & venaticus. Vnum genus adverſus hominum inſidias eligitur, & id villam, quæque juncta ſunt villæ, cuſtodit: at alterum propellendis injuriis hominum ac ferarum; & id obſervat domi ſtabula. foris pecora paſcentia. Tertium venandi gratia comparatur. COLVMELLA.

Digitized by Google

Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulsos sylvestribus apros
Latratu turbabis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cælumque exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbræ,
Pestis acerba boum, pecorique aspergere virus,
Fovit humum. cape saxa manu, cape robora pastor:
Tollentemque minas, & sibila colla tumentem
Dejice: jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus, extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,

SERVII.

NOCTURNUM FUREM. Noctis opportunitatem captantem. Fur autem à furvo dictus est, id est nigro. Nam noctis utitur tempore. Horatius. *Quam pene vidimus furvæ regna Proserpinæ.* Aut certe à Græco venit, nam fur φώρ vocatur. IBEROS. Abactores. fere enim Hispani omnes acerrimi abactores sunt.

ONAGROS. Agrestes asinos. Et est laus canum.

SÆPE VOLUTABRIS SYLVESTRIBUS. Volutabra loca sunt in quibus se apri volvunt. Sylvestribus autem ideo, quia & circa casas esse, & in civitatibus possunt.

ODORATAM STABULIS. Pro odoriferam. & loquitur de serpentum remediis, qui ingressi tecta, animalibus nocent.

AGITARE. Persequi. GRAVI NIDORE. Serpentibus scilicet noxio. GALBANEOQUE. Galbanum species est multis apta medicaminibus. CHELYDROS. Chelydri dicti sunt quasi chersydri: quia in aquis & in terris morantur. Nam χέρσον dicimus terram, ὕδωρ autem aquam.

AUT MALA TACTU. Quæ & tacta nocet, & est perniciosa dum tangit. Vipera autem species est serpentis, quæ vi parit. nam corrosis ejus lateribus, exeunt pulli cum matris interitu. Lucanus, *Viperei coëunt abrupto corpore nodi.*

COELUM EXTERRITA FUGIT. Gaudet tectis, ut sunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini genios vocant.

FOVIT HUMUM. Amplexa terram est in qua possit latere.

TIMIDUM CAPUT ABDIDIT ALTE. Cui timet. Nam ut dicit Plinius, *Serpentis caput etiam si cum duobus evaserit digitis, nihilominus vivit.*

AGMINA CAUDÆ. Motus. Et hoc dicit, Cædes serpentem donec caudæ volubilitas conquiescat.

VARIORUM.

HIBERI. *Hiberi* gens in Ponto. sed magis de Hispanis intelligendum, quorum in latrociniis fama præponderat. PHIL.

TIMIDOS AGITABIS ONAGROS. Victorius observavit, nullos Italiam onagros ferre; videturque causam Maronis hac in parte destituere, quam allevare nulla alia defensione possum, quam si ponamus rei rusticæ præcepta poëtam non suis tantum hominibus, sed humano generi, pro habitu & natura regionum, dare voluisse. GERMAN.

CLAMORE PREMES AD RETIA. Premere, verbum est venatorium. Sic in Æneid. 1. *Aut spumantis apri cursum clamore prementem.* Premit feram venator, dum ei canibus instat, miseramque urget in retia. Cultum, curamque pecudum recte valentium docuit; nunc quemadmodum vitiis aut morbo laborantibus subveniendum sit, præcipit. PONTANUS.

EST ETIAM ILLE MALUS CALABRIS, &c. Ordo: Ille etiam est malus anguis, & convolvere solitus. Hæc autem signa sunt, quibus intelligatur qualis sit hic anguis. Si quis Nicandri Theriaca legat, hæc intelliget de chersydro scribi: cui si fidem tantus poëta non faciet incredulo, accedat testimonium Solini cap. 8. ita scribentis. *Calabria chersydris frequentissima est, & boam gignit.* PHILARG. TURNEB.

Squa-

Squamea convolvens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ, ac pluvialibus auſtris,
Stagna colit, ripiſque habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, raniſque loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum; & flammantia lumina torquens
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles ſub divo carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:
Cum poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens
Arduus ad Solem, & linguis micat ore triſulcis.
Morborum quoque te cauſas, & ſigna docebo.
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt, udiſque aries in gurgite villis

SERVII.

SQVAMEA CONVOLVENS SVBLATO PECTORE TERGA. Id eſt erectus: quod ad expreſſionem generis ſerpentis poſuit: Alii enim repunt toto corpore. Alii eriguntur corporis parte. Lucanus, *Et contentus iter cauda ſulcare parias.*

VDO VERE. Alibi, *Cum ruit imbriferum ver.*

IMPROBVS. Inſatiabilis. INGLVVIEM. Ventris capacitatem. RANIS LOQVACIBVS. Clamoſis. Loquacibus ideo, quia ex hominibus factæ ſunt, ut dicit Ovidius.

ASPERQVE SITI. Salluſt. *Quod genus, ſiti magis quam alia re accenditur.*

MIHI. Cuicunque. ut, *Non illa quiſquam me nocte per altum Ire.*

NITIDVSQVE IVVENTA. Pelle enim depoſita redit ad ætatem priorem.

CATVLOS. Abuſive dixit. Nam catuli proprie ſunt canum.

MORBORVM QVOQVE TE CAVSAS, ET SIGNA DOCEBO. Tria dicit, ſigna, morborum cauſſas, & remedia: ſed non ſervat legitimum ordinem. Nam poſt remedia morborum, ſigna commemorat.

TVRPIS SCABIES. Quæ aſperum & turpe efficit corpus. ET ALTIVS AD VIVVM PERSEDIT. Medullas & oſſa penetravit.

ILLOTVS ADHÆSIT SVDOR. Lotus vel lautus dicimus. inde eſt & lautum eo. Nam illud ab Horatio ſatis licenter dictum eſt, *Aſt ubi me feſſum Sol acrior ire lavatum Admonuit.*

DVLCIBVS FLVVIIS. Salſa enim aqua magis pruriginem creat.

VDISQVE ARIES IN GVRGITE VILLIS MERSATVR. Muſimonem dicit ducem gregis, quem ita & Varro commemorat. huic autem partem aliquam lanæ, paſtores ſolent relinquere. unde ait *udis villis.* Nam ſemper oves tonſæ lavantur.

VARIORVM.

RVMPVNTVR. Vt ſupra, implentur, aut prorumpunt. PHIL.

IMPROBVS. Hic avidus. PHIL.

INGLVVIEM. Varro ad Ciceronem in lib. 23. *Ingluvies*, inquit, *ſunt tori circa gulam qui propter pinguedinem fiunt, atque interceptas habent rugas.* Sed nunc pro gula poſitum. PHIL.

CVM POSITIS NOVVS EXVVIIS. Ovid. *Anguibus exuitur tenuis cum pelle ſenectus.* De iſta porro ſerpentum renovatione, PLINIVS lib. 8. cap. 27.

LINGVIS MICAT ORE TRISVLCIS. Nihil aliud eſt, quam linguam ſubinde motitando exertare. GERMAN.

VEPRES. *Vepres* in maſculino genere. At Lucretius fœminino dixit: ut, *Illorum ſpolia vepres volitantibus actas.* PHIL.

Mer-

Mersatur, missusque secundo defluit amni:
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfra,
Idæasque pices, & pingueis unguine ceras,
Scillamque, elleborosque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora deos sedet omnia poscens.
Quin etiam ima dolor balantum lapsus ad ossa
Cum furit, atque artus depascitur arida febris;
Profuit incensos æstus avertere; & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,

SERVII.

SECUNDO AMNI. Defluenti, cum aqua scilicet.

TRISTI AMURCA. Amaris olei sordibus. Hoc autem remedium est contra sordes, scabiem, & contra læsum vepribus corpus.

VIVAQUE SULPHURA. dactylicus versus, quod in fine dactylum habeat.

IDÆASQUE PICES. Liquidas, quæ in Ida Phrygiæ monte nascuntur.

SCYLLAMQUE, HELLEBOROS. Genera herbarum sunt.

PRÆSENS FORTUNA. Efficax, utilis, profutura. Et dicit incidendum esse vulnus, si medicaminibus emolliri minime potuerit.

SUMMUM ULCERIS OS. Ergo tunc secandum est, cum os habuerit.

ET MELIORA DEOS SEDET OMNIA. Majores enim expugnantes religionem, totum in experientia collocabant. Sallustius, *Non votis neque suppliciis muliebribus deorum auxilia comparantur: vigilando, laborando, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam deos implores; irati infestique sunt.*

ARTUS DEPASCITUR. Et pasco & pascor illam rem dicimus. ARIDA FEBRIS: Quæ arida efficit corpora. Tamen sciendum, febrem licet à fervore dicta sit, esse etiam frigidam. unde modo ad diastolen ait aridam.

INCENSOS ÆSTUS. Id est febrem. INTER IMA FERIRE PEDIS SALIENTEM. Id est mobilem. Dicit autem illam venam esse feriendam quæ supra ungulam est animalis; tam lata quam mobilis

BISALTÆ QUO MORE. Populi Scytharum: qui fugientes, equorum sanguine aluntur, lacte permixto.

CUM FUGIT. Vel re vera fugit: vel pergit celeriter.

VARIORUM.

ET SPUMAS MISCENT ARGENTI. Lithargyra vulgo. Nam quod Plin. spumæ argenti tribuit, id lithargyro Dioscorides. Verum hodie auri lithargyrum in officinis, sed apud veteres χρυσῖτις vocabatur, cui est color flavus. At cui albus, lithargyrum argenti, vulgo rectius ἀργυρῖτις nominatur. WILLICHIUS.

UNGUINE. Omnis succus, quo ungi potest, *unguen* dicitur. PHIL.

SCYLLAMQUE, HELLEBOROSQUE. Vulgus cum Varrone squillam vocat. Nobilissima bulborum medicamini præcipue nata, acetoq; exacuendo. De tribus ejus generibus consule CAROL. STEPHAN. in Horto. Genus herbæ, quod in limitibus agrorum ponitur in Africa. PHIL.

HELLEBOROSQUE. Herba quæ & radicla dicitur, quæ animalibus prodest. PHIL.

AD VULNERA. Bene *ad vulnera*, pro ad facienda vulnera. PHIL.

ET MELIORA DEOS SEDET O. P. Eleganter hoc verbo usus est, pro remisso esse animo, atque otiose agere, unde deses & desidia. Hinc verbum hoc etiam in luctu usitatum, de iis qui mortuis feriebantur: Tib. lib. 3. Eleg. 7. *Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo.* Virg. IX. *luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.* TORRENTIUS. De verbo *sedere* dicta quædam sunt, & non vulgarem quandam ejus notionem ostendi in illud Æneid. 12. vers. 15. *sedeant spectentq; Latini.* quæ quidem omnia ad hunc, similesque locos accommodanda. Tum legendum OMINA, pro OMNIA, contra vulgatos codices. CANTERUS lib. 1. c. 8.

GISALTÆ. Gens Thraciæ. PHIL.

CUM FUGIT. *Fugit* non hostem, sed quia vivit sic, ut mutet locos. PHIL.

Digitized by Google

Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul aut molli ſuccedere ſæpius umbræ
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamque ſequi, aut medio procumbere campo
Paſcentem, & ſeræ ſolam decedere nocti:
Continuo culpam ferro compeſce prius, quam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Non tam creber, agens hyemem, ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum peſtes: nec ſingula morbi
Corpora corripiunt: ſed tota æſtiva repente,
Spemque gregemque ſimul, cunctamque ab origine gentem.
Tum ſciat, aërias Alpes, & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque poſt tanto videat, deſertaque regna
Paſtorum, & longe ſaltus, lateque vacantes.
Hic quondam morbo cœli, miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:

SERVII.

CARPENTEM IGNAVIUS. Negligentius, ſine aviditate.

CULPAM FERRO COMPESCE. Atqui habere morbum culpa non eſt. ſed hoc dicit, occidendo eam, tuam culpam compeſces id eſt vita crimen in quod potes incidere; ſi, dum uni parcis, fuerit totus grex ejus contagione corruptus.

INCAUTUM VULGUS. Quod ſe morboſi pecoris contagione abſtinere non novit.

TOTA ÆSTIVA. Loca poſuit pro animalibus. Æſtiva autem ſunt loca umbroſa, in quibus per æſtatem pecora vitant Solis calorem. Statius. *Et umbroſi patuere æſtiva Lycæi.* SPEMQUE GREGEMQUE SIMUL. Agnos cum matribus.

TUNC SCIAT, AERIAS ALPES ET NORICA SIQUIS. Senſus hic eſt. Si quis eſt qui ſciat iſta loca, qualia tunc fuerunt, cum pecoribus erant referta; nunc quoque ea vacantia videat: licet plurimum à peſtilentia fluxerit tempus.

AERIAS ALPES. Id eſt Galliam. Et dicendo aërias, verbum expreſſit ex verbo. Nam Gallorum lingua alti montes alpes vocantur. NORICA SI QUIS. Noricum pars eſt Illyrici.

ET IAPIDIS ARMA TIMAVI. Id eſt Venetiam. Nam Iapidia pars eſt Venetiæ dicta ab Iapido oppido. Salluſtius, *Primam modo Iapidiam ingreſſus.* Hujus eſt fluvius Timavus. Unde male quidam *Iapigis* legunt, cum Iapigia ſit Apulia.

HIC QUONDAM MORBO CÆLI, MISERANDA COORTA EST. Deſcribit peſtilentiam Venetiæ, Galliæ, Illyrici. nam quodam tempore cum Nilus plus æquo excreviſſet, & diu permanſiſſet in campis; ex aqua fluminis & calore provinciæ diverſa, & plurima in limo animalia ſunt creata; quæ recedente in alveos ſuos Nilo, & integra & quæ ſemiplena fuerant, putrefacta ſunt: exinde corrupto aëre nata peſtilentia eſt; quam Auſter flans primo ex Ægypto ad Atticam provinciam pepulit. Mox inde in tractum Venetiæ & Illyrici, uſque quaque univerſa vaſtavit. Hanc autem peſtilentiam ordine quo diximus pleniſſime Lucretius eſt executus.

MISERANDA TEMPESTAS. Peſſima, ferens rem dignam miſeratione.

TOTOQUE AUTUMNI INCANDUIT ÆSTU. Exarſit prima autumni parte, quæ ſemper gravem efficit peſtilentiam. Ut autem autumnus abundet morbis, facit confinium frigori & caloris; quod licet etiam vernum tempus habeat, caret morbo: quia tunc corpora præcedenti durata ſunt frigore; quæ autumnus corrumpit, laxoria inveniens poſt æſtatis calorem.

VARIORUM.

INCAUTUM. Quod ſibi præcavere non poſſit. ut eſt apud Salluſtium: *Repente incautos agros invaſit.* id eſt, quibus præcautum ſecurum non eſt. ut eſt: *Incautum, patriaſque obtruncat ad aras.* PHILARGYRIUS.

AERIAS. Morbo cœli, quia corruptus aër, morbi cauſa eſt: ut ipſe, *corrupto cœli tractu.* PHIL.

NORICA. Id eſt Gallica. & dicendo aërias, verbum è verbo expreſſit. Nam Gallorum lingua alti montes, Alpes vocantur. PHIL.

ET IAPIDIS ARVA TIMAVI. Iapis nomen proprium Ætoli, qui in agro Veneto, oppidum de ſuo nomine condidit: unde regio illa, ubi Timavus fluvius eſt, nomen accepit. PONTANUS.

Digitized by Google

Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex: sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis, miseros adduxerat artus;
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris;
Nec responsa potest consultus reddere vates;
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.

SERVII.

CORRVPITQVE LACVS, INFECIT PABVLA TABO. Ordinem secutus est, quem & Lucretius tenuit & Sallustius: Primo aërem, inde aquam, post pabula esse corrupta.

NEC VIA MORTIS ERAT SIMPLEX. Nec moriebantur ex usu, id est secundum naturalem ordinem; non tantum fuga animæ, sed etiam corporis resolutione. Est autem Sallustii, qui ait, *Ne simplices quidem morte moriebantur.*

IGNEA VENIS OMNIBVS ACTA SITIS. Fervidus calor: ab eo quod præcedit, id quod sequitur.

FLVIDVS LIQVOR. Humor sordidus. OSSA. Etiam ossa. Et per Hyperbolem, totum hominem significat.

IN HONORE DEVM MEDIO. In sacrificiis: ut, *Haud equidem tali me dignor honore.*

LANEA. Id est victima. Nam non stat versus si lanea vitta dixeris.

MACTAVERAT ANTE SACERDOS. Ejus scilicet mortem præveniens.

ARDENT ALTARIA FIBRIS. Quia ut dicit Plinius Secundus, *Morbosa caro non coquitur.* Inde ab hac causa, quia morbus universa confuderit.

NEC RESPONSA POTEST CONSVLTVS REDDERE VATES. Colligi enim nisi ex sana victima, futura non possunt.

SVPPOSITI TINGVNTVR SANGVINE CVLTRI. Sic & in sexto, *Supponunt alii cultros*, Id est jugulant hostias. Dicendo autem SVPPOSITI feriendi genus ostendit. Nam interdum ab inferiori parte; interdum desuper feriebantur.

SVMMAQVE IEIVNA SANIE INFVSCATVR ARENA. Signatis usus est verbis, nimiumque libratis.

VVLGO. Ubique, passim & catervatim. IN LÆTIS autem HERBIS ideo, ne eos fame perisse putaremus.

HINC CANIBVS BLANDIS. Canibus rabies ex pestilentia nascitur. QVATIT ÆGROS TVSSIS ANHELA SVES. Proprie. nam tussis commovet corpora.

ET FAVCIBVS ANGIT OBESIS. Tumentibus. Angit autem, bene ait. Nam angina dicitur porcorum morbus, qui occupat fauces. Plautus, *Vellem me in anginam verti, ut huic aniculæ fauces preoccuparem.*

VARIORVM.

TABO. Abutitur pro pestilentia. PHIL.

NEC VIA MORTIS ERAT SIMPLEX. Ipsum mortis genus erat cum multis malis conjunctum, & ita minime simplex. PONTANVS.

ABDVXERAT. Pro contraxerat. PHIL.

RVRSVS. Hic *Rursus* positum pro contra, ut supra: *Rursus cura patrum cadere, & succedere matrum Incipit.* PHIL.

CVNCTANTES. Dubitantes sacerdotes, animal quod ad sacrificium ducebatur. PHIL.

INDE NEQVE IMPOSITIS ARDENT. Cor negatur cremari posse, qui veneno interempti sunt, Plin. lib. 11. cap. 37. an eadem ratione peste infecta cremari non possint, considerato. Lucretius certe, in Attica pestilentia ait peste extinctos, non humatos, sed crematos esse. RAMVS.

IEIVNA SANIE. *Ieiuna sanie,* sicca & exigua. PH.

HINC CANIBVS BLANDIS. Per canes blandos forsitan catulos Melitæos significat, qui nobilibus fœminis erant in delitiis, vel generatim de canibus accipiendum, quo genere animalium, nihil blandius, nec dominorum amantius. PONT.

Digitized by Google

Labitur infelix ſtudiorum atque immemor herbæ
Vector equus: fonteſque avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demiſſæ aures: incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Tellus, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus:
Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus;
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & obſeſſas fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat hoc ipſum exitio; furiiſque refecti
Ardebant: ipſique ſuos, jam morte ſub ægra
(Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem,

SERVII.

CREBRA FERIT. Crebro: nomen pro adverbio. INCERTUS IBIDEM SUDOR. Irrationabilis, ſine labore, cujus cauſſa non apparet.

MORITURIS, FRIGIDUS. Frigidus ſudor, mortis futuræ ſignum eſt, & moriturus frigore plenus eſt.

TRACTANTI DURA RESISTIT. Frigida eſt, nec cohæret digitis.

COEPIT CRUDESCERE MORBUS. Validior fieri; ut, *Dejecta crudeſcit pugna Camilla*: & jam dat ſigna morbi validioris.

OBSESSAS FAUCES. Id eſt clauſas. ASPERA LINGUA. Scilicet nimia ſiccitate.

PROFUIT INSERTO LATICES INFUNDERE CORNU. Non ſemper, ſed aliquando. nam hoc ſolum eſt quod morbo liberat, aut commovet in furorem.

MOX ERAT HOC IPSUM EXITIO. Quod ſaluti eſſe putabatur. Et hoc eſt quod paulo poſt dictum eſt, *Quæſitaque nocent artes*. FURIISQUE REFECTI. Quia languentia corpora in vires quodammodo excitat furor, & facit ea in exitium convaleſcere.

DII MELIORA PIIS. Per parentheſin in exsecrationem hoſtium, hanc torquet inſaniam.

FUMANS SUB VOMERE TAURUS. Per hoc oſtendit etiam fortes tauros, repente morbo concidere. Nemo enim peſtilentem ad aratra ducit juvencum.

VARIORUM.

HERBÆ. Pro herbarum, ut ipſe: *Immemor herbarum quas eſt mirata juvenca*. & rurſum, *Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina, nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ*. ergo hic, vel amore, vel miraculo carminis oblivionem herbæ factum dicit; ita illi occupatione morbi. quidam volunt ideo dictum, *ſtudiorum atque immemor herbæ*, quod antiqui in pratis certamina exhibere conſueverunt. Reliqua Grammatici legunt. PHILARGYRIUS.

ATTRACTUS AB ALTO SPIRITUS. Sic Horat. Ode xv. lib. I. *Sublimem anhelitum* dixit, qui videlicet multo extrinſecus hauſto aëre, & ita dilatatis & diductis pulmonibus exſpiratur, & qui ex alto imoque pectore ducitur: quod accidere ſolet in magno corporis labore & longo curſu. LAMBINUS in Horat.

TENDUNT. Pro tenduntur: aut tendunt ſe, aut equi tendunt. PHIL.

DII MELIORA PIIS. Non tam optandi, quam abominandi & averſandi formula eſt, *Dii meliora*. Cicero Philipp. VIII. *Ergo habet Antonius quod ſuis polliceatur, nos nunquid tale habemus? dii meliora*. Vide BRISSON. Formular. lib. I.

ERROREMQUE HOSTIBUS ILLUM. *Errorem* hic pro furore poſuit. Non poſſum receptam lectionem mutare, ut quidam, qui non *errorem*, ſed *ardorem* volunt: nam error pro furore uſurpatur à Marone, ut ſupra: *Malus abſtulit error*. Sæpe etiam noſter Poëta, & Lucret. *errorem* pro noxa & infortunio accipit. GERMAN. PHIL.

NUDIS. Ut fœditatem exprimeret, adjecit *nudis*. PHILARG.

Extremosque ciet gemitus. it tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum;
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inerteis,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus, & victu pascuntur simplicis herbæ.
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis

SERVII.

EXTREMOSQVE CIET GEMITVS. Vltimum gemuit. Sane CIET, modo DAT significat; sicut in tertio de Andromache, *Lachrymasque ciebat*. cum ciere proprie sit alteri aliquid commovere.

FRATERNA MORTE IVVENCVM. Consortis interitu. Et ex affectu dictum est rustici.

MOVERE ANIMVM. In suum desiderium illicere.

PVRIOR ELECTRO CAMPVM PETIT AMNIS. Nam sicut electrum defæcatius est metallis omnibus; ita & currens aqua cæteris purior.

AD TERRAMQVE FLVIT. Lucanus, *Fessumque caput se ferre recusat.*

QVID LABOR, AVT BENEFACTA IVVANT? Si neutrum mortem repellit; nec corporis exercitium; nec mentis religio. Nam si generalis est sententia, secundum Epicureos contra religionem est: si autem tantum ad bovem refertur, hoc dicit; Quid ei prodest labore suo aluisse mortales?

ATQVI NON MASSICA BACCHI MVNERA: Vina pretiosa à Massico monte Campaniæ. Et per transitum tangit illa, quæ dicunt physici; morbos venire ex cibi & potus nimietate; vel mutatione, ex nimiis vigiliis & multa sollicitudine. Dicuntque etiam sine his nasci ægritudinem. nam in animalibus cum nihil horum fit, tamen ægritudines cernimus.

EPVLÆ REPOSTÆ. Aut abundantes, aut variæ.

SIMPLICIS HERBÆ. Propter varietates epularum dixit simplicis herbæ.

NEC SOMNOS ABRVMPIT CVRA SALVBRES. Ex cura enim nimia, vigiliæ procreantur.

VARIORVM.

TRISTIS ARATOR. Morte juvenci *tristem* dixit agricolam. PHIL.

ABIVNGENS FRATERNA MORTE IVVENCVM. *Abjungere*, & *jungere* equos aut boves, contraria sunt. *Interjungere* equos est, cum itinere, aut labore fit pausa, & disjuncti à curru, reficiuntur suo pabulo, ut fit plerunque ad meridianum tempus. PONTANVS.

NON VMBRÆ ALTORVM. Congruit locus ille Lucretii Lib. 2. *Non teneræ salices, atque herbæ rore vigentes, Fluminaq; ulla queunt summis labentia ripis Oblectare animum, subitamq; avertere curam.* GERM.

PVRIOR ELECTRO CAMPVM PETIT. [illegible] amnis limpidissimi. *Electrum* autem alii *metallum* intelligunt, quæ est auri argentique mixtura: de quo Æneid. 8. vers. 403. Alii *succinum*, quod resina est arborum odoratarum: de quo Eclog. 8.

Pinguia corticibus sudent Electra myricæ.

Vide Hadrian. Iunium in *Succinum*. TAVBMAN.

ELECTRO. Quod à nobis succinum appellatur, *electrum* vocant Græci. PHIL.

VRGET INERTES. Id est urget, & inertes facit. PHIL.

AD TERRAMQVE FLVIT. Hunc gestum mœroris signum Homerus in Xantho Hectoris equo mortem domino prædicente observavit Iliad. T. sub finem. GERMAN.

NON ILLIS EPVLÆ NOCVERE REPOSTÆ. Docet Poëta corpora omnia composita non posse non corrumpi tandem & deficere; nec sola, ut humana intemperantia dissolvi, sed suapte natura fatiscere. *Simplicem* autem *herbam* opposuisse videtur τῇ ποικίλῃ τροφῇ, in quam caussam intemperantiæ & morborum confert. GERMAN.

SOMNVS. Manifestum est à Cydippe Argivæ Iunonis sacerdote hoc tractum. quæ cum, boves deessent, filios suos Cleobin & Bitonem plaustro subjunxit, & sic ad templum deducta est, quod fas non erat illam venire sine plaustro. Nam apparet ad sacra Iunonis boves in illis regionibus defuisse, in quibus pestilentiam fuisse demonstrat. PHIL.

Quæ

Digitized by Google

Quæsitas ad sacra boves Iunonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre rastris terram rimantur, & ipsis
Vnguibus infodiunt fruges: montesque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat. timidi damæ, cervique fugaces,
Nunc interque canes, & circum tecta vagantur.
Iam maris immensi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: insolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curvis frustra defensa latebris
Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.

SERVII.

ET VRIS IMPARIBVS DVCTOS ALTA. Bobus agrestibus, & ipsis inæqualibus. Nam uri, agrestes boves sunt, ut diximus supra. Et hoc poëtice dicit. Cæterum veritas hæc est, Quum mos esset sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa Iunonis, & solenni die boves non invenirentur (pestilentia enim quæ per Atticam transierat, universa consumpserat) duo sacerdotis filii Cleobis & Bito; matrem subeuntes jugo, ad templa duxere. Tum Iuno probans eorum religionem, obtulit matri ut quod vellet posceret filiis: illa pia responsione ait, ut quod sciret dea utile mortalibus; ipsa præstaret. Altero itaque die sacerdotis filii juvenes, reperti sunt mortui. Ex quo probatum est nihil esse morte præstantius. quod Herodotus apud Græcos plenissime commemorat in prima historia.

DONARIA. Donaria proprie loca sunt in quibus dona reponuntur deorum. Abusive templa. Nam ita & pulvinaria pro templis ponimus; quum sint proprie lectuli, qui sterni in templis, supervenientibus plerisque consuerunt.

ÆGRE. Difficulter. RIMANTVR. In rimas agunt.

IPSIS VNGVIBVS. Hyperbolicῶs, Id est manibus. NOCTVRNVS OBAMBVLAT. Insidiatur. Quod autem ait nocturnus, figurate rem temporis, ad personam transtulit.

CVRA DOMAT. Id est pestilentiæ. TIMIDI DAMÆ. Mutavit genus, ut vitaret ὁμοιοτέλευτον. Horatius, *Et superjecto pavidæ natarunt æquore damæ.* Dicendo damas & cervos errare cum canibus; duo ostendit, & hos timoris, & illos ferocitatis esse oblitos.

FVGIVNT IN FLVMINA PHOCÆ. Quasi timentes marinam pestilentiam.

IPSIS AVIBVS. Suis quodammodo, quæ alarum velocitate supergredi poterant aërem pestilentem

VARIORVM.

VRIS IMPARIBVS DVCTOS, &c. *Vris imparibus*, secundum Servium, sibi inæqualibus: nimirum quod penuria & pecoris internecione illud sæculum non modo non cicuribus & mansuetis bobus, sed feris, agrestibus, iisque imparibus, & obviis ad vecturas uti cogeretur. Veteres quippe, ut & nostræ ætatis homines, non solum in opere rustico faciendo, ex armento veterina paria delectu conjungebant & comparabant; sed inter urbanas delitias, in carpentis, vectabulis, triumphantiumque curribus ad venustatem idem quoque observabant: ut & Iurisconsultus jugum, parque mulorum ex æqualitate commendat, & altero jugalium sublato, aut oblæso, propter imparitatem depretiati jugi damnum, mulctamque majoris æstimavit. Supra; *Iunge pares & coge gradum conferre juvencos.* GERMAN.

IMPARIBVS. *Imparibus* autem non simile jugum ferentibus, cum alter major esset, alter minor. PHILARG.

TIMIDI DAMÆ, CERVIQVE FVGACES. Eclog. 8.

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Seneca Oedipo.

Non lupos cervi metuunt rapaces:
Cessit irati fremitus leonis,
Nulla villosis feritas in ursis.

Cervi fugaces sunt, quia timidi. Quia & homini sæpe pedibus timor addidit alas. PONTANVS.

FVGIVNT IN FLVMINA PHOCÆ. Vituli marini sunt, qui spirant & dormiunt in terra, ut scribit Plin. lib. 9. c. 7. quod etiam 4. Georg. dicitur. *Sternunt se somno diverso in littore phocæ.*

Digitized by Google

Præterea, nec jam mutari pabula refert;
Quæsitæque nocent artes: cessère magistri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.
Sævit & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone, morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Arentesque sonant ripæ, collesque supini.
Iamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus: nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma:
Nec tondere quidem morbo, illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verum etiam invisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ; atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

SERVII.

REFERT. Prodest. PHILLYRIDES CHIRON. Medicinæ inventor, Saturni & Phillyræ filius.

AMYTHAONIVSQVE MELAMPVS. Amythonis filius καθαρτὴς, Id est purgator. Nam Prœtidas ipse purgavit lustrationibus quas invenerat. Hoc dicit, convalescente morbo, nec medicinam prodesse, nec religionem.

ARENTESQVE SONANT RIPÆ. Vult pestilentiam etiam elementa sentire. sic in tertio, *Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.* Nam segetem pro terra posuit.

NAM NEQVE ERAT CORIIS VSVS. Quippe morbo putrefactis. NEC VISCERA QVISQVAM AVT VNDIS ABOLERE POTEST. Nec lavari nec coqui poterant. Caro enim corrupta morbo, quendam habet mucorem, qui non ablui potest: quoniam omne possidet corpus. Item igni superposita, aut durescit: nam non coquitur.

ARDENTES PAPVLÆ. Id est carbunculi. IMMVNDVS SVDOR. Morbus pedicularis, qui est φθειρίασις.

SACER IGNIS. Quem Græci ἱερὸν νόσον vocant.

VARIORVM.

REFERT. Prodest. PHIL.

CHIRON. Moraliter. Quoniam mali homines aut ad medicos, aut ad divinos confugiunt, ut aut ope humana, aut divina adjuventur: ideo Chironem pro medico, Melampodem pro divino posuit. Alii hunc expiationes scientem dicunt. Chiron autem Saturni & Philyræ filius fuit, adeo medicinæ peritus, ut etiam Æsculapium docuisse dicatur. PHILARGYRIVS.

PALLIDA TISIPHONE. *Tisiphonem* hic, non unam Furiarum debemus accipere, sed pestilentiam, cui eleganter poëta hoc nomen dedit. PHIL.

AGIT ANTE. Id est ante se. PHIL.

SACER IGNIS EDEBAT. Seneca Oedipo, *Oculique, rigent, & sacer ignis pascitur artus.* *Sacrum ignem*, sacrum morbum falso interpretatur Servius. Sacer enim morbus, est morbus caducus seu Herculeus. At sacer ignis vulgo dicitur ignis S. Antonii, & insanabilis est, de quo COLVMELLA. lib. 7. cap. 5. Proprie tamen Erysipelas est. Hic vero pro peste si cui libet accipi potest. WILLICHIVS.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER QUARTUS.

PROTINUS aërii mellis cælestia dona
Exequar. hanc etiam Mæcenas aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.
In tenui labor: at tenuis non gloria; si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio sedes apibus, statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves, hædique petulci

SERVII.

PROTINUS AERII MELLIS COELESTIA DONA EXEQUAR. Rhetorice dicturus de minoribus rebus, magna promittit; ut & levem materiam sublevet; & attentum faciat auditorem. Sane perite, quoniam scit breve esse opus hoc de apibus, & intra paucos versus posse consumi: usus est translationibus ad dilatandam materiam; dicens, apes habere reges, prætoria, urbes & populos. Sane sciendum, ut supra diximus, ultimam partem hujus libri esse mutatam. nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam; quæ inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est. PROTINUS. Deinceps, Exinde. Floreum agrum EXEQUAR, sicut sum cæteros executus. AERII MELLIS. Nam mel ex rore colligitur, qui utique ex aëre defluit. unde est, CÆLESTIA DONA. Id est munus deorum. Ante enim mel inveniebatur in foliis. ut, *Mellaque decussit foliis.*

HANC ETIAM. Sicut superiores.

ADMIRANDA TIBI LEVIUM SPECTACULA RERUM. Audies ex levibus rebus digna stupore esse in apibus, proceres & tanta certamina.

MORES. Quia castæ sunt; ut, *Illum adeo placuisse apibus mirabere morem.* ET STUDIA, ut, *Tantus amor florum & generandi gloria mellis.* ET POPULOS. Ut, *bina regum facies, Ita corpora plebis.* PRÆLIA DICAM. ut, *Erumpunt portis, concurritur æthere in alto.*

IN TENUI LABOR: AT TENUIS NON GLORIA. Comparatio est laboris, quod magnam dat gloriam si fuerit materia exilis ornata.

NUMINA LÆVA. Prospera; ut alibi, *Intonuit lævum.* AUDITQUE VOCATUS APOLLO. Aut quasi poëtam Apollinem invocat: aut quasi deum pastoralem. Nam Apollo Nomius dicitur.

PRINCIPIO SEDES. Dicit, ubi alvearia ponenda sint: in qua re satis perite, & ea quæ abesse debent, ne noceant apibus: & ea quæ adesse, ut possint prodesse, commemorat. Sane quoniam supra ait, *Magnanimosque duces*: ideo intulit modo, *Sedes, statioque.* quam translationem diligenter reservat.

HÆDIQUE PETULCI. Lascivi, exultantes. Et petulci dicti ab appetendo. unde & meretrices petuleas dicimus.

VARIORUM.

PROTINUS AERII MELLIS. Quidam dicunt mel in aëre nasci: quidam apes colligere, quo tempore in Ida Iupiter nutriebatur, tum primum ex aëre fluxisse, eoque ipsum alitum. Nam, ut ait Cornelius Celsus, apes ex floribus ceras faciunt: ex rore matutino mel. Vide Arist. lib. 5. cap. 22. Plin. lib. XI. cap. 12. 14. PROBUS. PHILARG.

LÆVA. Læva hic in bono posuit. ut, *intonuit lævum.* alibi autem in malo ponit, cum dicit:

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

PHILARGYRIUS.

VOCATUS. Pro invocatus. vel quia poëtæ in tutela ejus sunt: vel quia pater est Aristæi, qui primus invenit, unde apes fieri possent. PHIL.

SEDES. κατὰ τὸ αὐτὸ sedes statione petenda, intelligendum etiam, si aliud à sedendo, aliud à stando dicitur. PHIL.

Elis-

Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & surgentes atterat herbas.
Absint & picti squalentia terga lacerti
Pinguibus à stabulis, meropesque, aliæque volucres,
Et manibus Progne pectus signata cruentis.
Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes, & stagna virentia musco
Adsint, & tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret.
Vt cum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus;
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices, & grandia conjice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, & alas

SERVII.

PICTI TERGA. Picta terga habentes. PINGUIBUS A STABULIS. Plenis: sicut inanes res, tenues nominamus è contrario.

MEROPESQVE ALIÆQVE VOLVCRES. Dicendo, *Aliæque volucres*, ostendit etiam aves esse meropes. Sunt autem virides, & vocantur apiastræ: quia apes comedunt.

ET MANIBVS PROGNE PECTVS SIGNATA CRVENTIS. Nomen posuit pro nomine. Nam Philomela in hirundinem versa est: pro qua Prognem, vel quasi sororem posuit; vel quasi eam quæ fuerat illius sceleris caussa. Nam ipsa Tereum miserat ad ducendam sororem.

DVLCEM NIDIS IMMITIBVS ESCAM. Id est crudelibus pullis. qui apum morte nutriuntur.

ET TENVIS FVGIENS PER GRAMINA RIVVS. Suspendendum est TENVIS, ne incipiant esse duo epitheta; quod apud Latinos constat esse vitiosum.

VERE SVO. Sibi grato & aptissimo.

DECEDERE RIPA CALORI. Vt æstus possint aquarum vicinitate vitare.

IN MEDIVM. Ordo est, In medium transversas salices, & grandia conjice saxa.

PONTIBVS VT CREBRIS. Veluti pontibus: nam non sunt pontes.

VARIORVM.

FLORIBVS INSVLTENT. Hic lasciviam ludibundi pecoris expressit, quod σκιρτᾶν Græcis dicuntur: interdum nimio luxu ἐξυβρίζειν. Forsan autem & ideo abesse jubentur, quod capræ quidem halitu suo flores inficiant: ab ovium autem lanis se apes difficile explicent, ut Plin. lib. 11. cap. 18. GERMAN.

MEROPESQVE. *Meropes* rustici barbaros appellant, & *aliæ*, id est, ceteræ. Vide Plin. lib. 10. cap. 33. & Aristot. IX. histor. cap. 40. PHILARGYRIVS.

IMMITIBVS. *Immitibus nidis* temporale epitheton est. ideo enim *immitibus*, quia apibus vescantur. PHIL.

ADSINT. Præsentes sint. PHIL.

VT CVM PRIMA. *Prima* hic, pro primum: nomen, pro adverbio. PHILARG.

VERE SVO. Apes quiescunt & latent à Vergiliarum occasu, nec ante fabas florentes exeunt ad opera & labores. Aristot. lib. Hist. VIII. cap. 14. & Plin. lib. XI. cap. 6. RAMVS.

LVDETQVE FAVIS. In mellificio primum fundamentum est Commosis, crusta nigra saporis amari: secundum, Pissoceros, picantium modo ceu dilutior: tertium Propolis, crassioris jam materiæ, nondum tamen cera, sed favorum stabilimentum: quartum favus, qui fingitur multiplicatus è cera. Erithace vel sandaraca, vel cerinthus, apum cibus, dum operantur, amari saporis, quo favi extremi inter se conglutinantur. Vide Aristot. 9. hist. cap. 40. Varronem lib. 3. cap. 16. Plinius lib. XI. cap. 7. RAMVS.

IN MEDIVM. *In medium*, non ad humorem retulit, sed absolute dixit. & *inertem* hic pro odioso posuit, ut in Bucolicis, *Libertas quæ sera tamen respexit inertem.* quæ vox ponitur & pro ignavo: *Spumantemq; dari pecora inter inertia votis Optat aprum*, & pro eo quod sine arte fit: ut apud Lucilium in XIII. *ut perhibetur iners, ars in quo non est ulla.* PHILARGYRIVS.

Digitized by Google

Pandere ad æstivum Solem, si forte morantes
Sparserit, aut præceps Neptuno immerserit Eurus.
Hæc circum Casiæ virides, & olentia late
Serpylla, & graviter spirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. nam frigore mella
Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.
Vtraque vis apibus pariter metuenda: neque ille
Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque & floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten,
Et visco, & Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris,
Sub terra fodêre larem: penitusque repertæ
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.
Tu tamen & levi rimosa cubilia limo
Vnge fovens circum, & raras superinjice frondes.
Neu propius tectis taxum sine, neve rubentes

SERVII.

SI FORTE MORANTES. Tarde remeantes ex pascuis. NEPTVNO IMMERSERIT. Deum pro aquis posuit.

GRAVITER SPIRANTIS COPIA TYMBRÆ. Genus est herbæ abundantis in Phrygia. GRAVITER autem modo bene, & multum significat: alias male: ut, *Aut ubi odor gravis.* Item *Grave olentis Averni.*

VIOLARIA. Loca in quibus nascuntur violæ.

VTRAQVE VIS APIBVS PARITER METVENDA. Tam caloris quam frigoris. Quod licet utrunque æquali modo metuendum sit, tamen dissimiliter nocet. Nam calore liquefacta defluunt mella. quæ si fuerint frigore condurata, constrictas apes interimunt.

SPIRAMENTA. Exitus. alibi, *Sævi spiracula Ditis.* FVCOQVE. Genus est herbæ, unde tinguntur vestes. Fucum autem & flores pro cera posuit, quam ex his colligunt rebus.

HÆC IPSA AD MVNERA. Ad officia coangustandarum cavernarum.

ET VISCO ET PHRYGIÆ SERVANT PICE LENTIVS IDÆ. Ordo est, Servant gluten, quod est lentius, & visco, & Phrygiæ Idæ pice. SERVANT autem mire ait: nam pilas quasdam in alveatibus faciunt, de quibus postea cerea tecta componunt.

SI VERA EST FAMA. Si credendum est apes posse terras effodere.

E LEVI RIMOSA CVBILIA LIMO. Alii ET LEVI legunt. Vnus tamen sensus est. Nam hoc dicit; Quod illæ nimio labore perficiunt, tu è levi unge rimosa cubilia circumfovens limo, etiam raras frondes superiniice. Quod ideo fit, ne vel limus crepet, vel cavernæ aut Sole penetrentur, aut frigore.

TAXVM SINE. Venenatam arborem. Ipse in bucolicis, *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Mel enim pessimum exinde gignitur.

VARIORVM.

COPIA THYMBRÆ FLOREAT. Sarrietam vulgus vocat: cui Columella lib. IX. cap. 4. tribuit secundam à thymo laudem. RAMVS.

IRRIGVVMQVE. Qui irrigat, alias qui irrigatur. PHIL.

FVCOQVE. *Fucus* est genus ceræ, qua pro glutine abutuntur. Græci propolim vocant. Alii sic: *fuco* pro medicamento posuit. Plautus in Penulo: *Vitia corporis fuco occulunt.* Sed vide ne de galbano dicat, quod separatim solent præparare, propter remedia quibus adversus animalia utuntur sibi infesta. Vnde ipse alibi adversus colubros hoc dicit adhiberi. PHILARG.

ORAS. *Oras* autem alveariorum. PHILARGYRIVS.

GLVTEN. Hic *gluten.* Sallustius autem, *hic glutino adolescebat.* PHIL.

MVNERA. *Munera,* utrum officia, an quod illis munera conferas, & alveos earum communias. PHILARG.

LENTIVS. Tenacius. PHIL.

PROPIVS. Vt, *propius stabulis armenta tenerent.* Sic alibi: *Vota metu duplicant matres, propiusque periclis. Hic amor.* PHILARG.

Vre foco cancros, altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.
Quod superest, ubi pulsam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, cælumque æstiva luce reclusit:
Illæ continuo saltus, sylvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, & flumina libant
Summa leves. hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem, nidosque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera cæli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulceis, & frondea semper
Tecta petunt: huc tu jussos asperge sapores,
Trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen:

SERVII.

RVBENTES CANCROS. Odore enim ipso pereunt. Rubentes autem cum uruntur: non quia per naturam sint hujus coloris. ALTÆ NEV CREDE PALVDI. Ne facile mergantur.

VOCISQVE OFFENSA. Resonat Echo repercussa: quam apes vehementer horrere manifestum est.

PVLSAM HYEMEM SOL AVREVS EGIT. Secundum Physicos: qui dicunt quo tempore hic hyems est, æstatem esse sub terris: & versa vice, cum hic æstas, illic hyemem. Quod etiam Lucretius exequitur, & trahit in argumentum putealem aquam, quæ æstate frigidissima est: hyeme vero calidissima.

METVNT FLORES. Secant. Vnde & messores dicti sunt. Sane meto, metis, facit præteritum perfectum messui.

HINC. Ex floribus scilicet, ex quibus primo mel, mox pullos efficiunt. NESCIO QVA DVLCEDINE LÆTÆ. Quadam arcana ratione naturæ.

MELLA TENACIA FIGVNT. Quia cum inversi sunt favi, mel tamen inde non funditur. Vnde ait TENACIA. quæ in resupinatis favis cohærent.

CAVEIS. Alveatibus. ÆSTATEM LIQVIDAM SVSPEXERIS AGMEN. Per ver serenum.

CONTEMPLATOR. Pro intuere. nam tempus futurum pro præsenti posuit ab imperativo modo. AQVAS DVLCEIS, ET FRONDEA SEMPER. Propter hoc ait supra, *Et tenuis fugiens per gramina rivus, Palmaque vestibulum.*

TRITA MELIPHYLLA. Varro hanc herbam apiastrum dicit, in primo libro operis rustici. CERINTHÆ IGNOBILE GRAMEN. Vile, ubique nascens.

VARIORVM.

VRE FOCO CANCROS. Arist. IX. Hist. cap. 40. Mundissimum omnium hoc animal; oderunt non solum fœdos odores, sed etiam unguentorum delicias: ex quo fit, ut homines his delibutos percutiant. Vide & Varronem lib. 3. cap. 16. RAMVS.

ODOR COENI GRAVIS. Ordo est: odor gravis, quia & levis dicitur. ut Sallustius: *Apud Corduenos amomum, & alii leves odores gignuntur.* PHIL.

IMAGO. Quæ Græce Ἠχώ, Latine *imago* dicitur. Cic. Tusc. III. *resonat tanquam imago.* hic autem sonus facit eas fugere. PHIL.

EGIT. Pro persequitur. PHIL.

LIBANT. Degustant. alibi, defundunt: ut, *pateras libare Iovi.* PHIL.

MELLA TENACIA FINGVNT. Mel non ipsas facere apes, sed rorem candentem deferre, argumento est, quod uno aut altero die cellas melle repletas inveniunt apiarii. Item, autumno mel, posteaquam detractum est, non reparatur; cum tamen illo etiam tempore flores proveniant. RAMVS.

NARE. Pro volare. ut Ennius in primo: *Transnavit cita per teneras caliginis auras.* proprietas tamen vocis aptior est natantibus, quam volantibus. PHILARG.

MELISPHYLLA. *Melisphylla* herba est, quam ut ait Varro, alii apiastrum, alii melinem appellant. PHILARG.

CERINTHE. *Cerinthe* à Cerintho urbe Bœotiæ, in qua plurima nascitur. Herba est, perpaucis etiam eruditis cognita: *cujus flores* (auctore Gesnero) *cani & pallidi sunt, folia punctis quibusdam notata, &c.* Vide & Plinium lib. 21. cap. 12. & Theophrast. lib. 6. cap. 7. hist. plant. Melanchton leviter suspicabatur, *lilium convallium* esse. TAVBMANNVS. PHILARGYRIVS.

IGNOBILE. *Ignobile* autem non omnibus notum: *ignobile gramen*, vile, ubique nascens. PHILARGYRIVS.

Tin-

Tinnitusque cie, & matris quate cymbala circum.
Ipsæ consident medicatis sedibus, ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longe præsciscere. namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur, fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant;
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem, atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo ubi ver nactæ sudum, camposque patentes,
Erumpunt portis, concurritur: æthere in alto
Fit sonitus; magnum mistæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt. non densior aëre grando,

SERVII.

MATRIS CYMBALA. Quæ in ejus tutela sunt, ideo quod similia sunt hemicyclis cœli, quibus cingitur terra, quæ est mater deorum.

MORE SVO. Naturali ratione, cujus causa non redditur. Quis enim novit cur æris sono redeant in alvearia? licet ipse paulo post dicit, *Crepitantiaque æra secuta, Dictæo cœli regem pavere sub antro.*

INCESSIT. Ingruit, invasit. Alibi, *Incessi muros, ignes ad tecta volare.* Et incessit regibus, figuratum est: nam incessit reges dicimus.

TREPIDANTIA BELLO CORDA. Alacritate pugnandi: non timore. Alibi, *Exultantiaque haurit Corda pavor pulsans.*

MORANTES. Tarde incedentes. FRACTOS. Collisos.

TREPIDÆ COEVNT. Festinant inter se in alveariibus. PENNISQVE CORVSCANT. Quemadmodum scuta milites commovent.

VOCANT CLAMORIBVS HOSTEM. Provocant.

VER NACTÆ SVDVM. Serenum post pluvias. ut, *Per sudum rutilare vident.* CAMPOSQVE PATENTES. Idest per aërem purum & liquidum, non nubibus clausum: & ita aër, campus est apum, ut mare navium, hominum solum. Ipse in quinto, *Subtrahiturque solum.*

GLOMERANTVR IN ORBEM. More bellantium. NON DENSIOR AERE GRANDO. In aliis enim bellis victi tantum pereunt: in certamine verò apum, etiam victrices. Nam dicturus est, *Animasque in vulnere ponunt.*

VARIORVM.

MATRIS QVATE CYMBALA. Quidam ad Rheæ partum referunt, Idæos Dactylos, & sonum, qui ad avertendum Iovis vagitum, ne proderetur Saturno, in sacris mysteriis repræsentabatur. Cymbala verò, non tantum Cybeles sacris & Isidis, ut Hesychius demonstrat, sed & Bacchi orgiis adhibebantur. Vnde Propert. lib. 3. *Cymbala Thebano concrepuere Deo.* GERMAN.

TINNITVSQVE CIE, ET MATRIS QVATE, &c. Plin. lib. 11. c. 20. Gaudent plausu atque tinnitu æris, eoque convocantur: quo manifestum, auditus quoque inesse sensum. Arist. tamen, Histor. lib. 9. cap. 40. hac de re ambigit, dicens: Gaudere etiam plausu atque sonitu apes videntur. Quapropter tinnitu æris, aut fictilis, convocari eas in alvum ajunt. Quamquam incertum est an audiant, & voluptate ne, an formidine id faciant. PONTAN.

SIN AVTEM AD PVGNAM EXIERINT. Longior solito parenthesis. est enim ordo: sin autem ad pugnam exierint, motus animorum, *atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent.* PHIL.

AVDITVR, FRACTOS SONITVS IMITATA. Innuit fragorem & stridorem æreum tubarum, qui refringi & rumpi magis, quam edi videtur: quem murmur tumultuantium apum quodammodo imitatur. Non autem in hanc sententiam *fractos sonos* accepit Tacit. lib. 14. Annal. sed pro mollibus usurpavit. GERMAN.

CORVSCANT. Splendent. PHIL.

IPSA AD PRÆTORIA DENSÆ. Castrense vocabulum ad apum tumultum transtulit. Est enim in expeditione Prætorium, ubi præfectus exercitus præsidet, & jus dicit; ut in urbe ubi Prætor. Hinc ex sententia Columellæ & Palladii prætoria in rusticis prædiis ampla ædificia accipiuntur. GERMAN.

SVDVM. *Sudum* est serenum subhumidum. proprie autem *sudum* pars serena inter nubes, quasi semi udum. PHIL.

Nec de concussa tantum pluet ilice glandis:
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non cedere; dum gravis aut hos,
Aut hos versa fuga victor dare terga coegit.
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambos:
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis & ore;
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora gentis.
Namque aliæ turpes horrent; ceu pulvere ab alto
Cum venit, & terram sicco spuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruscant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.

SERVII.

TANTUM PLUIT ILICE GLANDIS. Erit nominativus hæc glans.

INGENTES ANIMOS. Statius. *Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* Homerus, *μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής.*

PULVERIS EXIGUI IACTU. Quia cum pulverem viderint, sperant tempestatem futuram, quæ eis plurimum nocet.

DETERIOR QUI VISUS. Pejor à malo dicitur: deterior à meliore. PRODIGUS. Non mella conficiens, sed mella consumens. Ideo autem regem solum præcipit occidendum, quia eo amisso, suus dissipatur exercitus. Nam, *Ut binæ regum facies, ita & corpora plebis.*

SQUALENTIBUS. Splendentibus: quod à squamis venit. ut, *Squamis auroque trilicem.* Nam si à squallore est, sordidum significat; ut, *Squallentem barbam.*

TERRAM SICCO SPUIT ORE VIATOR. Aut in terram: aut re vera terram, propter pulverem.

PARIBUS LITA CORPORA GUTTIS. Similibus, id est aureis habentes distincta corpora. Nam lita, est illita, distincta.

VARIORUM.

INGENTES ANIMOS ANGUSTO IN PECTORE. Videtur Maro respicere ad causam Physicam, qua magnitudo & angustia animi, proportione cordis discernuntur, ea ratione, ut ab Aristot. magno, amploque cordis spatio prædita animalia meticulosa censeantur. GERMAN.

AMBOS. Legitur & *ambo*: Revocare autem apes, vel lacte, vel aqua mulsa Plinius dicit. PHILARGYRIUS.

DETERIOR. Modo quare deterior, si ille servatur, qui malus est? solvitur. deterior minus bonus. ut,

Tristior & lachrymis oculos suffuisa nitentes.

PHILARG.

VACUA. Hic ad æmulum refertur, ut *Sola domo mæret vacua*, in qua maritus non erat. PHILARGYRIUS.

ALTER ERIT MACULIS AURO, &c. Hæc ex Aristotele interpretata notat Columella lib. 9. c. 3. quem vide lib. 5. Hist. animal. cap. 21. TAUBMAN.

LATAMQUE TRAHENS INGLORIUS ALVUM. Nimirum & prisci Imperatores in habendo delectu, nimium obeso ventre militem rejiciebant. Sed nec generosis apibus alvus protensior convenire videtur, cum compressiore & graciliore corpore gens apum genuina esse soleat. GERMAN.

BINÆ REGUM FACIES. Faciem totius corporis formam posuit prudens antiquitas. Ut ab aspectu species, à fingendo figura; ita à factura corporis facies. Plaut. Pœnulo. *Sed earum nutrix qua sit facie, mihi expedi: statura non magna, corpore aquilo, ipsa est.* NONIUS.

TERRAM SICCO SPUIT ORE. Terræ hujus formam aliquando repræsentavit his verbis, de veneficiis agens Petronius, *Turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signavit.* GERMAN.

LITA. Ordo est: ardentes auro corpora, & paribus guttis lita. PHIL.

100 Hæc

Hæc potior soboles: hinc cæli tempore certo
Dulcia mella premes; nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.
At cum incerta volant, cæloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, & frigida tecta relinquunt;
Instabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. tu regibus alas
Eripe: non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum, atque avium, cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum, pinosque ferens de montibus altis,
Tecta serat late circum, cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat; ipse feraces

SERVII.

POTIOR SOBOLES. Ad mella scilicet procreanda. COELI TEMPORE CERTO. Et cum oriuntur Pleiades, & cum occidunt: id est verno & autumno.

DVLCIA MELLA. Non est superfluum epitheton. Nam ideo ait dulcia, quia etiam sunt amara, ut Corsicana; sicut in bucolicis diximus.

LIQVIDA. Defæcata, sine sordibus: non quæ fluunt, nam mala sunt. DVRVM BACCHI DOMITVRA SAPOREM. Apta mulso. Bene autem ait durum saporem: quia majores vina asperrima, mellis dulcedine temperabant.

FRIGIDA TECTA. Melle vacua, inoperosa. contra, FERVET OPVS. è contra Terentius: *Nimirum hic homines frigent.*

INSTABILES ANIMOS. Suadentes inanem vagandi licentiam.

QVISQVAM. Subaudi militum: aut certe quisquam de exercitu.

ALTVM IRE ITER. Aut ludendo in altum volare, aut in bella procedere, alias non audebit.

CROCEIS FLORIBVS HORTI. Tam odoris optimi quam coloris: non enim dicit illic crocum solum esse debere.

FALCE SALIGNA. Facta de salice: quasi in simulachro ligneo.

HELLESPONTIACI SERVET TVTELA PRIAPI. Non dicit Priapum illic esse debere, sed præcipit tales esse hortos: ut mereantur deum habere custodem. Hic autem Priapus fuit de Lampsaco civitate Hellesponti: de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in numerum deorum receptus, meruit numen esse hortorum. De hoc Horatius, *Nam fures dextra coërcet, Obscænoque ruber porrectus ab inguine palus: Ast importunas volucres in vertice arundo Terræ fixa.* Dicitur autem præesse hortis propter eorum fœcunditatem. nam cum alia terra semel creet aliquid, horti nunquam sine fructu sunt.

IPSE THYMVM. Diligens rusticus, & cultor hortorum.

IRRIGET IMBRES. Id est aquas. Iuvenalis, *In tenues plantas facili diffunditur haustu.*

VARIORVM.

COELI. Ut, *cæli menses & sidera serva*: & inde, *ubi quarta sitim cæli collegerit hora.* PHIL.

TV REGIBVS ALAS ERIPE. Columella cap. 10. Nam veluti quadam compede retinebimus erronem ducem detractis alis: qui fugæ destitutus præsidio, finem regni non audet excedere: propter quod ne ditionis quidem suæ populo permittit longius evagari.

CROCEIS. Ipse alibi: *sertisque recentibus halant.* Id est olent. PHILARG.

CVSTOS FVRVM. Hic *custos* pro observator & prohibitor. & alibi: *Hortorum custos cum falce saligna*, &c. PHIL.

HELLESPONTIACI. Quoniam in Lampsaco civitate Hellesponti nutritus est. Hunc Liberi & Veneris filium, hortis, & vineis custodem datum ajunt. PHILARG.

IPSE THYMVM PINOSQVE, &c. Ibi Philargyrius: *legitur & tinos. est autem laurus sylvestris cærulea bacca.* utrum pinos an tinos laurum esse vult sylvestrem? de tino capiendum. Plinius lib. 15. cap. ult. de lauro: *postea accessere genera: tinus hanc sylvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem: differt color: est enim cærulea bacca.* Primum igitur de Græcorum Chamæpitye accipiunt, verum multa video quæ obstent. Chamæpityn Græcorum, Latine *pinum* vocari, nemo veterum tradidit. *Pinos* ergo nec de pinis arboribus, nec de Chamæpitye, nec de pityusa exponere licet. *Pinus* Latine dicitur de arbore tantum. si de alia arbore aut frutice dicta est, quæ non pinei generis, epitheto aliquo, aut productione nominis, aut alia denique nota distingui oportuit. SALMASIVS.

115 Figat:

Digitized by Google

Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, & terris festinem advertere proram:
Forsitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem: biferique rosaria Pesti:
Quoque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ; tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis: nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque hederas, & amantes littora myrtos.
Namque sub OEbaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galesus,
Corycium vidisse senem: cui pauca relicti

SERVII.

VELA TRAHAM: ET TERRIS FESTINEM ADVERTERE PRORAM. Illam allegoriam respicit, qua est usus in primo; *Ades, & primi lege littoris oram.* Item, *Pelagoque volans da vela patenti.*

PINGUES HORTOS. Fœcundos. BIFERIQUE ROSARIA PESTI. Pestum oppidum est Calabriæ, in quo uno anno bis nascitur rosa.

CRESCERET IN VENTREM CUCUMIS. In curvaturam. Ideo autem sic qui per herbam. nam rectus crescit si pendeat. Sane hic cucumis, hujus cucumis declinatur; sicut agilis, secundum idoneos. Nam neoterici hujus cucumeris dixerunt: sicut pulvis pulveris. NEC SERA COMANTEM NARCISSUM. Sero flores habentem.

OEBALIÆ TURRIBUS ALTIS. OEbalia ipsa est Laconia: unde de Castore & Polluce ait Statius, *OEbalidæ fratres.*

GALESUS vero fluvius est Calabriæ, qui juxta civitatem labitur Tarentinam, in qua se hortos optimos vidisse commemorat. OEbaliæ autem turres ait quas condiderant hi, qui de OEbalia venerant. Nam ut etiam in tertio Æneidos diximus. Lacones diu bello attriti ab Atheniensibus, & inopiam timentes virorum, præceperunt ut virgines eorum, cum quibuscunque concumberent. quo facto cum post victoriam juvenes de incertis parentibus nati erubescerent originem suam (nam & Partheniæ appellabantur) duce Phalanto octavo ab Hercule navigiis profecti, venerunt ad oppidum Calabriæ; quod Taras Neptuni filius condiderat: & id auctum habitaverunt.

CORYCIUM VIDISSE SENEM. A *Cilicia*: Corycos enim civitas est Ciliciæ, in qua antrum illud famosum pene ab omnibus celebratum. Et per transitum tangit historiam memoratam a Suetonio. Pompejus enim victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Græcia, partim in Calabria agros donavit. Unde Lucanus, *An melius figent piratæ magne coloni.* Male autem quidam CORYCIUM proprium asserunt esse nomen, cum sit appellativum ejus qui more Corycio, hortos excoluit. Quod etiam Plinii testimonio comprobatur.

VIDISSE SENEM. Ordo est, Memini vidisse. dicimus autem & memini videre. Terentius, *Memini videre, quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis.* RELICTI. Deserti atque contempti. Quis enim agrum non sperneret nulli rei aptum, non vitibus, non frumentis vel pascuis?

VARIORUM.

IRRIGET. Irrigare ergo duobus modis dicimus: ut, *irriguo nihil est elutius horto*: &, *irriguumque bibant violaria fontem.* PHIL.

IMBRES. Quomodo imbres irriget, cum terra aqua irrigetur? solvitur. bene dixit, Irrigat enim qui mittit, & cui mittit. alibi: *At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat.* PHIL.

PÆSTUM. *Pestum* civitas Lucaniæ. Hæc civitas Posidonia dicitur: & est in agro Salentino, colonia Tarentinorum. PHILARG.

AUT FLEXI. *Flexi* pro flexibilis. PHIL.

VIMEN. *Vimen* pro caule positum. PHIL.

OEBALIÆ. *OEbaliam* arcem Tarentinam dicit à Lacedæmonio OEbalo, longe petito *epitheto*, quia Lacedæmonii duce Phalanto Tarentum condiderunt oppidum, quod præterfluit Galesus flumen. Pompejus cum oppugnaret piratas, remigibus eorum promisit agros, si vicisset eorum adjutorio. Quorum proditione victor, Tarentinorum agros veteranis divisit: & quicquid deterrimum fuit, remigibus dedit. PHIL. PROBUS.

QUA NIGER HUMECTAT GALESUS. Non videtur competere Galeso, ut niger dicatur: nam à γάλα γάλακτος lacte, derivatur; quod contrarium est nigro. Ideo penitus affirmat SCOPPA. 2. 8. *piger*, & non *niger* legendum esse, eo magis, quod accolæ tradunt, instar lacus parum currentis esse, quo fœminæ pannos lavant. Verum *Nigrum* Turnebus profundum interpretatur. Quid si autem *nigrum Galesum* dixit, ut nemus nigrum, lucum opacum & umbrosum dicimus. ut & Propert. *Tu canis umbrosi subter pineta Galesi.* GERMAN.

CORYCIUM. *Corycium*, Cilicium à monte & civitate Ciliciæ Coryco. Alii *Corycium* non natione sed peritia, quod hæc gens studiose hortos colat. & sic dictum est, ut *Arcades ambo.* Certe civitas illa Ciliciæ Corycos, insignis antro Corycio. PHIL. GERM.

Iugera

Digitized by Google

Iugera ruris erant. nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenaſque premens, veſcumque papaver,
Regum æquabat opes animis: ſeraque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis.
Primus vere roſam, atque autumno carpere poma,
Et cum triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum:
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi.
Æſtatem increpitans ſeram, Zephyroſque morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo
Primus abundare, & ſpumantia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,
Eduramque pyrum, & ſpinos jam pruna ferentes,

SERVII.

RARVM HOLVS. Id eſt panctile. VESCVMQVE PAPAVER. Quo veſcimur. Nam eſt aliud lethæum, quo non utimur. nam veſcas ſalicum frondes aliter dictum eſt.

REGVM ÆQVABAT OPES ANIMIS. Bene animis, non poteſtate: quia regum more cibis non comparatis utebatur.

FRIGORE SAXA RVMPERET. Vnus eſt enim, ut diximus, effectus & caloris & frigoris. GLACIE CVRSVS FRENARET AQVARVM. Mira varietas. Nam ſupra ait, *Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ.*

ÆSTATEM INCREPITANS SERAM. Tarde venientem, quum ille jam ejus carperet fructus.

ERGO APIBVS FOETIS IDEM, ATQVE EXAMINE MVLTO. Ne ſine cauſa hortos deſcripſiſſe videretur.

ILLI TILIÆ ATQVE VBERRIMA PINVS. Illi, uberrima ſcilicet: Nam per naturam & tiliæ & pinus ſteriles eſſe dicuntur.

SERAS. Majores: quod nimiæ difficultatis eſt. IN VERSVM. In ordinem. ut, *Triplices pubes quam Dardana verſu Impellunt.* DISTVLIT. Tranſtulit. Nam mutavit præpoſitionem.

EDVRAM. Nimium duram, validam. ET SPINOS IAM PRVNA FERENTES. Prunorum arbor vocatur ſpinus, genere maſculino. Nam ſentes, has ſpinas dicimus.

VARIORVM.

OPORTVNA SEGES. *Seges* pro terra. PHILARG.

RARVM. Pro præcipuo & ſummo. PHILAR.

VESCVM. *Veſcum* tria ſignificat, minutum, edule, multum. PHIL.

DAPIBVS INEMPTIS. Sibi in horto ſuo natis, nullo pretio comparatis. Hor. Ode 2. de vita ruſt.

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparat.

Et 2. Sat. 2. *Non piſces urbe petitos, ſed pullo atq; hædo.* PONTAN.

CARPERE POMA. Pro carpebat, infinitum pro indicativo. PHIL.

FETVS. Non ſic dixit quaſi pariantur, ſed quaſi ſtudioſe examinare parantibus. PHILARG.

VBERRIMA PINVS. Hic duplicem fuiſſe ſcripturam ipſius Virgilii manu annotat Philargyrius, *pinus & tinus*, his verbis: *ipſius autem manu duplex fuit ſcriptura, pinus & tinus: uberrima hic pro plurima: fructum enim nullum fert tinus, ſed multa ſemina facit.* ita diſtinguendum. per *ſemina* intelligit baccas cæruleas. Vir magnus, qui pinum ibi Chamæpityn eſſe contendit, non eſt audiendus: in Culice vero, & apud Columellam, cum de pinu arbore minime conveniat intelligi; nec alia ſit pinus, de qua locus capi poſſit, neceſſario *tinus* reponi debet. lauri ſylveſtris genus eſt, ideo ſemper virens, & minor lauro, ut ſylveſtria omnia urbanis fere minora, ſic frutex magis quam arbor, SALMAS. in Plinian. Exerc.

DISTVLIT. In diverſum locum tulit, quaſi diſpoſuit & *ſeras*, hic, vetulas & magnas. Salluſtius in XII *ſerum bellum in anguſtiis fore*, pro magnum. PHIL.

EDVRAM. E præpoſitio adimit ſignificationem, & adjicit. Hic ergo *eduram*, nimium duram, &c. PHILARG.

Tam-

Iamque ministrantem platanum potantibus umbram.
Verum hæc ipse equidem spatiis disclusus iniquis
Prætereo, atque aliis post commemoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus, quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutæ,
Dictæo cæli regem pavere sub antro.
Solæ communes natos, consortia tecta
Vrbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum:
Et patriam solæ, & certos novere penates:
Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum

SERVII.

SPATIIS INIQVIS. Angustis. ut, *Spatioque subit Sergestus iniquo.* Et dicit se carminis brevitate constrictum, hortos plenius non posse describere.

ALIIS. Gargilium Martialem significat.

NATVRAS APIBVS QVAS IVPPITER IPSE ADDIDIT. Naturas pro moribus posuit. Addidit autem, aut dedit: aut revera addidit. Necesse enim est, eas etiam ante habuisse mores aliquos proprios.

PRO QVA MERCEDE CANOROS. Ordo est, *Expediam naturas apum: quæ canoros Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ, Dictæum cæli regem pavere sub antro.* PRO QVA MERCEDE. Id est gratia vel labore.

SOLÆ COMMVNES NATOS, CONSORTIA TECTA VRBIS HABENT. Nam ut etiam Donatus dicit, tragicum est, & ultra carmen Georgicum si accipiamus, pro qua mercede, exclamationem esse: ut sit, pro quanta hoc mercede fecerunt? scilicet ut Iovem alerent: quem Ops Saturni uxor Curetibus, Coribantibus, & Idæis dactylis custodiendum dedit, in monte Cretæ Dictæo: ne eum Saturnus consumeret, ut filios omnes solebat. Quod ideo fingitur, quia Saturnus, ut diximus, temporum deus est, quæ in se revolvuntur in æternum. Tunc itaque apes æris secutæ sonum, Iovem melle aluisse dicuntur: pro qua re ejs postea præstitit Iuppiter, ut haberent liberos sine ullo concubitu.

SOLÆ COMMVNES NATOS. Plato in libris quos περὶ πολιτείας scripsit, dicit amori reipublicæ esse nihil præponendum. Omnes præterea & uxores & liberos, ita nos tanquam communes habere debere: ut charitas sit non libido confusa. Quod præceptum dicit nullum præter apes servare potuisse.

MAGNIS LEGIBVS. Id est æternis, nunquam mutabilibus. Iisdem enim legibus semper utuntur: nec eas, ut homines, sæpe commutant.

NOVERE PENATES. Charissima habent. ut, *Hic inter flumina nota*, id est chara.

IN MEDIVM QVÆSITA REPONVNT. Quæsita & parta in commune conservant. Ipse alibi, *In medium quærebant.*

VICTV. Victui. FOEDERE PACTO, ut vicissim in alvearibus, vel in agris laborent.

VARIORVM.

IAMQVE MINISTRANTEM PLATANVM POTANTIBVS, &c. Non temere Maro Platanum potoribus conciliat: quandoquidem auctoribus Plinio & Macrobio, Platani vino exhilarantur & aluntur: adeo ut Hortensius petierit à Cicerone diem actionis commutari, quod esset eo die iturus in Tusculanum ad platanos suas vino irrigandas. Nempe & respexisse arboris naturæ habitum poëta videtur, quæ in modum tecti ab antiquis concamerari solebat, qualem celebrat Martial. lib. 9. Epigrammat.

Ædibus in mediis totos amplexa penates,
Stat platanus densis Cæsariana comis.

GERMAN.

NVNC AGE NATVRAS APVM. De moribus & ingenio Apum. Quod ne quis nimium miretur, addit Iovis id peculiare donum aut mercedem potius esse, ut cujus nutrices in specu Dictæo extiterint, ut ait Columell. lib 9. cap. 2. TAVBMAN.

CREPITANTIAQVE ÆRA SECVTÆ. Æris vim multa in priscis monumentis attestari videntur. Omnino si quidem pleraque ænea ad rem divinam adhiberi solita, pluscula indicio sunt, & in his maxime sacris, quibus delinire aliquos aut devovere, aut denique exigere morbos volebant, quod significare hic videtur poëta. RHODIGIN. lib. 29. cap. 6.

DICTÆO. Sed & hoc poëticum est. PHIL.

NAMQVE ALIÆ VICTV INVIGILANT. Id est victui. ut, *victus invigilant pueri.* Sic Arist. Hist. lib. 9. cap. 40. Partiuntur inter se opera, ut aliæ flores convehant, aliæ exstruant, aliæ poliant favos & dirigant, aliæ mella, aliæ erithacam, aliæ importent aquam ad cellas, & mella temperent, aliæ munus externum subeant. PHIL. RAMVS.

Narcissi

Digitized by Google

Narcissi lachrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ, spem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inque vicem speculantur aquas, & nubila cœli:
Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes, fulmina massis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna.
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter (si parva licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo: grandævis oppida curæ
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.
At fessæ multa referunt se nocte minores,

SERVII.

NARCISSI LACHRYMAM. Narcissi humorem. Quod autem ait Narcissi lachrymam, allusit ad fabulam: quia ut diximus, de puero est conversus in florem.

PRIMA FAVIS PONUNT FUNDAMINA. Græce *κόμμωσιν* locant, duriore cera, quæ vix ferro potest frangi; quam colligunt de gummi arborum, & rasis lapidibus. unde paulo post dicit, *Sæpe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere.* TENACES CERAS. Mella retinentes.

ADULTOS EDUCUNT FOETUS. Educendo adultos faciunt.

CECIDIT CUSTODIA SORTI. Ex sorte. Nam adverbium est, quod traxit à militia. Legimus enim, *Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.*

AC VELUTI LENTIS CYCLOPES FULMINA. Comparatio ad festinationem pertinens solam.

INNUMERUM. in ordinem. INNATUS. Insitus. URGET. Premit.

CECROPIAS. Id est Athenienses, à rege Cecrope Atticæ, ubi optima mella nascuntur.

GRANDÆVIS OPPIDA CURÆ. Sicut senes muros tuentur, nec in bella prorumpunt.

DÆDALA TECTA. Ingeniosa. ut, *Dædala Circe.*

VARIORUM.

INQUE VICEM. Divisit: nam ordo est: invicemque, *& aquas*, hic, pluvias. PHIL.

FUCUS. *Fucus* est similis apibus, eo quod sit apibus nocens, quod cum ipse nihil gignat, aliena consumit. Plin. in lib. historiæ naturalis, quasi imperfectas apes dicit, & habere aculeum negat. PHILARGYRIUS.

PECUS. *Pecus* autem vetuste, quia omnia animalia pecora dicebant. PHILARG.

FERVET OPUS. Iuxta declinationem sæpe dictam, fervo fervis fervit. Hinc est, *fervere Leucatem.* PHILARG.

FRAGRANTIA. Id est redolentia, aut *thymo fragrantia.* PHIL.

FULMINA. *Fulmina properant*, vetuste ait; ut, Plautus, *Properant prandium.* & Ennius: *Festinant diem.* PHILARG.

TAURINIS FOLLIBUS. Plautus: *Quam folles taurini habent, cum liquescunt petræ ferrum ubi fit.* PHILARGYR.

FORCIPE. Compositum nomen ex formo & capiendum. *Formum* enim veteres calidum dixerunt. PHIL.

INNATUS. Id est insitus. Ideo autem Athenienses, quod illic mel optimum gignitur. PHILARGYRIUS.

CECROPIAS. *Cecropias* hic Atticas, quia Cecrops in Attica regnavit. PHILARG.

QUAMQUE SUO. Recte, ut labore suo quærant, non aliena diripiant. PHILARG.

Crura thymo plenæ: pascuntur & arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos:
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis: nusquam mora. rursus, easdem
Vesper ubi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras, & limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero à stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cælo, adventantibus Euris:
Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur,
Excursusque breves tentant, & sæpe lapillos,
Vt cymbæ instabiles fluctu jactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsæ foliis natos & suavibus herbis
Ore legunt; ipsæ regem, parvosque Quirites

SERVII.

CROCVMQVE RVBENTEM. Sallustius in historiis ait, *In qua crocum gignitur.* genere neutro secundum artem usus est: hic poëtice masculino, referens ad puerum, qui in hunc florem dicitur esse conversus.

FERRVGINEOS HYACINTHOS. Ferruginei, id est nigri coloris.

CORPORA CVRANT. Se reficiunt. ut, *Fessique & equos & corpora curant.* Sane curare corpus, si de hominibus dicimus, & cibo & lavacro intelligimus, vel alterutro: si de apibus, tantum cibo accipimus.

SOPOR SVVS. Ipsis aptus. nam ideo *suus*, quia altum desinunt pro natura mellis, ut ipse alibi: *melle soporatus frugibus offam.* Sed melius, *suus*, pro exiguitate corpusculi sui.

AVT CREDVNT COELO. Scilicet suos volatus.

AQVANTVR. Aquam hauriunt ex vicino.

INSTABILES. Fluctuantes, id est jactante fluctu, stabiles ne sint.

CONCVBITV. Pro concubitui. Nam indulgeo illi dicimus. NEC CORPORA SEGNES IN VENEREM SOLVVNT. Id est, in libidinem non resolvuntur. Persius, *Ille in Venerem putris.* NIXIBVS. Partubus, à nitendo. Vnde & enixa dicimus.

VARIORVM.

FERRVGINEOS. Cæruleos dicit. Ipse enim dixerat: *Sunt & vaccinia nigra.* qui enim Græce hyacinthus, Latine vaccinium dicitur. PHILARG.

MVSSANT. Hic murmurant. quæ vox ponitur & in tacendi significatione, ut apud Ennium in XVII. *Non possunt mussare boni, qui factam labore enixi militiam peperere.* Interdum & pro dubitare: ut, *mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet. Mussant* autem, murmurant. Ennius in X. sic ait: *Aspectabat virtutem legionis, sive spectans si mussaret. dubitaretque denique causa pugnandi fieret, aut duri labores.* PHIL.

ADVENTANTIBVS EVRIS. Sunt enim & frigore & flatu apibus infesti. Horat. 10. Epod.

Niger rudentes Eurus inverso mari
Fractosque remos differat. TAVBMAN.

ILLVM ADEO PLACVISSE. *De procreatione Apum*: super qua audiatur Aristot. lib. 3. Generat. cap. 10. & lib. 5. Histor. Animal. cap. 21. & 22. & lib. 9. 40. & Plinius lib. 11. cap. 16.

CONCVBITV. Dativus casus est, ut supra, *victu invigilant.* PHIL.

VERVM IPSÆ FOLIIS, &c. Materiam generandarum apum in foliis & herbis latere noster ait. Quæ quidem quæstio & subtilis est, & varie agitata. TAVBMAN.

FOLIIS. Apes, ut Plinius ait, galinarum more incubant, & vermiculos creant. Sed rectius videtur, & ne hoc quidem sciant, sicut concubitus nesciunt. PHILARG.

QVIRITES. Audaciter *Quirites*, cum proprie Romani sint. PHILARG.

Suffi-

Digitized by Google

Sufficiunt, aulasque, & cerea regna refingunt.
Sæpe etiam, duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere:
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi.
Excipiat: (neque enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet: multosque per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant. rege incolumi, mens omnibus una est:
Amisso, rupere fidem: constructaque mella
Diripuere ipsæ, & crates solvere favorum.
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes:
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

SERVII.

REFIGUNT. Figunt. SUB FASCE. Sub onere. ut, *Injusto sub fasce viam*, dicit Cicero.

TANTUS AMOR FLORUM. Supra de equis, *Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.*

AT GENUS IMMORTALE MANET. Genus manet, scilicet per successionem.

DOMUS. Familia. ut, *Da propriam Tymbrææ domum.*

MEDUS HYDASPES. Fluvius Mediæ. De his autem gentibus Salustius dicit, *Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.* Quas tamen apes dicit amore circa regem superare Virgilius.

OBSERVANT. Venerantur. Alias observare est callide advertere. Terentius., *Observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet.* MENS OMNIBUS UNA EST. Id est concordanter operantur & vivunt.

DIRIPUERE IPSÆ. Quæ etiam ipsæ animam, colligendo melle, impendere consueverunt. ut, *Ultroque animam sub fasce dederunt.*

STIPANTQUE FREQUENTES. Quasi quodam satellitio ambiunt.

SÆPE ATTOLLUNT HUMERIS. Ætate scilicet fessum.

PULCHRAM MORTEM. Gloriosam: quippe quæ pro rege suscipitur. Traxit autem hoc de Celtiberorum more; qui ut in Salustio legimus, se regibus devovent, & post eos vitam refutant.

VARIORUM.

REFIGUNT. Id est sufficiunt, ut *suffectus* dicitur *magistratus*. PHIL.

IMMORTALE. Ideo *Immortale genus.* & alibi at potest abundare conjunctio. est enim ordo: ergo ipsas quamvis angustus terminus, qui excipiat, genus immortale manet. PHILARG.

PRÆTEREA REGEM NON SIC ÆGYPTUS. Ægyptii sacerdotes, cum populum regi suo obtemperatissimum hieroglyphice vellent innuere, apem effingebant, seu examen potius. Mira sane quæ produntur de studio & amore apum erga regem suum. Vid. Plin. lib. 11. & 17. PONTANUS.

PARTHORUM. His autem gentibus ait Sallustius, adeo ingenita est sanctitas religionis: quas gentes tamen apes dicit amore circa regem superare Virgilius, PHIL.

HYDASPES. Apud omnes satis constat *Hydaspen* flumen Indiæ esse, non Mediæ. sed potest videri poëta Hydaspen Medum dixisse, jure belli, quod Medi duce Alexandro, vicerint Porum Indorum regem, & in suam redegerint potestatem. Oritur autem Hydaspes ex Caucaso, & miscetur Indo. PHILARGYRIUS.

OBSERVANT: REGE INCOLUMI. Causam vero tantæ observantiæ Arist. refert non ad ullam regiæ majestatis reverentiam, sed ad physicam prolis rationem; quod illum tanquam matrem, non tanquam ducem sequantur. Sic enim ait lib. 13. de Generatione cap. 10. *Recte etiam reges intus manent, immunes omni negotio necessario, quasi nati ad sobolis procreationem. Magnitudine item præstant, quasi ad sobolem generandam corpus eorum sit institutum. Quin & sequi suos reges, ut faciunt, consentaneum rationi, qua generationem apum à regibus proficisci statuimus.* RAMUS.

AMISSO RUPERE FIDEM. Alludit haud dubie ad morem Persarum, qui regis interveniente fato, octo dies permissa licentia judiciis, legibusque soluti & destituti, incerto rerum ordine agitabantur, ut suffecto in demortui locum novo rege, quantum in unius, regisque persona momentum positum esset, prioris recentisque mali sensu, & reminiscentia, populus cognosceret. GERMAN.

His quidam signis atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenueis nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum, sed viva volare
Syderis in numerum atque alto succedere cælo.
Si quando sedem augustam, servataque mella
Thesauris relines; prius haustus sparsus aquarum,
Ore fove, fumosque manu prætende sequaces.

SERVII.

HIS QVIDAM SIGNIS ATQVE HÆC EXEMPLA SECVTI. Locum hunc plenius est executus in sexto, quem hoc loco breviter colligit; ut probet etiam apes partem habere divinitatis. Namque omnia animalia ex quatuor elementis & divino spiritu constare manifestum est. Trahunt enim à terra carnem, ab aqua humorem, ab aëre anhelitum, ab igne fervorem, à divino spiritu ingenium. Quod quia est in apibus sicut etiam in hominibus (namque metuunt, cupiunt, dolent, gaudent: quæ probantur ex his quæ faciunt: dimicant enim, colligunt flores, provident pluvias) fateamur necesse est, etiam apes partem habere divinitatis. Vt autem hoc exemplis, id est rebus similibus comprobaret, Lucretium secutus est: qui dicit ea quæ per se probare non possumus, à similibus comprobanda; ventumque docet esse corporalem, non quod eum tenere vel cernere possimus, sed quod ejus similis aquæ effectus est, quam corporalem esse manifestum est.

HAVSTVS ÆTHEREOS. Divinos spiritus. DEVM NAMQVE IRE PER OMNES. Ipse in sexto, *cælum ac terras campo sque liquentes Spiritus intus alit.* Lucanus, *Iuppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.*

HINC PECVDES. Hinc, id est ex deo, ex divino spiritu sumunt omnia: cum nasci cœperint, vitam: cæterum corpus ex quatuor elementis est, ut diximus.

SCILICET HVC REDDI. Sine dubio etiam cuncta dissolvi & redire rursus in originem suam necesse est.

LOCVM MORTI. Id est perditioni. Nihil est enim quod perire funditus possit, cum sit τὸ πᾶν, id est omne in quod redeunt universa resoluta. Res autem hæc quæ mors vocatur, non est mors: quippe quæ nihil perire facit, sed resolutio. Vnde mire plerisque bene interitus dicta est, quasi interveniens, & mistarum rerum connexionem resolvens. Lucretius: *Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante connexio.*

SI QVANDO SEDEM AVGVSTAM. Id est alvearia. Et proprie Augustum est tectum, augurio consecratum. Abusive nobile, quasi majestatis plenum.

THESAVRIS. Id est repositionibus: ac si diceret apothecis. SPARSVS. Spargens. Participium est pro participio.

ORE FOVE. Ipso haustu scilicet. Et hoc dicit, Spargendo aquam imitare pluviam. Alii *Ore fave* legunt, ut sit tace. etiam ipse in quinto, *Ore favete omnes.* Horatius. *Favete linguis.*

FVMOSQVE MANV PRÆTENDE. Fumum etiam præfer. Quibus rebus cum territæ illæ discesserint, impune poteris mella colligere. FVMOS SEQVACES. Quippe apum persecutores. ut, *Mileaque sequacibus undis.*

VARIORVM.

SECVTI. Pythagoræ sectam versat, quam & Stoici sequuntur. & quidam accusant, quod cum sit Epicureus, alienam sectam usurpare videtur. sed ego puto simpliciter referri sententias philosophorum. Neque enim statim Epicurus debet videri, si libertate poëtica ait:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem. PHILARG.

PECVDES. More suo *pecudes* & *armenta* divisit, ut alibi: *Quæ cura boum, qui cultus habendo sit pecori.* PHIL.

VITAS. Id est animas. PHIL.

HVC REDDI. *Huc*, id est, unde sumptæ sunt animæ. PHIL.

OMNIA. Per omnes. PHIL.

NEC MORTI. *Nec morti* esse locum, pro, nec mori. PHIL.

SIDERIS. *Sideris*, pro, siderum. PHIL.

IN NVMERVM. *In numerum*, id est in modum. *Et alto succedere cælo*, ut ipsa sidera. PHIL.

SEDEM. Aliter *sedem relines*, aliter mella. & utrum relines thesauros, an relines servata in thesauris, id est alvearia? PHIL.

ORE FAVE. Cum religione ac silentio accede. in XVI. Ennius: *Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt tecti gladiis sub scutis ore faventes.* ponitur eadem vox & pro velle, apud Ennium in XIII. *Matronæ melos complent spectare faventes*, id est volentes. PHIL.

FVMOSQVE MANV. Quia odores malos oderunt; Ideo, *prius haustus sparsus aquarum.* PHIL.

Digitized by Google

Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora messis:
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plejas, & Oceani spretos pede reppulit amnes:
Aut eadem sydus fugiens ubi piscis aquosi,
Tristior hybernas cœlo descendit in undas.
Illis ira modum supra est: læsaque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hyemem, parcesque futuro,
Contusosque animos, & res miserabere fractas:
Aut suffire thymo, cerasque recidere inanes
Quis dubitet? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congesta cubilia blattis:
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus;
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis,
Aut durum tineæ genus; aut invisa Minervæ

SERVII.

BIS GRAVIDOS COGVNT FOETVS: Gemina est fœcunditas mellis. DVO TEMPORA MESSIS. Id est fructus. Iuvenalis, *Veram deprendere messem Si libet.*

TAYGETE SIMVL OS. Taygete una est de Plejadibus septem. ut autem etiam supra diximus, bis mel præcipit colligendum, orientibus Plejadibus, id est verno: item quum occidunt, autumnali scilicet tempore.

OCEANI AMNES. Homeri est, παρ' ὠκεανοῖο ῥοάων. Amnes autem bene ait, quia in morem fluminis ejus fluenta reditura prorumpunt.

AVT EADEM SYDVS. Australem piscem significat, qui Aquarii undam ore suscipit. Vnde & AQVOSI addidit. Tunc enim piscis hic oritur, quo tempore Plejades occidunt.

TRISTIOR. Vel propter occasum, vel propter propinquantem jam hyemis asperitatem.

ILLIS IRA MODVM SVPRA EST. Excedunt modum. nam cum suo interitu irascuntur.

SPICVLA CÆCA. Brevia, quæ possunt latere. IN VVLNERE PONVNT. Non suo, sed à se illato. & Amphibolicῶs dictum est, ut cum Turni injuria matrem admonuit, quam inferebat: Item Salustius, *Injuria validiorum.* scilicet quam inferebant validiores.

PARCES FVTVRO. Scilicet tempore.

CONTVSOS ANIMOS. Confractos. RES MISERABERE FRACTAS. Id est afflictas.

SVFFIRE THYMO. Id est fumigare: ut exinde inimica illis animalia fugiant. CERASQVE RECIDERE INANES, dum sine melle sunt ceræ. hoc dicit, si nihil habuerint in alvearibus, vel te tollente, vel exedentibus pravis animalibus, apibus minutatim incisam ceram ministra. Stelliones vero & cætera, thymi fumo ab eis repelle.

IGNOTVS. Ignobilis, vel ex improviso veniens. ADEDIT. Consumpsit.

LVCIFVGIS BLATTIS. Per noctem vagantibus.

IMMVNISQVE FVCVS. A labore scilicet: ventri tantum indulgens.

IMPARIBVS ARMIS. Inæquali consilio. Nam apes laborantes consumit. Alibi, *Et quærere conscius arma.* Id est consilium.

VARIORVM.

FETVS. *Flores* emendatum fuit. & bene gravidos flores, quod ex his omnia generant. PHIL.

ILLIS IRA MODVM SVPRA EST. De ira apum cavenda in mellatione, Plin. cap. 18. Est in exemplis, equos ab iis occisos. Necant vel maxima animalia ictu sui aculei. *Iracundissimæ, & pro captu corporis pugnacissima sunt apes*, inquit Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 19. PONTANVS.

DVRAM. Id est gravem. PHIL.

PARCES. Id est parces alimento illius futuro. PHILARG.

STELLIO. Auctor est Plinius, stellionem animal esse generi humano valde noxium; quo mulieres quoque uti soleant ad veneficium; quia homini plurimum invidet: quodque, cum natura pellem suam homini ad morbi comitialis depulsionem & remedium commodam & salutarem intelligat, eam detractam prorsus voret, ne suo frui beneficio queat homo. Ab hoc stellione, & variis ejus interstinctionibus, juris interpretes stellionatus crimen, & nomen deducunt. GERMAN.

IMMVNISQVE SEDENS, &c. *Immunem* notat Festus accipi pro eo, qui munere non fungitur, & pro improbo, quod nimirum inertes homines sæpe in malum proclives sint. vel vitiosus & piger. PHILARG. GERM.

IMPARIBVS. Qui validiores sunt, quam sint apes. PHILARG.

In foribus laxos suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas:
Complebuntque foros, & floribus horrea texent.
Si vero (quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo:
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis.
Continuo est ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum copora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus omnes,
Ignaveque fame & contracto frigore pigræ.
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant:
Frigidus ut quondam sylvis immurmurat Auster;
Vt mare sollicitum stridet refluentibus undis,
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam Gau aneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem, & fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit & tonsum gallæ admiscere saporem,

S E R V I I.

FORIBVS SVSPENDIT ARANEA CASSES. Virgilius quidem confundit: tamen sciendum majores, animal ipsum masculino genere appelasse, hic araneus: retia vero quæ faciunt, fœminino. INVISA MINERVÆ. Ideo ait Minervæ invisa, quod ab ea in hoc animal puella Lydia commutata est, cum deam lanificio provocasset inferior.

VITA TVLIT. Vitæ longitudo, mórborum creatrix. Sic in Bucolicis; *O Lycida vivi pervenimus.*

ALIVS COLOR. Id est pallidus. quia dixit supra, *Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.*

FVNERA DVCVNT. Cum exequiali scilicet pompa. Et *ducere*, proprie funerum est. Persius, *Nereo jam tertia ducitur uxor.*

PEDIBVS CONNEXÆ. Hinc multi dictas apes volunt, quod se pedibus invicem tenent: licet crebrior sit illa opinio, quod sine pedibus primo esse dicuntur. ut, *Trunca pedum primo.*

TRACTIM. Sine intermissione, jugiter.

FRIGIDVS VT QVONDAM SYLVIS IMMVRMVRAT AVSTER. Tres comparationes singulis impletæ versiculis de Homero translatæ sunt; quas ille binis versibus posuit.

HIC IAM GALBANEOS. Id est cum hic processerit morbus, galbanus incendenda est; non ut supra dixit, thymus. mel etiam in alvearia, medicatum tamen inferendum: non ut supra ceræ inanes.

GALLÆ SAPOREM. Multi pilas cyparissi accipiunt. *Est etiam flos in pratis.* Plene hanc herbam, ut etiam supra, arborem fœlicis mali exequitur. Nam dicit ubi creetur, qualis sit, quid possit.

V A R I O R V M.

IN FORIBVS LAXOS, &c. Mars devicta Thracia, dicitur Minervæ donasse regiam puellam ex captivis, nomine Arachnem: quæ subtilitate operis lanificii, negavit cedere Minervæ: ob hoc in araneam conversa est, & Græce [illegible] vocatur. PROB.

HORREA. Spatia alveariorum. PHIL.

VITA TVLIT. Longa parenthesis usque ad illum versum: *Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.* PHIL.

INTVS CLAVSIS. Vt in luctu homines solent. PHI.

TRACTIMQVE SVSVRRANT. Servius exponit sine intermissione: alii apud Plautum pro lente accipiunt. Erythræus quoque docet Nonium pro diutine, & longo tractu interpretari. Ego certe assentiri solicitor Nonio Maronis Lucretiique auspiciis, qui *flammarum longos tractus*, in suo quisque poëmate usurpent; & eo verbo, continuitatem, [illegible] & consequentiam innuere videantur: Ita & Maro apes *susurrare tractim*, hoc est consertim, mussitationibus & susurris per omnes examinis & alvei ordines ductis & communicatis. GERMAN.

CANALIBVS. Varro Divinarum lib. VI. *canales eas desbescit.* * Templa fœminino genere *canalas* dixit. PHIL.

Aren-

Digitized by Google

Arenteſque roſas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel pſythia paſſos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, & grave olentia centaurea.
Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ; facilis quærentibus herba.
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſylvam:
Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ:
Aſper in ore ſapor: tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt prope flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.
Sed ſi quem proles ſubito defecerit omnis,
Nec genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit:
Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo cæſis jam ſæpe juvencis
Inſyncerus apes tulerit cruor. altius omnem

SERVII.

AVREVS IPSE. Flos ſcilicet. VIOLÆ SVBLVCET PVRPVRA NIGRA. Mire ait ſublucet: ut oſtendat purpurei coloris folia, quodam virore eſſe perfuſa.

TONSIS IN VALLIBVS ILLVM. Non ſylvoſis. Vnde eſt contra, *Intonſi montes*.

PROPE FLVMINA MELLÆ. Mella fluvius Galliæ eſt, juxta quem herba hæc plurima naſcitur. Vnde & Amello dicitur; ſicut etiam populi habitantes juxta Lemannum fluvium, Alemani dicuntur. Lucanus, *Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno.*

SED SI QVEM PROLES SVBITO DEFECERIT OMNIS. Miro uſus eſt ordine. Nam primo ait, quemadmodum animalia apibus inimica pellenda ſint: deinde quibus medicaminibus morbo poſſit carere. nunc dicit penitus amiſſæ, qua poſſint ratione reparari. TEMPVS. Subaudi eſt nunc. ARCADII MAGISTRI. Ariſtæi.

CÆSIS IVVENCIS. Verberibus occiſis. Bono autem ſermone uſus eſt: nam cædi interdum occidi; interdum verberari ſignificat.

INSYNCERVS CRVOR. Vitiatus, corruptus. Nam ideo verberantur, ut ex putrefacto cruore vermes creentur, unde apes ſint.

VARIORVM.

GRAVEOLENTIA CENTAVREA. Lucret. lib. 4. *& triſtia centaurea.* quippe *quæ ſuo*, ut addit, *acrem de corpore odorem Exſpirant.* Eſt autem hoc herbæ genus à Chirone centauro repertum: unde & χειρώνιον & κενταύρειον nominatur: eſtque majus & minus; quorum hoc & *fel terræ* & *febrifuga* appellatur; de quibus Galenus. TAVBMAN.

EST ETIAM FLOS CVI NOMEN AMELLO. Apiaſtri ſive meliſſophylli flore olim etiam coronari ſolitæ deorum aræ, Virgilius hoc loco indicat. Amellum enim hic eſt μελισσόφυλλον. Gloſſæ: Amellum, μελίφυλλον. quem florem ita deſcribit his tribus verſibus

Aureus ipſe, ſed in foliis. &c.

Florem vocat, apices illos croceos vel aureos, qui in medio ſunt calice; folia vero calicem ipſum, qui purpureus eſt. Sic Ovidius de Narciſſo:

Croceum pro corpore florem
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis. Sylvamque hic pro frutice accipit, ſed frutex pro *ſylva* vel nemore, nunquam legitur. SALMAS.

DE CESPITE. Non de terra, ſed de radice. PHIL.

VIOLÆ NIGRÆ. Quæ violas nigras imitantur. TAVBMAN.

PROPE FLVMINA MELLÆ. *Mella* amnis in Gallia Ciſalpina, vicinus Brixiæ, oritur ex monte Brenno. Tum Melas multorum fluviorum nomen eſt. Mygdonii Melæ meminit Ovid. lib. 2. Metam. Plin. lib. 5. cap. 27. Melani alium memorat, qui Ciliciam à Pamphylia diſterminat. Sed & Statius à Parnaſſo alium in Bœotia deducit, Minervæ ſacrum, quod olivis ejus ripæ ſint veſtitæ: *Palladinſque Melas Hecateia gurgite nutrit Flumina.* Hujus fluminis aquas, oves nigras facere dixit Plin. PHILARG. GERMAN.

MAGISTRI. Ariſteum dicit Apollinis & Cyrenes filium, qui primus invenit, quemadmodum apes poſſint reparari. PHIL.

TVLERIT. Pro genuerit, ut alibi: *Si duo præterea tales Idæa tuliſſet Terra viros.* PHIL.

Expe-

Expediam, prima repetens ab origine famam.
Nam, qua Pellei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis,
Quaque pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora,
Usque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus ad usus
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti,
Parietibusque premunt arctis; & quatuor addunt,
Quatuor à ventis obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte
Quæritur: huic geminæ nares, & spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur: plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.

SERVII.

ALTIVS OMNEM EXPEDIAM. Contra in Æneide, *sed summa sequar fastigia rerum.* Saue sciendum Plinium dicere de bobus apes; de eguis crabrones; de mulis fucos; de asinis vespas procreari.

PELLÆI CANOPI. Canopus civitas est juxta Alexandriam, quam Alexander condidit instar chlamydis suæ: qui fuit de civitate Macedoniæ, quæ Appella nominatur. Canopus autem dicta est quasi canobus, à Canobo Menelai gubernatore illic sepulto.

PHASELIS. Brevibus naviculis, quibus utuntur cum stagnaverit Nilus.

NIGRA FOECVNDAT ARENA. Novum enim semper limum trahit, qui efficit fœcunditatem. Unde & Nilus dictus est quasi νέαν ἰλὺν, id est trahens. Nam antea Nilus larine Melo dicebatur.

IACIT SALVTEM: jacit pro habet, & ponit apum reparandarum salutem. Cicero, *Iacta sunt fundamenta defensionis meæ.*

IPSOS CONTRACTVS. Ad sustinendum tantum & coarctandum bovis cadaver.

ANGVSTIQVE IMBRICE TECTI. Licet & hic imbrex lectum sit, melius tamen secundum Plautum, hæc imbrex dicimus: Namque ait, *Fregisti imbrices meas, dum te dignam sectaris, simia.*

OBLIQVA LVCE FENESTRAS. Quæ ex obliquo lumen infundunt, ut in horreis cernimus.

MVLTA RELVCTANTI. Pro Multum, nomen est pro adverbio.

SOLVVNTVR VISCERA PELLEM. Liquescunt & putrefiunt.

VARIORVM.

PELLÆI. *Pellæi Canopi* ideo dixit, quoniam Macedones Alexandriam condidêre. est autem Macedoniæ civitas Pella, patria Alexandri, à qua dicta Alexandriæ est. à qua urbe XII millia passuum distans vicus est, Canopus à Canopo Menelai gubernatore ita appellatus. Longo autem epitheto *Pellæi Canopi* sic usus est, ut alibi: *Tyrios & Agenoris urbem,* & *Assaraci domum*, Romam. PHIL.

PICTIS PHASELIS. Horat. 14. lib. 1. *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit.* Naves enim pictura illustrare solebant antiqui, & Græci ποικιλοπρύμνους dicunt. *Phaselus* autem genus navis à similitudine seu specie illa leguminis, ad cujus imitationem fit. PONTANVS.

VSQVE COLORATIS. Terentius: *Ex Æthiopia usque hæc est.* Sallustius item: *Quem trans stagnum omnis usque ad flumen.* hic ergo, *usque*, è loco. ut ipse: *Italiam longe prospexit ab usque Pachyno.* PHILARG.

COLORATIS DEVEXVS AB INDIS. Simulacra reliquis fluminibus ex lapide candido fieri solebant, ut undarum nitorem exprimerent: Nilo vero ex nigro, ut Pausanias ait; propterea quod ex Æthiopia delabitur, ut hic dicitur, sic enim licet interpretari *coloratos Indos*. Et ipse fluvius à nigrore, Melonis olim cognomentum habuit. Unde Catull. cum ait æquora colorare. PONTANVS.

OMNIS IN HAC CERTAM, &c. *Iacit*, id est ponit, collocat. quia jactis & congestis lapidibus eriguntur & struuntur fundamenta: & mœnia jaci quoque ipsa & duci dicuntur. sic *jaci agger*, qui materia congesta erigitur. At fossa duci, non jaci rectè diceretur. SALMASIVS.

QVATTVOR. *Quattuor* eos accipiendum, quos Homerus notavit Eurum, Zephyrum, Boream, Notum. omnes autem venti præter enchorios, id est, regionales, sunt duodecim: Subsolanus, Eurus, Fœnix, Notus, Libonotus, Zephyrus, Argestes, Thracias, Aparctias, Boreas, Circius. PHILARG.

Digitized by Google

Sic poſitum in clauſo linquunt, & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiaſque recentes.
Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Æſtuat, & viſenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox & ſtridentia pinnis,
Miſcentur, tenuemque magis, magis aëra carpunt:
Donec, ut æſtivis effuſus nubibus imber,
Erupêre; aut ut nervo pulſante ſagittæ,
Prima leves ineunt ſi quando prælia Parthi.
Quis deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem?
Vnde nova ingreſſus hominum experientia cœpit?
Paſtor Ariſtæus fugiens Peneïa Tempe,
Amiſſis (ut fama) apibus, morboque, fameque,
Triſtis ad extremi ſacrum caput aſtitit amnis,
Multa querens: atque hac affatus voce parentem;
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus

SERVII.

RAMEA FRAGMENTA. De ramis fracta, id eſt fragmina ramorum. Dicimus & hic ramus, & hoc ramale. Perſius, *Vt ramale vetus.* CASIASQVE RECENTES. Statim carptas.

ZEPHYRIS PRIMVM IMPELLENTIBVS VNDAS. Incipiente unda, vult hoc ſub occaſum hyemis fieri.

TENERIS TEPEFACTVS IN OSSIBVS HVMOR. Vtpote bimi vituli, in quo plurimum ferventis eſt ſanguinis.

VISENDA MODIS ANIMALIA MIRIS. Et quod ex cadavere naſcuntur animalia, & quod apes ex vermibus procreantur.

TRVNCA PEDVM. Id eſt ſine pedibus. Et bene addidit *primo.* Nam poſtea, tam pinnas, quam pedes accipiunt.

PINNIS MISCENTVR. Inter ſe pinnarum levitate conveniunt.

EXTVDIT. Studioſe repperit. INGRESSVS. Exordia. NOVA EXPERIENTIA. Nullo docente, ars per uſum reperta.

PASTOR. Ariſtæus. Filius fuit Apollinis & Cyrenes filiæ Penei fluminis Theſſaliæ: qui cum Eurydicen Nympham uxorem Orphei vitiare voluiſſet, & illa fugiens à ſerpente fuiſſet occiſa; Nympharum iracundia cunctis animalibus perditis funditus, & cunctis apibus, matris auxilium petiit.

EXTREMI AMNIS. Id èſt ſummi, unde naſcitur. & ſic dicimus, *Proh ſupreme Iupiter*, id eſt ſumme.

MATER CYRENE, MATER. Invidioſum eſt, nomine parentes vocare. Vnde paulo poſt, *Et te, crudelem nomine dicit.* Sic in duodecimo in deſperatione ait; *Ruitque implorans nomine Turnum.* GVRGITIS HVIVS. Id eſt Penei fluminis.

VARIORVM.

FRAGMENTA. Id eſt, poſteaquam ſubjecerunt ramea fragmenta. PHIL.

LEVES INEVNT. *Leves* nunc ad armaturam. PHILARG.

EXTVDIT. Id eſt, unde ſagacitas hominum hos ingreſſus cepit. PHIL.

PASTOR ARISTÆVS FVGIENS PENEIA TEMPE. Peneus eſt Theſſaliæ flumen, quod in Pindo monte ejuſdem terræ oritur. *Tempe* autem ſunt loca frigida, opaca, frondoſa, copioſa fontibus vel fluminibus. hoc commune omnium ejuſmodi locorum eſt. Et idcirco additum *Peneia Tempe*, quia poterant & alia intelligi: dicitur quidem & in eis locis præcipue, ubi Peneus oritur, ut in 1. Ovid. metamorph. refert, dicens: *Eſt nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit Sylva, vocant Tempe: per quæ Peneus ab imo Effuſus Pindo, ſpumoſis volvitur undis.* Inſula Carpatho dicta, quæ exiſtimatur objecta Peneo. PROBVS.

EXTREMI. Extremum caput ſic dixit, ut, *Tu ſanguinis ultimus auctor*, id eſt primus. Fontium enim & fluviorum capita, ſunt origines & principia ipſorum, unde primum erumpunt & manant. Hic autem caput amnis eſt, quo in mare influit, quod alioqui appellatur oſtium. Cur *ſacrum* dicat *caput*, declarat Seneca epiſt. 41. *Magnorum*, inquit, *fluviorum capita veneramur: & ſubita amnis eruptio aras habet.* PHIL. PONT.

Digitized by Google

Imæ tenes: quid me præclara stirpe deorum,
(Si modo, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum, & pecudum custodia solers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age, & ipsa manu fœlices erue sylvas:
Fer stabulis inimicum ignem; atque interfice messes.
Vre sata, & validam in vites molire bipennem:
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit. eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore,
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque:
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla:
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippe, & flava Lycorias, (altera virgo;
Altera tum primos Lucinæ experta labores)
Clioque, & Beroe soror, Oceanitides ambæ,

SERVII.

INVISUM FATIS GENUISTI. Si natus ex diis, invisus est fatis. Sic in primo Æneidos, *Nos tua progenies cœli quibus annuis arcem.* Item, *Quis te nate dea per tanta pericula casus Insequitur?*

VITÆ MORTALIS HONOREM. Bene honorem ait, quia arare, animalia pascere, apes etiam habere, erat honor. Nam in ingenti honore fuit rusticitas. Alibi, *Non ullus Aratro Dignus honos.*

CUSTODIA SOLERS. Diligens & perita industria.

TE MATRE RELINQUO. Ac si diceret. Sub ea perdo usum laboris, sub qua augere debueram.

FOELICES. Fertiles. FER. Infer. INTERFICE MESSES. Secundum Pythagoram, qui habere animam dicit cuncta crescentia. Vnde & alibi, *Aret ager vitio moriens.*

IN VITES. Contra vites. MOLIRE BIPENNEM. Vt eas succidas.

TÆDIA LAUDIS. Tædium est angor mentis & animi, non corporis invaletudo.

SONITUM THALAMO SUB FLUMINIS ALTI. Cur non etiam vocem audivit? Scilicet quia in ima fluminis parte erat, lanificiis occupata.

MILESIA VELLERA NYMPHÆ. Pretiosa. Cicero, *Nam quid à Milesiis lanæ publice abstulerit?*

HYALI SATURO FUCATA COLORE. Vitreo, viridi, Nymphis apto. SATURO autem, largo, abundanti: aut certe Tarentino, ab oppido Satureo. juxta Tarentum enim sunt baphia, in quibus tingitur lana.

DRYMOQUE, XANTHOQUE. Hæ sunt, ut multi volunt, de quibus ait Iuno, *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.* Sed magis poëtice conficta nomina accipiamus. Sane mira varietate usus est: nam ne continuatio nominum posset creare fastidium; in aliis habitum; in aliis commemorat virginitatem; in aliis pulchritudinem.

VARIORUM.

PATER EST THYMBRÆUS APOLLO. Dii cognomenta à locis in quibus coluntur, sæpe accipiunt. Locus prope Trojam à copia herbæ thymbræ dictus est Thymbra: ibi templum Apollini dedicatum: inde Thymbræus dictus. PONTANUS.

PECUDUM CUSTODIA SOLERS. Non solum quadrupedes, sed alia, quoque animalia, dicere pecudes, auctore Virgilio possumus. Sic I. Æneid. *Ignavum fucos pecus.* Lucret. lib. I. *Mutaque natantes squamigerûm pecudes.* NONIUS.

RELINQUO. *Relinquo*, pro amitto. PHIL.

HYALI. *Hyali*, pro hyalino. PHILARG.

SATURO. Id est vineo colore, & Saturo, ebrio, ac per hoc presso colore, ut in consuetudine dicimus, *meracius satura, quæ potius & meracius lucent.* alibi: *Saturo*, Tarentino, quia ibi ager Saturus sit, dicitur. Ipse alibi: *& Saturi petito longinqua Tarenti.* & non placet, ut æquatiles lanificæ Tarentinûm purpuram carpant. PHIL. Hoc ideo, quoniam diis marinis, ut cæruleus & glaucus, sic vitreus color tribuitur. Et Horat. *vitream Circen* dixit, ut maritimam deam, aut maris accolam. TURNEB. lib. 9. cap. 3.

Ambæ

Digitized by Google

Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ,
Atque Ephyre, atque Opis, atque Asia Dëiopea:
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisque dolos, & dulcia furta,
Atque Chao densôs divûm numerabat amores,
Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristæi; vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput extulit unda,
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam
Stat lachrymans, & te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos: fas illi limina divûm
Tangere, ait: simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret. at illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Iamque domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisque lacus clausôs, lucosque sonantes,

SERVII.

PICTIS INCINCTÆ PELLIBVS AMBÆ. Nebridas habentes. sed hic venatricum est habitus: quem ideo Nymphis dat, quia multas eas legimus ex venatricibus factas. ut, *Et tandem positis velox Arethusa sagittis.* Notanda autem est figura honestissima facta ex repetitione sermonis. ut, OCEANITIDES AMBÆ, AMBÆ AVRO, PICTIS INCINCTÆ PELLIBVS AMBÆ.

CVRAM INANEM. Definitio est amoris.

VVLCANI MARTISQVE DOLOS. Secundum Donatum hic est distinguendum: ut DOLOS ad Vulcanum: FVRTA DVLCIA, id est adulterium, referamus ad Martem: Scimus enim quod Sole indicante, Mars cum Venere deprehensus est, & per artem Vulcani est religatus catenis.

ATQVE CHAO. Et à Chao narrabat crebros amores deorum.

SVMMA FLAVVM CAPVT EXTVLIT VNDA. Mire per transitum veritatem tetigit. Namque Arethusæ fons dulcia fluenta inter medios habet fluctus.

CYRENE SOROR. Propter similitudinem potestatis, ait soror. Nam Cyrene, Thessaliæ: Arethusa vero de Elide. TVA MAXIMA CVRA. Quem plurimum diligis.

PENEI GENITORIS AD VNDAM. Aut tui genitoris, aut honoris est. ut, *Tibris pater.*

NOVA FORMIDINE MATER. Magna. ut, *Pollio & ipse facit nova carmina.*

FAS ILLI LIMINA DIVVM TANGERE. Vtroque enim deo parente nascebatur. ideo fas tangere ait.

SPELVNCISQVE LACVS CLAVSOS. Mirans, per omnia subaudimus. Lacus autem dicit fontium & fluviorum receptacula. Hæc autem non sunt per poëticam licentiam dicta, sed ex Ægyptiis tracta sunt sacris: nam certis diebus in sacris Nili, pueri de sacris parentibus nati, à sacerdotibus Nymphis dabantur: qui cum adolevissent, redditi narrabant lucos esse sub terris, & immensam aquam omnia continentem, ex qua cuncta procreantur. Vnde est illud secundum Thaleta, *Oceanumque patrem rerum.*

VARIORVM.

ET TANDEM. Id est tandem virginitate deposita. PHIL.

VITREISQVE SEDILIBVS. Ergo vellera similia esse debent, ubi perlucidus & cæruleus est color. PHIL.

DIVERSA LOCIS. Pro diversis locis. PHIL.

PHASIMQVE. *Phasis* amnis in Colchide. PHILARG.

Ibat, & ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque:
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus:
Vnde pater Tyberinus, & unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caïcus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus; quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum; & nati fletus cognovit inanes
Cyrene; manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisque ferunt mantilia villis.
Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt

S E R V I I.

PHASIMQVE. Fluvius Colchidis. LYCVMQVE. Fluvius Asiæ.

ENIPEVS. Thessaliæ fluvius. PATER TYBERINVS. Tyberis & Anio Italiæ sunt fluvii.

SAXOSVMQVE SONANS HYPANIS. Ponti fluvius. Et saxosum legendum est, non saxosus, ne sint duo epitheta: quod apud Latinos vitiosum est. MYSVSQVE CAICVS. Qui per Mysiam labitur.

ERIDANVS. Fluvius Italiæ, qui & Padus vocatur.

PVRPVREVM autem, nigrum ex altitudine accipimus. Nam Padus non in Rubrum mare, sed juxta Ravennam in Adriaticum cadit. Et purpureum Græcum est epitheton: mare rubrum etiam dixit Homerus, εἰς ἅλα πορφυρέοντα. Vnde apparet Victorinum hoc loco errasse; qui purpureum mare rubrum esse dixit, quod est juxta Indiam.

FLETVS INANES. His enim movebantur rebus, quarum erat facilis reparatio; ideo *inanes* dixit.

DANT ORDINE FONTES. Rite secundum ordinem epularum. MANTILIA. Quibus manus terguntur. PLENA REPONVNT POCVLA. Iterant, sæpe offerunt.

V A R I O R V M.

SVB MAGNA LABENTIA TERRA. Alludit ad opinionem Physicorum, de fluviorum exortu: cum quidam eorum, subterraneis meatibus multa passuum millia dicantur ferri, priusquam erumpant. De qua Arist. Meteor. lib 1. cap. 16. TAVBMAN.

LYCVMQVE. *Lycus* in Syria. PHILARG.

PRIMVM SE ERVMPIT ENIPEVS. Fluvius est Peloponnesus, in Alpheum influens, alius ab Evisco Thessalo fluvio, qui ab Orthry monte decurrens, suscipit Apidanum ex Pharselis delatum, ut docet Eustathius. GERMAN.

SAXOSVMQVE SONANS. Alias, *Saxosusque sonans*, non ut duo intelligendum, saxosus & sonans, sed ob saxa sonans. Id est asperum & vehementem sonum edens. PHILARGYRIVS. RAMVS.

HYPANIS. *Hypanis* Scythiæ amnis. Vel fluvius Sarmatiæ, quadraginta millia passuum sapore dulcissimo profluens: deinde Exampæus fonticulus illi admistus amarum facit. Vitruvius lib. 8. cap. 3. *Caycus*, Mysiæ fluvius. PHIL. RAMVS.

TAVRINO CORNVA VVLTV ERIDANVS. *Eridanus* Galliæ Cisalpinæ qui & padus dicitur. Et ideo *taurino vultu*; quia ejus sonus, ut tauri mugitus: & ripæ flexuosæ sunt, ut cornu. Ea enim est fluviorum natura, ut angues lapsu imitentur, obliquasque reddant ripas. Ovid. 1. Metamorph. *Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.* Vnde qui præesse fluminibus existimati sunt dii, cornuti fingebantur propter riparum, alveorumque curvitates, flexusque ad cornuum bovinorum similitudinem. Quare hic Virgilius Eridano cornua & taurinum vultum tribuit. PROBVS. PHIL. PONTAN.

AVRATVS CORNVA. Ductum epitheton è cælesti ejus imagine. Eridanus enim triginta quatuor stellis insignitum sidus in cælo est. PONTAN.

IN MARE PVRPVREVM. Cæruleum. Etiam Homer. ἅλα πορφύρουσαν. Intelligit autem mare Adriaticum, in quod Padus quinque ostiis se exonerat, triginta secum flumina deferens. TAVBMAN.

PVRPVREVM. Altum, & per hoc nigrum tropice, legitur & *influit*. PHIL.

INANES. *Inanes* pro levibus, & quibus succurri posset. PHIL.

MANTILIA VILLIS. Hujus singulare *Mantelum*. Plautus in Captivis. *Nec hi Sycophantiæ, nec fucus ullum mantelum obviam est.* Lucilius autem *mantela* dicit mappas: *Mantela, merumque.* Sciendum est ex veriloqua nominis notatione *Mantelam* esse telam, vel linteum quo manus extergentur. nam *mantela* proprie dicebatur; postea generis enallage & *mantelum* dictum est, & *mantele*. Ad hunc usum igitur & in hoc significatu sumebatur apud veteres *mantele*, Græce χειρόμακτρον. sic accipienda sunt mantelia apud Virgilium, ut hic & alibi. lib. 1. Æneid. 706. PHIL. SALMASIVS.

Pocula:

by Google

Pocula: Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.
Et mater, Cape Mæonii carcheſia Bacchi:
Oceano libemus, ait. ſimul ipſa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphaſque ſorores,
Centum quæ ſylvas, centum quæ flumina ſervant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam:
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, ſic incipit ipſa.
Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piſcibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus, patriamque reviſit
Pallenen: hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandævus Nereus. novit namque omnia vates,
Quæ ſint, quæ fuerint quæ mox ventura trahantur.

SERVII.

PANCHÆIS ADOLESCVNT IGNIBVS ARÆ. Id eſt ture, Arabicis odoribus. Adoleſcunt autem pro incenduntur. [illegible] ponitur.

MÆONII BACCHI. Lidii vini. CARCHESIA autem poculorum ſunt genera.

OCEANO LIBEMVS AIT. Quaſi Nympha Oceano ſacrificat.

OCEANVMQVE PATREM. Secundum Thaletem, ut ſupra diximus.

CENTVM QVÆ SYIVAS, CENTVM QVÆ FLVMINA SERVANT. Aut ducentas eſſe dicit: aut finitus eſt numerus pro infinito.

PERFVDIT NECTARE VESTEM. Id eſt in ignem vinum puriſſimum fudit: poſt quod quia magis flamma convaluit, bonum omen oſtendit.

EST IN CARPATHIO NEPTVNI GVRGITE VATES. Carpathos, inſula contra Ægyptum, à qua vicinum pelagus Carpathium appellatum eſt. Hic aliquando regnavit Proteus, relicta Pallene civitate Theſſaliæ; ad quam tamen reverſus eſt poſtea: quod oſtendit hoc loco; dicens, *Patriamque reviſit Pallenen.*

MAGNVM QVI PISCIBVS ÆQVOR. Equi enim marini prima parte equi ſunt, poſtrema reſolvuntur in piſces.

QVÆ SINT, QVÆ FVERINT. ut Homerus, ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

VARIORVM.

ADOLESCVNT. Hic vim habet frequentationis, & *Panchæis adoleſcunt*, id eſt Panchaicis odoribus incenduntur aræ. PHIL.

BACCHI. Quæ Baccho, id eſt, vino impleri ſolent. ceterum Nymphis libari vino Pontifices negant. & ſane mox interdictum evidenter apparuit, cum ait: *Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam.* PHIL.

MÆONII. Quæ nunc Lydia, olim *Mæonia* vocabatur. In hac regione mons eſt Tmolus, ferax boni vini. PHIL.

LIBEMVS. Sacrificemus. PHILARG.

SORORES. *Sorores*, aut inter ſe, aut ſuas. PHILARG.

OCEANVMQVE. Secundum Phyſicos dixit, qui aiunt omnium rerum elementum aquam eſſe: in quibus Thales primus. PHIL.

SERVANT. Pro incolunt, & obtinent: ut ipſe alibi: *Servantem ripas alta non vidit in herba.* PHIL.

VESTAM. Pro igni, & videtur ſuperius de aqua ſenſiſſe, non de vino. PHIL.

CARPATHIO. Ægyptio. *Carpathos* enim inſula eſt Ægypti. vel ut Pompejus dicit, inſula Rhodiorum. Alii ſic: *Carpathium* mare inter Rhodum & Alexandriam, quod abeſſe dicitur à Carpatho inſula, ut Lucilius. *Carpathium Mare tranſvectus, cœnabis Rhodi.* PHIL.

PISCIBVS. Eoſdem & piſces & equos dicit. PHILARG.

EMATHIA. *Emathia*, id eſt Macedoniæ propterea meminit hoc loco, quia contermina eſt Thraciæ. Alii ſic: Pallene inſula ſecundum Thermod[illegible]tem, dicta à Palla Sithonis filia, quæ nunc Cherſoneſus vocatur. hac Proteus quondam propter Buſiridis crudelitatem relicta, Ægyptum petiit. PHIL.

PALLENEN. Hoc ideo dixit, quia Proteus antequam in Ægyptum commigraret, Thraciæ fuit incola, ubi habuit uxorem Coronem: filios Telegonum, & Polygonum, qui cum advenas luctari ſecum adigerent, & excruciarent; ad poſtremum victi & interempti ab Hercule animum patris perculerunt. Quapropter cum tædio præſentium rerum, vellet ſolum vertere, Neptunus illic ſuper mare ſpecum fecit, per quam in Ægyptum commeaſſe dicitur. Pallene autem eſt Cherſoneſus in Thracia, cujus in faucibus Corone eſt oppidum, ab uxore Protei cognominatum. PHILARG.

Quippe ita Neptuno visum est; immania cujus
Armenta, & turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram, & vincula capto
Tende: doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios cum Sol accenderit æstus,
Cum sitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit: facile ut somno aggrediare jacentem.
Verum ubi correptum manibus, vinclisque tenebis:
Tum variæ illudent species, atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omneis,
Tanto nate magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno.

SERVII.

ITA NEPTVNO. Vbi deest ratio, sic loquitur. Nam ita & in tertio dixit, *Sic visum superis.* quum præmisisset immeritam.

ARMENTA ET TVRPES PHOCAS. Magnas. ut, *Cui turpe caput.* Phocæ sunt boves marini.

EXPEDIAT MORBI CAVSAM, EVENTVSQVE SECVNDET. Duo enim ista requiruntur in oraculis, causa mali, & remedium.

SINE VI NON VLLA DABIT PRÆCEPTA. Ne eum speraret posse precibus flecti.

DOLI CIRCVM HÆC DEMVM. Circa vincula novissime ejus desinent doli, id est formarum varietates: cujus figmentum physicam volunt esse rationem: nam homo habet in se libidinem, stultitiam, ferocitatem, dolum: quæ dum in eo vigent; pars illa quæ vicina divinitati, id est prudentia non apparet: quæ tunc potest suas vires tenere, cum fuerint illa religata; id est cum quis caruerit omnibus vitiis. Vnde sacerdotem hunc dicit posse vaticinari, & suscipere divinitatem; cum religata in eo fuerint ignea cupiditas, silvestris asperitas, lapsusque animi aquarum mobilitati similis.

MEDIOS CVM SOL ACCENDERIT ÆSTVS. Fere enim numina tunc videntur. Lucanus, *Medio cum Phœbus in axe est, Aut cœlum nox atra tenet: tunc ipse sacerdos Accessum dominumq; timet deprendere luci.*

IN SECRETA S. D. Fere omnes dii marini senes sunt. albent enim eorum capita spumis aquarum.

ATRA TIGRIS. Id est sæva. TANTO NATE MAGIS. Alii legunt, Tantum nate magis.

VARIORVM.

TVRPES. Hic truces: ut, *Cui turpe caput.* vel potius enormes. PHILARG.

PRÆCEPTA. Responsa. PHIL.

FRANGENTVR INANES. *Circum hæc*, secundum hæc, id est cum quis caruerit omnibus vitiis. & *inanes doli*, non quia inanes sunt, sed inanes eos facies, si adhibueris vim. PHIL.

SE RECIPIT. Proteum dicit. PHIL.

TVM VARIÆ ILLVDENT SPECIES. Id est. facies. Fuit Proteus rex Ægypti: de quo Diodorus lib. 2. sic ait. Cum Ægyptus rege careret, ex dignioribus quidam in regem assumptus est, quem Ægyptii Cetea, Græci Proteum appellant; qui Iliaci belli tempore extitit. Hunc artium peritum fuisse tradunt, & in varias se formas vertere solitum; ut nunc animal, quandoque arbor aut ignis, aut quid aliud videretur. Consuetudo autem regibus Ægyptiis causam hujusmodi transmutationes fingendi præbuit. Nam Ægyptiis mos erat regibus, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, insignia principatus. Hæc tum ad decorem spectabant atque ornatum; tum stuporem ac superstitionem quandam aspicientibus injiciebant. Vsurpatur & Protei nomen in proverbium, Πρωτέως ποικιλώτερος, vide Adagia Erasmi. RAMVS.

Hæc

Hæc ait: & liquidum ambrosiæ diffudit odorem;
Quo totum nati corpus perduxit. at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos:
Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum à lumine Nympha
Collocat: ipsa procul nebulis obscura recessit.
Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat cælo, & medium Sol igneus orbem
Hauserat: arebant herbæ, & cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus consueta petens è fluctibus antra
Ibat. eum vasti circum gens humida Ponti
Exultans, rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diverso in littore Phocæ.
Ipse (velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni)
Consedit scopulo medius, numerumque recenset.

SERVII.

LIQVIDVM AMBROSIÆ DIFFVDIT ODOREM. Vnxit eum, quo posset esse videndi numinis capax.

HABILIS. Vegetabilis. SPECVS INGENS. In singulari numero hoc specus, in plurali hi specus dicimus. DEPRENSIS. Periclitantibus.

TEGIT. Tegere consuevit. Nam tunc illic non erat. OBICE. Objectione. Et melius hic obex, quam hæc obex dicimus.

AVERSVM A LVMINE. Paululum obliquum à lumine. Et sciendum Proteum temporalem suscipere divinitatem; alioquin potuit Aristæum cognoscere latitantem.

IAM RAPIDVS. Hic distinguendum propter duo epitheta. SIRIVS autem, stella est in ore Canis, per quam nimios æstus accipimus. SITIENTES INDOS. Populos subsolanos.

CAVA FLVMINA. Alta. Lucanus, *Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.*

VARIORVM.

PERDVXIT. Prius unxit. PHILARG.

DEPRENSIS. *Olim*, pro aliquando: & *deprehensis*, verbum proprie nauticum, cum tempestate occupantur, sic alibi: *Argolicove mari deprensus.* PHILARG.

NEBVLIS OBSCVRA RECESSIT. Magis placet, *Nebulæ obscura resistit*. Resistit, inquam, sui consilii eventum exspectatura: nam si abiisset longius, quid ad fallendum latendumve, Proteo dormiente, nebula opus erat? Statim autem, post sermonem varis, filium suum præsens consolatur. FABRICIVS.

SIRIVS. Stella in ore canis. Hac oriente maximi calores, & ex his graves morbi: ideoque Romæ omnibus annis sacrum Canarium fit per publicos sacerdotes. PHILARG.

ORBEM. *Medium orbem* ideo dixit, quoniam in medio mundo terra est, & in hac omnis aqua, quam sidera in alimentum trahunt, maxime meridiano tempore, quo ardentissimus Sol est. PHILARGYRIVS.

ARDEBAT. Id est, siccabat. PHIL.

HAVSERAT. Hic pro tenuerat. ut ibi: *Simul hausit dextera.* Alii sic. ordo: Torrens Syrius Indos ardebat. *Syrius* enim à poëtis pro Sole ponitur: ab aliquo eorum, canicula intelligitur. PHIL.

HAVSERAT. Id est, invaserat. PHIL.

CVM PROTEVS CONSVETA PETENS E FLVCTIBVS ANTRA. Proteus deus maris, solitus se in omnes figuras convertere. PROBVS.

VESPER. Non *Vesper*, sed pastores tempore ejus admoniti. PHIL.

Cujus

Digitized by Google

Cujus Aristæo, quoniam est oblata facultas;
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. ille suæ contra non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te juvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. at ille:
Scis Proteu, scis Ipse: neque est te fallere cuiquam.
Sed tu desine velle. deûm præcepta secuti
Venimus huc, lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ.
Magna lues commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata resistant)
Suscitat: & rapta graviter pro conjuge sævit.

SERVII.

VIX DEFESSA SENEM PASSVS COMPONERE MEMBRA. Aviditatem exprimit tenere cupientis. Vnde eum contra matris præceptum, cito in Proteum impetum fecisse dicit; per quod incontinentes animos hominum docet poëta.

HOMINIS ORE. Humana scilicet voce.

NAM QVIS TE IVVENEM CONFIDENTISSIME NOSTRAS. Id est quisnam. Hodie enim NAM particula postponitur, antea præponebatur. Terentius in Phormione. *Nam quæ est hæc anus à fratre egressa meo?*

PROTEV, vocativus Græcus est, ut Orpheu. FALLERE CVIQVAM. Alii quicquam legunt. Hoc autem dicit, Quum omnia noveris, desine adventus mei caussam velle cognoscere.

DEVM PRÆCEPTA. Propter matrem hoc posuit nomen.

GRAVITER FRENDENS. Cum ingenti tumultu.

NON TE NVLLIVS. Id est non humilis, sed magni.

MAGNA LVES COMMISSA TIBI. Id est magnorum scelerum est ista persolutio. Et alii ita distinguunt, ut sit, à te commissa. Alii TIBI HAS MISERABILIS ORPHEVS. Non humile autem numen dicit. Tisiphonem, id est mortis ultricem. nam ideo Tisiphone dicta est, quasi cui cura est τίσις φόνου, id est mortis ultio.

HAVDQVAQVAM OB MERITVM, id est non tales quales mereris. Nam ejus uxori causa mortis fuisti. Inferret autem digna supplicia, nisi fata prohiberent: quibus faventibus ita numinum minora infert, licet majora non possit.

VARIORVM.

QVONIAM. *Quoniam*, pro postquam, Pacuvius: *Quoniam ille interit, imperium Calcso transmissum est.* PHIL.

FALLACIA. Legitur & *Pellacia*, id est fraus: ut, *pellacis Vlyxi.* Lucretius: *Subdola cum ridet penitus pellacia ponti.* PHILARG.

NOSTRAS. Ordo: quis nam confidentissime pro audacissime. *confidentiam* enim veteres pro impudenti audacia dicebant, ut Terentius: *ô ingentem confidentiam!* PHILARG.

IVVENEM. *Iuvenem* Aristeum. PHIL.

VI DENIQVE. hoc loco suscipit numen. PHILARGYRIVS.

GRAVITER FRENDENS. Grandem sonitum dentibus reddens, & aliter. hoc est, affata proferenda. PHILARG.

NON TE NVLLIVS. Bene dixit, *non te nullius.* Hæc enim numina non humilis sunt, sed magni. & significat Tisiphonem: id est mortis ultricem. Nam ideo Tisiphone dicta est, quasi ulturæ mortis ultio, quæ dicitur Græce τισιφόνος. & aliter. Asper, *non nullius*, inquit, id est non levis numinis. significat autem Nympharum non, ut quidam volunt, Orphei manium. PHIL.

MAGNA LVES. Id est magnum scelus. PHIL.

Illa

Illa quidem dum te fugeret per flumina preceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella,
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes: flerunt Rhodopejæ arces,
Altaque Pangæa, & Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyja.
Ipse cava solans ægrum testudine amorem,
Te dulcis conjux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesque adiit, regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum:

SERVII.

MORITURA PUELLA. Merito non vidit: quippe moriturum.

SERVANTEM RIPAS. Tenentem. ut, *Tantas servabat filia sedes.*

AT CHORUS ÆQUALIS DRYADUM. Ergo & Eurydice Dryas: & bono compendio ejus prætermisit interitum. SUPREMOS MONTES. Summos. ut, *Proh supreme Iuppiter.*

RHODOPEIÆ ARCES, ALTAQUE PANGÆA. Rhodope mons est Thraciæ sicut Pangæa.

RHESI MAVORTIA TELLUS. Quam postea Rhesus tenuit. & est Prolepsis ex persona poëtæ. Quo enim tempore Orpheus fuit, Rhesus necdum regnabat in Thracia.

HEBRUS. Fluvius Thraciæ gelidissimus. ACTIAS ORITHYIA. Atheniensis Nympha, quam Boreas in suum matrimonium rapuit.

CAVA TESTUDINE. Periphrasis citharæ, cujus usus repertus est hoc modo. Quum regrediens Nilus in suos meatus, varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quæ cum putrefacta esset, & nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa à Mercurio sonitum dedit: ex cujus imitatione cithara est composita. ÆGRUM AMOREM. Mœstum, deceptum.

SOLO IN LITTORE. Deserto; in quo sine uxore morabatur.

TÆNARIAS ETIAM FAUCES. Tænarus Laconiæ promontorium est, circa finem Maleæ, ubi inferorum dicitur esse descensus.

MANESQUE ADIIT REGEMQUE TREMENDUM. Hæc omnia ad laudem pertinent citharæ, qua fretus ista superavit.

NESCIAQUE HUMANIS. Ad exitum futuræ rei respexit, non ad principium. Nam primo meruit Eurydicen.

EREBI DE SEDIBUS IMIS. De interioribus tenebris inferorum.

VARIORUM.

SERVANTEM. *Servantem*, hic, obtinentem. PHIL.

ALTAQUE PANGÆA, ET RHESI MAVORTIA TELLUS Pangæus mons est Rhodope, Thraciæ. *Rhesi tellus*, Thracia, quæ prius dicta est Aria, ab Areo rege, patre Thracis & Edoniæ, à quo Thracia dicta est. Et quædam gens est Edrinæ; Latinè autem interpretatur *ansa*. Martia sive *Mavortia*. Mavors autem dicitur, magna vertens deus. PROBUS.

PANGÆA. *Pangæa* Thraciæ montes. PHIL.

RHESI. *Rhesus* dux Thracum. & est prolepsis. quia Rheso Orpheus antiquior est. Idcirco autem Thracia *Mavortia* tellus dicitur. Rhesus dux Thracum, quia in divisione terræ Marti cessit. PHIL.

ACTIAS. *Actias* ideo dicta, quod Atheniensis fuit. quidam volunt Atticen primo vocitatam Actiacen, quia sit litoralis. PHIL.

ORITHYA. *Orithya* Erechthei & Praxiotelis filia, ab Aquilone in Thraciam rapta Zethum & Calain filios edidit. PHIL.

TÆNARIAS. In Tænaro enim promontorio Laconiæ, demonstratur alta quædam vorago, per quam emersisse Hercules ab inferis dicitur, cum duceret Cerberum. PHIL.

AT CANTU COMMOTÆ EREBI. Fingit Orphei musica captos manes: idque partium inductione prosequitur. Tota autem hæc Orphei musica ad politicam scientiam ab Horatio in Arte poëtica refertur. RAMUS.

SIMULACRAQUE LUCE CARENTUM. Lucret. 3. cum sæpe figuras Contuimur miras, simulacraque luce carentum. GERMAN.

Quam multa in sylvis avium se millia condunt,
Vesper ubi, aut hybernus agit de montibus imber:
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardáque palus innabilis unda
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.
Quin ipsæ stupuere domus, atqui intima Lethi
Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues
Eumenides: tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens, casus evaserat omneis,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem)
Cum subita incautum dementia cepit amantem:
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.
Restitit: Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
Immemor, heu, victusque animi respexit. ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera: terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis & me, inquit, miseram, & te perdidit Orpheu?

SERVII.

IMPEXÆ. Involutæ, implicitæ, ἐμπεπλεγμέναι.

IXIONEI VENTO ROTA CONSTITIT. Deest CVM. & hoc dicit, cum vento suo rota constitit: id est cum causa volubilitatis quievit.

INCAVTVM AMANTEM. Epitheton amantis est.

IGNOSCENDA QVIDEM SCIRENT SI IGNOSCERE MANES. Participium sine verbi origine. non enim facit ignoscor, sicut nec triumphor, regnor.

EVRIDICENQVE SVAM IAM. Alii legunt, *Iam luce sub ipsa.*

VICTVSQVE ANIMI. Sic hoc loco dixit, *O præstans animi.* RESPEXIT. Id est commisit in legem sibi datam.

IBI OMNIS EFFVSVS. Id est functus & frustratus. TYRANNI. Id est Plutonis.

TERQVE FRAGOR STAGNIS AVDITVS AVERNIS. Quasi exultarent vmbræ reditum Eurydices. Lucanus dicit in Orpheo strepitum factum redeunte Eurydice, ob hoc, quia *gaudent à Luce relictam Eurydicen, iterum sperantes Orphea manes.*

VARIORVM.

DEFORMIS ARVNDO. Etiam Propert. lib. 2. 18. calamos arundinesque ad ripam Stygis collocat.

Iam licet & Stygia sedeat sub arundine remex.

ubi cymbam Charontis intelligunt: cum antiquitus ex arundine navigia conficerentur. Plin. lib. 7. 2. & 56. TAVBMAN.

COCYTI. *Cocytus* fluvius inferorum. & aliter: *Cocytus* amnis apud inferos, ex Styge profluens, ἀπὸ τοῦ κωκύειν, quod est gemere & flere. PHIL.

INNABILIS. Interpretes admonent negative accipiendum, non in ea significatione, qua Æneid. 6. *Bis Stygios innare lacus.* Et Horat. *Cocytum atrum languido flumine* dixit, ut & Maro, *recursus Languentis pelagi:* quamvis sint, qui hic *Inamabilis* malint, ut Græcorum τῷ ἀνεράστῳ respondeat, & Stygi quadret, cujus sequente versu fit mentio, quæ præ se fert στυγνὸν καὶ ἀνέραστον. GERMAN.

CÆRVLEOSQVE IMPLEXÆ CRINES. Sunt qui hic IMPEXÆ malint, auctoritate & cognatione illius apud Tibull. *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues*: & Maronis lib. 7. de Aventino: *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis, Terribili impexum seta cum dentibus albis Indutus capiti.* GER.

STYX. Palus apud inferos. PHIL.

TENVITQVE. Id est, tacuit. PHIL.

VENTO. *Vento* pro adventu significat, ut sit septimus casus: aut *vento* verbum gerundi est. nam intelligi debet adventu. fit enim gerundi sic: ventum, ventu. Ipse alibi: *& pacem Romano ab rege petendum.* Quidam sic: *vento*, audiendum, consistentem. ut est illud: *Cum placidum ventis staret mare.* PHIL.

Digitized by Google

Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Iamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu, non tua, palmas.
Dixit: & ex oculis subito, ceu fumus, in auras
Commistus tenues, fugit diversa: neque illum
Prensantem nequicquam umbras, & multa volentem
Dicere præterea, vidit: nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, quæ numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses,
Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen

SERVII.

ITERUM CRUDELIA RETRO FATA VOCANT. Ovidius: *Bis rapitur, vixitque semel.*

NATANTIA LUMINA. In mortem reducta.

INVALIDAS PALMAS. In umbræ tenuitatem redactas. HEU NON TUA. Quia supra dixit, Eurydicenque suam jam.

FUGIT DIVERSA. Id est per diversa.

PRÆTEREA. Postea. ut, *Et quisquam numen Iunonis adoret Præterea?*

AMPLIUS OBIECTAM PASSUS TRANSIRE PALUDEM. Mysticum est. Dicitur enim bis eandem umbram evocari non licere.

EX ORDINE. Sine intermissione.

DESERTI. Asperi, inculti. STRYMON autem fluvius est Thraciæ, circa quem ad extinguendum amoris morabatur calorem. HÆC, id est talia, qualia ipse commemorat.

AGENTEM CARMINE QUERCUS. Id est moventem.

PHILOMELA. Pro quavis ave. Nam species est pro genere.

FLET NOCTEM. Iugi nocte, continuo fletu.

VARIORUM.

PRÆTEREA. Præterea, ultra. PHIL.

PORTITOR ORCI. Definitio est Charontis: de quo sexto Æneid.

Portitor has horrendus aquas & flumina tranat,
Horribili squalore Charon.

Orcus, est fluvius Thessaliæ, influens in Peneum, sed olei instar supernatans, brevique spatio abdicatus, ut Homer scribit 2. Iliad. RAMUS.

SEPTEM ILLUM TOTOS, &c. Hebræi, ut & Ægyptii, septem pro pluribus, item pro re pluries repetita ponunt. *Redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum.* Chrysostomus actione in Iudæos 5. ait septenarium numerum in divinis literis infinitæ multitudinis signum habere. Et ita forte hoc Virgilianum accipiendum; ut & alibi, *immania septem terga boum,* & alia pleraque. PIERIUS. lib. 36.

AERIA. Quæ sit vicina astris. Strymon autem amnis est, finiens Thraciam, sed hic pro Hebro positus. PHIL.

QUALIS POPULEA MOERENS PHILOMELA. Fortasse alludit ad id, quod Thraces perhibent (teste Pausania) luscinias, quæ circa Orphei sepulchrum nidos haberent, vocaliores esse cæteris. De cantu autem Lusciniæ, Plinius ambitiose philosophatur, lib. 10. 29. Variant autem in fabula Philomelæ poëtæ: nempe alii Philomelam in hirundinem versam volunt, & Prognen in lusciniam aëdonem: alii contra. Certe quicquid ad Terei tragicam fabulam pertinere potest, id exsequitur diffusius Eustathius in Odyss. v. Sunt, qui ducto à natura & more aviculæ hujus argumento, negent Philomelam pro luscinia accipi debere, Cum hic Philomelæ in orbitate lugubris næniæ partes tribuat Maro, quæ ab ovorum incubatu canendi finem facere experientia cognoscatur. GERMAN.

PHILOMELA. Luscinia. PHIL.

Integrat, & mœstis late loca questibus implet.
Nulla venus, nullique animum flexere Hymenæi:
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona querens: spretæ Ciconum quo munere matres,
Inter sacra deûm, nocturnaque orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput à cervice revulsum,
Gurgite cum medio portans OEagrius Hebrus
Volveret: Eurydicen vox ipsa & frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen, anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: & se jactu dedit æquor in altum:
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: namque ultrò affata timentem,
Nate, licet tristeis animo deponere curas.
Hæc omnis morbi causa: hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misère apibus. tu munera supplex

SERVII.

TANAIMQVE NIVALEM. Fluvium Scythiæ.

NVNQVAM VIDVATA PRVINIS. Semper nivibus plena.

QVO MVNERE MATRES. Nuptiali scilicet. CICONES autem Thraces mulieres sunt, quæ ab Orpheo spretæ, discerpsere eum per Liberi sacra simulata.

MARMOREA CAPVT A CERVICE REVVLSVM. Id est pulchra. Sane alludit ad id quod dicit Ovidius, quia cum caput ejus ad ripam delatum mordere voluisset, est conversus in lapidem.

OEAGRIVS HEBRVS. OEagrius fluvius est, pater Orphei: de quo Hebrus nascitur, unde eum appellavit OEagrium.

HÆC PROTEVS. Subaudi dixit.

AT NON CYRENE. Deest territa est: quod ex sequentibus datur intelligi.

VARIORVM.

INTEGRAT. Renovat. PHIL.

TANAIMQVE. *Tanais* fluvius, qui dividit Asiam ab Europa. est autem Scythiæ. PHIL.

CICONVM. *Cicones* gens Thraciæ, à Cicone Apollinis filio dicta. Orpheus autem quoniam post obitum Eurydices omnes feminas fastidit, translato in pueros amore, discerptus est. Asper, *quo munere*, ob quam rem, vult accipi. potest &, *Spretæ quo munere*, id est matrimonii. PHIL.

NOCTVRNAQVE ORGIA. Quia sacra ejus nocte celebrantur: ex quo Nyctelius est cognominatus. PHIL.

CAPVT A CERVICE REVVLSVM. Constat caput Orphei in Hebrum projectum, & fluctus in Lesbum insulam detulisse. Hebrus autem fluvius in Thracia est, qui ex fontibus Rhodopes manans perlabitur. Dictus ab Hebro Boreæ fratre, quem nunc *OEagrium* dicit, ab OEagro rege Thraciæ Orphei patre. PHIL.

SVB VERTICE TORSIT. Malo ego contra receptam lectionem, *sub vertice*, legere: tum quod convolutio illa verticosa, quæ in aquis inscribitur ex projecto, convenientius *super vertice* hominis undis insilientis, utpote in aquæ superficie, committi dici potest, quam *sub vertice*: tum quod talium ex turbine & vertigine gyrorum aquas leviter stringentium meminit Arist. lib. de somn. Hoc Virgilii loco, non incommode hujusmodi δίναις, & undarum contortionibus respondente: nisi quis ad conservandam lectionem aliam, sub vertice velit Proteum præcipitem & ἀκατάφορον in mare se ipsum deturbasse, ut supra: *Preceps aërii specula de montis in undas Deferar*: quod ne sic quidem convenire mihi satis videtur, etiam si se in caput Proteus devolvisset. Sic & Lucretius lib. 1. de ventis & fluminibus: *ruuntque Impetibus crebris, interdum vortice torto corripiunt, rapideq; rotanti turbine portant*: Qui versus meam lectionem adjuvare noscuntur. GERMANVS.

Tende

Tende, petens pacem, & faciles venerare Napæas:
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, & intacta totidem cervice juvencas.
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, & sacrum jugulis demitte cruorem;
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei lethæa papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises:
Placatam Euridicen vitula venerabere cæsa.
Haud mora: continuo matris præcepta facessit;
Ad delubra venit: monstratas excitat aras:
Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum, ac dictu mirabile, monstrum

SERVII.

PACEM PETENS. Beneficium, benevolentiam.

FACILES NAPÆAS. Exorabiles nymphas, ad ignoscendum paratas. Sane sciendum, easdem esse Napæas, quæ & Dryades sunt. Nam supra ait, *At chorus æqualis Dryadum.*

INTACTA CERVICE. Indomita. Et dicit animalium sacrificium esse faciendum, ut non tantum occidantur hostiæ.

ORPHEI. Dativus Græcus est. LETHÆA PAPAVERA MITTES. Agrestia.

PLACATAM EVRYDICEN VITVLA VENERABERE CÆSA. Hypallage, pro veneratam placabis.

PRÆCEPTA FACESSIT. Facit: frequentativum est pro principali. Aut certe ideo FACESSIT, quia plures hostias immolavit.

SVBITVM AC DICTV MIRABILE MONSTRVM. Res enim hæc ex improviso venit, ut apes ex bobus erumperent. Nam præcepta Cyrenes, tantum ad placandum numina pertinebant. Notandum sane quia ex hoc eventu illa ars inventa est, quam supra memoravit: & melior facta per industriam.

VARIORVM.

TENDE, PACEM PETENS. Pacem & veniam à diis petere, solenne fuit. Cic. in Fontejo. *Illi in bellis gerendis à diis immortalibus pacem ac veniam petunt.* Vide BRISSONII Form. lib. I.

NAPÆAS. *Napæas* nemorum Nymphas. νάπας enim Græce dicunt nemora. & *faciles* hic pro placabiles. PHIL.

DELVBRA. Ad templa, PHIL.

DEMITTE CRVOREM. Id est sacrifica modo. PH.

INFERIAS ORPHEI. Ut irarum obliviscatur. PHIL.

VITVLA VENERABERE CÆSA. Omnes divini cultus species, *venerandi* verbum quadam communione complectitur: cujus officium proprie diis impendi testantur cuilibet obvii Ciceronis loci. lib. 1. & 3. de nat. Deor. Plura BRISSON. Form. l. 1.

MATRIS PRÆCEPTA FACESSIT. Servius *facessit*, frequentativum esse ait. Verum alia mens Nonii Marcellii, uti & Donati in Phorm. Act. 4. sc. 3. Vterque enim *facesso* simpliciter exponit *facio*. Meo tamen judicio *facesso* hic significat studiose facio ac exequor: quod indicant illa verba, *Haut mora*; & *Continuo*. VOSSIVS.

QVATVOR EXIMIOS PRÆSTANTI CORPORE. Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 5. Eximii inquit, in sacrificiis vocabulum, non poëticum epitheton, sed sacerdotale nomen est: Veracius enim in Pontificalibus quæstionibus docet, eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximantur à grege; vel quod eximia specie quasi Numinibus offerendæ eligantur: animalia nempe mutila, imperfecta, sacrificiis inepta habebantur. GERMAN.

INFERIAS ORPHEI. Lucret. lib. 6. *Manibus divis inferias mittunt.* *Inferias* autem ab inferendo constat dictas ex ipso Virgilio: *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.* GERM.

Aspiciunt: liquefacta boum per viscera, toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere costis,
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summa
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.
Hæc super arvorum cultu, pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volenteis
Per populos dat jura; viamque affectat Olympo.
Illo VIRGILIUM *me tempore dulcis alebat*
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

SERVII.

STRIDERE APES UTERO, ET RUPTIS EFFERVERE COSTIS. Hæc verba & secundæ sunt conjugationis & tertiæ: nunc tantum tertiæ.

UVAM DEMITTERE RAMIS. In morem uvæ. id est botryonis defluere: quod Græci βοτρυδὸν dicunt.

HÆC SUPER ARVORUM CULTU. Primum librum per hoc significat: *per pecora* autem, tertium & quartum, quia & apes pecora sunt. *Per arbores*, secundum. Et hoc dicit: *Hæc ego*, Id est Georgica scripsi dum Cæsar in oriente pugnaret.

EUPHRATEN. Orientis fluvium. FULMINAT. Fortiter facit. VICTORQUE VOLENTEIS PER POPULOS. Unum virtutis est, aliud justitiæ. Nam vincere virtutis est: justitiæ vero, non invitis, sed volentibus imperare.

VIAMQUE AFFECTAT OLYMPO. Præparat sibi divinos honores. PARTHENOPE. Id est Neapolis, quæ primo ex corpore unius Syrenis illic sepultæ Parthenope est appellata. STUDIIS FLORENTEM IGNOBILIS OCI. Id est artis poëticæ, quam ocium appellavit ignobile, ne quid de se videretur arrogans dicere.

CARMINA QUI LUSI PASTORUM. Qui etiam Bucolica scripsi. AUDAXQUE JUVENTA. Ætate juvenili. Nam ut diximus supra, viginti octo annorum bucolica scripsit. Et bene breviter à se scriptarum rerum executus est titulum.

VARIORUM.

EUPHRATEN. *Euphrates* flumen, quod dividit Mesopotamiam à Syria & Cappadocia. PHIL.

AFFECTAT. *Affectat* pro intendit. ut apud Plautum: *ut me deponas vino, eam affectas viam.* & apud Terentium: *Nam disciplina est, eisdem munerarier ancillas, qui ad dominas affectant viam.* PHIL.

PARTHENOPE. Lutatius lib. IIII. dicit, Cumanos incolas à parentibus digressos, Parthenopen urbem condidisse, dictam à Parthenope Sirena, cujus corpus etiam postquam ob locorum ubertatem, amœnitatemque magis cœptum sit frequentari, veritos ne Cymæam desererent, inisse consilium Parthenopem diruendi. post etiam pestilentia affectos, ex responso oraculi urbem restituisse, sacraque Parthenopes cum magna religione suscepisse, nomen autem Neapoli ob recentem restitutionem imposuisse. PHIL.

AUDAXQUE. Quidam *audax* propterea dictum volunt, quod in duabus eclogis quæ sunt in Bucolicis, occulte invectus sit in Augustum propter agros. &, *carmina lusi*, figurate. PHIL.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER PRIMUS.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egressus sylvis, vicina coëgi,
Vt quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis

IN Secundo Libro aliquos versus præposuerat, quos constat esse detractos; quos inveniemus cum pervenerimus ad locum de quo detracti sunt. Titulus est ÆNEIS, derivativum nomen ab Ænea, ut à Theseo Thesis: Sic Juvenalis *Vexatus toties rauci Theseide Codri.* Qualitas carminis patet, Nam est metrum Heroicum & actus mixtus, ubi & Poëta loquitur, & alios inducit loquentes. Est autem heroicum, quod constat ex divinis humanisque personis, continens vera cum fictis. Nam Æneam ad Italiam venisse manifestum est. Venerem vero locutam esse cum Iove, missumve Mercurium, constat esse compositum. Est autem Stylus grandiloquus, qui constat alto sermone, magnisque sententiis.

Scimus enim tria esse genera dicendi, Humile, Medium, Grandiloquum. Intentio Virgilii hæc est, Homerum imitari & Augustum laudare à parentibus; namq; est filius Atiæ quæ nata est de Julia sorore Cæsaris: Julius autem Cæsar ab Julo filio Æneæ originem ducit, ut confirmat ipse Virgilius dicens, *A magno demissum nomen Iulo.*

De numero librorum nulla hic quæstio est, licet in aliis inveniatur Auctoribus. Nam Plautum alii dicunt scripsisse fabulas XXI, alii XL. alii C. Ordo quoque manifestus est, licet quidam superflue dicant Secundum Primum esse, Tertium Secundum, Primum Tertium: ideo quia primo Ilium concidit, post erravit Æneas, inde ad Didonia regna pervenit, nescientes hanc esse artem Poëticam, ut à mediis incipientes per narrationem ad prima redeamus, & nonnunquam futura præoccupemus, ut per vaticinationem: quod & Horatius sic præcipit in Arte poëtica: *Vt jam nunc dicat, Jam nunc debentia dici, Pleraque differat & præsens in tempus omittat.* Unde constat perite fecisse Virgilium. Sola superest explanatio, quæ in sequenti expositione probabitur: Hæc quantum ad Æneidem pertinet dixisse sufficiat: Nam Bucolicorum & Georgicorum alia ratio est. Sciendum præterea est, quod sicut nunc dicturi thema proponimus; ita veteres incipiebant carmina, titulo carminis sui, ut puta, *Arma virumque cano.* Lucanus, *Bella per Emathios.* Statius, *Fraternas acies alternaque regna profanis.* SERVIUS FULD.

Quidam existimant; quatuor hosce versus Æneidi quasi anteambulones, à Virgilio neque factos, neque majestate hujus operis dignos: tamen haud scio an tanti ea debeant æstimari, ob quæ vel Servii, Donatique judicia rescindantur. Varus autem & Tucca, quibus Æneida corrigendam dederat Augustus, quam recte fecerint, quod versus istos detraxerint, judicent qui plus Tuccæ & Vari, quam Maronis tribuunt judicio. Sane Scaliger lib. 5. cap. ult. Poët. clare profitetur; eos, qui hæc carmina sustulere, suam facere Æneida, non Maronis. TAUBMANNUS.

ARMA,

Digitized by Google

ARMA, *virumque cano; Trojæ qui primus ab oris*

SERVII.

ARMA VIRVMQVE, &c. Multi varie differunt, cur ab armis Virgilius ceperit, omnes tamen in hoc assentire manifestum est: Cum enim constet aliunde eum sumpsisse principium, sicut in præmissa narratione monstratum est, intelligamus tamen per *arma* bellum significasse, & est tropus Metonymia. Nam arma quibus in bello utimur, pro bello posuit. Sic toga qua in pace utimur, pro pace ponitur: ut Cicero, *Cedant arma togæ*, id est bellum paci.

ARMA VIRVMQVE. Figura usitata est, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Æneæ dixit: post de bello. Hac autem figura etiam in prosa utimur. Sic Cicero in Verrinis, *Nam sine ullo sumptu nostro coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit*. Nonnulli autem yperbaton putant, ut sit sensus talis, *Arma virumque cano, genus unde Latinum Albanique patres atque altæ mœnia Romæ*; mox illa revoces, *Trojæ, qui primus ab oris*. Sic enim caussa operis declaratur, cur agentibus fatis in Latium venerit.

Alii ideo Arma hoc loco proprie dicta accipiunt; primo, quod fuerint victricia; secundo quod divina; tertio quod semper armis virum subjungit, ut, *Arma virumque ferens*; & *arma acri facienda viro*; & est poëticum principium professivum, *Arma virumque cano*. Invocativum, *Musa mihi caussas memora*. Narrativum, *Vrbs antiqua fuit*: & professivum quatuor modis sumsit, à Duce, *Arma virumque cano*: ab itinere, *Trojæ qui primus ab oris*. A bello, *Multa quoque & bello passus*: à generis successu, *Genus unde Latinum*. VIRVM. Non dicit quem: sed circumstantiis ostendit Æneam. & bene addit post *arma* virum, quia *arma* possunt & aliarum artium instrumenta dici, ut *Cerealiaque arma*. CANO Polysemus sermo est. Tria enim significat. Aliquando laudo; ut, *Regemque canebant*. Aliquando divino. ut, *Ipsa canas oro*. Aliquando canto, ut in hoc loco. Nam proprie canto significat, quia cantanda sunt carmina.

TROIÆ. Troja regio est Asiæ, Ilium civitas est *Trojæ*. Plerunque tamen usurpant poëtæ, & pro civitate, vel regionem, vel provinciam ponunt. Iuvenalis, *Et flammis Asiam ferroque cadentem*. Probus ait Trojam, Grajos & Ajax, non debere per unam *i* scribi.

QVI PRIMVS. Primus non ante quem nemo, sed post quem nullus, vel hic primus princeps, vel optimus. Quærunt multi cur Æneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dixerit Antenorem ante adventum Æneæ fundasse civitatem. Constat quidem, sed habita temporum ratione peritissime dixit Virgilius. Namque illo tempore quo Æneas ad Italiam venit, finis erat Italiæ usque ad Rubiconem fluvium. Cujus rei meminit Lucanus, *Et Gallica certus Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis*. Vnde apparet Antenorem non ad Italiam venisse, sed ad Galliam Cisalpinam, in qua Venetia est. Postea vero promotis usque ad Alpes Italiæ finibus, novitas creavit errorem.

Plerique tamen quæstionem hanc volunt ex sequentibus solvi; ut videatur ob hoc addidisse Virgilius ad *Lavina Littora*, ne significaret Antenorem. Melior tamen est superior expositio. *Primus* ergo non ante quem nemo, sed post quem nullus; ut, *Tuque ò cui prima furentem Fudit equum, magno tellus percussa tridenti*. Et, *Hic mihi responsum primus dedit*: vel laudative primus; ut, *Primus qui legibus urbem fundabit, Curibus parvis*.

AB ORIS. Speciem pro genere. nam oras terras generaliter debemus accipere, sane præpositionem mutavit, nam ex *oris* melius potuit dicere.

DONATI.

Proponit & dividit, & sese commendat, quod neque ludicra, neque turpia, sed spectata elegerit.

ARMA. Scutum & reliqua quæ Æneæ fabricavit Vulcanus. VIRVM. non sexus, sed excellentiæ. Ergo *virum* qui talia arma, & tam pulchra & habere & gerere potuerit, qui Romani imperii auctor esse meruerit: qui Iunonis inimicitias, & reliquorum deorum factiones superaverit: qui tot adversa mari perpessus; tolerando transmiserit. Nec erravit, si primo rem, deinde personam posuit. Nam Sallustius nulla metri necessitate coactus, primo rem: deinde populo Romano personam posuit. Vergilius in propositione liberam orandi habuit licentiam, Exequendi vero alium ordinem tenuit.

CANO ARMA ET VIRVM. Sed armorum descriptionem primo propositam sequenti disputationi reservavit.

TROIÆ. altera cum propositione divisio, ut ostendat quid Æneas fatali ratione compulsus, & quid extra fatum perpessus sit. Fati enim fuit, ut relicta Troja Italiam peteret. Ergo crimine desertæ patriæ absolvitur. Non potuit enim defendi, quæ fato interitura erat: sed neque pœna fuit quod sit Asia pulsus, sed gloria. Nam minori detrimento affectus, majus est emolumentum consecutus, scilicet ut Ro. imperium conderet. Non ergo malo fatorum patriam perdidit, sed, ne ab ea detineretur Æneas, qui imperio Ro. constituendo dignus autor parabatur.

VARIORVM.

ARMA VIRVMQVE CANO. Præclare atque optime summam totius Æneidis explicavit. Nam VIRVM, errores Æneæ qui sex prioribus libris continentur. ARMA, res ab eo gestas designant; quod reliquorum materia est. NASCIMBÆN.

ARMA VIRVMQVE CANO. Hæc propositio complectitur utrumque Homeri poëma; alterum, quod Iliad. α. est Μῆνιν ἄειδε θεὰ, &c. alterum est Odyss. α. Ἄνδρα μοι ἔννεπε, &c. Consulatur Quintil. lib. 11. c. 8. Rud. Agricol. lib. 3. c. 5. HARTVNG.

TROIÆ QVI PRIMVS AB ORIS. Fœdo & ridiculo in errore sunt, qui Virgilium existimant nomen Æneæ consulto hoc initio tacuisse: quia turpe censeret laudare proditorem patriæ. Quid ergo? de ejus laudibus tot libros facere, eum toto opere cum tantis præconiis nominare honestum fuit? ÆNEIS utique ab Ænea deflectitur: qui nisi vir pius ac probus ante fuisset habitus à Romanis & Græcis, potuisset ipse operis index lectorem statim offendere. Hoc itaque statuendum, ornatius, jucundius & copiosius, cum attentione lectorum, rem cum circumscriptione exprimi, quam si aperte nominaretur. MORIC.

Ita-

Digitized by Google

Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Littora: multum ille & terris jactatus, & alto,

SERVII.

ITALIAM. Ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum præpoſitionem addamus, civitatum nunquam: Tamen plerumque hoc perverſo ordine lectum eſt. Nam ecce hoc loco detraxit provinciæ præpoſitionem, dicens *Italiam venit*, pro ad Italiam. Tullius in Verrinis, *Ea die Verres ad Meſſanam venit*, pro Meſſanam venit. Sed hic ſchema utuntur. Sane ſciendum eſt uſurpari ab authoribus, ut vel addant, vel detrahant præpoſitiones. Namque ait Virgilius, *Sylvis te Tyrrhene feras.* Pro in ſylvis. Vt ergo illic loco detraxit præpoſitionem, ſic hic provinciæ: & eſt figura. Italia autem pars Europæ eſt. Italus enim rex Siculorum profectus à Sicilia; venit ad loca quæ ſunt juxta Tyberim, & ex nomine ſuo appellavit Italiam. Ibi autem habitaſſe Siculos ubi eſt Laurolavinium, manifeſtum eſt: ſicut ipſe alio loco dicit, *Siculi vetereſque Sicani.* Item, *Et gentes venere Sicanæ Sæpius.* Sane Italiam I contra naturam producta eſt, cum ſit natura brevis. In hoc vero nomine I contra naturam producitur.

FATO PROFVGVS. Fatum ad utrumque pertinet, & quod fugit, & quod ad Italiam venit. Et bene addidit FATO, ne videatur aut cauſa criminis patriam deſeruiſſe, aut novi imperii cupiditate.

PROFVGVS, vagus, id eſt porro fugatus ab Ilio, qui & extorris dicitur. Profugus autem proprie dicitur, qui procul à ſedibus ſuis vagatur, quaſi porro fugatus. Multi tamen ita definiunt, ut profugos eos dicant, qui excluſi neceſſitate de ſuis ſedibus adhuc vagantur: & ſimul atque invenerint ſedes, non dicantur profugi, ſed exules. Sed utrunque falſum eſt.

Nam & Profugus lectum eſt, qui jam ſedes locavit. ut in Lucano, *Profugique à gente vetuſta Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.* Et exul qui adhuc vagatur. Vt in Saluſtio, *Qui nullo certo exilio vagabantur, adeo exilium eſt ipſa vagatio.* Quidam hic *Profugus* participium volunt. Sane non ocioſe fato profugum dicit Æneam, verum ex diſciplina Hetruſcorum, eſt enim in libro qui inſcribitur Terræ ruris Hetruriæ ſcriptum vocibus Tagæ, *Eum qui genus à perjuris duceret fato extorrem & profugum eſſe debere.* Porro à Laomedonte perjuro genus ducit Æneas, ſiquidem alibi ait, *Jampridem ſanguine noſtro Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.*

LAVINAQVE VENIT LITTORA. Hæc civitas tria habuit nomina: Nam primum Lavinium dicta eſt à Lavinio Latini fratre. Poſtea Laurentum à lauro inventa à Latino; dum adepto imperio poſt mortem fratris civitatem augeret. Poſt Lavinium à Lavinia uxore Æneæ. Ergo Lavina legendum eſt, non Lavinia. quia poſt adventum Æneæ dictum eſt Lavinium. Ergo aut Lavinum debuit dicere, ſicut dixit, aut Laurentum. quamvis quidam ſuperfluo eſſe Prolepſim velint. Sane bene addidit Lavina, ut oſtenderet ad quam partem Italiæ veniſſet Æneas; quia & multi alii eo tempore ad Italiam venerant; ut Capys qui Capuam: Polytes qui Polytorium condiderunt.

LITTORA. Laurolavinium conſtat VIII. milibus à mari remotum. Nec nos debet fallere, quia dixit *Lavina littora*. Littus enim dicitur terra quoque mari vicina: ſicut ipſe Virgilius in quarto, *Cui littus arandum.* quum per naturam littus arari non poſſit. Ergo ſc:endum litus & terram dici poſſe. Fabius Maximus Annalium primo: *Tum Æneas ægre patiebatur in eum deveniſſe agrum, macerrimum litorioſiſſimumque.* Ergo ſcire debemus littus poſſe terram dici.

MVLTVM ILLE. Colliſio eſt. & ILLE hoc loco abundat. Eſt enim interpoſita particula propter metri neceſſitatem, ut ſtet verſus. nam ſi detrahas ILLE, ſtat ſenſus. QVI ſane PRIMVS enim ad omnia poſſumus trahere. Sic alio loco, *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.* Eſt autem Archaiſmos. aut certe *ille,* quia hæc particula more antiquo, aut nobilitati, aut magnitudini dabatur; ut, *At velut ille canum & Sanctus ille.*

ET TERRIS IACTATVS. Fatigatus eſt enim apud Thraciam monſtro illo quo de tumulo Polydori ſanguis emanavit: apud Cretam peſtilentia: apud Strophadas inſulas Harpiis: tempeſtate vero & in primo, & in tertio. Iactamur autem in maris fluctibus, fatigamur in terris. & bene duûm elementorum mala uno ſermone concluſit.

ALTO, mari modo, quia navigans Scyllam & Polyphemum effugit, perditus etiam eſt Orontes, amiſſus Palinurus & Miſſenus. *Altum* tamen ſciendum eſt, quod & ſuperiorem; ut, *Maia genitum demittit ab alto*, & inferiorem altitudinem ſignificat. Namque menſuræ nomen eſt altitudo.

DONATI.

LAVINA LITTORA. cum alii ante Æneam in Italiam venerint, ille tamen Primus venit ad eam partem, ubi deinde fuerunt *littora Lavina*: & primus fato venit, cum alii caſu veniſſent, ergo fato perdidit patriam: FATO EXCLVSVS. Fato pervenit in littora Lavina.

MVLTVM ILLE TERRIS IACTATVS ET ALTO. Alia cum propoſitione diviſio eſt. Scribit enim quæ mari, quæ terra ſit paſſus.

VARIORVM.

FATO PROFVGVS. Hac voce Æneam crimine abſolvit proditæ civitatis, aut non defenſæ. quæ enim fato & ſanctione divina intereunt, nec debent, nec poſſunt defenſari. Simul monſtrat, exilium ipſius, non pœnam, ſed gloriam fuiſſe, ut qui Imperio Romano conditor parabatur. *Fato* igitur fuit, non merito. TAVBMAN.

LAVINAQVE VENIT LITTORA. De hac προλήψει & anticipatione hiſtoriæ, ex perſona poëtæ, legatur Agellius lib. 10. cap. 16. Opinione enim Donati & Diomedis, hoc loci nomen nondum erat, cum Æneas venit ad Italiam. Alii tamen Poëtam veritatem ſecutum volunt. Sed nec Servius Danielis prolepſim agnoſcit. Qua de re accurate diſputat ERYTHRÆVS.

LITTORA: MVLTVM ILLE, &c. Fabius lib. 11. cap. 3. Plenus autem, canorus & numeroſus verſus eſt, colliſione ſtatim repercuſſa. HAEIVNG.

Vi superum, sævæ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,

SERVII.

VI SVPERVM. Violentia deorum, secundum Homerum qui dicit à Iunone rogatos esse deos in odium Trojanorum: quod & Virgilius tetigit dicens, *Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti, Diique, Deæque omnes.* Latenter autem defendit hac ratione Trojanos, quod non suo merito eos insequebantur numina, sed Iunonis impulsu. » multi VI » SVPERVM, posse accipi dicunt Irim, Æolum, Iu» turnam, Iunonem; sed melius indicant, vi quam » superi habent.

SÆVÆ. Cum à juvando dicta sit Iuno, quærunt multi cur eam dixerit sævam: & putant temporale esse epitheton, quasi sævam circa Trojanos: nescientes quod *sævam* dicebant veteres *magnam*, ut Ennius, *Induta fuit sæva stola*, Id est, magna. Item Virgilius quum ubique pium inducat Æneam ait, *Maternis sævus in armis Æneas*, id est magnus.

MEMOREM IVNONIS OB IRAM. Constat multa in authoribus inveniri per contrarium significantia, pro activis passiva. ut, *Pictis bellantur Amazones armis*, pro bellant. Pro passivis activa. ut, *Populatque ingentem farris acervum*: pro populatur. Et hæc varietas, vel potius contrarietas invenitur etiam in aliis partibus orationis; ut sit adverbium pro adverbio, ut est, *Hoc tunc pater ignipotens cælo descendit ab alto*, pro huc. Et in participio. ut, *Et qua vectus Abas*, pro vehebatur. Et in nomine: ut, *Memorem Iunonis ob iram.* non quod meminerat, sed quod » in memoria erat. De his autem hæc tantum quæ lecta » sunt, posita sunt, nec ad eorum exemplum alia for» mata. Sane memor apud veteres non tantum dice» batur ὁ μεμνημένος, sed & ὁ μνήμων. Et hoc per con» fusionem verbi & nominis. Nam memorem est verbi significatio, cum nunc sit nomen.

MVLTA QVOQVE ET BELLO PASSVS. Hoc ad posteriores VI. pertinet libros. QVOQVE ET. Duas conjunctiones separatas naturaliter nemo conjungit. sed hoc plerunque à poëtis causa metri fit. Ergo hic una vacat: sicut alio loco, *Dixitque: & prælia voce diremit.* Salust. *Tyrannumque & Cinnam.* BELLO PASSVS. Contra Turnum quod gessit.

DVM CONDERET VRBEM. Tres hic sunt significationes. Aut enim Trojam dicit, quam ut primum venit in Italiam, fecit Æneas. de qua ait, *Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.* Et alio loco Mercurius, *Nec te Troia capit.* Trojam autem dici quam primum fecit Æneas, & Livius in primo, & Cato in originibus testantur. Dum enim hæc fieret, ab agrestibus ob vulneratum regium cervum, mota sunt bella. Aut Laurolavinium. Et significat DVM, donec. tandiu enim dimicavit, quandiu tempus faciendæ civitatis veniret; id est donec Turnus occumberet. Aut Romam. Et est sensus, modo dum conderet urbem: aut Trojam, aut Laurolavinium, aut Romam.

DONATI.

VI SVPERVM. Vis est cum fit aliquid contra leges, id est, contra fatum. Vt autem ostendat nihil tale de superis meruisse Æneam; addit,

SÆVÆ MEM. IVNONIS OB IRAM. Ergo non propter culpam Æneæ fecerunt superi, sed ut obsequerentur Iunoni, tanquam omnium reginæ. Purgatur igitur Aeneas, & deformatur Iuno adversaria.

SÆVÆ. id est, crudelis, quæ prosequatur innocentem, & qui Deorum omnium, atque ipsius cultor sit. Onerat etiam eam quod inimicitias, nulla Æneæ culpa susceptas, diutissime tenaciterque retineret: cum ne id quidem, etiam si justæ sunt inimicitiæ, facere probis conveniat. Hoc latius in V. *Iunonis gravis ira, nec exaturabile pectus: Quam nec longa dies nec pietas mitigat ulla.*

DVM CONDERET VRBEM. Exaggerat, quod Æneam bello appetisset, cum conderet urbem, & deos imperio publico profuturos inferret. Quod si obtinuisset Iuno, nec Latinum genus, nec Albani principes, nec Ro. Imperium fuisset futurum, nec Cæsar imperii Ro. culmen habiturus. Indoluit enim cum *moliri jam tecta videt, jam fidere terræ*, & bellum per furiam excitavit. Propositione autem ista non solum quæ dicturus sit ostendit, sed multiformi ratione divisionis utitur: Commendat carmen, Æneam à culpa liberat, Iunonem multa variaque invidia obruit, Caput carminis ab invocatione Musæ aggreditur, cui, nisi lectoris instruendi causa, thema præmisisset, laboris gratiam perdidisset, cum quid lecturus esset nesciret. Quod si cuncta non implevit, morti immaturæ attribuendum est: Nam, *Albanique patres atque altæ mœnia Romæ*, non scripsit.

VARIORVM.

SÆVÆ MEMOREM IVNONIS OB IRAM. *Memorem iram* dixit, ut Æschilus in Agamemn. μῆνιν μνάμονα. Nimirum Deos, heroas, regesque serius iram coquere canunt poëtæ. Et Sophocles in Ajace, ait, θυμοῦ οὐδὲν γῆρας. unde dicunt iram tardissime senescere. GERMAN. Iunonem ergo vitio crudelitatis aspergit, ingenti cum indignationis affectu: indignatur enim Poëta Æneam virum innocentem & pium, à Diis, præsertim à Iunone tam acerbe atque insidiose tractari: nam quod IRAM MEMOREM ait, nimiam ulciscendi cupiditatem designat: quæ quia iratis jucunda esse solet, eorum mentibus etiam firmius hæret. NASCIMBÆN.

MVLTA QVOQVE ET BELLO PASSVS. Exaggerat Æneæ incommoda: qui non solum navigando, verum etiam belligerando, multa passus est. Occulte etiam commiserationis affectum movere videtur, per locum communem ex falsa spe felicitatis futuræ. nam hoc innuere videtur Poeta doctissimus, Æneam in mari fluctibus agitatum, in terris pestilentia & fame vexatum. Postremo cum sedes quietas sibi, sociisque invenire putaret, tunc bello teterrimo, gravissimisque laboribus ac periculis fuisse vexatum. NASCIMBÆN.

MVLTA QVOQVE. Veteres sæpe geminabant Conjunctiones: ut hic, *quoque &*: Comici, *quoque etiam.* Cicero de Amicitia; *Quamvis licet excellas.* Vide POPMAM, De usu antiquar. locut. lib. 2. cap. 10.

10 *In-*

Digitized by Google

Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

SERVII.

INFERRETQUE DEOS LATIO. Latium duplex est, unum à Tyberi usque ad Fundos: Aliud „ inde, usque ad Vulturnium. Denique ipse dixit, *Ve-* „ *tere sque Latini*, ideo quia scit esse etiam novos, id est à fundis usque ad Vulturnium. Latium autem di- „ ctum est, quod illic Saturnus latuerit. Saufejus La- „ tium dictum ait; quod ibi latuerunt incolæ, qui quo- „ niam in cavis montium vel occultis, caventes sibi à „ feris belluis, vel à valentioribus, vel à tempestatibus „ habitaverunt, Cassei vocati sunt, quos posteri Abo- „ rigines nominaverunt, quoniam aliis ortos esse re- „ cognoscebant, ex quibus, Latinos etiam dictos.

INFERRETQUE DEOS, penates, vel suam genituram. LATIO. Hoc est in Latium. Et est figura usitata apud Virgil. Quod enim per accusativum cum præpositione dicimus; ille per dativum ponit sine præpositione. sicut alibi. *It clamor cælo*, „ pro in cœlum. Deos vero utrum Penates: ut, *tali-* „ *bus attonitus, visis & voce Deorum*. An se & Asca- „ nium & posteros suos de quibus dictum est, *Dis ge-* „ *nite & geniture Deos*.

GENUS UNDE LATINUM. Si jam fuerunt Latini, & jam Latium dicebatur, contrarium est quod dicit Latinos ab Ænea originem ducere. Prima est jucunda absolutio, ut UNDE non referas ad personam, sed ad locum. Namque UNDE adverbium est de loco, non deductio à persona. Tamen Cato in originibus dicit hoc, cujus authoritatem Salust. sequitur in bello Catilinæ, *Primum Italos quosdam qui appellantur Aborigines. hos postea adventu Æneæ Phrygibus junctos, Latinos uno nomine nuncupatos*. Ergo descendunt Latini non tantum à Trojanis, sed etiam ab Aboriginibus.

Est autem vera expositio hæc, Novimus quod victi victorum nomen accipiunt. potuit ergo victore Ænea perire nomen Latinum. Sed volens sibi favorem Latii conciliare, nomen Latinum non solum illis non sustulit, sed etiam Trojanis imposuit.

Merito ergo illi tribuit quod in ipso fuerat, ut posset perire. unde & ipse inducit in XII. libro rogantem Iunonem ne pereat nomen Latinum. Item in execratione Didonis legimus, *Nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit*. Iniqua enim pax est in qua „ nomen amittit ille qui vincit. sed veteres, UNDE „ etiam ad personam adplicabant, ita ut omne genus „ ad omnem numerum jungerent: ut hoc loco, *Genus* „ *unde Latinum*, masculino generi & numero singu- „ lari junxit; alibi genus fœmininum & numerum plu- „ ralem referret: *Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus* „ *amnibus unde est*; sicut HINC particulam sumsit lo- „ co adverbii Terentius, cum vetuste ad personam „ transtulerit, *Sed eccum Syrum incedere video, hunc* „ *jam scibo, quid siet*.

ALBANIQUE PATRES. Albam ab Ascanio conditam constat: sed à quo incertum, utrum à Creüsæ an Laviniæ filio: de qua re Livius dubitat. Hanc autem cum evertisset Tullus Hostilius, omnes nobiles familias Romam transtulit. Et sciendum bene hunc ordinem servare Virgilium, ut ante dicat Latium, inde Albam, post Romam. quod & hoc loco fecit: & in V. *Priscos docuit celebrare Latinos*. Et deinde, *Albani docuere suos, nunc maxima porro Accepit Roma, & patrium servavit honorem*. Item in VII. *Mos erat Hesperio in Latio quem protinus urbes Albanæ coluere sacrum: nunc maxima rerum Roma colit*.

ALTÆ MOENIA ROMÆ. Aut propter gloriam, aut propter ædificia ingentia: aut quia in montibus collocata est.

VARIORUM.

INFERRETQUE DEOS LATIO. Constat vero ex Valerio lib. 1. cap. 8. Penates deos Æneam Troja advectos Lavinii collocasse, inde ab Ascanio filio ejus Albam, quam ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significasse. GERMANUS.

GENUS UNDE LATINUM. Latini, à Latio dicti sunt: non autem à Latino Aboriginum rege, qui post Trojæ Excidium Æneam & Trojanos hospitio excepit. nam Orpheus, unus Argonautarum, quorum filii ad Trojam militarunt, Latinorum finibus scribit Argo navim appulsam: quo apparet, ab ipsa terra, non à regibus, nomen genti factum. HORTENSIUS.

GENUS UNDE. Inaniter contendunt Grammatici, quo referri debeat vox UNDE; an ad *Latium*, an ad *Æneam*; qui Latinos populos, ut inquit, Iustinus, condidit. Sed ad utrumque recte referri potest: nam in Latio conditi sunt, & nuncupati Latini, qui prius Aborigines dicebantur. NASCIMB.

ALBANIQUE PATRES. Salustius proœmio Catilin. *Urbem Romanam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi, sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines, genus hominum agreste*, &c. Sed reges potissimum intelligit, qui per Romulum & Remum quasi patres Romanorum fuerunt. Livius bellum inter Romanos & Albanos tractans, ait, sibi illud bello civili simillimum videri, quod esset prope inter parentes natosque Trojanam utranque prolem; cum Lavinium ab Troja, ab Lavinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriundi Romani essent. CORRADUS.

ATQUE ALTÆ MOENIA ROMÆ. Vel ipsos Romanos, vel urbis conditores, vel ipsius urbis conditionem dicit ab Æneæ posteritate principium duxisse. HORTENSIUS.

ALTÆ ROMÆ. Alta quidam dici Roma potest propter colles in quibus sita est: At Nascimbæn. perpetuum ait urbium epitheton, exemplo Horatii. 1. Carmin. 16.

> —— *& altis urbibus ultimæ*
> *Stetere causæ cur perirent*
> *Funditus.*

Periti certe viri est, non dicam describere, sed capere & credere, qualis ea Roma fuit, cui PAR est nihil, & nihil SECUNDUM. TAUBMAN.

Digitized by Google

Musa mihi causas memora; quo numine læso,
Quidve dolens regina deûm, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit: tantæne animis cælestibus iræ?

SERVII.

MVSA MIHI CAVSAS MEMORA. MIHI, longa hic; alibi brevis; ut *Mihique hæc edissere vera roganti.* Sane in tres partes Poëtæ dividunt carmen suum, proponunt, invocant, narrant. Plerunque tamen duas res faciunt, & ipsam propositionem miscent invocationi, quod in utroque opere Homerus fecit; namque hoc melius est. Lucanus tamen ipsum ordinem vertit, primo enim proposuit, inde narravit, postea invocavit: ut est, *Nec si te pectore vates Accipio.* Sane observandum est, ut non in omnibus numen aliquod invocetur, nisi cum aliquid ultra humanam possibilitatem requirimus. Hinc in arte poëtica Horatius, *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.*

Bene ergo invocat Virgilius: non enim poterat per se iram numinis nosse. Item in nono libro nisi adderet, *Iuno vires animumque ministrat*: quis crederet Turnum evasisse de castris? Et hic MVSA non addidit, *μῆνιν ἄειδε θεά*, sed, *Musa mihi causas memora*, pro adesto & memores. Sane Musas multi VIIII. multi VIII. multi VII. dixerunt. His Numa ædiculam æneam brevem fecerat; quam postea de cœlo tactam & in æde honoris & virtutis conlocatam Fulvius Nobilior in ædem Herculis transtulit, unde ædis Herculis Musarum appellatur.

Has alii Virgines perhibent, nam ideo eis & porcam sacrificari ajunt, quod multum pariat: alii eis etiam filios dant Orpheum, Linum, Sirenas. Alii has octo, ut Athenis visuntur; alii quatuor dicunt. Alias Beotias, alias Atticas, alias Siculas. has Musas Siculus Epicharmus non multas, sed ὁμωνύμως dicit.

QVO NVMINE LÆSO. *Quo*, in quo, in qua causa. Et est septimus casus, & communis elocutio. Dicimus enim, quo te læsi: est & alia expositio. namque Iuno multa habet numina. est Curitis, quæ utitur curru, & hasta. ut, *Hic illius arma, Hic currus fuit.* Est & Lucina, quæ partubus præest, ut Terentius, *Iuno Lucina fer opem.* Est regina. ut, *Quæ divum incedo regina.* Sunt & alia ejus *nomina.* Merito ergo dubitat quod ejus læserit numen Æneas. Alii tamen dicunt separandum esse; ut de odio Iunonis non dubitet, quærat autem quod aliud numen est læsum.

QVO NVMINE. Ideo trahitur in ambiguitatem, & requirit in quo Iunonis numen læsit Æneas, quia in ipsum certa non erant odia, sed in gentem, propter caussas paulo post dicendas. Alii numen voluntatem accipiunt.

LÆSIT autem dicendo, ipso verbo ostendit etiam si fuisset, levissimam culpam fuisse. Non enim dixit violato aut injuriam passo.

QVIDVE DOLENS. Bene Philosophice dubitavit. Dicunt enim quidam ad deos nihil pertinere. TOT VOLVERE CASVS. Id est casibus volvi. Et est figura Hypallage: quæ fit quotiescunque per contrarium verba intelliguntur. Sic alibi, *Dare classibus austros*: cum ventis naves demus, non navibus ventos. Item, *Animumque labantem Impulit.* hoc est impellendo fecit labantem.

INSIGNEM PIETATE VIRVM. Quia patrem & deos penates de incendio Trojæ liberavit. Et hic ostendit merito se invocasse Musam. Nam si justus est Æneas, cur odio deorum laborat?

TANTÆNE ANIMIS COELESTIBVS IRÆ? Hic jam non de qualitate iracundiæ quærit, sed de quantitate Nimia etenim ira est, quæ pietatis non habet considerationem. & hoc quidem secundum Stoicos dicit: sed miratur cur tantum. Nam Epicurei dicunt deos humana penitus non curare.

TANTÆNE. Quasi exclamatio est mirantis. Cum ex ipsa narratione sententiam trahentes, nostram personam interponimus; ut, *Tanton' placuit concurrere motu.* Nonnulli TANTÆNE legunt, ut interrogatio sit potius, quam exclamatio. Responsio Musæ vel deæ. ANIMIS COELESTIBVS. Diis superis. nam apud inferos esse iram constat, ubi sunt furiæ. animis vero ταῖς ὁρμαῖς.

DONATI.

MVSA. Ab invocatione Musæ quod erat scripturus, incœpit: quam, cum dea sit, nihil latere oportet, Interrogat ergo, ut cum nulla in Ænea culpa inveniatur, confirmet Iunonis sævitiam.

INSIGNEM PIETATE. Id est, deorum cultorem & spectatæ vitæ. Quid ergo delinquenti fecisset, cum ita insectetur innoxium? Ergo collige. nam cum irascendi causa non sit, & non satiari innumeris tormentis & gravissimis casibus, probat illam esse sævam. His dictis instruit homines ad bonam vivendi rationem. bonum enim virum justus dolor moverat, & tamen non sit in ultione immoderatus, nec justas iras diutius retineat. Vnde Salust. *& injuria accepta ignoscere, quam prosequi malebant.*

TANTÆNE ANIMIS CÆLESTIBVS IRÆ. Admiratur hoc poëta, cum Dii lenes esse soleant & misericordes, quod reprehendatur in eis, quod in hominibus displicet. Post invocationem autem in adiumentum carminis, & in favorem suscepti sui operis positam, causas enumerat, quibus lector in initio advertat, & Iunonem sævam, & deos malo studio Iunonis motos, & Aeneam non sua culpa hæc esse passum.

VARIORVM.

QVO NVMINE LÆSO. Veteres suorum incommodorum causas diis attribuebant, quos sibi infestos, & suo aliquo merito & noxa læsos opinabantur: ex qua opinione hoc dixit Poëta. TVRNEBVS. lib. 18. 32.

TANTÆNE ANIMIS COELESTIBVS, &c. Huic simile illud Homeri Odyss. α. τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεῦ. HART.

Vrbs

Digitized by Google

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tyberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma,

SERVII.

VRBS. Vrbs dicitur ab orbe: quod antiquæ civitates in orbem fiebant: vel ab Vrbo parte aratri, quo muri designabantur. & ANTIQVA autem, & FVIT bene dixit: namque & ante LXX. annos urbis Romæ condita erat: & eam deleverat Scipio Æmilius ante Æmilianus. quæ autem nunc est, postea à Romanis est condita: unde ANTIQVAM accipe & ad comparationem istius quæ nunc est, & Roma antiquiorem. ANTIQVA. id est nobilis. FVIT pro erat. TYRII TENVERE COLONI. Deest QVAM, vel ut alii volunt HANC. Amant namque antiqui per Epexegesin dicere, quod nos interposito pronomine exprimimus. *Est locus*, ut alibi, *Hesperiam Graji cognomine dicunt*, deest *quem*. Coloni dicuntur cultores advenæ; & hos de Tyro constat venisse qui Carthaginem condiderunt.

Sane veteres Colonias ita definiunt. Colonia est cœtus eorum hominum qui universi deducti sunt in locum certum ædificiis munitum, quem certo jure obtinerent. Alii, Colonia est quæ Græce ἀποικία vocatur. Dicta autem est à colendo, est autem pars civium aut sociorum missa, ubi Rempub. habeant ex consensu suæ civitatis, aut publico ejus populi, unde profecta est consilio. Hæ autem coloniæ sunt, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ.

ITALIAM CONTRA. Constat tria latera habere Italiam, superi maris, inferi, & alpium. unde tollens caussam erroris adjecit, Contra Tyberina, id est ostia, quæ in infero mari sunt. Ostiam vero ideo veteres consecratam esse voluerunt sicut Tyberim, ut si quid bello navali ageretur, id auspicato fieret ex maritima & effata urbe, ut ubique conjunctum Auspici: ut Tiberis cum colonia esset. Aut certe ideo ITALIAM CONTRA, quasi de æmula dictum accipiamus, ut non tantum situ, quantum & animis contra.

LONGE. Porro, valde. Salustius, *Longe alia mihi mens est patres conscripti*, aut certe maxime vel præcipue, ut sit Carthago præcipue posita contra Tyberina ostia. Cic: pro Rabirio, *Et cum universo Pop. Romano, tum vero Equestri ordini longe charissimus*. TIBERINA autem pro Tiberis dixit. Quidam sane ita volunt jungi, non longe ostia, sed longe dives valde.

DIVES OPVM. Modo tantum dives dicimus, antiqui adjungebant cujus rei; ut, *Dives equum, dives pictai vestis & auri*: jungentes tantum genitivo casui.

STVDIISQVE ASPERRIMA BELLI. Caussam ostendit mirabilem, dicens hos esse & bellicosos & divites, quum otiosa sit semper opulentia. Iure ergo hanc diligit Iuno, & vult orbis regna sortiri. Quæ res odia ejus in Trojanos exagitat, & bene STVDIIS non studio, quia tertio rebellavit contra populum Romanum.

FERTVR. Dicitur. Et ingenti arte Virgilius utitur, ne rebus fabulosis aperte utatur, licentia poëtarum, quasi opinionem sequitur: & per transitum poëtico utitur more. vel certe *fertur*, creditur; *magis* pro valde.

POSTHABITA. Non contempta: sed in secundis habita. Namque in superiore versu dixit *magis*, ut etiam loco originali servetur affectio. COLVISSE SAMO. Deest etiam, ut esset posthabita etiam Samo, ut Iuvenalis, *Et Samia genitrix quæ delectatur arma*. COLVISSE autem, quia veteres colere dicebant, etiam cum major minorem diligeret; ut, *Ille colit terras*. Plautus in Pænulo, *Iupiter qui genus colis alisque hominum*.

HIC ILLIVS ARMA. Figura creberrima, adverbium pro adverbio posuit, præsentis loci pro absentis. debuit enim dicere *illic arma*. ARMA. Instructam armis Iunonem alio loco testatur ipse: ut, *Ferro accincta vocat*.

DONATI.

VRBS ANTIQVA FVIT. Primam Iunonis odiorum causam dicit, quæ Aeneam insectatur; quoniam ab eo gens oritura erat, quæ imperium, quod ipsa Carthagini servari cupiebat, prærceptura esset. Volebat ergo si possit illum extingui. igitur hæc sola causa satis erat ad odia excitanda. Verum aliæ quoq; enumerantur: ut, cum sint procul à culpa Æneæ, & ipse purgetur, & Iunonis factio iniquissima cognoscatur. Laudatur multipliciter Carthago: ut ostendatur, illa Ro. imperium opprimere potuisse, maxime annitente Iunone.

ANTIQVA non magna, ut multi dicunt, sed prolixi temporis: ut annositate corroborata, imperium Ro. nascens, longævis viribus premeret.

COLONI. ut præter incolas etiam aucta sit colonis.

ITALIAM CONTRA. Laus est à situ.

DIVES, à fortuna. STVDIISQVE. à natura & à moribus. Ergo omnis erat occasio Iunonis favor, locorum proximitas, substantia rei familiaris, bellatorum numerus, fiducia naturalis: & innatum studium dimicandi.

POSTHABITA. Tanta obstinatione contra Romanum imperium nitebatur pro Carthaginis opibus: ut omnibus terris & ipsi solo genitali illam præposuerit: & insignia sui numinis, & quicquid potuit in ea collocaverit.

VARIORVM.

TYRII TENVERE COLONI. *Colonos*, cultores advenas, recte quidem interpretatur Servius: ego tamen *Colonos*, non simpliciter *cultores* hic accipiendos censeo; sed respectu coloniæ, quasi in coloniam deductos, ut Græci ἀποίκους. GERMANVS.

ITALIAM CONTRA. Macrob. lib. 5. cap. 2.

HIC ILLIVS. Linacer l. 6. de Enall. generis. H.

Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.
Hinc populum late regem belloque superbum,
Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.

SERVII.

CVRRVS. Aut vere currum, quo secundum Homerum in bello utitur: aut thensam significat, qua deorum simulachra portantur. Thensa autem cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τῶν θεῶν, id est à re divina. Aut certe illud, *currus*, quod ait *Ductos alta ad donaria currus*. Habere enim Iunonem Currus certum est. Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, ubi sic precantur, *Iuno curitis tuo curru clypeoque tuere meos curiae vernulas sane.*

HIC ILLIVS ARMA, HIC CVRRVS FVIT. Quotiescunque nomina singularis & pluralis numeri connectuntur, respondemus viciniori: ut ecce hoc loco, currui, non armis respondit. Eadem & in diversis generibus est observatio; ut magis vicino sive masculinum sit, sive foemininum respondeamus, ut puta vir & mulier magna ad me venit. Si autem plurali numero velimus uti, ad masculinum transeamus necesse est. ut vir & mulier magni ad me venerunt. Sane *fuit* pro fuerat. GENTIBVS. Pro gentium, dativum pro genitivo.

SI QVA FATA SINANT. *Qua* vacat, & est ornatus causa positum. ut ubique gentium, locorum, terrarum, & reliqua: ut, *Dixitque & praelia voce diremit.*

IAM TVM. Ex quo constituta est à Tyriis colonis. TENDITQVE FOVETQVE. Tanquam imbecillam. Figurate dixit. Non jam regnum fovet, sed tendit, & fovet, ut regnum esse possit. Et bene *Tendit*, tanquam contra verum; *fovet* autem tanquam imbecillam, adversus Trojanorum conatus.

PROGENIEM. vel Romanos, vel ut quidam volunt Scipionem, qui Carthaginem diruit. DVCI. Ductum iri: infinitivi modi verbum à passivo, tempus praesens pro futuro, verbum pro verbo.

AVDIERAT. A Iove, aut à Fatis. Non enim omnia habent divinandi facultatem numina: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte divinat. ut est, *Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo praedixit.* Et perite AVDIERAT. In Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis. Ergo bene audierat quasi de incertis rebus, ut & timeret, & speraret omnia pro sua voluntate posse mutari.

TYRIAS ARCES. Carthaginem dicit, quam Tyrii condiderunt. Arces dictae ab eo quod est arceo, quod inde hostes arcentur, hoc est prohibentur. Et *arces* genus teli, quod hujus ministerio sagittae arceant hostem, Sane per confusionem Verbi & nominis dictum est, nam *arces* est verbum arceo arces, cum non sit nomen. OLIM. *Quandoque*. Tria enim tempora significat: Praeteritum, ut, *olim arbos, nunc artificis manus aere decoro Inclusit.* Praesens, ut, *Tumidis quod fluctibus olim Tunditur.* Futurum, ut, *Nunc olim quocunque dabunt se tempore vires.*

HINC POPVLVM LATE REGEM. Scilicet à Romanis. Laudat autem eorum imperium, dicendo *populum regem*. LATE REGEM. Pro late regnaturum. Nomen pro participio. quidam hic democratias intelligunt, Et *Hinc populum late regem belloque superbum &c.* In Probi adjuncta sunt, & adnotandum hi duo si eximantur nihilominus sensus erit integer. Sed Virgilius amat aliud agens exire in laudes Pop. Romani. SVPERBVM, Id est nobilem; ut, *Ceciditque superbum Ilium*, eminens, gloriosum.

VENTVRVM EXCIDIO. Ad excidium, ut Idem v. t. ad. a. n. LIBYAE. Carthaginis. Et provinciam pro civitate posuit. Dicta autem Libya quod inde Libs flat, hoc est Africus, aut ut Varro ait, quasi λιπνία egens pluviae. Sic Salustius, *Caelo terraque penuria aquarum.* VOLVERE PARCAS. A filo traxit volvere, aut à libro, una enim loquitur, altera scribit, tertia fila deducit. Et dictae sunt κατ' ἀντίφρασιν: quod minime parcant, sicut lucus à non lucendo, bellum à nulla re bella. Nomina Parcarum, CLOTHO, Lachesis, Atropos.

DONATI.

VERTERET. Eam habet significationem; ut nihil post excidium supersit. unde alibi, *quae te genitor sententia vertit*, id est penitus ita immutaverit, ut nihil in illo pietatis relictum sit. Item, & *omnis imo vertit Neptunia Troja.*

VARIORVM.

PROGENIEM SED ENIM. &c. Floridum vide lib. 2. cap. 22 succis. lect. PROGENIEM DVCI, pro ducendam, vel ductum iri. Enallage temporis. vide Linacr. lib. 6. H

VENTVRVM EXCIDIO LIBYAE. Censet Modicius cap. 18. *Excidio* hic non significare rerum antecedentium finem, vel effectum: sed caussam rerum, quae secutae sunt. Nam propter excidium Carthaginis, Romani facti sunt orbis terrarum principes. Accipiamus igitur *venturum*, id est futurum: ut significetur non mutatio loci, sed fortunae ac dignitatis incrementum. *Excidio*, propter excidium, non ad excidium: ut sit sensus verissimus & elegantissimus. Audierat à sanguine Trojano ductum iri progeniem, populum scilicet Romanum oriturum; qui aliquando everteret Carthaginem. Deinde propter eam victoriam, sive propter excidium Carthaginis, fieret late imperitans, & bello nobilis, omnibusque superior. Nam ut quivis Romanae historiae vel parum peritus novit, Romani graviores hostes, quam Carthaginenses nunquam habuerunt, à quibus ad extremum periculum sunt deducti. PONTANVS.

Id

Digitized by Google

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis:
Nec dum etiam caussæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque injuria formæ,

SERVII.

ID METVENS. Bis idem, Archaïsmos sane: de futuro enim timor est: Odium, de præteritis: Metuebat ergo Carthagini; Odium autem habebat propter causas sequentes. & est de utroque exemplum, *Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni: Aut metus acer erat.* VETERIS BELLI. Quantum ad Virgilium pertinet, antiqui. si ad Iunonem referas, diu, per decennium gesti. Sane tunc ad personam referendum est, quum ipsa loquitur: quod si nulla persona sit, ad poëtam refertur. Nunc ergo VETERIS, ex persona poetæ intelligendum est. sic ipse alibi, *Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum, flagrantesque dei vultus.* Partem ad se retulit, partem ad Tyrios qui deum esse nesciebant.

SATVRNIA. Antonomasia est, non epitheton: quæ fit quotiens pro proprio nomine, ponitur quod potest esse cum proprio nomine, & epitheton dici. Saturnia autem nomen quasi ad crudelitatem aptum posuit. Virgilius enim ubicunque Iovi vel Iunoni Saturni nomen adjungit, causas eis crudelitatis adnectit. ut, *Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis*, alibi, *Et germana Iovis Saturnique altera proles: tantos volvis sub pectore fluctus.*

PRIMA. Atqui Hercules prior contra Trojanos pugnavit: unde modo PRIMA, princeps accipienda est. Nam plerunque poëta significationem nominis dat participiis: vel è contra: ut, *Volventibus annis.* Significat enim volubilibus. hac licentia & in hoc nomine usus est, ut PRIMA pro principe poneret. PRIMA, Inter primos, alii pro olim; Alii prima simpliciter, postea enim alii Dii interesse cœperunt. Alii prima non ordine, sed voluntate, aliter *primusque Machaon*, ibi in primis intelligitur.

AD TROIAM. Ad & apud, accusativæ sunt præpositiones. Sed APVD semper in loco significat, AD & in loco, & ad locum. In loco: ut, *Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est.* Et Cicero, *Decem fiscos ad senatorem quendam relictos.* Item, *Ad Marcum Leccam te habitare velle dixisti.* CHARIS ARGIS. Illic enim eam coli omnibus notum est. Argos autem in numero singulari generis neutri est: ut Horatius, *Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.* In plurali vero masculini, ut hi Argi. Cæterum derivatio nominis Argivos facit, non Argos.

NECDVM ETIAM. Adverbium. Quasi antehac. CAVSA. Nunc de præteritis loquitur: Nonnulli tamen pro caussa & dolore dictum accipiunt. SÆVI autem dolores, quod sævire faciant. ALTA MENTE. Secreta, recondita. REPOSTVM autem syncopa est. unam enim de medio syllabam tulit. Sed cum omnes sermones aut integri sint, aut pathos habeant: hi qui pathos habent, ita ut lecti sunt debent poni, quod etiam Maro facit: nam REPOSTVS ET PORGITA de Ennio transtulit, integris autem & ipsis utimur, & eorum exemplo aliis.

IVDICIVM PARIDIS. Nota fabula est, de malo aureo, Paridem pro Venere contra Iunonem Minervamque judicasse de forma: & bene judicium Paridis, non favor, ne revera videatur offensa. Sic enim agit Poëta, ut & Iuno causas irascendi habeat, & tamen in Ænea nulla sit culpa.

SPRETÆQVE INIVRIA FORMÆ. Epexegesis est. Hoc enim fuit judicium Paridis: VT QVÆ particula vacet, ut alibi: *Dixitque, & prælia voce diremit.* Licet nonnulli separent, dicentes aliud esse. Nunquam enim conjunctio ponitur, nisi inter duas res. Et SPRETÆ FORMÆ referunt ad Antigonam Laomedontis filiam, quam à Iunone propter formæ arrogantiam in ciconiam constat esse conversam.

DONATI.

ID METVENS. Vt firmet primam fuisse principalem causam, incipit dicere alias. Timet ergo, ne Trojani ab excidio liberati, vel vires adversus Græcos reparent: vel in Italia consistentes, Carthagini officiant. Artificiose deinde aliam causam addit, judicium Paridis: & unam iniuriam facit duplicem, scilicet quod offensa sit in eo judicio, quod minori sit postpolita, & quod sit spreta forma sua, quia in pomo scriptum erat: *Pulchriori detur.* Hoc maxime vexat mulieres. Hanc igitur partem facit Vergil. Cum dicit: *Manet alta mente repostum iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ, ut* non tantum irascatur quod victa est, quantum quod forma sua sit spreta. *Manet* ergo, ad omnia pertinet. *Repostum* autem, ad judicium Paridis. *Iudicium.* Scilicet corruptum, libidinis præmio. *Paridis*, ut convitium sit, non hominis nomen, scilicet abiecti, venalis, vulgaris & inhonesti. Falluntur autem qui referunt, iniuria formæ ad Antigonem: Vnde addit, *Et genus invisum:* ut ad principalem causam gentis, æstus reduceret Ganymedis, qui turpiter amatus est à Iove. Est autem fœdum hoc loco aliquid intelligere de Zodiaco, in quo Ganymedes dicitur collocatus, ne infames inter sancta sydera sint collocati, & sentiamus id quod poëta non dixit. Ostendit omnes has causas esse alienas ab Ænea, atque ut posterius dictas ostenderet, incidentes ait.

VARIORVM.

IVDICIVM PARIDIS. Convitium est. quasi dicat, Iudicium hominis venalis corruptum libidinis præmio. Negavit Macrob. lib. 5. usquam ab Homero de Paridis judicio factam mentionem: quod ex Iliad. ultim. refellit Pimpontius. Videatur Tryphiodorus, & Fulgent. TAVBMAN.

Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas; relliquias Danaum, atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

SERVII.

ET GENVS INVISVM. Propter Dardanum Electræ pellicis filium, à quo origo Trojana est. RAPTI. Stuprati, corrupti, ut est, *Rapta Garamantyde Nympha. Et raptas sine more Sabinas.* Vel Rapta raptoris mortem vel nuptias optet, vel certe quod ad cælum raptus sit à Iove per aquilam. Vt, *Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.* GANYMEDIS HONORES. Trois, regis Trojanorum filii. HONORES autem dixit, vel propter ministerium poculorum, ad quod receptus est, remota Hebe filia Iunonis, quæ Iovi bibere ministrabat. vel ob hoc, quod inter syder. collocatus, aquarii nomen accepit. Ergo irascitur Iuno quod non ob hoc tantum raptus sit, ut divinos honores consequeretur, ut pocula ministraret, sed quod violatus sit ut divinos honores consequeretur, aut honores propter formam, ut, *Et lætos oculis afflarat honores.* Sane hic Ganymedes Latine Catamitus dicitur: Licet Theodatus, qui Iliacas res perscripsit, hunc fuisse Belim dicat & Laomedonti prædixisse, tum perituram & civitatem & regnum Trojanorum, cum de monte Meotio sponte fuisset saxum delapsum, quod cum evenisset postea Ilium est direptum.

HIS ACCENSA SVPER &c. Super his, aut super metum quem de Carthagine habuit, his quoque accensa.

TROAS. Bona œconomia ostendit totum genus Trojanorum invisum fuisse Iunoni, quia illaturus est, Minervam ob unius hominis delictum, etiam eos quos amaverat perdidisse. RELLIQVIAS. Vt stet versus geminavit L. Nam in prosa reliquias dicimus. Relliquias autem Danaum dupliciter, & à Trojanis, & a Græcis dici possunt, ut, *Et nostro sequitur de vulnere sanguis.* ATQVE IMMITIS ACHILLI. Bene secundum Homerum segregavit ducem à populo. sic Æneas in secundo post omnium casum, Priami separavit interitum. ut, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.* Immitem autem dixit etiam circa extinctum Hectorem crudelem. Aut ideo intulit Achillem præcipue, quod Æneas cum Achille congressus sit, & ut in 5. ait, Neptuni beneficio liberatus. Sane Achilli, propter ὁμοιοτέλευτον detraxit litteram, quæ plerunque pro sibilo habetur; non solum necessitatis, sed etiam euphoniæ caussa. Nam alibi ipse ait, *Nec equis aspirat Achillis*, ut Salustius, *A principio urbis, ad bellum Persi Macedonicum.* detrahitur autem s, tertiæ declinationis genitivo. Sane apud Sygeum Achillis statua fuisse dicitur, quæ in ima, id est extima auris parte elenchum more fæmineo habuerit. Hic apud Cretam insulam Pemptus vocatus est, ut veteres authores tradunt.

ARCEBAT. Prohibebat. aliquando significat, & continet. Ennius, *Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet.* id est continet.

ACTI FATIS. Si fatis, nulla Iunonis invidia est, si odio Iunonis, quomodo acti fatis? Sed hoc ipsum Iunonis odium fatale est. laborat enim Virgilius, nil Trojanorum meritis, sed omnia fatis ascribere. Est & alter sensus: nam *fatum* voluntatem legimus. ut, *fatis Iunonis iniquæ*, id est voluntate. ut hic intelligamus agebantur fatis Iunonis id est voluntate. Vel *fatis* pro malis; ut, *Nate Iliacis exercite fatis.* MARIA OMNIA CIRCVM. In fine accentum ponimus contra morem Latinum: sed corruptio hoc facit. namque præpositio postposita, corrupta est sine dubio.

MOLIS. Difficultatis. In sequentibus proprie, *Miratur molem Æneas magalia quondam.* ROMANAM CONDERE GENTEM. Latenter ostendit hinc odium Iunonis Æneam pertulisse, quod Romanæ gentis author existebat.

DONATI.

HIS ACCENSA SVPER. id est, super illam, quæ fuit ob excidium Carthaginis. IACTATOS ÆQVORE. hæc omnia ad exprimendam Iunonis iniquitatem pertinent, ut ostendat excidium Carthaginis solam causam fuisse, ne ipsa misereretur, nec desereret intentionem suam: quæ cognoscens, non posse expugnare fata, cupiebat saltem illos arcere, quos ad plenum superare non poterat. Non miserebatur igitur, ut jactatos toto æquore, & eos qui ex infinito numero ad paucos redacti essent, quos è manibus sævissimorum hostium fortuna servaverat, insidiis assiduis obtereret.

RELIQVIAS DANAVM. Magna crudelitas quę nullis cladibus satiari poterat. Laus autem Æneæ magna, quod de solis reliquiis Trojanorum, imperium Romanum condere potuerit. Ergo ni fata obstitissent, patriam integris opibus defendisset, cum in aliena terra imperium condiderit.

ACTI FATIS. Id est, ipsi qui fatis agebantur, in Italia errabant Iunonis inimicitiis.

TANTÆ MOLIS. Non fiunt sine magno labore magna. Laudatur autem Æneas, qui nullo labore, nulla diuturnitate erroris, desistebat ab incepto.

VARIORVM.

GANYMEDIS HONORES. Macrob. lib. 5. cap. 16. HART.

TANTÆ MOLIS ERAT, &c. Epiphonema constans ecphonesi, in difficultatem condendi primordia populi Rom. Vid. Rhodigin. lib. 23. cap. 7. Scalig. lib. 3. 26. notat ejusmodi Epiphonemata, maximam præ se ferre efficaciam. TAVBMAN.

Vix

Digitized by Google

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:
Cum Iuno æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam!
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem!

SERVII.

VIX. Hoc loco mox & statim significat. E CONSPECTV. Vt adhuc de Sicilia possint videri. & ut Homerus omisit initia belli Trojani, sic hic non ab initio cæpit erroris.

LÆTI. vel alacres, vel veloces. ut, *Et lætus Eois Eurus equis*, vel festinantes; ut, *Et virgea lætus Pabula*, & alibi, *Et armari pubem portisque moveri Lætus in arma jube*, id est festina cum intentione. Vel re vera læti: quamquam incongruum sit, post Anchisæ mortem. sed & interitus senum minus doletur, & magis lætos intelligendum est, ut sit caussa majoris iracundiæ. sic enim & in septimo irascitur; ubi *lætum Æneam Siculo prospexit ab usque Pachynno.* vel Læti, ἀσθμαίνοντες. ut *Omnisque juventus Læta f.* SALIS. Maris, secundum Homerum. Salem autem quo utimur, singulari numero tantum dicimus: quum jocos significamus, pluralem numerum tantum ponimus, ut Lucanus. *Non soliti lusere sales.* Aliquando urbanitatem singulari numero tantum dicimus: Vt Terentius, *Qui habet salem, quod in te est*, id est quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutri: & neutra triptota sunt, nec ab hoc accusativo nominativus esse potest hoc sale.

SVB PECTORE, pro in pectore. VVLNVS. De præterito dolorem dixit: de futuro metum. Ad utrumque VVLNVS retulit.

HÆC SECVM. Subaudimus locuta est, deest enim hoc. Et hoc fictum est, ut superius diximus. unde enim hoc sciret poëta? Bene autem impatientiam doloris ostendit detrahendo ei solatia. Quia vehementer affectus est sine conscio, ut, *Et casum insontis mecum indignabar amici. Et crudelia secum fata Lyci.* Et in quarto solam inducit Didonem, *En quid ago?* è contrario *Quis cum partiri curas.* MENE, Ne, non vacat: significat autem ergo, & est conjunctio rationalis. INCEPTO DESISTERE. Tolerabilius enim non inchoare, quam incepta deserere. Vt Terentius; *Verum si incipias, neque pertendas naviter.* Et MENE sic habet Emphasim, ut, *Ast ego quæ divum incedo regina.* VICTAM. ut in VII. *vincor ab Ænea*, Et victam se pronuntiat, velut victam; alii iratam tradunt.

NEC POSSE ITALIA TEVCRORVM AVERTERE REGEM. Et detraxit more suo præpositionem provinciæ. Non enim dixit, de Italia, sed Italia.

TEVCRORVM. Quia Teucer & Scamandrus Creta profecti Trojam venerunt, qui à Dardano hospitio accepti de advenis cives facti, quia Batiam Teucri filiam Dardanus sibi junxit, & populares suos socero cognomines fecit.

AVERTERE. Id est perpetuum regem; hoc est nihil amisit, rex est, & mire Æneam noluit nominare. Honorantur enim minores à majoribus si suo nomine fuerint nominati. ut, *Æole namque tibi.* contra contumelia est, si majores à minoribus suo nomine nominentur; ut, *Iunonis gravis ira*, Et, *Pacem te poscimus omnes Turne*, non enim dixit Trojanos, sed unum hominem Trojanum.

DONATI.

VIX E CONSPECTV. A septimo anno incipit narrationem: ut priora reservet ad convivium Didonis.

VELA DABANT LÆTI. Vtrunque temperat. Nam læti erant quod essent propinqui Italiæ: Sed morte Anchisæ, contristati vix erant læti.

CVM IVNO ÆTER. SERVANS. Advertens Iuno Trojanos de proximitate Italiæ laborare, recrudescebat vulnus. Et exclusa ab inventione nocendi, & à loco & tempore, sic suos dolores intimis sensibus enumerat: *Mene.* componit summa arte quales habere debuerit cogitationes, carens inventione ad nocendum: & inducto qualitatis statu per exempla aliena inventa consilia enumerat. Et comparat personam suam cum persona Minervæ, & Trojanorum, & Græcorum, & inimicitiarum caussas.

MENE. Emphasim habet pronomen, & magnum dicendi pondus, quod infra aperuit, cum dicit: *Ast ego quæ divum incedo regina, Iovisque Et soror & conjux.* INCEPTO DESISTERE VICTAM. Incepta sunt animorum destinationes. Salust. *Nam talia incepta non consultorem vertissent rerum pestem factura.* Dolet igitur intentionem suam sine effectu defecisse, nec superesse nocendi consilium, vel tempus. Et quia bonorum est, incepta deserere, si aut prece flectantur, aut sponte ignoscant; ostendit utranque occasionem perdidisse, & incidisse in ludibrium; ut scilicet superata discederet.

REGEM. id est, si perdere non potui, debui superare Teucrorum regem. ITALIA. id est, ab Italia. Sic alibi, *bellum ingens gerat Italia*: ergo si non poterat perdere, saltem disjungere ab Italia: & si omnes non perirent, saltem id obtineret juxta unum Æneam, cujus stirpi deberi sciebat imperium Ro.

VARIORVM.

VIX E CONSPECTV. Ianua narrationis, quam ducit à catastrophe errorum Æneæ: idque exemplo Homeri, qui eam legem primus poëtis tulit: quamque Aristoteles in Poëtic. tenendam censuit. Atque hanc OEconomiam luculenter Horat. in arte poët. commendat. Macrob. lib. 5. cap. 2. HARTVNG.

SPVMAS SALIS ÆRE RVEBANT. Hoc de rostratis navibus Turnebus intellexit; & mare rostra navium, quæ ærata erant, secabant; unde, *Quot prius ærata steterant ad littora proræ.* à Marone dictum. GERMAN.

ÆRE RVEBANT. Laz. Baysius in libell. de re navali; & Ianus Parrhasius in Claudian. HART.

Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
Ipsa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem,

SERVII.

QVIPPE VETOR FATIS. Re vera inquit fata me prohibent. ergo Iuno ignorat vim fatorum. Sed hoc non possumus dicere, quia superius lectum est, *Si qua fata sinant.* Et, *Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci Audierat.* Hoc ergo est, omnes res hominum aut ex nostra voluntate descendunt, ut puta sedere, surgere: aut ex fati necessitate, ut puta nasci, mori: aut ex deorum voluntate, ut puta navigare, vel honoribus frui. Nunc de navigatione agitur: & bene invidiose, quasi etiam hujus rei potestatem ei possint fata detrahere. Est & alter latens sensus, ut speret se regina contra exulum fata posse aliquid, si Minerva numen inferius valuit contra fata victorum.

PALLASNE. Minerva ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est ab hastæ concussione: vel quod Pallantem Giganta occiderit. Sane oportune hic Ajacis naufragium ad exemplum adfert. *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.* NE autem Conjunctio expletiva videtur an aliter? EXVRERE. Exuri dicitur, de quo nihil superest, ut, *quid memorem exustas Erycino in litore classes.* CLASSEM. Ad invidiam posuit, ut pro una navi classem dicat. sic Venus, *Navibus infandum amissis:* quum Orontes solus perisset. aut re vera unam navem significat, ut Horat. *Me vel extremos Numidarum in agros classe releget.* Classis enim dicta est ἀπὸ τῶν κάλων, id est à lignis. unde & calones dicuntur milites, qui ligna deportant, & καλοπόδια.

ARGIVVM. Quasi & illud contra fata. Et Argivum pro Argivorum, videtur accusativi singularis species pro genitivo plurali. Et bene Argivum quos ipsa Iuno amat, ut supra, *Pro charis gesserat Argis.* POTVIT. Ad illud refertur quod superius dixit, *Nec posse Italia Teucr.* Et invidiose potentiam Minervæ exaggerat, quæ uno tempore potuit & exurere & submergere.

VNIVS OB NOXAM. In istis sermonibus unius, illius, ipsius, media syllaba naturaliter producitur: sed cum opus est corripitur hac excusatione. nam quotiens vocalem longam vocalis sequitur, priori vires detrahit, ut est, *Insulæ Ionio in magno.* Et, *Sub Ilio alto.* Et ob hoc mutat accentum. in Latino enim sermone cum penultima corripitur, antepenultima habet accentum, ut hoc loco, VNIVS OB NOXAM. Et contra, *Navibus infandum amissis unius ob iram Prodimur.*

NOXAM. Pro noxiam. Et hoc interest inter noxam & noxiam; quod noxia culpa est, id est peccatum: Noxa autem pœna. Quidam noxa quæ nocuit, noxia id quod nocitum accipiunt. Sane latenter tangit Historiam. dicitur Minerva tantum ob vitiatam Cassandram in templo suo, solius Ajacis pœna non fuisse contenta, ut postea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam jusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti; & quod est *amplius*, de ea tribu, de qua Ajax fuerat; sicut *Annens Placidus* refert. ET FVRIAS. Amorem. ut in Bucolicis, *Seu quicunque furor.* Alii sic accipiunt quod illum in furore deliquisse dicat, Trojanos scientes. OILEI. Oilei non vacat. Nam & duo Ajaces fuerunt: & ambo furierunt. Sed ira armorum Telamonius, hic amore quo Cassandram in templo Minervæ capto Ilio stupravit. Et est Græca figura si dicamus Æneas Anchisæ, & subaudiamus filius. Hac autem figura utimur circa patres, & maritos tantum. ut Virgilius, *Deiphobe Glauci*, id est filia. Hectoris Andromache, id est uxor. Sane hic Ajax Oilei *filius*. à multis historicis Græcis, tertiam manum dicitur post tergum habuisse; quod ideo est fictum, quia sic celeriter utebatur in prælio manibus, ut tertiam habere putaretur.

IPSA. Bene ipsa: dulcis est enim propria manu quæsita vindicta. Vnde plus dolet Iuno alienis se viribus niti, ut Æoli: vel inferorum, sicut ipsa, *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* RAPIDVM. Velocem. ut est, Quum rapidus Sol nondum hyemem contingit equis, Iam præterit æstas. Item, *Rapidive potentia Solis.* Sed cum Varro Divinatum V. quatuor Diis fulmina adsignet, inter quod & Minervæ, quæritur cur Minerva Iovis fulmen miserit? Antiqui Iovis solius putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Hetrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt. ita, ut Iovis, Iunonis, Minervæ, sic quoque aliorum. nam de Iunonis fulmine Accius ait, *Præfervido fulgore ardor invectus Iunonis dextra ingentis incidit.* Quare non posuit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt habere quidem Minervam, ut Iovem & Iunonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi usa esset Iovis fulmine: unde merito queritur Iuno, Minervam, cum de numero minorum sit qui fulmen habeant, usam tamen Iovis fulmine.

IACVLATA. In libris Ethruscorum lectum est, jactus, fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentia fulminum jactus. Inter quos etiam Minerva est, sicut supra dictum est, cavendum ergo ne confusione hoc aliis numinibus demus: ET IACVLATA pro jaculans, participium passivum, pro activo posuit. E NVBIBVS. Secundum physicos, qui dicunt collisione nubium fulmen creari. Et indignatur Iuno, quod cum nubes suæ sint, pariter eis Minerva, ac Iovis fulmine usa sit, cum sibi neutrum possit.

DONATI.

QVIPPE VETOR FATIS. Ergo magis debuit vetari Minerva, fatis Græcorum. PALLASNE. Quæ non esset tanti meriti, aut potestatis. EXVRERE CLASSEM. Comparatio pœnarum. Minerva potuit naves Græcorum, & ipsos exurere; ego unum ab Italia arcere non potui. EXVRERE. urere est aliquid lædere incendio: exurere est penitus abolere incendio. Confirmat autem poëta soli Æneæ deberi imperium, cum de ipso solo laboret Iuno.

Dis-

Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ divum incedo regina, Iovisque
Et soror & conjux, una cum gente tot annos

SERVII.

DISIECITQVE. Quidam volunt fulminum genera quatuor esse. Vnum quod dicitur disjiciens, idemque fragosum, alterum transfigens, tertium corripiens, quartum infigens. quas omnes species more suo in unius fulguris descriptione attigit, dicens primum, DISIECITQVE RATES. Secundum, ILLVM EXPIRANTEM. tertium, TVRBINE CORRIPVIT. quartum, SCOPVLOQVE INFIXIT ACVTO. RATES. Abusive, naves: nam proprie rates sunt connexæ invicem trabes. Varro ad Ciceronem, *Ratis, dicta navis longa propter remos. quod hi supra aquam sublati dextra & sinistra duas rates efficere videntur.* Ratis enim unde hoc translatum, ubi plures mali vel trabes juncti aqua ducuntur. Hinc naviculæ cum remis ratianiæ dicuntur.

ILLVM. Authorem scilicet criminis. EXPIRANTEM FLAMMAS. Non animam dicit flammas, sed cum anima fulminis flammas vomentem. Et ut superius pleno nomini adjecit *opum*, id est *dives opum*: sic hic verbo. cum enim plenum sit EXPIRAT, addidit FLAMMAS. ut alio loco, ANIMAS. ut, *Confixi expirant animas*: alii expirantem anhelantem accipiunt. Probus & tempore legit, ut ipse *Liquefacto tempora plumbo.* Sed qui legunt pectore, de Accio translatum affirmant, qui ait in Clytemnestra de Ajace. *In pectore fulmen inchoatum, flammam ostentabat Iovis.* Qui tempore legunt de typica historia tractum dicunt. Nam Ardeæ in templo Castoris & Pollucis in Læva intrantibus post fores Capaneos pictus est, fulmen per utraque tempora trajectus, & singulare nomen pro plurali. Totius autem Italiæ curiosissimum fuisse Virgilium, multifariam apparet.

TVRBINE. Volubilitate ventorum. SCOPVLO. Saxo eminenti. Scopulus autem à speculando dictus: aut à tegumento navium, ἀπὸ τῆ σκεπάζειν. Contigerunt autem ista circa Caphareum montem Euboeæ. INFIXIT. Cornutus ait, inflixit verius, ut sit vehementius.

AST EGO. Nunc comparat singula. Et ne leve esset quod dixerat, EGO, addidit. DIVVM REGINA. DIVVM, Pro Divorum. sic Salust. *Vos autem*, hoc est populus Romanus. DIVVM pro Divorum, sicut Argivum. INCEDO. Incedere proprie est nobilium personarum. Hoc est cum aliqua dignitate ambulare: ut 1. Æn. *Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit.* Et, *aut jaculo incedit melior.* Sallustius, *Incedunt per ora vestra magnifici.*

IOVISQVE ET SOROR ET CONIVX. Physici Iovem ætherem, id est ignem volunt intelligi; Iunonem vero aërem, & quoniam tenuitate paria sunt, dixerunt esse germana. Sed quoniam Iuno hoc est aër, subjectus est igni; Id est jure superposito elemento mariti * traditum est. Iovem autem à juvando dixerunt. nulla enim res sic fovet omnia quomodo calor. TOT ANNOS. Pro tot annis. Licenter in istis locutionibus, & accusativo utimur & ablativo. Dicimus enim & tota nocte legi: & totam noctem legi. Honestior tamen elocutio est per accusativum. Sane tot annos continuationem significat, tot annis intervallum.

DONATI.

DISIECITQVE RATES. Ne si alicui contigisset evadere, haberet navigandi subsidium. Evertitque æquora ventis. Alieno usa est imperio. Nam Iovis fulmen arripuit, & Neptuni imperium. Habuit enim potestatem in ventos, qui alieno subjecti sunt imperio.

ILLVM. Emphasim pronomen habet: quasi temerarium, inconsideratum, sacrilegum, prophanum, qui in templo deæ virginis ante aras in conspectu numinis, regiam sacerdotem intactam violavit.

ILLVM EXPIRANTEM. Illa propter unum, plurimos perdidit: ego à plurimis offensa, unum ab Italia arcere non possum. Et quod auget dolorem, ostendit Minervam minorem deam Iovis fulmine uti potuisse: & in pœna delicti defendit authorem. Si ergo ille iniuste gravissimum pertulit supplicium, multo magis ejus socii. Defendit autem culpam in amorem rejiciens, & utitur veniali statu. Factum enim quod manifestum est non purgatur, nisi dicatur, non erat suæ mentis, nec sui consilii Ajax, sed furore amoris trahebatur. Nam quicquid fit per Pathos, non ascribitur homini.

PECTORE. Quo vulnus omnino letale esset.

TVRBINE CORRIPVIT. Nam aliter infigi non poterat, & ostendit vim iræ in tanto impulsu.

INFIXIT SCOPVLO. ne ad littus deveniens saltem sepulturam acquireret.

AST EGO QVÆ DIVVM INCEDO REG. ET C. Declarat quid sit illud: *Ast ego*, scilicet quę omni genere rerum Minervam supero. Sum enim regina: sum soror & coniunx Iovis. Vnde deberem ab eo qui frater est & maritus omnia impetrare. *Vna cum gente tot annos bella gero*, cum Minerva uno ictu potuerit.

VARIORVM.

AST EGO QVÆ DIVVM INCEDO REGINA. Proprie autem dixit, *Incedo*: judicabant enim veteres Iunonem insigni quadam majestate incessus procedere. Hinc & Athenæus, ἡραῖον βαδίζει, id est *Iunonio incessu ambulat*, pro gravitate quadam & magnificentia incessus dixit. ut & Propert. l. 2. *incedit vel Iove digna soror.* TVRNEB. l. 13. c. 16.

ET SOROR ET CONIVX. Macrob. lib. 1. c. 17. HARTVNG.

Digitized by Google

Bella gero. & quisquam numen Iunonis adoret
Praterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctanteis ventos, tempestatesque sonoras

S E R V I I.

ET QVISQVAM. Non Trojanorum, sed omnium generaliter. IVNONIS, pro meum, nomen pro pronomine.

PRÆTEREA. Postea. ut, *Preterea vidit nec portitor orci Amplius objectam passus transire paludem.*

SVPPLEX ARIS IMPONAT. Breviter utrumque dixit, aut enim suscipiuntur vota precibus, aut honore redduntur, & ostendere vult, non solum non sibi supplicandum, sed nec simplici veneratione dignam futuram.

TALIA FLAMMATO. Quod superius intermiserat, nunc reddit. nam dixerat superius. HÆC SECVM: & modo, secum VOLVTANS, id est cogitans. Multi sane talia volutans, talia revolutans accipiunt.

NIMBORVM. Nimbi enim ventos significant: plerunque nubes vel pluvias. ergo prout locus fuerit, intelligamus. Proprie tamen nimbi dicuntur repentinæ & præcipites pluviæ; nam pluvias vocamus lentas & juges. Et figurate PATRIAM LOCA, unum enim varietas ipsa significat. LOCA FOETA. Nunc plena, veluti est, *Fœta armis.* Sciendum est etiam fœtam dici & gravidam, & partu liberatam. ut, *Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro.* Enixam eam fuisse, lac quod pueris præbebatur, ostendit. Item fœtam, gravidam; ut est, *Non insueta graves tentabunt pabula fœtas.* Ergo quia fœta medius sermo est, bene hoc loco epitheta duo discrevit dicens, *Graves fœtas*: ut bonum facinus, & malum facinus dicimus, & bonum venenum & malum venenum. AVSTRIS. Figura est celebrata apud Virgilium: & est species pro genere. Legerat apud Ennium, FVRENTIBVS VENTIS. sed quasi asperum fugit, & posuit AVSTRIS, pro ventis.

ÆOLIAM VENIT. ut Italiam fato. *Pro in Æoliam.* Novem autem insulæ quæ sunt circa fretum Siciliæ vocantur Æoliæ ab Æolo rege Siciliæ, licet propria nomina habeant. unde Virgilius ait, Æoliam Liparem. Poëtæ quidem fingunt hunc regem esse ventorum, Ippotæ sive Iovis sive Neptuni filium, qui cum immineret bellum, quo Tyrrenus Lypari frater, Peloponessum vastare proposuisset, missus ab Agamemnone ut freta tueretur, pervenit ad Lyparum, qui supra dictas insulas regebat imperio; factaque amicitia, Cyanam filiam ejus in matrimonium sumpsit, & Strongulam insulam, in qua maneret accepit. Varro autem dicit hunc insularum regem fuisse, ex quarum nebulis & fumo Vulcaniæ insulæ prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinere. ÆOLIAM VENIT. In Æoliam detraxit. HIC. Illic, ut superius, *Hic illius arma, hic currus fuit.*

VASTO ANTRO. Physica ratione hoc fingit poëta. naturale enim est ut loca concava plena sint ventis. Sane *vasto* pro desolato veteres ponebant, Ennius Isigenia: *Quæ nunc abs te vidua & vasta virgines sunt.* Ponebant & pro magno Clodius commentariorum *vasta, inania, magna.*

LVCTANTEIS. Elaborantes egredi, vel inter se sævientes. SONORAS. Graves sonis. Et est tempestatis epitheton. Ordo autem talis est, Æolus ventos & tempestates sonoras vasto antro premit. Quidam sonoras semper strepentes tradunt; ut, *fluminibusque sonoris*, nam *sonorum* est quidquid sine intermissione sonum servat; *sonans* vero quod ad tempus auditur. Male autem quidam accipiunt *sonoras* pro *sonantes*, cum sit proprium *sonoras*, ut ἠχήεσσα τε ἠχήεντα. Aliud enim est ἠχοῦντα & sonantes.

D O N A T I.

PRÆTERREA. In medio posuit, & bis est repetendum.

FLAMMATO. superius dicit accensa: sed plus est flammato pectore, ut ostendat quantum accreverit ira, ex comparatione Minervæ. Nocendi autem consilium, de Minervæ exemplo cœpit; præsertim cum Trojanos videret navigantes.

Nimborum in patriam. Habet rationem personæ, non reginæ, sed iratæ, quæ occasionem nolit omittere loci & temporis. Nam si rationem reginæ haberet, mitteret aliquem qui Æolo juberet. Sed quia mandata, nisi ipsa adesset, poterant aut negligentius agi, aut differri, & sic præteriret nocendi occasio, omisit personam reginæ. Et sic monet poëta per nos ipsos agendum quod rectius curari volumus, & inferiori personæ exhibendum honorem, si illa indigemus. Nam gratatur sibi à potiore esse delatum. Cætera significant ventos cavis terræ oriri.

V A R I O R V M.

PRÆTERREA. His locus descriptus est è 4. Iliad. Homeri. Cæterum maximopere præstat, hic etiam cognoscere, quæ Iul. Scaliger, de tota hac oratione commentatus est. lib. 3. c. 23.

ARIS IMPONAT HONOREM. Victimam, sacrificium. Illud observandum, voce hac *honorem*, frequenter usum fuisse, ad augendam dictionis majestatem, ut hic. Item alibi, *Divum templis indicit honorem.* PONTAN.

NIMBORVM IN PATRIAM. Homerus Odyss. κ. in principio. Ovid. lib. 11. & 14. HART.

ÆOLIAM VENIT. De insulis Æoliis, & imperio Æoli, vide si placet Dionysium in descript. orbis. Etiam Diodor. lib. 5. cap. 3. & Strabon. lib. 6. & Gyraldum Syntagm. 5. PONTANVS.

Impe-

Digitized by Google

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. celsa sedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat: maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemque & montes insuper altos
Imposuit; regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

SERVII.

AC VINCLIS ET. Translatio est per poëticam licentiam facta. Carcer autem est undecunque prohibemur exire, dictus quasi arcer ab arcendo. Locum autem in quo servantur noxii, carcerem dicimus numero tantum singulari: unde vero erumpunt quadrigæ, carceres dicimus numero tantum plurali: licet plerunque usurpet poëta, ut est, *Ruuntque effusi carcere currus*. alii vinclis carceris tradunt. ut, *Quam ferro excisam crebrisque bipennibus instant*.

ILLI INDIGNANTES. Hic aperte ostendit quid sit luctantes. MAGNO CUM MURMURE MONTIS. Non circum montis claustra, sed cum magno montis murmure fremebant. & est major sensus; sic fremebant, ut etiam antra possent sonare. Sic dixit Pacuvius *Murmur maris*, quia ventos murmur sequitur, ut ipse alibi, *Magno misceri murmure Pontum*. CUM MURMURE. Fremebant, quod ventos murmur sequitur, nam & murmur maris dicitur.

CIRCUM FREMUNT. Quidam hoc loco fremunt, id est imperia recusant intelligunt, ut à Coss. in Annalium Secundo, &c. *Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia cœpisset*, id est recusare. Ita & hic ostendit ventos imperia recusantes. Nonnunquam *fremere*, velle significat, ut, *arma amens fremit*. CELSA ARCE. Secundum quod superius diximus. Venti enim melius deprehenduntur ex alto. SEDET. Non otiatur, sed curat. SEDET enim apud Antiquos, considerat significabat. ut est, *ipse Turnus sacrata valle sedebat*.

MOLLITQUE ANIMOS. Id est Ventos καὶ τὰ ἀνέμων. veluti est, *Quantum ignes animæque valent*. & Horatius, *Impellunt animæ lintea Thraciæ*. MOLLIT autem ideo dixit, ut per transitum ostenderet, & vitia naturæ nulla ratione mutari, sed mitigari aliquatenus posse.

MARIA AC TERRAS COELUMQUE PROFUNDUM. Atqui quatuor elementa sunt: terra, aqua, aër, æther. Sed hoc loco rite prætermisit ætherem: quia venti non turbant superiora, ut ait Lucanus. *Pacem summa tenent*. sed aut terras, aut maria, aut aërem. Nam COELUM hoc loco pro aëre posuit. ut Lucretius, *In hoc cœlo qui dicitur* AER. Profundum autem & sublime dicitur, & in p. ut supremum altum. *Pro supreme Iupiter*, postremum potest & ad maria & ad terras referri; quidam *profundum*, in profundum accipiunt; alii pro funditus: & sicut hic profundum in altitudinem, sic alibi fastigia de infima parte: *Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras*.

FERANT. Auferant. Et est aphæresis. RAPIDI. Veloces, ut supra. VERRANTQUE. Verrere est trahere: à rete, quod everriculum dicitur. Est autem principalitas verbi verro verris, præteritum versi: unde est participium versus, hinc alibi, *Et versa pulvis inscribitur hasta*, id est tracta. Sed archaismos, nam nostra omnis vis in animo & corpore sita est.

SPELUNCIS ATRIS. Vel tenebrosis, vel magnis.

HOC METUENS. Providens, cavens aut timens. Ergo Iuppiter timet: non sibi, sed elementis; ne turbentur eruptione ventorum. ut si bellorum tempore dicas virum fortem timere, non sibi, sed liberis suis.

MOLEMQUE ET MONTES. Id est molem montis. Et est figura endyadis, cum una res in duas dividitur, metri causa interposita conjunctione. ut alio loco, *Pateris libamus et auro*: id est pateris aureis.

FOEDERE. Modo lege: alias pace, quod fit inter dimicantes. FOEDUS autem dictum vel à fœcialibus, qui olim fœdales dicebantur, id est sacerdotes, per quos fiunt fœdera: vel à porca fœde, hoc est lapidibus cæsa. ut ipse: *Et cæsa jungebant fœdera porca*.

ET PREMERE ET LAXAS SCIRET DARE, &c. Permansit in translatione. *ut vinclis & carcere frenat*. Jussus autem ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc, & major est omnibus diis: si ad ejus voluntatem possint elementa confundi, ut ipse Æolus, *Mihi jussa capescere fas est*. Simul ventorum ostenditur vis, quibus parum fuit superponi montem, nisi & regem acciperent, qui ipse quoque alieno pareret imperio. Alii IUSSUS ita intelligunt, non cum juberetur, tunc hoc faceret, alioquin Iunoni obsequi non posset; sed ita administrare, ut etiam jussus erat secundum desiderium temporum.

VARIORUM.

IMPERIO PREMIT, AC VINCLIS, &c. De duplici ventorum origine, vide quæ scribuntur à Nannio lib. 7. cap. 1.

IMPERIO PREMIT. Homerus Odyss. κ. ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κ' ἐθέλῃσι. HARUNC

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Æole (namque tibi divûm pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,

SERVII.

ADQVEM. Apud quem. ÆOLE. Rhetoricum est in omni petitione hoc observare. ut possit præstare qui petitur; ut sit petitio justa, nec plus aut minus quam debeat petat; ut sit possibilitas; ut res justa sit quæ petitur: ut habeat modum petitio; ut sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Virgilium, ut in hoc loco possibilitas est, *Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.* Iusta petitio est, *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.* Omne enim quod contra inimicos petimus, justum est. Modus est petitionis, *Incute vim ventis, Et disjice corpora ponto.* Remuneratio. *Sunt mihi bis septem præstanti. Æole incute vim ventis.* Ordo ipse est, & est figura parenthesis.

Inter parenthesin & eclipsim hoc interest; quod parenthesis est quotiens remota de medio sententia integer perdurat sermo. Plenum namque est, *Æole incute vim ventis.* Item, *Æneas rapidum ad naves præmittit Achatem.* Eclipsis autem est quotiens remotis interpositis, deest aliquid; ut est, *Quos ego?* deest enim affligam.

ÆOLE. Sane Antiqui quotiens à minoribus beneficium petebant, à nomine incipiebant, & erat honoratius si nomen ipsius ante præferrent. DIVVM PATER ATQVE HOMINVM REX. Iupiter, & est Periphrasis, id est circumlocutio. *Pater* autem Virgilio ad eminentiam ponitur; ut, *pater Æneas, & pater Apenninus.*

ET MVLCERE DEDIT FLVCTVS ET TOLLERE VENTO. Aliud pendet ex alio: Nam qui potest mulcere, potest & tollere id est erigere in tempestatem: mulcere autem *delinire.* Hinc mulsum quod dulcedine animos nostros permulceat; alii *mulcere*, mitigare, mollire vel fovere.

GENS. Sermo hic, & nationem significat, & familiam; sed nunc ad utrunque potest referri. nam aut ad familiam Æneæ, aut ad Trojanam gentem refertur. TYRRHENVM. Tyrrhenum mare dictum est, vel quod Tusciam alluit, id est Tyrrh[illegible]m. Tyrrhenus enim cum fratre Lydo regnum ea [illegible]lgentia tenuit, ut ingens frequentia populi his contingeret, quæ causa summam rerum fecit inopiam, nullo patriam relinquente, aut volente peregrinari, quia tanta bonitas erat in regibus; consilium igitur habuerunt ut partiti turbam quam alere non poterant, alternis diebus abstinerent à cibis, lusibusque vacarent, atque ha[illegible]civia excogitaverunt, talorum tesserarumque jact[illegible]ilæque lusum, & tibiæ modulationem, & concentum symphoniæ tubarumque, quibus advocati cives, facilius tolerarent jejunium. Novissime tamen quia vincebat necessitas, nec ulla consilia famem relevarent: sortiti sunt uter ex fratribus cum parte populi abiret, in quas sors terras dedisset: cum Tyrrhenus sorte jussus discederet, in mari, quod Tyrrhenum ab eo vocatur, periit. Cujus filius Tuscus cum populo evasit in regionem Tusciam, quæ ab eo nomen accepit. Vel certe à Tyrrhenis nautis, qui se in hoc mare præcipitaverunt. Namque hoc habet fabula: Dormientem in litore Liberum patrem puerum, nautas abstulisse Tyrrhenos, qui quum esset expertectus in navi, quo duceretur interrogavit; responderunt illi, quo vellet. Liber ait, Ad Naxum insulam sibi sacratam. At illi cæperunt alio vela deflectere, quamobrem iratum numen Tigres sibi sacratas jussit videri, quo terrore se illi præcipites dantes, mari nomen dederunt. Alii dicunt quod stuprum Libero patri inferre temptaverint, ac propterea hoc pertulerint.

MIHI NAVIGAT. Id est in meum dolorem. NAVIGAT ÆQVOR. Figura Græca est. Nos enim dicimus, per æquor navigat. Similiter etiam alio loco, *Terram, mare, sydera juro*: cum Latinitas exigat, ut addatur præpositio *per*. Et non vacat, quod TYRRHENVM addidit; videtur enim dicere jam eis Italiam esse vicinam.

DONATI.

SVPPLEX. Non quia supplicantis verba sit locuta, sed quia venit.

ÆOLE. omnia in hac oratione sociata sunt summo artificio. Incipit à nomine, quod nec Iunonem humilem facit, & Æolo gratum est. Ostendit enim se illi benevolam cum norit nomen. Et ipse lætatur se potiori notum, perindeque acceptum atque charum. Ergo captat benevolentiam Iuno: Facit item attentum, cum idem conjiciat Æolus officium suum Iunoni esse necessarium, cum subtiliter intellexisset, habere in ventos plenissimam potestatem. DIVVM PATER. Ne arrogantem faceret Iunonem, si dixisset maritus & frater, ut supra, cum locuta est secum: ergo hic satius fuit id intelligi posse, quam dici. Ne autem prolixior esset futura oratio; ipsa occulte sibi præponit, quam excusationis causam potuisset Æolus opponere, & illis respondet ne ulterius accedi possit, & ne negaret Æolus ventos esse in potestate sua, prævenit ostendens plenam illum à Iove in eos habere potestatem.

GENS INIM. Hic non nominavit Æneam, ne responderet Æolus, non audeo in nepotem Iovis, à quo imperium sumpsi. Speciale igitur subtraxit, generale posuit. INIMICA. non dicit se genti inimicam, sed gentem sibi, quasi inferiores potiorem provocent. quæ res etiam Æolo indignationem movet, ut Iunoni auxilietur. MIHI. reginæ & Iovis sorori & conjugi, quod ne arrogans videretur, subtraxit. TYRRHENVM. quod facilius concitatur & Italiæ vicinius est.

VARIORVM.

ÆOLE NAMQVE TIBI. Erasmus in lib. Conscribendarum Epist. hujus orationis diligens interpres. H.

DIVVM PATER ATQVE &c. Homerus Odyss. α. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Macrob. lib 5. cap. 4. H.

Ilium

Ilium in Italiam portans, victosque penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes,
Aut age diversas, & disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopejam

SERVII.

ILIUM IN ITALIAM PORTANS. Id est res Ilienses. Et invidiose dicit Ilium, quasi ipsam cernat civitatem, quum Trojanos aspexerit. Et bene *Ilium*, hoc est quam fata stare noluerint. VICTOSQUE PENATES. A Græcis. Tacite occurrit quæstioni, portat quidem & deos: sed *victos*, id est contemnendos, ne facere contra invictos nollet.

INCUTE VIM VENTIS. Duplex sensus est: INCUTE enim, injice significat. VENTIS dativus est casus. hoc est parva est eorum; etiam tu eis da magnam vim. si autem fac, septimus casus est. & erit sensus, fac vim Trojanis per ventos. hoc est per ventos vim in Trojanos incute. Ennius, *Dictis Romanus incutit iram*. SUBMERSASQUE OBRUE PUPPES. Ordo est in sensu confusus: ante enim est ut obruantur fluctibus, & sic submergantur; id est obrue ut submergas. Tota autem Iunonis petitio in sequentibus explanatur.

AUT AGE DIVERSOS. Hoc est disperge illos per diversa, ne ad Italiam veniant. duobus enim generibus deletur exercitus, aut internecione, aut dispersione. ET DISJICE CORPORA. Hic mutavit conjunctionem, nam dicendum erat, Aut disjice corpora. CORPORA PONTO. Tam virorum quam navium: ut ipse alio loco, quum de navibus loqueretur, *Et toto descendit corpore pestis*. Sciendum sane est artem hanc esse petitionis, ut minora impetrare cupientes, majora poscamus: quod etiam nunc Iuno facit. scit namque se fatis obstare non posse, sed hoc agit, ut eos arceat ab Italia.

SUNT MIHI BIS SEPTEM. Non sine ratione dicitur Iuno Nymphas sua potestate retinere, ipsa est enim aër: de quo nubes creantur. ut est, *Atque in nubem cogitur aër*. Ex nubibus aquæ: quas Nymphas esse non est dubium. Ideo autem Nympham Æolo pollicetur, quia ventorum rex est, qui aquæ motu creantur. Bene ergo ei jungitur origo ventorum. Sane notant Virgilium Critici, qui marito promittit uxorem: quod excusat regia licentia, ut Salust. *Denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius*. Vel certe quod ex priore conjuge improbos filios Æolus habuerit; vel quod hæc quam promittit immortalis est. Alii volunt Iunonem per iram oblitam, Æolum uxorem & filios habere; quod exinde asserunt, quia Æolus ad hæc nihil ei responderit; & bene Iuno sic pollicetur, quasi Æolo beneficium ante non concesserit. E contra Æolus, non ad præsens, sed ad præteritum respondit, *Tu mihi quodcunque hoc regni est*. PRÆSTANTI CORPORE NYMPHÆ. Bene etiam laudat istas, ut major sit in Dejopeja pulchritudinis gloria. Laudabilius est enim superare laudatos, ut ipse ad majorem Æneæ gloriam laudat & Turnum. Harum autem quatuordecim nomina, ut quidam volunt, in Georgicis invenimus. *Præstanti autem corpore*, pro præstantis corporis, ablativum pro genitivo. QUARUM QUÆ FORMA. Dicimus & per se quarum quæ pulcherrima, & plus ornavit inferendo forma pulcherrima.

DONATI.

ILIUM. Id est, omnes opes suas si amisisset, non esset facultas recuperandi. Ne autem excusaret Æolus, deorum causam addidit. VICTOSQUE PENATES. Nam quamvis dii sunt, tamen quia victi, contemnendi.

INCUTE VIM VENTIS. Expressit pathos, propter quod non explicat rem ordine. Dixit ergo quæ cupiebat, sed propter perturbationem sine ordine.

AUT AGE DIVERSOS. Ut si non possit provenire primum, proveniant secundum; quoniam sparsi nec quicquam audere, nec ad Italiam pervenire poterant.

SUNT MIHI. Addidit munus, ut explicetur ardor cupiditatis ejus. Et ex obliquo pulsat Veneris munus in Paridem, quæ dedit mulierem, quæ non erat in potestate sua. Unde contra Iuno hic dicit *Sunt mihi*. nec poterat Helena esse propria uxor, nec inde creari legitima soboles: ergo acute dixit: *Sunt mihi*. Et, *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo, &c.* quarum rerum nulla fuit in Helena. Non erat Veneris, ergo non potuit dare stabilem, nec legitime collocare.

VARIORUM.

AUT AGE DIVERSAS. In antiquis omnibus exemplaribus de meliore nota DIVERSOS legitur, virili genere, ut de Trojanis intelligatur. PIERIUS.

SUNT MIHI BIS SEPTEM PRÆSTANTI CORPORE NYMPHÆ. Remuneratio, quam alii argumentum ab utili; alii à jucundo appellant, quam recte videant alii. hoc satis inter doctos constat, aliam ornandi, aliam argumentandi esse rationem; quod ignorantes imperiti, ornamenta orationis sæpe numero argumenta esse putant: est ergo hæc simplex beneficii compensatio, quæ in omnibus fere petitoriis orationibus adhiberi solet. NASCIMBÆN.

BIS SEPTEM. Sed & illud quæri solet, cur Nymphæ Iunoni à Virgilio tribuantur quatuordecim: quidam Physicis rationibus innixi, quatuordecim Nymphas Iunoni assignari putant, propter quatuordecim effectus, qui ex aëre fiunt. NASCIMBÆN.

PRÆSTANTI CORPORE. Nam corpus præstans esse dicitur, quod magnum & pulchrum est; cum pulchritudo nisi magno in corpore non sit: pulchritudo (inquit Aristot. in 3. Ethic.) in magno corpore consistit: parvi vero formosi quidem sunt, sed non pulchri.

Digitized by Google

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:
Omneis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, ò regina, quid optes,
Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.

SERVII.

CONNVBIO IVNGAM. S. Deest eam, & connubium est jus legitimi matrimonii. Et bene CONNVBIO IVNGAM dicit, ut hanc ab aliis segregaret, quæ à regibus sine lege habentur. solent enim reges inter plures uni præcipuum dare nomen uxoris. Et connubio, NV brevem posuit cum naturaliter longa sit. *Nubo* enim unde habet originem, longa est. Sed est tropus *Systole*; qui fit quotiens longa corripitur syllaba, metri causa. Ipse alio loco longam posuit, ut est, *Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?* Item, *Cuique loci leges dedimus, connubia nostra Reppulit*. Et, *Per connubia nostra*. Et, *Numadumque petam connubia supplex*. Sciendum tamen est, quia plerunque in compositione vel derivatione principalitatis corrumpitur natura. *Connubio jungam stabili, propriamque dicabo*. Multa in unum contulit versum, quæ Iuno promittit. Dicendo enim CONNVBIO, ostendit legitimum. Dicendo STABILI, longam promittit concordiam. id est quæ divortio careat. Dicendo PROPRIAM, adulterii removet suspitionem. Quod autem adjecit DICABO, obsequentem eam fore demonstrat. In usu enim est ut dicamus, sacerdos dicatus est numini, hoc est ad obsequium datus est.

Alii *dicabo*, dabo accipiunt. Terent. *Iam hanc operam tibi dico*. Id est do, sicuti ab eo quod est dico participium à passivo dictus facit; ut est, *Iunoni inferna dictus sacer*; quamvis alibi lectum sit, *templa sibi ferre dicatis*. Propriam dicabo autem deest, tibi, eam. PROPRIAM autem possumus, vel firmam, vel perpetuam accipere, ut si proprium hoc fuerit. Terentius, *Nihilne esse cuiquam proprium*. Et alibi, *quod voluptates eorum propriæ sunt*. Et, *Da propriam Thymbræe domum*.

OMNES ANNOS. Bene quia Dea est, non enim usque ad senectutem. MERITIS. Præstitis. ut alibi, *Nec te regina negabo Promeritam*. id est præstitisse. Et alterum pendet ex altero: meritum enim non nisi ex præstantis beneficio descendit.

PVLCHRA PROLE. Bene postremum addidit propter quod matrimonium contrahitur, pulcherrimos filios. Et mire hoc Iuno Lucina promittit, quasi non ob libidinem offerat, Notanda tamen figura, frequenter enim hac utitur, nam quod nos per genitivum singularem dicimus, antiqui per septimum dicebant. ut hoc loco, *parentem pulchra prole*, id est pulchræ prolis. Et simpliciter intelligendum est: errant namque qui dicunt ideo PVLCHRA dixisse, propter Canacem & Macareum in se invicem turpissimos fratres. illi enim alterius Æoli filii fuerunt.

ÆOLVS HÆC. Deest dixit. quod ex posterioribus intelligitur, ut supra notavimus. REGINA. Inferioris personæ reverentia est, majorem meritis appellare, non nomine. Contra, majoris est minorem nomine tantum vocare. qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur; ut in duodecimo, Saees in extremis rebus, Turnum, non regem vocat: ut, *Rutique implorans nomine Turnum*. Et alibi de Aristæo, *Et te crudelem nomine dicit*. OPTES. Optare non tantum eligere significat; ut alibi, *Optavitque locum Regno*; Sed etiam velle, ut hoc loco, *quid optes*, quid velis. Lucilius in VI. *Quid ipsum facere optes?* id est velis: Alii *quid optes*, quid petas. Sane servavit ordinem. Nam qui promittit statim à primo polliceri debet, post si qua vult addat; ut auditor expectatione non pendeat.

EXPLORARE. Deliberare. Superius namque multa poposcerat Iuno: Hoc ergo dicit, Tuum est deliberare quid velis, aut certe aperire vel pensare, quale sit desiderium: Alii explorare Iovis animum; aut certe *explorare*, explanare, aut certe statuere an æquum sit quod petis, tuus enim hic labor est. MIHI IVSSA CAPESSERE FAS EST. CAPESSERE, est sæpe capere: figura est liptotes, quod fit quotiescunque minus dicimus & plus significamus per contrarium intelligentes. ut hoc loco, nam cum dicit non se posse implere quæ Iuno præcipiat, nefas tamen putat non implere præcepta. Item alibi, *Munera nec sperno*, id est libenter accipio. E contrario autem nefas mihi facere non jussa. Hoc secundum ea quæ aliter dicuntur, aliter audiuntur, dictum est. MIHI. Sane ultima syllaba produci debet; quia hoc casu omnia vel nomina vel pronomina, vel participia in ultima syllaba produci debent. CAPESSERE autem est sæpe capere.

DONATI.

PVLCHRA FACIAT TE PROLE, &c. Nam ex legitimo & stabili connubio hæc proles speranda. Extollit etiam munus, primum à numero bis septem, deinde à qualitate. PRÆSTANTI CORPORE. Omnes enim pulchræ sunt: quod difficile est. Ipsa autem omnium pulcherrima. in Paride autem non erant talia: quia ex adulterio non potest dici pater, nec legitima est proles, ergo non pulchra. Nam pulchritudinem hanc non in corpore ponit, sed in honestate natalium. sic alibi: *Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar*. Ostendit autem poëta, debere nos dare ea quæ magna sunt apud nos: ut voto potiamur.

ÆOLVS HÆC CONTRA. non contra voluntatem Iunonis, sed contra verba. non enim ad præmia respondet, ne videatur moveri libidine, ut Paris. Reddit benevolam, cum dicit discernendo officia: Tuum est jubere, meum complere jussa.

FAS EST. licebit facere, etiam si illicita jusseris. Respondet contra, veluti si dicat: etiam si victi non sint penates, licebit facere: Nam cum, qui potestatem habet, jubet, illicita fiunt licita inferiori. Vel dixit contra, quia Iuno dixit illum habere imperium à Iove, hic respondet habere ab ipsa Iunone: & ut videatur memor beneficiorum adddit. *Tu sceptra Iovemque*.

Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iovemque
Concilias; tu das epulis accumbere divûm,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à sedibus imis

SERVII.

TU MIHI Q. H. REGNI. Hoc ad illud respondet, *Namque tibi divûm pater atque hominum rex.* Redit ad physicam rationem. nam motus aëris, id est Iunonis, ventos creat, quibus Æolus præest. Dicendo autem, QUODCUNQUE aut verecunde ait, ne videatur arrogans. aut quia ipse rex sub alieno imperio est, aut latenter pene jocatur poëta. quis enim potest ventos, id est rem inanem tenere. QUODCUNQUE ergo, quod *clauso regnorum carcere regno*, nec in mea manu est, nisi jusso ventos emittere.

IOVEMQUE CONCILIAS. Histeroproteron in sensu. non enim Iuppiter concilatur Æolo: sed Æolus Iovi, quasi superiori. Conciliantur autem novi, reconciliantur antiqui. TU DAS EPULIS ACCUMBERE DIVUM. Hoc est deum me facis. duplici enim ratione divinos honores meremur, dearum conjugio, & convivio deorum. unde in Bucolicis legimus, *Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Sane EPULIS ACCUMBERE, secundum temporis consuetudinem dixit, nam olim sedentes vescebantur, sicut ipse meminit, *Gramineoque viros locat ipse sedili.* &, *perpetuis soliti patres considere mensis*: & apud Homerum sedentes Dii epulantur.

NIMBORUMQUE, nubium. ut, *& Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.*

HÆC UBI DICTA. Et ab Iunone & ab Æolo. Et, *dicta*, si nomen est, dedit; si participium deest sunt. vel, *hæc ubi dicta*, pro postquam, adverbium locale pro temporali. CAVUM. Ordo est, Conversa cuspide cavum montem in latus impulit. Et alibi, *In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.* Alii *in latus* pro latus accipiunt. Ennius, *Nam me gravis impetus Orci Percutit in latus*: & bene *in latus* quasi in rem quæ facile cedit ictui.

AGMINE. Vel impetu, vel multitudine. nam *Agmen* polysemus sermo est. nam impetum significat. ut, *Illi agmine certo Laocoonta petunt.* Multitudinem, ut hoc; *Vocat agmina sæva sororum.* Sed mirum cur *agmina* dixerit cum tres sint, nisi forte etiam impetum voluit simul designare. Et jam exercitum incedentem *agmen* vocamus.

QUA DATA: Et in xi. *Coëant in fœdera dextræ Qua datur.* QUA ergo, quoniam: vel *qua data*, ad votum ventorum videtur retulisse. PORTA. Omnis exitus porta dicitur, qua potest vel importari vel exportari aliquid; aut ideo *porta*, quia agmine dixerat. Nam *porta* proprie aut urbis, aut castrorum est. TURBINE. Vi ventorum. Et sciendum est, quod quando appellativum est, turbinis facit: si autem sit nomen proprium, turbonis facit: Horatius, *Turbonis in armis.*

INCUBUERE MARI. Tria dicit elementa turbata, *Terras turbine perflant. Incubuere mari*, & rursum, *Intonuere poli.* His ergo enumeratis recte adiecit, *Intentant omnia mortem.*

DONATI.

TU MIHI QUOD. Vult esse Iunonis, quod Iuno illum à Iove accepisse memoravit.

DAS EPULIS. Superius beneficium humanitatis accumulatur, si convivium cum potiore misceatur. Tertio, si cum potioribus plurimis, quarto si inferior persona non sedeat, ut fieri solet, sed accumbat: posuit in fine hoc, quod desideras tuum est. Personarum igitur in utraque oratione rationem habuit, scilicet Iunonis, Æoli, Trojanorum, penatium victorum: Veneris, Helenæ, Paridis, & Deiopejæ. Item loci, propter mobilitatem Thyrreni maris & proximitatem Italiæ. item temporis: nam Iuno breviter oravit, & Æolus brevius respondit, ne longitudine tempus nocendi subtraheretur.

HÆC UBI. Post utriusque orationem, cœpit Æolus jussa complere. Emisit plurimos ac contrarios ventos: ut confligentibus inter se fluctibus, regendis navibus consilium non suppeteret, & deficiente industria, facilius mergerentur, & mersis navibus corpora disjicerentur: & ut complerentur jussa Iunonis, accessit ad violentiam maris, aliorum quoque elementorum perturbatio; nam nox eripuit cælum ac lucem, ut esset eadem facies maris & terræ, ne contra mala consilium suscipi posset; neve scirent gubernatores in quam partem niterentur. Mittebantur tonitrua & fulgura, ut multiplici metu Trojani desperantes, nihil aliud quam mortem expectarent.

VARIORUM.

TU MIHI QUODCUNQUE HOC REGNI, &c. Diligenter hic observandum, sapienter poëtam fecisse, ut Æolus Iunonis beneficia recenseret, quæ Iuno ipsa tacuerat. Nam personæ graves atque magnanimæ quę in alios contulerint, libentius audiunt, quam ut ipsæ narrent aliis. ARIST. 3. Ethic.

HÆC UBI DICTA, &c. Proverbium, *Qui conturbat omnia.* Quintil. lib. 8. cap. 4. HART.

CAVUM CONVERSA CUSPIDE MONTEM, &c. Impulsio montis in latus, sævissimæ ac certissimæ tempestatis futuræ est indicium. Et quod *Cavum montem* dicit, physicam rationem attingit, quoniam concava loca ventis facile replentur: unde & terræmotus quandoque fiunt. NASCIMBAN.

Digitized by Google

Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra;

S E R V I I.

VNA EVRVSQVE NOTVSQVE ET AFRICVS. Bene hos modo tres ventos inferiores tantum nominavit; quia sedibus mare jure commovent, Zephyrum & Aquilonem tacuit: Zephyrum qui ad Italiam ducit, Aquilonem qui desuper flat. ideo Homerus de eo καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. RVVNT autem, modo eruunt. PROCELLIS. Procella est vis ventorum cum pluvia, dicta procella quod omnia percellat, hoc est moveat:

INSEQVITVR CLAMORQVE VIRVM. Sequitur, quia præcesserat ventorum sonus, quem & ipsum clamorem possumus dicere. STRIDORQVE RVDENTVM. Proprie enim in funibus stridor est. Pacuvius in Teucro, *Armamentum stridor & rudentum sibilus.*

ERIPIVNT SVBITO. N. Accius in Clytemnestra, *Deûm regnator nocte cæca cælum è conspectu abstulit.*

TEVCRORVM EX OCVLIS. Bene *Teucrorum*, quibus tempestas immissa erat. Nunquam enim totum cœlum tegitur nubibus, sed illa pars contra quam flaverint venti. Diem autem eripi, ad videntum oculos retulit, non ad naturam. NOX INCVBAT. Nox dicta quia oculis noceat. INCVBAT ideo dixit, quod alienum tempus invasit. Nam *incubare* proprie dicitur per vim rem alienam tenere. Aut certe *nox incubat*, ut nihil intervalli esset inter tenebras & mare, aut tempestates, ut in Georgic. *Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra.*

POLI. Axes, id est extremæ partes cœli. Duo enim sunt Notios & Borios, à quibus totum cœlum contonuisse significat. ÆTHER. Ætherem hic pro aëre posuit. nubes enim unde & fulmina, aëris sunt, non ætheris: & frequenter Virgilius duo ista confundit.

INTENTANT. Minantur, ingerunt. OMNIA autem, ad superiora retulit.

EXTEMPLO. Illico, statim. Et est augurum sermo. Templum enim dicitur locus manu designatus in aëre, post quem factum illico capiantur auguria. ÆNEÆ. Servavit τὸ πρέπον, ut Æneam ultimum territum dicat. FRIGORE. Timore. Et est reciproca translatio: Nam & timor pro frigore, & frigus pro timore ponitur: ut in Terentio, *Vxorem tuam pavitare ajunt: non timere, sed laborare frigoribus.* utrumque enim in unum exitum cadit, sicut & de calore & frigore, urere dicimus. ut est, *Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.* Nam & Græci φρίξαι dicunt quæ sunt timenda, ut Homerus δεῖσε μὲν οὐκ ἐν' ὀνείρῳ. Livius in Odissia. *Igitur demum Vlixi cor frixit præ pavore.* Reprehenditur sane hoc loco Virgilius, quod improprie hos versus Homeri transtulerit καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λῦτο γούνατα ϗ φίλον ἦτορ ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Nam frigore soluta membra longe aliud est, quam λῦτο γούνατα. ET DVPLICES TENDENS A. S P. *I. molle, cum illud magis altum, & heroicæ personæ πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Præterea quis interdiu manus ad sydera tollit; aut quis ad cælum manum tendens, non aliud precatur potius quam dicit. O TERQVE QVATERQVE BEATI. Et ille intra se, ne exaudiant socii, & timidiores despondeant animo: hic vero vociferatur.

D O N A T I.

EXTEMPLO ÆNEÆ. Exprimit quale & animi & corporis senserit pathos. FRIGORE. non pro timore posuit: nam derogaretur ejus virtuti, ergo frigus dixit proprie quod oriebatur, non ex casu evidentissimæ mortis, sed ex tot adversis, quæ corporis calorem extinxerant: quia cruciabatur animus viri fortis, qui maluisset gloriosius in campo occumbere, quam ignobiliter in fluctibus interire.

V A R I O R V M.

VNA EVRVSQVE NOTVSQVE, &c. Homerus Odyss. ε. Σὺν δ' εὖρός τε νότος τ' ἔπεσον, ζέφυρός τε δυσαὴς, ϗ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. H.

CÆLVMQVE DIEMQVE. Homerus Odyss. ε. νεφέεσσι κάλυψε γαῖαν ὁμοῦ ϗ πόντον. HART.

PONTO NOX INCVBAT. Odyss. ε. ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. HARTVNG.

INTENTANT OMNIA MORTEM. Macrob. lib. 5. cap. 3. HARTVNG.

EXTEMPLO ÆNEÆ. Odyss. ε. λῦτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ. Vide Floridum lib. 2. cap. 10. succis. lectionum. HARTVNG.

EXTEMPLO ÆNEÆ SOLVVNTVR, &c. *Extemplo* est continuo inquit Varro de Ling. lat. lib. 6. Est autem verbum sacrorum, sicut *Ilicet* judiciorum. Vt enim hoc dimisso senatu; sic & illud sacrificio peracto à præcone pronuntiabatur: quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito, & propere sumi ceptum est. SCALIG.

Inge-

Digitized by Google

Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Troja sub mœnibus altis
Contigit oppetere: ô Danaûm fortissime gentis
Tydide; mene Iliacis occumbere campis

SERVII.

INGEMIT. Non propter mortem. sequitur enim, *O terque quaterque beati.* sed propter mortis genus. grave est enim secundum Homerum, perire naufragio, quia anima ignea est: & extingui videtur in mari, id est elemento contrario. ut, *igneus est ollis vigor.* DUPLICES. Duas secundum antiquum morem. nam duplices, duas dicebant, ut hoc loco, & binos, duos: & utrosque pro utrunque. ut Cicero, *Binos habebam, jubeo promi utrosque.* Item Sallustius cum de duobus loqueretur. *Hi utrique ad urbem imperatores erant.* PALMAS, manus explicitas.

TALIA VOCE REFERT. Profert, RE abundat; alibi *refert*, respondet, ut initio 4. Æneid. *Anna refert*; in consuetudine, sic dicimus, *ille mihi retulit.*

O TERQUE QUATERQUE. Hoc est sæpius. Finitus numerus pro infinito. & sic erupit in vocem cum dolore τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο. Et hoc principium quidam acephalon dicunt, cum intelligi debeat multa cum intra se cogitasse, postremo in hæc erupisse.

QUIS. Quis & quibus unum significant: secundum artem enim sic dicimus. Ab eo quod est à QUI: bus mittit: ab eo quod est à QUO, in is mittit. sed à tertia declinatione in usu sunt dativus & ablativus plurales; licet antiqui omnibus usi sunt casibus. Cato in originibus ait, *Si ques sunt populi.* Et declinavit ques quium: ut puppes puppium. MOENIBUS ALTIS. Propter Pergama, quæ altissima fuerunt: ex quibus omnia alta ædificia, *Pergama* vocantur, sicut Æschylus dicit.

OPPETERE. Ore terram petere, id est mori, exspirare, vel occumbere. Possumus autem sic uti hoc sermone, & ut per se plenus sit, & recipiat adjectionem. Ergo dicimus & oppetit, & mortem oppetit, sicut & expirat, & animam expirat.

FORTISSIME GENTIS. Atqui in artibus legimus superlativum gradum non nisi genitivo plurali jungi. constat quidem: sed gens nomen est enuntione singulare, intellectu plurale. Bene ergo junxit: in gente enim plures sunt. ut alibi, *Ipse ditissimus agri Phœnicum.* non enim unus est ager Phœnicum. Item Salustius, *Romani generis disertissimus.* aut superlativo pro comparativo usus videtur, quasi fortissimis comparandus; non, ut vulgo creditur, præferendus. cur Diomedem fortissimum dixerit, cum post Achillem & Ajacem ipse sit tertius. unde etiam Salustius ait, *Primum Græcorum Achillem.* Multi dicunt ideo *fortissimum*, quia juxta Homerum & Venerem vulneravit & Martem. Alii ad gentem referunt, quod Achilles Thessalus fuit, Ajax Græcus, Diomedes Danaus. Multi ad excusationem Æneæ volunt fortissimum dictum: à quo constat esse superatum, ut, *Ivvenalis vel quod Tydides percussit pondere coxam Ænea.*

TYDIDE. Vocativus Græcus, si enim latine diceret, Tydida debuit ponere. Omnia enim patronymica quæ in DES exeunt, apud Latinos primæ declinationis sunt; ut, *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.* Tydides Diomedes Tydei & Deiphyles Adrasti filiæ filius, qui post captum Ilium ad Italiam venit, quod plenius in XI. lib. habes. Eo tempore statua cum in templo Apollinis Delphici staret, vi quadam divina ad Corcyram migravit, visa est muros Corcyreorum defendere: Nam ejus comminatione hostibus fugatis, Corcyra bello exempta est.

DONATI.

O TERQUE QUATERQUE. Id est multifariam.

QUEIS ANTE ORA. De Polyte, ex iis quæ in 2. dicuntur, intelligemus: qui sede Pyrrhi in conspectu patris occubuit. ALTIS. Id est integra adhuc civitate. Ipse enim Æneas non Trojam altam, sed campos ubi Troja fuit reliquit, & in fluctib. periclitatus est.

O DANAUM FORTISSIME GENT. ex illo, ad aliud raptus est: existimans se infelicem, qui & hunc exitum vitæ sortiatur, & ignobili morte periturus sit.

MENE ILIACIS. ex his se infelicem existimans, qui hunc exitum vitæ non habuerit, sed vir fortis in pelago esset moriturus. Non potuit autem explere orationem interveniente fluctu. Esset autem vitium poëtæ: si finitis querelis fluctus intervenisset: semper ergo imperfectas reliquit querelas, ut: *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur.* Et alibi: *Talia fundebat lachrymans.*

VARIORUM.

DUPLICES TEDENS AD SYDERA. Heroes manibus in cælum sublatis Iovem, cæterosque deos cælestes præcabantur: Marinos, ad mare projectis: Manes & inferos, terra percussa. PONTANUS.

O TERQUE QUATERQUE. Homer. τρὶς μάκαρες καὶ τετράκις. Cæl. lib. 22. cap. 12. HART.

O TERQUE QUATERQUE BEATI. &c. Homerus, mortem in aquis, interitum animæ existimavit. Hinc Achilles lib. 21. Iliad. talem mortem λευγαλέον appellat, hoc est indignam & perniciosam. Adeoque ea res vulgo credita fuit, ut milites apud Synesium, ne naufragio perirent, statuerint sibi necem sua manu consciscere, ut heroicam & animæ nequaquam exitialem. Non ergo mirum si Virgilius suo Æneæ gemitum attribuerit. NANNIUS.

TYDIDE. Alluditur ad conflictationem cum Diomede, quæ exstat Iliad. 5. HARTUNG.

Digitized by Google

Non potuiſſe? tuaque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virûm, galeaſque, & fortia corpora volvit.
Talia jactanti ſtridens aquilone procella,
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſydera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.

SERVII.

NON POTVISSE. Quaſi ſemper voluerit. ANIMAM HANC. Quaſi cum dolore hanc animam dixit; acſi diceret infelicem, quæ ad laborem nata eſt. EFFVNDERE. Secundum eos qui dicunt ſanguinem eſſe animam: ut ipſe, *Purpuream vomit ille animam.* Nam alio loco licet alias aliorum opinionem ſequitur, qui dicunt ſpiritum eſſe animam. ut eſt, *Atque in ventos vita receſſit.*

SÆVVS. Magnus, vel fortis, vel bellicoſus; ut eſt, *Et ſævum Æneam agnovit Turnus in armis.* Vel adverſus hoſtes *ſævus*, & eſt epitheton ad tempus. Nam incongruum erat ab Ænea *ſævum Hectorem* dici: aut *ſævus*, quod adverſum Antenorem & Æneam & Helenum ſentiens, Elenam non permiſerit reddi. Ideo *Sævus Hector*, quia Æneas pius. Quod autem ait ÆACIDÆ TELO, vult oſtendere felīciorem Hectorem, cui contigerit ab Achille perire quod ipſe optaverit ei congreſſus, ſicut in 5. Neptunus Veneri loquitur. Et bene legit cum quibus periiſſe debuerit, ipſe enim & fortis eſt & numinum proles: certe ergo his jungitur in quibus talia fuerunt.

SARPEDON. Et in ultima ſyllaba, & in penultima poſſumus accentum ponere. Nam Homerus & Sarpedonis declinavit & Sarpedontis: unde & varius accentus eſt. Nam ſi Sarpedonis dicas, antepenultima habet accentum; ſi Sarpedontis penultima. Sed Sarpedontis uſurpavit. Naturalis autem declinatio eſt, Sarpedonis, ut Memnon Memnonis, Sinon Sinonis, Si autem genitivum in dontis miſerit, à circumflexo venit: qui eſt in ultima ſyllaba nominativi, ut Demophoōn. Demophoontis, Lycaon Lycaontis: ſic ergo & Sarpedontis. Eſt autem Sarpedon, Iovis & Laodamiæ filius ut alio, *Quin occidit una Sarpedon mea progenies*, occiſus à Patroclo Menæcii filio, armis Achillis induto; hujus interitum Iuppiter proſecutus dicitur imbre ſanguineo. SIMOIS. Nomen hoc integrum ad nos tranſiit, unde ſuo accentu profertur. Nam ſi eſſet latinum in antepenultima haberet accentum, quia ſecunda à fine brevis. Sane bene feciſſe videtur Simois mentionem, ut ibi videatur pati ſe optaviſſe, ubi genitus eſt, ut alibi: *Tunc ille Æneas quem Dardanio Anchiſæ Alma venus Phrygii genuit Simoentis ad undam.* hic flumen Trojæ eſt. SVB VNDIS. Et ſub undis legimus, & ſub undas. Sed ſi ſub undas, CORREPTA intellige: ſi ſub undis, VOLVIT. Varia ergo diſtinctio eſt. CORREPTA. Rapta.

FORTIA CORPORA, Id eſt virorum fortium, nulla enim eſt in mortuis fortitudo.

TALIA IACTANTI. Inaniter loquenti; ut alibi, *Atque irrita jurgia jactat.* &, *Voces dum jactat inanes.* AQVILONE. Ab Aquilone. Ecce hic reddit ventum quem tranſierat, & à generali tempeſtate ad ſpeciem tranſit.

ADVERSA. Contraria. quia ad Italiam navigantibus Aquilo contrarius eſt.

FRANGVNTVR REMI: Vel gubernacula: vel, quod verius eſt, remi. Antiqui enim velis remiſque navigabant. Et hoc de navi Æneæ, an de omnibus dixit? TVM PRORAM AVERTIT. Alii PRORA legi tradunt, ut ſit, AVERTIT pro avertitur.

Eſt eſt figura creberrima. poteſt namque pro activi verbi ſignificatione paſſivum poni: ut eſt, *Et pictis bellantur Amazones armis*, pro bellant. Nec nos debet movere quod bellor non facit, natura enim hoc prohibuit verbum componere. Et invenitur ubi activum ponitur, ut eſt avertit pro avertitur. &, *Inſinuat pavor*, pro inſinuatur. &, *Nox humida cælo Præcipitat*, pro præcipitatur. Sed hæc verba tantummodo pro ſe invicem ponuntur, quæ & activa eſſe poſſunt & paſſiva; ut eſt averto & avertor, præcipito & præcipitor. Ergo non poſſumus dicere, quod quidam artigraphus, declinationes activi verbi & paſſivi pro ſe invicem poni. Nam & neutralis verbi declinatio activa eſt, & communis deponentiſve paſſiva: & aliud eſt eſſe activum verbum, & aliud habere activi verbi declinationem.

DAT LATVS. Inclinatur. CVMVLO. Exuberante fluctu, id eſt altitudine, cum cumulo. PRÆRVPTVS. In altum levatus.

DONATI.

IACTANTI. Adhuc loquenti intervenit vis fluctus, nec permiſit explicare felices, qui in Troja perierunt: ſe infelicem, qui in fluctibus ſit periturus.

VARIORVM.

TVAQVE ANIMAM HANC EFFVNDERE. Hac iteratione adfectum commiſerationis amplificat. EFFVNDERE autem dicit, Critiam & Empedoclem ſecutus, qui animam ſanguinem eſſe putabant. ita IX. Æneid. *purpuream vomit ille animam.* TAVBMAN.

VBI TOT SIMOIS. Iliad. μ. *καὶ σιμόεις ὅθι πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι κάππεσον ἐν κονίῃσι.* H.

FORTIA CORPORA VOLVIT. Iliad. φ. *πολλὰ δὲ τεύχεα καλὰ δαϊκταμένων αἰζηῶν πλῶον καὶ νέκυες.* HART.

PRÆRVPTVS AQVÆ MONS. Apoll. lib. 2. *κῦμα ἀποτμῆγι σκοπιῇ ἶσον.* HART.

Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa, vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras;
Dorſum immane mari ſummo. treis Eurus ab alto
In Brevia, & Syrteis urget (miſerabile viſu)

SERVII.

HI. Pro, Illi, vel alii; & bene dictiōs, *his* pro illis vel aliis. DEHISCENS. Valde hiſcens. DE enim augentis eſt, ut in Terentio, *Deamo te Syre.*

APERIT. Oſtendit, ut Salluſtius, *Caput aperire ſolitus*, id eſt nudare, oſtendere. ſic alibi, *Viſa aperire procul montes*: ſane aliter hic aperit, aliter oſtium aperit.

ARENIS. Et ab arenis, & cum arenis. id eſt vel ab imo movebatur mare, vel cum ipſis arenis, ut in tempeſtate ſolet.

TRES. Latinum eſt. Genitivus enim pluralis quotiens in IVM exit, accuſativum pluralem in is mittit, ut puppium puppis. Quotiens in VM exit, in ES mittit. ut patrum patres. SAXA LATENTIA. Modo propter tempeſtatem; vel ut quidam tradunt, tranquillo mari, nam quemadmodum latent quæ nomen habent. hæc autem ſunt ſaxa inter Africam, Siciliam & Sardiniam, & Italiam, quæ ſaxa ideo Itali âras vocant, quod ibi Afri & Romani fœdus inierunt, & fines imperii ſui illic eſſe voluerunt; unde etiam Dido, *Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor.* Quæ aræ, à Siſenna, propitiæ vocantur. alii dicunt Græcos hæc ſaxa βώμους appellare. Quidam inſulam fuiſſe hunc locum tradunt, quæ ſubito peſſumierit, in cujus reliquias ſaxa hæc extare, in quibus ajunt Pœnorum Sacerdotes rem divinam facere ſolitos. Has aras alii Nept. v. ſicut Claudius Quadrigarius 1 Annalium: *Apud aras quæ vocabantur Neptuniæ.* Varro de ora maritima lib. 1. *Ut faciunt ii qui ab Sardinia Siciliam, aut contra petunt. Nam ſi utramque ex conſpectu amiſerunt, ſciunt periculoſe ſe navigare, ac verentur in pelago latentem inſulam, quem locum vocant aras.* TORQUET. Iacit, immittit, ut, *Torquet aquoſam hyemem.* Inde & torquet, jacit dicimus. Alibi. Torqueat, deflectit; ut, *Torquet medios nox humida currus.* Alibi regit & frenat: ut, *Cuncta tuo, qui bella pater ſub numine torques*: Alibi ſuſtinet & fert, *Axem humero torquet ſtellis fulgentibus aptum.*

SAXA VOCANT ITALI MEDIIS QVÆ IN FLVCTIBVS ARAS. Ordo eſt, quæ ſaxa latentia in mediis fluctibus, Itali aras vocant. pro quibus hunc ordinem eſſe ait, *Tres Notus abreptas mediis fluctibus in ſaxa latentia torquet*: Alii *mediis fluctibus aras legunt*, ut ſit ordo, *Saxa vocant Itali aras, quæ mediis fluctibus*, ut deſit SVNT. Italos autem aliqui non qui in Italia nati ſunt, ſed qui Latine loquantur, accipiunt.

DORSVM IMMANE. Eminens, vel altum, ſecundum Homerum, vel certe eminens planities, aut ſuperficies durior: aut ſic ait hic Poëta *dorſum* de ſaxo, ſicut Homerus Νῶτα θαλάσσης: ſicut alibi ipſe: *Dorſo dum pendet iniquo.* Quidam immane pro malo accipiunt poſitum, propter naufragia quæ ibi ſolent fieri. nam manum bonum dicunt, ergo quod bono contrarium immane. Non enim poteſt pro magno accipi; Alibi, *Poſuit quæ immania templa*, quia non facile apparent hæc ſaxa, niſi cum mare ventis movetur. *Dorſum* autem hoc loco non abſurde ait, quia Græce aræ ipſæ ἐν νώτῳ dicuntur, ut Sinnius Capito tradidit, ſecundum Homerum. MARI SVMMO. Vel in ſummo, vel in placido.

IN BREVIA ET SYRTES. Id eſt in brevia Syrtium: quo modo, *Molemque & montes.* BREVIA autem dicit vadoſa, per quæ poſſumus vadere. VADIS. Vada, τὰ βράχεα. Varro de ora maritima lib. 1. *Si ab aqua ſumma non alte eſt terra, dicitur vadus*, & multi ſic legunt: *Illiditque vadis atque aggere cingit harenæ.* Et *ſyrtes*, ſyrtium ſinus duo ſunt pares natura, impares magnitudine, ut Salluſtius dicit.

DONATI.

HI SVMMO IN FLVCTV. Fluctibus vario motu venientibus: aliæ erigebantur tumore fluctuum, aliæ deprimebantur.

AB ALTO. peritus locorum: Eurum dixit ducere in ſyrtes ab alto, id eſt, à pelago. Aliter enim non poſſet, cum flatus habeat ab orientis partibus, in quibus ſunt ſyrtes, eo navigia cogere unde potuit revocare. Sex igitur naves alienatæ ſunt à cæteris, una turbata premitur ubi erat Æneas. Nunc caſus octavæ, deſcribitur.

VARIORUM.

TRES NOTVS ABREPTAS. De induſtria confuſa eſt rerum ac verborum collocatio: cum ad navium confuſionem, tum ad periculorum difficultatem indicandam. TAVBMANNVS.

SAXA VOCANT ITALI MEDIIS IN FLVCTIBVS ARAS. Aras fuiſſe novem propitias admonet Turnebus, inter Sardiniam & Africam celebres, icto ibi inter Afros & Romanos fœdere: de quibus Lucanus, *anguſtis aris Victoris Libyco pulſatur in æquore ſaxum Tarpeiis.* Quo quidem è loco ſaxa illa magna religione & veneratione fuiſſe culta colligitur. *Aras* vocarunt Itali hoſce ſcopulos, quod cum ad aras ſeu in templis fœdera ſoleant ferire, hi ſcopuli Romanis & Carthaginenſibus pro aris fuerint. TVRNEB. GERMAN.

ARAS. Mixtura verborum. Quintil. lib. 8. cap. 2. HARTVNG.

IN BREVIA. Quæ Latini *brevia* nominant, vadoſa quædam in mari ſpatia, ea Græce βράχεα. Cælius. l. 4. c. 15. Brodæus lib. 6. cap. 24. HART. PONTAN.

Illiditque vadis; atque aggere cingit arenæ.
Vnam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto:
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per undas.

SERVII.

LYCIIS. Hi Trojæ ad auxilium venerant, qui mortuo rege Pandaro Æneam secuti sunt; unde & in secundo ait, *Comitum affluxisse novorum*. FIDVM. Fidelem: utrumque nomen idem significat, quamvis quidam velint fidum amicum, fidelem servum dici. & sic pronuntiandum ut dolorem afferat talis socii amissio.

IPSIVS ANTE OCVLOS. Ad majorem dolorem: unde alibi, *Quæque ipse miserrima vidi*. Item, *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti*. INGENS PONTVS. Vnda. Et est tropus Synecdoche. A VERTICE autem. Aut à puppi quæ vertex navis est: aut ab Aquilone vento, qui flat à mundi vertice, à septentrione: ut ipse alibi, *Hic vertex nobis semper sublimis*. quidam verticem hic procellam accipiunt.

IN PVPPIM. Pro puppim, addidit præpositionem. PRONVS. πρηνής: nonnulli sane pronum adverbialiter legunt. MAGISTER. Leucaspis: ut in sexto libro, *Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem.*

TER. Sæpius: finitus numerus pro infinito. *crebro* enim fluctus facit Aquilo, ut Salustius, *Crebritate fluctuum ut Aquilo solet*. vel certe quod Græci τρικυμίαν appellant: ut Sallustius, *triplici fluctu*. IBIDEM. Ibidem & ubinam multi dubitant ubi debeat esse accentus, quia ubi & ibi naturaliter breves sunt: sed ratione finalitatis plerunque producuntur in versu: nescientes hanc esse rationem, quia pronuntiationis caussa contra usum latinum syllabis ultimis, quibus particulæ adjunguntur, accentus tribuitur: ut musaque, illene, hujusce. sic ergo & ibidem.

TORQVET AGENS CIRCVM. In gyrum circumagit. VORTEX. Vortex dicitur circumacta in se unda, & quæ quasi sorbere videatur. quod de Charybdi legitur, *Atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus*. de quo ait Sallust. *Charybdis mare verticulosum.*

APPARENT. Aliud est parere, & aliud apparere. Parere enim est obedire; ut, *Paret amor dictis*. Apparere autem, videri: ut, *Apparet liquido sublimis in aëre Nisus*. Et hæc observatio diligenter custodiri debet; licet eam authores metri caussa, vel clausulæ plerunque corrumpant. RARI. Vel propter maris magnitudinem, vel quia una perierat navis. vel *rari* de multis, ut ostendat statim alios plures periisse; & quomodo apparent, *si Ponto nox incubat atra?* aut quia, *Crebris micat ignibus æther*, aut quia ante ipsius oculos hoc evenit. NANTES. Prima verbi propositio, no nas nat. unde est, *Nare per æstatem liquidam*, prima syllaba naturaliter longa est: licet NATARE, NA brevis in eadem significatione. IN GVRGITE VASTO. Tapinosis est rei magnæ humilis expositio. Prudentior tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto sublevat, ut hoc loco, nam addidit VASTO. Item cum de equo loqueretur, ait, *Cavernas ingentes.*

ARMA VIRVM. Bene addidit *virum*. id est virorum. Arma enim dicuntur cunctarum artium instrumenta: ut, *Cerealiaque arma*. Item, *Colligere arma jubet*. Item & alio loco. *Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma*. TROIA. Differentia in hoc sermone est, & in sensu, & in syllabis. Nam cum provinciam dicimus (nam Troja provincia, Ilium ipsa civitas) & principale nomen est, brevis est TRO. quando autem non est principale & derivatio est, longa est TRO. ut, *Trojus Æneas.*

GAZA. Persicus sermo est, & significat divitias, unde Gaza urbs in Palæstina dicitur, quod in ea Cambyses rex Persarum cum Ægyptis bellum inferret, divitias suas condidit, est autem generis fœminini: ut, *Gaza lætus agresti*. Quæritur tamen à multis, quemadmodum potuit aurum natare, nescientibus Gaza, id est opes dici omne quod possidemus, aut certe hyperbole tempestatis, ut etiam ponderosa ferri potuerint. PER VNDAS. Per quidam nolunt, Et TROIA possessivum, a. i. a. c. e. f. s. c. o. i. p.

DONATI.

IN PVPPIM FERIT. hos specialiter cum eorum nominibus ponit, qui in iis potiores navigabant & uno casu ferebantur.

APPARENT RARI NANTES. ut compleatur id: *Submersasque obrue puppes*. periit ergo amicus, & fidus, & in ejus conspectu. Excusatur igitur Orontes, qui non imprudentia, sed vi tempestatis perierit.

VARIORVM.

INGENS A VERTICE PONTVS IN PVPPIM. Miror Servium illum accusativum, *unam*, in constructione verborum non respexisse. Pontum scilicet unam navem à vertice in puppim ferire. Describit autem Virgilius, mirabilem subversionem navis, & quæ vix unquam nisi in sævissimis tempestatibus contingere solet, undas scilicet sublata in altum prora navem in puppim statuisse; adeo ut gubernator cum pedes illi in altum tollerentur, pronus in caput necessario excideret. NANNIVS.

EXCVTITVR PRONVSQVE MAGISTER. Odyss. μ. Hom. ὁ δ' ἄρ ἀρνευτῆρι ἐοικὼς κάππεσ' ἀπ' ἰκριόφιν. HARTVNG.

Iam

Iam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure Pontum,
Emissamque hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis: graviter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

SERVII.

IAM VALIDAM, &c. Zeugma est ab inferioribus. VICIT HYEMS, Quod fit & à superioribus & à medio, plerunque & ad utrunque respondet: ut, *Trojugena interpres divum qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarii lauros, qui sydera sentis.* Ecce hoc loco SENTIS & ante dicta & sequentia concludit. ILIONEI. Antiptosis est, pro genitivo enim dativum posuit: nam constat hujusmodi nomina Græca dativum singularem in *ei* mittere, ut Orphei. nam illa solutio, ut Orphei separatim dicimus, nec modo Ilionei possumus dicere strictum esse genitivum, ut ipse sit qui & dativus. quod etsi forte contingat, non regula mutatur, sed Antiptosis fit, qua plerunque utuntur Poëtæ, ut, *urbem quam statuo vestra est*, pro urbs: Item *Hæret pede pes*: pro pedi.

VECTUS. Qua vehebatur significat. Et pro præsenti participio, quod non habemus, præteritum posuit. In latino enim sermone à passivo verbo præsens participium non est, neque ab activo præteritum. sed quod uno sermone non possumus explicare, aut circumlocutione ostendimus: aut participium pro participio ponimus, sed usurpative; ut hoc loco factum est.

ABAS. Abantes aliquot tradunt, hic unus Æneæ comes; Alter quem in Troja Diomedes occidit; Tertius est Argivus, cujus tertio lib. clypeum Apollini consecrasse dicit Æneam.

VICIT HYEMS. Hyems duas res significat: aut tempus, aut vim venti per quam oritur tempestas. Ergo pro loco intelligendum. Accius: *Unde esbi nauta huc hyeme delati.* Sic & Varro. LAXIS. Pro laxatis, nomen pro participio.

ACCIPIUNT IMBREM. Imber dicitur humor omnis, veteres enim omnem aquam imbrem dicebant: ut Lucretius, *Ex igni, terris, & anima nascuntur & imbri.* id est humore. Ennius imbrem pro aqua marina, *Ratibusque fremebat Imber Neptuni.* FATISCUNT. Abundanter aperiuntur. Fatim enim abundanter dicimus, unde & adfatim. Hiscere autem aperire, verbum frequentativum ab hiare.

EMISSAM HYEMEM. Hic apertius tempestatem declarat ex Græco: Nam & illi χειμῶνα tempestatem dicunt, & bene veteres nostri hyemem anni dicebant, ne tempestas posset intelligi. IMIS. Bene in imo voluit esse Neptunum, ut jam factam cognosceret tempestatem, non incipientem vetaret.

STAGNA. Stagnum dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo quod non nisi nimia tempestate turbantur. Ergo Stagna & Imis vadis refusa, aliud pendet ex alio: quia immobilis aqua in imo maris tantummodo est, quam tunc ab imo motu dicit esse turbatam. GRAVITER COMMOTUS. Oportune Neptunum ait commotum, cum maria turbantur, quia plerunque Poëtæ Neptunum pro mari ponunt. ET ALTO PROS. Aut è mari erigens caput, aut mari providens. Quidam alto cælo accipiunt, quia ait, *Iam cælum terramque.*

PLACIDUM CAPUT. Quærunt multi quemadmodum placidum caput, si graviter commotus? quasi non potuerit fieri ut irasceretur ventis, propitius esset Trojanis. epitheta enim alia naturalia sunt, alia ad tempus: & *placidum*, ut naturale Neptuni est, ita graviter ad tempus, ob factam tempestatem. Uno autem epitheto habitum futuræ orationis ostendit: ut alibi uno sermone, *Tunc quassans caput.*

DISJECTAM ÆNEÆ TOTO V. Æ. C. Hic ostendit Æolum omnia Iunonis præcepta complesse. *Nam submersasque obrue puppes*, in Orontis sororumque ejus interitu: *Aut age diversas, & disjice corpora Ponto. Disjectam Æneæ toto videt æquore classem.*

CÆLIQUE RUINA. Id est tonitribus, quorum sonus similis est ruinis.

NEC LATUERE DOLI FRATREM IUNONIS, ET IRÆ. Aut doli Iunonis: aut fratrem Iunonis. gemina ergo distinctio est, quod & ipsa Saturni est filia.

DONATI.

OMNES ACCIPIUNT. Id est, una omnium causa ac similis fortuna fuit. Sed Neptuni datur occasio, ne penitus Iunonis jussa implerentur.

NEC LATUERE. Fratrem, sororis studia non latebant. Ergo vocatis ventis, orationem habuit patheticam, utpote commoti animi, abscisam, id est, nec continuam nec compositam: fuit brevis, quia subvenientis in hoc casu non erat multa loqui.

VARIORUM.

PARS DUCERE MUROS, &c. sic *fossas ducere*, quod Græci περιβολεῖν dicunt. SALMAS.

Eurum ad se Zephyrumque vocat: dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam cœlum terramque, meo sine numine, venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hac dicite vestro;

SERVII.

EVRVM AD SE ZEPHYRVMQVE VOCAT. Per hos omnes intelligendi sunt. Isti enim sunt cardinales. AD SE autem & hic ait. Cur tamen *Zephyrus*, qui ad Italiam ducit, quem Poëta supra tacuit nunc vocatur; ira in hoc Neptuni exprimitur, si etiam eum objurgat, qui non adfuerit.

GENERIS FIDVCIA VESTRI. Astræus unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit: unde nati sunt venti secundum Hesiodum. Et hoc loco fiduciam pro confidentia posuit; quum fiducia in bonis rebus, confidentia in malis sit.

IAM COELVM TERRAMQVE. Aut ordo est: Ausi estis sine meo numine tantas moles tollere, & cœlum terrasque turbare? aut certe illud est, quod tria hæc numina, licet divisa imperia teneant, videntur tamen invicem regni totius habere potestatem: sicut & ipsa elementa quæ retinent, physica inter se quadam ratione junguntur. Sic in Georg. *Temporibusque parem diversis quattuor annum.* Ipsorum etiam numinum sceptra significant. Iuppiter enim trifido utitur fulmine. Pluton, cerbero: Neptunus, tridente. Multi enim quærunt cur modo Neptunus de alienis conqueratur elementis. Aut certe *terram* pro mari posuit, ab eo quod continet, id quod continetur; quia ipse dicitur γαιήοχος & ὀρεσίγαιος id est movens terram: & *cœlum* pro aëre. Constat enim terram cum aqua in aëre libratam. MEO SINE NVM. Hoc est, *& laxas sciret dare jussus habenas.* NVMINE VENTI. Distingue *Numine*, ut *Venti*, convitium sit.

QVOS EGO. Deficit hoc loco sermo. Et congrue; nam qui irascitur perturbatæ mentis est. Subauditur *quos ego ulciscar*; ergo ἀποσιώπησις est; hoc est ut ad alium sensum transeat, ideo abruptum & pendentem reliquit. & necessario post tale schema, SED, conjunctionem sequi ut, *Quamquam ô*, sed: Terent. *Quem ego si sensero? sed quid opus est verbis.* SED MOTOS PRÆSTAT COMPONERE FLVCTVS. Prudenter agit, plus est enim innocentibus succurrere, quam nocentium delicta punire. PRÆSTAT. Melius est. ut, *Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni.* Et notandus sermo. nam & per se plenus est, & tam accusativo jungitur, quam septimo. Dicimus enim & præstat illum, & præstat illo. *Commissa* autem hic, pro peccatis.

POST MIHI NON SIMILI POENA COMMISSA LVETIS. Aut *non simili pœna*, id est & non ea qua Trojanos affecistis. aut certe MIHI NON SIMILI, id est vehementer irato: aut pro non impune post hac: nunc enim nullam pœnam sentiunt, nisi forte objurgationis. LVETIS. Persolvetis. Et hic sermo à pecunia descendit. antiquorum enim pœnæ omnes pecuniariæ fuerunt.

MATVRATE FVGAM. Cum maturitate, id est cum tranquillitate discedite. Quo modo dicimus, *Matura iracundiam tuam*, id est mitiga, pernitiosum enim Trojanis est si maturent fugam, hoc est si accelerent. Ergo *fugam* hic tantum discessum accipiendum.

DONATI.

TANTANE. Hoc genus invectionis non habet principium, & crimen exaggerat: ostendens illos non tantum suam, sed hæreditariam sectari temeritatem: quod vitium, quia naturale est, non potest emendari. Sunt enim venti à gigantib. qui bellum diis inferre ausi sunt, sed pœnas dedere. Ostendit igitur eorum esse crimen quod admiserant: esse etiam originale sanguinis.

GENERIS. non maculant filios paterna scelera: polluuntur tamen si illa sectantur.

IAM CÆLVM. obscura brevisque oratio, & quia iratus erat & ad succurrendum properabat. Denique transit ab aliorum elementorum iniuria, à quibus erat alienum, & venit ad propriam. MEO. quasi dicat, me contempto. VENTI. abjecte pronunciandum, ut convitium sit, non nomen.

TANTAS MOLES. mira probatio criminis, ut non solum asserat verbis, sed & ipsis aspectibus subdet.

QVOS EGO. duo pronomina cum pondere maximo. QVOS. scilicet sceleratos & ex pessimis ortos: & quæ similiter intelligi possunt. EGO. scilicet imperator loci, & de potiorib. diis. Non ulciscitur, sed non dimittit eos sine metu futuræ pœnæ, ne se invalidum demonstraret.

SED MOTOS PRÆSTAT. addit causam dilatæ pœnæ.

POST MIHI. si quid deinceps ausi fueritis, re, non verbis puniam.

MATVRATE. celerius remeate. REGI. mittit & regi convitia, deformans regni ipsius potestatem, & personam; asserens non habere regnum, sed saxa: non aulam, sed esse custodem carceris.

VARIORVM.

IAM COELVM. Proverb. *Cœlum terræ miscere.* Et Florid. lib. 2. cap. 11. HARTVNG.

MATVRATE FVGAM. Macrobius lib. 6. c. 1. Floridus lib. 2. cap. 11. succis. lectionum. HARTVNG.

Digitized by Google

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos. illa se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere, regnet.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, Solemque reducit.
Cymothoë simul, & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti,

SERVII.

SÆVVM. Vel magnum & potentem, ut superius: vel vere sævum in ventos, quia minatur. TRIDENTEM. Ideo *Tridens* Neptuno adsignatur, quia mare à quibusdam dicitur tertia pars mundi; vel quia tria genera aquarum sunt, maris, fluminum, fluviorum: quibus omnibus Neptunum præesse nonnulli dicunt.

SED MIHI SORTE DATVM. Sorte ideo ait, quia Iuppiter & Neptunus & Dis pater, Saturni & Opis filii, cùm de mundi possessione certamen inissent, placuit ut imperium sorte dividerent; ita effectum est ut cœlum Iuppiter; maria Neptunus; Dis pater inferos sortirentur. SORTE. Ac si diceret, potuisse se etiam cœlum tenere; nec sine suo arbitrio posse quemquam in suo regno habere potestatem: Æolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse. IMMANIA. Aspera: Manum enim antiqui bonum dicebant: unde & mane dicitur. Quod enim melius? unde per Antiphrasim manes vocati, quod non sint boni.

VESTRAS EVRE DOMOS. Irascentium est uti proprio nomine, ut Terentius, *Ego te in pistrinum Dave dedam.* Aut quasi contra principem tempestatis irascitur: quem primum constat egressum. quia supra, *Vna Eurusque Notusque ruunt.* Quod autem dicit SAXA IMMANIA, VESTRAS DOMOS. de Pseudolo Plauti translatum est, ubi ait, *Nisi forte carcerem tu aliquando effregisti vestram domum.* Et figurate *saxa* domos: vario enim significatu idem ostenditur. IACTET, pro glorietur: veluti, *Nullo tantum se Mœsia cultu Iactet*, & hoc ex accidenti sumptum. quoniam qui sunt in aliqua re gloriosissima, motu quodam & incessu corpus suum jactant. AVLA. Irrisio est: quia sequitur, CARCERE. & nihil tam contrarium si simpliciter intelligimus.

CLAVSO. Quia ventos emittere non ipsius potestatis est, sed jubentis. & hoc est *fœdere certo*, &, *Dare jussus habenas.* VENTORVM. Non otiose sed per exprobrationem, poterat enim dicere vestro, sed ut supra. *Meo sine numine venti.* CARCERE REGNET. Licet carcer, tamen regnum est Æoli: hæc enim pro affectu possidentis intelligenda sunt: ut alibi quum de rure loqueretur, *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* Et bene regnum Æoli custodiam carceris dixit.

DICTO CITIVS. Non antequam diceret: dixit enim Sic ait. sed citius quam dici potest. PLACAT. Sub poëtica licentia physicam quoque tangit rationem. Mare enim dicitur esse Neptunus: quem superius dixit graviter commotum, quia tempestas erat. nunc ait PLACAT, quia jam sedari cœperant maria.

COLLECTAS. Aut nunc collegit ac fugavit; aut ante à ventis collectas fugavit, id est resolvit. Colligere enim nubes dicitur cælum; ut, *Aut, si nox pluviam ne colligat ante veremur.* SOLEMQVE REDVCIT, per *Solem* serenitas intelligenda, quod superius dixit, *Eripiunt subito nubes cœlumque diemque.* Quis enim ignorat diem constare per Solem, & consequens erat, ut fugatis nubibus Sol rediret.

CYMOTHOE. Nomina deorum marinorum plerumque de caussis sunt ficta ab elementis, quæ numina dici voluere majores: ut, *Cymothoe*, id est cursus fluctuum, ἀπὸ τοῦ θεῖν τὰ κύματα. TRITON. Similis Deus marinus, Neptuni & Salatiæ filius deæ marinæ, ab aqua salsa dictæ. ADNIXVS. Antiquum est, ut connixus, quibus hodie non utimur. Dicimus enim adnisus & connisus. sed multa alia usus contra antiquitatem vindicavit. Illi enim parsi dicebant, nos peperci. Item nos dicimus suscepi; illi dicebant succepi, ut *Succepitque ignem foliis.* ADNIXVS. Zeugma est, adnixi enim debuit dicere; ut paulo post, *Haud aliter, puppesque tuæ pubesque tuorum.* Aut portum tenet: Ergo *adnixus* ad Tritonem tantum pertinet, qui Cymothoen juvat; aliis non videtur zeugma esse, quod *adnixus* non connixus. Ordo tamen est, Cymothoe simul ac Triton acuto detrudunt naves scopulo, ab aris, in quas *tris Notus abreptas in saxa latentia torquet.* LEVAT. Leves ac navigabiles facit: ut, *Nostrumque leves quæcunque laborem.* Alii *levat*, laxat; ut, *atque arta levari Vincla jubet Priamus.* TRIDENTI, autem pro Tridente, dativum pro ablativo.

DONATI.

DICTO CITIVS. Effectus statim apparet objurgationis & dilatæ pœnæ: ut dicto citius placidum fiat mare, & omnium elementorum removet injuriam.

VARIORVM.

ILLA SE IACTET IN AVLA. Cælius l. 12. cap. 5. Æoli habitationem non absurde vocasse aulam notat Rhodigin. lib. 12. cap. 5. HARTVNG.

DICTO CITIVS. Proverb. *Simul dictum ac factum.* HARTVNG.

TRITON. De hoc vide Theoc. in Europa, Hesiodum in Theogonia, Ovid. lib. 1. Metamorph. HARTVNG.

Et vastas aperit Syrteis, & temperat æquor,
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac, veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem, ac meritis, si forte virum quem
Conspexere; silent, arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam

SERVII.

APERIT. Ideo quia arenarum congerie impediente, præclusæ ad navigandum erant. Cæterum bis idem. Ergo immisso in eas mari aptas ad navigandum fecit. Sic Sallust. *Sed ubi tempore anni, mare classibus patefactum est.* TEMPERAT. Tranquillum facit. ATQVE ROTIS. Bene non moratur in descriptione currus, ut citius liberetur Æneas. At in 5. ubi nullum periculum est, plenius & latius & placantem maria Neptunum. Sic etiam in orationibus facit, quas pro caussis vel extendit, vel contrahit, ut in Secundo libro, quoniam imminet periculum, uno versu ait, *Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?* APERIT, ostendit. TEMPERAT. tranquillat, serenat.

PERLABITVR VNDAS. Figura est, Quod enim nos modo dicimus per præpositionem nomini copulatam sequente verbo; antiqui verso ordine præpositionem detractam nomini, jungebant verbo; ita tamen ut esset una pars orationis, & faciebant honestam elocutionem. Nos dicimus PER VNDAS LABITVR: illi dicebant PERLABITVR VNDAS. Item, per forum curro, & percurro forum. Notandum plane quod plerunque suum regit casum, plerunque ad ablativum transit.

AC VELVTI MAGNO IN POPVLO. Virgilius tempestati, populi motum comparat. Tullius populo tempestatem; pro Milone, *Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum.* Ita & Homerus seditioni tempestatem κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης. ideo autem MAGNO addidit, quia ubi frequens est populus, ibi & crebra seditio. ut quidam *populum* totam civitatem, *vulgum* vero plebem significari putant, sæpe autem ut fieri solet.

SEDITIO. Seditio est sicut Cic. ait, in de R. P. *publica dissensio civium.* Quod seorsim eunt alii ad alios, seditio dicitur. ANIMIS IGNOBILE VVLGVS. Id est stultum: ut contra nobilem, animum prudentium dicimus. ideo autem paulo post ait, *Arrectis auribus.* Sumsit translationem ab animalibus, quæ utique stultiora sunt. VVLGVS autem masculi & neutri invenitur, sed generis neutri hoc loco; alibi masculini, ut, *In vulgum ambiguas.* Et hoc est artis, ut masculino utamur; quia omnia nomina latina in *us* exeuntia, si neutrius generis fuerint, tertiæ declinationis sunt, ut pectus pectoris: si secundæ autem fuerint declinationis, masculina sunt. vulgi ergo facit non vulgeris, ut docti, clari, boni. usurpatum tamen est ut neutrum genus sit propter unum Græcum nomen, id est pelagus. Cum enim pelagi faciat, neutri tamen est generis.

IAMQVE FACES ET SAXA VOLANT Multi non *volant*, sed *volunt* invenisse se dicunt. Sed Cornutus, *verendum ait, ne præposterum sit faces velle, & sic saxa cum alibi maturius, & ex ordine dictum sit. Arma velit poscatque simul, rapiatque juventus.* FVROR ARMA MINISTRAT: Sic alibi, *Rimanti telum ira facit.* Sane summa velocitate sensus explicitus.

GRAVEM. Venerabilem: unde & contemptibiles, leves dicimus. vel pietate gravem, cujus illis authoritas ob pietatem est gravis: & bene servat circa hunc rhetoricam diffinitionem, cui dat & justitiam & peritiam dicendi: ut, *Tum pietate gravem;* &, *Ille regit dictis animos.* Orator enim ita diffinitur, *Vir bonus, dicendi peritus.*

ARRECTIS AVRIBVS. Translatio à mutis animalibus, quibus aures mobiles sunt. An aures pro audiendi sensu posuit, secutus Terentium, qui ait, *Arrige aures Pamphile.*

DONATI.

AC VELVTI. hac comparatione datur occasio, ut ostendat cujus meriti & gravitatis debet esse, qui in civitate sua princeps est. Nam cum ventum est ad furorem, si virum præstantem meritis audiunt, ejus dictis acquiescunt.

SEDITIO. Vt populus furens, motus gravitate viri quiescit, sic mare autoritate rectoris quievit.

VARIORVM.

TVM PIETATE GRAVEM. Oratoris insignis descriptio; quem virum bonum, dicendi peritum voluit esse Quintil. lib. 12. cap. 1. H.

CONSPEXERE SILENT. Hom. Odyss. θ. οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν τερπόμενοι λεύσσουσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει. H.

ARRECTIS AVRIBVS. Proverb. Arrectis auribus. H.

ILLE REGIT DICTIS ANIMOS. Bene *regit*, ψυχαγωγεῖ, qui effectus est Eloquentiæ. Nam & Aristoteles *Eloquentiam Sapientiæ unctam, humanæ vitæ rectricem* nominat: Euripides *Reginam*: Ennius *Flexanimam.* Vide Valer. Maxim. lib. 8. cap. 8. TAVBMAN.

Pro-

Digitized by Google

Prospiciens genitor, cæloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Aeneadæ, quæ proxima littora, cursu
Contendunt petere, & Lybiæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus; insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice late

SERVII.

GENITOR. Venerabilis: ut, *Tybri pater.* Ergo hoc nomen & ad verum patrem pertinet, & ad honorem refertur. Sane veteres omnes Deos patres dicebant. CÆLOQVE INVECTVS APERTO. Non per cœlum vectus, sed cœlo jam sereno, vectus per maria.

FLECTIT. Quidam *flectit*, pro regit accipiunt, ut interdum *Torquet* in eodem significatu ponit, *qui numine torques.* CVRRV. Non ut quidam putant, pro currui posuit, nec est Apocope: sed ratio artis antiquæ, quia omnis nominativus pluralis regit genitivum singularem; & isosyllabus esse debet, ut hæ musæ, hujus musæ: hi docti, hujus docti. Item à genitivo singulari dativus regitur singularis, ut isosyllabus sit: ut hujus docti, huic docto. Inde ergo est, *Curruque abscissa duorum Suspendit capita.* Et, *Libra die*: ne si diei fecisset, major esset nominativo plurali. SECVNDO. Trojanis obsequenti: Et tractus est sermo à sequentibus servis, id est pedissequis. Vnde & secundam fortunam dicimus, quod secundum nos est, id est prope nos, à sequendo.

DEFESSI ÆNEADÆ. Nunc Trojani, aliquando Romani: ut, *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.* PROXIMA LITORA. Quia post periculum non eligitur litus, sed quodcunque occurrerit occupatur. CVRSV. Aut secundum quod superius diximus, *Proxima cursu*, id est cursui. Aut contendunt cursu petere. Et est septimus casus. ut hic cursu de navibus, ita alibi iter: *Vnde iter Italiam*; & in 5. *Certus iter.* Saltationes etiam navium dicebant, quod est animalibus terrestribus proprium.

VERTVNTVR. Scilicet à proposito itinere: hoc est ab Italia.

EST IN SECESSV LONGO. Topothesia est, id est fictus secundum poëticam licentiam locus. Ne autem videatur penitus à veritate discedere, Hispaniensis Carthaginis portum putatur descripsisse. Cæterum hunc locum nusquam in Africa esse constat, nec incongrue propter nominis similitudinem posuit. Nam Topographia est rei veræ descriptio. SECESSV. Sinu secreto. LOCVS autem, Subaudis quem; ut superius, *Vrbs antiqua fuit.* Et sciendum est, quotiens præmittimus nomen cujuslibet generis, & interposito pronomine sequitur nomen alterius generis: melius illud pronomen proprii nominis genus sequitur, ut Salustius, *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur.* Ecce proprio junxit, non appellativo. Tullianum enim proprium nomen est: carcer, appellativum. Si autem utraque nomina appellativa fuerint, licenter cui volumus respondemus. INSVLA PORTVM EFFICIT. Hoc enim solummodo portus quod illi insula ante posita est. Quem locum subaudimus, vel in quo insula portum efficit.

INQVE SINVS SCINDIT SESE VNDA REDVCTOS. Dividit se unda in sinus reductos, id est replicabiles. *Inque sinus* autem antiqua est locutio. Sic ipse alibi, *Inque salutatam linquo.* Cajus Memmius de Triumpho Luculli. IIII. *Inque luxuriosissimis Asiæ opidis consedisse.* & mox; *Inque Gallogræciam redierunt.* GEMINI. Pares, similes: alioqui & duos significat. MINANTVR. Eminent: ut, *Minæque murorum Ingentes.* Item, *Illa usque minatur*, Et ita est, ut quæ eminent minari videantur.

SVB VERTICE. Circa radices montis, quæ ad rectam lineam suspiciunt cacumen, id est verticem.

DONATI.

CÆLO APERTO. Qua dixerat, *eripiunt subito nubes cælum.* liberavit igitur à tempestate Trojanos Neptunus, sed eventus aliud attulit. Nam illos in Lybiam terram Iunonis inimicæ detulit. Ergo in casum deteriorem devecti sunt.

DEFESSI. Licet fessi, nitebantur tamen proximam terram attingere, ne interea aliquis casus emergeret.

CONTENDVNT. Ostendit cursus difficultatem, quem fessi complere nitebantur, maxime, quia in aqua difficilior gressus est properantibus cursum.

EST IN SECESSV. Loci hæc descriptio negotio necessaria est. Placiditas enim fuerat pelagi procuranda, propter corruptas naves: Hanc vero præbebat objectus laterum: secretum vero proficiebat, quia cavendum erat propter regiones incognitas, & hoc dabat longitudo secessus: Nympharum domus, aquarum copiam præstabat. Sunt & defensacula adversus Solem, antrum & nemus. Tantaque erat opportunitas loci, ut naves anchoris non essent tenendæ.

AB ALTO. à mari: Mira igitur brevitas, quæ contineat omnia necessaria. cum autem locus contineatur quatuor partibus, ponit duo latera, & ingressum; quartam deinde partem posuit.

VARIORVM.

EST IN SECESSV. &c. Topothesia, quæ videtur translata ex Homeri Odyss. v. Φόρκυνος δ' ἐς ἐν λιμήν. Macrob. lib. 5. cap. 3. Similis Odyss. κ. quoque, &c. HARTVNG.

Æquora tuta silent. tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. hic fessas non vincula naveis
Vlla tenent, unco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troës arena,
Et sale tabenteis artus in littore ponunt.

SERVII.

ÆQVORA TVTA SILENT. Tempestate defensa, ideo silent. TVM SYLVIS SCENA CORVSCIS. Sylvis coruscis: hoc est sylvarum coruscarum, id est crispantium. ut, Iuvenalis, *Longa coruscat Sarraco veniente abies*. Et posuit septimum pro genitivo, ut superius: *Pulcira prole*. CORVSCIS. Tremulis, vel umbrantibus accipiunt.

SCENA. Inumbratio. Et dicta scena [illegible]: apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit: sed de frondibus vmbracula quærebant. Scena autem pars theatri adversa spectantibus, in qua sunt regia. DESVPER. Pro, supra, præpositione contra rationem adjecta.

HORRENTI. Horror plerunque ad odium pertinet: plerunque ad venerationem, ut hoc loco. sic Lucanus, *Arboribus suus horror inest*. ATRVM NEMVS. Tropus est; per atrum enim nigrum ostendit, per nigrum umbrosum: per umbrosum, densum, id est frondibus plenum.

VIVO. Naturali: ut, *Vivo prætervehor hostia saxo*.

NYMPHARVM DOMVS. Aut verum dicit, & est historia: aut ad laudem pertinet loci. Talis inquit locus est, ut domus credatur esse Nympharum.

HIC, pro illic more suo. ANCHORA MORSV. supra Anchora dens ferreus est, ex Græca Etymologia, quod quasi hominis manus comprehendat scopulos, vel arenas. Nam manus Græce χείρ dicitur. Hoc nomen cum in Græco, unde originem ducit, aspirationem non habeat, in latino aspiratur: quod est contrarium. nam magis Græcorum est aspiratio. Sed hoc in paucis nominibus invenitur. MORSV autem de anchoris bene dixit: cum alio loco inveniamus, *Tum dente tenaci Anchora fundabat naves*.

HVC SEPTEM ÆNEAS COLLECTIS NAVIBVS OMNI. Quidam volunt hoc loco quæstionem nasci; Si favet Neptunus Trojanis, cur cum omnibus navibus ad Africam non pervenit Æneas. Sed Neptunus postquam sensit tempestatem commotam, potuit de periculo liberare Trojanos: ante facta vero mutare non potuit. Nam & Orontis navem cum omnibus sociis ejus constat periisse, & simul libri œconomia periisset, si Æneas cum omnibus navibus pervenisset. volunt autem septem naves ita interim colligi, ut una Æneas, ut tres de saxis à Cymothoe & Tritone, tres de Syrtibus, Neptuno Syrtes navigabiles faciente, liberatæ sint: reliquæ tantum dispersæ sunt, quas paulo post legimus ad Africæ litus adpulsas. Novam tamen rem Nævius bello Punico dicit, unam navem habuisse Æneam, quam Mercurius fecerit.

TELLVRIS AMORE. Cujuscunque terræ post pericula. unde & superius dixit, *Quæ proxima littora cursu Contendunt*. Et paulo post infert; *Optata potiuntur Troes arena*. Nam revera hæc optata non erat eis qui ad Italiam festinant. Et *Arena* aut pro terra posita est; aut & arena grata potuit esse post mare. *Tellurem* autem pro terra posuit, quum *Tellurem* ipsam deam dicamus: *terram* elementum; ut plerunque Vulcanum pro igne ponimus, Cererem pro frumento; Liberum pro vino.

ARENA: Quæritur, habeat necne nomen hoc aspirationem. & Varro sic diffinit, *Si ab ariditate dicitur, non habet: si ab hærendo, ut in fabricis videmus, habet*. melior tamen est superior etymologia.

SALE TABENTEIS. Supra. * à multa, aut madefactos aspergine, aut qui apud sentinam laboraverint. Nam supra ait. *Omnes accipiunt inimicum imbrem*. Sane marina aqua dicitur exesse & extenuare ut cætera, sic corpus humanum. IN LITORE. Pro in litus, ut 8. Æneid. *Arma sub adversa posuit radiantia querca*, pro sub adversam quercum.

DONATI.

FRONTE SVB ADVERSA. Semper autem loca sic poëta describit: ut ingrediens. Sic facit Salust. quæ omnia mutabuntur, si ut recedens scribat. Addit autem descriptioni duos altos scopulos, ut sit. Vnde latus prospectus in pelagus appareat ad inquirendas naves ab Ænea separatas: Opacitas autem, ut minus ab externis conspiciatur, facit.

SEPTEM. Vna, in qua ipse erat, tres de saxis, tres de syrtibus ereptæ.

OPTATA. quia contrariam perturbatione pelagi viderant, cum navigia ad imum usque deprimerentur.

TABENTES SALE. à contrario. sal enim conservat. Sed inventus est casus, ut tabescat sale, quod servari convenit. Aqua enim maris quamvis salsa, admittit corruptionem.

VARIORVM.

ALLIGAT ANCHORA MORSV Hom. Od. 9. ὁ χεῖρ [illegible] id. HART.

Ac

Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt, fessi rerum: frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

SERVII.

AC PRIMVM SILICIS SCINTILLAM EXCVDIT ACHATES. Bene adjecit speciem, quia in lapidibus certis, invenitur ignis. EXCVDIT, feriendo elicit: quia cudere est ferire. unde & incus dicitur: quod illic aliquid cudamus, id est feriamus. ACHATES. Allusit ad nomen. Nam achates lapidis species est. Bene ipsum dicit ignem excussisse. unde etiam Achatem ejus comitem dixit. Lectum est in naturali historia Plinii, quod si quis hunc lapidem in annulo habuerit ad custodiam ejus proficit, & gratior esse videatur.

SVSCEPIT. Pro suscepit: ut supra dictum est. NVTRIMENTA. Cic. de Oratore. *Et qui deducta hujus nutrimenta eloquentiæ ipsa se postea coloravit.* RAPVITQVE IN FOMITE FLAMMAM. Pene solœcophanes est. nam cum mutationem verbi significet, ablativo usus est: sed hoc solvit, antiqua circa communes præpositiones licentia, ut est, *Conditus in nubem*: contra. Et, *nota conduntur in alvo.* Item, *Sæva sedens super arma.* Et: *Geminæ super arbore sidunt.* Cicero, *Quod ille in capite ab hostium duce acceperat.* Item, *Et si fortes fueritis in eo*, supra* quoniam nemo &c. *sit ausus defendere.* Aut RAPVIT, raptim fecit flammam in fomite. i. celeriter. Et mire *Rapuit*, opus est enim velocitate ad tale ministerium. Sane fomites sunt assulæ, quæ ab arboribus cadunt, quando inciduntur, quod foveant ignem. Clodius scribit, Commentariorum IIII. *Se fomenta talea excisa ex arboribus* *. Item alio loco, *Assulæ ambustæ, ligna excavata à fungu nomine excepto.*

CEREREM. Metonymia pro frumento. CORRVPTAM VNDIS. Vndis emollitam. CEREALIAQVE ARMA. Fugiens vilia, ad generalitatem transiit, *Arma* enim generaliter omnium rerum instrumenta dicuntur; ubi reponuntur, armaria dicta sunt: Ergo hic propter carminis dignitatem refugiens vilia, rem vilem quæ ad omnia instrumenta pertinent, i. arma, propter carminis dignitatem: & rem vilem auxit honestate sermonis: ut alibi, ne lucernam diceret; ait, *Testa cum ardente viderent Scintillare oleum.* Et sciendum est judice Euphonia dici Cerealia, vel Cerialia: Typhœa, vel Typhoja: Cæsareanus vel Cæsarianus. In his ergo licentia derivationis est.

EXPEDIVNT. Nigidius de hominum naturalibus IIII. *Omnis enim ars materia inventa circa quam versetur, ferramenta, vasa, instrumentum, armamenta quæ s. q. primum comparat, per quæ opera sua efficere possit.* FESSI R. Hoc est penuria fatigati, id est esurientes, quod fere labores fames subsequitur. Et FESSVS generale est: dicimus enim fessus animo: incertus consilii. ut; *Ter fessus valle resedit.* & fessus corpore, quod magis est proprium. Et fessus rerum à fortuna venientium, ut hoc loco. Epitheta enim nunquam vacant: sed aut ad augmentum, aut ad diminutionem, aut ad discretionem poni solent. FRVGES. Generaliter omnes fruges dicuntur: & errant qui discernunt frumenta à frugibus. Nam Cic. ait, *Olei & frugum minutarum.* quum de leguminibus diceret, ut ostenderet etiam frumenta fruges vocari. Frugum autem nomen tractum est à frumine, id est eminente sub mento gutturis parte. RECEPTAS. Liberatas de periculo: ut, *Medioque ex hoste recepit*, id est liberavit.

ET TORRERE PARANT FLAMMIS ET FRANGERE SAXO. Multi Hysteroproteron putant, non respicientes superiora: quia dixit undis Cererem esse corruptam, quam necesse fuerat ante siccari. Qui tamen contra hoc, illo utuntur exemplo, *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.* Et volunt etiam hic Hysteron proteron esse, quod falsum est. Nam & hodie siccarriante fruges, & sic frangi videmus. Et quia apud majores nostros molarum usus non erat; frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi. unde, & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur. Pinsere autem dici Persius probat, ut, *A tergo quem nulla ciconia pinsit.* Quidam ne ὕστερον πρότερον esset, Alios torrere, alios frangere accipiunt. Accius Troadibus. *Nocturnam saxo fruges franges torridas.* Sane his versibus *Tum Cererem corruptam undis. Et, torrere parant flammis & frangere saxo*, jus Pontificum latenter attingit. Flaminibus autem farinam fermentatam contingere non licebat. Cum autem dicit, *Cererem corruptam undis et torrere parant & frangere saxo*; quid aliud ostendit, quam mox eos sine frumento panem coxisse, qui omnes fruges corruptas protulerant. non autem expectasse eos fermentum, docet illo versu. *Tum victu revocant vires.*

DONATI.

ACHATES. ignem fieri curabat, ut madidas fruges torreret, ut sic siccatæ frangi possent. Non ergo est præpostera ordinatio. neque dixit coquere, sed torrere. Nam meminerat dixisse: *Omnes accipiunt inimicum imbrem.* Reliqui igitur seipsos curabant, Æneas autem anxius de salute sociorum, labori non pepercit, sed altitudinem scopuli ascendit. Non ergo tantum pertinet ad prospectum descripta altitudo scopuli, quantum ad laudem Æneæ: qui aut non prospexit vim pelagi, aut de refectione corporis non curavit: & ut salutem sociorum procuraret, nullo victus labore, tantam altitudinem ascendit.

VARIORVM.

CEREALIAQVE ARMA. Quintil. lib. 8. c. 6. HARTVNG.

Æneas scopulum interea conscendit, & omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea, si qua
Iactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn; aut celsis in puppibus arma Caïci.
Navim in conspectu nullam, treis littore cervos
Prospicit erranteis: hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.

SERVII.

ÆNEAS. Merita personarum vilibus officiis interesse non debent: quod bene observat ubique Virgil. ut in hoc loco. Item in sexto cum diversis officiis Trojanos diceret occupatos: ait, *At pius Æneas arces quibus altus Apollo Præsidet.* Nisi cum caussa pietatis intervenit, ut ad sepeliendum socios miscendo se operi hortatur, *Nec non Æneas opera inter talia primus Hortatur socios, paribusque accingitur armis.* SCOPVLVM. Id est speculam. Et quando speculationem significamus, generis est fœminini: ut, *Specula Misenus ab alta.* Speculum autem in quo nos intuemur, generis est neutri, ut Iuvenalis, *Speculum civilis sarcina belli.*

LATE PETIT. In quantum potest. PELAGO. In pelagus, ut, *Inferretque deos Latio.* ANTEA SI QVA. Ordo est, Ascendit scopulum requisiturus Antea, Capyn, Caicum, si quem videat. Et est usus hoc genere locutionis, quo etiam Terentius, qui dixit, *Quod plerique omnes.* Atque nihil tam contrarium: Omnes enim generale est. Plerique speciale. Ordo ergo est: *Quod omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, plerique equos alere, plerique canes.* Aut certe QVEM vacat, ut superius diximus, istas frequenter vacare particulas. ut ipse Virg. *Rhebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est.* nemo dicit siqua ulla, sed si ulla. Vacat ergo QVA. Item in Lucillio, *Ecquem Pamphilum queris.* QVEM vacat. nam de uno loquebatur. Ergo *si quem videat*, pro *si videat*, posuit; cui contrarium ponebant veteres NVLLVM: Si quem vidisti; nullum vidi, pro non vidi. Sane legitur & *si qua*, ut sit si qua ratione.

PHRYGIAS. Trojanas: Troja enim Phrygia provincia est. Et verisimile est, Æneam de omni illa Provincia socios habere potuisse. Secundo enim ait *undique convenere, animis opibusque parati.* dicta autem ab Æsopi filia Frigia nomine. BIREMES. Naves habentes remorum ordinem geminum: ut alibi, *Triplici pubes quam Dardana versu Impulit.* Quidam tamen biremes ad suum tempus volunt dixisse Virgilium, negantes Trojis temporibus biremes fuisse. Varro enim ait, post aliquot annos inventas biremes.

IN PVPPIBVS A. C. Quia navigantium militum est in puppibus arma religare. Fiebatque signi gratia: aut *Arma* pro navalibus armamentis; ut, *Colligere arma jubet*: & alibi, *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.*

ERRANTEIS. Pascentes: ut alibi, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* re vera enim dum pascuntur, vagantur. Et in septimo de cervo, *Errabat sylvis.*

CERVOS. Cervi dicti sunt ἀπὸ τῶν κεράτων, i. à cornibus. Sciendum etiam Latina nomina, Græcam plerunque etymologiam recipere. Sed cervi non sunt in ea parte Africæ, id est in provincia nunc proconsulari, ad quam venit Æneas. Aut fictus ergo est secundum poëticum morem: aut ob hoc dictum, quia heroicis temporibus ubique omnia nascebantur: ut ipse, *Omnis feret omnia tellus.* aut possunt tunc fuisse; Sed, ut multis aliis locis variæ mutationes factæ, licet quidam *cervos* pro quacunque fera dictos accipiunt: quia post ait, *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.* Nam male quidam eos de vicinis insulis transfretasse tradunt, & ideo *errantes* quod in ignotis locis essent. PROSPICIT ERRANTEIS. Pascentes. ut, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* re vera enim dum pascuntur, vagantur.

TOTA. Inter totum & omne hoc interest; quod totum dicimus unius corporis plenitudinem: omne de universis dicimus; ut puta, Totum auditorium habet scholasticos, hoc est, plenum est auditorium scholasticis. omne auditorium habet scholasticos, id est omnia auditoria. Vsurpant tamen poëtæ & ista confundunt; ut hoc loco TOTA pro omnibus posuit: & contra pro toto, omnem posuit: ut est, *Omnemque reverti per Trojam.* Statius, *Et totos in pœnam ordire nepotes*, id est omnes. Plerique derivationem ducunt ab eo quod est tot, totus: ut ab eo quod est quot, quotus. sed illud notandum, quod in derivatione mutat plerunque naturam: nam cum TOT naturaliter brevis sit, TOTVS producitur: quotus vero secundum originem suam brevis permanet. ARMENTA. Videtur nove de cervis dixisse, cum *armenta* proprie boum sint, vel equorum, vel cæterorum quibus in armis utimur.

AGMEN. Agmen proprie dicitur ordinata multitudo, ut est ambulantis exercitus. neque enim in uno loco stans, agmen vocatur: aut si inventum fuerit, usurpatum est: unde bene adjecit LONGVM, ut incedentium ostenderet significationem.

DONATI.

PROSPICIT. Bis accipe: ut navem nullam prospicit, sed tamen prospicit cervos.

VARIORUM.

SCOPVLVM INTEREA CONSCENDIT. Homer. Odyss. κ. Στῆν δὲ σκοπιὴν ἐς παιπαλόεσσαν ἀνελθών. HARTVNG.

SEQVVNTVR A TERGO. Quidam dispungunt τὸ *sequuntur*: quod qui sequitur, necessario à *tergo* sequatur. Sed hic pleonasmus frequens est. CORRAD.

Consti-

Constitit hic, arcumque manu, celeresque sagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferenteis,
Cornibus arboreis sternit; tum vulgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, & socios partitur in omneis.
Vina, bonus quæ deinde cadis oneraret Acestes,

S E R V I I.

CONSTITIT. *Con* secundum naturam brevis est semper, excepto quum f litera, vel s sequitur: tunc enim tantum producitur, sicut in syllaba, insula, infula. HIC. Pro, Tunc, aut pro Ibi.

CORRIPUIT. Aut de pharetra *Corripuit*: ut est, *Corripit hic subita trepidus formidine ferrum.* Aut corripit ab Achate & quomodo ab Achate quem apud ignem occupatum dixit, sed eum secutum esse per silentium intelligamus: ut illo loco, *Ni jam præmissus Achates afforet.* Item, *Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit,* GEREBAT. Aut tunc: aut quę gerere consueverat.

CORNIBUS ARBOREIS. Aut subaudi *cum*, ut illo loco, *Atque Ixionei vento rota constitit orbis*, i. cum vento. Aut certe secundum supradictam figuram. CORNIBUS ARBOREIS, pro Cornuum arboreorum: Melius tamem est, ut. CUM subaudiatur. TUM VULGUS. Bene VULGUS, ductoribus interemptis. Ennius, Avium vulgus & hastatum, id est multitudinem & hastarum & avium.

MISCET. Perturbat, circumagit, insequitur. FRONDEA pro frondosa posuit. Sæpe enim dum varietati declinationis student poëtæ, mutant proprietatem: nam frondeum est totum de frondibus, ut torus. Frondosus vero est locus qui frondes habet: licet enim locus, qui frondes habet, abundet frondibus; non tamen est de frondibus totus, ut saxosus, saxeus. TURBAM. Multitudinem, Cicero in Verrinis. *Videt in turba Verrem.* Plautus in Amphitruone, *Deinde utrique Imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum.* QUAM SEPTEM. Bene definivit numerum: necessitatis enim est hæc venatio, non voluptatis, in qua plura requiruntur. Nec enim conveniebat sociis diversis modis laborantibus, voluptati operam dare. VICTOR. Hoc loco propositi effector: ut est, *Atque votis insistere victor.*

FUNDAT HUMI. Per humum. Et est adverbialiter positum: ut, *Humi nitens*, id est per humum. CUM NAVIBUS. Cacephaton in sermone: quod fit si particulam CUM, N litera sequatur. Notandum sane est quod non omnia persequitur, neque enim indicat quo delati sint cervi.

HINC. Pro inde vel post. Abutitur enim adverbiis, more suo. PARTITUR. Salustius ait, *Provincias inter se partiverant.* Nam & partio & partior dicimus.

VINA BONUS QUÆ DEINDE CADIS ONERARAT ACESTES. Ordo est, Deinde vina heros dividit, quæ bonus Acestes Trinacrio litore cadis oneravit, & abeuntibus dederat. BONUS autem hic largus vel liberalis. Sane etiam Æneam bonum pro laude appellat, ut in v. *Quos bonus Æneas dictis solatur amicis.* *Bonum* etiam pro forti dicit Salust. *Sane bonus ea tempestate contra pericula & ambitionem.* Item Catilinæ * *Sed libertatem quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit.* DEINDE. Una syllaba tollitur metri causa.

D O N A T I.

GEREBAT. Vel tunc præsens: vel portabat Æneas tela, quæ Achates intentus igni excitando reliquerat. Non vidit naves, sed eventus ostendit cervos, quæ res non ad venandi voluptatem, sed ad victus necessitatem recepta est. Septem ergo majores stravit, in quibus alimoniæ major esset copia; multos deinde parvulos interemit. Reprehendunt autem temerarii, quod poëta dixit: *A tergo sequuntur.* Error est interpretantium. Nam tres cervos errantes in littore sequebantur, alii per valles à tergo pascebantur. Ita ergo legitur: prospicit treis cervos & hos sequuntur tota armenta, à tergo vero totum agmen pascitur. Ergo illi errabant, hi pascebantur. Neque enim omnes errabant, aut omnes pascebantur, sed alii erant subjecti oculis ejus, alii fuerant post ipsum. Similis autem versus est, *Thestylis & rapido fessis messoribus æstu*, hoc est, & Thestylis. Item, *Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.* id est, & puppibus. Ipsi quoque numeri, gregum diversitatem significant. De errantibus enim pluraliter dixit, de pascentibus vero ait, *A tergo, & longum per valles pascitur agmen.* Ergo in littore positos, pluraliter dixit; In vallibus vero pascitur agmen. Huc accedit, quod qui pascitur non errat, & qui errat non pascitur.

HINC PORTUM PETIT. Peracta cervorum strage, qua Trojanis satis sit, remeat ad naves.

BONUS. Bonus civis, & bonus largitor.

CADIS. Prætermisso cadorum numero, ostenditur vini copia. ONERARAT. Ostenditur non quantum voluerit largitor datum, sed quantum Trojani ferre potuerint.

V A R I O R U M.

FIDUS ACHATES. Ad Homericam poësin hoc accommodatur; ut enim ille Ulyssi Palladem individuum comitem fingit: ita hic Achatem Æneæ. ἄχος enim curam & sollicitudinem significat. H.

NEC PRIUS ABSISTIT. Homerus Odyss. 9. de capris αὐτίκα καμπύλα τόξα, καὶ αἰγανέας δολιχαύλους [illegible]. HART.

Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet:
O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora; dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonanteis
Accestis scopulos: vos & Cyclopea saxa
Experti: revocate animos, mœstumque timorem

SERVII.

TRINACRIO, Græcum est quod tria ἄκρας habeat. i. promontoria, Lilybæum, Pachynnum, Pelorum. Latine autem Triquetra dicitur. Sane Philostephanus περὶ τῶν νήσων, sine R litera Trinaciam appellat, ἣν τρίνακον αὐτῆς ἀκρῶν ἐβασίλευον. HEROS. Vir fortis, semideus, plus ab homine habens, ut ait Hesiodus. DICTIS MOERENTIA. Bene ante epulas & hortatur socios & solatur.

O SOCII. Ordo est, O socii revocate animos. Bene autem socios dixit, ut se eis exæquaret. Quidam *socios* pro remiges accipiunt, sed illi socii navales appellantur. IGNARI. Immemores. Et est Acyrologia. Ignarus enim est qui ignorat: immemor vero qui oblitus est. ANTE MALORVM. ὀψὲ. id est antiquorum malorum: ut alibi, *Cæli super labentia signa*. Et totus hic locus de Nævio belli Punici lib. translatus est. O PASSI GRA. Arte magna utitur. vult enim eos meminisse gravissimorum, ut præsentia facilius tolerent. Et bene graviora dicit esse transacta, ut de præsenti eos naufragio consoletur, & ut futura ostendat esse leviora. HIS QVOQVE. Scilicet sicut & gravioribus.

VOS. Vos certe estis. SCYLLÆAM. Exempla pro negotiorum qualitate sumere debemus: ut hoc loco, in marinis periculis ponit peractæ tempestatis exempla. RABIEM autem secundum antiquos dictam nonnulli adserunt; nam rabiam dici adfirmant.

PENITVSQVE SONANTES A. SCO. Id est valde sonantes, aut *valde accessistis*. i. juxta. Et bene ait *accessistis*. non enim passi sunt hæc pericula, sed his fuere vicini.

ACCESTIS autem pro accessistis, dictum per syncopen, quæ fit cum de media parte verbi, syllaba subducitur. CYCLOPEA. Aut quæ Cyclops in Vlyssem jecit: aut etiam Siciliam dicit, quæ plurimis locis saxosa promontoria habet, ibique Cyclopes habitaverunt, ut ipse. *Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo*. Aut Ætnam accipit, quæ propria Cyclopum fuit: nam & ipse in tertio ait, *Nocte illa tecti sylvis immania monstra Perferimus*. Quidam tamen hæc saxa inter Catanam & Tauroenium, in modum metarum situ naturali dicunt esse, quæ Cyclopea appellantur, quorum medium, & eminentissimum Galate dicitur.

REVOCATE ANIMOS. quos remisistis resumite, hoc est animo præsenti estote. MOESTVMQVE TIMOREM. Quod mœstos & sollicitos faciat: ut, mors pallida, & tristis senectus.

DONATI.

ABEVNTIB. Præter id quod manentibus dederat.

DICTIS. Non poterant in maximo mœrore cibum capere, ergo adhibenda consolatio erat, verum à persona aliena à mœrore, sed hæc in solitudine non reperiebatur: hanc igitur subit Æneas, qui animi præstantia mœrorem vincere poterat. Hic ita se gerit, ut neque se satis tristem ostenderet, ne à consolatione illos dejiceret, neque omnino à doloribus immunem, ne in sua causa omnino alienus videretur. MVLCET. Nam gravissime inflictus mœror, penitus removeri non poterat; sumpto aut cibo & vino, more humani ingenii speratur, animorum ventura relaxatio. Si autem hæc consolatio ab alieno fit, possit responderi Terentianum illud: *Tu si hic sis, aliter sentias*. Cum autem à socio malorum, potest attente audiri.

O SOCII. Scilicet laborum. Mira arte loquitur. Norat enim odiosum illud esse laborantibus, Vtpote cujus causa universi trahebantur per tot & tam diuturnas calamitates. Ponit ergo præmium: *ô socii laborum*, qui nil sine me passi estis: ergo debetis audire quæ dicam. IGNARI. Mira consolatio. Nam cum odiosa sit infortuniorum dura commemoratio, exulcerans eorum corda qui passi sunt, adjungit poeta commemorationi comparationem, ut dicta ipsa potius medicinæ sint, quam exulcerationi. Nam enumeratio præteritorum malorum ac graviorum, ostendit ferenda esse præsentia. Addit & sustinendi consuetudinem nutrivisse patientiam.

GRAVIORA. Vt in commodorum novitas gravius pervertit, sic ferendi consuetudo quicquid acciderit facilius tolerat. DABIT DEVS FINEM. ultro respondit, si quærerent: quando hæc mala invenient finem? & post comparationem gravat præterita, & levat præsentia: & à generali ad specialem rationem venit.

SCYLLÆAM. In mari Siculo est locus horrendis saxis obsessus, non autem mulier usque ad pubem humani corporis, inferius vero canibus armata.

ACCESTIS. Ostendit fortunæ suffragio ex intima saxorum parte liberatos.

VARIORVM.

O SOCII NEQVE ENIM IGNARI. Proverb. *Neque ignari sumus*. Hom. Odyss. μ. Macrob. l. 5. c. 11. ὦ φίλοι οὐ γάρ πω κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν. HARTVNG.

Mittite

Mittite. forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert, curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat; premit altum corde dolorem.

SERVII.

MITTITE, pro Omittite. Et bene qui præmiserat *revocate*, addit *mittite*. Est autem tropus Aphæresis, quomodo temnere pro contemnere. FORSAN. Forsis, forsitan, forte, fortasse, fors; ut, *Fors & vota facit.* &, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.* Sed omnia hæc unum significant: & varie pro metri ratione ponuntur. Dicitur tamen & fortasse, ut Terent. *Tu fortasse quæ hic facta sunt nescis.* OLIM. Temporis futuri modo. MEMINISSE. Memini & genitivum regit & accusativum: Dicimus enim & memini malorum, & memini mala, & justa ratione: nam memoriæ oblivio contraria est. Et obliviscor similiter & genitivum regit & accusativum, ut Tullius Cicero, *Obliviscere cædis, atque incendiorum.* & *Obliviscor injurias tuas ô Clodi.* IUVABIT. Sicut, Num priorum meminisse juvat, & multi juvabit, non delectabit, sed usus erit, tradunt; est autem futuri temporis. Sane hujus verbi præteritum perfectum anomalum est. nam cum primæ conjugationis verba tempore perfecto, aut in AVI exeant, ut armavi: aut in VI solutam, ut tonui: hoc verbum juvit, neque juvavi, neque juvivi, sed juvi. ut, Lucanus, *Iuvit sumpta ducem, iuvit dimissa potestas.*

PER VARIOS CASUS. Argumentum per comparationem, & bene dicendo casus, & discrimina præterita attenuat, neque enim ait pericula. RERUM autem potest salvo sensu omitti. SEDES UBI. Non vacat quod adjecit *quietas*, habuit enim sedes in Thracia, sed portentosas: & in Creta, sed pestilentes; & ideo non quietas. FATA autem quidam hic Deorum responsa accipiunt.

ILLIC FAS REGNA RESURGERE TROIÆ. Figura est etiam ante dicta, qua per contrarium aliquid intelligimus. Dicendo enim *illic fas*, ostendit alibi nefas, ut occurreret cogitationi sociorum, ne fatigati tot malis quascunque requirerent sedes; quod etiam in quinto factum est, navibus incensis. Bene autem regna Trojæ dixit, non Trojam quam amiserant. DURATE. Duri estote ad sustinendos labores. Sic Horat. *Vix durare possint imperosius æquor.* VOSMET. Met, παρέλκον est. Sciendum autem has particulas met, piam, te, ut egomet, quispiam, tute, & similia, ornatus caussa poni. Sunt autem adverbia. quicquid enim ab illis septem recesserit partibus, adverbium fit necesse est. Item quemadmodum probamus adverbia esse, quia dicimus docte facio, docte feci, docte fecisti; & mutato verbo remanet adverbium: ergo sic & in istis particulis invenimus: ut egomet, nosmet, ut mutatis casibus, vel personis eadem permaneant, adverbia sine dubio sunt. Nulla enim hoc alia pars rationis admittit. Notandum sane quod hæ particulæ plerunque naturam suam habent non syllabarum. Nam cum TE & MET longæ sint, tutemet dactylus invenitur, nec possumus harum partium naturam discutere, quia sub regulis non sunt.

VOCE REFERT. Pleonasmos est, qui fit quotiens adduntur superflua. ut, alibi, *Vocemque his auribus hausi.* Terentius, *His oculis egomet vidi.* CURIS. Cura dicta quod cor urat. denique paulo post ait, *Premit altum corde dolorem.* ÆGER. Æger est & tristis, & male valens. ægrotus autem sive ægrotans, tantum male valens.

SPEM. Lætitiam. ut, *spem fronte serenat*, ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Nam spem lætitia sequitur: spes in vultu non videtur, sed lætitia. Hæc autem figura & versa vice fit: ut intelligamus ab eo quod sequitur, id quod præcedit. ut, *Meritaque expectent præmia palmæ.* Palmam pro virtute posuit, quæ primum meretur, & palmam post accipit.

DONATI.

FORSAN & HÆC. Delectabit nos cum ad prospera venerimus, etiam hæc inter mala enumerare.

OLIM. Tria tempora significat: præteritum, præsens, & futurum.

FATA. Ergo parendum est. Nam illis obsisti non potest.

ILLIC FAS. Et evadendi & perveniendi spem pollicetur, & asserit Italiam solam esse quæ digna sit, in qua Trojæ imperium resurgat.

DURATE. Quando per mala ad bona transeundum est, spe bonorum toleranda sunt adversa: præsertim ubi spondetur per brevissimum tempus ocium sempiternum.

CURISQUE INGENTIB. ÆGER. Persuasoria erat ut metum dissimularet, cum spem persuadere tentaret, & regis erat afferre consolationem: utrunque ergo præstitit, neque opportebat illum in suæ causa sine cura esse.

VARIORUM.

FORSAN ET HÆC OLIM, &c. Cic. Epist. Fam. 5. *Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.* Item, 2. de Finib. *Iucunda est malorum præteritorum memoria.*

TALIA VOCE REFERT. Non est pleonasmus, *voce refert*, ut interpretes somniant: sed hoc dicit poeta doctissimus: hæc voce quidem proferebat Æneas, sed aliud in corde gerebat. Propterea subdit, *premit altum corde dolorem.* NASCIMBÆN.

PREMIT ALTUM CORDE. Proverb. *Vera fronte.* Et [illegible]. HARZ.

Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris:
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt:
Littore ahena locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires: fusique per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

SERVII.

PRÆDÆ. Ad prædam. ut, *Inferretque deos Latio.* ACCINGVNT. Studiose parant. ut alibi, *Accingunt operi.* Accinctos autem industrios dicimus. ut Horatius, *Altius ac nos præcincti sumus.* Sicut contra negligentes, discinctos vocamus. ut, *Discinctos Mulciber Afros.* DAPIBVSQVE FVTVRIS. Ambitiose dixit, quod sint cervi, dapes futuræ.

TERGORA. Tergus tergoris. Vnde & tergora corium significat. tergum vero tergi, ut templum templi: & significat dorsum. ut Sallustius, *Scilicet quia tergis abstinetur.* Sed hoc à veteribus confundebatur; ut, *Taurino quantum possent circumdare tergo.* Item in IX *Ingerit hastas in tergum.* Quidam mox detracta coria *pelles*, diu subacta autem & jam medicata coria appellanda tradunt. VISCERA NVDANT. Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est. ut, In Albano Latinis visceratio dabatur, id est caro. Est autem nominativus hoc viscus, hujus visceris: ut Lucretius, *Viscus gigni sanguenque creari.* Sanguen autem ideo dixit, quia sanguinis facit, ut carmen carminis. Si enim sanguis diceret, par esset nominativus genitivo, ut anguis, pinguis.

PARS IN FRVSTA SECANT. Figurate; ut, *pars grandia trudunt.* VERVBVS. Nomen de his quæ numero singulari indeclinabilia sunt, ut veru, cornu, genu. TREMENTIA, Palpitantia adhuc.

LITORE. Pro in litore. AHENA LOCANT. Quibus utebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. Huic autem nomini, majores aspirationem dabant, nam ahena dicebant. Sane aëna absolute dixit, sicut Græce χάλκεα. ut, *Costis undantis aëni*, &, *aëna undantia flammis.* quidam autem aënum speciem vasis; non utique aënei tradunt. ut, Nevius, aëneus, plumbeus.

TVM VICTV. Tum, id est vel postquam se laverunt; vel postquam cibum paraverunt. VICTV. Cibo. unde & convictores dicimus. ut Horatius, *Non quia sum tibi Mæcenas convictor.* Nam convivæ, à convivio dicuntur. REVOCANT VIRES. Bene cibo dixit vires reductas, quia supra dixerat, *Fessi rerum*, hoc est fame & labore fatigari. FVSI. Polysemus sermo est. significat autem discumbentes ut hoc loco, & fugatos & occisos. Sane juxta temporis sui morem hoc loco discumbentes inducit. Nam olim sedentes vesci consueverant, ut ipse meminit. *Gramineoque viros locat ipse sedili*; Et, *Perpetuis soliti patres considere mensis.*

IMPLENTVR. Impleor duos casus regit genitivum: dicimus enim impleor illius rei, ut Cicero, *Squaloris plenus ac pulveris.* Et Terentius, *Plenus rimarum sum.* Et impleor illa re, ut hoc loco. & alibi, *Plenamque sagittis Threiciis.* Et Iuvenalis, *Lectica Mathonis Plena ipso.* FERINA. Feras dicimus, aut quod omni corpore feruntur; aut quod naturali utuntur libertate, & pro desiderio suo feruntur. Sane veteres prope omnes quadrupedes feras dicebant, ut, *Inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.* Et, *Armentalis equæ mammis & lacte ferino.*

DONATI.

ILLI. Ostenditur quid potuerit consolatio. Nam nisi mœror sublatus fuisset, refectionem aliquam non quæsissent.

TERGORA DIRIPIVNT. Dividitur per officia procuratio epularum: neque deliciosæ dapes, aut irritamenta gulæ erant iis paranda, qui naufragio & inedia laboraverunt. TERGORA. Eodem tempore alii detrahebant coria, alii antequam tota corpora apparerent, resecabant partes: & ut plenam properationem ostendat, addit:

VERVBVS TREMENTIA FIGVNT. Hoc est, in quibus adhuc aliquid spiritus teneretur.

AHENA. Aquam imponebant igni, ut elixam facerent carnem. Hanc coquendis visceribus celeritatem præstant. Denique epulis paratis, vires labore & fame perditas, revocant.

FVSIQVE PER HERBAM. Adeo adversariorum obliti erant, ut fusi per herbam, plus sibi ingererent, quam refectio postulabat. Hoc autem præstitit persuasio consulti regis.

FERINA. Per se suavis caro est hæc: sed additur pinguedo, ut suavior animos appetentium irritet. Vino autem accesserat gratia à tempore, qualitate, & quantitate. Nam & vetus, & optimum, & abundans fuerat; hinc dixit: *Implentur veteris Bacchi.*

VARIORVM.

ILLI SE PRÆDÆ ACCINGVNT. Vide I. C. Scaliger. lib. 3. cap. 12. Patris familias est dare penum; familiæ vero operas. Hoc quoque observetur, decere Poëtam in nulla descriptione, quamvis etiam rei sit, vel ab Arte, vel à Natura latum unguem discedere. TAVBMAN.

TERGORA DIRIPIVNT COSTIS. Deripiunt, quidam malunt legere: in his Turneb. lib. 12. c. 12. ut sit, corium detrahunt. Et quemadmodum apud Horat. Ode 9. lib. 1. *Pignusque dereptum lacertis.* Sic nonnulli censent legendum apud Tibullum l. 1. Elog. 2. *Sertaque de sanctis deripuisse focis*, non diripuisse. PONTANVS.

VERVBVSQVE TREMENTIA FIGVNT. Homer. Odyss. γ. ἀμφ᾽ ὀβελοῖσιν ἔπειραν, H.

PINGVISQVE FERINÆ. Ita dicimus suilla, bubula, caprina, ut subaudiatur caro. PONT.

Postquam exemta fames epulis, mensaque remota,
Amissos longo socios sermone requirunt:
Spemque, metumque inter dubii: seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit: & crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat, cum Iuppiter æthere summo

SERVII.

POSTQUAM EXEMPTA FAMES. Caute in mœstitia, cibis famem exemptam dicit, id est fugatam, non ad affluentiam quæsitam. Homerus αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

MENSÆQUE REMOTÆ. Quia apud majores, ipsas apponebant mensas pro discis. unde est, *Et mensæ grata secundæ*. Duas enim habebant mensas: unam carnis, alteram pomorum. Sane aliquando inducit luxuriosas epulas. *Postquam prima quies epulis, mensaque remota*. AMISSUS. Non re vera, sed ut illo tempore putabant.

SPEMQ. METUMQUE. Spes bonorum, metus malorum; & ideo subjunxit, *seu vivere credant, Sive extrema pati*. Et hoc loco *seu*, pro utrumne. Et quidam commodius distingui putant, *spemque metumq; inter*, & sic subjungunt, *Dubii seu vivere credant*.

EXAUDIRE VOCATOS. Aut subaudimus deos, & quasi conquestio est, quod non flectuntur precibus. Aut quod illi mortui sint. aut à pereuntibus vocatos, non exaudire. Aut certe hoc dicit, Non solum perisse eos, sed nec sepulturam habere ad quam vocentur. Novimus enim quod mortuorum umbræ ad sepulchra vocabantur; ut est, *Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum*, Et est figura, ab eo quod præcedit, id quod sequitur, quia post facta sepulchra manes vocantur. ut in tertio, *Animamque sepulcro condimus, & magna supremum voce ciemus*. Post nomen enim defuncti tertio vocatum, dicebatur vale, vale, vale: Aut certe in ea parte sitos, ut nec vocati exaudiant, quia fuit & alius mos, ut eos qui in aliena terra perissent vocarent, ut est, *Et magna manes ter voce vocavi*.

PRÆCIPUE PIUS. Præter omnes quasi pius. ACRIS. Fortis, alias velocis. Quidam *acrem*, in unamquamque rem vegetum ac nimium tradunt.

ORONTI. Pro Orontis. ut, *Immissu Achilli*. vitavit ὁμοιοτέλευτον.

NUNC AMYCI. In Quinto hujus meminit: nam Amycus & Lycus cum Oronte videntur periisse. SECUM. Propter socios, ut supra. *Spem vultu simulat*.

FORTEMQUE GYAN, FORT, &c. ut merito requirantur ac desiderentur.

ET IAM FINIS ERAT. Vel epularum, vel famis, vel malorum. Ex quo Iupiter in cælo ita constitit ut Lybiam respiceret; vel certe finis fabularum vel diei. sequitur namque paulo post, *Æneas per noctem plurima volvens*. Et sciendum est Virgilium non semper dicere ortum vel occasum diei, sed aut intellectui relinquere, ut hoc loco: aut negotiis tempora significare. est autem poëtica πολυτροπία, non omnia exprimere. unde ait Horatius in arte poëtica, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres*. Quamvis plerique de translatione Græcitatis hoc asserant dictum. Homerus sane ista contemnens, tempora universa describit. CUM IUPPITER ÆTHERE SUMMO DESPICIENS. OEconomiam istam secundum mathesin videtur ordinasse Virgilius. Nam Iupiter in altitudine sua positus cum Venere, significatur quod per mulierem aliquam, fœlicitas possit evenire. Ergo quoniam Æneas in partem regni admittetur à Didone per occasionem conjugii, idcirco hæc poëta præmisit. Sane & illud animadvertendum, quod peritissime dixit, tristiorem Venerem fuisse cum Iove; ex quo significat exitum uxoris infelicem futurum: nam se utique Dido interemit. Quod autem Mercurium facit à Iove defluentem ad occasum descendere, id est ad ima terrarum: ostendit amicitias quidem fore, sed minime diuturno tempore permanere. Illud etiam Mathematici dicunt, Venere in Virgine posita misericordem fœminam nasci; atque ideo Virgilius fingit in habitu virginis venatricis, Venerem occurrisse filio: quod & misericordem postea reginam probavit Æneas, & in venatione cum ea permistus est.

SUMMO Qui summus; & proprium & perpetuum ætheri Epitheton dedit, quia omnibus superior est.

DONATI.

POSTQUAM EXEMPTA FAMES. Fame & lassitudine oppressos, nullius cura tangebat; refectis vero venit in mentem recordatio sociorum, quorum cum de morte incerti essent, erant inter spem vitæ, & metum mortis. Æneæ autem major ponitur virtus, qui nec cibum sumpsit, nec dissimulare à perditis potuit, nec eorum curam posuit, qui nec superesse poterant.

SECUM. nam apud alios, *spem vultu simulat*.

FINIS. Epularum, vel fabularum, vel lucis.

VARIORUM.

POSTQUAM EXEMPTA FAMES. Proverb. *Non interpellandus famelicus*. Homer. Odyss. α. αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. HART.

NEC IAM EXAUDIRE VOCATOS. Ad antiquam consuetudinem respicit, & mortuos significat. Nam quos desiderabant, & amiserant, antequam discederent è loco, sæpius vocare soliti erant. PONTANUS.

EXAUDIRE VOCATOS. Tangitur ritus qui apud Theocrit. in Hyla, & Pindarum Ode 3. Pythiorum, & Homerum Odyss. 9. Amissi enim ter vocari consueverunt. HART.

IUPITER ÆTHERE SUMMO. Cælius l. 1. c. 11. H.

Digitized by Google

Despiciens mare velivolum, terrasque jacenteis,
Littoraque & latos populos, sic vertice cœli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum taleis jactantem pectore curas
Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitenteis,
Alloquitur Venus; O, qui res hominumque, deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,

SERVII.

DESPICIENS. Deorsum aspiciens, sicut suspiciens, sursum aspiciens. Notandum sane quia si despiciens dixerimus, diligenter inquirens significamus, sicut deduco & diduco. Nam deduco est prosequor: diduco vero, divido. VELIVOLVM. Duas res significat, & quod velis volatur, ut hoc loco: & quod velis volat, ut Ennius, *Naves velivolas.* qui & proprie dixit. Et est reciproca metaphora navium & avium. Legimus enim, *Et velorum pandimus alas*: & contra de apibus, *Nare per æstatem liquidam*: quum natatus navium sit, alæ vero avium. Et sciendum est esse reciprocas translationes & partis unius. IACENTEIS. Aut in longum expositas, aut proprium epitheton est terrarum. nam cum cætera elementa mobilia sunt, sola terra stabilis est, unde & bruta dicitur. alibi, *tantum campo jacet.*

LATOS POPVLOS. Quum populos numero plurali dicimus, urbes significamus: quum vero populum, unius multitudinem civitatis intelligimus. SIC. Quid est sic? id est, ut ista conspiceret. ET LIBYÆ DEFIXIT LVMINA REGNIS. Prooeconomia, id est dispositio carminis. Vituperabile enim fuerat si ex abrupto transitum faceret, quod in nono fecit. *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.* quæ res tamen excusatur uno sermone. *Atque ea*, id est eo tempore, quod solum est interpositum. Nunc vero bene transiit, quod inducit Iovem, & de rebus humanis cogitantem, & Africam respicientem, ad quam venere Trojani. Vnde honestus color est, ut Venus adeat Iovem, timens ne Romana fata Carthagini concedat: felix enim eventus sequitur loca quæ respexerit Iuppiter: unde in secundo ait, *Aspice nos hoc tantum.* Et alibi, *Atque oculos Rutulorum rejicit arvis.* ubi erat futura victoria. TALEIS. De rebus humanis. IACTANTEM PECTORE CVRAS. Nunc secundum Stoicos loquitur, qui deos dicunt humana curare, interdum secundum Epicureos, poëtica utens licentia. TRISTIOR. Comparativum posuit pro positivo. Sic Sallust. *Ipsum mare Ponticum dulcius quam cætera.* An modo tristior cum & ante, propter Æneam solet tristis esse, Tristior nunc Venus diceretur. OCVLOS SVFFVSA NITENTEIS. Nitidos oculos lachrymis perfusos habens. Et est figura, quæ fit, quotiens participio præteriti temporis à passivo, jungimus casum accusativum; ut, Dejectus animum, mæsta vultum. Dicendo autem NITENTEIS, expressit etiam nimiam in lachrymis pulchritudinem; sicut de Euryalo, *Lachrymæque decoræ.*

O QVI RES HOMINVMQVE, &c. Graviter cœpit. Non enim ait ô genitor, & est tota orationis intentio, injuste vexari à Iunone Trojanos.

ÆTERNIS REGIS IMP. Hæc commemoratio potentiæ Iovis, quasi ad invidiam posita est; hoc est, qui omne potes, contra te flecteris, & superflue volunt quidam REGIS ad deos referri, TERRES ad homines: nescientes majoris esse potestatis; idem posse circa deos, quod circa homines. ET FVLMINE TERRES. Non sine causa adjecit TERRES. Est enim fulmen quod terreat, est quod afflet, est quod puniat, cujus rei late patet significatio. Poëtarum autem consuetudo est, proprie semper, cum Iovem nominarunt & fulmen adjungere: ut, *Aud at hæc genitor qui fœdera fulmine sancit.* Et ante, *Genitor cum fulmine torques.*

DONATI.

DESPICIENS. Iuppiter ex alto actus hominum considerabat, Venus autem arrepta occasione eum alloquitur.

TRISTIOR. Quam antea. LACHRYMIS. Ille est maximus dolor, qui ante vocis exortum, lachrimis præcedentibus, nunciatur.

TALES. Res plena subtili arte, ubi non personarum solum, sed rerum habetur ratio. Loquitur Venus ad Iovem: si privata filia, ad patrem: si publica, inferior dea apud summum deorum. Vicit autem quod publicum fuit. Concitat subtilem invidiam: quod Iuppiter, cujus sit juste curare, quid dii, quid homines agant, omiserit verum in Æneam judicium, & innoxium tot tormentis dissimulans vexari sinat. Præponitur ergo publica persona & subnectitur privata. Apud enim patrem non potuit conqueri de diis, sed apud deorum regem. Diis autem applicavit: *æternis regis imperiis.* Et hominib. *fulmine terres.*

ÆTERNIS. Ergo non sunt contemnenda, veluti ea quæ ad tempus sunt, quasi dicat, non veniunt dii contra fata.

VARIORVM.

TERRASQVE IACENTES. Proprie & erudite. Ex elementis enim sola terra stabilis est: unde & *bruta* & *iners* à Lucretio & Horat. dicitur. Aut *jacentes* dixit, inferius positas, seu in longum porrectas. TAVBMAN.

TRISTIOR ET LACHRYMIS. Affectus habitu prodire solet. Vide apud Macrob. lib. 4. cap. 1. HARTVNG.

O QVI RES HOMINVMQVE. De hac oratione Veneris, Macrob. lib. 6. cap. 2. Sumpta autem illi videtur ex Nævii primo lib. belli Punici. HART.

Quid

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te genitor sententia vertit?

SERVII.

MEVS, Subaudi filius, quasi per me tibi conjunctus, & sic subaudis filium, ut Ajacis Oilei. IN TE. Modo contra te: alibi PRO significat: ut, *quietum Accipit in Teucros animum*, id est pro Teucris.

QVID TROES POTVERE? Hoc est, qui Grajis pares non fuerunt, in te aliquid possunt. Et est Argumentum ab impossibili. ut alibi, *Non ea vi animo.* & est validius quam à voluntate. plus enim est non posse, quam nolle. TROES autem, nominativus erit Tros. Et hæc breviter scienda regula est, quia omnia monosyllaba Græca, quæ in Latinum sermonem transeunt, tertiæ declinationis sunt, & tam Latine, quam Græce declinari possunt. ut Tros Trois & Troos, Pan Panis & Panos. ut, *Arcadici dictum Panos de more Licai.*

OB ITALIAM. Ne ad Italiam perveniant, toto orbe pelluntur. Atqui in Africa sunt. sed si diligenter requiras, etiam inde pelluntur: ait namque, *Hospitio prohibemur arenæ.* Sane multi, OB ITALIAM Iuxta Italiam antiquo more dictum accipiunt. ut sit, pars orbis clauditur quæ circa Italiam est, *ob* enim veteres pro juxta ponebant. Plautus in Milite. *Nunc scio mihi ob oculos caliginem obsistisse*; potest etiam *ob*, ante intelligi, aut *ob*, propter: Terentius. *Quodnam ob factum*: aut *ob*, circum, ut, *Turni se pectus ob ora*, quasi circa Italiam errent, & in eam pervenire non possint, significat *ob* & contra, ut, *obstat & obloquitur.*

CERTE HINC ROMANOS. Atqui nusquam hoc legimus, sed per silentium intelligimus, ut superius de *Iunone* audierat. OLIM FORE. aut *olim fore*, & futuri temporis est, aut olim pollicitus. VOLVENTIBVS. Volubilibus. Et est participium pro nomine. Volvens enim est qui volvit: volubilis autem qui volvitur habiliter. Anni autem volvuntur, non volvunt. ut est, *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.* Alii quod deficit lingua Latina participio præsenti passivo, præsens activum positum volunt; ut, *volventia plaustra*, & *siliqua quassante legumen*: quæ quassetur.

FORE. Futuros esse. Et est de verbis defectivis. REVOCATO. Dicendo REVOCATO, ostendit Italiam, unde Dardanus fuerat. A SANGVINE TEVCRI. Teucrum pro Dardano posuit. Dardanus enim de Italia profectus est; Teucer de Creta: Et hic usurpavit. solent poëtæ nomina de vicinis provinciis, vel personis usurpare. ut, *Domitus Pollucis habenis Cyllarus*, quum Castor equorum domitor fuerit. Item, *Et manibus Progne pectus signata cruentum*, pro Philomela. Item Didonem dicit Sidoniam, quum sit Tyria, à loci vicinitate. Item, *Quid loquar aut Scillam Nisi*? quum Phorci fuerit. Et sciendum inter fabulam & argumentum, hoc est historiam, hoc interesse: quod fabula est dicta res contra naturam, sive facta, sive non facta, ut de Pasiphae. Historia est Argumentum quicquid secundum naturam dicitur, sive factum, sive non factum. ut de Phædra.

OMNI DITIONE. Melius OMNI, quam OMNIS: ut significet omni potestate, pace, legibus, bello.

POLLICITVS. Pollicemur sponte, rogati promittimus. QVÆ TE GENITOR SENTENTIA VERTIT? QVÆ Pro cuius * aut qualis, & Verecunde agit Venus. Nec enim conveniebat, ut aperte contra uxorem ageret apud maritum. unde & similiter respondet Iupiter, *Neque me sententia vertit.*

DONATI.

QVID. Freta innocentia Trojanorum, quærit nomen delicti, quo non invento: constet eos immeritos pati. ÆNEAS. speciale ponit nomen, atque inde transit ad genus. IN TE. Regem, deorum & hominum, qui omnia habes in potestate, & avum suum promissorem novi imperii: quem omnes dii suspiciunt, & homines fulmine territi venerantur. MEVS. Scilicet filius, tuus nepos. TANTVM. Bis repete: quid tantum Æneas, & quid tantum Troes?

TANTVM. Tam magnum, tam immane.

CVNCTVS. Ad id redigitur, ut nec alibi stare, nec in Italiam venire possit. Ergo restat, ut in fluctib. semper exagitetur.

POLLICITVS. Convenit ex veteris promissi, imo pollicitationis fide. Turpe enim est decedere de fide, turpissimum cuivis mutare sententiam. Quid ergo tanto deo, præsertim ubi filiæ nepotisque vertatur incommodum? GENITOR. ponit post publicam personam, patrem: ut appareat neutram illarum decere perfidia traduci. Multum etiam valet hæc persona in promissis, quæ non liberis solum, verum & posteris sint profutura.

VERTIT. Cum vas vertitur, omne quod habet effunditur. Ergo ostendit quod Iupiter inimica persuasione ita sit versus, ut nihil pietatis sit in eo relictum, quam integram filiæ præstare debuit.

QVÆ SENTENTIA. quasi dicat, quis te potior est, qui te possit vertere? Hoc equidem dissimulandum est damnum, si quid amissum est, alterius commodi ratione pensatur. Vnde conpensatio dicitur, veluti si in altera lance damno posito, in altera commodum par aut majus ponatur.

VARIORVM.

VOLVENTIBVS ANNIS. Homerus [illegible]. HART.

Digitized by Google

Hoc equidem occasum Trojæ, tristeisque ruinas
Solabar; fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:

SERVII.

HOC. Hac re, propter hoc quod sciret Æneæ socios imperaturos.

FATIS CONTRARIA FATA. Vtrum fatis bonis in præsentibus. REPENDENS. Compensans. Et est translatio à pecunia.

EADEM. Similis qualis ab initio fuit: ut ostendat nec longitudinem temporis prodesse Trojanis.

FINEM. Ac si diceret, non regnum requirimus, sed finem laborum.

ANTENOR POTVIT: Capto Ilio Menelaus memor se & Vlyxen, beneficio Antenoris servatos, cum repetentes Helenam ab eo essent suscepti, ac pene à Paride aliisque juvenibus interempti essent; parem gratiam reddens inviolatum dimisit; qui cum uxore Theano & filiis Helicaone & Polidamante, ceterisque sociis in Illyricum pervenit, & bello exceptus ab *Euganeis & rege Veleso*, victor urbem Patavium condidit: id enim responsi acceperat, eo loco condere urbem, quo sagittis avem petisset, ideo ex avis petitæ auspicio, Patavium nominatum. Hi autem duo Trojam prodidisse dicuntur secundum Livium: quod & Virgilius per transitum tangit, *Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.* Non sine causa Antenoris posuit exemplum, quum multi evaserint Trojanorum periculum: ut Capys, qui Campaniam tenuit; Helenus qui Macedoniam. ut alii qui Sardiniam secundum Salustium. sed propter hoc ne forte illud occurreret, jure hunc vexat, tanquam proditorem patriæ.

Elegit ergo similem personam: Et excusat Horat. dicens, *Ardentem sine fraude Trojam.* hoc est sine proditione, quæ quidem excusatio non vacat. nemo enim excusat nisi rem plenam suspicionis. Sisenna tamen dicit solum Antenorem prodidisse: quem si velimus sequi, augemus exemplum: Si regnat proditor, cur pius vagatur? Antenor autem ob hoc creditur Græcis patriam prodidisse, quia sicut superius dictum est, & auctor reddendæ Helenæ, & legatos ob hoc venientes suscipiebat, & Vlyxem mendici habitu agnitum, non prodidit. POTVIT. Plus est quod dixit potuit, non meruit. ELAPSVS. Invidiose noluit dicere dimissus, sed *Elapsus.* ACHIVIS, ab Achæo & Pithiæ.*

ILLYRICOS PENETRARE SINVS. Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit. ideo autem Virgilius dicit, *Illyricos sinus*, quod inde venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit; à cujus nomine Henetiam dictam, posteri Venetiam nominaverunt. TVTVS. Ideo tutus, quia Rhetii Vindelici ipsi sunt Liburni, sævissimi admodum populi, contra quos missus est Drusus. Hi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, *Quibus mos unde ductus, per omne tempus Amazonia securi dextras obarmet, quærere distuli.* hoc ergo nunc ad augmentum pertinet, quod tutus est, etiam inter sævos populos erat.

FONTEM TIMAVI. Amant poëtæ rem unius sermonis, circumlocutionibus dicere, ut pro Troja, dicant urbem Trojanam, pro Buthrotio, arcem Buthroti, sic & modo pro Timavo, ait fontem Timavi. Et paulo post, urbem Patavi, id est, Patavium SVPERARE. Nauticus sermo, Lucilius: *Promontorium remis superamus Minervæ.*

DONATI.

OCCASVM TROIÆ. Ostendit rem maximam perisse. Casus enim parvæ rei est, vel personæ inferioris: Occasus divinæ rei, vel personæ superioris. Nam solem lunamque occidere, & viros præclaros occidisse dicimus.

REPENDENS. Comparans & exæquans mala fata bonis.

NVNC EADEM. Id est, non solum non inveniunt bona, sed manent mala.

QVEM DAS FINEM. Qui Iuppiter potest postulata complere, & potuit efficere, ne aliquando occiderent. Potest & sic intelligi. Quem das finem, id est, quando Trojani venient in Italiam, aut quando carebunt his malis?

ANTENOR POTVIT. Comparatione à minore ad majus, exaggerat mœrorem: Antenor ergo alienus à necessitudine tua, homo humilis & depressus, manus hostium potuit effugere.

ILLYRICOS PENETRARE. Voluit demonstrare difficultatem perveniendi, & ad hostiles partes penetrandi, quæ omnia facit, dictis posterius annexis. *Penetrare* enim est penitus intrare, *& sinus* sunt recessus terrarum penitus remotarum, quibus clausis non potuisset evadere, si pericula extitissent. Et miro verbo usa est, *transire*, quod est sine molestia vel impedimento quovis pervenire. Et quia fontem superare, difficultatem non demonstrat, addit: *Vnde per ora novem, &c.* ut commemoret tantæ illum fontem virtutis non esse, ut per novem illius ora tutus transierit.

VARIORVM.

QVEM FINEM REX MAGNE: Gellius. lib. 13. cap. 19. HARTVNG.

ORA NOVEM VASTO: Cælius lib. 12. cap. 8. HARTVNG.

Vnde

Digitized by Google

Vnde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram

SERVII.

VNDE PER ORA NOVEM. Multi septem esse dicunt. quod si incerta fides est, finitus est numerus pro infinito. VASTO CVM MVRMVRE MONTIS. Tanta vi exit in mare, ut etiam vicinus mons personet. superius, *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.* ET PER ORA TIMAVI. Vsque ad initium fontis, hoc est, usque ad montem: Timavus autem in Histria est, inter Aquileiam & Tergistum.

MARE. It quasi proruptum mare. Amat poëta rem historiæ carmini suo conjungere. Varro autem dicit hunc fluvium *mare* ab incolis nominari. PRORVPTVM. Aut idem effusum fluens. Et melius *proruptum*, quam præruptum. Bene autem definit, quid est largus fons, solutum mare. PELAGO. Aquarum abundantia. PREMIT. Populatur, vastat. Sane multi, *It mare proruptum*, Et, *Pelago premit arva sonanti*, hoc intelligi volunt: quod tanta est in illis locis accessa, quæ dicitur mare, ut per ora Timavi, id est usque ad initium fontis, mare ascendat. unde ait, *It mare proruptum & pelago premit arva*, id est aqua maris premat arva, hoc est litora vicina cooperiat. Constat autem & in illo loco accessa maris usque ad montem pervenire, & per omne litus Venetiarum mare certis horis & accedere per infinitum, & recedere. Timavus autem in Histria est, inter Aquileiam & Tergestum.

HIC. pro illic. TAMEN id est etiam in loco difficili. VRBEM PATAVI. Hoc est Patavium. a. d. u. à post vocem. quasi Patavium, vel ἀπὸ τῦ πέτεσθαι, quod captato augurio dicitur condita, vel quod avem telo petisse dicitur, & eo loco condidisse civitatem. Alii à palude Patina, quæ vicina civitati fuisse dicitur, Patavium dictam putant. Sane Patavi minorem nominativo genitivum fecit, cum genitivus nunquam pauciores syllabas nominativo suo habere debeat, Patavium enim Patavii facit. SEDESQVE LOCAVIT. Ex votis suis facit invidiam, dicens id concessum Antenori, quod ipsa desiderat.

ET GENTI NOMEN DEDIT. Hoc est, quod ne victori quidem concederetur Æneæ: quod scimus à Iunone esse profectum. Sicut in xii ait, *Nunc Troas fieri iubeat Teucrosque vocari*: Et Iupiter ait: *Commixti corpore tantum*: contra quæ oblique loquitur, propter considerationem mariti. Hi autem primis temporibus ab Antenore dicti sunt Antenoridæ. ipsum vero quidam dicunt Hectora se appellasse, aut certe *nomen* nobilitatem, vel dignitatem, ut, *Et nos aliquod nomenque decusque.* ARMAQVE FIXIT. Quasi non necessaria consecravit. *Figere* enim consecrare hic debemus accipere; ut, *Postibus adversis figo*. & hoc significat, securus est; quia solent missi militia sive gladiatura, quibuslibet templis arma suspendere. ut Horatius, *Vejanius armis Herculis ad postem fixis.* COMPOSTVS. pro compositus. Syncope est. detraxit enim de medio syllabam, ut: *Et pocula porgite dextris.*

NOS TVA PROGENIES. Sic loquitur quasi una sit de Trojanis. Nam aliter sensus non procedit, aut quasi patiatur & ipsa, quod & filius, & bene.

TVA PROGENIES, propter Antenorem. Est autem Epexegesis. ut, *Ast ego quæ divum incedo regina.* ANNVIS. Licet ipsa dea sit, tamen sub persona Æneæ se posuit: bene autem ANNVIS. Quia nutu semper promittit aliquid Iuppiter. ut, *Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.*

NAVIBVS AMISSIS. Cur cum una navis perierit, ait *navibus*: aut invidiose dixit & exaggerat, aut quia adhuc aliæ desunt, aut quia eas perisse non ignorat Æneas. INFANDVM. Pro infande posuit, ut in vi. *Miserum septena quotannis*, Item, *Torvumque repente Clamat.* pro torve. Est est figura, quæ fit quotiens nomen pro adverbio ponitur, magis autem poëtica est: in prosa aut rara, aut nunquam. tamen hoc loco INFANDVM, potest esse etiam interiectio dolentis. VNIVS. Cautius, quam si dixisset Iunonis, & hic *unius* produxit penultimam.

DONATI.

VASTO CVM MVRMVRE MONTIS. Vt fons solo vocabulo, revera sui abundantia in tertis pelagi faciem ostenderet. Repete ergo, potuit hostis evadere, potuit penetrare: si ille potuit superare fontes Timavi. Hic, scilicet in regionibus hostilib. & per omnes difficultates. Ergo unum adverbium & pronomen grave pondus dolori adiecit. Ille minoris dignitatis, cur tantum felicitatis adeptus est, ut tutus transierit, tutus pervenerit, tutus urbem suis condiderit, tutus nomine Trojano vocitari indigenas fecerit, tutus arma Trojana, id est, victa, in eorum partibus fixerit? quos non constat victores fuisse.

NOS. transit ad comparationem. TVA PROGENIES. Interpretatio est. *Tua*, qui deos & homines in potestate habes, apud quem privilegium primi gradus habere debemus: dum spe promissorum ducimur, naves amisimus, & promissam Italiam tenere non possumus.

VNIVS OB IRAM. optime ad finem orationis reservavit, ne si inter initia dixisset, offensus Iuppiter sororis & conjugis injuria alienaretur: nec etiam nomen Iunonis posuit, ut sine offensa ad iniuriarum numerum perveniret.

Pro-

by Google

Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator, atque deorum,
Vultu, quo cœlum, tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ. dehinc talia fatur:

SERVII.

PRODIMVR. Multa quidem hic sermo significat, sed modo porro damur: scilicet ab Italia prohibemur. Et sciendum est, omnium authorum esse consuetudinem, ut res dubie positas planius in sequentibus dicant. ut hoc loco sequitur. ATQVE ITALIS LONGE DIS, &c. *Longe*, maxime: non enim longe erant ab Italia cum tempestate disjecti sunt.

HIC. Id est talis. ut, *Hunc ego Euryale aspicio*, id est talem. PIETATIS. Superius in te committere ait, ut peccato Æneam & Trojanos excuset. Hic plus addit, non solum eos non esse malos, sed etiam pios esse. HONOS. Cum secundum artem dicamus honor, arbor, lepor: plerunque poëtæ *r* in *s* mutant caussa metri. *Os* enim longa est. *Or* brevis. hoc quidem habet ratio: sed hic sine metri necessitate honos dixit. Item Salustius pene ubique *labos* posuit, quem nulla necessitas coëgit. Melius tamen est servire regulæ. SIC. NOS IN SCEPTRA R. Reponis in sceptra, aut ad imperia reservas. SIC. Hoc est per naufragia. Aut certe antiqua licentia communium præpositionum. REPONIS. id est restituis in regna quæ amisimus.

OLLI. Modo tunc, propter sequentia. pronomen enim cum nomine, non debet poni, sed pro ipso nomine & nullius dicit, illi natæ. * Alias tamen, OLLI, illi significat. ut, *Olli dura quies oculos: & ferreus urget somnus*. SVBRIDENS. Lætum ostendit Iovem, & talem qualis esse solet quum facit serenum. Risus enim ex lætitia oritur. Poëtarum enim est: elementorum habitum dare numinibus; ut supra de Neptuno dictum est. SERENAT. Ennius, *Iupiter hic risit, tempestatesque serenæ Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.* Aut cæteri sit intelligens * Iunonis dolor oblique accusari à Venere; ut est, *Quæ te genitor sententia vertit*: Et, *Vnius ob iram prodimur*; sicut alibi, *Atque dolis risit Cytherea repertis*.

VVLTV QVO CÆLVM. Ostendit sicut dictum est, cur subriserit Iupiter. Hoc verbum de his est, quæ carent prima positione: quod fit in his quæ in nostra non sunt potestate, ut tono, fulmino, pluo. hæc enim non possumus dicere, nisi forte persona inducatur ejus, qui potest. ut sit, tale aliquod Iupiter dicat.

OSCVLA LIBAVIT NATÆ. Leviter tetigit. Et sciendum osculum, religionis esse; suavium voluptatis. quamvis quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto suavium dicant. Sane multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filiæ dederit, id est non pressum, sed summa labella contingens: Sed ita ajunt, Tum hilarus Iupiter vultus natæ libavit, id est contigit; scilicet ut nos solemus dum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os nostrum dextram referre. Ergo *libavit* merito; quia partem vultus non totos contigerat; ut *oscula* dixerit quasi minora & teneriora filiæ ora; ut ora diminutive oscula, nam ora vultus dici: ut, *intentique ora tenebant*; & *Sic ora ferebat*: Ipse diminutive *oscula* dixit minores & teneros vultus: *Summaque per galeam delibans oscula fatur.*

DONATI.

OLLI SVBRI. Vt Venus lachrymis, antequam loqueretur, significavit dolorem internum, & quid dictura esset: sic Iupiter statim debuit hilaritate vultus & osculo, & prima parte orationis demere angorem filiæ, nec oportuit eam circuitione deferri. SVBRISIT. risu utitur, ut eam exhilararet: sed *subrisit*, ut majestatem servaret ex modestia. Nam satori hominum & deorum turpis erat plenus risus. *Subrisit*, ut partem daret Trojanorum casibus, partem reservaret illis, quæ erat promissurus.

VVLTV QVO CÆLVM. Tali qualem habet cum elementa tranquillat.

OSCVLA. Signum optimum, cum benevolentiam suam osculo publicat. DEHINC. Ostendit signa ista non frustra fuisse præmissa, quæ Veneris metum levarent.

VARIORVM.

PRODIMVR. Cum contemptu & stomacho dictum PRODIMVR; & habet vim concitandi Iovem adversus Iunonem, quo nihil est optatius Veneri. Et astute id servavit ad finem, ne si forte hoc ægre tulisset Iupiter, illius animum initio orationis à se alienaret. NASCIMBÆN.

PRODIMVR. Ambiguum est, vel enim est, expellimur, quasi porro damur, ut sequentia ostendunt: vel proditione, velut hostibus tradimur: quod in filia irata ferri potest. CORRAD.

HIC PIETATIS HONOS? SIC NOS &c. Occupato gravissimis argumentis Iovis animo, Venus apertis, quod ajunt, tibiis, in querelam prorumpit, & ita vehementer exæstuans, nimis indulgenter loquitur, & omne prorsus iracundiæ atque odii virus effundit. NASCIMBÆN.

SIC NOS IN SCEPTRA REPONIS? Id est, in promissum regnum restituis? Respicit ad id quod antea objecerat, in fatis fuisse, ut Dardani reliquiæ in Italiam aliquando reportarentur. Habet ipsa clausula ironiam: quasi dicat, nequaquam Æneam in jus regni Italici reponis. HORTENSIVS.

VVLTV QVO CÆLVM, &c. Exhibens talem vultum filiæ, qualem habet, cum omnia elementa tranquillat. *Ridente deo, omnia rident*; ut contra. TAVBM.

OSCVLA LIBAVIT NATÆ. Id est, parva ora leviter tetigit: Corradus, & H. Stephanus. Osculum enim hic στόμα est, non φίλημα; & significatum tenet primitivi. Ita Ovid. 1. Metamor. Fab. 11.

Videt igne micantes
Sideribus similes oculos: videt oscula.

TAVBMANNVS.

Parce

Parce metu Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi: cernes urbem, & promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sydera cœli
Magnanimum Æneam: neque me sententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando hæc te cura remordet;
Longius & volvens fatorum arcana movebo)

SERVII.

PARCE METV. Quotiens in caussis arguimur, ante nos purgare debemus; & sic ad actionem descendere, quod & hoc loco Iupiter facit. ante enim objecta purgat, & sic venit ad promissionem. Et est PARCE METV elocutio usualis, id est dimitte metum: quomodo dicimus parce verbis, parce injuriis. alii *metu* pro metui accipiunt, ablativum pro dativo; aut certe ideo metum aufert, ut animo securiore possit audire: ut alibi, *Solvite corde metum Teucri.* CYTHEREA. Omnia quæ apud Græcos ει diphthongum habent; apud Latinos in E productum convertuntur. Κυθήρεια, Cytherea: Αἰνείας; Æneas, Μήδεια, Medea. Omnia autem quæ dicit Iupiter, ad solutionem pertinent antedictorum. Ideo autem nunc dicit, *Parce metu*: quia superius dixerat TRISTIOR. MANENT IMMOTA. Quia dixerat, *Quæ te genitor sententia vertit?* Et simul per transitum dogma Stoicorum ostendit, nulla ratione posse fata mutari. Sane servat & hic ordinem sicut in templi oratione, ut statim promittat quod præstaturus est, ne auditor sit expectatione suspensus. TVORVM. Trojanorum, vel Romanorum.

FATA TIBI. Non propter te. Fati enim immobilis ratio est. sed aut vacat TIBI. ut, *Qui mihi accubantes in conviviis.* Aut certe tuta sunt tibi fata, non tamen propter te. CERNES VRBEM. Aut Romam significat, quia cum proprietatem detrahimus, quod magnum est significamus, ut si dicas legi Oratorem, nec addas quem, intelligo Ciceronem: Et ne longa sit expectatio, adjecit: *Et promissa Lavini Mœnia*, aut certe detrahe ET sicut multi, & Epexegesim facis. CERNES VRBEM. Id est promissa Lavini mœnia. Videtur autem figurate dictum *urbem* & *mœnia*, quia diversis idem significavit.

SVBLIMEMQVE FERES AD SYDERA COELI. Æneas enim post errores VII. annorum, cum ad Italiam pervenisset, & sicut historia habet cognito quod Veneris filius, Troja profugus fatis juvantibus ad Italiam venisset, & ab Latino susceptus esset, filiam ejus Laviniam duxit uxorem, quo dolore Turnus rex Rutulorum, qui ante Laviniam sperabat uxorem, & Latino & Æneæ bellum indixit; sed primo prælio Latinus est interemptus; secundo vero Æneas Turnum occidit. Ipse vero ut quidam dicunt, cum Mezentium; ut quidam vero Mesapum fugeret, in Numicum fluvium cecidit; ut vero Livius refert in cœlum raptus est, cujus corpus cum victis à se Rutilis & Mezentio, Ascanius requisitum non invenisset, in Deorum numerum credidit relatum. Itaque ei templum condidit & Iovem indigetem appellavit. Bene autem addidit FERES, ut gratius esset quod per ipsam fieret.

MAGNANIMVM. Magnus & parvus, quoniam mensuræ sunt, ad animum, non nisi καταχρηστικῶς adhibentur. Et bene hoc addidit, quasi dicat, quem tu miserum dicis, nos magnanimum, summum. NEQVE ME SENTENTIA V. Ad illud. *Quæ te genitor sententia vertit.*

HIC. Id est Æneas. Et est ordo, Hic bellum ingens geret Italia. Alii *Hic* pro post hæc quæ dixi accipiunt; ut sit loci adverbium, pro temporis. TIBI FABOR ENIM. Hoc loco excusat quæstionem futuram, quasi Veneri dolenti, quæ vera sunt dicat. Et ideo *Tibi*, quod multi alii, id est tibi soll. Nam aliter loquitur cunctis præsentibus Diis: dicet enim in decimo, *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.* QVANDO. Siquidem, quoniam. REMORDET. Sollicitat. Terentius, *Par pari referto, quod eam remordeat.*

ARCANA. Secreta. Vnde & arca & arx dicta; quasi res secreta, à qua omnes arceantur.

DONATI.

PARCE. Si solum hoc dixisset, abunde suffecerat ad demulcendum animum. Reddit enim securam, & nihil immutatum esse demonstrat. Dat autem huic poëta personam regis, non patris. De futuris enim non nisi deus loquitur. Ergo *Cytherea* dixit & non filia: & *tuorum*, & non nostrorum.

MANENT TIBI FATA. Hoc sat erat, sed ut satiaret quod asserebat, addidit *immota*. Deinde enumerat specialiter. quod generalitate clauserat. Respondet etiam querimoniis Veneris. Nam cum illa dixisset: *Cunctus ob Italiam* &c. hic dicit, *Cernes urbem.* Et ad id: *Cæli quibus annuis arcem*, ponitur, *Magnanimum Æneam sublimem feres ad sydera cæli.* Vt autem apertiorem faceret generalitatem, addit fatorum dispositionem. Tangit autem gesta, ab Ænea ad Cæsarem usque, & tempora Cæsaris: quæ scribenda cum proposuisset, morte præventus, non implevit: brevi igitur oratione securam facit Venerem, longo deinde ordine futura explicat. Non enim ociose audisset Venus, quæ pertinerent ad gaudium, nisi prius amotus esset metus. Sic Terentius. *Vbi inveniam Pamphilum ut metum in quo nunc est adimam: atque expleam animum gaudio?*

FABOR. Arcana fatorum, quæ nulli fas est nosse, commendat sensibus filiæ, & se illicite facere demonstrat, ut cognoscat illi benevolum studium patris. TIBI. quia filia es, quia sollicita, nolo te vexari angoribus, tu docta tuorum fata lætaberis.

VARIORVM.

PARCE METV. Iupiter primo per partes diluit ac purgat objecta: deinde descendit ad promissionem. Linacer lib. 6. Antiptosis est. HARTVNGI

Bellum ingens geret Italia; populosque feroces
Contundet, moresque viris, & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)

SERVII.

ITALIA. In Italia, & detraxit præpositionem more suo. ut alibi, *Non Libyæ, non ante Tyro despectus Hiarbas.* Id est in Tyro. nam si adverbialiter vellet, Tyri diceret. POPULOSQUE FEROCES CONTUNDET. Incongruum fuerat in consolatione, dolenti bella prædicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur.

MORESQUE VIRIS ET MOENIA PONET. Hysteroproteron in sensu. ante enim civitas, post jura conduntur. Leges autem, etiam mores dici non dubium est.

TERTIA DUM LATIO. Rhetorice, ne breve esset si triennium diceret, tempora divisit in species. Ordo autem longissimus, nam aliter non procedit, *sublimemque feres ad sydera cœli Magnanimum Æneam.* Et, *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.* Ergo videtur sic tacite mortem Æneæ significasse. DUM autem pro donec, ut, *dum conderet urbem,* id est donec. quidam ideo bis annos ternos memorasse tradunt, ut tres annos solum Æneam regnaturum significaret; quod cum Latino, alios tres annos regnasse dicitur.

AT PUER ASCANIUS. Prudenter exitum Æneæ & ostendit, & tacuit, dicendo filium postea regnaturum. Aut quia major cura Veneri de nepote: ut in x. *Liceat superesse nepotem.* Et iterum ibi: *Hunc tegere.* CUI NUNC COGNOMEN IULO ADDITUR. Licet superius historia sit narrata, tamen etiam secundum Catonis historiam hoc habet fides, Æneam cum patre ad Italiam venisse, & propter invasos agros, contra Latinum Turnumque pugnasse; in quo prælio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse, ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Æneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio, Ascanium, sicut L. Cæsar scribit, Iulum cæptum vocari, vel quasi Iuloni, id est sagittandi peritum, vel à prima barbæ lanugine, quam ἰούλον Græci dicunt, quæ tempore victoriæ nascebatur. Sciendum est autem hunc primo Ascanium dictum à Phrygiæ flumine Ascanio. ut, *Transque sonantem Ascanium.* Deinde Ilum dictum à rege Ilo; unde & Ilium. Postea Iulum, occiso Mezentio. de quibus nominibus hoc loco dicit. nam ideo ait, AT PUER ASCANIUS CUI NUNC COGNOMEN IULO ADDITUR, ILUS ERAT. Ab hac autem historia ita discedit Virgilius, ut aliquibus locis ostendat, non se per ignorantiam, sed per artem poëticam hoc fecisse. ut illo loco, *Quo magis Italia mecum lætere reperta.* ecce ἀμφιβολικῶς dixit: ostendit tamen Anchisem ad Italiam pervenisse.

Sic autem omnia contra hanc historiam ficta sunt, ut illud ubi dicitur Æneam vidisse Carthaginem; cum constet eam LXX. annos ante urbem Romam conditam. Inter excidium vero Trojæ & ortum urbis Romæ, anni inveniuntur CCCLX. COGNOMEN IULO. Si proprie loqueretur, agnomen diceret, non cognomen, sed magis ad familiam respexit: quia omnis gens Iulia inde originem ducit. Dicimus autem & nomen mihi est Cicero: ut, *Hecyra est huic nomen fabulæ.* &, Ciceronis, ut Salust. *Cui nomen oblivionis condiderant.* & Ciceroni: ut, *cui Romulo cognomen erat.* & Ciceronem: ut, *Æneadasque meo nomen de nomine fingo.* Melius tamen est dativo uti.

ILUS ERAT. Deest qui: debuit autem dicere *qui Ilus erat.* ILIA. Pro Iliensibus, ut Plautus: *Hector Ilius,* pro Iliensis. Et Amphytruo, *Natus Argis ex Argo patre,* id est Argivo.

DONATI.

BELLUM, proponit curam belli, sed bona ventura promittit, mortem autem Æneæ, quod erat triste, subricet.

AT PUER. Ostendit, quod optabile est Æneæ, non externum, sed filium successurum, eo feliciorem, quod non triennio, ut ipse, sed triginta annos sit regnaturus.

VARIORUM.

BELLUM INGENS GERET ITALIA; POPULOSQUE FEROCES, &c. Infelix vaticinium felici præsagio mitigat: nam quia in consolatione, bellorum mentionem facere alienum videbatur, ideo statim victoriæ felicitatem prædicit, non absque ingenti commendatione virtutis illius. NASCIMBÆNIUS.

TERTIA DUM LATIO REGNANTEM V. Æ. Hic ordo est. Ponet mores & mœnia, dum tertia æstas viderit regnantem; id est illo triennio, quo regnabit, leges dabit & urbem ædificabit. Sane Æneas, ut Eutropius ait, quum tres annos post obitum Latini regnasset, quarto & ipse anno post bellum moritur. CORRAD.

AT PUER ASCANIUS CUI NUNC COGNOMEN IULO. Iulus antiquitus cognomen Iulorum fuit, cum ante Ascanii Æneæ filii fuisset, à quo Iulia gens orta est: Et ut Servius ait, *occiso Mezentio, Ascanium Iulum captum vocari, à prima barbæ lanugine, quæ ei tempore victoriæ nascebatur.* Sunt enim proprie juli teneræ illæ lanugines, quæ in arboribus flores antecedunt, ut in ficu grossuli. Unde per Metaphoram dicuntur juli teneræ illæ lanugines, quæ in juvenum genis primæ enascuntur. ONUPH. PANVINIUS.

Triginta

Digitized by Google

Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque à sede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos

SERVII.

TRIGINTA, Quod XXX tantum annos regnavit. Vel quod Cato ait, XXX *annis expletis eum Albam condidisse*. MAGNOS ORBES. Tria sunt genera annorum: aut enim lunaris annus est XXX. dierum, aut solstitialis, XII. mensium: aut secundum Tullium magnus, qui tenet XII. millia nongentos quinquaginta quatuor annos, ut in Hortensio, *Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus* XII. *millia* nongentos LIV. annos complectitur. Hoc ergo loco MAGNUM dicit comparatione lunaris anni, qui est XXX. dierum. ut alibi, *Interea magnum Sol circumvolvitur annum*. Annus autem dictus quasi anus, unde anulus, quod in se redeat; ut est, *Atque in se sua per vestigia volvitur annus*. Vel ἀπὸ ἀνανεῶσεως, id est ab innovatione. VOLVENDIS. Volubilibus, vel quia volvuntur, ut supra.

A SEDE LAVINI TRANSFERET. Verum est: vitans enim novercalem invidiam, quod timore Ascanii Lavinia post Æneæ mortem ad Tyrum paternum pastorem, gravida confugit ad sylvas: Nam ibi etiam Sylvium peperisse dicitur, deseruit Lavinium & Albam condidit: ab omine porcæ albæ, vel prolixitate collis, ad quam cum de Lavinio Dii penates translati, nocte proxima Lavinium redissent, atque eos denuo Albam Ascanius transtulisset, & illi iterum redissent, Lavinium eos manere passus est, datis qui sacris præessent, agroque eis adsignato, quo se alerent. VI. Modo virtute τὴν δύναμιν, alibi τὴν βίαν, ut est, *Auro vi potitur*, alias pro magna copia. Cicero in Deorum natura, *Infinitamque vim marmoris*. Sallust. *Magna vis hominum convenerat agris pulsa, aut civitate excla*: & est sermo diversa significans, pro ut se locus obtulerit.

HIC IAM. Si autem hic jam, in hoc scilicet loco, præterea. TERCENTUM. Quomodo CCC. annos dicit, cum eam quadringentis constet sub Albanis regibus regnasse? sed cum præscriptione hoc dicit, tercentum enim usque ad ortum urbis Romæ accipiamus: Ait enim, *Donec regina sacerdos Marte gravis*: Et constat in regno Romuli & Numæ, & Tulli Ostilii, qui evertit Albam, centum annos quibus pariter Roma & Alba regnaverunt, esse consumptos. TOTOS. Id est sine fine, sine intermissione. REGNABITUR. Impersonalibus usus est, quia de multis dicit: Ut, *usque adeo turbatur agris*. GENTE SUB HECT. Id est Trojana. Sed quidam reprehendunt, quod *Hectorea* & non Æneja; mos est poëtis nomina ex vicinis usurpare, quia conjunctus genere Hectori Ascanius, ut est, & *Et pater Æneas & avunculus excitat Hector*. Alii tradunt cum Hectoris progenies nulla in Italia fuerit, ideo *Sub Hectorea* positum, ut significaret sub forti; ut in Quinto; *Hectorei socii*. Sed & aliis rebus alia dant nomina, ut pios Æneadas appellari, ut timidos Phrygas, ut nobiles Dardanidas, ut perjuros Laomedontiadas. Cæterum ubi veram originem significat domus Assaraci ponit: Ex quo Capys, ex Capy Anchises, ex Anchise Æneas.

DONATI.

HIC IAM TERCENTUM. Post triennium Æneæ. XXX. Ascanio, & CCC. Hectoreæ genti dantur.

VARIORUM.

TRIGINTA MAGNOS VOLVENDIS MENSIBUS ORBES. Sapienter tacendo, Æneæ tamen obitum innuit, cum ejus filium Ascanium postea regnaturum prædicat. NASCIMBÆN.

VOLVENDIS MENSIBUS. Macrob. lib. 2. cap. 11.

VOLVENDIS MENSIBUS. Philosophorum opinionem sequitur de tempore: nam duo tantum admittunt Philosophi tempora, præteritum & futurum: præsens vero esse negant ullum: nam in eo quod præsens dicimus, si quid jam aliqua ex parte confectum est, præteritum est: si quid mox perficiendum, futurum est. Quamobrem Poëta *annis volventibus* dixit: quod enim volvitur, non stat: quod non stat, præsens dici non potest. NASCIMBÆN.

ORBES, id est annos. Phœnices annum significantes, draconem fingebant in orbem reductum, atque ore caudam tenentem. TAUBMAN.

ORBES. In codice Longobardico non ORBES, sed ANNOS scriptum inveni, quam puto fuisse paraphrasin. Nisi quis magnum annum Solarem velit appellare, Lunaris anni ratione habita: eaque de caussa interjectum esse, VOLVENDIS MENSIBUS, ut destinctio appareret. ORBES tamen docti omnes, ut castiorem lectionem admittunt. PIERIUS.

REGNUMQUE A SEDE LAVINI. De regno ab sede Lavinii Albam translato, vide Varronem libro quarto de ling. latina. Tum Dionysium Halicarnass. in 2. antiq. & Livium in 1. ab Urb. PONTANUS.

LONGAM MULTA VI MUNIET ALBAM. Prodigium de simulachris penatium, Lavinium repetentium, etiam secundo, lege apud Dionysium lib. 1.

HIC IAM TERCENTUM TOTOS REGNABITUR ANNOS. Arnobius lib. 2. longe plures annos numerat. Quot, inquit, apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis. Sed cur Poëta hunc numerum maluerit *tercentum*, vide CORRAD. De numero tricenûm annorum nulla est inter scriptores discrepantia. Supra hos alii plures, alii pauciores ponunt. Quod quidem Virgilius minime ignoravit. Sed eos vel tanquam minoris momenti sciens prætermisit; vel rotundo numero carmen rotundius facere voluit. PONTAN.

Bellum ingens geret Italia; populosque feroces
Contundet, moresque viris, & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)

S E R V I I.

ITALIA. In Italia, & detraxit præpositionem more suo. ut alibi, *Non Libyæ, non ante Tyro despectus Hiarbas.* Id est in Tyro. nam si adverbialiter vellet, Tyri diceret. POPVLOSQVE FEROCES CONTVNDET. Incongruum fuerat in consolatione, dolenti bella prædicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur.

MORESQVE VIRIS ET MOENIA PONET. Hysteroproteron in sensu. ante enim civitas, post jura conduntur. Leges autem, etiam mores dici non dubium est.

TERTIA DVM LATIO. Rhetorice, ne breve esset si triennium diceret, tempora divisit in species. Ordo autem longissimus, nam aliter non procedit, *sublimemque feres ad sydera cœli Magnanimum Æneam.* Et, *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.* Ergo videtur sic tacite mortem Æneæ significasse. DVM autem pro donec, ut, *dum conderet urbem,* id est donec. quidam ideo bis annos ternos memorasse tradunt, ut tres annos solum Æneam regnaturum significaret; quod cum Latino, alios tres annos regnasse dicitur.

AT PVER ASCANIVS. Prudenter exitum Æneæ & ostendit, & tacuit, dicendo filium postea regnaturum. Aut quia major cura Veneri de nepote: ut in X. *Liceat superesse nepotem.* Et iterum ibi: *Hunc tegere.* CVI NVNC COGNOMEN IVLO ADDITVR. Licet superius historia sit narrata, tamen etiam secundum Catonis historiam hoc habet fides, Æneam cum patre ad Italiam venisse, & propter invasos agros, contra Latinum Turnumque pugnasse; in quo prœlio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse, ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Æneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio, Ascanium, sicut L. Cæsar scribit, Iulum cæptum vocari, vel quasi Iuloni, id est sagittandi peritum, vel à prima barbæ lanugine, quam ἴουλον Græci dicunt, quæ tempore victoriæ nascebatur. Sciendum est autem hunc primo Ascanium dictum à Phrygiæ flumine Ascanio. ut, *Transque sonantem Ascanium.* Deinde Ilum dictum à rege Ilo; unde & Ilium. Postea Iulum, occiso Mezentio. de quibus nominibus hoc loco dicit. num ideo ait, AT PVER ASCANIVS CVI NVNC COGNOMEN IVLO ADDITVR, ILVS ERAT. Ab hac autem historia ita discedit Virgilius, ut aliquibus locis ostendat, non se per ignorantiam, sed per artem poëticam hoc fecisse. ut illo loco, *Quo magis Italia mecum lætere reperta.* ecce ἀμφιβολικῶς dixit: ostendit tamen Anchisem ad Italiam pervenisse.

Sic autem omnia contra hanc historiam ficta sunt, ut illud ubi dicitur Æneam vidisse Carthaginem; cum constet eam LXX. annos ante urbem Romam conditam. Inter excidium vero Trojæ & ortum urbis Romæ, anni inveniuntur CCCLX. COGNOMEN IVLO. Si proprie loqueretur, agnomen diceret, non cognomen, sed magis ad familiam respexit: quia omnis gens Iulia inde originem ducit. Dicimus autem & nomen mihi est Cicero: ut, *Hecyra est huic nomen fabulæ.* &, Ciceronis, ut Salust. *Cui nomen oblivionis condiderant.* & Ciceroni: ut, *cui Romulo cognomen erat.* & Ciceronem: ut, *Æneadasque meo nomen de nomine fingo.* Melius tamen est dativo uti.

ILVS ERAT. Deest qui: debuit autem dicere *qui Ilus erat.* ILIA. Pro Iliensibus, ut Plautus: *Hector Ilius,* pro Iliensis. Et Amphytruo, *Natus Argis ex Argo patre,* id est Argivo.

D O N A T I.

BELLVM. proponit curam belli, sed bona ventura promittit, mortem autem Æneæ, quod erat triste, subticet.

AT PVER. Ostendit, quod optabile est Æneæ, non externum, sed filium successurum, eo feliciorem, quod non triennio, ut ipse, sed triginta annos sit regnaturus.

V A R I O R V M.

BELLVM INGENS GERET ITALIA; POPVLOSQVE FEROCES, &c. Infelix vaticinium felici præsagio mitigat: nam quia in consolatione, bellorum mentionem facere alienum videbatur, ideo statim victoriæ felicitatem prædicit, non absque ingenti commendatione virtutis illius. NASCIMBÆNIVS.

TERTIA DVM LATIO REGNANTEM V. Æ. Hic ordo est. Ponet mores & mœnia, dum tertia æstas viderit regnantem; id est illo triennio, quo regnabit, leges dabit & urbem ædificabit. Sane Æneas, ut Eutropius ait, quum tres annos post obitum Latini regnasset, quarto & ipse anno post bellum moritur. CORRAD.

AT PVER ASCANIVS CVI NVNC COGNOMEN IVLO. Iulus antiquitus cognomen Iulorum fuit, cum ante Ascanii Æneæ filii fuisset, à quo Iulia gens orta est: Et ut Servius ait, *occiso Mezentio, Ascanium Iulum cæptum vocari, à prima barbæ lanugine, quæ eo tempore victoriæ nascebatur.* Sunt enim proprie juli teneræ illæ lanugines, quæ in arboribus flores antecedunt, ut in ficu grossuli. Vnde per Metaphoram dicuntur juli teneræ illæ lanugines, quæ in juvenum genis primæ enascuntur. ONVPH. PANVINIVS.

Triginta

Digitized by Google

Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque à sede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos

SERVII.

TRIGINTA, Quod XXX tantum annos regnavit. Vel quod Cato ait, XXX *annis expletis eum Albam condidisse*. MAGNOS ORBES. Tria sunt genera annorum: aut enim lunaris annus est XXX. dierum, aut solstitialis, XII. mensium: aut secundum Tullium magnus, qui tenet XII. millia nongentos quinquaginta quatuor annos, ut in Hortensio, *Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus* XII. *millia* nongentos LIV. annos complectitur. Hoc ergo loco MAGNVM dicit comparatione lunaris anni, qui est XXX. dierum. ut alibi, *Interea magnum Sol circumvolvitur annum*. Annus autem dictus quasi anus, unde anulus, quod in se redeat; ut est, *Atque in se sua per vestigia volvitur annus*. Vel ἀπὸ νεανισμοῦ, id est ab innovatione. VOLVENDIS. Volubilibus, vel quia volvuntur, ut supra.

A SEDE LAVINI TRANSFERET. Verum est: vitans enim novercalem invidiam, quod timore Ascanii Lavinia post Æneæ mortem ad Tyrum paternum pastorem, gravida confugit ad sylvas: Nam ibi etiam Sylvium peperisse dicitur, deseruit Lavinium & Albam condidit: ab omine porcæ albæ, vel prolixitate collis, ad quam cum de Lavinio Dii penates translati, nocte proxima Lavinium redissent, atque eos denuo Albam Ascanius transtulisset, & illi iterum redissent, Lavinium eos manere passus est, datis qui sacris præessent, agroque eis adsignato, quo se alerent. VI. Modo virtute τῇ δυνάμει, alibi τῇ βίᾳ, ut est, *Auro vi potitur*; alias pro magna copia. Cicero in Deorum natura, *Infinitamque vim marmoris*. Sallust. *Magna vis hominum convenerat agris pulsa, aut civitate ejecta*: & est sermo diversa significans, pro ut se locus obtulerit.

HIC IAM. Si autem hic jam, in hoc scilicet loco, præterea. TERCENTVM. Quomodo CCC. annos dicit, cum eam quadringentis constet sub Albanis regibus regnasse? sed cum præscriptione hoc dicit, tercentum enim usque ad ortum urbis Romæ accipiamus: Ait enim, *Donec regina sacerdos Marte gravis*: Et constat in regno Romuli & Numæ, & Tulli Ostilii, qui evertit Albam, centum annos quibus pariter Roma & Alba regnaverunt, esse consumptos. TOTOS. Id est sine fine, sine intermissione. REGNABITVR. Impersonalibus usus est, quia de multis dicit: Vt, *usque adeo turbatur agris*. GENTE SVB HECT. Id est Trojana. Sed quidam reprehendunt, quod *Hectorea* & non Æneja; mos est poëtis nomina ex vicinis usurpare, quia conjunctus genere Hectori Ascanius, ut est, & *Et pater Æneas & avunculus excitat Hector*. Alii tradunt cum Hectoris progenies nulla in Italia fuerit, ideo *Sub Hectorea* positum, ut significaret sub forti; ut in Quinto; *Hectorei socii*. Sed & aliis rebus alia dant nomina, ut pios Æneadas appellari, ut timidos Phrygas, ut nobiles Dardanidas, ut perjuros Laomedontiadas. Cæterum ubi veram originem significat domus Assaraci ponit: Ex quo Capys, ex Capy Anchises, ex Anchise Æneas.

DONATI.

HIC IAM TERCENTVM. Post triennium Æneæ. XXX. Ascanio, & CCC. Hectoreæ genti dantur.

VARIORVM.

TRIGINTA MAGNOS VOLVENDIS MENSIBVS ORBES. Sapienter tacendo, Æneæ tamen obitum innuit; cum ejus filium Ascanium postea regnaturum prædicat. NASCIMBÆN.

VOLVENDIS MENSIBVS. Macrob. lib. 2. cap. II.

VOLVENDIS MENSIBVS. Philosophorum opinionem sequitur de tempore; nam duo tantum admittunt Philosophi tempora, præteritum & futurum: præsens vero esse negant ullum: nam in eo quod præsens dicimus, si quid jam aliqua ex parte confectum est, præteritum est: si quid mox perficiendum, futurum est. Quamobrem Poëta *annis volventibus* dixit: quod enim volvitur, non stat: quod non stat, præsens dici non potest. NASCIMBÆN.

ORBES, id est annos. Phœnices annum significantes, draconem fingebant in orbem reductum, atque ore caudam tenentem. TAVBMAN.

ORBES. In codice Longobardico non ORBES, sed ANNVS scriptum inveni, quam puto fuisse paraphrasin. Nisi quis magnum annum Solarem velit appellare, Lunaris anni ratione habita: eaque de caussa interjectum esse, VOLVENDIS MENSIBVS, ut destinctio appareret. ORBES tamen docti omnes, ut castiorem lectionem admittunt. PIERIVS.

REGNVMQVE A SEDE LAVINI. De regno ab sede Lavinii Albam translato, vide Varronem libro quarto de ling. latina. Tum Dionysium Halicarnass. in 2. antiq. & Livium in I. ab Vrb. PONTANVS.

LONGAM MVLTA VI MVNIET ALBAM. Prodigium de simulachris penatium, Lavinium repetentium, etiam secundo, lege apud Dionysium lib. I.

HIC IAM TERCENTVM TOTOS REGNABITVR ANNOS. Arnobius lib. 2. longe plures annos numerat. Quot, inquit, apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis. Sed cur Poëta hunc numerum maluerit *tercentum*, vide CORRAD. De numero tricenûm annorum nulla est inter scriptores discrepantia. Supra hos alii plures, alii pauciores ponunt. Quod quidem Virgilius minime ignoravit. Sed eos vel tanquam minoris momenti sciens prætermisit; vel rotundo numero carmen rotundius facere voluit. PONTAN.

Digitized by Google

Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:

SERVII.

DONEC REGINA SACERDOS. Historia hoc habet: Amulius & Numitor fratres fuerunt filii Procæ. Amulius autem fratrem pepulit regno & filium ejus necavit: filiam quoque ejus Iliam, Vestæ sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret, à qua se puniri posse cognoverat. Hæc cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata, refugit in speluncam; in qua à Marte compressa est, unde nati sunt Remus & Romulus. Sed Amulius timens ne de stirpe fratris Numitoris aliquid procreatum adolevisset avum forsitan vindicaret, pueros cum matre præcipitari jussit in Tyberim: hanc, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem: ut alii, inter quos Horatius, Tyberis, unde ait, *Vxorius amnis.* Pueri vero expositi ad vicinam ripam delati sunt, ad quos vagientes lupa de vicinis montibus venit & ubera præstitit; sed cum eos Faustus pastor ejus loci animadvertisset nutriri à fera: & picum parramque circumvolitare; suspicatus diviuæ originis sobolem, ad Accam Laurentiam uxorem, quæ ante meretrix fuerat, pueros detulit, quæ susceptos aluit. Hi postea avum suum Numitorem occiso Amulio revocarunt in regna: quibus dum eum alio angustum Albæ videretur imperium, recesserunt: & captatis auguriis urbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit; Romus postea XII. quæ res bellum creavit, in quo extinctus est *Remus*, & à Romi nomine Romani appellati. Vt autem pro Romo, Romulus diceretur, blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione. Sed quod à lupa alti dicuntur; fabulæ hoc ad celandam autorum Romani generis turpitudinem fingunt. nec incongrue: nam meretrices lupas vocamus: unde & lupanaria. Et constat hoc animal in tutela esse Martis. Sed de origine & conditore urbis, diversa à diversis traduntur. Clinias refert Telemachi filiam Romen nomine, Æneæ nuptam fuisse, ex cujus vocabulo Romam appellatam *** dicit Latinum ex Vlixe & Circe editum de nomine sororis suæ mortuæ Romen civitatem appellasse. Ad ejus adserit Romam ante adventum Evandri diu Valentiam vocitatam.

Sed post Græco nomine Romen vocitatam. Alii à filia Evandri ita dictam; alii à fatidica quæ prædixisset Evandro, his eum locis oportere considere. Heraclides ait Romen nobilem captivam Trojanam hoc appulisse, & tædio maris suasisse sedem, ex cujus nomine urbem vocatam. Eratosthenes, Ascanii Æneæ filii Romulum parentem urbis refert. Nævius & Ennius, Æneæ ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt. Sybilla ita dicit, *[illegible]*. REGINA regis filia abusive dicit more poëtico. ut alibi, *Magnum regina sed enim miseratus amorem*, id est regis filiæ Pasiphaes. SACERDOS. Quia ab Amulio Vestæ virgo esse jussa est, ne ei propter edendam sobolem facultas esset viro jungi. MARTE GRAVIS. Gravida. ut, *Non insueta graves tentabunt pabula fœtas.*

INDE. Post, vel deinde, vel tunc, adverbium loci pro temporis. FVLVO TEGMINE. Id est pelle lupæ; qua utebatur more pastorum. sed hoc multi reprehendunt cur nutricis tegmine usus sit, qui gemina ratione refutantur: vel falsitate fabulæ, vel exemplo Iovis, qui capræ nutricis utitur pelle. unde Græce αἰγιοχος appellatur. Sane tegmine multi antique dictum asserunt, quia tegumentum dici debere affirmant. LÆTVS. Virtute alacer. vel quia avo regnum reddiderat; vel quia ipse novam urbem & novum condebat imperium.

ROMVLVS. Bene Romulum solum ait, dissimulans de parricidio. EXCIPIET GENTEM. Remo scilicet interempto, post cujus mortem natam constat pestilentiam. unde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti; ob quam rem sella curulis cum sceptro & corona, & ceteris regni insignibus semper juxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare videretur. unde est, *Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt.*

ROMANOSQVE SVO DE NOMINE. Perite: non ait Romam, sed Romanos. Vrbis enim illius verum nomen, nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro & multi alii, quia hoc nomen ausus enuntiare, ut quidam dicunt, raptus à Senatu, & in crucem levatus est: ut alii, metu supplicii fugit, & in Sicilia comprehensus à Prætore, præcepto Senatus occisus est. Hoc autem urbis nomen, ne Hyginus quoque, quum de situ urbis loqueretur, expressit.

NEC METAS RERVM, NEC TEMPORA PONO. *Metas*, ad terras retulit; *Tempora*, ad annos. Lavinio enim triennium, Albæ trecentos statuit, Romanis tribuit æternitatem, quia subjunxit *Imperium sine fine dedi.* QVIN. Quinetiam. Minus enim est ETIAM. Nam plenum est, *quinetiam.* ut, *Quinetiam hyberno moliris sydere classem.*

DONATI.

REGINA. Quæ quamvis geminos pariat: ad unum Romulum imperium perventurum ostendit, & parricidium occultat, & Romanos à Romo appellatum iri: qui tanta sint felicitate regnaturi, ut nullis alterorum regum terminis claudantur.

VARIORVM.

ROMVLVS EXCIPIET GENTEM. *Excipiet*, ut quasi rursus excitet gentem Hectoream, tunc pæne cadentem & deficientem, Numitore jam sene & orbo: quippe cujus filium Lausum Amulius interfecerat. CORRAD.

Impe-

Imperium ſine fine dedi. quin aſpera Iuno,
Quæ mare nunc terraſque metu, cœlumque fatigat,
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum: veniet luſtris labentibus ætas,
Cum domus Aſſaraci Phthiam, claraſque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar;
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris:

SERVII.

ASPERA IVNO. Vel quam tu *aſperam* dicis, vel certe ut & ego fateor & tolerabilius hoc Iupiter dicit.

QVÆ MARE NVNC TERR. Q. M. C. Q. F. Metum ſcilicet quem de Carthagine habet; ut ſupra, *Id metuens*; vel metu quo Trojanos ferret *&* *Venerem.* Nam dicit, *Parce metu Cytherea.* MARE autem TERRAS C. Q. F. alibi oſtendit dicendo. *Abſumptæ in Teucros vires cœlique mariſque.* FATIGAT vero pro exercet, ſollicitat, commovet.

CONSILIA IN MELIVS R. εἰς τὸ κρεῖττον. Et eſt latinior elocutio. Salluſt. * *Ad mutandum modo in melius ſervitium*: quia bello Punico ſecundo, ut ait Ennius, placata Iuno cæperit favere Romanis. MECVMQVE FOVEBIT. id eſt eadem quæ ego ſentiens, eadem quæ ego volens.; vel ut quidam volunt, metum in Capitolio conſtituta.

GENTEMQVE TOGATAM. Bene gentem, quia & ſexus omnis & conditio toga utebatur: ſed ſervi nec colobia, nec calceos habebant. Togas etiam fœminas habuiſſe, cycladum & recini uſus oſtendit. Recinus autem dicitur, quod poſt tergum rejicitur, quod vulgo Mavorte dicunt.

SIC PLACITVM. Vel fatis, vel mihi. nam impersonale eſt. LVSTRIS. Quinquenniis. Et bene Olympiadibus computat tempora; quod magis ad Iovem pertinet; quia nondum erant vel Roma, vel conſules. Luſtrum autem dictum, quod poſt quinquennium unaquæque civitas luſtrabatur. Vnde Romæ ambiluſtrum, quod non licebat, niſi ambos Cenſores poſt quinquennium luſtrare civitatem. ÆTAS. Iuxta veteres ætas, hic pro tempore poſita eſt; alibi pro modo annorum; ut, *Eſt, ubi jam firmata virum te fecerit ætas*; & *Ætas Lucinam juſtoſque pati hymenæos.*

DOMVS ASSARACI. Trojani, id eſt familia Trojana. id eſt à parte totum. Nam Aſſaracus Capyn genuit, Capys Anchiſem: unde Æneas author Romani generis: ex quibus Nummius qui Achajam vicit. PHTHIAM. Achillis patriam. ut, *ipſe Mycenæus magnorum ductor Achivum.* MYCENAS. Agamemnonis patriam, ut, *Agamemnoniaſque Mycenas.*

NASCETVR. Ad illud reſpondet, *Certe hinc Romanos.* Et omnis poëtæ intentio, ut in qualitate carminis diximus, ad laudem tendit Auguſti: ſicut & in Sexti catalogo, & in clypei deſcriptione. Hæc autem Iovis allocutio, partim objecta purgat; partim aliqua pollicetur. PVLCHRA. Alluſit propter Venerem. TROIANVS. Ac ſi diceret, etiam Cæſar Trojanus eſt. CÆSAR. Hic eſt qui dicitur Gajus Iulius Cæſar. & Gajus prænomen eſt, Iulius ab Iulo: Cæſar vel quod cæſo matris ventre natus eſt, vel quod avus ejus in Africa manu propria occidit elephantem, qui Cæſar dicitur Pœnorum lingua. Hic ſane Gajus Iulius Cæſar, quatuor & ſexaginta victis Galliarum civitatibus, cum à Senatu petiiſſet Conſulatum & triumphum, nec impetraſſet adverſante Gn. Pompejo Magno, ejuſque amicis, qui Cæſaris proceſſibus invidebant, bellum civile geſſit in Farſalia. quo Pompejus victus Alexandriæ occiditur. Cæſar Romam compoſitis rebus, & Alexandria debellata reverſus, in Curia Pompejana à Caſſio & Bruto, aliiſque Pompejanis occiſus eſt. Cujus hæres Auguſtus, cum intraſſet urbem, coëgit à Senatu interfectores Cæſaris, parricidas & hoſtes judicari, eumque in Deorum numerum referri, & Divum appellari.

IMPERIVM OCEANO, FAMAM QVI TERMINET ASTRIS. Aut ad laudem dictum eſt, aut certe eſt ſecundum hiſtoriam. Re vera enim & Britannos qui in Oceano ſunt, vicit: & poſt mortem ejus, cum ludi funebres ab Auguſto ejus adoptivo filio darentur, ejus ſtella medio die viſa eſt. unde eſt, *Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.* A MAGNO. Sicut Alexander, ſicut Pompejus. Græci enim omne magnificum *Magnum*, ut, Mater magna, & Dii magni.

DONATI.

ASPERA IVNO. Aperte ponit, quod Venus, *unius ob iram*, dixit. Ergo tantam felicitatem pollicetur, ut accerrima inimica, poſito odio, amica futura ſit.

CVM DOMVS ASSARACI. Extremus cumulus lætitiæ, ut qui ad tempus victores erant, iis, quos vicerant, ſervituri eſſent: quod plus eſt quam Antenorem inter victores populos conſediſſe: & per medios Achivos prolapſum eſſe. Verum quia hæc in honorem Cæſaris ſcribebat, aperuit, quod in poſterioribus fuiſſet ſcripturus, niſi mors præveniſſet. Nam poſt mortem Turni ſequebantur triginta ac trecentum annorum geſta, ac deinceps uſque ad Cæſaris tempora facta. Et Cæſarem ita amplificaturum Romanum imperium, ut nihil relinqueret, quod non ſe ab illo ſubactum fateretur.

PVLCHRA. Optima & honeſta, ut non corporis ſit, ſed originis.

IMPERIVM OCEANO. Proverb. *Quanta vix cælo capi poſſit.* HART.

Iulius à magno demissum nomen Iülo.
Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus,

SERVII.

OLIM. Modo futuri est temporis. CÆLO. In cœlum. SPOLIIS ORIENTIS. Victo Pharnace Mithridatis filio, qui re vera fuit in oriente. Cæterum Ægyptus in qua Ptolemæum vicit, in australi est plaga. HONVSTVM. Inter honustum & oneratum hoc interest; quod Oneratus est qualicunque pressus pondere: Honustus vero cui onus ipsum honori est, ut si quis spolia hostium ferat. Sed oneratus aspirationem non habet, quia ab onero venit: honustus vero quia ab honore venit, retinet aspirationem. alii *honestum* legunt. Veteres enim *honestum* pro specioso ponebant; ut, *Dardanius caput ecce puer detectus honestum.*

ACCIPIES SECVRA. Quare secura, aut quia nunc sollicita; Aut quia Cæsar post mortem meruit aram, fastigium, Flaminem, ut Cicero in Philippicis. HIC QVOQVE. Potest intelligi sicut ego, sicut tu, sicut Romulus: sed melius sicut Æneas, de quo superius ait; *Sublimemque feres ad sydera cœli Magnanimum Æneam.* QVOQVE autem, semper ad similitudinem ponitur: ut, *Tu quoque littoribus nostris.* VOTIS. Vel ad vota, vel, *votis vocabitur.*

ASPERA TVM. Id est Cæsare consecrato, quum Augustus regnare cœperit, clauso Iani templo, pax erit per orbem, qui quoniam * claudebatur. Constat autem templum hoc ter esse clausum. Primum regnante Numa: item, post bellum Punicum secundum: tertio post bella Actiaca, quæ confecit Augustus; quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: sed bella flagravere civilia, quod & ipse per transitum tangit; dicens, FVROR IMPIVS INTVS. Hujus autem aperiendi vel claudendi templi ratio varia est: alii dicunt Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo esset ut vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugavit exercitum Sabinorum.

Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Tatium & Romulum facto fœdere, hoc templum ædificasse; unde & Ianus ipse duas facies habet, quasi ut ostendat duorum regum coitionem: vel quod ad bellum ituri debent de pace cogitare. Est alia melior ratio, quod ad prælium ituri, optent reversionem. CANA FIDES ET VESTA. Subaudi, erit. *Canam* autem *fidem* dixit, vel quod in canis hominibus invenitur: vel quod ei albo panno involuta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam. unde Horatius, *Et albo rara fides colitur velataque panno.* Vestam vero Religionem: quia nullum sacrificium sine igne est, ut & ipsa, & Ianus in omnibus sacrificiis invocantur. VESTA autem dicta vel ἀπὸ τῆς ἑστίας: ut digammos sit adjecta. sicut er, ver: enetus, Venetus. vel quod variis vestita sit rebus. Ipsa enim esse dicitur terra, quam ignem habere non dubium est: ut ex Ætna, Vulcanoque & aliis locis ardentibus, datur in elligi.

REMO CVM FRATRE QVIRINVS IVRA DABVNT. Hic dissimulat de parricidio quod & jungit eos, & quia non Romulum, sed Quirinum appellat, ut non potuerit parricidium facere, qui meruit Deus fieri. an sicut multi intelligere volunt, ut superius dictum est, quia post pestilentiam ad placandos fratris manes, geminis omnibus usus est Romulus. unde ait, *Iura dabunt*, Et *Viden' ut geminæ stent vertice cristæ?* Sed hoc esse non potest, quia aut iteratio est antedictorum, aut ordo præposterus, si post dictum Cæsarem, Romulum repetit.

Constat præterea Iani templum sit non fuit, * si tamen fuerit, patuisse sub Romulo: quia bellis nunquam vacavit. Alii volunt per hoc Romanos intelligi. Verumtamen hoc habet ratio; Quirinum Augustum esse, Remum vero pro Agrippa positum, qui filiam Augusti, duxit uxorem: & cum eo pariter bellum tractavit. unde est, *Parte alia ventis & diis Agrippa secundis.* Nam adulans populus Romanus Octaviano, tria ei obtulit nomina: utrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne unum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est. Et primo Quirinus dictus est, inde Cæsar, postea quod & obtinuit Augustus, sicut Suetonius probat, & in Georgicis ostendit Virgilius.

Nam cum de Gangaridum victoria diceret, qui juxta Gangem sunt, quique ab Augusto victi sunt: ait, *Victorisque arma Quirini.* Vt autem pro Agrippa Remum poneret, poëtico usus est more. nam nomen ex vicino sumsit. Hoc ergo dicit, Cum cœperit Iulius Cæsar cœlum tenere patratis omnibus bellis, jura dabunt Augustus & Agrippa.

Romulus autem *Quirinus* ideo dictus, vel quod hasta utebatur, quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur, Hasta enim, id est curis, telum est cum longiore ferro: unde & securis quasi semicuris. vel à κοίρανος, qui Græce rex dicitur: Constat autem Græcos fuisse Romanos, vel certe propter generis nobilitatem. Mars enim cum sævit, Gradivus dicitur: cum tranquillus est, Quirinus. Denique in urbe duo ejus templa sunt: unum Quirini intra urbem, quasi custodis & tranquilli: aliud in Appia via extra urbem prope portam, quasi bellatoris vel Gradivi.

DONATI.

IVLIVS. Cæsar trahens nomen demissum in tantum autem domiturum omnes gentes, ut existentibus triumphis ejus, pax dehinc & fides perpetua permaneat.

VARIORVM.

CANA FIDES. Quod alba lana involutis manibus coleretur. GERMAN.

Iura

Digitized by Google

Iura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ. Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto,
Vt terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces

SERVII.

DIRÆ. Cum apertæ sunt, hoc est abominandæ, alias *Diræ*, magnæ. *An sua cuique Deus fit dira cupido.* Et, *Iam tum relligio pavidos terrebat agrestes. Dira loci*; Et, *dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ.* COMPAGIBUS. Ambages & compages antiqui tantum dicebant: posteritas admisit ut dicatur etiam compago: sed non quia varius esse potest nominativus, debet etiam declinatio mutari. quemadmodum nec in istis nominibus, arbor arbos, vomer vomis: nam & vomeris & arboris tantum facit. Ergo compages compagis, quoniam compago usurpatum est: compaginis autem nemo penitus dicit.

BELLI PORTÆ Iani gemini, quæ bello aperiebantur, pace claudebantur. Ideo autem Ianus belli tempore patefiebat, ut ejusdem conspectus per bellum pateret, in cujus potestate esset exitus reditusque; id enim ipsa significat ejus effigies præbentis sequentibus & redeuntibus ducem: Hunc autem olim Numa Pompilius fecit, cujus portas regni tempore clausit. FUROR IMPIUS INTUS. Ut superius diximus, propter bella civilia, quæ gesta sunt contra Brutum & Cassium ab Augusto in Philippicis: contra Sextum Pompejum in Sicilia. aut sicut quidam tradunt, *Furor impius intus*, non in æde Iani sed in alia. In foro Augusti introëuntibus ad sinistram fuit bellum pictum & furor sedens super arma devinctus eo habitu, quo poëta dixit.

SÆVA SEDENS SUPER ARMA. Secundum antiquam licentiam.

Sciendum tamen hodie IN, & SUB, tantum communes esse præpositiones. cæterum SUPER & SUBTER jam accusativæ sunt, sicut CLAM & POST, quæ antea communes fuerunt: nunc in his mutata natura est. Ergo *super* pro supra, & nunc hæc præpositio accusativo servit, ubi vero *de* significat, ablativo. AHENIS NODIS. Non centum nodis sed catenis, quas circunlocutione significavit; quia sunt catenæ nodi plures. Quidam ÆNEIS pro ferreis tradunt, ut 7. Æn. *micat æreus ensis*: & 5 Æn. *Ærea quem obliquum rota transit.*

ET MAIA GENITUM. Mercurium. Et est Periphrasis. Cicero in libro de deorum natura, plures esse dicit Mercurios: sed in deorum ratione, fabulæ sequendæ sunt. nam veritas ignoratur. Simul allusit poëta, quia per caduceatores, id est internuntios, pax solet fieri. vel quod Deo opus erat: ut hostes Pœni auctori Romani nominis placarentur Æneæ. Quidam sane quatuor Mercurios dicunt: Unum Iovis & Majæ filium; Alterum Cœli & Diei: Tertium Liberi & Proserpinæ: Quartum Cyllenis, à quo Argus occisus est, quem ipsum ob hanc causam Græcia profugum, Ægyptiis literas demonstrasse perhibent.

UT TERRÆ. Propter illud quod sequitur, *Hospitio prohibemur arenæ.* PATEANT. Propter illud, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.*

DONATI.

IURA DABUNT. Id est, leges Romuli perdurabunt. Et denique cessura omnia mala, felicitate Cæsaris dixit, furorem scilicet & bellandi necessitatem.

HÆC AIT, & MAIA. Exposita futurorum promissione, provideri securitas debuit, ne naufragi in terris alienis, & in quibus inimica regnabat Iuno, aliquam violentiam paterentur. Procuratur autem Trojanis securitas per duos; quorum alter affinis est. Nam Maja Mercurii mater, Trojanorum generi nectebatur. Debuit ergo ad effectus implendos, talis mitti persona, quæ præceptorum autoritate, duplici ratione deducta, celerius maturaret, alarum juvante subsidio.

NOVÆ. quia novitas regni cuncta habet suspecta: ut ipse, *Res dura & regni novitas, me talia cogunt moliri.* Vel lege: ut, Terræ Carthaginis, & novitas ædificiorum pateat Teucris. Solus autem Iuppiter ministro Mercurio potuit præstare, ut inimicos suos Carthago susciperet. Sed quia omnia cum celeritate erant agenda, quam brevi sermone est amplexus. *Terras* autem dixit, ne in regionibus Carthaginis, aut in littoribus à gentibus vexarentur. NOVAS ARCES. Etiam sic accipimus, ne Carthaginem incogniti venientes adversa paterentur.

VARIORUM.

IURA DABUNT. Ἀλληγορικῶς aureæ ætatis felicitatem exaggerat, ut Augusti Cæsaris fortunam felicitatemque ostendat, quem ea ætate regnaturum vaticinatur, qua fides, justitia paxq; coli cœperit. N.

BELLI PORTÆ. Alexandr. Neapolitanum lege lib. 2. cap. 15. HART.

SÆVA SEDENS SUPER ARMA, ET CENTUM &c. Videtur alludere ad simulacrum Martis in Sparta vincti, & catenis hinc inde constricti, manubiisque & spoliis insidentis. Docet antea & appositissime Turnebus, Maronem his versibus adumbrasse bellum ab Apelle pictum, restrictis post tergum manibus; quod eam tabulam Augustus in suo foro dicasset, quam ab Alexandro triumphante prælatam prius, auctor est Plinius. GERMAN.

ET MAIA GENITUM. Non absque ratione à Poëta fictum est, Mercurium in tanta rerum periculorumque difficultate Carthaginem à Iove mitti: nam sub Mercurii persona Oratoris virtus occulte designatur: qui præsidio ingenii, orationisque facultate, populum in improbos inflammare, & in bonos incitatum, mitigare; denique omnes hominum affectus dicendo, vel concitare, vel sedare possit. NAS.

Hospi-

Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris:
Et jam jussa facit; ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo: inprimis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
At pius Æneas, per noctem, plurima volvens,

SERVII.

HOSPITIO. Ad hospitium. Nonnulli sane *patente*, pacatæ sint accipiunt: ut Sallust. *Simul immanis hominum vis multis è locis, invasere patentes tum, & pacis modo effusas.* Hic enim habitus pacis; Et in Catilina, *Cuncta maris terræque patebant.* Sic enim contra, cum dicitur, *Clausa omnia*; bellum significatur: ut ipse, *Quæ mœnia clausis Ferrum acuant portis.* NE FATI NESCIA DIDO. Non fui, Nam si sciret exitum suum, multo magis vetaret. sed FATI dixit, voluntatis Iovis. ut est, *Fatis Iunonis iniquæ.* Aut certe fati Trojanorum, qui non sponte, sed necessario ad Africam venerant: quod utique ignorabat Dido. Illo enim tempore invadendarum terrarum caussa fuerat navigatio, ut Salustius meminit: facili cum mutatione sedium: quod etiam excusant Trojani, *Non nos aut ferro Libycos populare penetes Venimus.* Ergo hoc agitur, ut discat Dido eos ad Italiam tendere. Quomodo ergo se jungit Æneæ; Sed furoris illud est, non consilii. Nam nec sacerdotibus hæc dicentibus credidit. Vnde est, *Quid vota furentem. Quid delubra juvant?*

VOLAT ILLE PER AERA. Similis hic festinatio Mercurii est, ut supra Neptuni, in Quarto; *Et talaria nectit, Et virgam capit*, & plus moratur.

REMIGIO ALARVM. Translatio reciproca, nam alibi, *velorum pandimus alas.* CITVS. pro cito, adverbium temporis, in nomen deflexum. Et bene hoc de Mercurio. Cum enim alia signa tarde ad ortus suos recurrant, Mercurius decimooctavo die in ortu suo invenitur. POENI, ἀντίστοιχον est quasi phœni.

VOLENTE DEO. Mercurio, vel Iove. IN PRIMIS. Præcipue.

IN TEVCROS. Pro in Teucris. alibi *in Teucros*, adversum Teucros. ut, *Absumptæ in Teucros vires.*

AT PIVS ÆNEAS .... * filium Æneas sacrorum omnium docetur, ex cujus persona latenter quæ ad ceremonias veteres pertinent sæpe monstrantur. Hic ergo Deus, apicis, quod insigne flaminum fuit, de quo loco suo in Quarto libro dictum est. Vult ostendere igitur flamini extra medium pomerium post Solis occasum apicem ponere non licere. Æneas ergo hic ad Carthaginis litus adpulsus, ostenditur sine apice fuisse, id est nudo capite. Nam cum ait, *At pius Æneas per noctem plurima volvens, ut primum*: &c. Manifeste longius ab urbe intelligitur; unde animadvertendum est extra pomerium fuisse. Nam in subsequentibus ostenditur, eum extra pomerium fuisse, cum ait Venus, *Et qua te ducit via dirige gressum*: nam & augurium ei in finibus pomerii ostensum est, quod & ipsum Æneam respondentem signatius declarat sine apice fuisse, timentem enim ne piaculum incurreret, si cum Solis occasum nudo capite, id est sine apice, inveniret; ita loquentem fecit; *Et vacet annales nostrorum audire laborum, Ante diem clauso componet vesper Olympo*; Verebatur enim Solis occasum. Nudo autem capite ibi fuisse ostenditur; ubi ait, *Restitit Æneas claraque in luce refulsit.* * *Os humerosque deo similis. namque ipsa decoram cæsariem, &c.* Neque enim *Cæsariem* dicere debuisset, nisi quia nudo capite incedebat Æneas. Sed hæc Virgilio, & his similia sufficiunt ad indicandum omnium disciplinarum scientiam narrantem aliud ponere, neque propositum habet talia plenius exequi. PER NOCTEM. Decet enim pro cunctis regem esse sollicitum. Et bene *per noctem*, ne à sociis, quos ipse consolatus erat, videretur per diem mærens.

DONATI.

REMIGIO ALARVM. Aliter enim volare non potuisset.

ET IAM IVSSA. Fructum executionis impletæ posuit. PONVNT FEROCIA CORDA. Natura ferox in lenitatem mutatur.

VOLENTE DEO. Nam nisi dei, id est, Iovis, vel Mercurii jussus intercessisset, natura ferox immutari non potuisset. Et quia reginæ partes in secundo loco posuit, correxit dicendo, *In primis.* Nam ipsa fuit lenienda, quæ vel incitare illos posset, vel violentia comprimere. Et quoniam fieri non poterat, ut eodem temporis puncto ferocitatem ponerent, & amarent, libravit verba, & non dixit *amant*, sed *ponunt corda ferocia.*

AT PIVS ÆNEAS. Interposita narrationi fuerant verba Veneris & Iovis in luctu Trojanorum. nunc ad narrationem redit eo, unde digressus fuerat, scilicet. *Et jam finis erat.*

VARIORVM.

VOLAT ILLE PER AERA MAGNVM. Notetur numerorum celeritas. Quippe in obeundis legationibus laudatur maturitas. Aut etiam Planetæ velocitatis rationem habuit. TAVBMAN.

AERA MAGNVM. Homer. Odyss. 9. ἠέρα βαθεῖαν dixit. HARTVNG.

VOLENTE DEO. Mercurio, qui Punicæ genti præest. Vid. Scalig. lib. 3. cap. 25.

PER NOCTEM PLVRIMA VOLVENS. Quippe Nox εὐφρόνη dicta est, tanquam prudentissima dea, laudaturque illud tritum, ἐν νυκτὶ βουλή. Itemque Hom. Iliad. β. οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, &c. HARTVNG.

Digitized by Google

Vt primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras:
Qui teneant (nam inculta videt) hominesne, feræne:
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum, atque horrentibus umbris,
Occulit: ipse uno graditur comitatus Achate;
Bina manu late crispans hastilia ferro.

SERVII.

ALMA. Lux alma dicta quod alat universa: unde *alma Ceres*, quod nos alat. Nam physici dicunt omnia per diem crescere. quomodo igitur Virgilius ait, *Exigua tantum gelidus ros nocte reponet*? sed hoc pro miraculo positum est: & amplius sentit. LOCOS. Et locos & loca dicimus, cum in numero singulari locus tantum dicamus. Simile est & jocus, nam & joca & jocos. ut Salustius in Iugurth. *Ioca atque seria cum humillimis exercere*. Et, Cic. *Quam multa joca solent esse in epistolis*. Et, *Tum juvenes agitare jocos*.

QVAS VENTO ACCESS. ORAS. Sine præpositione, Sallust. *Genua patrum advolvuntur* Superius dictum figuram fieri, cum præpositio detracta nomini, verbo copulatur, & plerunque eam suam retinere naturam, plerunque convertere. Hoc igitur sciendum est, quod cum casum suum retinet, Hysterologia est, ut hoc loco: quum autem mutat, figura est, ut, *Cumarum adlabitur oris*. Oris enim pro oras posuit. Plerunque etiam superfluas ponunt præpositiones.

QVI TENEANT. Iure dubitat, cum omnia cernat inculta: Ordo est. *Qui teneant, hominesne feræne*. Media per parenthesin dicta sunt. EXACTA. Exquisita. Et ostendit providum regem per se curantem commoda sociorum.

IN CONVEXO NEMORVM. Prooeconomia est ad caussam pertinens. Non enim tenebitur ab Afris, ut Ilionei, & qui cum ipso supervenerant. CONVEXO autem, curvo: unde etiam convexum cœlum dicitur. Sane subaudimus LOCO, ut alibi, *Castrorum & campi medio*, id est spatio. Nemorum autem modo sylva: Interest autem inter nemus & sylvam & lucum; lucus enim est arborum multitudo cum religione, nemus vero composita multitudo arborum, sylva diffusa & inculta. SVB RVPE CAVATA. Periphrasis est speluncæ.

ARBORIBVS, ATQVE HORRENTIBVS VMBRIS. Vmbris arborum, quo modo, *Molemque & montes*. aut certe arboribus & umbris speluncæ. & bene ostendit omnia curvis adlata navibus non.... quæ venerant cum Ænea, Classem autem occulit & clausit. OCCVLIT. Pro occuluit, id est abscondit & clausit.

COMITATVS ACHATE. Bene ostendit Æneam esse fortissimum, nec quidquam timere; dicendo, *uno graditur comitatus Achate*, & dictum est quæri cur Achates Æneæ sit comes. varia quidem dicuntur, melius tamen hoc fingitur, ut tractum nomen sit à Græca etymologia, ἄχος enim dicitur solicitudo, quæ regum semper est comes.

BINA. Si ad utrunque referas, bene dixit *bina*: si ad Æneam tantum, antiquus mos est, ut supra diximus, *bina* pro duobus posuit: sicut interdum duplices. LATO FERRO. Id est lati ferri: ut, *Pulchra prole*.

DONATI.

EXACTA. Proposuerat plura in masculino & feminino, hæc autem ut complecteretur, posuit neutrum.

CLASSEM IN CONVEXO. Exiturus cum solo Achate, nec omnino inermis fuit, ut temerarius: nec omnino armatus, ut timidus: cum solis igitur inquit hastilibus, & uno socio. In solitudinem enim iturus, debebat esse expeditus, propter requisitionem celerem & maturum reditum: ac omnia circumspectus, socios omni cautela occultat. Cui rei inseruit descriptionem portus. *Classem in convexo nemorum, &c.* Quanta ergo diligentia fuit, qui non antea profectus, quam sociorum saluti consuluisset: & cum uno ad incertum pergit. Additur aliud ad laudem à loco, tempore, & persona. Nam cum sese fœmina, ad fallendum composita, sola in sylva obtulisset, motus libidine non est, quamvis virginitas, pulchritudo, & vestitus accenderent. Accedebat ad castitatem, congeries calamitatum, quæ etiam libidinosos coërcet. Vnde Terentius. *Nulla adeo ex re istud fit, nisi ex nimio ocio*. Debuit Venus offerre loquendi fiduciam, ne improbum videretur, quod cum virgine, quum sola tunc esse putaretur, misceret colloquium. Sed & ad fallendum quoque pertinebat, ut non solum specie, sed etiam sermone imprudentes traduceret, & ad interrogandi necessitatem venire posset.

VARIORVM.

HOMINESNE FERÆ. Homer. Odyss. ι. ὑβρισταί τ' ἄγριοι, ἦ φιλόξεινοι. HART.

COMITATVS ACHATE. Proverb. *Duobus simul euntibus*. HARTVNG.

MANV CRISPANS HASTILIA. Apollonius lib. β. λαιῇ δ' ἀργύφεον νώμα βιόν. HART.

CRISPANS HASTILIA FERRO. Crispare Maroni est, quod Homero πάλλειν. Alio loco *coruscare* dixit, *oditque moras, hastamque coruscat*. TVRNEB. lib. 23. cap. 14.

Digitized by Google

Cui mater media sese tulit obvia sylva;
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartana: vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Namque humeris, de more, habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis:
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,

SERVII.

MEDIA SESE TVLIT OBVIA. Quam Græci ὕλην vocant; poëtæ nominant sylvam, id est elementorum congeriem, unde cuncta procreantur. Et multi volunt Æneam horoscopum in Virgine, ibi etiam Venerem habuisse. Bene ergo in media sylva virginis habitu ei Venerem poëta facit occurrere: quia, ut supra diximus, Venere in Virgine constituta, & misericordes procreantur fœminæ, & viri per mulieres felices sunt futuri, ut probamus in Ænea, quoniam Misericordia Didonis servatur.

VIRGINIS OS HABITVMQVE GERENS. Vultum & amictum. Habitus apud veteres dicebatur, tam corporis, quam eorum quæ præter corpus sunt: & bene gerens. non habens, quod geri putantur aliena.

SPARTANÆ. Lacænæ. Sparta enim civitas est Laconiæ, ubi sunt puellæ venatrices. Redditur autem causa cur virgo sit in sylvis, scilicet propter venatum. THREISSA. Thracia. & est solutio: nam Thressa facit, sicut, *Cressa genus Pholoe*. Veniunt autem ab eo quod est Cres, Thres. Vt autem Creissa non faciat, illud est, quia Cressa per e simpliciter scribitur, nec potest recipere solutionem. Threïssa autem ει diphtongon habet, unde & resolvitur. FATIGAT. Suo scilicet cursu. Sane quidam *fatigat* pro fatigavit accipiunt, præsens pro præterito, sicut & prævertitur pro præversa est.

HARPALICE quidam à patre Arpalico, qui rex Amymoniorum Thraciæ gentis fuit, ita nutritam dicunt, ut ipse Camillam à Metabo facit. Hæc, patre propter ferociam à civibus pulso, ac postea occiso fugit in sylvas, & venatibus latrociniisque vivendo ita efferata est; & hujus velocitatis & exercitii facta est, ut subito ad vicina stabula coacta inopia decurreret, & rapto pecorum fœtu insequentes etiam equites in celeritate vitaret; sed quodam tempore positis ad insidias cervorum plagis, capta & occisa est; cujus mortem nobilitavit eorum exitus qui eam occiderunt: statim enim in vicinia orta contentio est, cujus fuisset hædus quem Harpalice rapuerat, ita ut gravi certamine non sine plurimis mortibus dimicaretur. Postea consuetudo servata est, ut ad tumulum virginis populi convenirent, & propter expiationem per imaginem pugnæ concurrerent. Quidam hujus patrem à Getis, ut alii volunt à Mirmidonibus captum, collecta multitudine asserunt liberasse celerius, quam de fœminis credi potest. Vnde & flumina dicitur celeritate transire. VOLVCREM HEBRVM. Multum quidem laudis flumini epitheto addidit, sed falsum est, nam est quietissimus etiam cum per hyemem crescit. Est autem in Thracia ante muros Cypsalæ * satis de locis superis Thraciæ veniens, dictus autem ab Hebro, Hemi & Rhodopes filio. PRÆVERTITVR. Id est transit. Dicimus autem & prævertit & prævertitur, nova ratione. Nam passiva declinatione utimur in activa significatione, ut hoc loco. *Cum ipsi præmus enim tunc prævertimur*. Cum autem activa declinatio est, passivam habet significationem, ut, *ille me prævertit*. Alii prævertitur sic positum volunt, ut *Bellantur Amazones armis*, pro prævertit & bellant.

NAMQVE. ut ostendatur esse venatrix. DE MORE Venantum. HABILEM. Aptum sexui. Vnusquisque enim arcum habet pro viribus suis VENATRIX. Similis venatrici, id est quasi venatrix, ut, *At medias inter cædes exultat Amazon*. COMAS DIFFVNDERE. Vt diffunderetur. Græca autem figura est. Sic alibi, *Argenti magnum dat ferre talentum*. Et, *Tu das epulis accumbere Divûm*; unde, *Da bibere* usus invenit, quod facere non debemus, ne duo verba jungamus, nisi in poemate.

NVDA GENV. Nudum genu habens. ut si dicas, bonus animum. & est Græca figura: sed non ea, quam diximus fieri per participium præteriti temporis, & casum accusativum. hæc enim per nomen fit, quamvis ad unam significationem recurrant. SINVS COLLECTA. Vt, *Oculos suffusa nitentes*.

AC PRIOR. Paulo post sequitur, HEVS, INQVIT. Heus adverbium vocantis est; alias interjectio dolentis est. ut, *Heus etiam mensas consumimus, Inquit Iulus*.

VIDISTIS. Plerumque duo diversa in unum exitum cadunt, licet contraria significent, ut hoc loco; *Vidistis* enim, etiam ad vocem pertinet, quod etiam ex Æneæ responsione colligitur. ERRANTEM. Investigantem; quia venatores cum vestigant, quasi videntur errare. SORORVM. Non tanquam nota sit illis soror, sed ut est in consuetudine.

DONATI.

MONSTRATE. Interrogatio est brevissima, quæ tamen necessaria ad fallendum continet. dixitque & signa vestitus, & habitum expressit. Brevius autem respondet Æneas, nec tamen à propositis aberrat.

Succin-

Succinctam pharetra, & maculosa tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus. At Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.
O, quam te memorem virgo! namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. ô, dea, certe:
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?
Sis fœlix, nostrumque leves quæcunque laborem:
Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas: ignari hominumque locorumque

SERVII.

SVCCINCTAM. Instructam. vel,ut alii dicunt, in cingulo habentem pharetram. MACVLOSÆ LYNCIS. Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut demonstrandi, aut vituperandi, hic *maculosæ* demonstrandi est. Lyncus rex Scythiæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, ut hominibus frumenta monstraret; susceptum hospitio, ut in se inventi frumenti gloria tanta migraret, interimere cogitavit. ob quam rem irata Ceres eum convertit in lyncem feram varii coloris, ut ipse variæ mentis extiterat. Erit autem nominativus hæc lynx. ut Pan, Tros, quæ in genitivo una syllaba crescunt.

SPVMANTIS, id est spumosi, participium loco nominis positum. CVRSVM CLAMORE PREMENTEM. Insequentem. Vt ipse alibi. *Ingentem clamore premes ad retia cervum.*

ORSVS. Incœpit. alias finit. ut, *Sic Iuppiter orsus.* Sed illic proprie posuit,& hic usurpatum est. Præteritum enim est participium.

AVDITA NEQVE VISA. Hinc probatur quia superius hoc interrogaverat *Venus.* Sane quidam *Audita*, ad illud responsum, *Clamore prementem*: ad vidistis *si quam*; Neque visa responderit.

O QVAM TE. Quæ dea sit dubitat, nam deam esse confidit: ù, dubitativa, alias *optativa*, ut, *adsis ô Tegeæe favens.*

NEC VOX HOMINEM SONAT. Græca figura est. O DEA CERTE. Hic ô distinguendum, ut post inferat, *dea certe*: confirmans opinionem suam, & est conclusio syllogysmi, qui constat ex propositione, adsumptione, conclusione. nam si nec vox, nec vultus mortales sunt, restat, ut dea sit.

AN PHOEBI SOROR. Diana:quæ est venatrix. Bene autem suspicatur pro loco & qualitate habitus personæque. perite autem poëta dicendo, *An Phœbi soror*, videtur de nomine Apollinis dubitare. Constat enim hunc Deum diversis gentibus vel civitatibus, diversis nominibus appellari, secundum genera beneficiorum, quæ vario divinitatis genere præstare consuevit: Cui Deo sagittas datas volunt, quia ut vis morbi ita hoc telum sit occultum. Hunc tamen Deum & ad *liberum* custodiam, & ad divinitatem,& ad medicinam, & ad res urbanas, quæ placidæ sunt, & ad bella pertinere longinqua, cui laurum ideo consecratam, quia hæc arbor, suffimentis purgationibusque adhibeatur; ut ostendatur nullum, templum ejus nisi purum ingredi debere. Cautum enim est ne Sacerdos, ejus domum ingrediatur, in qua ante quintam diem funus fuerit. Quidam tamen AN pro *sive* antique dictum volunt: nonnulli conjunctionem mutatam adserunt, pro *Aut Phœbi, aut Nympharum sanguinis una.* Alii autem conjunctionem disjunctivam volunt, ut Sallust. *Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.* AN NYMPHARVM SANGVINIS, Id est Generis.

SIS FOELIX. Propitia. hoc est, felicitatem præstes, vel fælix mihi. Fælix enim dicitur & qui habet fœlicitatem, & qui facit esse fœlicem. ut in Bucolicis, *Sis bonus ô felixque tuis.* Vnde & contra Iuno in VII. dicit, *Quæ potui infelix*, id est adversa Trojanis. LEVES. Levem facias. ut, *Levat ipse tridenti.* QVÆCVNQVE. Seu Diana, seu Nympha. QVO SVB COELO. Aut sub qua parte cœli, aut secundum Epicureos, qui plures esse volunt cœlos, ut Cicero in Hortensio.

TANDEM. Hoc loco vacat *Tandem* enim, dum, gentium, locorum, terrarum significatio posita, ad ornatum pertinet: Aut *tandem* doceas quia vix hoc quoque contigit: aut *tandem* pro expletiva particula est.

HOMINVMQVE, LOCORVMQVE. Hypermetrus versus: unam enim plus habet syllabam. qui quotiens fit debet sequens versus à vocali incipere: ut hoc loco. item, *Omnia Mercurio similis vocemque coloremque, Et crines flavos.* Nisi fortassis fiat in fine vocalium collisio. ut est, *Nec cura peculi.* Hic enim non est necesse ut sequens versus à vocali incipiat.

DONATI.

O QVAM TE. Completo responso, explicat seriem æstimationis, quam de ea habuit.

O DEA. cum hoc pronunciatum sit, sequatur *Certe, an Phœbi soror.*

QVÆCVNQVE. sive Diana sive Nympha. Hic autem Æneæ datur scientia religionum, non enim posset aliquid divinum intelligere in hominis forma, nisi quia pollebat omni scientia sacrorum.

VARIORVM.

LYNCIS. Proverb. *Lyncis perspicacia.* HARTVNGIVS.

NEC VOX HOMINEM SONAT. Γουνοῦμαί σε ἄνασσα, θεός νύ τις ἦ βροτός ἐσσι. Odyss. ζ. HARTVNG.

Erramus, vento huc, vaſtis & fluctibus acti:
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.
Tunc Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,

SERVII.

HOSTIA DEXTRA. Hoſtiæ dicuntur ſacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hoſtem pergunt. Victimæ vero., ſacrificia quæ poſt victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit authoritas.

EQVIDEM. Nunc, ego quidem ſignificat, alias expletiva particula eſt. TALI ME DIGNOR HONORE. Id eſt ſacrificio. Et aut vult ſe probare non numen, ſed virginem Tyriam: aut ideo non amplectitur ſacrificium, ut diutius lateat: aut certe quia Paphiæ Veneri quæ Cypri colitur, ture tantum ſacrificatur & floribus. qui ait, *Vbi templum illi centumque Sabeo Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.* DIGNOR. Dignam me judico. ut, *Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo*, id eſt digne habite. PVRPVREO. Aut pulchro, aut ruſſati, aut roſei coloris.

SVRAS VINCIRE COTHVRNO. Cothurni ſunt calceamenta etiam venatoria, crura quoque vincientia: quorum quivis utrique aptus eſt pedi. Ideo & numero uſus eſt ſingulari.

PVNICA REGNA VIDES. Ad illud, *Et quo ſub calo tandem.* Et quidam *Vides*, pro viſurus es accipiunt. Nam quemadmodum in media ſylva urbem videt & Tyrios? Hic attentum facit Æneam. TYRIOS. Nil intereſt utrum Tyrios an Sidonios dicat. ut dictum eſt enim nomina de vicino mutuantur.

ET AGENORIS VRBEM. Quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem Neptuni filius rex Libyæ & Phœnicis: de cujus genere Dido originem duxit. Et ſic dictum eſt ut, *Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris*; id eſt ad Cumas quas fecerunt hi qui de Chalcide venerant, civitate Eubœæ.

SED FINES LIBYCI. Antedictam terram nunc aperte regionem oſtendit, dicendo LIBYCOS FINES. Tirii enim & alibi eſſe potuerunt. INTRACTABILE. Inſuperabile, aſperum, ſævum. Ergo amovit ſuſpicionem, ne putaret ſe in Tyrum veniſſe.

DIDO. Dido vero nomine Eliſſa ante dicta eſt, ſed poſt interitum à Pœnis Dido appellata, id eſt virago Punica lingua, quod cum à ſuis civibus cogeretur, cuidam de Afris regibus nubere, & prioris mariti amore teneretur; forti ſe animo, & interfecerit, & in pyram injecerit, quam ſe ad expiandos prioris mariti manes extruxiſſe fingebat.

DONATI.

MVLTA HOSTIA. cogebat non ad interrogata reſpondere, quia & ipſa ignorantes cupiebat inſtruere. Sed primo, non primis, ſed noviſſimis occurrit. nam ſi oblationem ſacrificii in extremo poſitam, tacendo acceptaſſet, confirmaſſet ſe deam, quod confutare feſtinat. TALI. Nam ſi honorificentiam mereor, talis erit, quæ homini præſtanda, non deo exhibenda ſit.

VIRGINIBVS TYRIIS. Quia Venus ſuſpicari poterat, quibus ſignis illi deam ſe putarent. Idcirco illa conatur avertere. Habitus enim, quo me deam ſuſpicamini, non meus eſt, inquit, ſed omnium Tyriarum virginum, quæ in his regionibus ſunt. Ergo patrius mos pharetram & cothurnos præbet. Hoc autem facile poterat illa perſuadere, quia Æneas ſe regiones ac homines ignorare dixerat.

PVNICA REGNA VIDES. Brevis & concinna narratio. non enim debuit Æneas ſub incerto diutius teneri. & ipſa idem volebat. Reſpondet autem eo ordine quo interrogatur. Ille enim, *quo ſub cælo, &c.* Hæc *Punica regna*, & deſignato loco dicit perſonas, *Tyrios* inquit, & addit ſuperioris conditoris nomen.

FINES LYBICI. Illic enim occurente pelago, Africæ termini clauduntur. INSVPERABILE. Meminerat enim poëta ex perſona ſua dixiſſe: *Studiiſque aſperrima belli.* Nec eſt hic repetitio ejuſdem rei: quoniam & dici neceſſe fuit, & ex alterius perſona, dictum eſt.

IMPERIVM DIDO. Mira brevitas, ſed quæ multa complectatur. Præteritum enim & præſens ponit, & quæ vocaretur, & quid ageret, quæ illic imperabat. Compendii vero cauſa fuit, ne interrogando, reſpondendoque longum fieret, quod mature debuit fieri.

VARIORVM.

MVLTA TIBI ANTE ARAS CADET, &c. Notetur voti formula: & præterea *cadendi* verbum; quomodo & Græci uſurpant ſuum πίπτειν & πεσεῖν. TAVBMANNVS.

TVNC VENVS. Facta ſacrificii mentione, Venus opinionem divinitatis refellens, primum non primis, ſed noviſſimis reſpondet: cumque virgo, non dea ſit, ſacrificio ſe dignam eſſe negat. NASCIMBÆN.

HAVD EQVIDEM TALI ME DIGNOR HONORE. Recuſatio non tantum eſt ſummiſſionis, ut apparet, ſed etiam cujuſdam myſterii: Non enim Veneri ſanguine, ſed floribus & thure ſacrificabatur; unde ſequitur: *Vbi templum illi, centumque Sabeo thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.* Proinde & Horat. Ode 19. lib. 1. bene ei verbenas, ceſpitem & thura promittit. NANNIVS. lib. 3. cap. 8.

COTHVRNO. Proverb. *Cothurno verſatilior.* H.

PVNICA REGNA. Proverb. *Punica fides.* H.

Ger-

Googl

Germanum fugiens. longa est injuria, longæ
Ambages: sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion; scelere ante alios immanior omneis.
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum

SERVII.

GERMANUM FUGIENS. Hoc loco quasi stupuit Æneas. de Germani enim appellatione fuerat facta major invidia, unde auditoris aviditati præscribit Venus; dicens *longam esse injuriam*, id est caussam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit; ut supra, *Spem vultu simulat*. LONGA EST INIURIA. Longa narratio injuriæ.

LONGÆ AMBAGES. Id est circuitus. Hoc est ambages narrationis. FASTIGIA. Summæ partes ædificiorum dicuntur, sed modo Primordia. Quia scit longam esse historiam Carthaginis, ut Salustius, *Sed de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere.*

HUIC CONIUX SICHÆUS ERAT. Quotiens poëta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Nam Sichæus, Sicharbas dictus est. Belus Didonis pater Methres. Carthago à Cartha ut lectum est, quod invenitur in historia Pœnorum, & in Livio. Sane Sichæus, SI brevis est per naturam: sed hoc loco Ectasin fecit, ea licentia quæ est in propriis nominibus. licet enim in quavis proprii nominis parte syllabæ mutare naturam: quod & in appellativis evenit, si tamen de propriis originem ducant, ut, *Sicanio prætenta sinu*: quia venit à Sicano rege Siciliæ. DITISSIMUS AGRI. Veteres addebant cujus rei dives.

MISERÆ. Dativus est, non adverbium.

CUI PATER I. D. Argumentum amoris.

OMINIBUS, vel prosperis & secundis auguriis, vel primariis, ut aliis verbis repetierit, *Cui pater intactam dederat*. OMINIBUS autem secundum Romanos locutus est, qui nil nisi captatis faciebant auguriis, & præcipue nuptias. Lucanus, *Contentique auspice Bruto.* Iuvenalis, *Veniet cum signatoribus auspex.* TYRI. Adverbium est.

SCELERE ANTE ALIOS IMMANIOR OMNEIS, QUOS INTER MEDIUS VENIT FUROR. Iunge totum: nam aliter non procedit, si segreges, Quos inter medius venit furor: quia multi *Immanior* ad furorem, non ad Pygmalionem referunt, cum ipse dicat, Licet simulatas, fuisse tamen amicitias: simul namque sacrificabant: ac si diceret, Sceleratior Atreo & Thyeste, vel Eteocle, & Polynice. Ordo est. Inter quos medios.

ILLE SICHÆUM. SI, hoc loco secundum naturam posuit.

DONATI.

GERMANUM FUGIENS. potuit enim quæri, qua causa impulsa fuerit, ut relicta patria mulier, quod difficile est, longinqua sectaretur. LONGA EST INIURIA. Hoc addit: quia incredibile fuerat tantam intervenisse causam, quæ cogeret germanam dura sectari, relinquentem eum, quem amare debebat.

SED SUMMA SEQUAR. Artificiosa narratio. Nam multa prætermissuram simulat, ut spe brevitatis attentius audiretur.

HUIC CONIUNX. Amoris inter conjuges honestas inserit causas. Amabat, inquit, hominem secuta judicium patris, & divitem, & probum.

DITISSIMUS AGRI. Imitatur pessima naturæ opulentia.

ET MAGNO MISERÆ DILECTUS AMORE. Hic gravatur factum, ut carissimum sorori virum necarit.

CUI PATER. Ut contra judicium patris fecerit.

INTACTAM. Multum enim differt inter affectum virginis, & ejus quæ secundo nupsit.

PRIMIS. Nullis aliis, sed solis.

SED REGNA TYRI. Ex quo intelligitur habuisse spem faciendi, & factum defendendi, quia rex.

IMMANIOR SCELERE. Non est intelligendum, quod furor medius inter Sichæum & Pygmalionem venit. Nam sic defendi posset Pygmalionis factum, si non voluntate, sed furore peccavit, & furens fuisset Sichæus, ergo pares. Quapropter ita pronunciandum: ut Sichæus fuerit innoxius, Pygmalion vero omnib. aliis sceleratior, quos in facinus impulit furor. Ergo alii, si in crimina inciderunt, furor in causa fuit aut infamia, aut animi dolor, & possunt habere veniam facti. Pygmalion vero aliorum comparatione sceleratior ostenditur: quia voluntate, non casu, aut necessitate scelus admisit.

ILLE. De quo nihil tale sperabatur. *Ille*, quem nulla urgebat inopia, qui germanam viro privare non debebat, qui affinem servare debuit, qui contra naturæ religionem faceret, contra judicium patris, rupto humanitatis & affinitatis vinculo, ante aras etiam, ut sceleri sacrilegium adderet.

VARIORUM.

PRIMISQUE IUGARAT OMINIBUS. Solebant olim omina captare in nuptiis: itaque prima omina, primas nuptias intelligit. Cic. lib. 1. de divinat. Cum vellet sororis suæ filiam in matrimonio collocare, exisse in quoddam sacellum ominis captandi causa, quod fieri more veterum solebat. TURNEBUS. lib. 10. cap. 11.

Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat; securus amorum
Germanæ: factumque diu celavit, & ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis attollens pallida miris:
Crudeleis aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit: cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet;

SERVII.

IMPIVS ANTE ARAS. Probavit impium, quia » ante aras. Singula pronuntiant. CLAM. Quidam » ad sororem referri putant.

SECVRVS AMORVM GERMANÆ. Aut contemnens, id est negligens non curans amorem sororis. ut, *Securi pelagi atque mei*, id est contemptores. Aut certe securus erat de amore germanæ circa maritum nimio; ob quem se post mortem Sichæi interimere posse credebatur. nec enim sequitur, ut occiso Sichæo ipse statim potiretur auri, nisi etiam Dido periret. AMORES autem plurali numero ad voluptatem pertinent. ut x. Æn. *Securus amorum, Qui juvenum tibi semper erant.* Singulari etiam ad religionem.

ÆGRAM. Mœstam, anxiam.

MVLTA MALVS SIMVLANS VANA SPE » LVSIT AMANTEM. quia dicebat absentem, quem constabat occisum. Atqui, hic nimia Pygmalionis ostenditur malitia, quæ etiam amantem fefellit. VANA SPE. Quia dicebat, eum reverti. LVSIT. Decepit.

IN SOMNIS. Si ab eo quod est somnium, Synæresis est: ut peculi pro peculii. Si autem à somno » venit, in somnis, id est dum somnos caperet. IMA» GO, τὸ εἴδωλον.

CRVDELEIS ARAS. Epitheton hoc de caussa est, nam aræ piæ sunt.

NVDAVIT, Indicavit. unde è contra in sexto habemus, *Et vulnera dira tegentem.* hoc est celantem. Quid enim tegeret undique truncatus? RETEXIT. Ecce hic planius quid sit *nudavit* ostendit. » Et utrum ad præteritum hoc refertur, an ut quibus» dam videtur, quod ipsam Didonem putabat occi» dere, sed incertum; nam & ideo fugam suadere vi» sus est.

TVM CELERARE FVGAM. Celeriter abire, ut dicimus cursum celero. SVADET. Secundum naturam duæ sunt syllabæ, sed multi trisyllabum putant: quod etiam si inveniatur, solutio dicenda est: quo modo dicimus æna & ahena. Hoc autem so» lum hujuscemodi verbum in Latino invenitur. RE» CLVDIT. Ad opinionem somni recludere videtur, » ut, *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

DONATI.

ANTE ARAS. occidit propter solam avaritiam. Cum rex nulla inopia urgeretur, occidit innoxium: incautum sororis virum. Ergo virtute oratoria unum admissum, quantis potest criminum generibus aggravat poëta, & partes communis loci ingressus, quam late discussit, non omissa brevitate quæ Æneæ necessaria erat, propter tot calamitates festinanti.

ANTE ARAS. Id est, diis spectantibus, quos humana cæde funestare non debuit.

CÆCVS AMORE. Vnam causam ponit à vitio naturæ profectam: sed cui alia crimina adnectuntur. Nam Salust. ait. *Avaritia fidem, probitatem, cæteraque bonas artes subvertit: pro iis superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Avaritiæ ergo comes crudelitas, perfidiaque conjuncta. Non enim potest voto potiri, nisi ad id per scelus venerit. Habemus exempla apud poëtam; hic Pygmalionis. In 3. Polymnestoris. In 6. qui auro patriam prodiderat. Nihil autem in prima narrationis parte frustra positum est.

AVRI CÆCVS. à cupiditate enim impeditus non consideravit, ubi, quid, cur, & in quem faceret.

CLAM. Gravat factum. Nullus enim clam facit, nisi illicitum esse sciat. Vel *Clam*, ne si palam, innocens defendi posset. Ergo *clam*, ut lateret autor. Quis enim crederet sororis virum, innoxium, amabilem, nullis intervenientibus inimicitiis ab eo cæsum?

FACTVM CELAVIT. Duplici de causa. Prima, ne manifesta cæde ad autorem aliqua via iretur. Secunda, ne re patefacta, potiendi auri occasione privaretur.

IPSA SED IN SOMNIS. Quoniam neque suspicio in Pygmalionem duci propter affinitatem poterat, nec testis extabat, posita est imago. INHVMATI. Vnde augetur crudelitas, quod cæsum sepultura privaverit.

PALLENTIA. Vt jam illum cæsum intelligat, additur: *Crudeles aras*, hoc per verba. *Trajecta*, hoc per visum nudatur.

CÆCVMQVE DOMVS. strictim ponit, quæ supra diffusius dicta fuerant. Suadet autem fugam, quoniam neque ulcisci valet, neque apud sceleratum tuta esse potest.

VARIORVM.

SECVRVS AMORVM GERMANÆ. Pygmalionem fuisse securum dicit amorum germanæ, id est contemptorem, solutum metu, ne pro amore odium consequeretur. Scalig. Poët. lib. 4. cap. 16. Amorum hic intellige Sichæi, quibus Dido in Sichæum erat inflammata, cui maritus erat charissimus, & quem amabat ex medullis.

Auxi-

Digitized by Google

Auxiliumque viæ, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido, sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: naveis quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro: portantur avari
Pygmalionis opes pelago: Dux fœmina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam;

SERVII.

THESAVROS. Hoc nomen, N non habet sicut Atlas, Toas, Abas, Pallas: licet in obliquis casibus inveniatur. sicut nec formosus, quia derivativum est à forma: ut à specie speciosus, ab odio odiosus, velut à genere generosus, ut à scelere scelerosus. IGNOTVM ARGENTI PONDVS ET AVRI. Aut quod ignorabat Dido; vel ad magnitudinem pertinet, id est tantum quantum nullus unquam novit.

HIS COMMOTA. Id est, Supradictis.

CONVENIVNT QVIBVS AVT ODIVM CRVDELE TYRANNI, AVT METVS ACER ERAT. Oderant læsi, Metuebant lædendi, hoc est, qui timebant ne læderentur. unde est illud in IIII. *Quos Sidonia vix urbe revelli.* quia non voluntate, sed aut odio, aut timore convenerant. ODIVM CRVDELE TYRANNI. Id est crudelis tyranni, & figura est Hypallage: nam in tyrannum, justum odium est.

PARATÆ. Id est erant: Sed sciendum quod clam tangit historiam. Moris enim erat, ut de pecunia publica Phœnices misso à rege auro, de peregrinis frumenta coëmerent. Dido autem à Pygmalione ad hunc usum paratas naves abstulerat; quam cum fugientem à fratre missi sequerentur, aurumque illa præcipitavit in mare, qua re visa, sequentes reversi sunt. licet alio ordine etiam historia ista narretur.

PORTANTVR AVARI PYGMAL. &c. Quas Pygmalion jam suas putabat, unde est in IV. *Vlta virum.* Quæ enim avaro major pœna, quam pecuniam, propter quam deliquerat, perdere. Remove hoc, & falsum est, *Vlta virum.*

DEVENERE LOCOS. Minus est AD. SVRGENTEM. Erigentem se. ut, *Surgentem in cornua cervum.*

NOVÆ CARTHAGINIS. Carthago est lingua Pœnorum nova civitas, ut docet Livius.

MERCATIQVE SOLVM FACTI DE NOMINE BYRSAM. Dido appulsa ad Libyam, cum ab Hiarba pelleretur, petiit callide ut emeret tantum terræ, quantum posset corium bovis tenere. tum corium in fila propemodum sectum tetendit, occupavitque modum stadia xx. quam rem leniter tangit Virgilius. & non tegere, sed circundare. FACTI DE NOMINE. De caussæ qualitate significat, quia βύρσα Græce corium dicitur, dicendo ergo *circundare*, ostendit corrigiam de corio factam.

DONATI.

AVXILIVMQVE VIÆ. Proposita fuga, addit facilitatem in tanta thesaurorum copia.

ODIVM. Eorum, qui nonnullis viribus potuissent resistere.

METVS. Eorum, qui aliquid crudelitatis expectarent. Ergo alii favebant Didoni, ne ille occupato auro fieret fortior: alii propter metum, quibus ferebat occasio, ut carerent sævissimi hominis dominatione. PARATÆ. Si enim aliquid innovassent, in navigiis data esset aperta suspicio.

ONERANTQVE AVRO. Aurum omne & argentum jusserat tolli Sichæus: Sed isti, quia major navium copia ad omne tollendum opus fuisset, id tulerunt quod naves capere possent. Ergo *auro*, quod pretiosius est, & non argento. *Onerant*, ut plus etiam, quam naves ferre possent, impositum esse videatur. Quanta ergo fuit thesaurorum copia, cum relicto argento, ne totum quidem aurum naves ferre possent.

AVRI PYGMALIONIS. Omne illuc tendit, ut probetur quod dictum est. Sed quo modo Pygmalionis? Quia illas suas futuras animo conceperat, propter quod sibi ereptas, inique ferret.

DVX FOEMINA. Ad insultationem Pygmalionis dictum, ut ea duce fœmina perdiderit, quæ assecuturum se putabat.

DEVENERE LOCOS. Ordina sic, *Devenere locos, mercatique solum ubi nunc ingentia cernes mœnia.* Nam ædificium institui non potuit, nisi prius emto solo.

VARIORVM.

THESAVROS. IGNOTVM AVRI. Etymologia. τίθεμαι εἰς αὔριον. HART.

FOEMINA FACTI. Proverb. *Mulier imperator.* HARTVNG.

FACTI DE NOMINE BYRSAM. Conjunxit Virgilius hæc duo nomina, Carthaginem & Byrsam, ut res vicinas. Βύρσα enim Græce corium, Carthago à cartha deduci videtur, utrobique vocabulo ex taurino tergo derivato: postea tamen diversa significata accepere. Byrsa enim, teste Strabone lib. 17. Carthaginis arx est, ut Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia: Carthago autem universa urbs est, quæ à Stephano & καινὴ πόλις, & Cadmeia & Onussa dicitur NANNIVS.

Tan-

Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine, pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

SERVII.

TERGO. Pro tergore.

SED VOS QVI TANDEM? Vacat hoc loco *tandem*. Velut ante videtur expletiva conjunctio; ut est, *Et quo sub cœlo tandem*. alii *tandem* pro tamen accipiunt. QVOVE TENETIS ITER. Naturalis interrogatio, qui estis? unde? vel quo itur? Sicut ipse in VIII. licet murato ordine, *Quo tenditis inquit? Qui genus? unde domo?*

IMOQVE TRAHENS A PECTORE VOCEM. Deest dixit. Quotiens longe respondet, Parenthesis est. quotiens nusquam, Eclipsis est, ut hoc loco.

O DEA. Perseverat in opinione sua: ita tamen ut & illius orationi aliquando concedat. Nam paulo post ait, *Si vestras forte per aures Trojæ nomen iit*. Aut certe illud est quod superius dixerat, *An nympharum sanguinis una*. quæ non omnia sciunt: nam & moriuntur secundum Aristotelem, ut Fauni, Panesque. AB ORIGINE. A raptu Helenæ. PERGAM. Perseverem, hoc est universa dicam.

ANNALES. Inter historiam & annales hoc interest; *Historia* est eorum temporum quæ vel videmus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est, videro. *Annales* vero sunt eorum annorum, quos ætas nostra non novit, unde Livius ex annalibus & historia constat. Sed confunduntur licenter, ut hoc
» loco pro historia dixit annales. Ita autem annales
» conficiebantur, tabulam dealbatam quotannis Pon-
» tifex Maximus habuit, in qua præscriptis Consu-
» lum nominibus & aliorum magistratuum digna me-
» moratu notare consueverat, domi militiæque terra
» marique gesta per singulos dies. Cujus diligentiæ an-
» nuos commentarios in octoginta libros veteres retu-
» lerant; eosque à Pontificibus Maximis, à quibus
» fiebant, Annales maximos appellarunt; unde qui-
» dam ideo dictum ab Ænea annales ajunt, quod &
» ipse religiosus sit, & à Poëta tum Pontifex inducatur.

CLAVSO. More poëtico, qui dicunt cœlum per noctem claudi, per diem aperiri. unde est, *Porta tonat cæli. & Considunt tectis bipatentibus*. COMPONET. Finiet. ut, *Oblato gaudens componi fœdere bellum*. Et, *Non nostrum inter vos tantas componere lites*: Alibi pro disponere, *Nec componere opes norant*: Alibi pro conjungere, ut, *Componens manibusque manus*: Alibi pro comparare: ut, *Sic parvis componere magna solebam*. Alibi pro fundare: ut, *Nunc placida compostus pace quiescit*. VESPER. Proprie est stella. cum autem vesperi dicimus, adverbium temporis est. Modo sane utrumvis accipe. Sciendum tamen est quod omnia nomina, quæ de Græcis in os exeunt & ad nos transeunt, apud nos aut in VS tantum exeunt, ut Delos Delus; aut in ER, ut ἀγρὸς ager: aut in utrumque, ut Evandros Evandrus, Evander.

DONATI.

TAVRINO QVANTVM. Alii dicunt pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse, & pecuniam dictam quod ex pecore originem duceret: tantumque fuisse in precio loci, quantum bovis corium conficere potuisset. Alii fraudem emptoris ponunt, qui tantum mercatus sit, quantum corio bovis possit circundari. At venditor nihil tale suspicans, arbitratus est tantum dedisse, quantum integrum corium posset occupare. Emptores vero in tenuem corrigiam illud secantes, plusquam deberent occupantes, sed fabulosa sunt omnia. nam si attendatur magnitudo urbis, & quanta à Vergilio describatur, non poterat nisi latioribus locis condi: licet poëta hoc credibile faciat dicendo, facti de nomine Byrsa: quod & lingua græca, unde fuit Dido, & punica, id est, ipsius regionis, in qua res est gesta, corium significat.

SED VOS. Mira brevitas interrogantis, nec fraude caret. Nam conatur ostendere, se non esse deam, sed non fallit Æneam. Nam cum magna animi laceratione respondet.

O DEA. Duo dicit impedire. Vnum, quia non vacat. Alterum, quia brevitas temporis narrationem expleri non patitur. Properat redire ad suos, à quibus in locis desertis noctu separari non debuit. Benevolam autem facit & honorificam, cum *deam* appellat: & attentam quum multitudinem calamitatum suarum proponit: & non tamen omnes se dicturum. Respondet ad omnia, sed non ordine. Primo enim respondet secundæ: *Quibus aut venistis ab oris*. Et quamvis narratione totius diei non posse expleri calamitates dixerit, tamen brevitate miranda, labores omnium conclusit annorum. Nam dicendo: *nos Troja antiqua*, primam temporis partem posuit. Dum autem *diversa per æquora vectos*. mediam: &, *forte sua Lybicis*, ponit postremam. Et simul ostendit, quod violentia fluctuum illuc appulerit. & quia cum dea putabat se loqui, commendat personam suam dicendo, *Raptos qui ex hoste penates*, &c.

VARIORVM.

ANTE DIEM CLAVSO COMPONET VESPER, &c. De die tanquam mortuo locutus est; nam mortui dicuntur componi. Horat. *Sat.* 9. lib. 1. *Omnes composui felices, nunc ego resto*. Et noster de Antenore, *nunc placida compostus pace quiescit*. TVRNEBVS. lib. 10. cap. 11.

Nos

Nos Troja antiqua (si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit) diversa per æquora vectos,
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam, & genus ab Iove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,

SERVII.

TROIA ANTIQUA. Nobili, venerabili. more suo alibi. *Terra antiqua*, id est nobilis: aut certe cara, & hoc ideo, quia dixit, *quibus aut venistis ab oris*. SI VESTRAS FORTE PER A. Cum apud Deam sciat se loqui, cur ait, *Si vestras per aures*: & FORTE hic, aliqua ratione.

FORTE SUA. Casu suo, id est quo solet. FORTE autem nomen est, à nominativo FORS, ut Terentius, *Fors fuat pol*, ipse alibi: *Quoniam fors omnia versat*. LIBYCIS. Iam scivit, audivit enim, Sed fines libyci. APPULIT ORIS. Figura supra dicta.

SUM PIUS ÆNEAS. Non est hoc loco arrogantia, sed indicium. Nam scientibus aliquid de se dicere, arrogantiæ est: ignotis, indicium. Aut certe heroum secutus est morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere. Denique Vlysses in Homero ait suam famam usque ad cœlum venisse: unde & iste, *Fama super æthera notus*. Aut certe vetuste pietatem pro religione posuit. Salust. in Catil. *Verum illi delubra Deum pietate, domus suas gloria decorabant*. Plautus in Pseudolo, *Non potest pietate obsisti, sive ut res sunt cætera, Deos quidem quos maxime est æquum metuere, eos minime facit*. Sane pius potest esse & purus, & innocens, & omni carens scelere. Piare enim antiqui purgare dicebant; inde etiam piamina, quibus expurgant homines, & qui purgati non sunt impii. RAPTOS QUI EX HOST. P. Hoc est sum pius, Optima autem elocutio est: plusque significat de pluralitate ad singularitatem transire: ut venor multis canibus, & multo cane, ut Horatius, *Aut trudit hinc acris & hinc multo cane apros in obstantis plagas*. Sane de diis penatibus licet varias opiniones secutus sit Virgilius; omnes tamen diversis locis complexus est. Nam alii, ut Nigidius & Labeo, Deos penates Æneæ Neptunum & Apollinem tradunt, quorum mentio fit, *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo*. Varro Deos Penates quædam sigilla lignea, vel marmorea ab Ænea in Italiam dicit esse advecta, cujus rei Virgilius meminit. *Effigies sacræ divum, Phrygiique Penates, Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus Urbis Extuleram*. Idem Varro hos deos Dardanum ex Samo Tracia in Phrygiam, de Phrygia Æneam in Italiam memorat portavisse. Alii autem ut Cassius Hemina dicunt deos Penates ex Samo Tracia appellatos, θεὺς μεγάλυς, θεὺς δυνατὺς, θεὺς χρηστὺς. Quorum diversis in locis ita meminit, *Natoque penatibus & magnis Diis*: hoc est θεὺς μεγάλυς. Et iterum, *Iunonis magnæ primumque dominamque potentem*, τὺς δυνατὺς. Et bona Iuno, τὺς χρηστὺς. Ecce ergo diversis locis omnia tria complexus, quæ omnia locis suis dicentur.

ITALIAM QUÆRO. Hoc loco distinguendum est: nam si ad hoc junxeris PATRIAM, non procedit. Patria enim civitas in provincia esse potest: non tamen ut ipsa provincia patria sit. licet in Salustio legitur, *Hispaniam sibi antiquam patriam esse*: sed illic ad laudem pertinet, non ad veritatem. Tria ergo dicit, Provinciam quæro, hoc est Italiam: patriam hoc est Corinthum Tusciæ civitatem, unde Dardanus fuit. alibi de ipsa Italia Æneas, *Hic domus, hæc patria est*. vel sic distinguitur, *Italiam quæro patriam & genus ab Iove summo*; ut mihi sit Italia patria, Iovis genus efficit propter Dardanum, id est genus ab Iove: Ideo quia ex Electra & Iove Dardanus Iasiusque nati sunt. Dardanus autem author est Trojæ. Bene ad tria interrogata respondet; qui esset, unde venisset, quo tenderet.

PHRYGIUM ÆQUOR. Id est Hellespontum. CONSCENDI. Bene conscendi secundum physicos, qui dicunt terram inferiorem esse aqua, quia omne quod continetur, supra illud est quod continet.

DONATI.

FAMA. Medie posuit: nec dixit, qua fama. Nam & multi mala fama noti sunt: sed qua fama intelligat, ponit; quum se religione in deos fama super æthera notum dicit. Cum enim laboribus meis essem notus toti orbi, fama nominis mei, sine fine decurrens, ad cœlum venit.

ITALIAM QUÆRO. ad id, *Quove tenetis iter?* & ornaturus genus addit, quod non quæsitum fuerat.

ET GENUS A IOVE SUMMO & MATRE DEA. Libenter auditur, quod gratias agat matri, quasi absenti:

VARIORUM.

TROIÆ NOMEN IIT. Notat I. C. Scaliger lib. 4. cap. 16. verbum *iit* & *it*, mirum quantum placuisse Virgilio: quemadmodum & Conjunctionem *ut*. Exempla ibi videas. TAUBMAN.

DIVERSA PER ÆQUORA VECTOS. Movet commiserationem ex perpetuitate diversorum laborum. NASCIMBÆN.

SUM PIUS ÆNEAS. Non temere suas laudes effudit: est enim & pietas & fortitudo. *Ex hoste rapuisse* virtutis est: *vehere*, constantiæ: *classe*, prudentiæ militaris. Putidi vero Grammatici, cum accusant Virgilium illius laudis; *Fama super æthera notus*: damnare prius Homerum debuere? καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει. TAUBMAN.

Matre dea monstrante viam, data fata secutus:
Vix septem convulsæ undis, Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro;
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus, medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud (credo) invisus cœlestibus, auras

SERVII.

MATRE DEA MONSTRANTE VIAM. Hoc loco per transitum tangit historiam, quam per legem artis poëticæ aperte non potest ponere. Nam Varro in secundo rerum divinarum dicit, *Ex quo de Troia est egressus Æneas, Veneris eum per diem quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit ulterius: qua re cognovit terras esse fatales.* Vnde Virgilius hoc loco, *Matre dea monstrante viam.* Et, *Eripe nate fugam*; Et, *Nusquam abero & tutum patrio te limine sistam*: Et, *Descendo ac ducente deo*: Et, *Iamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ*. quam stellam Veneris esse ipse Virgilius latenter ostendit. *Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda, Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* Quod autem diximus eum poëtica arte prohiberi, ne aperte ponat historiam certum est. Lucanus namque ideo in numero poëtarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poëma. DATA FATA SECVTVS. Scilicet à Iove.

CONVVLSÆ. Aut convulsæ undis, EVROQVE. Aut convulsæque undis Euroque. Convulsæ autem ideo quia habes supra, *Laxis laterum compagibus.*

IGNOTVS. Deest, QVASI. Nam contrarium est quod dixit, *Fama super æthera notus.* Facit autem hoc frequenter Virgilius, ut hanc particulam subtrahat: ut, *Medias inter cædes exultat Amazon*, quasi Amazon. nam Volsca fuit. PERAGRO. PER habet accentum. nam A longa est, sed non solida positione. muta enim & liquida quotiens ponuntur, metrum levant, non accentum.

EVROPA ATQVE ASIA PVLSVS. Aut orbem in tres partes divisit, & absolutum est, quia in Africa positus, quæ orbis pars tertia est. aut si Europam tantum & Asiam intelligamus, ut Africa in Europa sit. Invidiose locutus est; ut supra Venus, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.* quasi cum indignatione dicat, per Trojam Asia careo: per Italiam Europa. Denique non passa Venus, ejus interrupit querelas. Sane Europa Agenoris filia, à qua pars orbis nominata est.

DOLORE EST. Aut narrantis Æneæ, aut certe suo dolore. Æquum enim est malis filii etiam ipsam moveri.

QVISQVIS ES. Pleraque per concessionem sic tradit poëta, ut augmentum faciat: sicut hoc loco. *Audierat Venus, Sum pius Æneas fama super æthera notus.* dicit tamen QVISQVIS ES: hoc est etiamsi hæc in te non sint, hinc tamen constat te esse fœlicem, quod venisti Carthaginem. Item in secundo, *Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios*: hoc est qualibet ratione contra nos bella susceperis. HAVD CREDO INVISVS COELESTIBVS. Liptotes figura per contrarium significans, id est credo te esse carissimum superis: ut alibi, *Munera nec sperno* supra, *Mihi jussa capessere fas est.* CÆLESTIBVS * secundum Pythagoram & Platonem dixit, qui confirmant vivos esse superis charos, mortuos vero inferis.. Vnde & Virgilius de Pallante, *Et nil jam cœlestibus ullis Debentem.* Item contra, *Vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas.*

DONATI.

DATA FATA. Ergo non voluntario à patria discesserat. Sic præteritum strictim tangit, & in præsenti immoratur, ut majorem moveat misericordiam.

BIS DENIS. Ostendit magnum numerum. Sunt autem, si dolentis animum excutere volumus, separatim singula cogitanda.

VIX. Ostendit quanta difficultate evaserit.

IGNOTVS. Summa in humanis miseria, in alienis terris nullius habere notitiam; augetur etiam si sit egens. Nam si non egeret, non esset cujusquam ei notitia necessaria. Ad hæc duo mala, ignotus & egens: additur tertium, solitudo, ut nihil ad victum suppeteret, nec inveniretur qui daret.

EVROPA ATQVE ASIA. Tacuit de Affrica, quia in ipsa erat. Venus autem sermonem interrupit, vel quia norat cuncta, vel quia non libenter audiebat, vel quia maturandum, quoniam ante noctem via monstranda erat.

QVISQVIS ES. Adhuc veluti cum ignoto loquitur. HAVD. Equidem oportet te diis charum esse, quoniam Carthaginem veneris. Hæc verba omnium spondebant effectum, de quibus conquestus erat. Nam & noticiam sui & celebritatem & humanitatem pollicetur.

VARIORVM.

DATA FATA SECVTVS. Ad refellendum patriæ proditionis suspicionem: quod non sponte, sed diis ita volentibus patria cesserit. Huic etiam suspicioni ex sua persona Maro statim ab initio Æneidos occurrit, per illud, *fato profugus.* NASCIMBÆN.

NEC PLVRA QVERENTEM PASSA. Quatuor de caussis diutius conqueri Æneam Venus non sinit. Quia noverat omnia, quæ erant illi molesta: quia commotis auditorum animis oratoria in conquestione immorari non oportet: quia mater erat, & consulendum erat filii dolori & calamitati. REGVL.

SIC INTERFATA DOLORE EST. Hujus verbi structura, meruit à peritioribus etiam non negligi. Non solum enim, hoc verbum, Accusandi casui junxit Livius lib. 36. hac sententia, *Dicere exorsos Consul interfatus*: sed & Plin. epist. 23. *Et quem interfari nefas esset*, hoc est, interpellare & interrumpere loquentem. GERMAN.

Vitales

Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio; & in tutum versis Aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætanteis agmine cycnos,

SERVII.

AVRAS VITALES CARPIS, quibus vivimus. Nil est enim aliud vita quam reciprocus spiritus: unde & Iupiter, quo constant omnia, Ζεὺς vocatur, ἀπὸ τοῦ ζῆν, id est vita. CARPIS. Accipis modo. ut, *Et placidam carpebant membra quietem.* TYRIAM. Carthaginem à Colonis. ADVENERIS VRBEM. Hysterologia, hoc est ad urbem veneris. PERGE MODO. Tantummodo: hoc est, hæc tibi sola sit cura: nam liberatæ sunt naves.

PERFER. Imperativus modus, ut, *Fer cineres Amarylli foras.*

REDVCES. Reduces proprie dicuntur, qui pericula evadunt: sicut infra, *Vt reduces illi ludunt*: scilicet post periculum inlatum ab aquila.

VERSIS AQVILONIBVS. Aut speciem pro genere posuit, hoc est mutatis ventis; aut quia postquam ad Africam iter verterunt; adversus ante Aquilo, cœpit esse prosperior.

NI FRVSTRA AVGVRIVM VANI DOCVERE PARENTES. Hoc ad confirmandum errorem Æneæ dixisse crederetur, & est argumentum ad fallaciam, ne intelligat Deam. Quod autem dicit VANI PARENTES, aut hypallage est, id est vanum augurium: ut, *Dare classibus austros*, & *Ibant obscuri sola sub nocte*; pro, ipsi soli per obscuram noctem. Aut certe vani parentes, qui res falsas & inanes docent. Et per hoc plerunque decipere ostendit auguria. Multi volunt ad nimium hoc amorem parentum referri; qui teneritudine *affectus*, etiam superflua liberos docent. Quidam *vani*, mendaces tradunt. Sallust. in Iugurtha, *Ego quidem vellem & hæc quæ scribo, & illa quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret.* Terentius in Phormione, ubi adolescens Lenonem mendacii arguit, *Non te pudet vanitatis.*

BIS SENOS CYCNOS. Cycnos navibus comparat, aquilam tempestati. In auguriis autem considerandæ sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in præpetibus: & cantus, ut in oscinibus: quia nec omnes, nec omnibus dant auguria. ut columbæ non nisi regibus dant; quia nunquam singulæ volant, sicut rex nunquam solus incedit. Vnde est in sexto, *Maternas agnovit aves*, per transitum ostendit regis augurium. Item cycni nullis dant, nisi nautis: sicut lectum est in ὀρνιθογονίᾳ, *Cycnus in auguriis nautis gratissimus augur. Hunc optant semper quia nunquam mergitur undis.* Cygnos tamen habere divinationem etiam Cic. in Tusculan. lib. 1. docet. Vt Cygni qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur. LÆTANTEIS. post periculum. AGMINE. Volatu, impetu. Agmen autem apud Virgilium, cujuslibet rei impetus: ut, *Illi agmine certo.* Et, *Vocat agmina sæva sororum.*

DONATI.

PERGE. Hortatur ne redeat ad suos, ut proposuerat, sed eat Carthaginem.

NAMQVE TIBI. Demit sollicitudinem de sociis, salutem illorum augurio nuncians.

NI FRVSTRA, &c. ordina sic: ni vani fuere parentes, id est, majores nostri, & frustra nos docuerunt.

BIS SENOS. Numero navium coæquantur, quas Æneas putabat oppressas.

VARIORVM.

ASPICE BIS SENOS, &c. Confirmatio ab augurio præsenti. Apud veteres tantum auguriis tributum fuit, ut de iis disciplinam peculiarem fecerint, redegerintque in artem & augurum collegium instituerint. Dividebant autem Manticen in tria genera, εἰς οἰωνομαντίαν, ἱερομαντίαν, καὶ τὴν διὰ τῶν ὀνειράτων μαντείαν: quibus additur & ignispicium, cujus inventor extitit Amphiaraus, ut auspiciorum Tiresias Thebanus. Cæterum auguriorum ex avibus rationem, quorum hic fit mentio, invenit Caras quidam; unde à quibusdam Caria dicuntur. μαντείαν δὲ διὰ τῶν ὀνειράτων, referunt ad Amphyctyonem. Aruspicium, Delphum quendam invenisse produnt. In auguriis, aliæ aves inauspicatæ credebantur, aliæ auspicatæ. Inter inauspicatas præcipuæ habebantur, corvus lævus, cornix, bubo. Inter auspicatas præcipuus habebatur noctuæ volatus, γλαὺξ ἵπτατο. Gruum in mediterranea, fuga: olorum cantus & volatus. Est autem immortale odium aquilæ cum cygnis, & bellum perpetuum. quare erudite inde poëta ducit augurium. In auguriis & numeri ratio habebatur; ut par, absolutus; maxime vero duodenarius haberetur. A Chaldæis hæc ars ad Græcos profecta est omnium primum: apud quos in ea claruerunt, Mopsus, Calchas & Amphiaraus. A Græcis ad Hetruscos demigravit; ac postremo ad Latinum nomen. Apud Romanos longe omnium augurum clarissimus fuit Actius Navius; à quo auguriorum & auspiciorum superstitio in tantum firmata fuit, tantaque authoritas ex descissa cultro tonsorio cote ei habita, ut nihil publice forisve actum fit, nisi consultis avibus, hoc est auspicato fieret. HORTENSIVS.

Digitized by Google

Ætheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat cælo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum,
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, & qua te ducit via dirige gressum.

SERVII.

ÆTHEREA. Æther altior est aëre, vicinus cœlo: ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est ardere. IOVIS A. Aquila quæ in tutela Iovis est: quia dicitur dimicanti ei contra Gigantes fulmina ministrasse: quod ideo fingitur, quia per naturam nimii est caloris; adeo ut etiam ova quibus supersidit, possit coquere, nisi admoveat Aetiten lapidem frigidissimum, ut testatur Lucanus. *Feta tepefacta sub alite saxa.* Aut quia nec aquila, nec laurus dicitur fulminari. ideo Iovis ales aquila; Iovis coronam lauream accepimus, & qui triumphant lauro coronantur. Sane aliter proprie dicuntur aves, quæ volatu auspicia faciunt, Buteo, Sanqualis, Inmusculus, Aquila, Vulturius. Sane de aquila est & alia fabula. apud Græcos legitur puerum quendam terra editum admodum pulchrum membris omnibus fuisse, qui ἀετὸς sit vocatus, hic cum Iupiter propter patrem Saturnum qui suos filios devorabat in Creta insula, in Idæo antro nutriretur; primo in obsequium Iovis se dedit, post vero cum adolevisset Iupiter & patrem regno pepulisset, Iuno permota forma pueri, velut pellicatus dolore: eum in avem vertit, quæ ab ipso ἀετὸς Græce dicitur, à nobis Aquila, propter aquilum colorem, qui ater est; quam avem Iupiter sibi inhærere præcepit & fulmina gestare: per hanc etiam Ganymedes cum amaretur à Iove dicitur raptus, quos Iuppiter inter sydera collocavit. Et quia aquilæ hæc est natura, ut Solem recto lumine spectet, signum quoque aquilæ, quod in cælo est, orientem semper Solem videtur attendere. Alii dicunt ab hac avi Iovem raptum & ad latebras Cretenses perlatum, cum à Saturno ubique quæreretur. Ipsum etiam Iovi, cum adversus Titanas bellum gereret, obvolasse in augurium, ac statim victoriam consecutum, & ideo inter sydera collocatam.

ORDINE. Nonnulli pro serie accipiunt. Nam ET COETU CINXERE POLUM, ad ordinem retulisse, quamvis quidam quærant, quomodo ordine, cùm mox, cœtu, dicat.

CAPERE. Eligere: ut, *Ante locum capies oculis.* DESPECTARE. Id est electas jam intentius despicere.

STRIDENTIBUS ALIS. Signum augurii est.

COETU. Dicit Plinius Secundus in naturali historia, omnes aves colli longioris, aut recto ordine volare, ut pondus capitis præcedentis cauda sustineat: unde & prima plerumque deficiens, relicto loco incipit esse postrema: aut in cœtu ut se omnes invicem portent. neque enim hujusmodi aves † semel ad inferiora descendunt, sed paulatim per reflexos in gyrum volatus. Hoc autem volatu imitantur literas quasdam: unde Lucanus. *Et turbata perit dispersis litera pennis.* CANTUSQUE DEDERE. Allusit ad nautas. multi tamen asserunt cygnos inter augurales aves non inveniri, neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse, posse quamlibet avem auspicium attestari, maxime quia non poscatur. Hoc enim interest inter augurium & auspicium, quod augurium & petitur & certis avibus ostenditur; auspicium qualibet avi demonstratur & non petitur: Quod ipsum tamen species augurii est. Sed Virgilius amat secretiora dicere, nam totum nomen augurum executus est proprietate verborum. Alites enim ostendit cum ait, *stridentibus alis*: Oscines cum dicit, *Et cœtu cinxere polum cantusque dedere.* Hoc idem & de columbis fecit: Nam & hæ inter augurales aves dicuntur non inveniri, & tamen ex his augurium & postulari facit & ostendit, ut, *Este duces ò si qua via est: cursumque per auras Dirigite in lucos.*

PUPPESQUE TUÆ PUBESQUE TUORUM. Tropus synecdoche, à parte totum significat. ut Terentius, *O lepidum caput, id est lepidus homo.* Pubes autem flos juventutis.

OSTIA. Proprie dicuntur exitus fluviorum: sed modo abusus est: quia plerunque ostia ipsa pro portu sunt.

PERGE MODO. Exportatum ad facilitatem rei ducit. VIA. pro hæc via & videtur demonstrare.

DONATI.

ÆTHEREA QUOS. Ut cygni post perturbationem, illatam ab aquila, liberati, suo ordine læti volantes, terram captam petunt: sic tui à tempestate erepti, tuti sunt.

ET QUA TE VIA. Ne ille diceret, non novi iter.

VARIORUM.

APERTO COELO. Id est sereno. nam augurio vitium additur, si tonet tantum; vitium & calamitas, si tonet, grandinet & fulminet simul, teste DONAT. ad Terent.

AUT CAPERE, AUT CAPTAS, &c. *Capere* est designare, non prorsus prendere, quum adhuc despiciant captas: nam si jam descendissent & terras cepissent, qui despicerent? Atque hoc etiam verbum videtur augurale fuisse, quum Livius lib. 1. dicat, *prospectu in urbem, agrumque capto.* PONTAN.

Dixit:

Dixit: & avertens rosea cervice refulsit;
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire, & reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.

SERVII.

AVERTENS. SE subaudi, hoc est cum averteretur: ut, *Tum proram avertit.* ROSEA. Id est pulchra.

AMBROSIÆQVE COMÆ. Aut ambrosia, unguento deorum oblitæ, divinum odorem spiravere: & est hypallage, ut sit divinæ comæ ambrosiæ odore spiravere; aut certe abusive dixit, divinæ comæ.

SPIRAVERE. Exhalavere. VESTIS DEFLVXIT. Quia dixit supra, *Sinus collecta fluentes.*

INCESSV. Hoc verbum apud Virgil. sæpe pro honore ponitur; ut, *Ast ego quæ divum incedo regina.* & *Forma pulcherrima Dido incessit.* VERA. Bene vera, de qua ante dubitabatur. MATREM AGNOVIT. Nunc matrem cognoscit: Nam deam esse superius dixerat.

FVGIENTEM. Celeriter abscedentem. ut alibi, *Ad terram fugit.* VOCE. pro oratione.

QVID TOTIENS. Sæpe: & aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus sæpe eum esse delusum. aut certe secundum ipsum Virgilium, qui ait in secundo; *Cum mihi se non ante oculis tam clara videndam Obtulit.* Multi tamen volunt in hoc ipso loco sæpe eum esse deceptum: ut in habitu, quia virginem, quia venatricem, quia Tyriam, in interrogatione, in responsione, in auguriis, vel totiens crudelis, quotiens fallis & dissimulas. TV QVOQVE. Sicut Iuno, cæterique dei, qui Trojanis inimici, quos & in secundo libro ostendit; ubi ait, *Inimicaque Trojæ Numina magna deum.*

CVR DEXTRÆ IVNGERE DEXTRAM. Majorum enim hæc fuerat salutatio: cujus rei τὸ αἴτιον, id est caussam Varro, Callimachum secutus, exposuit: asserens omnem eorum honorem dexterarum constitisse virtute: ob quam rem, hac se venerabantur corporis parte.

VERAS AVDIRE ET REDDERE VOCES? Ideo quia virginem se dixerat. Sunt multæ reciprocæ elocutiones: ut hoc loco. sunt multæ unius partis utrique sufficientes: ut, tenemur amicitiis: ridiculum enim est si addas, mutuis: cum AMICITIIS utrumque significet, sicut Fronto testatur. Item sunt elocutiones, quarum una pars plena est: quæ si convertantur, habent aliquid superfluum: ut in Salustio, *In tugurio mulieris ancillæ.* bene addidit ancillæ. At si dicas, in tugurio ancillæ mulieris: erit superfluum MVLIERIS. Ancilla enim & conditionem ostendit, & sexum. Item, *Res erat prætoribus nota solis.* hoc suffecerat. male ergo addidit: *Ignorabatur à cæteris.* Quod si convertas, nil esse superfluum invenitur.

TALIBVS INCVSAT. Redarguit. Incusare proprie est superiorem arguere: ut in Terentio pater ad filium, *Quid me incusas Clitipho?* Accusare vero, vel parem vel inferiorem: ut in eodem ad maritum uxor, *Me miseram, quæ nunc quam ob caussam accuser nescio.* Et hoc proprietatis est: licet usus male ista corrumpat. Sciendum tamen est Terentium, propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum: quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior.

DONATI.

ET VERA INCESSV PATVIT D. Completis quæ voluit, dimisit lætum & instructum. & plurimis signis se manifestavit, & splendore, & odore, & defluxu vestis.

AMBROSIÆQVE COMÆ. Sic ejus comæ se effuderant, ut putarentur Ambrosia: qua mulieres in unguentis admiscent perfusæ.

VOCE. Quando gradiendo vel currendo non potuit.

QVID? Incusatio non contumeliosa, sed ex affectu & religione procedens: Ergo mater nomen tuum confiteri noluisti, & quasi aliena locuta mecum maternis verbis, miserias meas non levasti, nec semel hoc fecisti, sed sæpe. Constat enim inter ipsos multa & varia fuisse colloquia, in quibus ille vultu, habitu, & colloquio matris, falsus est. Debuit autem incusatio ad abeuntem non esse longior, quam ut celeriter ad fugientis aures pervenire posset.

VARIORVM.

DIVINVM ODOREM. Vt pleraque alia in poëtis, è veterum de diis opinione explicandum est, quos credebant suavissimum odorem spirare. Ovid. Fast. *Mansit odor: posses scire, fuisse deam.* TVRN. l.30.c.39.

ET VERA INCESSV PATVIT DEA. Quare Virgilius dixerit, Venerem veram incessu patuisse Deam, non omnibus notum est. Antiquissima quæque deorum simulachra, quod observarunt viri magni, erant τοὺς πόδας συμβεβηκότα. Dii que ipsi non gradiuntur, sed fluunt: ut docet Calasiris sacrorum Ægyptiorum Antistes apud Heliodorum lib iij. Ex hac doctrina hausit Virgilius, qui Deam agnosci facit τῷ βαδίσματι, incessu, ἐμβλέψω ἀνθρώποις ... μᾶλλον τὸ ... ἢ διαχωρισμένων. PETITVS.

At Venus obscuro gradientes aëre sepsit:
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.

SERVII.

AT VENVS. Ordo est, At Venus dea. OBSCVRO AERE. Id est nebula, cujus definitio est.

CIRCVM DEA FVDIT. Figura est Tmesis: quæ fit, cum secto sermone aliquid interponimus: ut alibi, *Septem subjecta trioni.* Sed hoc tolerabile in sermone composito: cæterum in simplici, nimis est: quod tamen faciebat antiquitas: ut, *Saxo cere comminuit brum.*

CERNERE. Causa cur fecerit. Ex hoc enim, pendent cætera quæ sequuntur.

MOLIRI. Hic pro struere & per hoc facere, ut infra, *Molirique arcem.* AVT VENIENDI POSCERE CAVSAS. Scilicet ne sæpe narrando crebrum patiatur dolorem. Vnde melius ad Æneam refertur, *Medio sic interfata dolore est.* *Poscere* autem nunc inquirere, alias petere, & præponitur magis accusativo casui, dicimus enim posco magistrum lectionem, non à magistro posco.

IPSA PAPHVM. Civitatem Cypri, & non sine ratione est, quod in decimo libro plura sibi loca grata, vel sacrata commemoret, hic ad Paphum solam abiisse dicatur; quia Varro & plures referunt in hoc tantum templo Veneris quibusve maximis in circuitu pluviis, nunquam impluere. Ibi enim adorabatur. SVBLIMIS. Divino incessu. Id est sublimiter, nomen pro adverbio.

LÆTA. Vel proprium Veneris epitheton, vel *læta*, quia tectum nebula filium in tuto habebat; vel quod insulam suam repetat; vel ideo Paphum revisit læta, quia serenis læta congruunt, & necesse est, ut læta sit Venus, ubi semper serenum est; quippe ubi pluere nunquam dicatur. SABÆO. Arabico. Arabiæ autem tres sunt, Inferior, Petrodes, Eudemon: in qua sunt populi Sabæi; sed hi montes, inter quos sunt Libanum & Antelibanum, dicuntur: Apud hos igitur Sabæos nascitur thus. Dicti autem Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, id est venerari; quod deos per ipsorum thura veneramur.

TVRE CALENT ARÆ SERTISQVE RECENTIBVS HALANT. Ecce unde supra dixit, *Haud equidem tali me dignor honore.* quia Æneas hostias obtulerat, quarum hic mentio non fuit. SERTISQVE RECENTIBVS. Sertum & serta, cum nihil adjicitur, dicimus: ut hoc loco: Item alibi expressius. ut, *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.* Si autem sertos dixero, addo FLORES. Si sertas: addo CORONAS: ut Lucanus, *Accipiunt sertas nardo florente coronas.* Et hoc in multis nominibus observandum est; ut genus ex adjectione formetur: qua detracta, in neutrum cadat necesse est; ut piscinalis locus, piscinalis cella, piscinale. Sagmarius mulus, sagmaria mula, sagmarium. Quod autem dicit RECENTIBVS, laus est loci, qui semper flore vestitur. Vt omni tempore Veneris flores præsto esse videantur. HALANT, pro olent.

CORRIPVERE VIAM. Deest, *At illi corripuere viam.* Officium eundi celeriter arripuerunt. Nec enim corripitur via.

QVI PLVRIMVS. Ex maxima parte urbi imminens, vel, *qui plurimus*, Id est longus: ut ipse alio loco, *Cui plurima cervix.* Item, *Cum se nux plurima*, id est amygdala: longa namque est.

ASPECTAT. Est ornatus cum animantur res, id est cum rei insensibili datur sensus. Vnde est illud in quarto de Atlante. Item Salustius, *Lyciæ Pisidiæque agros despectantem.* ARCES. Civitates, à parte totum.

DONATI.

OBSCVRO AERE. Non satis fuit verbis instruxisse filium, licet sciret omnia eadem composuisse Mercurium: sed quatuor de causis texit, ne viderentur, ne tangerentur, ne interrogationibus variis detinerentur, vel veniendi causas quærentes, eos qui ante noctem venire debebant, detinerent.

VARIORVM.

IPSA PAPHVM SVBLIMIS ABIT. Paphus, urbs Cypri, in qua templum habuit, centum aris per indigenas advenasque (ut Tacitus ait) inclytum. Quem quidem numerum non ex amplificationis licentia, sed historiæ fide, certoque & pleno numero Statius accepisse videtur, lib. 5. Thebaid.

Illa Paphon veterem centumque altaria linquens.

Homerus tamen unam tantum aram memorat, videatur Tacitus lib. 2. Historiar. statim in principio, & TVRNEB. lib. 26. cap. 30.

CORRIPVERE VIAM INTEREA. Dixit alibi Virg. *Corripuere spatium.* Sueton. Tiberio c. 34. *impensas corripuit*, pro imminuit, & contraxit. Ita correptas syllabas vocant Grammatici, quod breves cum sint, citius pronuncientur. TORRENTIVS.

Mi-

Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, & strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
Iura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatri
Fundamenta locant alii; immanesque columnas

SERVII.

MIRATVR MOLEM ÆNEAS. Hoc ad ipsum refertur. MAGALIA QVONDAM, Ad poëtam. Nec enim hoc novit Æneas. Magalia vero antistœchon est. Nam debuit magaria dicere: quia magar, non magal, Pœnorum lingua villam significat. Cato originum primo, *Magalia ædificia quasi coertes rotundas dicunt*. alii magalia casas Pœnorum pastorales dicunt. de his Sallust. *quæ magalia sunt circumjecta civitati suburbana ædificia magalia*. Et alibi Cassius Hemina docet, ita Sinvegiæ * magalia addenda, murumque circum eant.

MIRATVR PORTAS & VIAS M. Q. Miratur non simpliciter dictum volunt, quoniam prudentes Etruscæ disciplinæ, ajunt, apud conditores Etruscarum urbium non putatas justas urbes fuisse, in quibus non tres portæ essent dedicatæ & votivæ, & tot templa Iovis, Iunonis, Minervæ: Bene ergo miratur Æneas, ubi fuerunt magalia, illic esse legitimam civitatem, nam portas & vias videbat, & mox Templum Iunoni ingens: ET STRATA VIARVM. Primi enim Pœni vias lapidibus stravisse dicuntur.

INSTANT ARDENTES TYRII. Multum festinantes. Vt, *Iuvenum manus emicat ardens*; & *Ardet abire fuga*, & *Laocoon ardens*. Sic enim dicit quotiens properantem vult ostendere. Alii ardentes ingeniosos dicunt. Nam per contrarium segnem, id est sine igni, carentem ingenio dicimus: unde & à Græco venit catus, id est ingeniosus, ἀπὸ τοῦ καίω.

DVCERE MVROS. Exædificare, hoc est construere, in longitudinem producere, proprie enim cum ædificantur muri, duci dicuntur. Sallust. hist. 2. *Murum ab angulo dextri lateris, ad paludem haud procul remotam duxit*.

MOLIRIQVE ARCEM. Molibus factis extollere: quod est extruere; huic contrarium est demoliri. ET MANIBVS SVBVOLVERE SAXA. Cur manibus, an quia adhuc machinæ non erant, festinationem referre voluit.

OPTARE. Eligere: ut, *Tuus ô regina quid optes, Explorare labor*. Et 3. Æn. *Optavitque locum regno*. TECTO. Ad rectum, nota figura. SVLCO. Fossa. Civitas enim, non domus, circundatur sulco: Ergo sulco, fossa fundamentorum: Alibi, *Ausim vel tenui vitem committere sulco*.

IVRA LEGVNT. Eligunt; vel loca ubi jura dicantur, aut magistratus creentur. Et bene post conditam civitatem addidit jura, & magistratus sanctumque senatum. Legitur apud quosdam, Brutum eos qui se in ejiciendis regibus juvissent, lectos in consilium, eum ordinem senatum appellatum, quod una sensissent: quod patritii essent Patres conscriptos; alii patres à plebe in consilium senatus separatos tradunt, hc conscriptos, qui post à Servio Tullio è plebe electi sunt. Alii senatum à senectute hominum quibus* allecti erant dictum volunt, quia apud Græcos γερουσία appellatur. Sanctum autem ideo, quia Senatus, Sanctissimus ordo dicitur.

PORTVS EFFODIVNT. Vt portus scilicet faciant. Et vere ait, nam Carthaginienses cotthona fossa utuntur, non naturali portu.

ALTA THEATRI FVNDAMENTA. Hinc futura magnitudo cognoscitur. quod alta fundamenta ait, bene autem post res publicas privatasque necessarias, mentionem fecit theatri, aut quia Græcis urbs conditur, qui sæpe spectaculis gaudent, aut ut apud quosdam fuit in genere musicæ scientiæ.

DONATI.

MIRATVR. Ponit generaliter, quod omnes viæ & portæ fervebant, & strepitus agentium personabant.

INSTANT. Itur jam per species, laudantur autem quod non inviti agebant.

PARS DVCERE. Primo curabant quæ adversus hostes fuerant necessaria.

LOCVM TECTO. Tecto privata ædificia curabantur.

IVRA. Disponit leges & honores curiales.

PORTVS. Et hoc ad salutis subsidium. ALTA THEATRI. post ea quæ ad salutem & honorem pertinent, prospicit voluptatibus propter scenas, quod non fit, nisi in ociosa civitate: quod Æneæ erat necessarium.

COLVMNAS. Vt non solum theatri gesta, verum aspectus operis juvaret. Ponit apum comparationem, quæ & industria, & labore, & æquitate operis, & concordia excellentes sunt: & quæ fucos, animal non solum iners, verumetiam vorax à sedibus pellant.

VARIORVM.

PARS OPTARE LOCVM TECTO. Scribendum putant nonnulli *aptare*, ex antiquis codicibus: sed inepte. Est enim verbum militare *optio*. Cum enim locus peteretur à principe, dicebatur optari. Sic 3. Æneid. *Optavitque locum regno*. Optare ergo proprie est eligere & considerare. PONTANVS.

Rupi-

Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate nova per florea rura
Exercet sub Sole labor; cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum: aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt,

SERVII.

COLVMNAS DECORA ALTA. Figurate columnas decora alta: diversis enim significationibus, idem dixit, & ab eo quod est decus corripitur decoris.

QVALIS APES. Ordo est. Qualis labor æstate nova, id est incipiente jam vere novo. Tertiæ declinationis genitivus pluralis & in IVM & in VM exit: sed tunc pro nostro arbitrio cum nominativus singularis fuerit N & S terminatus: ut amans & amantum, & amantium dicimus. Cum autem nominativus singularis ER & VR fuerit terminatus, tantum in VM exit. ut pater patrum, murmur murmurum. Reliqua vero nomina authoritate firmamus: ut apis apum, vel apium. Sane fabula de apibus talis est. Apud Istmum anus quædam nomine Melissa fuit: Hanc Ceres sacrorum suorum cum secreta docuisset, interminata est ne cui ea quæ didicisset aperiret, Sed cum ad eam mulieres accessissent, ut ab ea primo blandimentis, post precibus & præmiis elicerent, ut sibi à Cerere commissa patefaceret, atque in silentio perduraret, ab eisdem iratis mulieribus discerpta est: quam rem, Ceres immissa tam supra dictis fœminis, quam populo ejus regionis, pestilentia ulta est; de corpore vero Melissæ apes nasci fecit. Latine autem melissa apis dicitur. ÆSTATE NOVA. Incipiente. ut, *Vere novo.* Et bene nova, quia est æstas & adulta & præceps secundum Salustium. FLOREA. Florida: ut, *Nemora inter frondea*; aut florentia, nec non de flore erant facta, ut floream coronam dicimus. RVRA. Græce ἀγροὶ dicuntur. Aphæresis ergo sermonem facit Latinum.

EXERCET. Fatigat: ut, *Nate Iliacis exercite fatis.* Et subjecit quibus rebus exercitæ fatigentur. Hoc autem participium ab exercitu, id est militum multitudine, declinatione discernimus. Nam nomen quartæ, participium secundæ declinationis est; ut visus hujus visi vel visus, passus passi vel passus, auditus auditi vel auditus. SVB SOLE. In Sole: ut, *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo.* vel quamdiu Sol est. CVM GENTIS FOETVS. Ad laudem apum hoc pertinet. Et bene *gentis fœtus*, quia non singulæ de singulis nascuntur, sed omnes ex omnibus: Et per hoc melius in Georgicis intelligitur.

EDVCVNT, producunt, quod adhuc adolescant, & adulti fiant, non adoleverint. ut adultos dicimus minores, & hoc sic dixit, ut, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* LIQVENTIA. Defæcata, sine sordibus: ut, *Nec tantum dulcia, quantum & liquida*, id est pura: nam dura mella constat esse meliora.

STIPANT. Densant: translatio est à navibus, in quibus stipula interponitur vasis, quam stupam dicunt. DISTENDVNT. Implent: ut; *Et denso distendere pingui* NECTARE. Melle: abusus propter suavitatis similitudinem. CELLAS. Et hic abusus est, ut favorum cavernas *cellas* vocaret, vel alvearia, ut alibi thesauros. Traxit autem à reponendi similitudine: vel à celando, unde cellam appellaverunt. AGMINE. Nunc impetu.

IGNAVVM. Inutile, non aptum industriæ. Nam industrios navos dicimus. FVCOS. Secundum Plinium apium multa sunt genera. Proprie tamen apes dicuntur de bobus ortæ: fuci, de equis: crabrones, de mulis: vespæ, de asinis. Fucus autem est secundum Æmilium Macrum, major ape, crabrone minor. PECVS. Pecus dicimus, omne quod humana lingua & effigie caret, id est à pascendo. Vnde Horatius: *Omne cum Protheus pecus egit altos visere montes.* Plautus, *Clurinum pecus simiam dixit.* PRÆSEPIBVS. Alveariis. Et est translatio: quæ fit quoties, vel deest verborum proprietas, vel vitatur iteratio.

FERVET, Concelebratur: ut contra, FRIGET, cessat dicimus. Terentius, *Nimirum hic homines frigent.* REDOLENT. Quidam olere res, vel malas vel bonas; redolere tantum bonas tradunt. FRAGRANTIA. Quotiens incendium significatur: quod flatu alitur, per *l* dicimus, quotiens odor, qui fracta specie major est, per *r* dicimus Sciendum sane nil in hac vacare comparatione. Nam Pœnorum operi, apum labor: custodiæ litorum adversus alienigenas, fucorum comparatur expulsio.

O FORTVNATI. Expressit Æneæ desiderium, hoc est qui jam faciunt quod & ipse desiderat. QVORVM IAM MOENIA S. Laus vel ab ipsa re sumitur quæ laudatur.

DONATI.

O FORTVNATI. Non invidet alienæ felicitati, sed prosequitur laude, & quando scilicet ego ad hanc felicitatem perveniam?

VARIORVM.

QVALIS APES. Comparationis genus, quæ ἐπαγωγὴ dicitur, & mire quadrans huic negotio. Sunt autem versus prope omnes huc translati è 4 Georg. TAVBMAN.

Æneas

…tized by Google

Æneas ait, & fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra;
Quo primum jactati undis, & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, facilem victu per sæcula gentem.

SERVII.

FASTIGIA. Nunc operis summitates; alibi ima significant: ut, *Forsitan & scrobibus, quæ sint fastigia quæras.* SVSPICIT. Miratur: ut è contrario, despicit, contemnit significat.

MIRABILE DICTV. Ob hoc quod sequitur „ quia mixtus cunctis latebat. potest tamen & hoc su„ periori & inferiori sensu addi.

PER MEDIOS. Figura est; nam plenum fuerat, mediis se infert. MISCETQVE. Deest, se. NEQVE CERNITVR VLLI. Id est, neque ab ullo cernitur. Est est Græcum ἀδηλι ἐρώμενος, ut est illud, *Scriberis Vario.* id est scribet te Varius.

LVCVS. Vbicunque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio; ut, *Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.* Vnde in sexto. *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere. & mox „ sequitur, *Hic templum Iunoni ingens.* Lucus autem „ dicitur, quod non luceat: non quod sint ibi lumina, caussa religionis, ut quidam volunt. IN VRBE FVIT MEDIA. Nunc jam in media. LÆTISSIMVS VMBRA. Aut septimus casus est: aut secundum Probum genitivus; ut sit *lætissimus umbræ*: sicut Salustius, *Frugum pabulique lætus ager.*

QVO PRIMVM. Hoc est simul ac venerunt. nec enim secundo ad Africam ventum est. vel ordo est quo primum loco.

EFFODERE LOCO SIGNVM. Historia hoc habet, quam more suo Virgilius per transitum hic tangit. Dido fratrem fugiens, cum transiret per quandam insulam Iunonis, accepit oraculum, & sacerdotem ejus secum abstulit: cum ei parum crederet promittenti Carthaginis sedes: quo cum venissent, sacerdos elegit locum faciendæ urbis; quo effosso, inventum est caput bovis, quod cum displicuisset (quia bos semper subjugatus) alio loco effosso, caput equi inventum placuit: quia hoc animal licet subjugetur, bellicosum tamen est, & vincit, & plerunque concordat; ut ipse ostendit plenissime in illo loco, *Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur: Sed tamen iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre: Spes est pacis, ait.* Illic ergo Iunoni templa fecerunt. Vnde & bellicosa est Carthago per equi „ nomen; & fertilis per bovis. Sane *fodere* est tantum „ sollicitare terram, *effodere* hoc ipsum faciendo ali„ quid eruere & invenire, cui contrarium est *infodere*: Ordo autem est: *Lucus in urbe media lætissimus umbra*, quo loco jactati Pœni undis & turbine effodere caput acris equi, quia regia Iuno signum monstraverat. QVOD REGIA. Regina.

MONSTRARAT. ut dictum est tangit historiam. Monstro dederat. ACRIS EQVI. Epithetum magis aptum equis; ut canibus blandis, qui natura blandi sunt.

ET FACILEM VICTV. Propter bovem: sicut dictum est. *Facilem* autem, copiosam, divitem, „ Terentius, *Quam vos facillime agitis.* „

DONATI.

QVO PRIMVM. ut supra per cygnos demonstrata fuerat felicitas, sic nunc per Pœnos, qui tempestate vexati, huc incolumes venerunt, & fundamenta fodientes, caput equi cum invenissent, signum habuerunt, quod in bellicis copiis essent futuri copiosi.

VARIORVM.

FASTIGIA SVSPICIT VRBIS. Summitates miratur. Atque è verbo *suspicit*, colligitur, Æneam jam colle descendisse. TAVBMAN.

LVCVS IN VRBE FVIT. τοποθεσία. Et ubicunque Virgil. *lucum* ponit, sequitur consecratio: ut initio in Æneid. Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere: unde 6. Æneid. *Nulli certa domus; lucis habitamus opacis.* TAVBMAN.

EFFODERE LOCO SIGNVM. More suo per transitum tangit historiam Poëta; quam habet Iustinus, & Cæl. Rhodigin. lib. 18. cap. 38. Atque ut *signum*, sive portentum illud, quod indicio Iunonis, è loco faciendæ urbis effoderat Dido, explicet, addit, *caput acris equi.* Equum vero belli omen habere, docetur 3. Æneid. *Bello armantur equi*, &c. Et videtur Cælio alludi ad nomen vetus Carthaginis, quo dicta est Caccabe; quod illarum gentium lingua *equinum caput* indicat. TAVBMAN.

MONSTRARAT. Vt quæ urbem illam tuendam, totoque pectore fovendam statuerat, ut dictum antea. *Monstrarat* autem, non monstro dederat, ut interpreteres, sed simpliciter accipe, pro docuerat. Cic. ad Tyron. *Tu illic si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis.* NASCIMBÆN.

FACILEM VICTV. Id est fertilem. Alludit ad alterum prodigium. Nam initio caput bubulum reperiebatur: quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ & subjugatæ fuit: itaque illud alterum quæsitum & inventum præ isto placuit. Vt ita Carthago fertilis sit per omen *Bovis*; bellicosa, per *Equi.* Alii *facilem victu* active capiunt, pro ad vincendum; quasi fortem & multis victoriis pollentem. TAVBMAN.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat : donis opulentum, & numine divæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes : foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata, timorem
Leniit : hic primum Æneas sperare salutem

SERVII.

HIC TEMPLVM IVNONI. Superius dictum est, quod Virgilius ubique lucos consecratos velit accipi, unde tanquam in luco sacro inducit Didonem Iunoni templum construere, morem autem Romanum veterem tangit : Antiqui enim ædes sacras ita * templa faciebant, ut prius per Augures lucus liberaretur, effareturque : tum demum à Pontificibus consecraretur, ac post ibidem sacra edicerentur. Erant autem templa in quibus auspicato & publice res administraretur & Senatus haberi possit, erant * tantum sacra. Hic ergo & sacrum templum quod in luco, id est in loco sacro, conditur docet. Et in templo administrari Rempub. subsequentibus versibus indicat. *Iura dabat legesque viris, operumque laborem Partibus æquabat iustis, aut sorte trahebat.* Alibi tantum sacra esse templa, alia omnia ubi agi * posse locis suis monstrabitur. SIDONIA. Licet Sidon civitas sit Phœniciæ, tamen hic pro Tyria posuit. Sane quidam oportune hic Sidoniam volunt positam, ut ostenderet locupletem, Sidonii enim locupletes habiti sunt; ut, *Sidoniasque ostentat opes.*

DONIS OPVLENTVM ET NVMINE DIVÆ. Aut simulacrum quoque aureum fuit, & numen pro simulacro posuit. Vt, *Media inter numina divum.* Hinc Cicero, *Sese iam ne deos quidem, ad quos confugerent, habere.* Hic ostendere vult plenum esse præsentia numinis templum, aut certe venerabile numine.

ÆREA. Ærea ideo, vel quod æs magis in usu veteres habebant : vel quod religioni magis apta est hæc materies. Denique flamen Dialis æreis cultris tondebatur, aut quia vocalius cæteris metallis, aut quia Medici quædam vulnera curant, aut dicit quia veteres magis ære usi sunt: aut ærea secula significantur. Nam ut Hesiodus dicit, Tempore quo hæc gesta sunt, æreum seculum fuit. FORIBVS. Fores proprie dicuntur quæ foras aperiuntur, sicut apud veteres fuit.

NEXÆQVE ÆRE TRABES. Multi *nixæ* legunt non *nexæ*, juxta Varronem qui ait, *Trisulcæ fores, pessulis libratæ dehiscunt, graves atque innixæ in cardinum tardos turbines.* Quidam trabes æneas putant ipsum templum χαλκοῖκ significari. Versus sane ipse ypermetros est. Valvæ autem sunt (ut dicit Varro) *quæ revolvuntur & se velant.* Ianua autem est primus domus ingressus : dicta, quia Iano consecratum est omne principium. Cæterum intra januam, ostia vocantur generaliter; sive valvæ sint, sive fores : quamvis usus ista corruperit. CARDO. Dictus est quasi cor januæ, quo movetur. STRIDEBAT AHENIS. Ad sua retulit tempora Virgilius. Cautum enim fuerat, post proditum hostibus à Tarpeja virgine Capitolium; ut ærei cardines fierent, quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare.

HOC PRIMVM IN LVCO. Secuta sunt enim & alia quæ detraxere formidinem. TIMOREM. Multi quærunt cur post visam matrem quicquam timuerit. Quod tamen alii sic abusive solvunt; ut dicant ne tum quidem Æneam, Venerem, quam viderat, esse credidisse : cujus ut ipse putabat agnitæ nulla verba perceperat. Sed vera solutio hæc est, Venus nil de Afrorum moribus, unde nunc formidat Æneas : sed de classe liberata dixerat filio, vel quia non in totum Æneas matris fiducia confirmandus est, ne quid superesset magnanimitati & laudibus viri fortis. Sciendum tamen est, in Virgilio, interdum validiora esse objecta purgatis : vel contra, ut hoc loco.

LENIIT. Quartæ conjugationis tempus præteritum perfectum vel in *vi* junctum exit; vel sublata digammo, in *ii* pro nostro arbitrio : ut lenivi, leniit audivi, audii. Sane cum in *vi* exit, penultima longa est : & ipsa accentum retinet; cum vero in ii, penultima brevis est, & perdit accentum : quia, ut supra dictum est, *Vnius ob noxam* : quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem præcedenti : sed hoc in metro, ubi necessitas cogit. Nam in prosa & naturam suam & accentum retentat. Nunc ergo LENIIT, tertia à fine habet accentum : quia penultima brevis est. Sane plerunque accentum suum retinet sermo corruptus : ut Mercuri, Domiti, Ovidi : tertia à fine debuit habere accentum, quia penultima brevis est : sed constat hæc nomina apocopen pertulisse : nam apud majores erat idem vocativus qui & nominativus; ut hic Mercurius, ô Mercurius. unde CV licet brevis sit, etiam post apocopen, suum servat accentum.

DONATI.

HIC. Oportuit enim deam in eo loco habere honestissimam sedem, in quo virtutem suæ majestatis ostenderat. Et cum nondum perfectum esset, tanta reverentia colebatur, ut donis copiosum esset, & dea ipsa præsens esse crederetur.

HOC PRIMVM. Propositionis genus est. dicturus est enim quid viderit, unde aliquid speraret, unde sit lenitus metus. nam totus eradi non potuit.

NOVA. vel contra spem, cum paulo ante vidisset omnia deserta : vel, *nova* : quia videbat Trojana certamina depicta.

VARIORVM.

ÆREA CVI GRADIBVS. Alludit ad decretum, quo post proditum à Tarpeia Capitolium, cautum fuit, ut cardines portarum, ex ære fierent : ut cum aperiretur, striderent. TAVBMAN.

Ausus

Digitized by Google

Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens: dum quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, & sævum ambobus Achillem.
Constitit, & lachrymans, Quis jam locus (inquit) Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi;

SERVII.

AVSVS. Bene ausus: quia inter incerta satis audacter salus speratur. AFFLICTIS. De afflictis. nec enim esse septimus casus potest. CONFIDERE. Fido & confido dativum regit: ut, *Et fidere nocti*. Sane optima figura est, quæ nunquam à principalitate discedit: ut, *Atque humiles habitare casas*: accusativo junxit, quia habeo domum dicimus, unde est habito frequentativum.

SVB TEMPLO. Hoc est in templo: ut supra, *Exercet sub Sole labor*, id est in Sole.

REGINAM OPPERIENS. Expectans, aut quam intelligebat esse venturam ex artificum festinatione: aut certe videndæ reginæ occasionem requirens. QVÆ FORTVNA SIT VRBI. Fœlicitas. QVÆ, hic admirandi significatus est.

ARTIFICVMQVE MANVS INTER SE. Hoc est habebat artificum comparationes. INTER SE autem certantium, aut aliquid tale.

EX ORDINE. Prout fuerunt. hoc loco ostendit omnem pugnam esse depictam: sed hæc tantum dicit, quæ aut Diomedes gessit, aut Achilles: per quod excusatur Æneas, si est à fortibus victus. Sane pugna est temporale certamen, idem & prælium significat; bellum autem universi temporis dicitur, ut Punicum, Mithridaticum. Sallustius, *Ita sperat pugnam illam pro omni bello futuram*. Livius: *ut Pyrrhus unicus pugnandi artifex, magisque in prælio quam bello bonus.*

FAMA TOTVM VVLGATA PER ORBEM. Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa jam depingit.

ATRIDAS. Atrei filios, Agamemnonem, & Menelaum: sed usurpatum est: nam Plisthenis filii fuerunt. SÆVVM AMBOBVS ACHILLEM. Atqui tres dixit; sed Atridas pro uno accipe, quos unius partis constat fuisse. An *ambobus*, Agamemnoni tantum & Priamo; an ambobus exercitibus Græcis, propter suam de Briseide injuriam, Trojanis propter Helenam, & *ambobus* pro utrisque arte tunc*

PLENA LABORIS. Plenus genitivo melius jungitur: ut Terentius, *Plenus rimarum sum*. Plautus, *dedecoris plenorem.*

EN PRIAMVS. Laus picturæ est, per quam non imago, sed ipse prope ostenditur Priamus.

SVNT HIC ETIAM SVA PRÆMIA. Et supra diximus, Omnis Æneæ sollicitudo de motibus Afrorum erat: quam nunc picturæ contemplatione deponit. Qui enim depingunt bella, & virtutem diligunt, & miseratione tanguntur. SVA. Id est congrua. ut, *Strueremque suis altaria donis*. LAVDI. Virtuti: ut, *Primam merui qui laude coronam.*

DONATI.

NAMQVE. Reddit rationem, quid sit quod leniebat metum, & spem inopinatam promittebat.

REGINAM OPPERIENS. Non levibus picturis tenebatur, sed quod necessarium erat, reginam operiebatur. ergo ad sui excusationem hoc dixit. Circumspectabat etiam, veluti & ipse novam urbem conditurus, ut adverteret quanto id labore constaret.

ARTIFICVMQVE MANVS. Ita omnes pariter una gratia & una subtilitate certabant, ut intuens nullum aliis præferre potuisset. Descripta autem magnitudine & fortitudine, transit ad ornatum picturæ.

SÆVVM. comparationis species, ut sit, sævior fuit Achilles Agamemnone & Menelao.

CONSTITIT. Mente dolebat de adversis suis, imperiique Trojani calamitatibus; & de suorum interitu factas esse fabulas, quas loquerentur, & oblectationis causa pingerent. Sic tamen ea dolenda protulit, ut partes etiam consolationis inferret: *Feret hæc aliquam tibi fama salutem*. Nam calamitas citat commiserationem.

EN, non tantum demonstrantis est, verum etiam dolentis; quasi dicat, ecce, ad quam infelicitatem perductus est Priamus? exponit jam suos dolores, quos ex persona potentissimi regis, senis, & soceri sumebat. SVNT HIC ETIAM SVA PRÆMIA LAVDI. & hæc propositio. dicturus est enim, quæ laudanda & quæ dolenda.

VARIORVM.

ATRIDAS, PRIAMVMQVE. Seneca Epist. 105. se legisse hoc loco *Atriden*, non *Atridas* ostendit. Et sic legendum tum locutio, tum res ipsa docet. Nam si tres, Agamemnonem, Priamum & Menelaum proponat, quo pacto postea dicit, & *sævum ambobus Achillem*? Nec Achilles Menelao sævus fuit, sed Agamemnoni, quem confodere voluit 1. Iliad. Quam vero Priamo sævus fuerit, occiso ejus filio Hectore, notum est. Donatus vero *sævum ambobus*, speciem comparationis facit: ut sit; sævior fuit Achilles Agamemnone & Menelao. CORRAD.

Digitized

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait; atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus:
Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lachrymans: primo quæ prodita somno,
Tydides multa vastabat cæde cruentus:

SERVII.

MORTALIA. Adversa: quibus constat subjacere mortales. Alii mortales casus accipiunt, ut absolute τὰ ἀνθρώπινα.

SOLVE METUS. Collectio est. Nam ubi virtus præmia, adversa miserationem merentur: rite formido deponitur. FERET. Pro adferet. Et hic reddidit, *Hoc primum in luco, nova res oblata, timorem Lenit.*

PICTURA PASCIT INANI. Epitheton est picturæ: aut quia caret corporum, quæ imitatur, similitudine: aut quia nullius est utilitatis. sed tantum delectat; nam apud veteres μεγαλοτεχνία seu ψιλοτεχνία dicta est. PASCIT autem delectat, ut non animum modo * uti pascat prospectus inanem; vel ut quidam volunt, ad stupentis animum retulit, qui vel inanibus commovebatur.

MULTA GEMENS. πολλὰ στενάζων.

LARGOQUE HUMECTAT FLUMINE VULTUM. Tapinosis est, quod dixit *Humectat. largo* nam *flumine*, est fluore, id est fluxu ipso.

PERGAMA CIRCUM. Abusive. non enim circa Pergama, hoc est arcem: sed circa Ilium bella gerebantur.

TROJANA JUVENTUS. Definitio est Hectoris: ut, *Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.* Et re vera sic pene ubique Homerus ponit; ut Hectori tantum vel Achilli totus cedat exercitus.

HAC PHRYGES. Bene ubique Virgilius, pro negotii qualitate dat Trojanis & nomina. nam timidos Phrygas vocat: ut hoc loco. Item, *O vere Phrygiæ:* neque enim Phryges. Dardanidas generosos: ut, *Dardanidæ magni genus alto à sanguine divum.* Laomedontiadas perfidos: ut, *Nondum Laomedonteæ sentis perjuria gentis.* Troas fortes: ut, *Troes agunt, princeps turmas inducit Asylas.* Hectores quoque fortes: ut, *Nunc nunc insurgite remis Hectorei socii.* CRISTATUS ACHILLES. Secundum Homerum, qui dicit in Achillis cristis, terribile quiddam fuisse. Cristatus autem participium est, derivatur à genere feminino.

NEC PROCUL HINC RHESI. Rhesus rex Thraciæ, Martis, ut alii Hebii, vel Strymonis & Euterpes Musæ filius fuit: qui cum ad Trojæ venisset auxilia, clausisque jam portis tentoria locavisset in littore, Dolone prodente, qui missus fuerat speculatum: à Diomede & Ulysse est interfectus, qui & ipsi speculatum venerant: abductique sunt equi quibus pendebant fata Trojana, ut si pabulo Trojano usi essent, vel è Xantho Trojæ fluvio bibissent, Troja perire non posset.

PRIMO SOMNO. Prima parte noctis: ut, *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* aut primo somno, ut graviorem ostenderet somnum. Aut prima nocte, quia in Troja Rhesus non fuerat.

TYDIDES. Id est Diomedes. Et bene Ulyssem celat propter Æneam, ut supra diximus: aut quia secundum Homerum occidente Diomede cadavera Ulysses trahebat.

DONATI.

MORTALIA. Quæcunque adversa mortalibus acciderint.

MULTA GEMENS, &c. Propositio, monstrat quæ res in pictura animum reficiat, & quæ dolorem afferat: utrumque tamen animum considerantis ducebat ad lachrymas.

NAMQUE VIDEBAT. ostendit unde lætitiam caperet, scilicet, hac fugerent Graji; & unde dolorem, scilicet hac Phryges.

TENTORIA. Ut ostendat plures fuisse mactatos. Non enim solus in tentoriis fuisset.

VARIORUM.

SUNT LACHRYMÆ RERUM. *Lachrymas rerum*, calamitatum, & rerum adversarum lachrymas vocat. Sic supra, *fessi rerum*, id est fatigati naufragii calamitate, & tempestatis jactatione. TURNEB. lib. 12. cap. 12.

CURRU CRISTATUS ACHILLES. Ex Polybio docet Lypsius de Milit. Rom. lib. 3. dialog. 5. duplicem usum cristatum; sive quod vir major, & animo quoque crescit: sive quod hosti terrorem magis præbet. utrumque verum, & nescio quo naturæ ductu ubique terrarum fere bellatores hoc adfectant. Et hinc insignia ista familiarum tam varia, queis superbimus. Romani sibi in iis valde placebant. Primi auctores rei Cares, testibus Herodoto, Strabone, Plinio. PONTAN.

NIVEIS TENTORIA VELIS. Vegetius, Tertull. Plinius & alii, papiliones vocant, à similitudine volatilis, cui istuc nominis. Fiebant è velis tensis. Quædam è tabulis consertis. Fuerunt & alia tentoria scortea. Sed enucleatissime, ut solet & plenissime de tentoriis agit *Lypsius de Milit. Rom. lib. 5. dial. 5.* PONT.

Arden-

Digitized by Google

Ardenteisque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troïlus armis;
Infœlix puer, atque impar congressus Achilli;
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen. huic cervixque, comæque trahuntur
Per terram, & versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,

SERVII.

ARDENTEIS. Et candidos significat, & veloces: ut, *Pernicibus ignea plantis.* si ignea, velox est, sine dubio & ardens.

XANTHVM. fluvium Trojæ.

PARTE ALIA FVGIENS AMISSIS TROILVS ARMIS. Parte alia scilicet templi, & veritas quidem hoc habet: Troili amore Achillem ductum, palumbes ei quibus ille delectabatur, objecisse: quas cum vellet tenere, captus ab Achille, in ejus amplexibus periit. Sed hoc quasi indignum heroo carmine, mutavit poëta. FVGIENS. Fugere volens, accepto jam vulnere. AMISSIS ARMIS. Aut ætatis imbecillitate, vel vulneris dolore.

INFOELIX. Multi hoc loco distinguunt. & subjungunt *puer*, atque *impar congressus Achilli*, ut ex eo imparem ostendat quod puer, sed tamen etiam si jungas PVER, unus est sensus. ATQVE IMPAR. Ac si diceret, etiam si puer non esset. CONGRESSVS ACHILLI. Congredior tibi, antiqui dicebant: sicut pugno tibi, dimico tibi. Hodie dicimus congredior tecum, dimico tecum.

FERTVR. Trahitur. CVRRV. Curribus falcatis usos esse majores, & Livius & Salustius docent, potuerunt ergo & simplicibus. RESVPINVS. Quia hastam trahebat. Sed intelligitur Achillis hasta transisse per pectus, & à parte qua ferrum est à tergo trahi. INANI. Sine rectore: nam corpus hærebat.

LORA TENENS TAMEN. Quamquam mortuus.

VERSA. Tracta, ut Plautus, *Inveniam omnia versa*, strata aut unctaque * omnia. Venit autem ab eo quod est vertor. INSCRIBITVR. Dilaceratur: ut Plautus, *Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.* HASTA. Hostili scilicet, quam transfixus trahebat.

INTEREA. Cum Diomedes auxilio Minervæ plurimos Trojanorum fudisset, Elenus Priami filius vates, monuit, ut Minervæ numen exoraretur: & cum precibus deæ ponerent vestem quam regina speciosissimam habebat, id est peplum, (unde post Minervæ palla, peplum appellata est:) Dea tamen memor judicii Paridis, Trojanis infesta permansit. Interea autem & satis oportune à matribus festinatur ad templum: ut alibi, *Nec non ad templum summasque ad Palladis arces.* & mire in * pectore temporali adverbio usus est, quamvis non possit. NON ÆQVÆ. Iniquæ, infestæ, Litotes figura est; ut alibi, *Et vacuus Clanius non æquus acerris.*

PASSIS. Participium est ab eo quod est pandor. ideo autem non facit pansus: quia plerumque N, quod in prima verbi positione invenitur, in præteriti participio non est: de qua re euphonia judicat. ut ab eo quod est tundor & tunsus facit: ut, *Tunsæ pectora palmis.* Et tusus: ut; *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.* Sciendum tamen est, licet alia euphoniæ causa variemur, vel in generibus, vel in numeris: nactus tamen & passus, N penitus nunquam accipere. PEPLVMQVE FEREBANT. Peplum proprie est palla picta fœminea, Minervæ consecrata: ut Plautus, *Nunquam ad civitatem venio, nisi cum infertur peplum.* Hodie multi abutuntur hoc nomine.

DONATI.

PRIVS QVAM PABVLA, &c. Voluit ostendere celerem exitum & finem ejus.

INFELIX. Quia puer, & impar ei congressus est, quem juvenis superare non potuisset. Est autem descriptio ejus qui supinus ferebatur.

PEPLVM. Genus vestis pertinentis ad ritum secretorum Minervæ. Alii scutum modicum dicunt.

VARIORVM.

INFELIX PVER: Mirantur docti, cur Troilus vocetur *puer*: cum teste Bocatio & Hygino, unus fuerit è maximis Priami natorum: atque inter auctores conveniat, res Trojanas, post casum Hectoris, virtute Troili præcipue ad jutas fuisse. Quippe qui in uno prælio sedecim Græcorum principes sua manu interfecit. Cumque illi clamarent, occiso jam Hectore, parum sibi metuendum: Diomedes & Vlysses contra occlamant, Troilum non minus ferocem, quam ipsum Hectorem. TAVBMAN.

PVLVIS INSCRIBITVR HASTA. Vocem *inscribitur*, Servius exponit, laceratur. Quis unquam audivit, pulverem lacerari? sed scribere fuit, quod scalpere, vel sulcare. Ferreo namque stylo ceratas tabulas, elementorum notis sulcabant. Hoc patet in Nubibus Aristophanis. SCAL. Poët. l. 4. c. 16.

CRINIBVS ILIADES PASSIS. Alludit ad morem Romanum, quo constat in luctu fœminas solutis fuisse comis; ut apud Græcos tonsis. Vide Plutarch. *ἐν ῥωμαϊκ.* GERMAN.

PEPLVMQVE FEREBAT. Notat Turnebus antiquos dubiis aut deploratis rebus, cum ad preces arasque Deorum confugerent, signa Deorum vestibus etiam ornare solitos: ut peplum hic Deæ oblatum à Troadibus accipiat, non eo indutas matronas sacra fecisse. GERMAN.

Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros:
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Vt spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermeis.

SERVII.

SVPPLICITER TRISTES. Vt decet rogantes, hoc est rogantes cum tristitia. Et bene addidit SVPPLICITER: quia & per iracundiam, & per gravitatem, & per religionem, & per dolorem tristes sumus. TVNSÆ PECTORA. Vt *oculos suffusa*.

AVERSA. Irata significat. nec enim poterat se convertere simulachrum, sic alibi, *Talia dicentem jam dudum aversa tuetur.* Si tuetur, quomodo aversa; nisi iratam intelligas? Ergo ad animum refertur.

TER CIRCVM ILIACOS. hoc ad Æneam referendum est qui sciebat. Sed apud authores multa ad sensum, non ad aspectum possunt referri. Tertio enim tractum intelligere possumus, non in pictura conspicere. unde est & illud, *Mulcere alternos & corpora fingere lingua.* Tale erat in pictura corpus, ut in eo appareret frequentis raptationis injuria. Sane hujus rei ordo est talis; Patroclus cum iratum Achillen, propter Breseiden sublatam, ut adversum Trojanos pugnaret, exorare non posset; petit ab eo arma quæ Peleo Vulcanus fecerat, quibus indutus dum Achilles crederetur: fugatis Trojanis plurimos interemit, ipse vero ab Hectore occisus est; quo dolore Achilles compulsus, impetratis per matrem à Vulcano armis, Hectorem prælio superatum peremit, ejusque corpus ad currum religatum, circa muros Ilii traxit, quod post placatus auro... *repensum* Priamo reddidit. RAPTAVERAT. Frequentativa bene usus est: per quam ostendit quod per numerum dixerat.

EXANIMVM. Exanimus & exanimis dicimus: sicut unianimus & unianimis, inermus & inermis. Ergo pro nostro arbitrio, aut secundæ declinationis erunt, aut tertiæ. sed tertiæ, ablativum singularem in i mittunt: quia communis sunt generis. Exanimis autem est mortuus, ut hic indicat locus: Exanimatus vero, timens: ut, *Exanimata sequens impingeret agmina muris.* VENDEBAT. Ingenti arte utitur verbis. Nam hoc loco quia pingi potuit, præsens tempus posuit: superius, quia pingi non potuit, sed referri, perfecto executus est tempore; dicendo raptaverat, non raptabat:

TVM VERO INGENTEM GEMITVM. Iam enim superius eum lachrymasse dixerat: hoc ergo addidit visum Hectoris corpus, ut etiam graviter gemeret, non ergo tum primum, sed tum maxime.

VT CVRRVS. Quo tractus est. AMICI. Plus est quam si Hectoris diceret; ut alibi, *Parvumque patri tendebat Iulum*: cum potuerit dicere mihi.

MANVS INERMES. Aut sine insignibus regiis, sceptro. aut supplices: ut, *Dextras tendamus inermes.* Quod tractum est de historia. qui enim victi se dedunt, inermes supplicant. Aut re vera inermes tunc. Contra Pyrrhum enim processit armatus. Sane per transitum historiam tetigit: quia constat Priamum, cum ad supplicandum tentorium Achillis fuisset ingressus, dormientem Achillem excitavisse: ut pro filii corpore rogaret eum, cum eum potuisset occidere: licet hoc Homerus propter Achillis turpitudinem supprimat.

DONATI.

OCVLOS AVERSA TENEBAT. Quod faciunt irati, ne videant quod oderunt: Achillis autem actio non solum dolorem considerantis, sed etiam crudelitatem agentis exprimit, & avaritiam. Non enim odium ultra mortem procedere debet.

TER. Augetur crudelitas, quod non semel, & quod circa eos muros, quos defenderat. Gemuit ergo primo fortunam tanti viri, deinde, quod de eo triumphus actus est, & quod pejus erat, sub ipsis mœnibus, ut civitas defensorem suum in ea calamitate cerneret. Trahebatur ergo extinctus, ante eos muros, quos tanta fortitudine defenderat, & totiens circum ducebatur, ne quis ab ea cognitione subtraheretur: tantaque fuit immanitas, ut patri orbitatem suam venderet: Est autem pro dolore in pronunciando extollendum Hectoris nomen, & Achillis deprimendum. Quis enim mortuum vendidit nisi impius? Quis in regno positus, ideoque dives, aurum desiderat, nisi avarus? Ergo impius & avarus Achilles.

TVM VERO. Ex hoc ostendit, aliquot animi doloribus progressis, hunc majorem esse. Nam dixerat: *Constitit & lachrymans.* Item, *multa gemens.* Item, *agnoscit lachrymans.* Hic autem addit: *Ingentem gemitum dat pectore ab imo*, multiplici acerbitate percussus. Vidit enim spolia erepta viro forti, & civi optimo Amici etiam corpus.

EN PRIAMVS. In ejus nomine latissimum dedit intelligendi tractum, scilicet, qui fuerit gravioris ætatis, potestatis regiæ, & diu felix. Dolebat in eo, socerum suum, & tot perditorum patrem atque avum eo redactum, ut in summa orbitate hostem rogare cogeretur, sine regiis insignibus. Nam qui rogatum venerat, omnibus inferiorem se monstrare debebat.

VARIORVM.

OCVLOS AVERSA TENEBAT. Ne intelligas, simulacrum Palladis sese vertisse: nihil enim vult aliud *aversa*, quam aspernans, renuens, indignans preces illas matronarum. Hor. Ode 10. Epod. *Et illa non virilis ejulatio, Preces & adversum ad Iovem.* PONTANVS.

Se

Digitized by Google

Se quoque principibus permistum agnovit Achivis,
Eoasque acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno:
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.

SERVII.

SE QVOQVE PRINCIPIBVS PERMISTVM AGNOVIT ACHIVIS. Aut latenter proditionem tangit, ut supra dictum est, licet excusetur ab ipso in 2. *Iliaci cineres & flamma extrema meorum, &c.* aut virtutem ejus vult ostendere. nimiæ enim fortitudinis est, inter hostium tela versari: ut Salustius, *Catilina longe à suis inter hostilia cadavera repertus est.* Cornutus tamen dicit versu isto, *Vadimus immisti Danais*, hoc esse solvendum.

EOAS. E naturaliter longa est: fit tamen brevis interdum, quod eam vocalis sequitur: ut, *Primo surgebat Eoo.* NIGRI MEMNONIS ARMA. Quia Tithonus frater Laomedontis raptus ab Aurora filium suum Memnonem ex ipsa progenitum inlectus dono votis aureæ, Priamo ad Trojæ misit auxilium, qui congressus cum Achille, ab eo est interemptus, cujus mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur. NIGRI autem dixit, Æthiopis: unde, *prima consurgit Aurora.* ARMA. Vulcania. ut ille indicat versus, *Te potuit lachrymis Tithonia flectere conjux.*

DVCIT AMAZONIDVM. Hoc est quod supra dicit, *Videt Iliacas ex ordine pugnas.* Homerus enim hæc omnia tacuit, quæ facta sunt post Hectoris mortem. Amazonidum autem derivatio est pro principalitate: sicut, *Scipiadas duros bello*, pro Scipionibus. Sane Amazones dictæ sunt, quasi ἅμα ζῶσαι; quod simul vivant sine viris: vel quod unam mammam exustam habent, quasi ἄνευ μαζοῦ. Has autem jam non esse constat, utpote extinctas, partim ab Hercule, partim ab Achille. LVNATIS PELTIS. Scutis brevissimis in modum Lunæ jam mediæ. Lunatis autem primitivum à fœminino genere derivatur.

PENTHESILEA FVRENS. Martis & Otreres filia fuit, quam Achilles cum adversum se pugnantem peremisset, post mortem ejus adamavit, eamque honorifice sepelivit. DVCIT autem & ARDET. ad laudem picturæ pertinet. Furentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. Sed hoc per transitum tangit: nam hic furor bellicus intelligitur: aut furens, quia majora viribus audebat.

AVREA. Amphibolon est hoc loco, utrum ipsa aurea, an aurea cingula. Sciendum tamen, plerunque amphiboliam metri ratione dissolvi: ut, *aurea composuit sponda Dido*: Aurea enim si ad spondam referas, non stat versus. SVBNECTENS. Subnexa habens. EXERTÆ. Nudatæ: nudant enim quam adusserint mammam.

VIRGO. Et sexum ostendit & ætatem, plus enim dixit, quam si fœminam diceret: figuram tamen Græcam facit.

DVM STVPET. Absolute, aut dum hoc stupet. OBTVTV. Aspectu. IN VNO. In unoquoque: hoc est singula mirabatur.

FORMA PVLCHERRIMA. ut, Pulchra prole.

INCESSIT. ut, *Incedunt pueri*, sed hic supervenit. STIPANTE CATERVA. Ad hoc tantum sequens pertinet comparatio. quam multi vituperant comparationem hanc, nescientes exempla, vel parabolas, vel comparationes adsumptas, non semper usquequaque congruere, sed interdum omni parte, interdum aliqua convenire.

DONATI.

SE QVOQVE. Honorificum fuerat confertos hostes non timuisse.

HÆC DVM. Non sola hæc fuerant picta, sed adventus reginæ interrupit, ne reliqua considerare posset. Est autem una res quadripartito posita brevissime dicta. Nam ut est summi oratoris res breves late disserere, ita & latitudinem coërcere.

REGINA AD TEMPLVM. & quia regina, id est, procuratrix negotii publici, & quia ad templum accedebat meretur excusationem, quod publice mulier juvenis se viris admisceret. Religio ergo & necessitas impulit, ut templi opera inspiceret, & ad maturandum artifices cogeret.

VARIORVM.

SE QVOQVE PRINCIPIBVS PERMISTVM. Indicat, Æneam non post principia, ut miles ille Thraso, sed in media acie, inter utriusque exercitus principes versatum fuisse; vel potius, se altius in hostium cuneos immersisse longe summotum à suis. MANNIVS.

DVCIT AMAZONIDVM, &c. De origine & facinoribus Amazonum multa Diodor. lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 4. Herodotus. lib. 4. Iustinus lib. 2. Orosius lib. 1. cap. 15.

LVNATIS PELTIS. Quid inter parmam, clypeum, scutum, peltam, ancile, discriminis, disputat Aldus Manutius, de rebus per epist. quæsitis. 14. c. 6.

Qualis

Digitized by Google

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero: gradiensque deas supereminet omneis.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi, regnisque futuris.
Tum foribus divæ, media testudine templi,

S E R V I I.

EVROTÆ RIPIS. Fluvii Laconiæ. CYNTHI. Cynthus mons Deli, in quo natam Dianam constat. Sane Dianam veteres ideo melius producebant, quia sub divo Dea sit venandi gratia.

EXERCET DIANA CHOROS. Hoc non ad comparationem pertinet: sed est poëticæ descriptionis evagatio; quod chori nec personis hic, nec locis congruunt. Saltantium enim & cantantium dicuntur. MILLE. Finitus numerus pro infinito. nam de Nympharum numero varia est opinio.

OREADES. Nymphæ montium Oreades dicuntur: sylvarum, Dryades: quæ cum sylvis nascuntur, Amadryades: fontium, Napeæ, vel Najades: maris vero Nereides.

TACITVM, pro tacite: Major enim est taciturnitatis affectus: ut supra, *Hæc secum*. Sic Terentius, *Vt mecum tacita gaudeam*. Ergo *tacitum* pro tacite; ut, *Tacitumque obsedit limen amata*, aut tacita gaudet. PERTENTANT. Modo vehementer tentant. Alibi, leviter: ut, *Blanda vicissim Gaudia pertentant mentem*. Sunt enim multa quæ pro locis intelliguntur, ut impotens, & satis & minus, & nihil potens significat. INSTANT OPERI. Zeugma est ad sequentia pertinens.

REGNISQVE FVTVRIS. Regnaturæ Carthagini, urbe ergo jam ipsa * nam regnabat.

TVM FORIBVS DIVÆ. Instans præcipue foribus: & hoc loco distinguendum est. Magno enim studio & labore templorum fores fiebant, quas quibusdam insignibant historiis: ut, *In foribus letum Androgeo*. Item, *in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto*. quamvis quidam jungant. TVM FORIBVS DIVÆ MEDIA TESTVDINE TEMPLI: Vt, unum intelligas tectum templi, & fores. quod si est, sub medio tecto sunt fores. Sed prima melior expositio est. TESTVDINE. Camera incurva vel fornicata, quæ secundum eos qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro cœli imaginem reddat, quod constat esse convexum. Quidam tradunt, apud veteres omnia templa in modum testudinis facta. At vero sequenti ætate divinis simulachris positis nihilominus in templis factas esse testudines, quod Varro ait, ut separatum esset ubi religio administraretur. Bene ergo cum de templo loqueretur, addidit ei *testudinem*. Item Varro de Lingua Latina ad Ciceronem, *In ædibus locus patulus relinquebatur sub divo, qui erat relictus, & contectus erat appellabatur testudo*. Cicer. in Bruto. *Commentantem in * quidam testudinem locum in parte atrii volunt adversum venientibus*. Alii hunc ordinem volunt. Tum foribus divæ templi resedit, media scutorum testudine, quod septa armis erat. hoc genus fabricæ ab animalis similitudine, quæ testudo vocatur, captum est: de qua fabula talis est. Virgo quædam nomine Chelone, linguæ impotens fuit; verum cum Iupiter Iunonem sibi nuptiis jungeret, præcepit Mercurio, ut omnes Deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret: sed omnibus, quos Mercurius monuerat, convenientibus, sola Chelone irridens & derogans nuptiis, nectens moras, adesse contempsit. Quam cum Mercurius non venisse notavisset; denuo descendit ad terras, & ædes Chelonis supra fluvium positas præcipitavit in fluvium, ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos Latine testudinem dicimus. Fecitque ut pro pœna dorso tectum, velut damnum suum, prona portaret; unde incurvatis ædificiis hoc nomen impositum est.

D O N A T I.

LATONÆ TACITVM. Occasione comparationis expressit poëta, quam læti sint parentes successibus filiorum.

INSTANS. Vna cura testabatur religionem perficiendi templi, altera imperantis justitiam ostendebat. LÆTA. ex successu rerum.

TVM FORIBVS DIVÆ. Nisi ordinato sensu quæratur intellectus, non poterit comprehendi. Erit satis incertum, quid poëta descripserit. Nesciret quippe lector ubi sederit Dido, & ubi armis septa sit. Ordinamus ergo sic: Tum foribus divæ septa armis media testudine templi, socioque alte subnixa resedit: quomodo est judiciorum omnium consuetudo. Ducuntur judices usque ad fores secretarii, ibidemque officium remanet. Illi vero ingressi solium ascendunt, & sedent. Omnes igitur qui progredientem comitabantur reginam, inermes erant, & armati ante fores remanserunt. Illa ingressa, ubi ad mediam testudinem, id est, ad mediam aram pervenit, ascendit solum, & alte sedit.

V A R I O R V M.

QVALIS IN EVROTÆ RIPIS. Comparatione explicat formam Didonis, imitatione Homeri Odyss. 6. Quem locum Critici lancinant atque exagitant, quasi improspere hosce versus transtulerit Virgilius: ut videre est, apud Agell. lib. 9. cap. 9. Contra vero I. C. Scaliger lib. 5. cap. 3. Poët. accuratissime per omnes partes eosdem examinat, atque argumentis convincit, hos quidem à magistro, illos à discipulo esse confectos. TAVBMAN.

Septa

Digitized by Google

Septa armis, folioque alte subnixa, resedit.
Iura dabat, legesque viris; operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat:
Cum subito Æneas concursu accedere magno
Anthea, Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias advexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates:
Lætitiaque, metuque avidi conjungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant, & nube cava speculantur amicti:
Quæ fortuna viris, classem quo littore linquant;
Quid veniant. cunctis nam lecti navibus ibant

SERVII.

SEPTA ARMIS. Satellitum scilicet, vel ut quidam volunt pro armatis, ut, *Fœta armis*. SOLIO. Solium proprie est armarium uno ligno factum, in quo uno reges sedebant propter tutelam corporis sui: dictum quasi solidum. Modo jam abusive sellam regalem dicimus. ALTE. Alto fulta suggestu. Ac si diceret in tribunali. SVBNIXA. Pro subnisa: ut supra dictum est. alii pro innixam accipiunt.

IVRA DABAT, LEGESQVE. Ius generale est: nam Lex, juris est species. Non est ergo iteratio: & bene *dabat*, Primi enim Locri scriptis usi sunt legibus; nam superior ætas contenta fuit moribus * autem ad Didonis pertinet laudem, & separatim enuntiandum est, ut sit major admiratio.

SORTE TRAHEBAT. Proprie locutus est. trahuntur enim sortes, hoc est educuntur. Et bene tam regnantis, quam ædificantis urbem, implere ostendit officium.

CONCVRSV ACCEDERE MAGNO. Cum magna Afrorum multitudine. & hoc est quod formidat Æneas, incertus, qua eos mente comitentur.

DISPVLERAT. Segregaverat. Et magna est inter DI & DIS differentia, ut supra dictum est. PENITVS. Longe à regina remotos: quæ res etiam insolentes custodes litorum facit.

OBSTVPVIT. Et ad admirationem, & ad timorem hic pertinet sermo, quod dicendo præoccupat. PERCVLSVS ad utrumque pertinet.

LÆTITIAQVE METVQVE Lætitia, propter socios liberatos: metu, propter concursum. vel quod incerti erant de voluntate Didonis. AVIDI CONIVNGERE. Vt conjungerent, vel ad conjungendum avidi.

ARDEBANT. Cupiebant: ut, *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin*. ARDEO autem & accusativum regit & ablativum. RES INCOGNITA. Id est qua affectione populus conveniret.

DISSIMVLANT. Dissimulamus nota; Simulamus ignota: ut Salustius, *Simulator ac dissimulator*.

QVÆ FORTVNA. Verum prospera, an adversa. & sic ostenditur unde sit metus.

CVNCTIS NAM LECTI NAVIBVS IBANT. Bene addidit LECTI, ne penitus omnes intelligeres. Sane *cuncti*, non idem significat quod omnes. Cicero sæpe ait, *Cuncti atque omnes*, quia omnes non statim sunt cuncti, nisi iidem simul sint juncti. Nonnulli tamen lectis navibus legunt. Quod si fit, hypallage est: & illuc sensus recurrit. Et sciendum plerumque, ut hoc loco, addi aliquid generalitati, & fieri specialitatem: ut est, si dicas, Omnes scholastici laborant, generalitas est. Si addas isti, fit specialitas: ut Salustius, *Transgressos omnes recepit mons Balleia*. prudenter addidit transgressos.

DONATI.

IVRA DABAT. meritum reginæ. Non enim tot viri fœminæ paruissent, nisi quia egregiæ in ea virtutes essent. Sed specialiter ponit: *Iura dabat, legesque viris*. Quod non est exponendum, imperabat; sed constituebat jura. Præcipua ergo laus cum scriberet leges & jura: quia acquiescebant viri jussis fœminæ. Cum autem à publicis consultis ad operam veniebat, ostendebat æquitatem suam, & in consulendo prudentiam.

PARTIBVS ÆQVABAT IVSTIS, &c. Quæ æstimatione justitiæ æquari poterant, distribuebat. Quæ autem natura sua ad plenum æquari non poterant, sortis judicio dabat, ut qui gravius onus subiret fortunam suam, non reginam accusaret.

ANTEA SERGESTVMQVE. Est adimpletum, quod mater de salvis sociis dixerat.

DISSIMVLANT. Consilium prudentiæ, ut eventum rei spectarent.

QVÆ FORTVNA. Quam evaserant & quam essent accepturi.

CVNCTI. non absolute. Nam cum venissent, lecti non omnes venerant, sed cuncti, qui venerant.

VARIORVM.

IVRA DABAT, LEGESQVE VIRIS. Quod in templo jus dicit, videtur poëta ad morem Romanorum respicere; ut enim Gellius lib. 14. cap. 7. ex Varrone refert, non licuit senatusconsultum facere, nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur. CORRAD.

Orantes veniam, & templum clamore petebant.
Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Iuppiter urbem,

SERVII.

ORANTES VENIAM. Venia pro culpa petitur: sed nunc aut pacem aut beneficium propter incendium navium: aliqui tamen *veniam* pro impunitate accipiunt; nam mox addit, *Prohibe infandos a navibus ignes.* Et proprie verbum pontificale est; unde est, *Tu modo posce deos veniam.* Et paulo post: *Pacemque per aras, Exquirunt.* Dicta autem venia, ad eliciendam misericordiam. Meretur enim benevolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam tanquam peccaverit, petit. unde est confessio illa in Terentio, *Quid meritus es? crucem.*

MAXIMVS ILIONEVS. Rebus omnibus maximus. Neque enim aliquid addidit, ergo & ætate, & genere, & facundia & omni virtute maximus: & non sine caussa ipsum ubique inducit loquentem. ut enim Homerus dicit, *Phorbas pater Ilionei semper Mercurio deo eloquentiæ favente pugnavit*: ut Horatius, *Mercuri facunde nepos Atlantis.* Merito ergo huic datur eloquentia. PLACIDO SIC PECTORE COEPIT. More suo uno sermone habitum futuræ orationis expressit. Bene ergo *placidus*, ne timore consternatus videretur, quem ideo ætate maximum & patientem ostendit, ut ei authoritas, & de ætate, & de moribus crescat. Ergo *placido*, ad placandum apto; & definitio est oratoris, qui talem se debet componere, qualem curat judicem reddere.

O REGINA. Secundum artem rhetoricam, id ei dat, quod impetrare desiderat. Nam eam per laudem, benevolam reddidit. quæ benevolentia in principiis controversiarum secundum præcepta rhetorica quatuor modis conciliatur, à Iudicum persona, à nostra, ab adversariorum, à re ipsa, quod hic invenitur: à Iudicum persona, *O Regina novam cui condere Iupiter urbem*: à sua persona, *Troes te miseri*: etiam ab adversariorum, *Quod genus hoc hominum*: à re ipsa, *Hospitio prohibemur arenæ.* Post præparatam igitur benevolentiam, & ex sua persona, miseratione commota, adhibet preces, *Prohibe infandos à navibus ignes, Parce pio generi, & propius res aspice nostras.* An possint, *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.* Quo ergo ibatis? *Est locus Hesperiam Graji cognomine dicunt.* Et cur huc venistis? *Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.* Ne autem possint timeri, ait, *Pauci vestris adnavimus oris.* An gratiam referant, *Officio nec te certasse priorem Pœniteat.* Quod autem Æneam laudat, occulte etiam timorem injicit dicendo, *Nec bello major & armis.* Dicit etiam esse qui vindicent, si fiat injuria. *Sunt & Siculis regionibus urbes, Armaque Troianoque à sanguine clarus Acestes.* An recessuri sint, *Quassatam ventis liceat subducere classem.* Et subjunxit etiam si regem amisimus & Italiam non petierimus, tamen ad Siciliam necessario descenderemus. *Si datur Italiam sociis & rege recepto Tendere*, ut *Italiam læti Latiumque petamus. Sin absumpta salus & te pater optime Teucrum, Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli: At freta Sicaniæ saltem.* NOVAM VRBEM. Iuxta Pœnorum opinionem dixit, qui novam civitatem Carthaginem dicunt.

DONATI.

ORANTES VENIAM, &c. Non conveniunt. Nam orare est precibus petere. Clamare est inverecundo strepitu vocem majorem emittere. Conjiciebant igitur clamoribus, magna illos urgeri necessitate: hos effundebant antea quam Didonem orare possent. Ergo justa causa, non seditione clamabant. Nam cum nullus nunciaret Didoni, quæ intus erat, non poterat nisi clamore rem percipere Dido, sed postquam intus fuere. Sed servatum est decorum in verbis, cum facta sit copia Didonis.

O REGINA. Magna omnino arte scribit. Primo principia summa brevitate subjungit, quæ tamen plurima necessaria continent. Primo vero personam Didonis laudat: subtilem objurgationem non omittit, & in ipsa objurgatione benevolam reddit, inhumanitatem & superbiam rejicit in alios. Ipsam justam dicit, ne eam lædat à qua auxilium postulat. Veniebat igitur incognitus ad incognitam, unde ignarus omnium conjectura rimatur, quomodo aliqua laude illam sibi benevolam faciat. Suspicione autem debuit duci, cum homines impii essent, ipsam quoque quæ imperaret iisdem moribus esse, sed de illis aperte dixit: Partem vero hujus meliore ratione argumentandi correxit, tamen illam oblique tangit ex aliena, id est, suorum reprehensione confusam. Collectis igitur contrariis omnibus, componitur duobus versibus plena laudatio.

O REGINA. à difficultate laus. Difficile est enim fœminam regnare.

NOVAM CVI CONDERE. Alia magna laus, quod fœmina faciat, quod difficulter viris evenire solet. Duo ergo miracula: Primum, regnat mulier. Secundum, condit urbem. Additur tertium, ut regat homines, quibus natura parendi studium denegavit. & sic ostendit plenam Afrorum feritatem. Mali autem homines non paribus, sed contrariis superantur, humanitate scilicet regnantis & voluntate: quas in Didone fuisse colligit Ilioneus, qui vituperando incolas immanitatis, laudat eam, quam ostendit humanitate compellere ad id, ad quod alii impositis frenis impelluntur.

VARIORVM.

MAXIMVS ILIONEVS. Non est ut opinor, ille Phorbantis, de quo est apud Homer. Sed alius ab eloquentiæ commendatione à Virgilio fictus: quem ideo *Maximum* vocat, ut qualis futura oratio sit, indicium faciat: servat enim τὸ πρέπον Poëta, ut homini eloquenti comptam, ornatamque orationem tribuat. NASCIMBÆN.

O REGINA. Oratio perelegans, ac ingenti verborum, rerumque copia ac pondere referta, ut non ab re, Ilioneo tributa esse videatur.

Insti-

Iustitiaque dedit genteis frenare superbas:
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à navibus ignes;
Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt:

SERVII.

IVSTITIA. Bene consideravit sexum. Nec enim virtute dicere poterat. FRENARE. Non Carthaginensium, sed circumiacentium barbarorum; & bene *Frenare*, quia contra, Et *Numidæ infreni cingunt*.

TROES TE MISERI. Tacitis occurrit quæstionibus: ne ad populationem venisse videantur, & videtur aliud ad dignitatem, aliud ad miserationem protulisse. VENTIS MARIA OMNIA VECTI. Per maria: & est contra illud, sicut dictum est, cur ad Africam venerint.

PARCE PIO GENERI. Quotiens invidiosæ sunt præsentes personæ, rhetoricum est, ad alias confugere: ut hoc loco confugit ad genus. ET PROPIVS. Id est vicinius, ut tanquam victi accipiantur: nec tales omnes credantur, qualis Paris fuit in Spartæ expugnatione, raptuque Helenæ. nam hoc veritas rei habet: non voluntate Helenam secutam, sed raptam expugnata urbe: unde & recipi meruit à marito. Tangit autem hoc latenter Virgilius illo loco: *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter*. Ergo bene non nos, sed res nostras dixit.

POPVLARE. quia apud Veteres hæc erat maxime causa navigandi. Sane antiqui & populo & populor dicebant: unde est POPVLARE: &, *Populatque ingentem farris acervum Curculio*. Nunc tamen passiva tantum utimur declinatione. quidam *populare*, pro ad populandum vel populatum accipiunt. VERTERE. Pro avertere.

NON EA VIS ANIMO. Argumentum ab impossibili; sicut dictum est. ut, *Quid Troës potuere?* vis autem est possibilitas, hoc est nec volumus, nec possumus.

EST LOCVS. Comparatione orbis totius, Italia locus est. Nam provincia, locus non potest dici, & deest *quam*, vel quem locum, sicut ibi, *Vrbs antiqua fuit*. Aut ideo locus, ut ostendat parvo posse esse contentos. HESPERIAM. Hesperiæ sunt duæ: una quæ Hispania dicitur, altera quæ est in Italia. quæ hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis ultimam, & significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine: ut Horatius, *Qui nunc Hesperia sospes ab ultima*. Et hæc est vera Hesperia, ab Hespero dicta, stella occidentali. Cæterum Italia, HESPERIA dicitur à fratre Atlantis, qui pulsus à Germano, Italiam tenuit: eique nomen pristinæ regionis imposuit, ut Hyginus docet. GRAII COGNOMINE DICVNT. Bene Graji ut & ipsa cognoscat, sicut in Octavo, *Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus*.

DONATI.

TROES TE MISERI. Collecta ratione principiorum, quibus mores incolarum vituperat, & reginam laudat, purgat Trojanos ne violentiam juste passi esse videantur. Ergo quam cito, & quam evidenter expressit personam & fortunam. MISERI. Per hoc ostendit, miseros nihil audere posse, vel potuisse contra Didonem. VENTIS VECTI. Ergo non sponte venerant.

PROHIBE. Simili brevitate summam petitionis ponit justam, & sine præstantis detrimento, quibus vel durissimus flectatur. Posita autem sunt tria, ne incenderentur naves: voluntatem, & necessitatem abeundi; & casu venisse.

PIO GENERI. Reus erit qui pio nocebit: & major nostra est pietas, quod illam natura sanguinis ducti, non constricti lege, servamus. PROPIVS RES ASPICE. Tertia petitio generalis: ut quicquid ad commodum nostrum spectat præstes. Quam rem honestius non ponendo, per species amplexus est.

EST LOCVS. Et locorum & hominum Carthaginis plena deformatio, sed non aperta. Dicit ergo tendebamus in Italiam fertilem terram, & potentem fortibus viris, & bonis. Itaque non venissemus ad solitudines has, & ad feros homines, nisi tempestate coacti. Ergo non est studium in nobis violentiæ inferendæ. Descriptio autem naufragii movet misericordiam. Et cum omnia violentiæ, quæ objici possent, purgarit, retorquet invidiam in calumniantes, usus anticategoria. Dicit enim non nos fecimus, sed tui in innoxios violenti fuerunt.

VARIORVM.

IVSTITIAQVE DEDIT. Laudat illam à justitia & prudentia simul: gentes enim feras & superbas legibus retinere, nemo sine prudentia potest. Quoniam vero prudentia absque justitia existere potest; justitiæ potissimum mentionem facit, ut in ea utramque virtutem esse ostendat: prudentiam quidem, quia tam feras nationes sub legum severitate continet: justitiam vero, quia illarum superbiam ac feritatem puniendo reprimit atque mollit. NASCIMBÆN.

PROPIVS RES ASPICE. Id est vicinius & amicius tanquam dea nos respice ac defende. Nam Eclog. I. *præsentes deos*, intelligit propitios. Et RESPICERE, interdum opem ferre significat: ex quo Romanis culta est Fortuna respiciens. TAVBMANNVS.

Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ:
OEnotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit:
Cum subito assurgens fluctu, nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris,
Perque undas, superante salo, perque invia saxa

S E R V I I.

ANTIQVA. Nobilis: nec enim nova esse potest, licet primam terram suam esse dicant Athenienses. POTENS ARMIS. Dicendo *potens armis*, Trojanos laudavit, ut ostenderet non se bellicorum timere provinciam. VBERE GLEBÆ. Vber proprie est fœcunditas. Et bene Italiæ virtutem fœcunditatemque collaudat: ne Africam petisse videantur.

OENOTRII COLVERE VIRI. Deest QVAM. OEnotria autem dicta est, vel à vino optimo, quod in Italia nascitur: vel, ut Varro dicit, ab *OEnotro, rege Sabinorum*. Alii partem Italiæ: OEnotrium tradunt ex Arcadia in Italiam venisse cum Pelasgis, & eam sibi cognominem fecisse. FAMA. Subaudimus, est. MINORES. Majores & minores, quotiens de genere dicimus, numeri sunt tantum pluralis.

ITALIAM. Italus rex Siciliæ ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus; quam à suo nomine appellavit Italiam. Vnde est, *Fines super usque Sicanos*. Non usque ad Siciliam (nec enim poterat fieri) sed usque ad ea loca quæ tenuerunt Sicani, id est Siculi à Sicano Itali fratre. Alii *Italiam* à bubus quibus est Italia fertilis, quia Græci boves Italos, nos vitulos dicimus: Alii à rege Ligurum Italo; alii à Corcyreo; alii à Veneris filio rege Lucanorum; alii à quodam Augure, qui cum Siculis in hæc loca venerit, quamque his regionem inauguraverit * plures alare tenar in pote desatura. Minois regis Cretensium filiam Italiam dictam.

HVC CVRSVS FVIT. Vel iste cursus, vel pro illuc; Et cursus verbum nauticum est, ut alibi, *Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.*

CVM SVBITO. Si subito fluctu, nomen est; si per se subito, adverbium. ADSVRGENS FLVCT. NIMB. Orion rex, cum filios non haberet, à Iove, Neptuno & Mercurio, vel ut quidam tradunt, non à Neptuno, sed Marte, quos hospitio susceperat hortantibus, petit ut sibi filios darent: illi, intra corium immolati sibi bovis urina facta, præceperunt ut completis maternis mensibus solveretur. Quo facto inventus est puer: cui nomen ab urina impositum, ut οὐρίων diceretur. Quod Dorica lingua commutatum est: ut ου diphthongus in ω verteretur. Quod autem plerumque prima syllaba brevis invenitur & hoc loco; cum sit natura longa, Græcæ rationis est. Nam detractio fit u literæ, & o remanet brevis: quo modo ὄρεα τὰ ἐκείνων, pro οὔρεα: & πόνοιο, pro πόνου. Et hoc quia aut ω est naturaliter longa: aut u diphthongus. Cæterum si sit in proprio nomine dichronos, ut omnes Latinæ sunt: propriorum nominum abutemur licentia, ut in artibus lectum est.

Hic vero ORION postea venator factus, velut trium parentum viribus fisus, cum Dianæ vim vellet inferre, ut Horatius dicit, ejus sagittis: ut Lucanus, immisso scorpione occisus est; sed deorum miseratione inter sydera relatus, signum famosum tempestatibus fecerunt. Verisimilius autem est à scorpione interemptum: oriente enim uno, alter occidit. Hoc signum ibi est, ubi hyades circa frontem tauri. Sane ipse Orion magnitudine sua multis oritur diebus, & ideo ejus etiam apud peritos est incerta tempestas. unde dictum est, ASSVRGENS, ad excusationem non prævisæ tempestatis. Et multi superfluo quærunt, cur ortus commemoretur Orionis; cum sit à Iunone immissa tempestas. Sed Ilioneus ista non novit, quæ à poëta supra dicta sunt, per Musam, ut diximus, cognita. Et constat numina, nisi inventa occasione, nocere non posse. Quod in omni suo opere Virgilius diligenter observat. Bene autem *nimbosus*, quia & ortu suo & occasu tempestates commovet; sicut ait Horatius, *Qua tristis Orion cadit*. & quia hoc signum ibi est ubi * sicles circa frontem tauri.

IN VADA COECA. Incognita, latentia. PROCACIBVS AVSTRIS. Perseverantibus. Et procax proprie petax est. Nam procare est petere. Vnde & proci petitores dicuntur. Alii *procacibus*, impudentibus tradunt.

PERQVE VNDAS SVPERANTE SALO. Elevato mari, & in undas diviso, ut solet in tempestate. SALO venit ab eo quod est salum, sali. Nam sale tabentes, ab eo quod est, hic sal salis. PERQVE INVIA SAXA. Invia, id est aspera, immania. Vnde & paulo post Dido, *Quæ vis immanibus applicat oris?* Non enim suos vituperat: sed naturam littoris culpat. HVC PAVCI. Vult intelligi, ut quidam tradunt superesse & alios qui sunt... futuri vindices, si isti fuerint læsi; nam hoc est quod ait:

V A R I O R V M.

OENOTRII COLVERE VIRI. Quidam libri, quos castigatiores puto, non *OEnotrii coluere viri*, sed OEnotri trisyllabos legunt, ut ω in dictione Græca incolumis maneat. OEnotria autem dicta fuit ab OEnotro Lycaonis filio, qui ex Arcadia huc commigravit, eumque quintum numerant ab Ægæo & Phoroneo, qui primi in Peloponneso regnum obtinuerunt. Nonnulli hunc eundem, & Noë, & Ianum fuisse existimant, idque ex linguarum etymologiis deducunt. NANNIVS. lib. 7. cap. 7.

Dispu-

Digitized by Google

Dispulit: huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ:
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi, atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis:

SERVII.

DISPULIT. Dispersit. ADNAVIMUS ORIS. Elegit verbum aptum naufragio, ad eliciendam misericordiam: quamvis & de navibus *natat* lectum sit: ut, *Natat uncta carina. Adnavimus*, adnatavimus, per syncopen. Quotiens syllaba de medio subtrahitur; & bene *adnavimus*, quasi vix & oportune.

QUOD GENUS HOC HOMINUM? Rhetorice vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, sed ad tertiam se confert personam. QUÆVE HUNC TAM BARB. M. P. P. Bene mores accusat terræ, ut inhumanitas patris potius esse videatur.

HOSPITIO PROHIBEMUR ARENÆ. Ut alibi, *Littusque rogamus innocuum*. Littus enim jure gentium commune omnibus fuit, & occupantis solebat ejus esse possessio. Cic. in Rosciana. *Nam quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis*, unde ostenduntur crudeles, qui etiam à communibus prohibeant.

CIENT. Id est movent. Et bene *cient* & vetant, permanet in certa persona, ne eos in hoc barbaros & immites appellare videatur. Sane in principio modestius, hic jam commotius.

PRIMA TERRA. Littore. ut alibi: *Tuque ô cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti.*

MORTALIA ARMA. Mortalem possibilitatem. Sane per arma, etiam consilia significantur: ut, *Quærere conscius arma*. TEMNITIS autem, pro contemnitis, per aphæresin dictum, quæ est cum prima verbi syllaba detrahitur. Alii mortalia arma pro humanitate accipiunt. Sed terret hoc loco latenter, propter Siciliam. Nam & paulo post ait, *Sunt & Siculis regionibus urbes*. cum unam habeant, in qua Acestes regnat: sed ad terrorem, urbes dixit.

AT SPERATE DEOS. Abusive, timete: ut alibi, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*. Cum speremus bona, timeamus adversa. veteres tamen *sperare* dicebant Deorum auxilio co.... Plautus in Milite, *Deos sperabo, teque postremo tamen*. In Casina, *Diis sum fretus, Deos speravimus*. Sane oportune post blanda principia ista ponuntur. prodest enim nonnunquam subtiliter objurgare, quem roges. MEMORES FANDI ATQUE NEFANDI. Id est, justitiæ & injustitiæ. Et bene *memores*: quia etiamsi non statim puniant crimina, sunt tamen memores. ut Horatius, *Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo*: & dicendo *fandi atque nefandi*, significat, pro ut meriti fueritis.

REX ERAT ÆNEAS N. Bene medio verbo usus est *Erat*; nam si *fuit* dixisset, fiduciam habuisse videretur. QUO JUSTIOR ALTER NEC PIETATE FUIT. Multum interest inter justitiam & pietatem. Nam pietas pars justitiæ est; sicut severitas. Nunc ergo hoc dicit qua parte sit justus, id est pietate. Et bene duo laudat in Ænea: pietatem, quam à Didone impetrare contendit: & virtutem qua vult eum timeri. & certe quoniam & beneficium referre potest & vindicare.

BELLO MAIOR E. A. Non est iteratio: nam bellum & consilium habet. Hoc est scientia rei militaris. Arma autem tantum in ipso actu sunt, id est viribus dimicandi, ut aliud animi, aliud corporis sit.

DONATI.

PAUCI. Et misericordiam captat, & suspicionem violentiæ removet.

QUOD GENUS. Sub querelis & accusatione Tyriorum, suam tenet laudem: nam qui alienos mores graviter reprehendit, ab iis se alienum demonstrat. Adeo autem displicent mores, ut nomen non inveniat. Omnes enim feros immanitate vicerunt Tyrii.

QUÆVE HUNC TAM BARBARA. Cujus regionis est tam sæva barbaries, quam est tua. Nomen ergo, quo eos appellaret, non invenit. Exemplum non reperit, quod erat gravius. Potuissent enim defendi similitudine alterius gentis.

HOSPITIO HARENÆ. Quid ergo facerent, si humano more tectorum peteremus hospitium?

BELLA CIENT. Non patiuntur, sed inferunt: nec leviter prohibent, sed bellantium more utuntur armis. PRIMA TERRA. Vel, quæ prima naufragos cœperat post naufragium, & captat misericordiam. Vel, *prima*, id est, littus, quæ terra prima est è mari egressis: ut societ illud, *hospitio prohibemur harenæ*. Cum autem de Tyriis, conqueritur etiam de Didone, quæ illos regit. Deinde relicta hac subtilitate, aperte Didonem taxat, cum dicit: *Temnitis & sperate*. Et non, temnunt & sperant.

REX. In hoc virtutes animi laudat, scilicet justitiam & pietatem: & corporis scilicet fortitudinem, quæ est in exercitatione bellandi. Vult enim pro benefactis consimilem vicem promittere, quæ est à justitia & pietate: & pro injuria ultionem, quæ est à fortitudine.

VARIORUM.

PROHIBEMUR. Proverb. Terra quidem non profuit. HART.

BELLA CIENT. I. C. Scaliger lib. 4. cap. 16. docet, *Ciere* verbum grave esse; ut & *Molitis*. TAUBMANNUS.

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus: officio nec te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque à sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, & stringere remos.
Si datur Italiam, sociis & rege recepto,

SERVII.

QVEM SI FATA VIRVM S. Vnum sensum in tres partes divisit; & potuit reprehendi idem dixisse, nisi ostenderet eum libenter voto suo immorari, tale est illud, *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi si fata reservant.* SI VESCITVR AVRA. Vescor verbum inchoativum est, sine præterito tempore, & quod à se nascitur: Vescor illa re dicimus, ut alibi, *Vescitur Æneas simul & Trojana juventus Perpetui tergo bovis & lustralibus extis.* Nec nos decipiat quod dicit Plinius, ut elocutiones ex similibus formemus. Nam ecce, comedo illam rem dicimus: nec tamen vescor illam rem. Et ipse dicit, non usquequaque hoc esse servandum. Sane hic *vescitur*, pro fruitur posuit.

ÆTHEREA AVRA. Quia animam aëre, corpus cibo, potione & cæteris diligenter nutrimus.

NON METVS. Hoc loco distinguendum est: Cujus autem rei, ex sequentibus probat. Nam vult eam non timere: ne inaniter præstet. Alii non metus officio legunt, & hunc sensum dicunt; non metuo pro officio nostro, id est, non timeo, ne non sit unde satisfaciam officio, ac parem gratiam reddam.

OFFICIO NEC TE CERTASSE PRIOREM POENITEAT. Nec tibi parum videatur prima beneficia præstitisse: quum possis majora recipere. Nam POENITEAT, parum videatur est: ut Terentius in Heautontimorumeno, *At enim quantum hic operis fiat pœnitet.* Hoc est parum videtur. Sane, *Certasse*, provocasse accipiunt, ut Terentius, *Beneficiis si certasset.* Beneficium autem est, quod Græci τὸ εὐεργετεῖν appellant. Cicero de Marcello, *Nolo igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aliqua, aut pravitate lapsis, sed opinione officii falsa fortasse, certe non improba.* SVNT ET SICVLIS REGION. VRB. Id est gratiam reddere possumus, arma latenter minatur.

TROIANOQVE A SANG. C. A. Bene Trojano, ut necesse habeat, si passi fuerint injuriam vindicare, quod in principio bene tacuit. De Aceste autem fabula talis est: Cum Laomedon promissam murorum mercedem Neptuno & Apollini denegasset: Neptunus iratus, Trojæ immisit cetos, per quos vicina littoris vastabantur. Vnde Apollo consultus, cum & ipse irasceretur; contraria respondit dicens, Objiciendas puellas nobiles belluæ. Quod cum sæpe fieret, & Laomedontis Hesiona jam esset ad scopulum, orta seditione, religata; nonnulli parentes peregre mittere filias, quam domi perdere maluerunt, nam alii avehendas mercatoribus tradiderunt, timens Ippoteus vel Ipsostratus filiam Egestam, impositam navi misit quo fors tulisset. Et hæc ad Siciliam delata à Crimiso fluvio, quem Crinisum Virgilius poëtica licentia vocat, converso in ursum, ut alii in canem, compressa edidit Egestum, quem Virgilius Acestem vocat, qui ex matris nomine civitatem Trojanis condidit: quæ ante Egesta, post Segesta dicta est.

QVASSATAM VENTIS. Quamvis sit justa petitio, tamen prope invidiose ostendit, quam sit res, quam petit, exigua. SVBDVCERE. In terram ducere, hoc est subductam curare. Deducere autem, in mari ducere: ut, *Deducunt naves socii.*

APTARE. Aptas eligere, legitur & optare; sed utrumque eligere significat, vel *aptare*, adjungere, vel affigere, ut, *Stellis ardentibus aptum.* STRINGERE REMOS. Aut defrondare: ut agricolæ stringunt frondes: aut *Fractos stringere remos*, id est religare, quia supra dixerat, *Franguntur remi.*

SOCIIS, ET REGE RECEPTO. Syllepsis est per numeros: ut, *Hic illius arma, Hic currus fuit.*

DONATI.

QVEM SI FATA VIRVM. Quam pulchre variando (idem si vivit) tripliciter profert. Magna autem arte parva petit, & magnam remunerationem promittit, & audientem terret. Nam cum demonstramus posse multum prodesse, intelligitur asserere posse & multum nocere, si res exigat: hoc modo, si Æneas vivit, nihil nobis est metuendum: sin contra, habemus Acestem regem, magnum, & opulentum viris, armis, divitiis His ergo proponit spem, & ingerit metum.

QVASSATAM VENTIS. Ingerit summam petitionis, non onerosam danti scilicet, ut liceat in sylvis resarcire convulsas naves: ut possint, si vivat Æneas, in Italiam tendere: sin autem non vivat, in Siciliam.

VARIORVM.

OFFICIO NEC TE CERTASSE. Spem injicit amplissimæ remunerationis. tale illud VII. Æneid. *Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.* Et ne forte propter incertam Æneæ incolumitatem, regina consilii sui rationem mutet; subdit. *Sunt & Siculis regionibus.* quibus verbis declarat, eam (utcunque res ceciderit) magnum ex suo beneficio fructum esse laturam. NASCIMBÆN.

SVBDVCERE. *Subducere* est quod Cæsar, *ad terram detrahere* dixit. *Deducere* est *in mare mittere.* TAVBMAN.

Digitized by Google

Tendere, ut Italiam læti, Latiumque petamus.
Sin absumta salus, & te, pater optime, Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metum Teucri: secludite curas.
Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & late fines custode tueri.

SERVII.

SIN ABSUMPTA SALUS. Hoc est si periit Æneas, qui vel Trojanorum salus est. PATER OPTIME. Mira laus, cum & patrem & optimum dicit.

NEC SPES IAM RESTAT IULI. Bene de Ascanio spem dicit, propter ætatem. ut, *Ascanium surgentem*, &, *Spes surgentis Iuli.* Sane & hic tribus immoratur quæ metuit, ut supra in voto.

AT FRETA SICANIÆ. Bene recessuros se dicunt. FRETA autem quia freto à Sicilia dividitur Italia. Sane quidam à Fervore dici putant, & Sicanos quidam αὐτόχθονας tradunt, quia ex Hiberia profugos de nomine fluminis Sicoris, quem reliquerant Sicani, nominasse. SEDESQUE PARATAS. Propter Acestis cognationem.

REGEM. Aut qui nunc rex est: aut qui etiam noster futurus est.

TALIBUS ILIONEUS. Aut subaudis loquebatur: aut ex posterioribus *fremebat* intelligis. ORE FREMEBANT. Hoc est consentiebant, aut probantes Ilionei dicta, aut rogantes Didonem. & bene ORE. quia & armis possumus fremere.

TUM BREVITER DIDO. Atqui non breviter loquitur: sed breve & longum, parvum & magnum, perfectum nihil habent: sed per comparationem intelliguntur: ut supra de provincia. Est locus, orbis (ut diximus) comparatione. Item hoc loco BREVITER, id est minus quam Ilioneus. Et notandum regum esse breviloquium, accedit etiam fœminarum verecundia, unde utrumque dedit Didoni. VULTUM DEMISSA. Nota figura est, ut, *Oculos suffusa nitentes.* dicendo autem *Vultum demissa*, aliud genus officii adjecit.

SOLVITE CORDE METUM TEUCRI. Sicut supra Iovis oratio, partim objecta purgat: partim petita promittit. nam in Æoli oratione statim promittit. Sciendum sane, quia cum petuntur vel promittuntur aliqua, à validissimis inchoandum est: ut hoc loco. Præcipue qui pollicetur statim debet promittere, deinde si qua vult subjungere, ne exspectatione suspensus detineatur auditor. Et est genus argumenti à necessario. SECLUDITE CURAS. Iteratio est ad augmentum benevolentiæ. hoc est ad confirmandum supplicium animum. SECLUDITE. Pro excludite: quod fit, aut propter hiatum, aut propter suavitatem: ut, *Ah silice in nuda connixa reliquit.* pro, enixa.

RES DURA. Ac si diceret, hoc est, quiddam metuo: formidabat vicinos barbaros, & fratris adventum. quæ propter novitatem personarum, adventum generaliter dicens reliquum, oportebat ex aliqua parte enuntiari domus calamitatem, vel ideo res dura, quod fœmina est. ET REGNI NOVITAS. Quæ semper habet timorem.

MOLIRI. Bene non facere, sed moliri: ut terroris sit, non crudelitatis.

DONATI.

SI TE PATER. Ex apostrophe captat commiserationem Didonis.

BREVITER. Potest intelligi propter personam locuturæ mulieris, & sermonem facturæ ad viros incognitos. VULTUM DEMISSA. Non solum propter verecundiam muliebrem, verumetiam propter objecta: & eo magis erubescebat, quod nec barbara fuit. Artificiose autem non negat quæ manifesta sunt, sed purgat.

SOLVITE. Paucis securos reddit, ut cætera libentius audiant.

REGNI NOVITAS. Errant qui rem duram, & novitatem regni unum putant. Nam rem duram, interitum mariti, & metum fratris intelligit, ne regnum adhuc infirmum invaderet: sed nec expressit, ne narrando, quod Teucros latebat, vulnus antiquum refricaret, & scelus domus suæ detegeret: Consuluit etiam poëta negocio suo, ne quod per Venerem narraverat, iterum poneret.

COGUNT. Exprimit quæ fecisset, esse à sua natura aliena, ut custodia littorum non ad inferendam injuriam, quod conqueritur Ilioneus, sed ad propulsandam posita videatur.

VARIORUM.

CUNCTI SIMUL ORE FREMEBANT. Alludit ad morem cum Græcorum, tum etiam Romanorum: apud quos res publice approbari solebant strepitu, plausuque populari. *Fremebant* ergo, id est murmurantes approbabant. NASCIMBÆN.

Quis

Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem?
Virtutesque, virosque, & tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?

SERVII.

QVIS GENVS ÆNEADVM. Satis propere dixit Æneadas: quanquam ab Ilioneo audierit, Rex erat Æneas nobis. Nec hæc in opere inemendato, miranda sunt. Quamvis alii prolepsim velint esse. QVIS TROJÆ NESCIAT VRBEM? Aut Ilium dicit, quod in Troja: aut Trojæ urbem; ut urbem Paravi, urbem Buthroti.

INCENDIA BELLI. Aut vocat ardorem simpliciter belli, quia semper diluvio & incendio comparatur bellum: ut, *In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit: aut rapidus montano flumine Torrens.* & alibi, *Sævis effusa Mycenis Tempestas ierit.* Aut potest subtilius dictum accipi, quod Ilium conflagravit incendio.

NON OBTVSA ADEO. Multum, vel valde, ut in Terentio, *Adolescentem adeo nobilem.* Et, *Si adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.* Aut enim adeo ut tu dicis, ut Trojanorum famam ignoremus. OBTVSA vero non stulta, id est crudelia, ut meritò Sol equos suos ab ista urbe divertat.

NEC TAM AVERSVS EQVOS TYRIA SOL JVNGIT AB VRBE. Hoc est non in alio orbe habitamus. Sed fabula hoc habet. Atreum & Thyestem germanos, cum in dissensione sibi nocere non possent: in simulatam gratiam rediisse: qua occasione, Thyestes cum fratris uxore concubuit; ob quam caussam Atreus fratris filium adposuit epulandum: quæ Sol ne videndo pollueretur, radios suos ab ea civitate detorsit. Sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenas primum Solis eclypsim invenisse, cui invidens frater, ab urbe discessit tempore quo ejus probata sunt dicta.

SEV VOS HESPERIAM MAGNAM. μεγάλην enim Ἑλλάδα appellata est Italia, quia à Tarento usque ad Cumas omnes civitates Græci condiderunt.

SIVE ERYCIS FINES. Eryx Veneris & Butæ filius, ut quidam Neptuni, fuit: qui præpotens viribus, advenas cestibus provocabat, victosque perimebat; hic ab Hercule occisus est, monti ex sepultura sua nomen imposuit. In quo matri fecerat templum: quod Æneæ ascribit poëta dicens, *Tum vicina astris Erycino in vertice, sedes Fundatur Veneri.* In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus: licet secundum Catonem ad Italiam venerit. Ergo Erycis fines, id est Siciliam.

AVXILIO TVTOS D. Non sine ordine Poëta inducit Didonem, & credentem ignotis, & tam facile tanta promittentem; si enim bene advertatur de illo loco pendet, *Inprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam.* VVLTIS ET HIS MECVM P. Deest, vel si.

DONATI.

QVID GENVS. Ostendit benevolentiam, ut credatur vera dixisse. Ut turbatos, congruæ honorificentiæ ratione componeret: Novimus inquit virtutes vestras, & adversam Trojæ fortunam: quæ cum dicit, humanitatis spem præbet. Facile enim his succurritur, quorum adversa nota sunt.

NON OBTVSA ADEO. Non sunt corda nostra ab humanitate aliena, nec sic vivimus, ut Solis æquitas à nobis avertat cursus suos, propter facinus quod videat.

SEV VOS HESPERIAM. Prosequitur summam beneficiorum suorum: propositis respondet, ut quocunque ire voluerint, auxilio prosequatur.

VVLTIS. Ecce plena benevolentia, ut in societatem regni eos vocet, qui omnia desperarint.

VARIORVM.

VIRTVTESQVE VIRÓSQVE. ἓν διὰ δυοῖν. pro virtutes virorum.

NON OBTVSA ADEO. Alluditur ad proverb. *Non usque adeo cornea fibra.* HART.

NON OBTVSA ADEO GESTAMVS PECTORA. Non ita crassa nobis sunt ingenia: nec adeo obtusi & hebetes ignarique sumus. Obtusiores enim putantur esse, qui longius ab aura Solis & tepore incolunt: ut populi septentrionales. Quod annotarunt Corradus & Turneb. lib. 18. cap. 32. Quibus assentiuntur hodie docti fere omnes. Philosophi certe gentium mores & studia ubique temperie plagarum & Sole metiuntur. Ita & Lucanus:

> *Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem*
> *Labitur, emollit gentes clementia cæli.*

Quamvis hæc Philosophorum sententia vellicari possit. TAVBMAN.

SEV VOS HESPERIAM MAGNAM. Dido, summam hic beneficiorum suorum proponit, & cum Trojanis officiorum pollicitatione ac beneficentia certat. *Hesperiam* vero *magnam* dixit, ad differentiam Hispaniæ, quæ itidem Hesperia nominatur, neque ratione quantitatis, nam major est Hispania duabus Italiis, sed causa dignitatis, maxime propter urbem Romam. NASCIMBÆN.

MECVM PARITER CONSIDERE. Omnes ad habitandum sedes capere. Profugi enim in quas terras migrant, *considere* dicuntur. TAVBMAN.

Vrbem

Digitized by Google

Vrbem quam statuo, vestra est: subducite naveis.
Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
Afforet Æneas. equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus sylvis, aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. prior Æneam compellat Achates.
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos.

SERVII.

VRBEM QVAM STATVO VESTRA EST. Multi Antiptosin volunt, accusativum pro nominativo, ut sit urbs quam statuo, quæ si sic intelligamus, QVAM nihilominus sequitur: & sylepsis fit, per casus mutationem. Debuit enim dicere, urbs quæ statuitur vestra est. Melius ergo est VVLTIS bis intelligere, ut sit, vultis regnis considere? vultis Vrbem quam statuo? vestra est. ut est, *Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas, Ipsumque Æaciden*: subaudis *ille*. Alter enim Pyrrhum vicit: alter Mycenas. Quamvis hoc Schema de antiquioribus sumptum possimus accipere; ait enim Cato in legem Voconiam, *Agrum quem vir habet tollitur.* Et Terent. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit.* AGETVR. Regetur.

ATQVE VTINAM. Dicendo utinam & humanitatem suam ostendit, & Æneæ se cupidam. NOTO COMPVLSVS EODEM. Aut quovis vento: aut revera Noto, qui de Syrtibus Carthaginem ducit. Supra enim Ilioneus; *In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris.* EODEM. o naturaliter longa est: sed si corripiatur, metri est, ut, *Steteruntque comæ.*

AFFORET. Adveniat, temporis est futuri. EQVIDEM. In Virgilio, ego quidem ubique significat, sed in aliis & pro *quidem* tantum ponitur: ut Tullius, *Ego quidem cæteras tempestates.* Item Persius. *Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Consentire dies.* CERTOS. Veloces: qui cito inveniant, aut fideles. Vtrunque enim hoc loco significat. Contrario, incertos pro tardis: Salustius, *Et onere turrium incertis navibus.* Aliquando & firmos: ut, Idem, *Apud latera certos locaverat.* ut Virgilius, *Tam certa tulistis Pectora.* Et aliquando deliberati judicii, ut, *Certum iter.* LIBYÆ LVSTRARE. χωρογραφικῶς. Nam Dido Libyæ regna non retinet, sed ut ostendat voluntatem, ait, libenter se misisse, qui Æneam quærerent. EIECTVS. Naufragus: ut, *Ejectum littore egentem.*

ANIMVM ARRECTI. Nota figura est. IAMDVDVM. Et cito, vel quamprimum significat, ut, *Iamdudum sumite pœnas.* & *olim*: ut hoc loco.

SVRGIT. Oritur. Est translatio corporis ad animum: ut alibi: *Stat conferre manum Æneæ.*

OMNIA CLASSEM SOCIOSQVE RECEPTOS. Sylepsis per numeros. RECEPTOS. De maris periculo liberatos; ut, *Frugesque receptas.* vel à Didone, nam & ab ea timuerant, ut supra ait, *Lætitiaque metuque.*

DONATI.

VESTRA EST. Auget studium benevolentiæ, offerens plenam facultatem possidendæ urbis. Lege autem ne sit error: Quam statuo urbem vestra est.

TROS TYRIVSQVE. Mirè temperavit, dicens, Trojanos cum incolis uno futuros affectu, ut honorifica juxta hospites, non illos postponeret. Neve rursus dejiciens suos, qui ex Tyro illam secuti erant, inter populos inimicitias excitaret.

ATQVE VTINAM. Quia viderat Trojanos anxios de rege, optat adventum, & offert inquisitionis auxilium, & ut satiaret oblati beneficii gratiam, addit: *Libyæ lustrare extrema jubebo.* Et in hoc loco ostendit Virgil. non solum Carthaginem, sed multas alias civitates esse sub Didone.

HIS ANIMVM. Cum jam omnia tuta esse explorassent, statuunt se offerre, ne illa inquirendi negotium assumat.

NATE DEA. Quia inferior, non proprio nomine appellat, sed honorifico. Et quamvis prior loquatur, nihil jubet aut consulit. Sic enim Æneæ prudentia inferior fuisset, & ille arrogans, sed interrogat tanquam prudentiorem.

OMNIA TVTA VIDES. Ne prolixitate moram afferret, quam breviter omnia transit.

VARIORVM.

VRBEM QVAM STATVO, VESTRA EST. Sic interdum loqui solent boni scriptores, & maxime Poëtæ & Epici, & Comici, ut antecedens priore loco positum, ejusdem casus sit ad relativum. Plena ergo & perfecta charitas (de humana loquor) hæc est, ut quod cujusque proprium est, commune fiat, juxta illud Euripidis, τὰ τῶν φιλῶν κοινά. Hic autem Poëta reginam vaticinantem facit, Carthaginem Romanis cessuram, qui à Trojanis originem duxerunt. NASCIMBÆN.

TROS, TYRIVSQVE. Proverbialis versiculus, insignisque. HARTVNG.

Vnus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit:
Os, humerosque Deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

SERVII.

VNVS ABEST. Orontem significat. QVEM VIDIMVS IPSI SVBMERSVM. Quod ante doloris fuerat: ut, *ipsius ante oculos*: nunc consolationis est, cum cernit omnes incolumes.

DICTIS RESPONDENT CÆTERA MATRIS. Modo congruunt: quia dixerat supra, *Namque tibi reduces socios*. Alibi *respondet*, respicit: ut, *Respondet Gnosia tellus*.

SCINDIT SE NVBES. Nubes tantum dicimus, non nubs: licet dicamus trabs trabes: stirps & stirpes, prex & preces, plebs plebes. Sed de his tantum quæ legibus sunt ponenda. Non enim sunt artis ista, sed usurpationis: qua metri causa utuntur poëtæ, ut vel minuant, vel augeant nominativum. Inde
" est & supellex supellectilis. ET IN ÆTHERA
" PVRGAT. A. Quia aër collectus nubes fecit. ut,
" *Atque in nubem cogitur aer*, quæ puriore vento dis-
" solvitur in aërem.

RESTITIT ÆNEAS. Abscedente scilicet nube. CLARAQVE IN LVCE REFVLSIT. Laus est nimiæ pulchritudinis, cui nec lucis claritas derogavit.

OS, HVMEROSQVE DEO SIMILIS. Similes humeros habens deo. Et est Græca figura: ut diximus supra. IPSA. Aut quod sequitur, *Nato genitrix*. aut certe ipsa, id est pulchritudinis dea.

DECORAM CÆSARIEM. A cædendo dicta cæsaries. Ergo tantum virorum est. Quod autem dicit decoram, vult etiam in Ænea naturalem fuisse pulchritudinem: ne si totum tribuat Veneri, nihil Æneæ sit reliquum. vel contra, nihil relinquatur matris favori: quod sequens melius indicat comparatio. ut Horatius, *Fortes creantur fortibus*. Magna arte nec eruditioni aliquid, nec natalibus derogat. IVVENTÆ. Iuventus est multitudo juvenum. Iuventas dea ipsa: sicut Libertas. Iuventa vero, ætas. sed hæc à poëtis confunduntur plerunque.

PVRPVREVM. Pulchrum, ut Horatius, *Purpureis ales oloribus*. LÆTOS HONORES. Non terribiles, ut esse in viris fortibus solent.

" MANVS. Vel artificis: vel ars ipsa. ADDVNT.
" Bene addunt, quia & ipsa materies habet naturalem pulchritudinem. EBORI DECVS. Ebur, à barro dictum, id est elephanto. ut Horatius, *Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?* Sane naturam hujus nominis, nec derivatio, nec obliqui casus reservant. Et eboris enim & eburneus facit, non eburis: sicut murmuris.

PARIVSVE LAPIS. Lapis Lydius nomine, qui apud Parum nascitur & candidissimus est, ut in seq. x. *Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum.*

DONATI.

SCINDIT SE NVBES. Non ipsi ex nube progressi sunt, sed nubes discessit: ut ostendatur rerum natura commodis Æneæ inservire. Ergo tam diu fuit tectus quamdiu opus fuit, deinde discessit nubes.

CLARAQVE. Dicit Æneam splendore suo, lucem diei fecisse meliorem.

CONSTITIT. Ut dictum est, sed pulchrior quam fuit. Nam hoc curavit mater propter Iunonia auspicia. Comparat auro & argento, quæ cum per se splendeant, arte tamen meliora fiunt. Comparat deo, quia nepos Iovis est, & Veneris filius, & Cæsaris perinde affinis, quem omni occasione poëta laudat. Virorum autem forma & splendor corporis junguntur fortitudini. Pulchritudo enim sola plurimorum obfuit famæ.

NAMQVE IPSA DECORAM. Ad pulchritudinem pertinet. HVMEROS. Ad fortitudinem.

VARIORVM.

SCINDIT SE NVBES. Id est nebula. Videtur enim Poëta ὁμίχλην potius, quam νέφος describere: si rata est differentia inter *Nubem & nebulam*, quam Arist. 1. Meteor. facit.

ET IN ÆTHERA PVRGAT APERTVM. *Apertum* Nonius interpretatur, purum, serenumque. I. C. Scaliger lib. 5. cap 3. appellat hoc additamentum divinum: ubi totum hunc locum cum altero Odyss. 7. & 23. componit, atque adeo præponit: ut & illum præcedentem, ubi Venus Æneam à Punica perfidia tegit: *At Venus obscuro gradientes, &c.* TAVBMANNVS.

NAMQVE IPSA DECORAM CÆSARIEM. Locum hunc totum de pulchritudine Æneæ Poëta sumpsit quidem ex Hom. Odyss. 3. At noster fortasse melius: qui ne effœminata quædam in Ænea pulchritudo extitisse videretur, *Cæsariem decoram* dixit, quod militare verbum est, non οὔλας κόμας, hoc est crispos capillos, quod pusilli atque effœminati animi signum est. NASCIMBÆN.

Tum

Digitized by Google

Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus, ait: Coram, quem quæritis, adsum
Trojus Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Vrbe, domo socias: Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido, nec quicquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.

SERVII.

TVM SIC. Quid est sic? Et sui gratia præpotens, & matris auxilio.

IMPROVISVS. Bene, quia majora nobis & pulchriora solent videri non paulatim aliqua, sed subito stupenda conspicere. CORAM QVEM QVÆRITIS ADSVM. Hoc loco distinguendum. Nam si unum esset, Adest diceret, non adsum. Nonnulli ad personam, ut coram viro: Palam ad omnes referri volunt; ut, palam omnibus. Varro, *Coram, de præsentibus nobis, palam de absentibus dicit*. Sane coram, quidam adverbium putant, quia non subsequitur casus: quidam præpositionem loquentis, non casibus servientem.

EREPTVS. Liberatus, & utitur Poëta familiarius hoc verbo. *Eripe me his invicte malis*. Et, *Eripui fateor letho me*.

O SOLA. Propter Polymnestoris factum: qui fide violata, defecit ad Græcos. EREPTVS. Liberatus. MISERATA. Et miseror & misereor unum significant: sed miseror accusativum regit, ut hoc loco. Item; *Nec miseratus amantem est*. Misereor genitivum. Vnde est, *Miserere animi non digna ferentis*. & facit participium miseritus.

QVÆ NOS RELLIQVIAS DANAVM. Pro Danaorum. Si Trojanos significat, simpliciter intelligit: si ad se refert: quod Achillem evasit favore Neptuni. TERRÆQVE MARISQVE. *Terræ*; propter Cretensem pestilentiam. *Maris*; propter Orontis interitum.

OMNIBVS EXHAVSTOS. Sic Veteres dicebant clade hausi, id est pertuli. OMNIVM EGENOS. Eget, honestius genitivo jungitur, quam ablativo; cui jungit Cicero, ut, *Eget ille senatu*. Item contra Virgilius, *Quorum indiget usus*. Quidam autem egenos pro egentes dictum tradunt, nomen pro participio.

VRBE, DOMO SOCIAS. Hoc est publico & privato dignatis hospitio.

NON OPIS EST NOSTRÆ DIDO. Opis, id est possibilitatis. Et secundum Attejum Philologum, *Opes numero tantum plurali, divitias significant*. ut, *Trojanas ut opes*. Numero vero tantum singulari, auxilium. Terentius, *Iuno Lucina fer opem: serva me obsecro*. Ab utroque possibilitatem.

NEC QVICQVID VBIQVE EST. Meminit historiæ. multi enim post excidium Trojæ, orbis diversa tenuerunt: ut Helenus Epirum: Antenor Venetiam: alii Sardiniam secundum Salustium: alii vicina Syrtibus loca, secundum Lucanum: *Portusque quietos, Ostendit Libyæ Phrygio placuisse magistro*.

DONATI.

TVNC SIC. Debuit loqui prior, ut & se indicaret, & ageret gratias, & ut ostenderet se affuisse.

CORAM. Vno versu omnibus respondet, ut properaret ad gratias agendas.

O SOLA INFANDOS. Summa arte loquitur, & habet rationem loci, temporis, & personæ. Loquebatur Carthagine, urbe inimica, propter Iunonem, & in templo ipsius, apud eam quæ summam teneret imperii: & eo tempore quo post naufragium terras cupiebat. Ergo nihil de Iunonis factione conquestus est, gratias agit, nullum culpans. SOLA. Laudat factum, quod sit sine exemplo, & occulte miratur inventam ibi requiem, unde periculum fuisset timendum: causas adventus, quia Ilioneus dixerat, præterit.

QVÆ NOS RELIQVIAS DANAVM. Reliquias terræ, reliquias maris. Danaum, quia infiniti perierant & urbs ceciderat. TERRÆ. Propter pestem Cretensem, qua multi perierant. MARIS. Quia naufragio Orontes perierat.

VRBE DOMO. Currit per amplificationem extollens præstitum in majus, ut non solum in hospitium suscepti sint, sed etiam in societatis fœdera vocati.

CASIBVS EXHAVSTOS. Ostendit inopiam non esse originalem, quasi abjectæ personæ, sed fortunæ violentia provenisse. Docet quæ sint curanda in laudibus. Nam imparem se in reciprocis beneficiis, ut debuit, demonstrat. Invenit tamen in hoc occasionem à laudis officio non alienam. Qua multitudinem quoque Trojanorum laudaret, qui per orbem sparsi, exigui in numero Carthagine erant.

VARIORVM.

CORAM QVEM QVÆRITIS. Homer. Odyss. ζ. [illegible] HARTVNG.

O SOLA INFANDOS TROIÆ, &c. Oratio generis Demonstrativi. Cujus artificium disce ex Rud. Agricola. Sed cur *sola*? Cum [illegible] Venus passim, Apollo 6. Æneid. Helenus 3. item Acestes atque alii miserati sint. Respondetur: Illi fuerunt aut dii, aut propinqui. Dido autem *sola*, inter mortales & alienos. TAVBM.

Dii tibi (si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitia est, & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant. quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sydera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
Quæ me cunque vocant terræ. Sic fatus, amicum

SERVII.

SI QUA PIOS RESPECTANT NUMINA. Si quidem: Ut Horatius, *Si tamen impia non tangenda rates transiliunt vada.* Nec enim congruit optare dubitantem. Aut certe ad se retulit: qui cum pius esset, tot laborabat incommodis. aut certe *qua*, aut *quid* addidit; erat enim integrum, Si pios numina respiciunt, & justitia usquam est.

SI QUID USQUAM JUSTITIÆ EST. Si valet apud homines justitia. ET MENS SIBI CONSCIA RECTI. Secundum Stoicos, qui dicunt ipsam virtutem esse pro præmio: etiam si nulla sint præmia.

FERANT. Adferant vel tribuant. QUÆ TE TAM LÆTA TULERUNT SECULA? Alibi, *Nati melioribus annis.* Fœlicitas enim temporum, ex nascentium meritis comprobatur. ut è contrario Terent. *Hoccine seculum, ò scelera, ò genera sacrilega!* Et digna laus regibus, ut bono tempore nati esse dicantur.

QUI TANTI TALEM GENUERE PARENTES? Secundum artem rhetoricam, parentes quos ignorat, laudat ex liberis. Simul sciendum omnia hoc loco laudis præcepta servata. Nam & à parentibus laudat: ut, *Qui tanti talem genuere parentes.* Et ab ipsa: ut, *Urbe domo socias.* Et à futuro: ut, *Nomenque tuum, laudesque manebunt.* *Talem* autem, tam justam, tam piam.

IN FRETA. Abusive modo maria. Nam proprie fretum, mare naturaliter mobile: ab undarum fervore dictum. DUM MONTIBUS UMBRÆ LUSTRABUNT CONVEXA. Alii hoc loco distinguunt: & dicunt, quandiu inclinata in montibus latera umbræ pro Solis flexu circumibunt; ut, *Lustrat Aventini montem.* Aut *lustrabunt*, inumbrabunt. Unde lustra & ferarum cubilia, & lupanaria per contrarium dicimus: quia parum illustrantur.

Alii autem *convexa sydera* volunt, id est pendentia: ut, *Et cæli convexa per auras*, id est suspensa. Planetasque intelligunt: quia non sunt fixi, sed in aëre feruntur. Alii *sydera convexa* nobis imminentia, vel quæ per convexum polum pascuntur; vel quæ per convexum disposita exhalatione terræ ali credantur. Quamvis Physici, pasci aquis marinis sydera, id est ignea cælestes dicant, secundum quos Lucanus ait, *Atque unde plusquam quod disgregat aër.* Quidam radios Solis pasci afferunt humore terreno. POLUS autem cælum dixit.

HONOS. Honor & honos quæritur quia nominativus pluralis, *res*, terminatus, singularem in *or* mittit, ut amores amor, honores honor, exceptis monosyllabis, ut flos, mos, ros.

QUÆ ME CUNQUE VOCANT TERRÆ. Id est ubicunque terrarum habitavero. Est autem Tmesis, Quæcunque.

DONATI.

DII TIBI Quoniam beneficiis tuis singularibus, & in æternum præferendis, humana vox respondere non potest, Dii pro nobis quæ mereris exolvant.

QUÆ TE TAM LÆTA, &c. Quasi dicat, cur tu sola talis, & non alii similes his sæculis nati sunt? ut supra: *O sola infandos.* & occulte innuit sæculorum esse, ut aut boni, aut mali nascantur. Quærit igitur sæcula, quibus Dido talis potuit nasci, quia per totum orbem jactati Trojani, solam benevolam & liberalem illam invenerunt.

QUI TANTI. Quia nascendi ratio per parentes provenit. Horum est felicitas, si præcipuos suscipiant liberos. Quærunt sæcula, quærunt parentes, Dido sola in toto orbe justissima memoratur: ut quod summum est, etiam totum suum sit, nec habeat parem.

DII TIBI. Ne omnem reciprocam vicem referendæ gratiæ omittat, deos rogat, ut quod ipse non potest, illi præstent. quod autem ipse potest, non tacebit.

IN FRETA. Ostendit omnium rerum finem futurum, cum illius honos non stabit. Simile illud: *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.*

QUÆ ME. Subtiliter se, nec cessaturum dixit, nec est pollicitus habiturum, ne Didonem læderet urbis societatem offerendo. Ingenium enim mulierum semper variat: ut, cum velis nolint: cum nolis velint: ergo temperavit utrunque. AMICUM. Quod probavit amici absentis causam defendendo.

VARIORUM.

DUM MONTIBUS UMBRÆ LUSTRABUNT. Omnino eruditioribus placet, ut post dictionem, *convexa*, distinguatur, sicque sensus: dum umbræ lustrabunt ea, quę sunt convexa in montibus, montium sc. ambitus: nam tuberositas illa convexa in montibus umbram efficit. NASCIMBÆN.

POLUS DUM SIDERA PASCET. Censent Stoici, sidera, cum igneæ sint & ferventis naturæ, pasci humore. Quare aliqui PALUS legunt, non polus. Sed nihil censeo esse causæ, cur hic novitatis studiosi simus. Nam cum cælum verset astra tanquam palantia & errantia, & tanquam alimentum sequentia dum volvuntur; fit perinde, ut tanquam pastor ea pascere videatur. Cælius lib. 2. cap. 23. & Cic. Tuscul. 1. TURNEB. lib. 5. cap. 5.

Illo-

Ilionea petit dextra, lævaque Serestum:
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto, & sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? Quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ,
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem,

SERVII.

ILIONEA. Penultimam natura brevem, licentia, qua in nominibus propriis, omnis syllabæ postremæ communes, produxit.

OBSTUPUIT. Animo perculsa est: quod jam futuri amoris est signum. PRIMO ASPECTU. Id est pulchritudine. SIDONIA, pro Tiria, à vicinitate.

CASU DEINDE. Id est miseratione. ET SIC ORE LOCUTA EST. Pleonasmos. Ut, *Vocemque his auribus hausi.*

QUIS TE NATE DEA. Quis, qualis. Admirantis enim est, non interrogantis. ut, *Quis globus ô cives!* Non enim interrogat ille qui nuntiat: Hoc autem Dido, ut post indicat, ex Teucri narratione cognovit.

QUÆ VIS. Qualis. IMMANIBUS ORIS. Ut Salustius, *Mare sævum, id est importuosum.* Non ergo de suo regno ait, sed illas oras significat, quas Ilioneus ait, *per invia saxa dispulit.* APPLICAT. Secundum præsentem usum, per *d* prima syllaba: secundum antiquam autem orthographiam, quæ præpositionum literam consonam, in vicinam mutabat, per *p*: secundum vero Euphoniam, per *a* tantum. Præpositio enim cum ad compositionem transierit, aut vim suam retinet, ut *Indico*: aut mutat ultimam literam, ut *Sufficio*: aut perdit, ut *Coemo.*

TUNE ILLE ÆNEAS. Et hoc admirativum, non interrogativum. Ille autem honoris est; ut, *sic Iupiter ille monebat*: vel tunc ille videtur beneficium Veneris admirari in eo quem adamatura est. DARDANIO ANCHISÆ. Bene Anchisæ autem, cum multis enim Venus concubuit. Sed sciendum Anchisem, ut fabula loquitur, pastorem fuisse, & cum eo amato Venerem concubuisse. Unde Æneas circa Simoin fluvium natus est. Deæ enim vel Nymphæ enituntur circa fluvios, vel nemora: quod cum jactaret Anchises, afflatus est fulmine, oculoque privatus est.

TEUCRUM SIDONA VENIRE. Quidam memini venire, pro memini venisse accipiunt. Historia tamen hoc habet, Herculem cum Colchos iret, perdito Hyla, qui aquatum profectus, ut fabula loquitur, à Nymphis adamatus, raptus est; ut veritas habet, lapsus in fontem altissimum necatus, & post peragratam Mysiam, navibus Trojam venit. A cujus portu, cum eum Laomedon arceret, occisus est; & ejus filia Hesiona belli jure sublata, comiti Telamoni tradita est: qui primus ascenderat murum, unde Teucer natus est. Nam Ajacem, ex alia constat esse procreatum. Tunc Hercules, Priamum quoque redemptum à vicinis hostibus, in paterno regno locavit. Unde & Priamus dictus est, ἀπὸ τοῦ πρίαμαι, emo.

Cæterum quæ de liberata dicunt Hesiona, constat esse fabulosa. Sed Teucer, cum Troja eversa sine fratre esset reversus, qui se furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum, vel quia ossa fratris non retulisset, ut nonnulli, quod Theomissam concubinam, vel ejus fratris filium Turisacen à pœna * ad avum Telamona de Troja secum non reduxerit, quia ille alia navi vectus, felicius navigaverat, Salamina pulsus à patre, Sidonam venit: ex quo Dido cuncta cognovit.

DONATI.

OBSTUPUIT. Visa ejus forma, & cum casum ejus vehementer miraretur, quomodo liberari potuerit, & ad ipsam, nulli visus, pervenire.

QUIS TE NATE DEA? Ex his verbis ostendit aliquam sui generis notitiam habere, & quamvis hoc apud Æneam possit esse mirabile; ait indigne illum pati, ut dea genitus, tempestate ad regiones sævas delatus sit. PER TANTA PERICULA. Miratur pericula in eo, quem potentia numinis tueri debuit.

ATQUE EQUIDEM. Exponit quomodo hæc scierit.

VARIORUM.

DARDANIO ANCHISÆ. Homerus Iliad. β. τὸν ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη Ἴδης ἐν κνημοῖσι θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα. HART.

GENUIT SIMOENTIS AD UNDAM. Ripas multas fluviorum ortus heroici non pauci insignes fecerunt; sicut & Homeri natales Meletis ripam, unde Melesigenes poëta dictus fuit, quemadmodum Heroum multorum incerta origo ad auctores fluvios passim à poëtis & historiographis relata est. Gignere autem proprie patris, ut parere matris. ut tamen γεννᾶν & τίκτειν Græcis confunduntur; ita & Latinis, cum utrique parentes τοκῆες & γονῆες dicantur promiscue. GERMAN.

Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agite ô tectis juvenes succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.
NON *ignara mali, miseris succurrere disco.*
Sic memorat: simul Æneam in regia ducit
Tecta: simul divûm templis indicit honorem.

SERVII.

GENITOR TUM BELUS. Quidam alium patrem Melissæ dicunt. OPIMAM. Pro opulentam nonnulli accipiunt. VASTABAT CYPRUM. Quam subactam, concessit Teucro: ex responso Apollinis illuc perrexerat, ut in ea conlocaret imperium, qui eam civitatem Salaminam ex nomine patriæ ibi condidit; licet alii dicant ab ipso Teucro Cypri superatos incolas, & sic conditam civitatem; unde *Auxilio Beli* accipi potest, etiam Teucro auxilium à Belo ad occupationem Insulæ præstitum.

DITIONE. Potestate, omnis enim potestas dictis constat, id est imperio, & quærendus nominativus hujus nominis, sed de hac re historia longe aliud continet.

CASUS. Hoc loco, ruinæ, ut, *Ceciditque superbum Ilium*: non fortunæ intelligendus est casus.

PELASGI. A Pelasgo Iovis & Larissæ filio.

IPSE HOSTIS TEUCROS. Trojanorum laudis exaggeratio: qui etiam ab hoste laudantur, & quidam hostis singularem, quidam pluralem legunt. LAUDE, pro virtute accipiunt; ut, *Primam merui qui laude coronam.* FEREBAT. Laudabat, præferebat.

TEUCRORUM A STIRPE VOLEBAT. Propter genus maternum; ut supra dictum est. Et plus est quod dixit *volebat*, quasi materno gaudens, refutaret genus paternum. Sane *stirpe*, cum de origine dicimus, generis feminini est; ut, *Heu stirpem invisam*: cum de ligno masculini, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.*

TECTIS SUCCEDITE NOSTRIS. Ad convivium vocat. Nam jam supra dixit, *Urbe, domo socias.* dicitur autem & tecta succedere; ut, *Succeditque gemens stabulis*; &, *Tecto adsuetus coluber succedere.*

ME QUOQUE, Quemadmodum vos. SIMILIS FORTUNA. Scilicet adversa. DEMUM. Postea.

NON IGNARA MALI, MISERIS SUCCURRERE DISCO. Quare non disco? Quia non sum ignara. Bis enim intelligimus *non*, ut supra diximus: sic Salustius, *Segnior, neque minus gravis & multiplex cura.*

SIMUL ÆNEAM IN REGIA DUCIT TECTA. Et hoc quod sequitur, videtur auspicium nuptiarum.

SIMUL DIVUM TEMPLIS I. H. Apud majores nostros mos fuit, ut magistratus post res serias quæ consulto peragebantur in fine actus adderent, *Diis honorem dico*, vel alio modo, *hunc ad Deos.* quod Poëta amator antiquitatis subtiliter docet; infert enim Didonem, post habitum cum Ænea colloquium & junctam hospitalitatem. *Quare agite ô tectis Iuvenes succedite nostris.* ut supra, *urbem quam statui, vestra est*: Et, *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur*; post actum publicum Diis sacra jussisse: nam subjungit, *simul Æneam in regia ducit Tecta: simul Divum templis indicit honorem:* Id est, jussit fieri supplicationes. Et bene *Indicit*, quia Trojani inopinato venerant. Feriæ aut legitimæ sunt, aut indictæ. Indici autem dicuntur; quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat. Et iterum *Indictiva sacrificia* dicebantur, quæ subito ad præsens tempus indicebantur. aut certe de bonis damnatorum. Unde & supplicia, dicuntur supplicationes, quæ sunt de bonis supplicia passorum. Salustius, *In suppliciis deorum magnifici.* Hinc etiam sacrum & venerabile & execrandum intelligimus: quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant, dicebantur sacra & honoraria, quod utrumque hoc loco complexus videtur.

DONATI.

QUARE. Scilicet, cum videatis vos non esse incognitos, & morem esse familiæ meæ, ut venientes excipiat, ut Teucer à patre susceptus est.

ME QUOQUE. Quam nunc videtis felicem, aliquando fortuna depressit, ut non pudeat calamitatum, quæ sunt æquo animo ferendæ. Et quoniam non præsentibus solum consulendum erat, mittit ad absentes munera. Laudat à magnitudine, quod tauri; & à numero, quod viginti. Si enim boves dixisset, imminuisset gratiam.

VARIORUM.

ME QUOQUE PER MULTOS. Proverb. *Conciliant homines mala.* Cælius lib. 25. cap. 2. Cic. pro Mur. *Hoc natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur.* HARTUNG.

Nec

Nec minus interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingueis centum cum matribus agnos;
Munera, lætitiamque dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, calataque in auro
Fortia facta patrum: series longissima rerum,

SERVII.

TERGA SUUM. Non declinatio, *u*, litteram hoc loco geminat: sed ratio nominis in quo est *u*; sicut & *rum* mittit genitivum pluralem, non per declinationem, sed quia est in nomine *r*, ut patrum. Alituum vero ubi legimus, epenthesis est: sicut Mavortis, vel induperatoris. Nam alitum facit, vel Martis, aut imperatoris.

MUNERA, LÆTITIAMQUE DEI. Id est, Liberi patris: ac per hoc vinum: aut certe, ut multi legunt, *Lætitiamque die*, id est diei. Nonnulli Dii legunt, sicut veteres famis fami. Plautus in mercatore, *Quia aut nocti, aut dii, aut Soli, aut Lunæ.* Sane quidam hunc versum intelligi non putant posse, ut est ille. *Quem tibi jam Troja.*

SPLENDIDA INSTRUITUR. Pro instruitur, ut splendida sit. LUXU. Modo abundantia: alibi luxuria. Et notandum, quia affluentiam ubique exteris gentibus dat; Romanis frugalitatem, qui & duobus cibis tantum utebantur, & in atriis edebant sedentes. Unde Iuvenalis, *Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?* Et Virgilius, *Perpetuis soliti patres considere mensis.* MEDIIS TECTIS. Iuxta cottidianam consuetudinem, ait, *medius*, & si dicamus in media domo sua sedens turbatus est.

LABORATÆ VESTES. Labore perfectæ, ut *Laboratasque premunt ad pectora ceras.* Et est sermo in compendium coactus: sicut, *Rapuitque in fomite flammam*, id est raptim fecit. Et sane vestes non illas dicit quibus induimur, sed stragulas supra quas discumbitur; Sic enim dicebantur vestes stragulæ. OSTROQUE SUPERBO. Claro, pretioso: id est per se superbo, aut quia superbos faciat.

INGENS ARGENTUM MENSIS. Aut subaudis exponunt: aut mensas argenteas accipe. CÆLATAQUE IN AURO. Insculpta tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam: in derivatione mutat. Nam COELUM est, unde operantur argentarii: quod producitur naturaliter. Sed in derivatione mutatur: diphthongus namque est, *cælataque in auro.*

FORTIA FACTA. Veteres enim in conviviis solebant fortia parentum facta narrare, quæ hic etiam insculpta dicit. Et hic resolvit Poëta illud quod reprehenditur, cur in templo Iunonis, non Pœnorum & Græcorum facta depinxerit; scilicet quod suorum res pretiosiore materia signatas habuerit: quæ ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. SERIES. Ordo connexus.

DONATI.

PINGUES. Et ergo pingues erant, & ducenta ostendit capita.

MUNERA LÆTITIAMQUE DEI. Vinum, quod sufficeret omnibus.

AD LITTORA. Scilicet ad illos, quos reliquerat Æneas: & ad illos quos Ilioneus.

AT DOMUS. Ostendit, quod cum hospites recepimus, domus pro eorum meritis est componenda. Ergo cum accipiendus esset Æneas, tantus vir, domum regali luxu per se splendidam, tamen additis multis repentinis ornavit: ergo legendum, *Domus splendida regali luxu*: & interjecta mora dicamus, *Instruitur.* INTERIOR. Quia interim in exteriorem partem Trojanos induxerat: interior meliussolito ornabatur.

MEDIIS TECTIS. Nam cum multa turba esset accipienda, alibi tot triclinia sterni non poterant.

CONVIVIA. Omnia convivia vehementer splendebant, sed fuit in apparatu diversitas, propter distantiam personarum. Nam hospites cum regina recepti sunt in ostro superbo. Tyrii vero tanquam minoris dignitatis, in vestibus pictis, ut in textu videbis

ARGENTUM MENSIS. Adiecit mensis, ut ostenderet escarium argentum, ne putaretur in ea specie esse, quæ longe esset ab usu mensarum. Est multiplex argenti laudatio. Nam fuit magnum, insignitum auro, & miro artificio, ut ars cum ipsius precio certaret. Sculptura autem gesta majorum continebat, quorum contemplatione meruit longissimum tempus conservari.

VARIORUM.

HORRENTIA CENTUM TERGA SUUM. Id est centum sues. *Horrentia* autem, (non ut putant) sale aut setis, sed ingentia; quorum aspectus posset horrorem incutere. Intelligit autem *hecatomben*, quam qui navigarant, vel navigaturi erant, faciebant. CORRAD. TAUBMAN.

MUNERA LÆTITIAMQUE. Gellius l. 9. c. 14.

MUNERA LÆTITIAMQUE DEI. Mittit hæc omnia, ut Neptuno sacrificent: quæ res munera lætitiamque *Deo*, id est Neptuno afferat. CORRAD.

MEDIISQUE PARANT CONVIVIA. Triclinia enim in media cænatione strata erant; ut ministris liberrimus locus relinqueretur. Ita 3. Æneid. *Aulæi in medio, &c.* CORRAD.

Per.

Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naveis præmittit Achatem:
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis, auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:

SERVII.

PER TOT DUCTA VIROS. A Belo, primo rege Assyriorum: ut, *Ab antiquo durantia cinnama Belo.* A Belo usque ad Belum, patrem Didonis: qui & ipse Assyrius fuit, quamvis alio nomine pater Didonis fuisse dicatur; sed hic ait, *Quam Belus, & omnes à Belo soliti*: cum inter patrem & filiam medius nullus existat: & regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur. Unde & Helois. Ergo addita digammo, & in fine facta derivatione, à Sole regi nomen imposuit.

ÆNEAS. Sequitur, *Rapidum ad naves.* Cætera per parenthesim dicta sunt.

RAPIDUM AD NAVES PRÆMITTIT ACHATEM. Non præmittit (nec enim ipse sequitur) sed prærapidum: quod ex affectu patris, id est, ejus qui mittit intelligendum est, non ex Achatis velocitate. Et sic prærapidum dixit, quomodo Terentius, *Per pol quam paucos.* Hoc est perquam paucos volo. Pol enim, per se plenum est jurantis adverbium: cui præpositio separatim nunquam cohæret.

FERAT. Afferat, nuntiet: ut, *Feret hæc aliquam tibi fama salutem.*

STAT. Modo est. ut, *Grajo stant nomine dicta.* alias horret; ut, *stant lumina flamma.* &, *Stabat acuta silex.* Item plenum est: ut, *Iam pulvere cœlum Stare vident.* Item positum est: ut, *Stant manibus aræ.* Item placet: ut, *Stat, conferre manum.* Pro loco ergo hic intelligendus est sermo. ILIACIS EREPTA RUINIS. Commendat ex loci difficultate: ut, *Nec tuta mihi valle reperti.* Item ex longinquitate, ut, *Iliacis erepta ruinis*; ut Terentius, *Ex Æthiopia est usque ancilla hæc.*

EREPTA. Ostendit valde pretiosa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi. Laborat autem Poëta hoc sermone probare ab Ænea non esse proditam patriam, si ornatus Helenæ ex incendio eripuit, bellorum casu, quam cum Antenore Trojam prodidisse manifestum est, non pro præmio proditionis accipit.

PALLAM RIGENTEM. Duram propter aurum, sicut & novas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallium: quod secundum Varronem palla dicta est, ab irrugatione, & mobilitate: quæ est circa finem hujusmodi vestium, ἀπὸ τῶν κυμάτων. SIGNIS AUROQUE. Signis aureis, ut, *Molemque & monteis.*

ET CIRCUMTEXTUM VELAMEN. Cycladem significat. ACANTHO. Herba, Acantho, i. flexibili virgulto: In cujus imitationem arte vestis ornatur, Varro ita refert, *Ctesias ait in India esse arbores, quæ lanam ferant, Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti sunt aculei ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem*: hinc vestimenta acanthina appellata.

DONATI.

PRÆMITTIT. Non quia esset secuturus: nec intelligitur, prærapidum mittit, sed præmittit, id est, ante prandium mittit, ut maturius videret filium, & ut afferrentur munera, quæ Didoni dare volens inter epulandum commodissime dabantur. Major enim erat futura convivii voluptas, & præsentia Ascanii, & oblatione munerum.

OMNIS IN ASCANIO. Nam reliquæ curæ jam semotæ erant.

MUNERA. Hæc convivium gratius factura erant, & poterant ostendere, quanta urbis fuisset felicitas. EREPTA. De magnis & plurimis, crede magnis & plurimis, credendum est meliora rapuisse

VARIORUM.

PALLAM SIGNIS AUROQUE RIGENTEM. Alludit forsan ad rectam tunicam, quæ ὀρθὴ ἐσθής. & ita erat contexta, ut veluti rigens staret: qua novæ nuptæ induebantur: quamque liberis parentes ominis caussa conficiendam curabant. GERMAN.

PALLAM SIGNIS AUROQUE RIGENTEM. *Signis auroque* dictum est figura ἓν διὰ δυοῖν, pro signis aureis. signa aurea sunt clavi. Græcis etiam σημεῖα. SALMASIUS.

ET CIRCUMTEXTUM CROCEO, &c. Notabis hic, sive Servii, sive alterius Grammatici, non levem errorem: qui hunc versum de vestibus acanthinis interpretatur. quod caret ratione. *Acanthina Vestimenta* tota ex lanugine florum acanthii texta erant; *velamen croceo acantho circumtextum*, apud poëtam, tunica est per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad instar acanthi flexibilis virgulti. immo ἄκανθον Græci etiam vocavere hujusmodi limbos vestium. SALMASIUS.

ET CIRCUMTEXTUM CROCEO, &c. Cycladem intelligit. nam Cyclas inde dicta est, quod limbum in circuitu haberet ad oram extremam adsutum. limbum enim κύκλον Græci vocant. hinc κυκλὰς tunica quæ limbum haberet. Acanthus vero hic est purpura quæ circumit extremam vestis oram. SALMASIUS.

Orna-

Digitized by Google

Ornatus Argivæ Helenæ; quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenæos,
Extulerat; matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

SERVII.

ORNATUS ARGIVÆ HELENÆ; QUOS ILLA MYCENIS. Hic quoque commendatio muneris à persona, quæ & in fuga magnifecerit. ARGIVÆ autem à vicinitate dixit Argivæ. Et paulo post Mycenis: cum Spartana fuerit, quæ civitas est in Laconia. Nam legimus, *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Et vide jam omen infœlicitatis futuræ: cum adulteræ suscipit munera.

PERGAMA CUM PETERET. Eo tempore quo à Paride sollicitata est Helena Venere faciente, quæ ei in præmium pro victoria quam de malo aureo acceperat, alienum matrimonium concilians, sicut nota fabula omnibus traditum est, quamvis vera historia hoc habere dicatur, non sollicitatam à Paride Helenam, sed cum non ei consentiret, ut absente eo tempore Menelao, sponte eum sequeretur ad Trojam, expugnata civitate, vi à Paride sublatam: Vnde factum est, ut Paris, timore ne qui eum sequerentur, non recto itinere properaret ad patriam, sed diverteret ad Ægyptum, & ad regem Proteum veniret; qui cum esset sacrificus, & agnovisset alienam uxorem à Paride raptam, duci eam dicitur subtraxisse, & nescio quibus disciplinis phantasma in similitudinem Helenæ formatum Paridi dedisse, quod in 2. plenius invenies.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Et fato & legibus. Hymenæus autem, ut alii dicunt, deus est nuptiarum. Vt alii, quidam juvenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina est. Vnde expiationis caussa nominatur in nuptiis, sed falsum est. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas, inter bella sævissima virgines liberavit: quam ob caussam nubentes ejus invocant numen, quasi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talasio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum, Plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulavit: cujus nomine fuit puellæ tuta virginitas.

EXTULERAT. Secum exportaverat.

MATRIS LEDÆ MIRABILE DONUM. Vel quod ipsa filiæ: Vel quod ei Iupiter dederat.

PRÆTEREA SCEPTRUM, ILIONE. Bene offert munera, apta personis: sicut etiam Latino, in septimo. ILIONE QUOD GESSERAT OL. Quia etiam feminæ sceptro utebantur. Gesserat autem, ut, *hoc Priami gestamen erat*: & quæritur utrum hoc sceptrum de Thracia, an de Troja sublatum: quidam Æneæ ab Iliona datum dicunt; sed quamvis apta nupturæ reginæ sint munera, tamen futurorum malorum continere omen videntur.

MAXIMA NATARUM PRIAMI. Quia ante etiam fœminæ regnabant: præsertim primogenitæ, unde est, *Maxima.* Hæc autem uxor Polymnestoris fuit, quæ post captum Ilium, ejecta à viro, manu sua interiit. COLLOQUE MONILE. Ornamentum gutturis: quod & segmentum dicunt: ut Iuvenalis, *Segmenta & longos habitus.* Licet segmentatas vestes dicamus: ut ipse, *Et segmentatis dormisset parvula cunis.*

BACCATUM. Ornatum margaritis. Dicimus autem & hæc margarita, & hoc margaritum, & hæc margaris, quod Græcum est; quo modo Nais. Sane multi separant gemmam & margaritam; ut Cicero, *Nullam gemmam aut margaritam.* & gemmas volunt dici diversi coloris: margaritas vero albas; vel gemmas integras, margaritas pertusas.

DUPLICEM GEMMIS AUROQUE CORONAM. Duplicem, aut latam: ut, *Duplici aptantur dentalia dorso.* Item, *aut duplex agitur per lumbos spina.* Aut re vera, duplicem gemmis & auro: Sane immiscet Romanam consuetudinem, coronis enim feminæ utebantur.

DONATI.

ARGIVÆ HEL. Hanc adeo formosam fuisse dicunt, ut ejus forma, redacto maximo peritissimorum pictorum in unum numero, propositis etiam formosissimarum mulierum nudis corporibus pingi nequiverit: ergo quæcunque erat formosa, ab ea appellabatur Helena. Sed Virgil. *Argivæ* dixit, ut de illa sola intelligeretur.

EXTULERAT. Nam cum esset regis uxor & locupletissima, & iret ad Trojam, has ut præcipuas secum abstulit, non rediturам se sperans, propter admissum adulterium: propterea addidit inconcessos Hymenæos. LEDÆ MIRABILE. Vt tam pulchra, nisi à matre, donari non potuissent: & cum donarentur miratos esse qui viderent. Adduxit autem, ut his uteretur quotiens adultera formosior videri volebat. Ergo superabant formam, quæ pingi non potuit, pulchrioremque reddebant.

MAXIMA. Solent enim religiosi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus.

BACCATUM. Neque hæc dissimilia esse debebant, quæ optimus pater & ditissimus, maximæ filiæ dederat.

VARIORUM.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Adulterii definitio.

BACCATUM. Grapaldum pete. lib. 2. cap. 5.

DUPLICEM GEMMIS. Suspicatur Turneb. lib. 29. 4. *Duplicem* coronam, ab antiquis *nuptialem* dici, ad differentiam *Virginalis*, quæ simplex forte fuit. Pimpontius censet alludi hic ad coronas gemmis contextas, quæ Chrysostomo λιθοκόλλητοι στέφανοι. TAUBM.

Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naveis præmittit Achatem:
Aſcanio ferat hæc, ipſumque ad mœnia ducat.
Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam ſignis, auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:

SERVII.

PER TOT DVCTA VIROS. A Belo, primo rege Aſſyriorum: ut, *Ab antiquo durantia cinnama Belo.* A Belo uſque ad Belum, patrem Didonis: qui & ipſe Aſſyrius fuit, quamvis alio nomine pater Didonis fuiſſe dicatur; ſed hic ait, *Quam Belus, & omnes à Belo ſoliti*: cum inter patrem & filiam medius nullus exiſtat: & regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem coluut, qui ipſorum lingua Hel dicitur. Vnde & Helois. Ergo addita digammo, & in fine facta derivatione, à Sole regi nomen impoſuit.

ÆNEAS. Sequitur, *Rapidum ad naves.* Cætera per parentheſim dicta ſunt.

RAPIDVM AD NAVES PRÆMITTIT ACHATEM. Non præmittit (nec enim ipſe ſequitur) ſed prærapidum: quod ex affectu patris, id eſt, ejus qui mittit intelligendum eſt, non ex Achatis velocitate. Et ſic prærapidum dixit, quomodo Terentius, *Per pol quam paucos.* Hoc eſt perquam paucos volo. Pol enim, per ſe plenum eſt jurantis adverbium: cui præpoſitio ſeparatim nunquam cohæret.

FERAT. Afferat, nuntiet: ut, *Feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.*

STAT. Modo eſt. ut, *Grajo ſtant nomine dictæ.* alias horret; ut, *ſtant lumina flamma.* &, *Stabat acuta ſilex.* Item plenum eſt: ut, *Iam pulvere cœlum Stare vident.* Item poſitum eſt: ut, *Stant manibus aræ.* Item placet: ut, *Stat, conferre manum.* Pro loco ergo hic intelligendus eſt ſermo. ILIACIS EREPTA RVINIS. Commendat ex loci difficultate: ut, *Nec tuta mihi valle reperti.* Item ex longinquitate, ut, *Iliacis erepta ruinis*; ut Terentius, *Ex Æthiopia eſt uſque ancilla hæc.*

EREPTA. Oſtendit valde protioſa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi. Laborat autem Poëta hoc ſermone probare ab Ænea non eſſe proditam patriam, ſi ornatus Helenæ ex incendio eripuit, bellorum caſu, quam cum Antenore Trojam prodidiſſe manifeſtum eſt, non pro præmio proditionis accipit.

PALLAM RIGENTEM. Duram propter aurum, ſicut & novas veſtes videmus. Significat autem tunicæ pallium: quod ſecundum Varronem palla dicta eſt, ab irrugatione, & mobilitate: quæ eſt circa finem hujuſmodi veſtium, διὰ τῶν πτυχῶν. SIGNIS AVROQVE. Signis aureis, ut, *Molemque & monteis.*

ET CIRCVMTEXTVM VELAMEN. Cycladem ſignificat. ACANTHO. Herba, Acantho, i. flexibili virgulto: In cujus imitationem arte veſtis ornatur, Varro ita refert, *Cteſias ait in India eſſe arbores, quæ lanam ferant, Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti ſunt aculei ex his implicitis mulieres multiplicem conficere veſtem*: hinc veſtimenta acanthina appellata.

DONATI.

PRÆMITTIT. Non quia eſſet ſecuturus: nec intelligitur, prærapidum mittit, ſed præmittit, id eſt, ante prandium mittit, ut maturius videret filium, & ut afferrentur munera, quæ Didoni dare volens inter epulandum commodiſſime dabantur. Major enim erat futura convivii voluptas, & præſentia Aſcanii, & oblatione munerum.

OMNIS IN ASCANIO. Nam reliquæ curæ jam ſemotæ erant.

MVNERA. Hæc convivium gratius factura erant, & poterant oſtendere, quanta urbis fuiſſet felicitas. EREPTA. De magnis & plurimis, crede magnis & plurimis, credendum eſt meliora rapuiſſe

VARIORVM.

PALLAM SIGNIS AVROQVE RIGENTEM. Alludit forſan ad rectam tunicam, quæ ὀρθὴ ἱστός. & ita erat contexta, ut veluti rigens ſtaret: qua novæ nuptæ induebantur: quamque liberis parentes ominis cauſſa conficiendam curabant. GERMAN.

PALLAM SIGNIS AVROQVE RIGENTEM. *Signis auroque* dictum eſt figura ἓν διὰ δυοῖν, pro ſignis aureis. ſigna aurea ſunt clavi. Græcis etiam σημεῖα. SALMASIVS.

ET CIRCVM TEXTVM CROCEO, &c. Notabis hic, ſive Servii, ſive alterius Grammatici, non levem errorem: qui hunc verſum de veſtibus acanthinis interpretatur. quod caret ratione. *Acanthina Veſtimenta* tota ex lanugine florum acanthii texta erant; *velamen croceo acantho circumtextum*, apud poëtam, tunica eſt per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad inſtar acanthi flexibilis virgulti. immo ἄκανθον Græci etiam vocavere hujuſmodi limbos veſtium. SALMASIVS.

ET CIRCVMTEXTVM CROCEO, &c. Cycladem intelligit. nam Cyclas inde dicta eſt, quod limbum in circuitu haberet ad oram extremam adſutum. limbum enim κύκλον Græci vocant. hine κυκλὰς tunica quæ limbum haberet. Acanth[illegible] hic eſt purpura quæ circumit extremam v[illegible] SALMASIVS.

Ornatus Argivæ Helenæ; quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconceſſoſque Hymenæos,
Extulerat; matris Ledæ mirabile donum.
Præterea ſceptrum; Ilione quod geſſerat olim,
Maxima natarum Priami; colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

SERVII.

ORNATUS ARGIVÆ HELENÆ; QUOS ILLA MYCENIS. Hic quoque commendatio muneris à perſona, quæ & in fuga magnifecerit. ARGIVÆ autem à vicinitate dixit Argivæ. Et paulo poſt Mycenis: cum Spartana fuerit, quæ civitas eſt in Laconia. Nam legimus, *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Et vide jam omen infœlicitatis futuræ: cum adulteræ ſuſcipit munera.

PERGAMA CUM PETERET. Eo tempore quo à Paride ſollicitata eſt Helena Venere faciente, quæ ei in præmium pro victoria quam de malo aureo acceperat, alienum matrimonium concilians, ſicut nota fabula omnibus traditum eſt, quamvis vera hiſtoria hoc habere dicatur, non ſollicitatam à Paride Helenam, ſed cum non ei conſentiret, ut abſente eo tempore Menelao, ſponte eum ſequeretur ad Trojam, expugnata civitate, vi à Paride ſublatam: Unde factum eſt, ut Paris, timore ne qui eum ſequerentur, non recto itinere properaret ad patriam, ſed diverteret ad Ægyptum, & ad regem Proteum veniret; qui cum eſſet ſacrificus, & agnoviſſet alienam uxorem à Paride raptam, duci eam dicitur ſubtraxiſſe, & neſcio quibus diſciplinis phantaſma in ſimilitudinem Helenæ formatum Paridi dediſſe, quod in 2. plenius invenies.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Et fato & legibus. Hymenæus autem, ut alii dicunt, deus eſt nuptiarum. Ut alii, quidam juvenis fuit, qui die nuptiarum oppreſſus ruina eſt. Unde expiationis cauſſa nominatur in nuptiis, ſed falſum eſt. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas, inter bella ſæviſſima virgines liberavit: quam ob cauſſam nubentes ejus invocant numen, quaſi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talaſio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum, Plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talaſionis eam ducis nobilis eſſe ſimulavit: cujus nomine fuit puellæ tuta virginitas.

EXTULERAT. Secum exportaverat.

MATRIS LEDÆ MIRABILE DONUM. Vel quod ipſa filiæ: Vel quod ei Iupiter dederat.

PRÆTEREA SCEPTRUM, ILIONE. Bene offert munera, apta perſonis: ſicut etiam Latino, in ſeptimo. ILIONE QUOD GESSERAT OL. Quia etiam feminæ ſceptro utebantur. Geſſerat autem, ut, *hoc Priami geſtamen erat*: & quæritur utrum hoc ſceptrum de Thracia, [illegible] ſublatum: quidam Æneæ ab Ilione [illegible] ſed quamvis apta nupturæ regin[illegible] futuro[illegible] [illegible]olotum cont[illegible]

[illegible]

unde eſt, *Maxima*. Hæc autem uxor Polymneſtoris fuit, quæ poſt captum Ilium, ejecta à viro, manu ſua interiit. COLLOQUE MONILE. Ornamentum gutturis: quod & ſegmentum dicunt: ut Iuvenalis, *Segmenta & longos habitus.* Licet ſegmentatas veſtes dicamus: ut ipſe, *Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis.*

BACCATUM. Ornatum margaritis. Dicimus autem & hæc margarita, & hoc margaritum, & hæc margaris, quod Græcum eſt; quo modo Nais. Sane multi ſeparant gemmam & margaritam; ut Cicero, *Nullam gemmam aut margaritam.* & gemmas volunt dici diverſi coloris: margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertuſas.

DUPLICEM GEMMIS AUROQUE CORONAM. Duplicem, aut latam: ut, *Duplici aptantur dentalia dorſo.* Item, *aut duplex agitur per lumbos ſpina.* Aut re vera, duplicem gemmis & auro: Sane immiſcet Romanam conſuetudinem, coronis enim feminæ utebantur.

DONATI.

ARGIVÆ HEL. Hanc adeo formoſam fuiſſe dicunt, ut ejus forma, redacto maximo peritiſſimorum pictorum in unum numero, propoſitis etiam formoſiſſimarum mulierum nudis corporibus pingi nequiverit: ergo quæcunque erat formoſa, ab ea appellabatur Helena. Sed Virgil. *Argivæ* dixit, ut de illa ſola intelligeretur.

EXTULERAT. Nam cum eſſet regis uxor & locupletiſſima, & iret ad Trojam, has ut præcipuas ſecum abſtulit, non redituram ſe ſperans, propter admiſſum adulterium: propterea addidit inconceſſos Hymenæos. LEDÆ MIRABILE. Ut tam pulchra, niſi à matre, donari non potuiſſent: & cum donarentur miratos eſſe qui viderent. Adduxit autem, ut his uteretur quotiens adultera formoſior videri volebat. Ergo ſuperabant formam, quæ pingi non potuit, pulchrioremque reddebant.

MAXIMA. Solent enim religioſi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus.

BACCATUM. Neque hæc diſſimilia eſſe debebant, quæ optimus pater & ditiſſimus, maximæ filiæ dederat.

VARIORUM.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Adulterii definitio.

BACCATUM. Grapaldum pete, [illegible] lib. 2. cap. [illegible]

[illegible] CEM GEMMIS. [illegible] Turneb. [illegible] [illegible]licem coronam, ab antiquis [illegible] [illegible]tiam Pergamain, quæ [illegible] [illegible] cenſet alludi hic ad coronas [illegible] [illegible] Chryſoſtomo [illegible]

[illegible]

Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia; ut faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues:
Vrit atrox Iuno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:

SERVII.

HÆC CELERANS. Celeriter facere cupiens.

AT CYTHEREA. Ab insula quæ numero tantum plurali dicitur: ut, *Sunt alta Cythera*. NOVAS ARTES. Ars τῶν μέσων est: unde sine epitheto male ponitur. Veteres autem *artes* pro dolis ponebant. Et Terent. in Heautont. *Quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem: hac arte tractabat virum.* Item in Phormione, *Artificem probum*: nam & Græci dolos, technas dicunt, ut in 2. *Perjurique arte Sinonis*. ut bonas artes, malasque artes dicamus.

FACIEM MVTATVS. Nota figura est. Quod autem addidit & *ora*, perissologia est.

DONISQVE FVRENTEM INCENDAT REGINAM. Incendat & furere faciat; ut, *Animumque labantem Impulit*. Implicet proprie ait: Impliciti enim morbo dicuntur, nam & amor morbus.

QVIPPE DOMVM TIMET AMBIGVAM, modo incertam. In qua habitat mutabilis fœmina: ut, *Varium & mutabile semper Femina*. Item Iuno in quarto, *Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ*. Alias, *ambiguam*, pro gemina duplicique accipitur: ut, *Agnovit prolem ambiguam*. TYRIOSQVE BILINGVES. Fallaces. Nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem.

ATROX. Primo quantum ad Venerem pertinet, sæva; non quia ita de ea poëta judicet. SVB NOCTEM CVRA RECVRSAT. Circa noctem. Et sciendum quia cum tempus significatur, SVB, præpositio accusativo cohæret: ut, *Aut ubi sub lucem, densa inter nubila sese Diversi rumpunt radii*. Et bene SVB NOCTEM CVRA REC. Quia vehementiores curæ vel circa noctem, vel per noctem sunt. RECVRSAT autem, Recurrit & revertitur, quasi semper in mentem venit.

ERGO HIS ALIGERVM DICTIS AFFATVR AMOREM. *Aligerum*. Compositum à Poëta nomen: Sane Latini deum ipsum Cupidinem vocant: eo quod facit amorem. Sed hic imitatus est Græcos: qui uno nomine utrumque significant. Nam Amorem dixit deum: sed discrevit epitheto. Sane nomen hoc, ratione non caret. Nam & quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: ut, *Inter quas curam Clymene narrabat inanem*. id est amorem. Item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: ut, *Incipit effari, mediaque in voce resistit*. Alatus autem ideo, quia amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur; ut in ipsa probatur Didone. Nam de ejus interitu cogitat, cujus paulo ante amore deperibat; ut, *Non potui arreptum divellere corpus*. Sagittas vero ideo gestare dicitur, quia & ipsæ incertæ velocesque sunt. Et hæc ratio pene in omnibus aliis numinibus, pro potestatum qualitate formatur.

DONATI.

HÆC CELERANS. Laudat hominis diligentiam.

AT CYTHEREA. Id est, dum hæc gererentur. Necessaria metuentis Veneris deliberatione, cujus æstus augebat consideratio loci, temporis, & personæ, erant ab Achate perficienda jussa. Et periculosum erat credere nepotem eidem periculo, in quo erat Æneas: ne tota simul progenies interiret. Nam quamvis Trojani essent humane suscepti, metuebatur tamen, fallax natura Tyriorum & stimulus Iunonis: ne ipsa opportunitatem loci, & occasionem temporis nacta, terra opprimeret, quos mari extinguere non poterat. Artes ergo novæ, id est, consilia elaborata exquiruntur, ut Ascanius non pergeret, & tamen Achates jussa faceret. Fallit ergo omnes, & profert Æneæ amorem, sibi concilians Didonem: Nam neque Æneas iratæ resistere potuisset exigua substantia, neque convulsis navibus & in hyeme effugere.

VARIORVM.

HÆC CELERANS. Id est, festinans hæc celeriter peragere: ut verbum per ellipsim subaudias: nisi quis absoluto verbo accusandi casum adjungere malit, cui ego non magnopere refragabor. HORTENS.

DONISQVE FVRENTEM INCENDAT REGINAM. Figurata locutio est: id est incendat, & furere faciat: nondum enim accensa erat, sed adventu Cupidinis flagrare cepit amore Æneæ. Quod vero Poëta ait, DONIS, naturæ muliebris rationem habuit; quæ facile donis capitur: unde de Eriphyle legitur, quod monilis sibi oblati pulchritudine allecta, viri sui salutem prodidit. Cic. NASCIMBÆN.

ATQVE OSSIBVS IMPLICET IGNEM. Vt molestiam quam fieri potest maximam exhibeat: nam qui ossibus inhæret dolor, gravius torquere solet: nove autem dictum videtur, *Implicare ignem ossibus*, pro inferre, seu injicere amorem ossibus. NASCIMBÆN.

TYRIOS BILINGVES. ἀγκύλους, δολίους, fallaces & subdolos. Et potest allusum videri ad duplicem linguam, qua Pœni utebantur, Tyriam & Lybycam. Et tales qui sunt, plerunque habentur veteratores. Iam *Punica fides*, & *Phœnicum pacta*, Proverbio locum fecere. Vide TVRNEB. lib. 10. c. 24.

Nate,

Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus
Nate, patris summi qui tela Typhoea temnis,
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus, omnia circum
Littora jactetur, odiis Iunonis iniquæ,
Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.

SERVII.

NATE MEÆ VIRES. Aut quia Veneria voluptas exerceri sine amore non potest: aut secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quanquam alii dicant, ex ipsa & Marte: alii ex ipsa & Vulcano: alii vero Chai & primæ rerum naturæ eum esse filium velint. Sane & hic persuasoriam agit, sicut superius, ubi Iuno ad Æolum loquitur. *Æole namque tibi*: sed ibi, quia dea cum homine loquebatur, principio opus non fuit: hic vero principio usus est, quia Dea cum Deo loquitur, ad benevolentiam comparandam. NATE, ab indulgentissimo nomine causa amoris. MEA MAGNA POTENT. Quid possit facere. QVI TELA TYPH. TEMN. Pro quo, FRATER VT ÆN. PELAGO TVVS. contra quem, ODIIS IVN. INIQ. Nam quod dicit Frater tuus, non filius meus, ostendit ei etiam profuturum qui rogatur. Nam ex eo genere est illud, *Et nostro doluisti sæpe dolore*. Quæritur causa, HVNC PHOENISSA TENET D. Timor ipsius, ET VEREOR QVO SE IVN. V. Rem ipsam, QVOCIRCA CAP. A. D. Modus. QVA FACERE ID. P. Quamdiu, NOCTEM NON AMPL. V. An difficile sit, ET NOTOS PVERI P. I. V. Quomodo, VT CVM TE GREMIO A. L. D. Subito amabit, OCCVLTVM INSPIRES IG. F. Q. V. Nihil promisit, quid enim promitteret Deo? SOLVS, NATE, Id est solus qui Iovis contemnis fulmina, quæ diis cæteris solent esse terrori.

PATRIS SVMMI, Nunc quidem de Iove proprie dixit. Sciendum tamen pro qualitate rerum vel personarum, summum deum dici, vel patrem. Nam summum unusquisque putat esse eum, quem colit: ut, *Summe deum sancti custos Soractis Apollo*. TYPHOEA. Multi Typhoja legunt: ut cerealia, & cerealea. *Typhoea* autem dixit, non quibus Typhoeus usus, sed quibus Iupiter in Typhoeum: epitheton, ab spoliis, id est virtute & victoria posuit: ut Scipio Africanus & Metellus Creticus. TEMNIS. Aphæresis, pro contemnis. Hac autem laude hoc dicit, facile eum posse Iunonem contemnere, qui Iovem contemnit.

AD TE CONFVGIO. Personarum ratio facit laudis augmentum. TVA NVMINA. Possibilitatem. & notandum est unum deum plura habere numina; ut supra dictum est de Iunone.

FRATER VT ÆNEAS. Conciliatio à qualitate personæ, VT autem, est quemadmodum: quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est.

IACTETVRQVE. Vacat QVE. ODIIS IVNONIS INIQVÆ. Iusta caussa petitionis ostenditur. Odium autem, o in nomine breve est, in verbo vero longum, ut Odit. Quemadmodum liquor, et brevis est: liquitur longa.

NOTA TIBI. Græca figura est: ut Terentius, *Mira vero militi quæ placeant*. ET NOSTRO DOLVISTI SÆPE DOLORE. Nostro autem, eo quo & ego: aut doluisti, ideo quia me dolentem vidisti; ut doleo illa re.

DONATI.

NATE. Breviter omnia consilia sua exprimit, & quomodo fieri possit ostendit: & honestum facile, & necessarium demonstrat. MEÆ VIRES. Vendicat sibi necessitudo parentum, quicquid liberi possunt. Et docet inter filios & parentes tale debere esse volendi & nolendi studium, ut, in multis licet corporibus voluntas una & necessitudinis vinculum indistinctum, integrumque perduret.

TELA TYPHOEA. Facile ostendit esse quod petit. Qui enim potuit Iovis fulmen contemnere, facilius poterit fœminæ mentem possidere. Ergo ita dixit, ne ille excusaret propter Iunonem. Fecit autem benevolum filium dicendo, *nate*. Item, quod potior esset Iove, & esset potentia sua.

AD TE. Quasi dicat: Non est, qui tantum aut debeat, aut possit. SVPPLEX. Admonuit pietatis, ut filium: rogavit, ut Deum. Quid igitur accessit oneris, cum est rogatus ab ea, quæ autoritate parentis jubere poterat?

FRATER VT ÆNEAS. Fecit benevolum & attentum: nunc facit docilem subjuncta narratione totius negotii. Dixit frater tuus, ut appareat operam non in extraneo ponendam, sed in fratre esse necessariam. Ergo honestum & pium: ut frater pro fratre laboret, præsertim in causa salutis. Adjungit labores, ut moveat commiserationem: & ostendit injuste pati, & deformat personam adversariæ, quæ prosequatur innoxium.

NOTA TIBI. Hoc ad laudem Cupidinis pertinet. Maximum enim crimen esset ejus, si fratris periculum nesciret. DOLVISTI. Si præterea doluit, debet cavere ne rursus dolenda succedant.

VARIORVM.

FRATER VT ÆNEAS, NOTA TIBI. Enallage Homeri. Vide Linacr. l. 6. c. de Enallage. HART.

ODIIS IVNONIS INIQVÆ. Ne majora, quam revera sunt, dicere videatur, testem ipsummet Cupidinem citat, inquiens: NOTA TIBI. Et quod multo majus est, etiam addit: ET NOSTRO DOLVISTI SÆPE DOLORE. Quibus ex verbis apparet, tantas fuisse Æneæ calamitates, & incommoda, ut ea sæpius matrem & agnatos ad dolorem excitaverint. NASCIMBÆN.

Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: & vereor quo se Iunonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo se numine mutet;
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura,
Dona ferens, pelago & flammis restantia Trojæ.

SERVII.

PHOENISSA. De Phœnice. TENET. Moratur. BLANDIS VOCIBVS. Ideo dixit *blandis*, ut ostenderet Didonem facile amore incendi posse, quæ ante jam blanda est quam amet.

QVO SE IVNONIA VERTANT HOSPITIA. *Quo*: in quam partem. Iunonia autem hospitia, Carthaginem dicit: ubi habitabat Iuno; ut, *Hic illius arma.* Aut certe hoc ipsum vereor, quod Æneæ Carthago in hospitium patuit; ut est, *Timeo Danaos & dona ferentes.*

HAVD TANTO CESSABIT CARDINE RERVM. Aut ἀντιφραστικῶς dixit, ne in tantum quidem: hoc est brevi occasione cessabit. Aut simpliciter intelligendum, Non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: ut sit de proverbio tractum, quod dicitur; *Res in cardine est*, hoc est in articulo. Quidam sic intelligunt; cum in incerto statu res sunt, *in cardine* esse dicuntur, & translatione verbi à janua tractam volunt, quæ motu cardinis hac atque illac impelli potest.

QVOCIRCA. Quapropter. MEDITOR. Mente pertracto.

NE QVO SE NVMINE MVTET. *Quo*, vel vacat, vel pronomen est. Et bene supprimit numen Iunonis, ne ejus frequenti commemoratione, Cupidinem terreat: Magis enim vult eum intelligere, quam audire Iunonem: aut certe adverbium est: ut sit, Timeo ne se numine Dido, aliquam commutet in partem.

MECVM. Id est cum officio Venerio; vel mecum per meos amores me adnitente. Nec potest intelligi, quemadmodum ego. Aliter enim à matre Æneas, aliter amatur à Didone.

QVO. Id est quomodo. ACCIPE. Audi: ut, *Accipe nunc Danaûm*; ut contra, *Da*, dic: ut, *Da Tityre nobis. Da, non indebita posco?* MENTEM. Dispositionem, consilium.

ACCITV. Evocatione, & est quartæ declinationis.

VRBEM SIDONIAM. Quam tenent Sidonii. MEA MAXIMA CVRA. Et Æneas cura est; sed Ascanius maxima: *Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur*: & ubique Ascanius maxima cura Veneris introducitur: ut, *Veneris justissima cura.* Item, *Hunc tegere, & dira valeam subducere pugna*

DONA RESTANTIA. Quæ restiterunt, superfueruntque, & ante Pelagus posuit, cum post Trojæ eversionem navigaverit Æneas.

DONATI.

DIDO TENET. Ostendit facilitatem petitionis. Nam si amore jam Æneæ affecta est, non est opus initio amoris, in quo magna est difficultas, sed augmento. Desideratur autem augmentum, quia timetur Iuno: à qua amor talis posset abrumpi: ergo opus erat tali amore, qui non posset abrumpi à Iunone.

CARDINE. Hic fidem facit, cum fores clauduntur: & tribuit firmitatem. ergo dixit: *Tanto cessabit cardine rerum.* Erat enim in potestate absolvere amorem, quem voluntate susceperat: sed divinitus impactus, non potuit humano arbitrio summoveri. Asserit ergo necessarium remedium, quo omnis illa factio succumbat.

MECVM. Tanto amore amet, quanto mater amat filium: cujus amor nullius violentia numinis valet abrumpi.

CAPERE ANTE DOLIS. Ostendit melius esse ventura propulsare, quam iis quæ venerunt remedia quærere.

PVER IRE PARAT. Ostendit in commutatione formæ, ætatis commutationem non fore difficilem. MAXIMA CVRA. Nolebat mittere Ascanium, ne duorum sollicitudine frangeretur: vel, ne is mitteretur, qui exoriente tumultu, sibi per ætatem cavere non posset.

VARIORVM.

IVNONIA VERTANT HOSPITIA. Id est, Punica, ideoque omnia suspecta. *Iunonia* enim *hospitia* ex eo dicta, quod Carthago Iunoni dicata esset, quæ *Iunonia* quoque vocata est. TVRNEB. l. 18 c. 32.

HAVD TANTO CESSABIT CARDINE R. Id est in tanta occasione rei faciendæ haud cessabit. ibi Servius notat dici *rem in cardine esse*, quum in articulo est. Ergo cardo ipsum punctum est ac momentum occasionis & oportunitatis, quæ nisi rapiatur, effluit statim. SALMASIVS.

CARDINE RERVM. Proverb. Res est in cardine. HARTVNG.

ET CINGERE FLAMMA REGINAM. Vox militaris, *Cingere flamma*, & metaphorica, ab obsessis igne ferroque urbibus, φλογὶ ἀμφιβάλλειν. ita 6. Æneid. *& mœnia cingere flamma.* GERMAN.

Hunc

Digitized by Google

Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non amplius unam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt, cum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticemque Lyæum:
Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis charæ genitricis; & alas
Exuit, & gressis gaudens incedit Iüli.

SERVII.

SOPITVM SOMNO. Vnum quidem est sopor & somnus: sed modo *sopitum*, irrigatum intelligimus. CYTHERA. Sicut dictum est genere neutro » pluraliter, ut alibi, *Est alta Cythera*.

IDALIVM. Cypri nemus est, in quo oppidum breve; ut paulo post, *Idaliæ lucos*. Item, *Idaliumque nemus*. SACRATA SEDE. Vel templi, vel oppidi.

NE QVA SCIRE DOLOS. Qua vacat, ut frequenter diximus. MEDIVS. Importunus, incongruus.

TV FACIEM ILLIVS. Faciem pro vultu posuit. Nullus enim potest faciem alterius accipere: sed vultum, qui pro mentis qualitate formatur. Vnde infra est, *Et notos pueri puer, indue vultus*: aut certe quia difficile numini non est, ut in faciem mutetur » alterius. Sane *illius* in Georgicis corripuit; ut, *Il-* » *lius immensæ*. NOCTEM NON AMPLIVS VNAM. Vt supra diximus, artis poëticæ est, non omnia dicere. Vnde nunc permisit *Noctem unam*. Nec enim dicturus est, aut abscessum Cupidinis, aut adventum Ascanii.

» PVERI PVER. Argumentum à facili. LÆ- » TISSIMA DIDO. Non est epitheton perpetuum: » id est cum læta esse cœperit.

REGALES INTER MENSAS. Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est: & facilis amoris occasio. unde est illud Terentii, *Sine Cerere & Libero friget Venus*. LATICEMQVE LYÆVM. Latex proprie aqua est, ab eo quod intra terræ venas lateat: sed & vinum latet intra uvam. Vnde nunc dixit laticem. Lyæum autem pro Lyæium figurate; ponens principalitatem, pro derivatione.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM. Diffinitio amoris est, ignis occultus. VENENO. Venenum dictum, quia per venas eat; ideo post ait, *longumque bibebat amorem*.

PARET AMOR DICTIS. Vt supra, pro Cupi- » dine amorem posuit. Sane notandum, quod inter- » dum, ubi inducit minorem festinantem parere, ma- » jori respondentem eum non facit; ut hoc loco Cupi- » dinem, ut in IV. *Ille Patris magni parere parabat* » *Imperio*. Et in VII. *Exin Gorgoneis Alecto infecta* » *venenis*.

ET ALAS EXVIT. Hoc est deposuit. Laus ingens Ascanii per transitum. Siquidem alis tantum depositis Ascanius fuit.

DONATI.

HVNC EGO. Ne diceret Cupido, quid fiet de Ascanio, si ibo? SOPITVM. Nam illa ætas multum profundeque dormit. Ergo erit sat temporis ad capiendos mulieris animos. Designat etiam tempus & locum amoribus aptum.

NOCTEM VNAM. Erat spacium breve, sed erat properandum, ne longi temporis opera esset necessaria: quia Ascanius longiori somno teneri non potuit.

PARET. Non respondet, quid enim personæ matris, vel maxime in tali causa responderet: & tempus facta, non fabulas exigebat: ergo se officiosum matri præstat.

GAVDENS. Vel, ut filium exprimeret ad patrem euntem: vel, quia plena voluntate, jussa matris implebat.

VARIORVM.

FACIEM ILLIVS FALLE DOLO. Videtur hic *fallere faciem* dixisse, ut Sophocles in Philoctete. μορφὴν δολῶν. Hic siquidem fallere faciem est, ὑποκρίνεσθαι mentiri, & simulare. Non quod Ascanii facies immutata sit: sed quod ab alio repræsentata. GERMAN.

REGALES INTER MENSAS. Facile amor conciliatur inter epulas & pocula. Sine Cerere & Baccho friget Venus. PONT.

LATICEMQVE LYÆVM. Exponit Linacer, aliique *Lyæum*. Quid si dicas esse Græcismum: id est, Laticem Lyæi, pro humorem, succum? veluti illud, ναὶ ἐν ἀγόρῃ. Odyss. Α. HART.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM. Per definitionem locutus fuisse videtur: nam occultus ignis amor est, ac veneni instar; cujus natura est sensim diffundi per venas, indeque præcordia petere. Hæ sunt igitur amoris proprietates duæ, quas egregie Poëta designavit in 4. Æneid. cum ait:

At regina gravi jamdudum saucia cura
Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

NASCIMB.

Digitized by Google

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra.
Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Cum venit, auleis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

SERVII.

PLACIDAM PER MEMBRA QVIETEM. Aut epitheton est quietis: aut ideo *placidam* dixit, quia est quies, quæ potest etiam somniorum terrore turbari.

IRRIGAT. Infundit, proprie quia somnus sic pingitur, quasi cornu infundat. FOTVM. Sublatum, complexum.

AMARACVS. Hic puer regius unguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit. Vnde optima unguenta, amaracina dicuntur. Hic postea in herbam sampsuchum dicitur versus, quam nunc amaracum dixit.

IAMQVE IBAT. Cum vix Venus ista dixisset. Sane neque festinantibus personis, neque minoribus est respondendi facultas; ut hoc loco Cupidini: ut, Mercurio supra, item in quarto, ut in septimo, Furiæ.

CVM VENIT. Aut pro cum venerit ait. ut CVM sit adverbium temporis, pro *dum*. Nec enim potest conjunctivi modi particula, jungi indicativo. Sane sciendum, malo errore, *cum*, & *dum* à Romanis esse confusa. AVLÆIS. Velis pictis, quæ ideo aulæa dicta sunt; quod primum in aula Attali regis Asiæ, qui populum Romanum scripsit hæredem, inventa sunt. Ideo autem etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret: sub quibus bellantes semper habitavere majores. Vnde & in thalamis hoc fieri hodie conspicimus.

Varro tamen dicit vela solere suspendi ad excipiendum pulverem: quia usus cameræ ignorabatur. Vnde Horatius, *Interea suspensa graves aulæa ruinas In patinam fecere, trahentia pulveris atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.* Sciendum sane Græca nomina in η exeuntia, cum derivationem faciunt, η in æ diphthongum convertere, ut αὐλη, aulæa, ἰδη idæa, αἴτνη, ætnæa. SVPERBIS. Nobilibus. ut, *Ceciditque superbum Ilium.*

AVREA. Si Dido aurea, pulchram significat: & est nominativus. Si sponda, septimus quidem est: sed synæresis fit, & spondeus est. SPONDA. Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Vnde & triclinium sterni dicitur: sic Cicero, *Sterni triclinia & in foro jubebat.* Vnde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationem. MEDIAMQVE LOCAVIT. Collocavit. Ipse enim apud majores domini fuerat locus; ut aperte Salustius docet, *Igitur discubuere. Sertorius inferior in medio; supra L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; infra scriba Sertorii Versius. Alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.*

DONATI.

AT VENVS. Natura puerorum tangitur, qui securius & diu dormiunt, si etiam accedant alia oblectamenta: ut secessus, flores, & odores, & mollities, opacitasque umbrarum.

DVCE ACHATE. Ergo hunc fallebat, & lætus portabat dona: quia non frangebatur onere munerum, nec tædio viarum.

CVM VENIT. Executus est jussa mature: quia prævenit convivium, & venit cum jam discumberent in aptissimo tempore.

MEDIAM. Nam is locus potior apud veteres fuit. Nam Sallustius: Ita Sertorii convivium describit, ut ipsum, quia potior fuit, collocasset in medio.

VARIORVM.

MOLLIS AMARACVS. Proverb. *Nihil Sui cum amaraco.* HART.

VBI MOLLIS AMARACVS ILLVM, &c. Scalig. lib. 4. *Amaracus aspirans*, est quod supra dixit, *sertisque recentibus halant.* Omnia enim odorifera Veneri dicata sunt. Est autem Amaracus herba, quam & *Sampsuchum*, & vulgo *maioranam* dicunt: ex qua conficitur *unguentum amaracinum*, quod Plinius lib. 12. cap. 1. inter nobilissima recenset: quod peculiari quadam natura inimicum est suillo generi, adeo ut illi propemodum venenum sit. Testatur id Lucretius lib. 6.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est.

Neque pejus ullum animal odit Venus, quam Suem: ob interfectum Adonin. TAVBMAN.

AVREA COMPOSVIT SPONDA. Lecti latere, id est tabula, quæ lecti latus sustinet, quam vel hodie spondam vocamus, & quidem lecti, in quo dormimus. Sed & lecti dicitur, in quo comedentes accumbebant, qui sternebatur pro dignitate personarum. Vnde hic aurea sponda, id est stragula veste aurea cooperta. Calius, l. 27. c. 15. CORRAD.

MEDIAMQVE LOCAVIT. In lecto, qui medius esset, accubuit: ne quis credat Æneam, & alium quempiam in eodem etiam lecto sic accubuisse, ut Dido media esset. Nam mulieres in eodem lecto non accumbebant cum viris, nisi mariti, aut amatores essent. CORRAD.

Iam

Digitized by Google

Iam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super decumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ; quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates:
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrii per limina læta frequentes

SERVII.

IAM PATER ÆNEAS. Religiosus: quia pater proprie omnium deorum epitheton est, ut Virgilius ostendit.

OSTRO. Pro purpura posuit, unde & tingitur.

DANT MANIBVS FAMVLI LYMPHAS. Humilis character, qui ἰσχνὸς dicitur. Vilia enim describuntur. CEREREMQVE. Hic panem, alibi triticum: ut, *Tum Cererem corruptam undis.* EXPEDIVNT. Proferunt. TONSISQVE FERVNT MANTILIA VILLIS. Vel minutis: vel compositis, ut, *tonsa coma, pressa corona* * *est.* Con- » stat enim majores, mappas habuisse villosas, quibus » etiam in sacris utebantur; sicut in Georgicis, *Ma-* » *nibus liquidos dant ordine fontes Germanæ tonsisque* » *ferunt mantilia villis.* de sup[...]aturis enim hoc di- » xit. *mantilia* vero à tergendis manibus dicta; & est nominativus mantile, quo modo *torale.* Quod autem legimus, *Ne turpe toral,* apocope est.

QVINQVAGINTA INTVS FAMVLÆ. Hoc est multæ. ORDINE LONGO. Id est dispositione secundum Tullium: qui in OEconomicis dicit, quid ubi ponendum sit. Nec enim debent universa confundi. CVRA PENVM STRVERE. Inter penum & cellarium hoc interest; quod cellarium est paucorum dierum: unde & in cella dicitur importatum frumentum. Penus vero, temporis longi. Sane dicimus, & hic & hæc & hoc penus; sed à masculino & fœminino genere quarta est declinatio, à neutro tertia, quo modo est pecus pecoris. Vnde Horatius, *Portet frumenta penusque.* Masculino vero genere Plautus, *Nisi mihi annuus penus datur.* Fœminino Lucilius posuit, *Vxoris legata penus.* Quartæ autem declinationis, Persius docet: ut, *In locuplete penus defensis pinguibus umbris.*

STRVERE. Ordinare, componere. Vnde & Structores, dicuntur ferculorum compositores. ET FLAMMIS ADOLERE PENATES. Id est, Colere. Sed adolere, proprie augere. In sacris ADOLERE per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur & consumuntur; quia veteres in focis sacrificabant, ut ipse alibi, *Hortor amare focos.*

TOTIDEMQVE PARES ÆTATE MINISTRI. Non numerus: sed ætatis qualitas habet admirationem.

QVI DAPIBVS. Quidam dapes regum volunt esse, Epulas privatorum. ONERENT autem, potest & abundantiam retulisse, & de veterum more dixit, quibus cum accubuissent, omnis cœna semel adponebatur. Et quidam volunt hoc secundum « veterem ceremoniarum ritum adverti debere, quod « Flamini diali mensa inanis non adponebatur; nam « cum dicit, *Qui dapibus mensas onerent & pocula* « *ponant:* Et alibi, *Et vina reponite mensis,* quid « aliud ostendit, quam mensam vacuam non antepo- « sitam Æneæ, quem ubique omnia sacerdotia indu- « cit habuisse. ET POCVLA PONANT. Similiter « more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures; pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ canistra siccaria dicuntur.

DONATI.

IAM PATER ÆNEAS. Discernitur ipse & Trojani sedibus purpureis.

DANT. Describit familiæ ordinem. CANISTRIS. Mos apud veteres fertur fuisse, ut panis non argenteis, sed vimineis vasculis inferretur.

LONGO ORDINE. Vbi fuerant quinquaginta, ad quarum curam pertinebat procuratio cellarii, & deorum penatum cultus: illas sine dubio vicissitudo longo ordine tangebat.

CENTVM ALIÆ. Eleganter atque breviter divitias expressit, laudavitque. Voluit enim demonstrare, ducentos, & sexum, & ætatem discernere. Numerus autem non est res magna in rege, sed paritas ætatis, quæ ostendit quanta sibi servorum esset multitudo: ex qua ducenti pari ætate eligi potuerint digni, qui curarent supra dicta.

NEC NON. Supra ostrum Trojani, qui magis essent honorandi, sederunt: Tyrii vero in vestibus pictis.

VARIORVM.

FLAMMIS ADOLERE PENATES. Cum de penu & cibis Poëta loquatur, absurdum omnino mihi videtur, de sacrificiis deorum penatium hunc locum intelligendum esse: nam quid sacra cum epulis & culina? Potius de cibis curandis condiendisque intelligendum: nihilque aliud sit, *flammis adolere penates,* quam coquinam facere & cibos in foco condire atq; componere. Nam turpe fuisset omnino ac præter rationem institutumque priscorum, coquos aut alius generis servos Diis Penatibus sacra fecisse: quibus supremæ dignitatis homines in familiis sacrificare solebant. Cato in lib. de re rust. c. 2. hoc sacrificandi Laribus negotium patrifamilias tribuit. NASCIMB.

Con-

Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agite ô tectis juvenes succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.
NON *ignara mali, miseris succurrere disco.*
Sic memorat: simul Æneam in regia ducit
Tecta: simul divûm templis indicit honorem.

SERVII.

GENITOR TVM BELVS. Quidam alium patrem Melissæ dicunt. OPIMAM. Pro opulentam nonnulli accipiunt. VASTABAT CYPRVM. Quam subactam, concessit Teucro: ex responso Apollinis illuc perrexerat, ut in ea conlocaret imperium, qui eam civitatem Salaminam ex nomine patriæ ibi condidit; licet alii dicant ab ipso Teucro Cypri superatos incolas, & sic conditam civitatem; unde *Auxilio Beli* accipi potest, etiam Teucro auxilium à Belo ad occupationem Insulæ præstitum.

DITIONE. Potestate, omnis enim potestas dictis constat, id est imperio, & quærendus nominativus hujus nominis, sed de hac re historia longe aliud continet.

CASVS. Hoc loco, ruinæ, ut, *Ceciditque superbum Ilium:* non fortunæ intelligendus est casus.

PELASGI. A Pelasgo Iovis & Larissæ filio.

IPSE HOSTIS TEVCROS. Trojanorum laudis exaggeratio: qui etiam ab hoste laudantur, & quidam hostis singularem, quidam pluralem legunt. LAVDE, pro virtute accipiunt; ut, *Primam merui qui laude coronam.* FEREBAT. Laudabat, praeferebat.

TEVCRORVM A STIRPE VOLEBAT. Propter genus maternum: ut supra dictum est. Et plus est quod dixit *volebat*, quasi materno gaudens, refutaret genus paternum. Sane *stirpe*, cum de origine dicimus, generis feminini est; ut, *Heu stirpem invisam:* cum de ligno masculini, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.*

TECTIS SVCCEDITE NOSTRIS. Ad convivium vocat. Nam jam supra dixit, *Vrbe, domo socias.* dicitur autem & tecta succedere; ut, *Succeditque gemens stabulis;* &, *Tecto adsuetus coluber succedere.*

ME QVOQVE, Quemadmodum vos. SIMILIS FORTVNA. Scilicet adversa. DEMVM. Postea.

NON IGNARA MALI, MISERIS SVCCVRRERE DISCO. Quare non disco? Quia non sum ignara. Bis enim intelligimus *non*, ut supra diximus: sic Salustius, *Segnior, neque minus gravis & multiplex cura.*

SIMVL ÆNEAM IN REGIA DVCIT TECTA. Et hoc quod sequitur, videtur auspicium nuptiarum.

SIMVL DIVVM TEMPLIS I. H. Apud majores nostros mos fuit, ut magistratus post res serias quæ consulto peragebantur in fine actus adderent, *Diis honorem dico,* vel alio modo, *hinc ad Deos.* quod Poëta amator antiquitatis subtiliter docet; infert enim Didonem, post habitum cum Ænea colloquium & junctam hospitalitatem. *Quare agite ô tectis Iuvenes succedite nostris.* ut supra, *urbem quam statuo, vestra est:* Et, *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur;* post actum publicum Diis sacra jussisse: nam subjungit, *simul Æneam in regia ducit Tecta: simul Divum templis indicit honorem:* Id est, jussit fieri supplicationes. Et bene *Indicit*, quia Trojani inopinato venerant. Feriæ aut legitimæ sunt, aut indictæ. Indici autem dicuntur; quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat. Et iterum *Indictiva sacrificia* dicebantur, quæ subito ad præsens tempus indicebantur. aut certe de bonis damnatorum. Vnde & supplicia, dicuntur supplicationes, quæ sunt de bonis supplicia passorum. Salustius, *In suppliciis deorum magnifici.* Hinc etiam sacrum & venerabile & execrandum intelligimus: quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant, dicebantur sacra & honoraria, quod utrumque hoc loco complexus videtur.

DONATI.

QVARE. Scilicet, cum videatis vos non esse incognitos, & morem esse familiæ meæ, ut venientes excipiat, ut Teucer à patre susceptus est.

ME QVOQVE. Quam nunc videtis felicem, aliquando fortuna depressit, ut non pudeat calamitatum, quæ sunt æquo animo ferendæ. Et quoniam non præsentibus solum consulendum erat, mittit ad absentes munera. Laudat à magnitudine, quod tauri: & à numero, quod viginti. Si enim boves dixisset, imminuisset gratiam.

VARIORVM.

ME QVOQVE PER MVLTOS. Proverb. *Conciliant homines mala.* Cælius lib. 15. cap. 2. Cic. pro Mur. *Hoc natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur.* HARTVNG.

Nec

Nec minus interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingueis centum cum matribus agnos;
Munera, lætitiamque dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, calataque in auro
Fortia facta patrum: series longissima rerum,

SERVII.

TERGA SVVM. Non declinatio, *u*, litteram hoc loco geminat; sed ratio nominis in quo est *u*; sicut & *rum* mittit genitivum pluralem, non per declinationem, sed quia est in nomine *r*, ut patrum. Alituum vero ubi legimus, epenthesis est: sicut Mavortis, vel induperatoris. Nam alitum facit, vel Martis, aut imperatoris.

MVNERA, LÆTITIAMQVE DEI. Id est, Liberi patris: ac per hoc vinum: aut certe, ut multi legunt, *Lætitiamque die*, id est diei. Nonnulli Dii legunt, sicut veteres famis fami. Plautus in mercatore, *Quia aut noctis, aut dii, aut Solis, aut Lunæ.* Sane quidam hunc versum intelligi non putant posse, ut est ille. *Quem tibi jam Troja.*

SPLENDIDA INSTRVITVR. Pro instruitur, ut splendida sit. LVXV. Modo abundantia: alibi luxuria. Et notandum, quia affluentiam ubique exteris gentibus dat; Romanis frugalitatem, qui & duobus cibis tantum utebantur, & in atriis edebant sedentes. Vnde Iuvenalis, *Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?* Et Virgilius, *Perpetuis soliti patres considere mensis.* MEDIIS TECTIS. Iuxta cottidianam consuetudinem, ait, *mediis*, & si dicamus in media domo sua sedens turbatus est.

LABORATÆ VESTES. Labore perfectæ, ut *Laboratasque premunt ad pectora ceras.* Et est sermo in compendium coactus: sicut, *Rapuitque in fomite flammam*, id est raptim fecit. Et sane vestes non illas dicit quibus induimur, sed stragulas supra quas discumbitur; Sic enim dicebantur vestes stragulæ. OSTROQVE SVPERBO. Claro, pretioso: id est per se superbo, aut quia superbos faciat.

INGENS ARGENTVM MENSIS. Aut subaudis exponunt: aut mensas argenteas accipe. CÆLATAQVE IN AVRO. Insculpta tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam: in derivatione mutat. Nam COELVM est, unde operantur argentarii: quod producitur naturaliter. Sed in derivatione mutatur: diphthongus namque est, *calataque in auro*.

FORTIA FACTA. Veteres enim in conviviis solebant fortia parentum facta narrare, quæ hic etiam insculpta dicit. Et hic resolvit Poëta illud quod reprehenditur, cur in templo Iunonis, non Pœnorum & Græcorum facta depinxerit; scilicet quod suorum res pretiosiore materia signatas habuerit: quæ ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. SERIES. Ordo connexus.

DONATI.

PINGVES. Et ergo pingues erant, & ducenta ostendit capita.

MVNERA LÆTITIAMQVE DEI. Vinum, quod sufficeret omnibus.

AD LITTORA. Scilicet ad illos, quos reliquerat Æneas: & ad illos quos Ilioneus.

AT DOMVS. Ostendit, quod cum hospites recepimus, domus pro eorum meritis est componenda. Ergo cum accipiendus esset Æneas, tantus vir, domum regali luxu per se splendidam, tamen additis multis repentinis ornavit: ergo legendum, *Domus splendida regali luxu*: & interjecta mora dicamus, *Instruitur*. INTERIOR. Quia interim in exteriorem partem Trojanos induxerat: interior melius solito ornabatur.

MEDIIS TECTIS. Nam cum multa turba esset accipienda, alibi tot triclinia sterni non poterant.

CONVIVIA. Omnia convivia vehementer splendebant, sed fuit in apparatu diversitas, propter distantiam personarum. Nam hospites cum regina recepti sunt in ostro superbo. Tyrii vero tanquam minoris dignitatis, in vestibus pictis, ut in textu videbis

ARGENTVM MENSIS. Adiecit mensis, ut ostenderet escarium argentum, ne putaretur in ea specie esse, quæ longe esset ab usu mensarum. Est multiplex argenti laudatio. Nam fuit magnum, insignitum auro, & miro artificio, ut ars cum ipsius precio certaret. Sculptura autem gesta majorum continebat, quorum contemplatione meruit longissimum tempus conservari.

VARIORVM.

HORRENTIA CENTVM TERGA SVVM. Id est centum sues. *Horrentia* autem, (non ut putant) sale aut setis, sed ingentia; quorum aspectus posset horrorem incutere. Intelligit autem *hecatomben*, quam qui navigarant, vel navigaturi erant, faciebant. CORRAD. TAVBMAN.

MVNERA LÆTITIAMQVE. Gellius l. 9. c. 14.

MVNERA LÆTITIAMQVE DEI. Mittit hæc omnia, ut Neptuno sacrificent: quæ res munera lætitiamque *Deo*, id est Neptuno afferat. CORRAD.

MEDIISQVE PARANT CONVIVIA. Triclinia enim in media cænatione strata erant; ut ministris liberrimus locus relinqueretur. Ita 3. Æneid. *Aulas in medio, &c.* CORRAD.

Digitized by Google

Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naveis præmittit Achatem:
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis, auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:

SERVII.

PER TOT DVCTA VIROS. A Belo, primo rege Assyriorum: ut, *Ab antiquo durantia cinnama Belo.* A Belo usque ad Belum, patrem Didonis: qui & ipse Assyrius fuit, quamvis alio nomine pater Didonis fuisse dicatur; sed hic ait, *Quam Belus, & omnes à Belo soliti*: cum inter patrem & filiam medius nullus existat: & regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur. Vnde & Helois. Ergo addita digammo, & in fine facta derivatione, à Sole regi nomen imposuit.

ÆNEAS. Sequitur, *Rapidum ad naves.* Cætera per parenthesim dicta sunt.

RAPIDVM AD NAVES PRÆMITTIT ACHATEM. Non præmittit (nec enim ipse sequitur) sed prærapidum: quod ex affectu patris, id est, ejus qui mittit intelligendum est, non ex Achatis velocitate. Et sic prærapidum dixit, quomodo Terentius, *Per pol quam paucos.* Hoc est perquam paucos volo. Pol enim, per se plenum est jurantis adverbium: cui præpositio separatim nunquam cohæret.

FERAT. Afferat, nuntiet: ut, *Feret hæc aliquam tibi fama salutem.*

STAT. Modo est. ut, *Grajo stant nomine dicta.* alias horret; ut, *stant lumina flamma.* &, *Stabat acuta silex.* Item plenum est: ut, *Iam pulvere cœlum Stare vident.* Item positum est: ut, *Stant manibus aræ.* Item placet: ut, *Stat, conferre manum.* Pro loco ergo hic intelligendus est sermo. ILIACIS EREPTA RVINIS. Commendat ex loci difficultate: ut, *Nec tuta mihi valle reperti.* Item ex longinquitate, ut, *Iliacis erepta ruinis*; ut Terentius, *Ex Æthiopia est usque ancilla hæc.*

EREPTA. Ostendit valde pretiosa, quæ meruerunt ex ruinis civitatis eripi. Laborat autem Poëta hoc sermone probare ab Ænea non esse proditam patriam, si ornatus Helenæ ex incendio eripuit, bellorum casu, quam cum Antenore Trojam prodidisse manifestum est, non pro præmio proditionis accipit.

PALLAM RIGENTEM. Duram propter aurum, sicut & novas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallium: quod secundum Varronem palla dicta est, ab irrugatione, & mobilitate: quæ est circa finem hujusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. SIGNIS AVROQVE. Signis aureis, ut, *Molemque & montem.*

ET CIRCVMTEXTVM VELAMEN. Cycladem significat. ACANTHO. Herba, Acantho, i. flexibili virgulto: In cujus imitationem arte vestis ornatur, Varro ita refert, *Ctesias ait in India esse arbores, quæ lanam ferant, Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti sunt aculei ex his implicitu mulieres multiplicem conficere vestem*: hinc vestimenta acanthina appellata.

DONATI.

PRÆMITTIT. Non quia esset secuturus: nec intelligitur, prærapidum mittit, sed præmittit, id est, ante prandium mittit, ut maturius videret filium, & ut afferrentur munera, quæ Didoni dare volens inter epulandum commodissime dabantur. Major enim erat futura convivii voluptas, & præsentia Ascanii, & oblatione munerum.

OMNIS IN ASCANIO. Nam reliquæ curæ jam semotæ erant.

MVNERA. Hæc convivium gratius factura erant, & poterant ostendere, quanta urbis fuisset felicitas. EREPTA. De magnis & plurimis, crede magnis & plurimis, credendum est meliora rapuisse

VARIORVM.

PALLAM SIGNIS AVROQVE RIGENTEM. Alludit forsan ad rectam tunicam, quæ ὀρθὸ ἱστός. & ita erat contexta, ut veluti rigens staret: qua novæ nuptæ induebantur: quamque liberis parentes ominis caussa conficiendam curabant. GERMAN.

PALLAM SIGNIS AVROQVE RIGENTEM. *Signis auroque* dictum est figura ἓν διὰ δυοῖν, pro signis aureis. signa aurea sunt clavi. Græcis etiam σημεῖα. SALMASIVS.

ET CIRCVMTEXTVM CROCEO, &c. Notabis hic, sive Servii, sive alterius Grammatici, non levem errorem: qui hunc versum de vestibus acanthinis interpretatur. quod caret ratione. *Acanthina Vestimenta* tota ex lanugine florum acanthii texta erant; *velamen croceo acantho circumtextum*, apud poëtam, tunica est per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad instar acanthi flexibilis virgulti. immo ἄκανθον Græci etiam vocavere hujusmodi limbos vestium. SALMASIVS.

ET CIRCVMTEXTVM CROCEO, &c. Cycladem intelligit. nam Cyclas inde dicta est, quod limbum in circuitu haberet ad oram extremam adsutum. limbum enim κύκλον Græci vocant. hinc κυκλὰς tunica quæ limbum haberet. Acanthus vero hic est purpura quæ circumit extremam vestis oram. SALMASIVS.

Orna-

Digitized by Google

Ornatus Argivæ Helenæ; quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenæos,
Extulerat; matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

SERVII.

ORNATUS ARGIVÆ HELENÆ; QUOS ILLA MYCENIS. Hic quoque commendatio muneris à persona, quæ & in fuga magnificerit. ARGIVÆ autem à vicinitate dixit Argivæ. Et paulo post Mycenis: cum Spartana fuerit, quæ civitas est in Laconia. Nam legimus, *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Et vide jam omen infœlicitatis futuræ: cum adulteræ suscipit munera.

PERGAMA CUM PETERET. Eo tempore quo à Paride sollicitata est Helena Venere faciente, quæ ei in præmium pro victoria quam de malo aureo acceperat, alienum matrimonium concilians, sicut nota fabula omnibus traditum est, quamvis vera historia hoc habere dicatur, non sollicitatam à Paride Helenam, sed cum non ei consentiret, ut absente eo tempore Menelao, sponte eum sequeretur ad Trojam, expugnata civitate, vi à Paride sublatam: Unde factum est, ut Paris, timore ne qui eum sequerentur, non recto itinere properaret ad patriam, sed diverteret ad Ægyptum, & ad regem Proteum veniret; qui cum esset sacrificus, & agnovisset alienam uxorem à Paride raptam, duci eam dicitur subtraxisse, & nescio quibus disciplinis phantasma in similitudinem Helenæ formatum Paridi dedisse, quod in 2. plenius invenies.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Et fato & legibus. Hymenæus autem, ut alii dicunt, deus est nuptiarum. Ut alii, quidam juvenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina est. Unde expiationis caussa nominatur in nuptiis, sed falsum est. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas, inter bella sævissima virgines liberavit: quam ob caussam nubentes ejus invocant numen, quasi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talasio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum, Plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulavit: cujus nomine fuit puellæ tuta virginitas. EXTULERAT. Secum exportaverat.

MATRIS LEDÆ MIRABILE DONUM. Vel quod ipsa filiæ: Vel quod ei Iupiter dederat.

PRÆTEREA SCEPTRUM, ILIONE. Bene offert munera, apta personis: sicut etiam Latino, in septimo. ILIONE QUOD GESSERAT OL. Quia etiam feminæ sceptro utebantur. Gesserat autem, ut, *hoc Priami gestamen erat:* & quæritur utrum hoc sceptrum de Thracia, an de Troja sublatum: quidam Æneæ ab Iliona datum dicunt; sed quamvis apta nupturæ reginæ sint munera, tamen futurorum malorum continere omen videntur.

MAXIMA NATARUM PRIAMI. Quia ante etiam fœminæ regnabant: præsertim primogenitæ, unde est, *Maxima.* Hæc autem uxor Polymnestoris fuit, quæ post captum Ilium, ejecta à viro, manu sua interiit. COLLOQUE MONILE. Ornamentum gutturis: quod & segmentum dicunt: ut Iuvenalis, *Segmenta & longos habitus.* Licet segmentatas vestes dicamus: ut ipse, *Et segmentatis dormisset parvula cunis.*

BACCATUM. Ornatum margaritis. Dicimus autem & hæc margarita, & hoc margaritum, & hæc margaris, quod Græcum est; quo modo Nais. Sane multi separant gemmam & margaritam; ut Cicero, *Nullam gemmam aut margaritam.* & gemmas volunt dici diversi coloris: margaritas vero albas; vel gemmas integras, margaritas pertusas.

DUPLICEM GEMMIS AUROQUE CORONAM. Duplicem, aut latam: ut, *Duplici aptantur dentalia dorso.* Item, *aut duplex agitur per lumbos spina.* Aut re vera, duplicem gemmis & auro: Sane immiscet Romanam consuetudinem, coronis enim feminæ utebantur.

DONATI.

ARGIVÆ HEL. Hanc adeo formosam fuisse dicunt, ut ejus forma, redacto maximo peritissimorum pictorum in unum numero, propositis etiam formosissimarum mulierum nudis corporibus pingi nequiverit: ergo quæcunque erat formosa, ab ea appellabatur Helena. Sed Virgil. *Argivæ* dixit, ut de illa sola intelligeretur.

EXTULERAT. Nam cum esset regis uxor & locupletissima, & iret ad Trojam, has ut præcipuas secum abstulit, non redituram se sperans, propter admissum adulterium: propterea addidit inconcessos Hymenæos. LEDÆ MIRABILE. Ut tam pulchra, nisi à matre, donari non potuissent: & cum donarentur miratos esse qui viderent. Adduxit autem, ut his uteretur quotiens adultera formosior videri volebat. Ergo superabant formam, quæ pingi non potuit, pulchrioremque reddebant.

MAXIMA. Solent enim religiosi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus.

BACCATUM. Neque hæc dissimilia esse debebant, quæ optimus pater & ditissimus, maximæ filiæ dederat.

VARIORUM.

INCONCESSOSQUE HYMENÆOS. Adulterii definitio.

BACCATUM. Grapaldum pete, lib. 2. cap. 5.

DUPLICEM GEMMIS. Suspicatur Turneb. lib. 29. 4. *Duplicem* coronam, ab antiquis *nuptialem* dici, ad differentiam *Virginalis*, quæ simplex forte fuit. Pimpontius censet alludi hic ad coronas gemmis contextas, quæ Chrysostomo λιθοκόλλητοι στέφανοι. TAUBM.

Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia; ut faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat; donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues:
Urit atrox Iuno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:

SERVII.

HÆC CELERANS. Celeriter facere cupiens.

AT CYTHEREA. Ab insula quæ numero tantum plurali dicitur: ut, *Sunt alta Cythera.* NOVAS ARTES. Ars τῶν μέσων est: unde sine epitheto male ponitur. Veteres autem *artes* pro dolis ponebant, Et Terent. in Heautont. *Quendam offendi ibi militem, Ejus noctem orantem: hac arte tractabat virum.* Item in Phormione, *Artificem probum*: nam & Græci dolos, technas dicunt, ut in 2. *Perjurique arte Sinonis.* ut bonas artes, malasque artes dicamus.

FACIEM MUTATUS. Nota figura est. Quod autem addidit & *ora*, perissologia est.

DONISQUE FURENTEM INCENDAT REGINAM. Incendat & furere faciat; ut, *Animumque labantem Impulit.* Implicet proprie ait: Impliciti enim morbo dicuntur, nam & amor morbus.

QUIPPE DOMUM TIMET AMBIGUAM, modo incertam. In qua habitat mutabilis fœmina: ut, *Varium & mutabile semper Fœmina.* Item Iuno in quarto, *Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.* Alias, *ambiguam*, pro gemina duplicique accipitur: ut, *Agnovit prolem ambiguam.* TYRIOSQUE BILINGUES. Fallaces. Nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem.

ATROX. Primo quantum ad Venerem pertinet, sæva; non quia ita de ea poëta judicet. SUB NOCTEM CURA RECURSAT. Circa noctem. Et sciendum quia cum tempus significatur, SUB, præpositio accusativo cohæret: ut, *Aut ubi sub lucem, densa inter nubila sese Diversi rumpunt radii.* Et bene SUB NOCTEM CURA REC. Quia vehementiores curæ vel circa noctem, vel per noctem sunt. RECURSAT autem, Recurrit & revertitur, quasi semper in mentem venit.

ERGO HIS ALIGERUM DICTIS AFFATUR AMOREM. *Aligerum.* Compositum à Poëta nomen: Sane Latini deum ipsum Cupidinem vocant: eo quod facit amorem. Sed hic imitatus est Græcos: qui uno nomine utrumque significant. Nam Amorem dixit deum: sed discrevit epitheto. Sane nomen hoc, ratione non caret. Nam & quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: ut, *Inter quas curam Clymene narrabat inanem.* id est amorem. Item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: ut, *Incipit effari, mediaque in voce resistit.* Alatus autem ideo, quia amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur; ut in ipsa probatur Didone. Nam de ejus interitu cogitat, cujus paulo ante amore deperibat; ut 4. *Non potui abreptum divellere corpus.* Sagittas vero ideo gestare dicitur, quia & ipsæ incertæ velocesque sunt. Et hæc ratio pene in omnibus aliis numinibus, pro potestatum qualitate formatur.

DONATI.

HÆC CELERANS. Laudat hominis diligentiam.

AT CYTHEREA. Id est, dum hæc gererentur. Necessaria metuentis Veneris deliberatione, cujus æstus augebat consideratio loci, temporis, & personæ, erant ab Achate perficienda jussa. Et periculosum erat credere nepotem eidem periculo, in quo erat Æneas: ne tota simul progenies interiret. Nam quamvis Trojani essent humane suscepti, metuebatur tamen, fallax natura Tyriorum & stimulus Iunonis: ne ipsa opportunitatem loci, & occasionem temporis nacta, terra opprimeret, quos mari extinguere non poterat. Artes ergo novæ, id est, consilia elaborata exquiruntur, ut Ascanius non pergeret, & tamen Achates jussa faceret. Fallit ergo omnes, & profert Æneæ amorem, sibi concilians Didonem: Nam neque Æneas iratæ resistere potuisset exigua substantia, neque convulsis navibus & in hyeme effugere.

VARIORUM.

HÆC CELERANS. Id est, festinans hæc celeriter peragere: ut verbum per ellipsim subaudias: nisi quis absoluto verbo accusandi casum adjungere malit, cui ego non magnopere refragabor. HORTENS.

DONISQUE FURENTEM INCENDAT REGINAM. Figurata locutio est: id est incendat, & furere faciat: nondum enim accensa erat, sed adventu Cupidinis flagrare cœpit amore Æneæ. Quod vero Poëta ait, DONIS, naturæ muliebris rationem habuit; quæ facile donis capitur: unde de Eriphyle legitur, quod monilis sibi oblati pulchritudine allecta, viri sui salutem prodidit. Cic. NASCIMBÆN.

ATQUE OSSIBUS IMPLICET IGNEM. Ut molestiam quam fieri potest maximam exhibeat: nam qui ossibus inhæret dolor, gravius torquere solet: nove autem dictum videtur, *Implicare ignem ossibus*, pro inferre, seu injicere amorem ossibus. NASCIMBÆN.

TYRIOS BILINGUES. ἀγκύλους, δολίους. fallaces & subdolos. Et potest allusum videri ad duplicem linguam, qua Pœni utebantur, Tyriam & Lybicam. Et tales qui sunt, plerunque habentur veteratores. Iam *Punica fides*, & *Phœnicum pacta*, Proverbio locum fecere. Vide TURNEB. lib. 10. c. 24.

Nate,

Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis,
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus, omnia circum
Littora jactetur, odiis Iunonis iniquæ,
Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.

SERVII.

NATE MEÆ VIRES. Aut quia Veneria voluptas exerceri sine amore non potest: aut secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quanquam alii dicant, ex ipsa & Marte: alii ex ipsa & Vulcano: alii vero Chai & primæ rerum naturæ eum esse filium velint. Sane & hic persuasoriam agit, sicut superius, ubi Iuno ad Æolum loquitur. *Æole namque tibi:* sed ibi, quia dea cum homine loquebatur, principio opus non fuit: hic vero principio usus est, quia Dea cum Deo loquitur, ad benevolentiam comparandam. NATE, ab indulgentissimo nomine causa amoris. MEA MAGNA POTENT. Quid possit facere. QUI TELA TYPH. TEMN. Pro quo, FRATER UT ÆN. PELAGO TUUS. contra quem, ODIIS IUN. INIQ. Nam quod dicit Frater tuus, non filius meus, ostendit ei etiam profuturum qui rogatur. Nam ex eo genere est illud, *Et nostro doluisti sæpe dolore.* Quæritur causa, HUNC PHOENISSA TENET D. Timor ipsius, ET VEREOR QUO SE IUN. V. Rem ipsam, QUOCIRCA CAP. A. D. Modus. QUA NEC ERRE ID. P. Quamdiu, NOCTEM NON AMPL. V. An difficile sit, ET NOTOS PUERI P. I. V. Quomodo, UT CUM TE GREMIO A. L. D. Subito amabit, OCCULTUM INSPIRES IG. F. Q. V. Nihil promisit, quid enim promitteret Deo? SOLUS, NATE, Id est solus qui Iovis contemnis fulmina, quæ diis cæteris solent esse terrori.

PATRIS SUMMI. Nunc quidem de Iove proprie dixit. Sciendum tamen pro qualitate rerum vel personarum, summum deum dici, vel patrem. Nam summum unusquisque putat esse eum, quem colit: ut, *Summe deum sancti custos Soractis Apollo.* TYPHOEA. Multi Typhoja legunt: ut cerealia, & cerealea. *Typhœa* autem dixit, non quibus Typhoeus usus, sed quibus Iupiter in Typhoeum: epitheton, ab spoliis, id est virtute & victoria posuit. ut Scipio Africanus & Metellus Creticus. TEMNIS. Aphæresis, pro contemnis. Hac autem laude hoc dicit, facile eum posse Iunonem contemnere, qui Iovem contemnit.

AD TE CONFUGIO. Personarum ratio facit laudis augmentum. TUA NUMINA. Possibilitatem. & notandum est unum deum plura habere numina; ut supra dictum est de Iunone.

FRATER UT ÆNEAS. Conciliatio à qualitate personæ, UT autem, est quemadmodum: quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est.

IACTETURQUE. Vacat QUE. ODIIS IUNONIS INIQUÆ. Iusta caussa petitionis ostenditur. Odium autem, o in nomine breve est, in verbo vero longum, ut Odit. Quemadmodum liquor, li brevis est: liquitur longa.

NOTA TIBI. Græca figura est: ut Terentius, *Mira vero militi quæ placeant.* ET NOSTRO DOLUISTI SÆPE DOLORE. Nostro autem, eo quo & ego: aut doluisti, ideo quia me dolentem vidisti; ut doleo illa re.

DONATI.

NATE. Breviter omnia consilia sua exprimit, & quomodo fieri possit ostendit: & honestum facile, & necessarium demonstrat. MEÆ VIRES. Vendicat sibi necessitudo parentum, quicquid liberi possunt. Et docet inter filios & parentes tale debere esse volendi & nolendi studium, ut, in multis licet corporibus voluntas una & necessitudinis vinculum indistinctum, integrumque perduret.

TELA TYPHOEA. Facile ostendit esse quod petit. Qui enim potuit Iovis fulmen contemnere, facilius poterit fœminæ mentem possidere. Ergo ita dixit, ne ille excusaret propter Iunonem. Fecit autem benevolum filium dicendo, *nate.* Item, quod potior esset Iove, & esset potentia sua.

AD TE. Quasi dicat: Non est, qui tantum aut debeat, aut possit. SUPPLEX. Admonuit pietatis, ut filium: rogavit, ut Deum. Quid igitur accessit oneris, cum est rogatus ab ea, quæ autoritate parentis jubere poterat?

FRATER UT ÆNEAS. Fecit benevolum & attentum: nunc facit docilem subjuncta narratione totius negotii. Dixit frater tuus, ut appareat operam non in extraneo ponendam, sed in fratre esse necessariam. Ergo honestum & pium: ut frater pro fratre laboret, præsertim in causa salutis. Adjungit labores, ut moveat commiserationem: & ostendit injuste pati, & deformat personam adversariæ, quæ prosequatur innoxium.

NOTA TIBI. Hoc ad laudem Cupidinis pertinet. Maximum enim crimen esset ejus, si fratris periculum nesciret. DOLUISTI. Si præterea doluit, debet cavere ne rursus dolenda succedant.

VARIORUM.

FRATER UT ÆNEAS, NOTA TIBI. Enallage Homeri. Vide Linacr. l. 6. c. de Enallage. HART.

ODIIS IUNONIS INIQUÆ. Ne majora, quam revera sunt, dicere videatur, testem ipsummet Cupidinem citat, inquiens: NOTA TIBI. Et quod multo majus est, etiam addit: ET NOSTRO DOLUISTI SÆPE DOLORE. Quibus ex verbis apparet, tantas fuisse Æneæ calamitates, & incommoda, ut ea sæpius matrem & agnatos ad dolorem excitaverint. NASCIMBÆN.

Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: & vereor quo se Iunonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo se numine mutet;
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura,
Dona ferens, pelago & flammis restantia Trojæ.

SERVII.

PHOENISSA. De Phœnice. TENET. Moratur. BLANDIS VOCIBVS. Ideo dixit *blandis*, ut ostenderet Didonem facile amore incendi posse, quæ ante jam blanda est quam amet.

QVO SE IVNONIA VERTANT HOSPITIA. *Quo*: in quam partem. Iunonia autem hospitia, Carthaginem dicit: ubi habitabat Iuno; ut, *Hic illius arma.* Aut certe hoc ipsum vereor, quod Æneæ Carthago in hospitium patuit; ut est, *Timeo Danaos & dona ferentes.*

HAVD TANTO CESSABIT CARDINE RERVM. Aut ἀντιπτῶς dixit, ne in tantum quidem: hoc est brevi occasione cessabit. Aut simpliciter intelligendum, Non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: ut sit de proverbio tractum, quod dicitur; *Res in cardine est*, hoc est in articulo. Quidam sic intelligunt; cum in incerto statu res sunt, *in cardine* esse dicuntur, & translatione verbi à janua tractam volunt, quæ motu cardinis hac atque illac impelli potest.

QVOCIRCA. Quapropter. MEDITOR. Mente pertracto.

NE QVO SE NVMINE MVTET. *Quo*, vel vacat, vel pronomen est. Et bene supprimit numen Iunonis, ne ejus frequenti commemoratione, Cupidinem terreat: Magis enim vult eum intelligere, quam audire Iunonem: aut certe adverbium est: ut sit, Timeo ne se numine Dido, aliquam commutet in partem.

MECVM. Id est cum officio Venerio; vel mecum per meos amores me adnitente. Nec potest intelligi, quemadmodum ego. Aliter enim à matre Æneas, aliter amatur à Didone.

QVO. Id est quomodo. ACCIPE. Audi: ut, *Accipe nunc Danaum*; ut contra, *Da*, dic: ut, *Da Tityre nobis. Da, non indebita posco?* MENTEM. Dispositionem, consilium.

ACCITV. Evocatione, & est quartæ declinationis.

VRBEM SIDONIAM. Quam tenent Sidonii. MEA MAXIMA CVRA. Et Æneas cura est; sed Ascanius maxima: *Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur*: & ubique Ascanius maxima cura Veneris introducitur: ut, *Veneris justissima cura.* Item, *Hunc tegere, & dira valeam subducere pugna.*

DONA RESTANTIA. Quæ restiterunt, superfuerunt que, & ante Pelagus posuit, cum post Trojæ eversionem navigaverit Æneas.

DONATI.

DIDO TENET. Ostendit facilitatem petitionis. Nam si amore jam Æneæ affecta est, non est opus initio amoris, in quo magna est difficultas, sed augmento. Desideratur autem augmentum, quia timetur Iuno: à qua amor talis posset abrumpi: ergo opus erat tali amore, qui non posset abrumpi à Iunone.

CARDINE. Hic fidem facit, cum fores clauduntur: & tribuit firmitatem. ergo dixit: *Tanto cessabit cardine rerum.* Erat enim in potestate absolvere amorem, quem voluntate susceperat: sed divinitus impactus, non potuit humano arbitrio summoveri. Afferit ergo necessarium remedium, quo omnis illa factio succumbat.

MECVM. Tanto amore amet, quanto mater amat filium: cujus amor nullius violentia numinis valet abrumpi.

CAPERE ANTE DOLIS. Ostendit melius esse ventura propulsare, quam his quæ venerunt remedia quærere.

PVER IRE PARAT. Ostendit in commutatione formæ, ætatis commutationem non fore difficilem. MAXIMA CVRA. Nolebat mittere Ascanium, ne duorum sollicitudine frangeretur: vel, ne is mitteretur, qui exoriente tumultu, sibi per ætatem cavere non posset.

VARIORVM.

IVNONIA VERTANT HOSPITIA. Id est, Punica, ideoque omnia suspecta. *Iunonia* enim *hospitia* ex eo dicta, quod Carthago Iunoni dicata esset, quæ *Iunonia* quoque vocata est. TVRNEB. l. 18 c. 32.

HAVD TANTO CESSABIT CARDINE R. Id est in tanta occasione rei faciendæ haud cessabit. ibi Servius notat dici *rem in cardine esse*, quum in articulo est. Ergo cardo ipsum punctum est ac momentum occasionis & oportunitatis, quæ nisi rapiatur, effluit statim. SALMASIVS.

CARDINE RERVM. Proverb. Res est in cardine. HARTVNG.

ET CINGERE FLAMMA REGINAM. Vox militaris, *Cingere flamma*, & metaphorica, ab obsessis igne ferroque urbibus, φλογὶ ἀμφιβάλλειν. Ita 6. Æneid. *& mœnia cingere flamma.* GERMAN.

Hunc

Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non amplius unam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt, cum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticemque Lyæum:
Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis charæ genitricis; & alas
Exuit, & gressis gaudens incedit Iüli.

SERVII.

SOPITVM SOMNO. Vnum quidem est sopor & somnus; sed modo *sopitum*, irrigatum intelligimus. CYTHERA. Sicut dictum est genere neutro pluraliter, ut alibi, *Est alta Cythera*.

IDALIVM. Cypri nemus est, in quo oppidum breve; ut paulo post, *Idaliæ lucos*. Item, *Idaliumque nemus*. SACRATA SEDE. Vel templi, vel oppidi.

NE QVA SCIRE DOLOS. Qua vacat, ut frequenter diximus. MEDIVS. Importunus, incongruus.

TV FACIEM ILLIVS. Faciem pro vultu posuit. Nullus enim potest faciem alterius accipere: sed vultum, qui pro mentis qualitate formatur. Vnde infra est, *Et notos pueri puer, indue vultus*: aut certe quia difficile numini non est, ut in faciem mutetur alterius. Sane *illius* in Georgicis corripuit; ut, *Illius immensæ*. NOCTEM NON AMPLIVS VNAM. Vt supra diximus, artis poëticæ est, non omnia dicere. Vnde nunc permisit *Noctem unam*. Nec enim dicturus est, aut abscessum Cupidinis, aut adventum Ascanii.

PVERI PVER. Argumentum à facili. LÆTISSIMA DIDO. Non est epitheton perpetuum: id est cum læta esse cœperit.

REGALES INTER MENSAS. Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est: & facilis amoris occasio. unde est illud Terentii, *Sine Cerere & Libero friget Venus*. LATICEMQVE LYÆVM: Latex proprie aqua est, ab eo quod intra terræ venas lateat: sed & vinum latet intra uvam. Vnde nunc dixit laticem. Lyæum autem pro Lyæium figurate; ponens principalitatem, pro derivatione.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM. Diffinitio amoris est, ignis occultus. VENENO. Venenum dictum, quia per venas eat; ideo post ait, *longumque bibebat amorem*.

PARET AMOR DICTIS. Vt supra, pro Cupidine amorem posuit. Sane notandum, quod interdum, ubi inducit minorem festinantem parere, majori respondentem cum non facit; ut hoc loco Cupidinem, ut in IV. *Ille Patris magni parere parabat Imperio*. Et in VII. *Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis*.

ET ALAS EXVIT. Hoc est deposuit. Laus ingens Ascanii per transitum. Siquidem alis tantum depositis Ascanius fuit.

DONATI.

HVNC EGO. Ne diceret Cupido, quid fiet de Ascanio, si ibo? SOPITVM. Nam illa ætas multum profundeque dormit. Ergo erit sat temporis ad capiendos mulieris animos. Designat etiam tempus & locum amoribus aptum.

NOCTEM VNAM. Erat spatium breve, sed erat properandum, ne longi temporis opera esset necessaria: quia Ascanius longiori somno teneri non potuit.

PARET. Non respondet. quid enim personæ matris, vel maxime in tali causa responderet: & tempus facta, non fabulas exigebat: ergo se officiosum matri præstat.

GAVDENS. Vel, ut filium exprimeret ad patrem euntem: vel, quia plena voluntate, jussa matris implebat.

VARIORVM.

FACIEM ILLIVS FALLE DOLO. Videtur hic *fallere faciem* dixisse, ut Sophocles in Philoctete. μορφὴν δολοῦν. Hic siquidem fallere faciem est, ὑποκρίνεσθαι mentiri, & simulare. Non quod Ascanii facies immutata sit: sed quod ab alio repræsentata. GERMAN.

REGALES INTER MENSAS. Facile amor conciliatur inter epulas & pocula. Sine Cerere & Baccho friget Venus. PONT.

LATICEMQVE LYÆVM. Exponit Linacer, aliique *Lyæum*. Quid si dicas esse Græcismum: id est, Laticem Lyæi, pro humorem, succum? veluti illud, [illegible] Odyss. A. HART.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM. Per definitionem locutus fuisse videtur: nam occultus ignis amor est, ac veneni instar; cujus natura est sensim diffundi per venas, indeque præcordia petere. Hæ sunt igitur amoris proprietates duæ, quas egregie Poëta designavit in 4. Æneid. cum ait:

At regina gravi jamdudum saucia cura
Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

MASCIMB.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra.
Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Cum venit, auleis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

S E R V I I.

PLACIDAM PER MEMBRA QVIETEM. Aut epitheton est quietis: aut ideo *placidam* dixit, quia est quies, quæ potest etiam somniorum terrore turbari.

IRRIGAT. Infundit, proprie quia somnus sic pingitur, quasi cornu infundat. FOTVM. Sublatum, complexum.

AMARACVS. Hic puer regius unguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creavit. Vnde optima unguenta, amaracina dicuntur. Hic postea in herbam sampsuchum dicitur versus, quam nunc amaracum dixit.

IAMQVE IBAT. Cumvix Venus ista dixisset. Sane neque festinantibus personis, neque minoribus est respondendi facultas; ut hoc loco Cupidini: ut, Mercutio supra, item in quarto, ut in septimo, Furiæ.

CVM VENIT. Aut pro cum venerit ait. ut CVM sit adverbium temporis, pro *dum*. Nec enim potest conjunctivi modi particula, jungi indicativo. Sane sciendum, malo errore, *cum*, & *dum* à Romanis esse confusa. AVLÆIS. Velis pictis, quæ ideo aulæa dicta sunt; quod primum in aula Attali regis Asiæ, qui populum Romanum scripsit hæredem, inventa sunt. Ideo autem etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret: sub quibus bellantes semper habitavere majores. Vnde & in thalamis hoc fieri hodie conspicimus.

Varro tamen dicit vela solere suspendi ad excipiendum pulverem: quia usus cameræ ignorabatur. Vnde Horatius, *Interea suspensa graves aulæa ruinas In patinam fecere, trahentia pulveris atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.* Sciendum sane Græca nomina in ε exeuntia, cum derivationem faciunt, ε in æ diphthongum convertere, ut αὐλὴ, aulæa, ἰδὴ idæa, αἴτνη, ætnæa. SVPERBIS. Nobilibus. ut, *Ceciditque superbum Ilium.*

AVREA. Si Dido aurea, pulchram significat: & est nominativus. Si sponda, septimus quidem est: sed synæresis fit, & spondeus est. SPONDA. Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Vnde & triclinium sterni dicitur: sic Cicero, *Sterni triclinia & in foro jubebat.* Vnde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationem. MEDIAMQVE LOCAVIT. Collocavit. Ipse enim apud majores domini fuerat locus; ut aperte Salustius docet, *Igitur discubuere. Sertorius inferior in medio; supra L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; infra scriba Sertorii Versius. Alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.*

D O N A T I.

AT VENVS. Natura puerorum tangitur, qui securius & diu dormiunt, si etiam accedant alia oblectamenta: ut secessus, flores, & odores, & mollicies, opacitasque umbrarum.

DVCE ACHATE. Ergo hunc fallebat, & lætus portabat dona: quia non frangebatur onere munerum, nec tædio viarum.

CVM VENIT. Executus est jussa mature: quia prævenit convivium, & venit cum jam discumberent in aptissimo tempore.

MEDIAM. Nam is locus potior apud veteres fuit. Nam Sallustius: Ita Sertorii convivium describit, ut ipsum, quia potior fuit, collocasset in medio.

V A R I O R V M.

MOLLIS AMARACVS. Proverb. *Nihil Sui cum amaraco.* HART.

VBI MOLLIS AMARACVS ILLVM, &c. Scalig. lib. 4. *Amaracus aspirans*, est quod supra dixit, *sertisque recentibus halant.* Omnia enim odorifera Veneri dicata sunt. Est autem Amaracus herba, quam & *Sampsuchum*, & vulgo *mayranam* dicunt: ex qua conficitur *unguentum amaracinum*, quod Plinius lib. 13. cap. 1. inter nobilissima recenset: quod peculiari quadam natura inimicum est suillo generi, adeo ut illi propemodum venenum sit. Testatur id Lucretius lib. 6.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est.

Neque pejus ullum animal odit Venus, quam Suem ob interfectum Adonin. TAVBMAN.

AVREA COMPOSVIT SPONDA. Lecti latere, id est tabula, quæ lecti latus sustinet, quam vel hodie spondam vocamus, & quidem lecti, in quo dormimus. Sed & lecti dicitur, in quo comedentes accumbebant, qui sternebatur pro dignitate personarum. Vnde hic aurea sponda, id est stragula veste aurea cooperta. Galius, l. 2. c. 15. CORRAD.

MEDIAMQVE LOCAVIT. In lecto, qui medius esset, accubuit: ne quis credat Æneam, & alium quempiam in eodem etiam lecto sic accubuisse, ut Dido media esset. Nam mulieres in eodem lecto non accumbebant cum viris, nisi mariti, aut amatores essent. CORRAD.

Digitized by Google

Iam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super decumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ; quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates:
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrii per limina læta frequentes

SERVII.

IAM PATER ÆNEAS. Religiosus: quia pater proprie omnium deorum epitheton est, ut Virgilius ostendit.

OSTRO. Pro purpura posuit, unde & tingitur.

DANT MANIBUS FAMULI LYMPHAS. Humilis character, qui ἰσχνὸς dicitur. Vilia enim describuntur. CEREREMQUE. Hic panem, alibi triticum: ut, *Tum Cererem corruptam undis*. EXPEDIUNT. Proferunt. TONSISQUE FERUNT MANTILIA VILLIS. Vel minutis: vel compositis, ut, *tonsa coma, pressa corona* * *est*. Constat enim majores, mappas habuisse villosas, quibus etiam in sacris utebantur; sicut in Georgicis, *Manibus liquidos dant ordine fontes Germanæ tonsisque ferunt mantilia villis*. de sup[illegible]aturis enim hoc dixit. *mantilia* vero à tergendis manibus dicta; & est nominativus mantile, quo modo *torale*. Quod autem legimus, *Ne turpe toral*, apocope est.

QUINQUAGINTA INTUS FAMULÆ. Hoc est multæ. ORDINE LONGO. Id est dispositione secundum Tullium: qui in OEconomicis dicit, quid ubi ponendum sit. Nec enim debent universa confundi. CURA PENUM STRUERE. Inter penum & cellarium hoc interest; quod cellarium est paucorum dierum: unde & in cella dicitur importatum frumentum. Penus vero, temporis longi. Sane dicimus, & hic & hæc & hoc penus; sed à masculino & fœminino genere quarta est declinatio, à neutro tertia, quo modo est pecus pecoris. Unde Horatius, *Portet frumenta penusque*. Masculino vero genere Plautus, *Nisi mihi annuus penus datur*. Fœminino Lucillius posuit, *Uxori legata penus*. Quartæ autem declinationis, Persius docet: ut, *In locuplete penu defensis pinguibus umbris*.

STRUERE. Ordinare, componere. Unde & Structores, dicuntur ferculorum compositores. ET FLAMMIS ADOLERE PENATES. Id est, Colere. Sed adolere, proprie augere. In sacris ADOLERE per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur & consumuntur; quia veteres in focis sacrificabant, ut ipse alibi, *Hortor amare focos*.

TOTIDEMQUE PARES ÆTATE MINISTRI. Non numerus: sed ætatis qualitas habet admirationem.

QUI DAPIBUS. Quidam dapes regum volunt esse, Epulas privatorum. ONERENT autem, potest & abundantiam retulisse, & de veterum more dixit, quibus cum accubuissent, omnis cœna semel adponebatur. Et quidam volunt hoc secundum veterem ceremoniarum ritum adverti debere, quod Flamini diali mensa inanis non adponebatur; nam cum dicit, *Qui dapibus mensas onerent & pocula ponant*: Et alibi, *Et vina reponite mensis*, quid aliud ostendit, quam mensam vacuam non antepositam Æneæ, quem ubique omnia sacerdotia induxit habuisse. ET POCULA PONANT. Similiter more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures; pocula in canistris argenteis apponuntur, quæ canistra siccaria dicuntur.

DONATI.

IAM PATER ÆNEAS. Discernitur ipse & Trojani sedibus purpureis.

DANT. Describit familiæ ordinem. CANISTRIS. Mos apud veteres fertur fuisse, ut panis non argenteis, sed vimineis vasculis inferretur.

LONGO ORDINE. Ubi fuerant quinquaginta, ad quarum curam pertinebat procuratio cellarii, & deorum penatum cultus: illas sine dubio vicissitudo longo ordine tangebat.

CENTUM ALIÆ. Eleganter atque breviter divitias expressit, laudavitque. Voluit enim demonstrare, ducentos, & sexum, & ætatem discernere. Numerus autem non est res magna in rege, sed paritas ætatis, quæ ostendit quanta sibi servorum esset multitudo: ex qua ducenti pari ætate eligi potuerint digni, qui curarent supra dicta.

NEC NON. Supra ostrum Trojani, qui magis essent honorandi, sederunt: Tyrii vero in vestibus pictis.

VARIORUM.

FLAMMIS ADOLERE PENATES. Cum de penu & cibis Poëta loquatur, absurdum omnino mihi videtur, de sacrificiis deorum penatium hunc locum intelligendum esse: nam quid sacra cum epulis & culina? Potius de cibis curandis condiendisque intelligendum: nihilque aliud sit *flammis adolere penates*, quam coquinam facere & cibos in foco condire atq; componere. Nam turpe fuisset omnino ac præter rationem institutumque priscorum, coquos aut alius generis servos Diis Penatibus sacra fecisse: quibus supremæ dignitatis homines in familiis sacrificare solebant. Cato in lib. de re rust. c. 2. hoc sacrificandi Laribus negotium patrifamilias tribuit. NASCIMB.

Con-

Convenere, & toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum,
Flagranteisque dei vultus, simulataque verba,
Pallamque, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infœlix, pesti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa; & puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem;
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret: & interdum gremio fovet, inscia Dido
Insideat quantus miseræ deus. at memor ille

SERVII.

TORIS PICTIS. Pro in toris pictis; & torus dictus est, quia veteres super herbam tortam, vel sedebant, vel discumbebant: ut V. Æneid. *Viridante toro consederat herba.* IVSSI DISCVMBERE. De regiis satellitibus dixit, qui utique subjecti erant imperio, nec tantum quod hospites fuerant; discumbere autem juxta consuetudinem suorum temporum dixit, quia olim sedentes vescebantur; ut ipse alibi, *Gramineoque viros locat ipse sedili*, &c, *perpetuis soliti patres considere mensis.*

MIRANTVR DONA ÆNEÆ. Hoc ad Tyrios retulit. MIRANTVR IVLVM. Quem putabant Iulum.

FLAGRANTEISQVE DEI VVLTVS. Ardentes divinitate. Hoc ad poëtam refertur. SIMVLATAQVE VERBA. Composita in Ascanii similitudinem. Et hoc ex persona poëtæ accipiendum.

PRÆCIPVE INFOELIX. Propter casum futurum, ut probant sequentia: PESTI DEVOTA FVTVRÆ. Ideo ergo infœlix, PESTI autem vel amori, vel malo. DEVOTA vero de oratione Augusti translata est locutio, quem habuit in laudatione funeris Marcelli; cum diceret illum immaturæ morti devotum fuisse.

EXPLERI MENTEM NEQVIT. Græca figura est. TVENDO. Dum intuetur. Et omnis gerundii modus, tam ab agentis, quam à patientis significatione similiter profertur. ut, *Cantando tu illum*. Id est dum cantas. Et, *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*, Id est, dum ei cantatur.

ILLE VBI. Postquam, ut Horatius, *Nos ubi decidimus.* Hoc est postquam. Nam si loci esset, Quo diceret. Ergo ubi interdum adverbium loci est, interdum temporis.

ET MAGNVM. Arduum. Difficile est enim imitari verum filii affectum. FALSI GENITORIS. Non veri, pro eo qui fallebatur; ut sit, implevit amorem ejus quem decipiebat simulando, eum esse patrem suum, & est magis absolutum participium, nam illic nomen est. *Falsi Simoentis ad undam.*

REGINAM PETIT. Non simpliciter dixit, petit. Nam *petere*, proprie est insidiari.

GREMIO FOVET. Sustinet: ut, *Et fotum gremio.*

INSIDEAT. In sinu sedeat, legitur tamen & insidat * ut quidam volunt insidias faciat. AT MEMOR ILLE MATRIS. Hoc est præceptorum matris.

DONATI.

MIRANTVR. Per hoc ostenditur, regina quanquam ditissima & ditissimi viri uxor fuisset, talia nunquam habuisse, cum hæc ipsa & sui Tyrii mirentur. Alius intellectus est: Mirantur dona Æneæ, id est, mirantur talia Æneam vel habere, vel donare potuisse. Mirantur [illegible]o substantiam animi largientis.

ARDESCITQVE TVENDO. Contrarium posuit. Nam considerationi intenta, fastidium incurrere debuit.

FALSI. Magna res, ut etiam pater deceptus sit.

INSIDEAT QVANTVS. Tanto libentius imprudens complectebatur, quantum nesciebat qualem deum amplecteretur. INFELIX. Quia benignum animum exhibebat, quem deberet inimicum exhibere, cum ex eo pararetur sibi mors.

VARIORVM.

FLAGANTESQVE DEI VVLTVS. Qui scilicet faces atque incendia amoris præ se ferrent. Sic Cicero pro Cælio, *flagrantiam oculorum*: qui nempe amoris æstum atq; incendium intuendo emitterent. *Dei* dicit ex sua persona; non enim Tyrii sciebant esse deum, hoc est Cupidinem. PONTANVS.

PALLAMQVE ET PICTVM, &c. Rursus munera recenset, non omnia, sed pulchriora: hoc autem velamen quod paulo ante circumtextum dixerat, nunc pictum esse dicit, & cycladem intelligit; quod genus est vestis muliebris, tenuissima, explicabilis & spatiosa, quæ instar veli, quod totum corpus circumdabat, facta erat. à κυκλόω, id est circumdo dicta. N.

ARDESCITQVE TVENDO. Id est incenditur amoris flamma. Nam ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Quippe Amor habitat in oculis. Et in Bucolic. *Vt vidi, ut perii.* Quia ergo oculi amoris illices sunt, animi sedem in his putavere. Quare & Poetæ *Cupidinem* ibi excubantem, suaque jacula inde mittentem finxerunt. TAVBM.

Matris

Digitized by Google

Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
Incipit, & vivo tentat prævertere amore
Iam pridem resides animos, desuetaque corda.

SERVII.

ACIDALIÆ. Acidalia Venus dicitur; vel quia injicit curas, quas Græci ἄκιδας dicunt, vel certe à fonte Acidalio: quia est in Orchomeno Bœotiæ civitate: in quo se Gratiæ abluunt, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt, nec immerito. Gratiæ enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt, quod gratiæ sine fuco esse debent. Ideo connexæ; quia insolubiles esse gratias decet. Horatius, *Segnesque nodum solvere Gratiæ.*

Quod vero una aversa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis gratia, duplex solet reverti. unde est supra, *Nec te certasse priorem Pœniteat.*

Sane Veneri, multa nomina pro locis vel causis, dicuntur imposita. Nam Venerem vocari quidam propter promptam veniam dicunt; alii Suadam appellant, quod ipsa conciliatio Suada sit: dicitur etiam obsequens Venus, quam Fabius Gurges post peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine consecravit, quod sibi fuerit obsecuta; hanc Itali Postvotam dicunt; dicta est etiam Equestris Venus; dicta & Cloacina, quia veteres Cloare pugnare dixerunt; dicitur & Myrica & Myrtea, & Purpurissa & Erycina, quam Æneas secum advexit: dicitur & Salacia, quæ proprie meretricum Dea appellata est à veteribus; & Lubentina, quæ libentiam mentibus novam præstat; quamvis alii hanc Lubiam dicant, quod eo numine consilia in medullas labantur: Alii Mimnerniam, vel Meminiam dicunt, quod meminerit omnium. Est & verticordia & militaris Venus. Est & Limenesia, quæ portubus præest, ipsa & Victima & Netrix ex Cæsaris somnio sacrata. Est & Venus calva, ob hanc causam; quod cum Galli Capitolium obsiderent, & deessent funes Romanis ad tormenta facienda: Prima Domitia crinem suum, post cæteræ matronæ imitatæ eam, execuerunt; unde facta tormenta, & post bellum statua Veneri hoc nomine conlocata est; licet alii calvam Venerem, quasi puram tradant; alii calvam quod corda amantum calviat, id est, fallat, atque eludat.

Quidam dicunt porrigine olim capillos cecidisse fœminis, & Ancum Regem suæ uxori statuam Calvam posuisse, quod constitit piaculo, nam mox omnibus fœminis capilli renati sunt; unde institutum ut Calva Venus coleretur. Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel ut quidam volunt, metæ colitur. Apud Ephesios Venerem Automatem dixerunt, vel Epidetiam. Ratio autem eorum nominum talis est. Meliboeus & Alexis amore se mutuo dilexerunt, & juramento se adstrinxerunt, ut cum tempus nuptiarum venissent sibimet jungerentur: sed cum virginem parentes sui alii despondissent, & hoc Alexis vidisset, spontaneum subiit exilium. Virgo autem ipso nuptiarum die, semet de tecto præcipitavit; quæ cum illæsa decidisset, in fugam conversa pervenit ad littus, ibique scapham ascendit, ex qua sponte funes soluti esse dicuntur; voluntate itaque Deorum pervecta est, ubi amator morabatur, quam cum ille, parans cum sodalibus convivium, suscepisset, pro ipso rei eventu, templum constituit. Quod ergo sponte fuissent soluti, Automatæ Veneri nomen sacravit; quodque cum epulas pararet, virgo ei aquis fuisset advecta, Epidætí sacrum dicavit.

ABOLERE SICHÆUM INCIPIT. Ordo naturalis. prius enim est evellere inhærentia: & post nova inferre. sic Terentius, *Vt metum in quo nunc est adimam, atque expleam animum gaudio.* VIVO AMORE. Aut vivi hominis, aut certe vehementi. PRÆVERTERE. Præoccupare: propter Iunonem sine dubio.

RESIDES. Pigros ad amandum, inertes. Iuraverat enim nulli se esse nupturam. Resides sane milites otiosi & pigres dicuntur: ut VI. Æneid. *Residesque movebit Tullus in arma viros.* Vnde contra instantes dicimus industrios.

DONATI.

ABOLERE, Prius enim debebat removere amorem pristini viri, & paulatim: quia cum vehementer hæreret, non poterat uno impulsu dimoveri. Idcirco autem Didonem castam, divitem, pulchram, deceptam inducit per Cupidinem, ut non solum Didonis, verumetiam Æneæ existimationem ostenderet, ne illum ignobilis fœmina, projecti pudoris, sponte amasse, aut provocata muneribus videatur, aut ille malis submersus in numeris, de amoribus sollicite cogitasse.

VARIORUM.

AT MEMOR ILLE MATRIS ACIDALIÆ. Memor Cupido præceptorum matris, paulatim ex animo Didonis, imaginem Sichæi delet, ac penitus eradit: ac pro illo amore pigro, inerti, mortuo, alium sufficit, juvenilem, vehementem, vividum, flagrantem, in Æneam scilicet. Hoc eam prævertit, id est præoccupat, ne quid Æneæ Iunonis machinatio, si quid tanto cardine rerum inceptaverit, nocere queat. PONTANUS.

PAULATIM ABOLERE SICHÆUM. Vt nemo repente fit bonus, ita nec malus: gradus sunt vitiorum, quemadmodum & virtutum. Vt igitur τὸ εἰκὸς servetur, paulatim, non subito debet Cupido ex animo Didonis Sichæi delere memoriam, propter illud in 4. Æneid.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, &c.
Arbitror autem ad excusationem utriusque dolum Cupidinis induci, ne Æneas præter decorum sapientis hominis, & Dido incautius, quam probam mulierem decet, hanc amorem inchoasse videat. NASCIMB. REGULUS.

VIVO TENTAT PRÆVERTERE AMORE. Vivido ac vehementi amore inertes & pigros ad amandum animos tentat præoccupare, Iunonem scilicet præveniendo. Æneid. 6.

---- residesque movebit
Rursus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. Alio modo 2. Æneid. *arma desueta.*

Digitized by Google

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram; quam Belus, & omnes

SERVII.

QVIES EPVLIS. Propter regalem affluentiam. Contra supra, vbi de necessitate loquitur; *Postquam exempta fames epulis.* MENSÆQVE REMOTÆ. Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant: una epularum, altera poculorum; nam ideo sequitur CRATERAS. Et Græcum est, ab eo quod est, hic crater. Nam Latine, hæc cratera dicitur. Vnde Persius, *Si tibi crateras argenti incusaque multo Auro dona feram.*

ET VINA CORONANT. Vina pro poculis posuit, & est tropus synecdoche; ut Cererem dicimus, pro frumento. Sic Plautus, *Vinum precemur: namque hic deus præsens adest. Coronant* autem est, aut implent usque ad marginem; aut quia antiqui coronabant pocula, & sic bibebant. Vnde est, *Magnum cratera corona Induit, implevitque mero.*

FIT STREPITVS TECTIS. Id est ad tecta; ut, *It clamor cælo.* Legitur autem & *It strepitus.*

ATRIA. Vt supra dictum est, tangitque morem Romanorum. Nam ut ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui. Vnde ait Iuvenalis, *Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?* Ibi & pecunias habebant; Vnde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur: ut, *Qui Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.* Ibi & culina erat: unde & atrium dictum est, quod atrum erat ex fumo. Alii dicunt, Atria Etruriæ civitatem fuisse, quæ domos amplis vestibulis habebat; quæ cum Romani imitarentur, atria appellaverunt: Alii *atria* magnas sedes & capacissimas dictas tradunt, unde atria licinia, & atrium libertatis. LYCHNI. Græco sermone usus est. A lychno enim lucerna dicta est; unde & brevis est LI, ut Iuvenalis, *Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.* Horatius, *Vngor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.* Si enim à luce diceretur, non staret versus.

LAQVEARIBVS. Principaliter lacus dicitur: ut Lucillius: *Resultant ædesque lacusque.* Diminutio lacunar facit. Horat. *Nec mea renidet in domo lacunar.* Inde fit alia diminutio lacunarium, & per Antistichon laquearium facit: Legitur & lacuaribus. Cicero Tusculanarum, *Tectis cælatis, lacunatis.*

NOCTEM VINCVNT. Luminis est exaggeratio. FVNALIA. Quæ sunt intra ceram: dicta à funibus, quos ante usum papyri, cera circumdatos habuere majores. Vnde & funera dicuntur. Alii funalia appellarunt, quod in cicendula lucet, quos Græci [illegible] vocant: Varro de vita *p. r.* Facibus aut candela simplici aut ex eo funiculo facto, earum vestigia quod ubi ea figebant appellarunt funalia: nonnulli apud veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant: vel candelaber, vel funes pice delibuti; quæ interdum erant minora, ut gestari manu & præferri Magistratibus à cœna remeantibus possent.

HIC. Tunc. ergo adverbium temporis est.

QVAM BELVS. Primus rex Assyriorum: ut supra dictum est: quos constat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Iunonemque coluisse: quæ numina etiam apud Afros postea culta sunt. Vnde & lingua Punica Baldeus dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur, quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnasse, ejusdemque Dei hospitem fuisse tradunt.

DONATI.

POSTQVAM PRIMA QVIES. Convivii prolixi mos describitur, nam confectis epulis studium bibendi prosequuntur.

FVNALIA. Faces ex funibus procreatæ.

GRAVEM. Laudat à pondere & à materia, deinde quod eo majores Didonis usi sint, & durante mero transierit ad Didonem.

VARIORVM.

POSTQVAM PRIMA QVIES E. Non declarant hic Grammatici, quare *primam* dixerit *quietem:* quia repetebant potationes: ut in 4. *Instauratque diem donis:* sic hoc loco, *epulis.* Secundas mensas diis statuebant; ut apud Horatium SCALIGER l. 4. c. 16.

CRATERAS MAGNAS STATVVNT ET V. C. Hic mos Græcorum erat, ut remotis epulis potationem instituerent majoribus poculis, & hospites hospitio acceptos ad potandum hortarentur. Id testatur in 3. Verrinar. M. Tullius his verbis. *Fit sermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur: hospes hortatur, poscunt majoribus poculis.* Quem morem Germani hodieque observant. TVRNEB. l. 12. c. 13. VICTOR. lib. 2. cap. 1. κρατὴρ enim dictus est quasi κεραστὴρ, quod veteres è cornu bibere solerent. inde factum verbum κεράσαι, miscere seu temperare vinum. Statuebant autem tres crateras antiqui Græci in cœna: primam Mercurio, alteram Gratiis, tertiam Iovi Servatori, quem Διὸς σωτῆρος vocabant. Sed & earum una post epulas, mensis remotis statuebatur ad libationem & invitationem. PONTAN. TAVBMAN.

ET VINA CORONANT. Id est vinum coronis floreis ornant; assentiente alio Virgilii loco; *At pater Anchises magnum cratera corona Induit; implevitque mero:* quamvis interpretes Græci ἐπεστέψαντο exponant, ad summam coronam & marginem implent. TVRNEB.

A. Belo

Digitized by Google

A Belo soliti: tum facta silentia tectis.
Juppiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno:
Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in mensa laticum libavit honorem:
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit

SERVII.

TUM FACTA SILENTIA TECTIS. Mos erat apud veteres, ut lumini incenso silentium præberetur, ut optativam sibi laudem loquendo nullus averteret, * Apud Romanos etiam cœna edita, sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quoad ea, quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur & ignem, darentur, ac puer Deos propitios nunciasset, ut, *Diis honor haberetur*, tacendoque res * cum intercessit inter cœnandum, Græci quoque θεῶν παρουσίαν dicunt.

HOSPITIBUS NAM TE DARE IURA LOQUUNTUR. Scilicet exemplo Lycaonis: qui cum hospites susceptos necaret, à suscepto Iove, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum; ostendit hospitii jura non esse violanda. Græci τὸν ξένιον Δία appellant.

TYRIISQUE DIEM. Atqui nox erat, sed per diem accipimus & noctem, & quidam volunt masculini generis diem bonum significare, fœminini, malum. TROIAQUE PROFECTIS. Bene noluit profugis dicere.

ESSE VELIS. Secundum Hetruscam disciplinam locutus est. Sic enim dicunt, *volens, propitiusque sis*.

ADSIT LÆTITIÆ BACCHUS DATOR. Alii *adsis* legunt. Secundum quos Bacchus, aut antiptosis est, aut antiquus vocativus. ut, *Socer arma Latinus habeto*. DATOR. Bene autem addidit dator lætitiæ: quia est & dator furoris. ET BONA IUNO. Aut propitia, id est non irata Trojanis; ut, *Sis bonus ô felixque tuis*. Aut magis bona. cœlestis est enim & inferna: ut, *Iunoni infernæ dictus sacer*. aut sicut supra dictum est ἀγαθὴν, quod est bona, quam inter penates Trojani habuisse dicuntur.

COETUM. Modo convivium, & bono verbo ad dignitatem duorum in uno populorum usus est.

LATICUM LIBAVIT HONOREM. More sacrorum. Diis enim hospitalibus & Iovi in mensa libabatur. & tangit ritum Romanorum, qui paniceas, sacratasque mensas habebant, in quas libabant: ut est, *Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus*.

LIBATO SUMMO TENUS ATTIGIT ORE. Usque ad labra. Et verecundiam reginæ ostendit: & morem Romanum. Nam apud majores nostros feminæ non utebantur vino, nisi sacrorum caussa certis diebus.

TUM BITIÆ. Per transitum, Pœnorum ducum nomina introducit. Nam Bitias classis Punicæ fuit præfectus: ut docet Livius. IOPAS vero unus de procis Didonis: ut Punica testatur historia. Servavit autem τὸ πρέπον, quare non Æneæ dedit, ne aut contumeliosum videretur, aut petulans.

DONATI.

FACTA SILENTIA. Rem enim divinam actura silentium induxit.

IUPPITER. Rogat Iovem, & ejus virtutem narrat, ut ostendat pleno voto Trojanos excepisse. cum initam societatem testimonio hospitalis Iovis confirmet. Cum autem ipsa esset Sydonia, quasi mortis suæ præsagio, Tyriorum solum & Trojanorum meminit: & merito diei meminit, quo confirmabat societatem per sacra & convivium. Triste autem fuit, tenebras nominare, vel noctem, vel maxime, quia continuationem diei nocti conjunxerat, & nondum itum erat ad requiem.

NOSTROSQUE HUIUS. Sic factum: ut etiam nunc duret de actibus Didonis fabula.

BACCHUS. Vinum, sine quo lætitia in conviviis esse non potest. Nam si alibi est Bacchus, & ad culpam causas dedit: id non vini vitium est, sed hominis vino uti nescientis. BONA IUNO. Nam norat illam inimicam Trojanis: ergo ut sit bona & benevola.

TYRII. Ne esset aliqua incolarum adversus peregrinos æmulatio.

IN MENSA. In conviviis enim, cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara, mensa succedit.

PRIMA. Vel quia ipsa libabat, vel quia potior omnibus fuit, utpote regina. SUMMO TENUS. Summis labris, ut religionis & non vini cupidam demonstraret.

INCREPITANS. Clara voce exhortans. Hunc autem elegit, quia sciebat vini esse amatorem: unde sequitur, *ille impiger hausit*.

VARIORUM.

IUPITER HOSPITIBUS NAM TE DARE IURA, &c. Deus hospitalis dicitur, quasi præses & vindex hospitii; sub quo nomine apud antiquos magna religione colebatur. Fuit item antiqui moris, tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicunque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset, & hospitio accipi tanquam verus amicus & hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat. PONTANUS.

Spumantem pateram, & pleno se proluit auro:
Post alii proceres. cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores;

SERVII.

INCREPITANS. Inclamans: ut, *Æstatem increpitans seram.* Aut certe arguens familiariter segnitiem tarde accipientis, cum esset avidus in bibendo. Nam sequitur, *ille impiger*, melius tamen accipimus clara voce hortatum: ut Plautus, *Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo*; & Horatius, *Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepet?* HAVSIT. Modo accepit: nec possumus intelligere bibit, cum hoc sequatur,

ET PLENO SE PROLVIT AVRO. PROLVIT. Bibendo profudit. Alibi vidit: ut, *Hausit cælum mentemque recepit.* Alibi audivit: ut, *Vocemque his auribus hausi.* Alibi vulnerat: ut, *Latus haurit apertum.* Et multa alia pro loco significat.

POST ALII PROCERES. Ergo & Bitias unus est de proceribus. Nam Exoche sine similitudine nunquam fit. Sane proceres de his est, quæ nominativum in usu non habent: ut supra, *Et victor ditione tenebat.* Nam nec hoc in usu habet nominativum: licet in compositione dicamus conditio. PROCERES autem ideo secundum Varronem, principes civitatis dicuntur: quia eminent in ea, sicut in ædificiis muruli quidam, hoc est, *Capita trabium quæ proceres nominantur.* CRINITVS IOPAS. Aut puerum intellige: aut imitabatur Apollinis formam, cujus fuerat etiam artis imitator.

DOCVIT QVÆ MAXIMVS ATLAS. QVÆ legendum est, non QVEM. Id est, quæ ipse scit, quæ ipse modulatus est. Nec enim istum docuit, qui fuit temporibus Didonis. Hic Atlas Iapeti filius in Africa natus dicitur: hic quod annum in tempora diviserit, & primus stellarum cursus, vel circulorum, vel siderum transitum, naturasque descripserit, cælum dictus est sustinere; quia nepotem suum Mercurium & Herculem docuisse dicitur; unde & Hercules cælum ab Atlante susceptum sustinuisse narratur, propter cœli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse. Et est ratio, cur omnia illa monstra vicisse dicatur. Sane Atlas Græcum est, sicut & Nilus. Nam Ennius dicit Nilum Melonem vocari: Atlantem vero Telamonem.

HIC CANIT. Bene philosophica introducitur cantilena, in convivio reginæ adhuc castæ: contra, inter Nymphas ubi solæ feminæ erant, ait, *Vulcani Martisque dolos & dulcia furta.* ERRANTEM LVNAM. Quia ἑλικοειδὴς, id est obliquo incedit cursu, non recto, ut Sol: scilicet ne incidat in centrum terræ, & frequenter patiatur eclypsim. Vicinus enim est ejus circulus terræ. SOLISQVE LABORES. Canit per omnia intelligimus. Sane septem sunt Planetæ, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Iupiter, Venus, Saturnus. Sed quinque & contra mundum feruntur, & cum mundo quandoque retrogradi sunt: Sol vero & Luna semper contra mundum. Ideo dixit, Solis labores. Laborat enim, nitens contra mentis sphæræ volubilitatem. Nec nos debet Homerus movere, qui ait, ἥλιον ἀκάμαντα. Non enim cum dixit non laborare, sed laborem non sentire. amat sane ubique Solem & Lunam jungere.

DONATI.

ET PLENO SE PROLVIT. Et pateram inquit vacuam fecit: & cum avide biberet, & tantum infunderet, quantum fauces transmittere non possent, perfudit etiam se.

POST. Intellige, ritum executi sunt post acta convivia: post consecrationem fœderum. Ludorum autem fit descriptio, quibus reges per voluptatem ad producendum potationem utuntur. Ludi autem Didonis nihil turpe factu, nihil obscœnum dictu habuerunt. Nam Citharæ artem inter honestas numerari constat, per hanc Orpheus plurimum potuit: hanc graves & prudentes amant, hanc diligunt Musæ, quibus tradentibus in usum hominum venit: hæc in agonibus, id est, in sacris certaminibus coronatur. Ars ergo honesta, convivium quoque non dissimile.

VARIORVM.

CRINITVS. Forte ἀκερσεκόμην Græcum expressit. HART.

CITHARA CRINITVS IOPAS. Proverb. *Non est laudandus, ne in cœna quidem.* Homerus celebrat Φήμιον & Δημόδοκον: illum, Odyss. α. hunc, θ. HARTVNG.

CITHARA PERSONAT. Sane locus iste ex Homero sumptus est Iliad. α. ubi in Deorum convivio, Apollo lyra personat, & una cum Musis alternis vocibus canit: sane Musicen antiquis illis temporibus tanto in honore ac veneratione fuisse Fab. Quintilianus affirmat, ut iidem musici & vates & sapientes judicarentur. Contra vero, si quis Musices ignarus fuisset & invitatus ad canendum (ut olim Themistocles) is per jocum, ut Plutarchus in Symposiis auctor est, accepto ramo laureo ac myrteo, ad eum canere cogebatur: unde in proverbium abiit, *canere ad myrtum*: de imperitis & infacundis. NASCIMBÆN.

ERRANTEM LVNAM. Quintil. lib. 1. cap. 16. Cæterum per labores Solis, intellige epitheton, quo Calaber Solem describit, ἀτειρέα. Idem ferme secundo habetur Georgic. *defectus Solis, Lunæque labores.* Cælius, lib. 7. cap. 1. HARTVNG.

HIC CANIT ERRANTEM LVNAM. Vel Ioppam, & *hic* pro is positum est, ut Carisius sentit: vel ut alium intelligit: ut Ioppas Astronomica tantum cecinerit, alius vero Physica. Recte ne an secus faciant, qui Musicos adhibent in convivio, ex Platone & Xenophonte, disputat Muret. lib. cap. 15. NASCIMBÆN. PONTAN.

Vnde

Vnde hominum genus, & pecudes; unde imber, & ignes:
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hyberni; vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrii, Troësque sequuntur.
Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infœlix Dido; longumque bibebat amorem;

SERVII.

VNDE HOMINVM GENVS. Si fabulam respicis, à Prometheo intellige: vel à Deucalione & Pyrrha. Si autem veritatem requiris, varia est opinio philosophorum. Alii de humore: alii de igne: alii de atomis: alii de quatuor elementis. PECVDES. Pro omnibus posuit.

VNDE IMBER. Scilicet de nubibus fit, secundum Lucretium de terræ alitu nascuntur, qui nebulas creat: quæ cum altius elevatæ fuerint, aut Solis calore resolutæ, aut vi ventorum compressæ, mittunt leves pluvias, vel exprimunt concitatiores. ET IGNES. Scilicet ex nubium collisione. Nam omnium rerum collisio, ignem creat: ut in lapidibus cernimus: vel attritu rotarum, vel in sylvis arborum.

ARCTVRVM. Stella est post caudam majoris Vrsæ, posita in signo Bootæ. Vnde arcturus dicta est quasi ἄρκτου οὐρά. hanc quidam agere Arcton dicunt, quia arceram veteres vehiculum vocabant. Hæc autem, ut fabulæ loquuntur, Callisto fuit, comes Dianæ, quam Iuppiter mutatus in Dianam, stupravit; ex qua natus est filius nomine Arcas. Cætera in 1. lib. Georg. plenius narrata sunt. PLVVIASQVE HYADAS. Hyades, stellæ sunt in fronte Tauri: quæ quotiens nascuntur, pluvias creant. Vnde Græce Hyades ἀπὸ τοῦ ὕειν dictæ sunt: Latine suculæ à succo. Sic ergo ait, *Pluviasque hyadas*: ut, *Plemmyrium undosum*. Alii hyadas ab y littera dicunt; vel ἀπὸ τοῦ ὑὸς id est sue: in cujus formatæ sunt faciem. Nam ideo eas quidam suculas, sues scilicet dici tradunt. Has quidam Vergilias dicunt, quod vere florido oriantur. Hæ autem fuerunt, ut alii dicunt, Atlantis filiæ: ut alii, Liberi nutrices, quæ se in pelagus furore præcipitaverunt. Alii Erechthei filias pro patria se morti obtulisse ajunt, quas Priadas vocant, quod Prionis filiæ esse dicantur: quidam Hyadas, ab Hyante fratre, quem inventum extinctum usque ad mortem doluerunt, dictas putant. GEMINOSQVE TRIONES. Septemtriones, id est Helicem, & Cinosuram. Et proprie triones sunt boves aratorii, qui terram terunt. Non ergo incongruè dixit Triones: quia septem triones à nonnullis plaustra dicuntur.

QVID TANTVM OCEANO PROPERENT SE TINGERE SOLES HYBERNI. Quid, quam ob causam properent. Hemisphærii hoc facit ratio: quia hyeme Sol breviore utitur circulo. TINGERE SOLES. Demergere. Soles vero pro diebus posuit, ut, *Tris adeo incertos cæca caligine, Soles Erramus.*

VEL QVÆ TARDIS MORA NOCTIBVS OBSTET. Tardis, non longis sed æstivis, id est tarde venientibus. VEL enim disjunctiva est conjunctio: nec patitur bis eandem rem dici. ergo hoc dicit quæ causa est longorum. TARDIS. Non longis, caussa ergo longorum dierum ratio similiter hemisphærii est.

INGEMINANT PLAVSVM TYRII, TROESQVE SEQVVNTVR. Imitantur, & bono est usus ordine, ut prius plauderent cives. Nec enim poterant aliter audere *peregrini*, qui exspectabant, ut noscerent morem. Vnde & supra, *Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.*

NEC NON ET VARIO. Arte poëtica utitur, ut præmittat aliquid, quo sequens liber videatur esse conjunctus: quod in omnibus servat.

LONGVM. Hic per maturum: aut qui non erat nisi ipsius morte finiendus. BIBEBAT AMOREM. Allusit ad convivium. Sic Anacreon ἔρωτα πίνων.

VARIORVM.

PLVVIASQVE HYADAS. Vnde Ovid. 5. Fastor:

Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Certe adjectione epitheti videtur Maro quibusdam non abs re ignorantiam eorum perstrinxisse, qui *Suculas* Latine *Hyadas* verterunt: tanquam ἀπὸ τῶν ὑῶν, non ὕειν, dicerentur, cum Tirone Ciceronis liberto faciens, qui, ut docet Gellius lib. 13. cap. 9. eam absurditatem ipse quoque notavit: quam qui levare volunt, *suculas* contendunt vocatas, quod propter pluvias quas afferunt, luto gaudere ut sues videantur. Sunt & qui *Hyadas* ab Hyante fratre Atlantis ex Æthra filio deducant: unde & Atlantides: quæ cum fratris desiderio implacabili & luctu tabescerent, in septem stellas deorum miseratione conversæ fuerunt. GERMAN.

PROPERENT SE TINGERE SOLES. Sunt Lucretii lib. 5. elegantes hujus argumenti versus.

Crescere itemque dies licet, & tabescere noctes,
Et minui luces, cum sumant augmina noctes:
Aut quia Sol idem sub terras atque superne,
Imparibus currens anfractibus ætheris oras
Partit et in partes non æquas dividit orbem; &c.

Dierum itaque noctiumque inæqualitatis rationem Physiologi & Mathematici, in positum sphæræ rectæ vel obliquæ, conferunt; ut ex Proclo aliisque constat. GERMAN.

LONGVMQVE BIBEBAT, &c. Corradus *magnum* interpretatur. Nonius *permittosum*. H. Stephanus, *longum*, adverbialiter accipit. De industria autem verbum bibere usurpavit in compotatione: tanquam reliqui vinum bibissent, Dido Amorem. TAVBMAN.

Digitized ... 2009

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, & à prima dic hospes origine nobis,
Insidias (inquit) Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos. nam te jam septima portat,
Omnibus errantem terris, & fluctibus, æstas.

SERVII.

SVPER PRIAMO. De Priamo. Nam ejus præpositionis officio fungitur, pro qua ponitur, ut supra; *Et sub noctem cura recursat*, i.e. circa noctem: Et sciendum, quod cum tempus significatur, SVB præpositio accusativo hæret semper. ROGITANS. Scilicet quo modo sit venditus *rex*, vel qui eum post decennale bellum exitus tulerit.

AVRORÆ FILIVS ARM. Quia etiam ei fecerat arma Vulcanus, qui cum auxilium Trojanis ferret, apud Trojam occisus est. Hic in tanto honore apud suos socios fuit, ut post ejus mortem, cum eum nimium deflerent, miseratione Deorum in aves conversi dicantur, & quotannis venire ad tumulum ejus, & ibi lamentatione & fletibus se dilacerare, donec aliquantæ ibidem moriantur.

QVALES DIOMEDIS EQVI. Non debemus eos equos intelligere, quos Æneæ sustulit: nec enim congruit, sed de his interrogat, quos sustulit Rhœso. Quales autem dixit: ac si diceret, anne sic feroces, ut illi à quibus ducebant originem. Diomedes enim rex Thracum habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules abduxit, de quibus dicuntur supra memorati equi originem ducere. aut ideo *quales* qui potuerint esse, ita divini, ut inter fatalia Trojana numerarentur: nam ideo & supra *ardentes* ait.

IMMO AGE. Vidit specialia cito posse finiri: & contulit se ad generalitatem. ET A PRIMA DIC HOSPES ORIGINE NOBIS. Id est à raptu Helenæ. Quod quidem Dido cupit: sed excusat Æneas. Et dicit ruinam se Trojæ breviter esse dicturum, habita ratione temporis. ut, *Suadentque cadentia sydera somnos*.

INSIDIAS DANAVM. Hoc ad favorem Trojanorum, ne videantur esse superati virtute, & laudandum quod *insidias* tantum dixerit, non & captum Ilium; nam & ipse Æneas, *Accipe nunc Danaum insidias*. CASVSQVE TVORVM. Vt eventu Troja corruerit: non fati necessitate.

ERRORESQVE TVOS. Et responsio hunc ordinem sequitur. Nam primo dicit Trojæ ruinam: post errores suos. SEPTIMA ÆSTAS. Per æstates, annos intellige. Nam sic ante Olympiadas computabant. Septem autem esse annos Dido cognovit ex Teucro.

VARIORVM.

MVLTA SVPER PRIAMO ROGITANS, &c. Protrahendi sermonis occasionem quærit, ut diutius præsentia Æneæ perfrui possit. Est autem hic color rhetoricus ἀναφορά: nam verbi in principio positi, in fine versus est repetitio. NASCIMBÆN.

NVNC QVIBVS AVRORÆ VENISSET F. A. &c. τὸ πάθος mulieris propter amorem insanientis: nam multa inaniter quærit, non quanta virtute, aut rei militaris peritia fuerit Memnon, sed quibus armis venerit: non qualis quantusque fuerit Diomedes, sed qualis illius extiterint equi quos humano semine genitos, humanis carnibus vesci audierat. NASCIMBÆN.

A PRIMA DIC ORIGINE. Scilicet insidiarum; ut patet ex contextu; non à raptu Helenæ. TAVBMAN.

NAM TE IAM SEPTIMA PORTAT, &c. Multa de septima æstate CORRAD. quæ otiosum lectorem postulant. Super ista eadem lege Modicium cap. 5. PONTAN.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER SECUNDUS.

CONTICUERE omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum, regina jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai: quæque ipse miserrima vidi,

SERVII.

CONTICUERE OMNES. Quia supra dixit; *Fit strepitus tectis.* CONTICUERE autem, pro conticuerunt: metri caussa, vel ratione clausularum. Nec est, ut quidam dicunt, dualis numerus: qui apud Latinos nunquam penitus invenitur. Et bene OMNES *addidit.* Poterant enim simul quidam, sed non omnes, tacere. INTENTIQUE ORA TENEBANT. Id est ora intuebantur loquentis; aut immobiles vultus habebant. ut, *Tenuitque inhians tria Cerberus ora*, id est immobilia habebant: aut intenti tenebant, ut sit figura, & intelligamus, *intenta habebant.* ut Terentius, *Nam Andriæ illi id erat nomen, teneo.* Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec advertere.

INDE. Aphæresis est, pro deinde. vel ut quidam volunt *Tunc.* TORO AB ALTO. Summus enim semper est pontificalis locus. Non licebat enim supra regem sacrificulum quemquam accumbere. Cum enim dicit de Didone: *Aurea composuit Sponda mediamque locavit*: Ostendit illam regali, non sacerdotali loco discubuisse. Æneas autem ubique quasi sacratus inducitur. *Torus* autem ab herbis tortis dictus est; & videtur hic ostendisse, *Ostroque superbo.* Et *Aulæis jam se regina superbis*, ut aulam significaret. AB ALTO vero pro ex alto, mutavit præpositionem. PATER ÆNEAS. Hoc honoris nomen est. ORSUS. Hic cœpit, alibi finivit: ut, *sic Iuppiter orsus.*

INFANDUM. Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris. IUBES. Vis: ut, *Iubeo Chremetem.* Nam aliter hoc verbum, Æneæ persona, non recipit. RENOVARE. Retexere, iterare.

TROIANAS UT OPES. UT autem quemadmodum, Sic Horatius, *Aut pinguis Phrygiæ, Mygdonias opes.* ET LAMENTABILE REGNUM. Id est, magnum, quasi dignum multa lamentatione: ut, *Hic multum fleti ad superos.* DANAI. Dicti à Danao rege. Nam Græci proprie sunt Thessali à Græco rege.

MISERRIMA VIDI. Est enim pœna & in atrocitate spectaculi, ut, *in Ætneos vidit Cyclopas Ulysses.* & Vidi ego duo de numero.

DONATI.

CONTICUERE. Quia dixerat: *Fit strepitus tectis: & cythara crinitus Iopas Personat aurata. & ingeminant plausum Tyrii.* Conticuere partim, propter ejus honorificentiam: partim, quia mens hominum cupida est audiendi novas res, & regina indixerat silentium. INTENTI. Desiderio inducebantur audiendi.

INFANDUM. Quoniam gravissima erant in convivio lætissimo narranda, non aliena mala, sed sua narrabat.

TROIANAS. Quasi dicat, magnas.

DANAI. Abjecte legendum, quasi imbelles.

VARIORUM.

CONTICUERE OMNES. Hic liber, qui Ἅλωσιν Ilii describit, ex iis est, qui præcipuam palmam mereri judicati, atque ipsi Augusto à Poëta recitati sunt. Narrat Agellius, lib. 2. cap. 3. Hunc librum viginti aureis emptum esse. Ex Pisandro pleraque hujus libri à Poëta sunt desumpta: de qua re Macrob. lib. 5. cap. 2. Initium narrationis hic in secundo, est apud Homerum Odyss. 9. HARTUNG. TAUBMAN.

INTENTIQUE ORA TENEBANT. Homer. ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ. Odyss. 6. Et Iliad. 2. aliasque. HARTUNG.

INDE TORO ÆNEAS ORSUS AB ALTO. Ursinus existimat *altum torum* dixisse Virgilium, tori summum locum, in quo discumberet Æneas, quod is locus esset dignior tertio, qui Achati assignatus erat: nam medius locus, in quo se Dido locaverat, ita dignior cæteris erat, ut post eum primus, deinde tertius numeraretur. Unde Plautus videtur in Sticho dixisse, *Haud postulo equidem in medio lectulo accumbere: Scis tu me esse imi subsellii virum.* In imo autem solebant parasiti accumbere. Vide Lipsium, Antiquar; lect. lib. 3. cap. 1. PONTANUS.

Et

Digitized by Google

Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vlissei,
Temperet à lachrymis? & jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sydera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem:
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit,

SERVII.

PARS MAGNA FVI. Propter conjugem amissam. Et hoc se commendat: ut paulo post, *Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?* FANDO. Dum ipse dicit. alibi dum dicitur: ut, *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.* Quia gerundii modus est: quidam per infinitivum modum dictum accipiunt.

MYRMIDONVM. Myrmidones sunt Achillis socii. A Rege Myrmidono dicti, Iovis & Eurimedontis filio. DOLOPES, Pyrrhi: quos ut quidam volunt, de Festo insula, duxit ad Trojam: Dicti autem Myrmidones propter hanc causam: Æacus Iovis & Æginæ filius, cum vellet matris suæ perpetuam memoriam permanere; insulam in qua regnabat à nomine ejus Æginam appellavit: hoc indignata Iuno, pestilentia cives ejus omnes absumpsit; quod cum vidisset.... petit à Iove, ut Formicæ, id est mirmices, quas casu animadverterat plures, in homines & suos socios verterentur. Qui statim mutati in homines, Myrmidones appellati sunt: Sed hoc fabula est; Nam Eratosthenes dicit, Myrmidonas à rege Myrmidono Iovis & Eurymedonæ filio: sane amat hos exercitus jungere; Nam & post ait, *Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.* AVT DVRI MILES VLYSSI. Duri, non laboriosi, sed crudelis: ut, *quem dat tua conjux dura.* Nam Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta: quum Homerus eadem etiam in contrariis servet. Sensus autem est, Sine lachrymis hæc nec à quovis hostium dicerentur. Illud autem quod Asinius Pollio dixit, caret ratione, de Achemenide dictum Miles Vlyssi. Myrmidonas vero & Dolopas præsentes esse acceptos ab Heleno. Si sic enim dicit, frangitur dignitas. Sane quædam si singulariter proferuntur, interdum gratiora sunt, ut, *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.* Vlyxi autem vetus genitivus est; ut, *Atque immitis Achilli.* TEMPERET. Abstineat.

PRÆCIPITAT. Præcipitatur. Verbum pro verbo ut dictum est, & duas causas prætendit, quibus dicit non posse universa narrari, Dolorem & tempus. CADENTIA SYDERA. Aut epitheton est syderum, quæ semper & oriuntur & occidunt: aut certe majorem partem noctis dicit esse transactam, per *sydera* autem noctem significat, quæ somnos suadet. CASVS COGNOSCERE. Cognoscendorum casuum, est autem Græca figura. Casus autem fortuna, pericula: Nam si mortem dixisset nostrorum debuit dicere. Et breviter præscribit: quia Dido dixerat, *à prima dic hospes origine nobis.* Ergo non ad Didonis voluntatem, sed narrantis officium. Et quibusdam histerologia videtur; Prius enim est, ut Trojæ laborem, post Æneæ casus agnoscat. SVPREMVM. Postremum, ultimum dicit. Eversionem enim Trojæ tantum, omissis superioribus, narrat.

QVANQVAM ANIMVS MEMINISSE HORRET. Quanquam, melius præsenti jungitur tempori: ut, Quanquam scio, quanquam lego. Quod autem dixit, *meminisse horret*, defectivi verbi ratio est. Nec enim potuit dicere meminere. Et in his quæ corrupta sunt naturaliter, ut odi, novi, cœpi, memini: & omnia tempora quæ inveniuntur, & suo & aliorum funguntur officio: ut, *Memini videre, quo æquior sum Pamphilo*, præteritum est: Et, *Memini, me turribus altis Corycium vidisse senem.* Quod si fit & in verbis integris: ut, *Iuvat evasisse tot urbes*: quanto magis in corruptis? REFVGIT. Propter metrum, pro præsenti præteritum posuit.

DONATI.

PARS MAGNA. Quia perdidit regnum: Vidit miserandam Priami & Polytæ mortem. Amisit uxorem, & denique patrem. Certe neque Dido deberet audire, quod mala sua fleret.

QVIS TALIA. Quæris me narrare, quæ etiam hostis si audiret, non abstineret à lachrymis. Ibi enim fuit unus ex Græcis Achemenides, quem fleturum dicit.

NOX HVMIDA COELO PRÆCIPITAT, &c. *nox præcipitat*, pro præcipitatur: Sed lege, *Nox humida cœlo Præcipitat somnos, suadetque cadentia sydera.* NOX HVMIDA COELO PRÆCIPITAT. Hoc voluit dicere. Iam media nox assumpta est: siquidem aura humida jam cepit, & sydera in occasum labuntur. hæc enim non sunt nisi maxima parte noctis transacta.

VARIORVM.

MYRMIDONVM. Proverb. Hostis miseratutus si videret: & vel hosti miserandus, Macrob. lib. 5. cap. 5. & 2. HART.

ET IAM NOX HVMIDA COELO PRÆCIPITAT. significat majorem noctis partem esse transactam. sic *præceps æstas*, quæ prope exacta est. & *ver præceps*, quod finem spectat. Ita quippe hæc quatuor anni tempora distinguebant, ut primo quidem mense, *novum* ver, *nova* æstas, *novus* autumnus, & *nova* hyems diceretur secundo *adulta*: tertio præceps. SALMAS.

ET IAM NOX HVMIDA COELO P. Turnebus lib. 6. c. 21. notat cadere sydera diluculo, albescente cœlo, exortu auroræ, exacta fere nocte: ut & illo loco intelligendum contendit. *primusque cadentibus astris.* GERMAN.

Inci-

Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum, divina Palladis arte
Ædificant; sectaque intexunt abiete costas.

SERVII.

INCIPIAM. Deest, tamen. quia cum præponitur quamquam, necesse est subjungi tamen. FRACTI BELLO. Bene defendit causam suorum, quod in bello non impares fuerint. Duplex ergo est in hoc libro intentio, ne vel Trojæ, quod victa est; vel Æneæ turpe videatur esse quod fugit. Sane amat in adversis hoc verbo uti, ut *Fractæ vires*, & *Frangimur heu fatis inquit*. FATISQVE REPVLSI. Oraculis: ut est, *Cum virgo poscere fata* (secundum Plautum) tribus, vita scilicet Troili, & si Palladium mansisset in Troja, integro sepulchro Laomedontis, quod in Scæa porta fuit: ut in Bacchidibus Compendia lectum est. Secundum alios vero, pluribus: ut de Æaci gente aliquis interesset. Vnde Pyrrhus admodum puer evocatus ad bellum est, ut Rhœsi equi tollerentur à Græcis: ut Herculis interessent sagittæ: quas misit Philoctetes, quibus Paris peremptus est.

DVCTORES. Sonantius est quam duces; ut, *regnatorem Asiæ*: quod heroum exigit carmen. LABENTIBVS. Velocibus cursu; ut, *Labere nympha polo*, & *Labere pennis*. Cursu enim lapsus celerior est. INSTAR. Nomen est indeclinabile, licet Probus instaris declinaverit, ut nectaris. & caret præpositione, ut peregre: quamvis Serenus Lyricus ad instar dixerit.

INSTAR autem est ad similitudinem. Vnde non restaurata, sed instaurata dicuntur ædificia ad antiquam similitudinem facta. EQVVM. De hoc equo varie in historiis dictum; ut enim Higinus & Tubero dicunt: machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, ut aries & testudo, quibus muri vel discuti, vel subrui solent: unde est, *Aut hæc in nostros fabricata est machina muros*. Vt alii, porta quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum: Nonnulli signum equi datum, ut internoscerent Græci suos, vel hostes. A quibusdam dicitur facta proditione prædictum, ne quis eas domos violaret, quarum ante januam equus esset depictus: unde & Antenoris & cæterorum agnitæ sunt. Aut quia Equestri prælio victa est Troja. Aut à monte Hippio, post quem se absconderant Græci. Vnde & alludit: *Instar montis equum*: ut, *Pelago credas innare revulsas Cycladas*. Aut revera hoc fuit, quod Virgilius sequitur: sed melius machinamenti genus accipimus. PALLADIS ARTE. Aut ingeniose, aut dolose: ac si diceret consilio iratæ deæ: quæ fuit inimica Trojanis.

ÆDIFICANT. Translatio. Ædificari enim habitacula hominum dicimus. Nam ideo hic de equo ædificant, qui erat homines recepturus, vel propter magnitudinem. ut Cicero, *Navem tibi ædificatam esse Messanæ*. Item INTEXVNT. Quia naves dicuntur texi: nam ubi naves fiunt textrinum vocatur. Vt ipse, *Bis denas Italo texamus robore naves*. ABIETE COSTAS. Non sine ratione Virgilius hoc loco abietem commemorat. Item acerem & pinum paulo post. Nam fulminata abies, interitum dominæ significat: & Troja per fœminam periit. Acer vero in tutela Stuporis est: & viso equo stupuere Trojani. ut, *Pars stupet innupta donum exitiale Minervæ*. Pinus in tutela quidem est matris deum: sed & fraudum & insidiarum: quia ejus poma cadentia per fraudem interimunt: & hic equus plenus insidiarum est. ABIETE. Solutio spondæi, nunc in proceleusmaticum, alias in dactylum; ut, *Arma virum tabulæque & Troia gaza per undas*: alias in anapestum, ut, *Fluviorum rex Eridanus*. Sciendum autem Virgilium servasse sibi ubique in solutione ista, excusationem synalœphæ: quod alii contemnunt.

DONATI.

INCIPIAM. In hoc principio narrationis, loci, temporis, & personarum memor est Æneas. Ergo proposita retinet: sed ostendit esse prolixa & multa, nec tempori, nec loco, nec personis congrua: sed quia cupiebat id regina, cujus voluntas pro ratione esset, recurrit ad brevitatem: ut neque ipse multa dura narrando dolores incurreret, nec Didonem multum vigilare cogeret. Hoc loco docet, quod quamvis omnis narratio brevis esse debeat, tamen illa brevissima, cum propria mala narrantur, nisi necessitas cogat: ergo contra erit, cum narrantur bona. Nam prospera & referre juvat, & exigunt audientem.

FRACTI BELLO. Subtilis narratio hominis victi, & ejus qui patriæ adesse nequiverit. Cujus auxilium, Didoni omnia metuenti videri debeat necessarium: quod in spem certam venire non potuit, nisi Æneas prius personam suam justa defensione purgaret, quod ab occasione temporis & personæ sumit: Non nos strenui, sed imbelles vicerunt. Argumentum ergo à persona.

FRACTI BELLO. Nullus bello frangitur, nisi imbellis, & nisi fortis sit, qui resistit. A tempore, *tot jam labentibus annis* Nam tamdiu restitimus, quamdiu fata imperium stare consenserunt.

INSTAR MONTIS. Fracti bello se ad insidias converterunt.

PALLADIS. Quo possent ab insidiarum suspicione abduci.

EQVVM. Maximæ insidiæ. Nam quod abscondere non potuerunt, specie religionis contexerunt.

VARIORVM.

FRACTI BELLO, Tryphiodorus. ἤδη μὲν δεκάτοιο κυλινδομένου λυκάβαντος ὀβριμαλὴ πτολέμοιο φέρων ἀκόρητος Ἐνυὼ Τρωσὶ καὶ Δαναοῖσι, ἐπασσυτέρων δ' ἄρα φωτῶν δόρπον κεκμηώς. HART.

INSTAR MONTIS EQVVM. Cælius lib. 29. cap. 25. Floridus lib. 2. cap. 20. ἣ δὴ καὶ βούλῃσι θεοῖς ὑπόεργος ἑκοῦσα πρώτης ἔχθρον ἄγαλμα, πολέεσσιν ἵππου ἑκηΐς. HART.

Tt Votum

Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cœco lateri; penitusque cavernas
Ingenteis, uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant:

SERVII.

VOTVM. Oblatum. Nam participium est, id est, vovisse pro reditu. EA FAMA VAGATVR. Hoc est pro reditu, fama tamen fuit non & simulationis: Nam incipiunt & insidiæ patefactæ esse. Bene ergo excusat, ne reus sit conscientiæ. Accius in Deiphobo inscriptum dicit: MINERVÆ DONVM ARMIPOTENTES DANAI ABEVNTES DICANT.

HVC. Pro illuc in equum, vel in hanc rem. DELECTA CORPORA. Delectorum virorum. VIRVM. Pro virorum, qua figura & in prosa utimur. Dicit sane Plinius in naturali historia, sic in neutro faciendum esse, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat. SORTITI. Contraria sunt delectus & sors. Sed intelligimus quidem plures electos, sorte tamen ex ipsis ductos, qui includerentur. FVRTIM. Non à plebe, hoc est nullo sciente, id est latenter. Nam & *furtum* ideo dicitur, quod magis per tenebras admittatur: unde fures quoniam quasi per furvum tempus, hoc est nigrum, aliquid subripiunt.

CœCO LATERI. Pro cœcis lateribus. Et notandum aliter dici, cœcum hominem non videntem, aliter cœcum latus, absconsum & obcæcatum.

INGENTEIS. Nonnulli omnia loca concava cavernas dictas à veteribus adserunt; ut, *Et umbrosæ penitus patuere caverna*: Alii fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulæ adfiguntur, cavernas appellarunt. Vnde quia naves texi dicuntur, & cavernæ navium sint; permansit in metaphora navium, ut *intexunt* diceret & *cavernas*. Alii quodcunque in arcum formatum est, quod flexum & in altitudine curvatum ad sedem deducitur, cavernam dici tradunt. Sane dicendo ingentes, epitheto levavit tapinosim. VTERVMQVE. Vterus est mulierum: nam prægnantis proprie est, quem modo ideo dixit, quia dicturus est, *fœta armis*. Alvus, est quo defluunt sordes: ut Salustius, *Simulans sibi alvum purgari*. Venter qui videtur. Iuvenalis, *Montani quoque venter adest abdomine pinguis*. Sane & in Tragædia de hoc equo * *ἐγκύμονα* legitur, hanc ergo hic uterum dixit. ARMATO MILITE. Ex hoste scilicet, & singularem numerum pro plurali posuit. ut, *Vltro Inachias venisset ad urbes Dardanus*, pro Dardani; & alibi pluralem pro singulari; ut, *Desiste manum committere Teucris*, cum solus esset Æneas.

TENEDOS. Insula est contra Ilium, quæ ante Leucophrys dicta est. Nam Tennes Cygni, infamatus à Noverca, quod cum ea voluisset concumbere, cultoribus vacuam tenuit, unde Tenedos dicta est. Alii dicunt, quod se propter supra dictam causam, ex ipsa insula in mare præcipitaverit; hujus soror Hemithea fuisse dicitur. Ideo ergo ait *notissima fama*. Sic Cicero in Verrinis, *Tenem ipsum, cujus & nomine Tenedos nominatur*.

INSVLA DIVES OPVM. Hic genitivo jungit. Statius, quod rarum est, & ablativo, *Vt satis ostro dives & auro*. PRIAMI DVM REGNA M. Qui & ipse à Græcis est.

DONATI.

DELECTA. Non ergo plebeja: & est ad excusationem Trojanorum. Elegerunt ex ducibus plurimos: & quoniam periculosa non possunt sponte appeti, sors dedit ex pluribus fortibus quos equus caperet. Ostendit autem poëta, paucorum periculo providendum omnibus, neque debere homines refugere mortem, pro salute patriæ.

CAVERNAS. Loca quæ præter uterum cava essent: ut circa armos, & collum, & ilia.

EST IN CONSPECTV. Locus est, qui hostiles insidias facile celaret. In conspectu erat, sed insula, quo non facilis esset transitus, & mare interjectum, occultabat insidias.

VARIORVM.

VOTVM PRO REDITV SIMVLANT. Hinc levis emergit Græcorum deturpatio ab impietate: qui per speciem religionis insidias moliuntur: hinc in proverbium abiit ἵππος δῶρον, seu δουράτεος, de insidiis quibuslibet occultis. NASCIMBÆN.

ARMATO MILITE COMPLENT. ἀνδρῶν ἐπὶ πλήρης χρυσίῳ ἵππῳ φέρει λόχον κλυτόπωλον ἀχαιῶν. HART.

EST IN CONSPECTV TENEDOS. Tennus Cygni filius, Neptuni nepos fuit. Ejus ephebi jam, & ut Græci dicunt ἀνδρόπαιδος desiderio tacta noverca Philonome, seu ut alii vocant Peribæa, sermonem cum eo de stupro contulit. Rejecta & repudiata, insimulavit eum apud patrem, eodem plane modo, quo Hippolytum Phædra. Credulus parens, inclusum in capsam quandam filium projecit in mare. Tulit opem Neptunus innocenti nepoti, delataque est capsa ad insulam Leucophryn: quam cum incolæ aperuissent, non tantum Tenno regnum detulerunt: sed etiam de nomine ipsius insulam Tenedon nominarunt, quin & mortuum pro deo coluerunt. MVRET. lib. 1. cap. 12.

TENEDOS. Sita autem media est inter tria maria, Ægeum, Hellespontum, & Sinum nigrum à promontorio Sigeo LXXV. stadiis. Hinc & τρίοδος id est Trivium nonnullis appellata. In ea Melicerta humanis infantum hostiis colebatur. Multisque proverbiis locum fecit: *Homo Tenedius*, in aspectu formidabilem, &c. TAVBMAN.

Nunc

Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis:
Huc ſe provecti deſerto in littore condunt,
Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.
Ergo omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu:
Panduntur portæ. juvat ire, & Dorica caſtra,
Deſertoſque videre locos, littuſque relictum.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles:
Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ;
Et molem mirantur equi: primuſque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:

SERVII.

SINVS. Reductus littoris ſeceſſus. STATIO. Statio ubi ad tempus ſtant naves: Portus vero ubi hyemant. MALE FIDA. Periculoſa ſcopulis; vel à Græcis. Aut minus fida propter periculum navium: quia ſtatio eſt, quam plagiam dicunt: aut certe fida Græcis. MALE, In noſtram perniciem. ut Lucanus de Syrtibus, *Sic male deſeruit.* Et hanc ſignificationem raro invenimus. Sane male fidus non infidus, ſed minus fidus intelligitur. MALE enim minutionem habet, non negationem.

DESERTO. Vel ab his, qui Trojanæ partis erant: aut certe ideo deſerto, ut facilius latere poſſint. CONDVNT. Pro abſcondunt.

ABIISSE. Petiſſe. Abiiſſe dicimus & petiſſe; ſed propter metrum epentheſis facta eſt. MYCENAS. A parte totum, id eſt Græcia.

OMNIS TEVCRIA. Subaudi gens: Et abſoluta eſt elocutio. SOLVIT. Quaſi ante ærumnis victi eſſent.

PANDVNTVR PORTÆ. Signum pacis eſt: ut Saluſtius, *Aperte portæ, repleta arva cultoribus.* ut clauſis portis ſignum belli eſt: *Quæ mœnia clauſis Ferrum acuant portis.* IVVAT IRE autem, exire, aut ire longius. DORICA CASTRA. Mala eſt compoſitio, ab ea ſyllaba incipere, qua ſuperior finitus eſt ſermo. Plerunque & cacephaton facit, ut hoc loco. Sane Dorus, Neptuni filius fuit: unde Dori originem ducunt.

LITTVSQVE RELICTVM. Quod noſtrum fuerat.

HIC. Pro Illic, & totum hoc ita accipiendum. TENDEBAT. Tentoria habebat. ut, *Et latu tendebat in arvis.* SÆVVS ACHILLES. Propter Hectorem. Et talis ubique inducendus eſt: ut Horatius, *Iura neget ſibi nata.*

CLASSIBVS HIC LOCVS. Magis ad equites debemus referre: *ut & ortinæ claſſes.* Vnde & claſſica dicuntur. HIC ACIES. Hic exercitus. *Huc geminas nunc flecte acies.* Legitur & acie. Nam poteſt utrumque.

PARS. Figurate, ut, *Pars in fruſta ſecant.* INNVPTA. Quæ nunquam nubit. Nam virgo poteſt & nubere. DONVM. ἀμφίβολα, non quod ipſa dedit, ſed quod ei oblatum eſt. EXITIALE. Quantum ad Trojanos.

PRIMVSQVE THYMOETES. Vt Euphorion dicit, *Priamus ex Ariſba filium vatem ſuſcepit.* Qui cum dixiſſet quadam die naſci puerum, per quem Troja poſſet corruere: pepererunt ſimul & Thymœtiæ uxor & Hecuba, quæ Priami legitima erat. Sed Priamus Thymœtiæ filium uxoremque juſſit occidi. Inde ergo nunc dicit, ſive dolo: quia habuit juſtam cauſam proditionis. Alii volunt DOLO, Scilicet Græcorum, quo omnes decepti ſunt.

ARCE LOCARI. Velut tutamen, & non incaſſum arcis Trojanæ prope multis locis mentio fit. In hac enim arce hujuſmodi ſaxum fuiſſe dicitur, quod abs alio contritum, ſanguinem emitteret, atque Helenam ad incitandos in ſe amatores ſæpe ex hoc ſaxo lapillis uti fuiſſe ſolitam.

DONATI.

MALEFIDA. Ergo credendum illos enavigaſſe.

NOS ABIISSE. Cum & littus reliquiſſent, & malefida eſſet ſtatio, non mirum ſi crediderunt abiiſſe.

ERGO OMNIS. Mortalitas plena monſtratur. Vbi enim creditum eſt bellum amotum, ſolutus eſt longi temporis luctus.

VARIORVM.

NVNC TANTVM SINVS, ET STATIO, &c. Vnde locus miſericordiæ deduci poteſt ab inſtabilitate & commutatione fortunæ. NASCIMBÆN.

PANDVNTVR PORTÆ. Ἀνῷγον δ' ἐξέφερον πυλέων πολυβενθέας ὀχῆας, πεζοὶ δ' ἱππῆές τε καὶ ἔντεσιν ἐστιχόωντο. TRYPHIODORVS.

DORICA CASTRA, *Doris* media eſt inter Theſſaliam, Æoliam & Helladen, quaſi totius Græciæ umbilicus, ad montem Parnaſſum. Vide Scalig. l. 2. c. 32.

HIC DOLOPVM MANVS. Quintilianus lib. 9. cap. 2. Sermo ſine perſona. HARTVNG.

CLASSIBVS HIC LOCVS. Claſſes Iſidor. lib. 9. & Turneb. lib. 26. cap. 22. de exercitu pedeſtri potius, quam de navibus exaudiunt. Claſſes enim dictæ propter diviſionem, qui poſtea manipuli dicti ſunt. PONTAN.

PARS STVPET INNVPTÆ. δέμας αἰόλον ἵππου θηήσαντο ἀμφιχυθέντες. HART.

Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri, & tentare latebras.
SCINDITVR *incertum studia in contraria vulgus.*
Primus ibi ante omneis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:

SERVII.

SIC FATA FEREBANT. Vt etiam cives contra patriam sentirent.

AT CAPYS. Quidam; non pater Anchisæ. Et bene nec se, nec patrem huic consilio dicit interfuisse, per quod interitus patriæ imminebat. Quanquam Æneas quasi obtrectator Priami, non adsit, ut Homerus dicit: Anchises vero propter cœcitatem, ut docet Theocritus. Alii hunc Capim affinem Æneæ tradunt, & ideo ei ab Ænea dari recti consilii principium. Hic est qui Capuam condidit; sed hoc post multa secula claruit. Nam his temporibus, quibus Cæsar occidi habuit, Capuæ juvencæ æneæ, dicitur inscriptum fuisse, iisdem temporibus, unum de genere conditoris periturum.

PELAGO. Pro in Pelagus. DANAVM INSIDIAS. Bene qui suadet ut præcipitetur, non dicit donum Minervæ, sed Danaum insidias & suspecta dona.

SVBIECTISQVE VRERE FLAMMIS. *Que*, copulativa conjunctio est, aut disjunctiva: quomodo ergo per *aut* adjunxit; cum non utrumque; sed alterutrum fieri poterat quod suadebatur. Poëtarum est, partem pro parte ponere: ut torvum pro torve, & volventibus pro volubilibus. Ergo conjunctionem pro conjunctione posuit: ut, *Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum*, id est QVE, pro VE. Nam sonantius visum est. Antiqua tamen exemplaria ve habere inveniuntur; ve enim proprium significatum habet, ut interdum pro *vel* accipiatur.

TEREBRARE. Quidam aperire ac scindere accipiunt: alii terebrare simpliciter accipiunt. quia adjecit tentare; & hic ostenditur adversa sententia, non enim ab omnibus creduntur insidiæ.

INCERTVM. Instabile: unde est, STVDIA IN CONTRARIA. Incertum ergo aut temporale est, aut perpetuum epitheton vulgi. Sane VVLGVS tam masculini generis est, quam neutri: quia in VS exeuntia neutra, in RIS mittunt genitivum: excepto pelagus: quod in hoc nomine creavit errorem.

ANTE OMNES. Aut Perissologia est, quasi dixisset, PRIMVS. Aut ANTE OMNES, id est videntibus omnibus.

LAOCOON. Omnia in ON exeuntia, tertiæ sunt declinationis: ut Laocoontis, Demophoontis, Hippocoontis. ARDENS. Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu; sicut hic futura dicturo, primum iram & commotionem animi, quæ vultu ostenditur, dedit; dein celeritatem corporis: inde vocis magnitudinem.

DONATI.

AT CAPYS. Sententia Thymœtæ suspitiose tracta est: Capys autem sententia non nunc melior, sed post factum cognita est.

SCINDITVR. Nam cum totum suspitionibus ageretur, nihil potuit recte firmari.

PRIMVS IBI. Non erat Laocoon inter ambigentes, sed descendit ab arce excitus contrarietate sententiarum, & cupiebat prævenire, ne quid in perniciem Reip. decerneretur.

ARDENS. Vel ingenio vigilans, aut vehementer pro statu publico commotus.

VARIORVM.

SIVE DOLO. Caussam hortationis facit ambiguam, & verisimiliter narrat. Priamus enim Thymœtis uxorem cum fœtu occiderat, sine caussa. Potuit igitur conscius technæ Græcorum, per speciem boni consilii hortari ad inducendum equum, armatis refertum, ut ita se de Priamo ulcisceretur. HORTENSIVS.

SVBIECTIS VRERE FLAMMIS. Macrob. lib. 5. cap. 5. HARTVNG.

AVT TEREBRARE CAVAS. Καὶ ἄκριτος ἔπλετο βουλὴ, οἱ μὲν ὁ δολιχοῖσιν ἐπὶ κρημνοῖσιν ἐρίξαι ἤθελον, οἱ ἀμφιβολοῖσι διαρρῆξαι πελέκεσσιν. H.

SCINDITVR INCERTVM. Τοὶ δ' ἄκριτα πολλ' ἀγόρευον ἥμενοι ἀμφ' αὐτὸν, τρίχα δὲ σφισιν ἥνδανε βουλή. Homer. Odyss. θ.

PRIMVS IBI ANTE OMNES. Erat hic Servius, qui futili quadam distinctione hunc locum conatur exponere. *Primus* ergo, tanquam dux & imperator: *ante omnes*, anterior omnibus, quibus associatus erat. Huic rei fidem faciunt antiqui codices nonnulli, in quibus legere est, *ante alios*. Alterum igitur dignitatis est, alterum ordinis. NASCIMBÆN.

LAOCOON ARDENS. Tryphiodorus, Cassandræ hæc verba tribuit. προσπάσσασα νέφος ἱερὸν κυανέην δὲ χαίτην, κυκλοφόρον ἀνίαχε μαινάς, φωνῇ ἀμπλάκητον τοῦτον ἀνάπαυσον ἵππον ἄγοντες [illegible], &c. HART.

Et procul, O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi:
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos & dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. stetit illa tremens, uteroque recusso

SERVII.

PROCVL. Quidam hoc loco *procul*, unde primum exaudiri potuit tradunt: alii juxta volunt, ut, *Serta procul*. O MISERI. Bene hoc cœpit, quia non erant suadenti utilia credituri.

QVÆ TANTA INSANIA? Quia insanorum est, contra se sentire, aut *insania*, dementia.

CREDITIS AVECTOS H. Vehementius est, quam si dixisset non navigaverunt. DONA CARERE DOLIS DANAVM? Ordo est, Dona Danaum; non dolis Danaum. Non enim quæcunque sunt dona, Danaum sunt. SIC NOTVS VLYSSES? Quod ut ait Homerus, verberatus voluntate: & sub habitu mendici Trojam ingressus, exploravit universa: Hic sane Vlyxes filius Laërtæ, Penelopæ maritus fuit; qui filios habuit Telemachum ex Penelope, ex Circe vero Telegonum; à quo etiam inscio, cum ipse patrem quæreret occisus est. Huic Vlyxi primus Nicomachus pictor pileo caput texisse fertur. Hujus post Iliense bellum errores, Homerus notos omnibus fecit. De hoc quoque aliæ fabulæ narrantur. Nam cum Italiam post errores fuisset reversus, invenisse Pana fertur in penatibus suis, qui dicitur ex Penelope & procis omnibus natus, sicut ipsum nomen Pan videtur declarare: quamquam alii hunc de Mercurio, qui in hircum mutatus cum Penelope concubuerat, natum ferunt. Sed Vlyxes, posteaquam deformem puerum vidit, fugisse dicitur in errores; necatur autem vel senectute, vel Telegonii filii manu; aculeo marinæ belluæ extinctus. Dicitur enim cum continuo fugeret, à Minerva in equum mutatus. LIGNO. Merito, quasi dissuasor, affectavit Tapinosim dicens *ligno*, non simulacro. Infirmare enim vult fictam eorum religionem, ut paulo post, *Ducendum ad sedes simulacrum*. Nam in suasione vel dissuasione, tam sensus, quam verba considerantur.

VENTVRAQVE DESVPER VRBI. Oppressura civitatem.

ERROR. Dolus, ut, *Et inextricabilis error*. Et est figura ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Distinguendum sane error: & sic dicendum, EQVO NE CREDITE TEVCRI. Item, QVICQVID ID EST, TIMEO. Hoc enim melius est.

HASTAM IN ALVVM CONTORSIT. Quidam deesse putant aliquid, ut sit sensus, Inclinans se in latus, ad ictum vehementiorem contorsit hastam: Nam si latus equi accipias, contrarium erit, quod subjunxit *Alvum feri*.

LATVS. Quidam inter ventrem & latus percussum intelligunt: multi ita volunt intelligi *In latus*. FERI. Quadrupedis: ab eo quod toto corpore feratur; ut, *pectebatque ferum*. CVRVAM ALVVM. Plautus masculino genere protulit, quo non utimur. Percussum sane intelligimus inter ventrem & latera.

VTERO RECVSSO. Pro concusso: præpositio, pro præpositione.

DONATI.

ET PROCVL. nisi arderet, verba donec adventaret, distulisset. O MISERI. Invectio ardentis animi, non contumeliosa in cives, sed pro statu publico necessaria. MISERI. qui ea quærunt quibus efficiantur miseri.

AVECTOS. Qui per tot annos bellum gesserunt.

AVT VLLA. quasi dicat. Creditis id tutum quod reliquerint hostes, aut aliud quippiam, quod benevolentiæ simulationem afferat?

DANAVM. Quasi callidorum & versutorum. VLYSSES. quasi, si non essent dolosi, ab hoc magistro addiscere potuerunt.

HOC. Oportebat ostendere, si in contraria jam raptos, avertere à proposito volebat. ergo notissima fraude unius universam gentem vituperat.

EQVO. Quia originem ducit à fraudulentis hostibus, qui tunc maxime timendi sunt, cum benevolentiam simulant.

SIC FATVS. non verbis solum, sed re voluit affirmare sententiam.

VARIORVM.

DONA CARERE DOLIS; Proverb. Hostium munera, non munera. Sophocles in Ajace. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, κοὐκ ὀνήσιμα. HART.

TIMEO DANAOS ET DONA FERENTES. Merito Laocoon timet dona Danaum, quoniam juxta proverbium, Hostium munera non munera, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Crediderunt igitur prisci, vel maxime observanda munera, à quibus, quo animo mitterentur: propterea quod quæ darentur ab iis, qui nobis male cuperent, exitio plerunque fuisse constaret. ADAG. Chiliad.

Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.
Et si fata deum, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum,
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,

SERVII.

CAVÆ CAVERNÆ. Græca figura: ut vitam vivere, mortem mori.

FATA DEUM. Fata modo participium est; hoc est quæ Dii loquuntur: ut Statius, *Et vocem fata sequuntur.* LÆVA. Modo contraria. Et sciendum *lævum* cum de humanis rebus, esse contrarium: cum autem de cœlestibus, prosperum; ut, *Intonuit Lævum*: quia sinistra numinum, dextra sunt intuentibus.

FOEDARE. Dilacerare. Fœdum enim tam apud Virgilium, quam apud Salustium non turpe significat, sed crudele: ut, *Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.* Salustius, *Fœdi oculi.* Alii *fœdare* secundum Græcos accipiunt. Quid enim fœdius quam duces Græcorum latentes deprehendi. *Latebras* autem amarè dixit. STARES. Si stares legeris, maneret sequitur: propter ὁμοιοτέλευτον. Et est apostropha.

ECCE MANUS. Hæc particula prope rem gestam ante oculos lectoris inducit. Sane sæpe dictum est, Virgilium inventa occasione mentionem juris pontificalis facere in quacunque persona. Antiquis itaque ceremoniis cautum erat, ne vinctus flaminiam introiret, si introisset solveretur vinclaque per impluvium effunderentur, inque viam publicam ejicerentur. Flaminia autem domus Flaminis dicitur, sicut regia regis domus, quod hic de Sinone rem Flaminis à rege factam debemus accipere. Ipse vero *primus manicas atque arcta levari Vincla jubet Priamus*, quod factum sub divo illo versu ostendit. *Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.* Et, *Vos æterni ignes*, id est sydera, quod utique incongrue dictum videtur, nisi sub dio Sinonem stantem hæc dixisse accipiamus. Ideo autem Iuvenem dicendo nomen suspendit, quo gravior narratio fieret, sed ordine suo referentur quæ gesta sunt.

MANUS REVINCTUM. Ut, *Oculos suffusa.*

TRAHEBANT. Cum festinatione adducebant, ut, *Conventus trahit in medios.* Et modo TRAHEBANT ad ducentium desiderium pertinet: non quod renititur Sinon, namque contrarium esset, *Qui se ignotum venientibus ultro.*

QUI SE. Alii QUIS SE, Quibus se legunt. Ipsum autem generis masculini, quia usurpatum est ipse.

HOC IPSUM. Vel ut caperetur; vel quia Græci simulabant. Ipsum autem per M, non per D, quia usurpatum est ipsud: & est naturale ipsus: ut, *Ipsus mihi Davus.* Dicimus ergo, ipsus ipsa ipsum, ut doctus docta doctum. UT STRUERET. Vel astrueret, vel inchoatum à Græcis perficeret, hoc est confirmaret præjacta dolorum semina, quod ipse exposuit *Trojamq; aperiret Achivis. Strueret* autem respexit ad superiora, ut, *Ædificant.* FIDENS ANIMI. Ut, *O præstans animi juvenis.* Et est nomen. Nam desiit esse participium, quia genitivo cohæret, & potest recipere comparationem. Sane veteres fiduciam interdum pro crimine & audacia ponebant; ut Sallustius ita *fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.* & Virgilius, *Nam quis te juvenum confidentissime.* IN UTRUNQUE. *In*, modo ad significat: alibi pro contra, ut etiam supra dictum. Sane sequenti versu exposuit, quid est, *In utrumque paratus.*

DONATI.

FATA. Deorum voluntatem accipere debemus, quasi dicat: Nisi dii avertissent intentionem nostram, statim insidias has cognovissemus.

NUNC. sicuti stetisti ante has insidias.

ECCE. Semper ponit ecce, Vergilius, ubi significat aliquod malum repentinum: dum igitur illa disputant, aliud intervenit, quod ab equi tentatu averteret. Primus autem adventus effecit, ut res in præsentia omitteretur: simulata deinde oratio, penitus religione nos astrinxit, ne Minervæ dona fœdaremus, accedente maxime violatoris morte. ECCE. Rem improvisam exoriri ostendit, quæ magis movet, præsertim cum assint signa nocentis.

QUI SE. Consilium Sinonis fuit prævenire, ne equi fraudes averterentur.

HOC IPSUM. paratus etiam mortem subire, nam non fit facinus magnum, sine magno periculo.

VARIORUM.

FOEDARE LATEBRAS. *Fœdare* videtur apud idoneos scriptores eandem habere vim, quam vulnerare, lacerare, concidere. Æneid. 3. *Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.* PONTAN.

ECCE. Repentini & improvisi mali vocula. HARTUNGIUS.

MANIBUS POST TERGA. Tryphiodorus. μοῦνος δὲ πληγῇσιν ἀεικέα γυῖα χαραχθείς. Tale etiam Zopyro traditur apud Herodotum lib. 3. *Ἀποταμὼν γὰρ ἑαυτοῦ τὴν ῥῖνα καὶ τὰ ὦτα καὶ μαστιγώσας.* HART.

Digitized by Google

Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Vndique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omneis.
Namque, ut conspectu in medio turbatus inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt

SERVII.

VERSARE DOLOS. Dolo evertere: & subaudi Trojanos: aut DOLOS VERSARE, hoc est exercere; hinc versutus, quod facile se ad ea quæ usus poscit vertit. Plautus, *Versatior es quam rota figularis.* OCCVMBERE MORTI. Novæ locutionis figura & penitus remota. Ennius, *Vt vos vestri liberi defendant, pro vestra vita morti occumbant.*

VISENDI. Frequentativum est viso, ut Facesso, licet rarum sit, nam in To exeunt frequentativa.

CIRCVMFVSA RVIT. Figura ὕστερον πρότερον. Ruit primo & sic circumfusa est. CERTANTQVE. Cum supra, *Iuventus ruit* dixerit, subjunxit, *certant* quod figuratum est, quia juventus enuntiatione singulare est, intellectu plurale. ILLVDERE CAPTO. Et illudo tibi, dicimus: vt hoc loco: & illudo te; ut, *In verbis virtutem illude superbis*: & illudo in te. Simile est insulto tibi & te. Quidam inludere per ludum ac jocum sævire injuriam alicujus intelligunt. Vt *Silvestres uri assidue capræque sequaces.* CAPTO autem, quod ita Trojani putabant.

ACCIPE. Audi, da, dic; ut, *Qui sit da Tytire nobis.* INSIDIAS. Servavit ordinem respondendo ad illud quod regina dixerat *Insidias*, inquit, Danaum. CRIMINE AB VNO. Hoc est causa; ut, *Crimen amor vestrum.* Ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Si enim simpliciter intellexeris CRIMINE: de negotio ad personam vitiosum transitum facit. Alii sic legunt: Danaum insidias & crimen.

TVRBATVS. Quasi turbatus: ut, *Exultat Amazon.* quasi *Amazon*. Et hoc ad fidem faciendam, non enim turbatus, supra enim ait, *Seu versare dolos seu certæ occumbere morti.* INERMIS. Quidam supplex accipiunt, ut, *Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.* HEV. modo una est syllaba: sed interdum propter metrum, duæ fiunt: *Eheu quam pingui macer est mihi taurus in arvo.* Sicut prendit & prehendit; & secundum Plinium multa sunt talia.

TELLVS ET ÆQVORA. Bene conciliat miserationem, de communibus duobus exclusus elementis, quia Græci tenebant maria; Trojani terras: Sane quod defleat ideo ei primum brevis datur oratio, & est controversiæ schema. Nam principium satis docte sumptum est: hac enim exclamatione & miseriæ auctu benevolum sibi judicem fecit, querelæ autem novitate attentum, quis enim non cuperet audire quo pacto idem homo & Græcis & Trojanis esset invisus: denique subjecit, *Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis Impetus hortamur fari etc.* Habet ergo benevolentiam & attentionem, ingressus deinde causam, quia timebat ne persona Græci suspecta esset, quasi hostis, hoc fatetur primum & ex sequentibus sanat, *Neque me Argolica de gente negabo, Hoc primum.* Subjungit fabulam, ex qua sibi fidem paret dicturus de equo, de Palamede autem & Iphigenia ad Trojanos nil pertinet, de quibus vera incipit & in falsa desinit, facile enim quæ sequentur credibilia sunt, cum prima recognoscuntur, quæ per singula loca vel versus facilius poterimus advertere. Sane TELLVS, VS longa est: & pauca sunt quæ VS producunt; ut senectus, juventus, salus, virtus, palus, servitus, incus. tus, rus, mus, pus: tunc scilicet quum genitivus in TIS vel in RIS exit. Et habet penultimam longam. Ideo autem TIS & RIS dicta sunt: quia palus, licet paludis longa sit LV, brevis tamen nonnunquam invenitur, quia in DIS exit genitivus: ut Horatius, *Sterilisque diu palus aptaque remis.* ÆQVORA. Maria. Alibi *campos*: ut, *Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* Dictum enim est ab æqualitate.

DONATI.

VNDIQVE ENIM. Expressit hominum morem: quis enim non cupiat hostem suum captum videre, & viso illudere?

ACCIPE. Destruit græcorum personam omni occasione, & defendit suam. Nam totam rem in deorum adversum studium revocat: ut ostendat, Græcos tum insidiis, tum deorum injusto favore victoriam obtinuisse.

VARIORVM.

SEV VERSARE DOLOS. Ad proverbium videtur alludere; aut manenti vincendum aut moriendum. MASCIN. ÆN.

ET CRIMINE AB VNO DISCE OMNES. Omnes Græcos ex uno deturpat, & in odium rapit. Ita quoque Terent. in Phorm. de servis *Vnum cognoris, omnes noris.* Hinc illud adagium à Suida relatum, ἐξ ἑνὸς τὰ πάντ' ὅρα, ex uno specta omnes. *Crimine ab uno* interpretatur Scalig. F. Coniectan. in Varron. de ling. lat. lib. 6. ab uno reo: ut sit *crimen* pro reo, seu crimini obnoxio; quemadmodum apud Catull. lupum, lupanar de meretrice. Et apud Lucillium, *carcer vix carcere dignus.* Apud Terent. scelus, pro scelerato. PONT.

QVÆ ME ÆQVORA POSSVNT. Quintilianus lib. 9. cap. 2. HART.

Acci-

Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus, insuper ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus & omnis
Impetus: hortamur fari; quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret: quæ sit fiducia capto.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum: nec, si miserum fortuna Sinonem

SERVII.

DENIQVE. Aut vacat sicut *gentium*: aut novissime significat. INSVPER IPSI. Et insuper ipsi, quos pro merito meo minime deceat sævos esse, hoc est quibus sum præstaturus salutem.

INFENSI. Infensus proprie est plusquam inimicus ab inimico major. POENAS CVM SANGVINE POSCVNT. Id est tormenta & mortem. Potest enim aliud esse sine alio.

CONVERSI ANIMI. Bene, quia dixerat, *Et super ipsi Dardanidæ infensi*, ut ostenderet eos cum advenienti inludere certarent, audito ejus gemitu, ad miserationem esse conversos.

IMPETVS. Qui in Sinonis ferebatur interitum. HORTAMVR. Bene, non jubemus utpote miserantes. QVO SANGVINE CRETVS. Quibus sit parentibus natus. Nam Græcum esse constabat.

FERAT. Adferat, id est nunciet. MEMORET QVÆ SIT FIDVCIA CAPTO. Aut dicat quæ sit in captivo fiducia; ut audeat dicere, *Insuper ipsi*. aut certe MEMORET, est meminerit: ut significet, meminerit per verisloquium vitæ esse fiduciam. Vnde & responsio talis est, FATEBOR VERA. Alii MEMOREM legunt, ut sit sensus, Hortabamur ad loquendum memorem: hoc est qui diligenter factionis suæ meminerat. veluti, memor sit, quid in captivo victori liceat, vel, *Quid ve ferat memoret*, id est, quid adferat, dicat, ut simpliciter accipiatur quod sequitur; quid illud sit, quod illi fiduciam apud hostes capto pariat, ut putet à Trojanis sibi esse parcendum.

FVERINT QVÆCVNQVE. Id est quicunque me sequitur eventus. Sive miseratus vitam concedere volueris, sive non. Est autem parenthesis & respicit ad illud, *Memoret quæ sit fiducia capto.* Suspendendum ergo Rex. Sane QVODCVNQVE vetusta voce mortem significari Lucilius docet in XII. *Hunc si quid pueris nobis me & fratre fuisset*, Hoc est, si mors me vel fratrem oppressisset. Ergo, ut quidam volunt, urbane animum hominis mortem contemnentis ostendit. Vera, inquit, ut & falsa quæ postea dicturus est, vera credantur, ideo primo à veris cæpit. Ordo autem est, fatebor cuncta vera, *Neque me Argolica de gente negabo*, quod sciebant Trojani confessus est, ut ei de cæteris crederetur. HOC PRIMVM. Hoc maximum est vel principale apud me verum dicere, vel hoc primum fatebor subaudis. *Nec si me miserum fortuna Sinonem Finxit*, quidam ita intelligunt, si me fortuna ad hanc miseriem perducere potuit, non valebit etiam stultum facere, ut putem me mentiendo proficere. Sane Autolycus quidam fuit fur, qui se varias formabat in species. hic habuit liberos, Sisyphum, unde natus est Sinon: & Autolycum unde Vlyxes. Consobrini ergo. Nec immerito Virgilius Sinoni dat & fallaciam, & proditionis officium: ne multum discedat à fabula: quia secundum Euphorionem Vlyxes hoc fecit. Sinonem autem melius ait quam si me dixisset. Solet enim & in nomine quædam esse Emphasis, ut est, *Et quisquam numen Iunonis adoret*. FINXIT. Composuit, formavit. Vt, *Et corpora fingere lingua*. Et sciendum quod omnis Sinonis oratio, diasyrtica est. Nam & negotium exprimit: & Trojanorum insultat stultitiæ.

DONATI.

QVO GEMITV. Bonitatem Trojanorum ostendit, qui pro supplicio ultimo, quod sperabat, solo gemitu ejus, pro pœna contenta sunt.

HORTAMVR FARI. Vim propositionis habet, & tria proponit, ad quæ Sinonem respondere conveniret.

CVNCTA. Promittit omnia vera dicturum: qui nulla in parte fuerat veritatem retracturus.

TIBI REX. Assumit fiduciam confitendi apud eum, qui & cognoscendi & ignoscendi facultatem haberet. Commendat autem se, quod vera pollicetur: & quod regem appellat, captat benevolentiam.

FATEBOR. Aliud est quam *referam*. *Referimus*, cum dicimus aliquid simplex: & potest proferri sine tormentorum metu. *Fatemur* autem, cum prodimus id, quod sit contrarium confitenti, & possit tormentis exprimi è pectore negantis: & repete bis, fatebor cuncta, & fatebor quodcunque erit.

ARGOLICA DE GENTE. Ad id, *quo sanguine cretus*. Græcus sum. Ac si dicat hostis sum.

NEC SI MISERVM FORTVNA SINONEM, &c. potuit eripere mihi fortuna priorem felicitatem, at non poterit me mendacem fingere. Hoc argumento persuasit, ut Trojani crederent reliqua: & ne videatur incredibile, quod ipse solus ex omnibus græcis remanserit, ad hanc partem ducit ex alto principium, & narrat rem omnibus notam, & magna ex parte veram: qua exposita, subjungit falsa.

Finxit

Digitized by Google

Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.
Fando aliquid, si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.
Illi me comitem, & consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat

SERVII.

FINXIT VANVM. Fallacem. Et vanus est, qui etiam sine utilitate mentitur: MENDAX, qui tantum ad decipiendum. Vanus vero stultus apud idoneos invenitur: ut Iuvenalis, *Sic libitum est vano, qui nos distinxit Othoni.*

FANDO ALIQVID SI FORTE TVAS PERVENIT AD AVRES. Dum dicitur. Et utitur bona arte mendacii, ut præmittat vera, & sic falsa subjungat. Nam quod de Palamede dicit, verum est: quod de se subjungit, falsum. Et sciendum ex hac historia, partem dici, partem supprimi, partem intelligentibus relinqui. Nam Palamedes, ut Apollonius dicit: septimo gradu à Belo originem ducens, quum delectum militum per Græciam ageret; simulantem insaniam Vlyxem duxit invitum. Quum enim ille junctis dissimilis naturæ animalibus salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso Vlyxes aratra suspendit: & ad bellum ductus, habuit justam caussam doloris. Postea quum Vlysses frumentatum missus, ad Thraciam nil advexisset, à Palamede est vehementer increpatus. Et quum diceret adeo non esse negligentiam suam, ut ne ipse quidem si pergeret, quicquam posset advehere: profectus Palamedes, infinita frumenta devexit. qua invidia Vlysses auctis inimicitiis, fictam epistolam Priami nomine, ad Palamedem (per quam agebat gratias proditionis, & commemorabat secretum auri pondus esse transmissum) dedit captivo: & eum in itinere jussit occidi. Hæc inventa, more militiæ, regi oblata est & lecta, principibus convocatis. Tunc Vlyxes quum se Palamedi adesse simularet; ait, Si verum esse creditis, in tentorio ejus aurum quæratur. Quo facto, invento auro quod ipse per noctem corruptis servis absconderat; Palamedes lapidibus interemptus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam & tabulam ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, ut Varro testatur. Secundum quosdam ipse reperit literas. Quæ res si forte sit dubia, tamen certum est θ. φ. χ. ab hoc inventas cum aspiratione.

INCLYTA GLORIA. Propter delectum & frumenta.

FALSA SVB PRODITIONE. Sub falso crimine proditionis. Et rem notam per transitum dicit. Vnde & paulo post, *Haud ignota loquor.* quanquam ibi possit intelligi, haud ignota nobis: sed forte etiam ad vos potuit pervenire. Sciendum sane factum hoc vere, & Trojanos scisse. Sed Sinon callide quasi ignorantibus quæ vera sunt, dicit; ut fidem sequentibus faciat. PELASGI. A Pelasgo terræ filio, qui in Arcadia genitus dicitur, ut Hesiodus tradit.

INFANDO INDICIO. Propter aurum clam suppositum. Indicio autem, delatione. QVIA BELLA VETABAT. Iam hoc falsum est: sed dicitur ad Sinonis commendationem, nam aliam ob causam Palamedes periit. Et bene ad captandam circa amicos ejus miseriem, adjungitur qui pacis auctor fuit. CASSVM. Privatum, vacuum & cassum est quasi quassum & nihil continens; nam & vas quassum quod humorem in se non continet, & est vacuum; unde & retia casses, qui multum in se vacui habeant. Sane vult Sinon suadere, vere fugisse Græcos, si Palamedem lugere potuerunt.

ILLI ME COMITEM. Oratorie se commendat. ILLI. Id est qui bella vetabat, & bene comitem non militem, quem ejus inimici velut subpatrem insequerentur. ET CONSANGVINITATE PROPINQVVM. Excusatio à necessitudine, sed hoc totum falsum est.

PAVPER. Excusatio à fortuna, hæc enim fuerat caussa militandi, ut Terentius, *Quum hinc egens profugit aliquo militatum.* PRIMIS ANNIS. Aut adolescentiæ, aut belli. & est excusatio, quia patri parendum necessario fuit. ideo autem misit.

DVM STABAT REGNO INCOLVMIS. Quia & ipse unus de regibus fuit. Et bene addidit dignitatem ejus quem fingebat propinquum, ut ei justa caussa fuerit indignationis adversus Vlyxem.

DONATI.

PALAMEDIS. Eadem dicit quæ Servius de Palamede.

VARIORVM.

NEC SI MISERVM FINXIT, VANVM ETIAM. Mire sibi populum conciliat, tum per commiserationem ex sua calamitate, tum etiam per simulatam quandam simplicitatem. Nam & vultu & verbis, & gemitu id efficit, ut simplex sincerus, apertus ac verax esse videatur. Sumpsit autem ex Attio, ut sentit Macrob. lib. 6. cap. 1. Nam ille sic,

Nam si à me regnum fortuna atque opes
Eripere quivit, at virtutem nequivit.

NASCIMBÆN.

LVGENT. Sic Horat.
Virtutem incolumem odimus, Sublatam oculis quærimus invidi.

Vu Con-

Consiliis; & nos aliquod nomenque, decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Vlyssei,
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens, & me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos;
Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Vlysses
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma.

SERVII.

ET NOS. Pluralis pro singulari, ut Salustius, *Nos in tanta doctissimorum copia*: An *nos*, se & patrem dixit, id est ut Palamedes. * NOMEN. Gloriam vel nobilitatem, ut alii accipiunt, ut, *Cui genus & quondam nomen natique fuissent*. INVIDIA. Propter advectum frumentum.

PELLACIS. Per blanditias decipientis; Pellicere enim est per blanditias elicere.

CONCESSIT. Pro decessit.

AFFLITCVS. Suspendendum ne videatur affectum se dicere, quia in tenebris vitam trahebat, sed quia amicum perdiderit. VITAM IN TEN. Ideo lugentibus inimica lux est, quia caruerunt ea, hi quos dolent, ideo tenebras petunt, & atra veste amiciuntur & capita velantur, ut videantur cum defunctis agere imitantes tenebris inferorum faciem.

INSONTIS AMICI. Duo posuit, & insontis, & amici, & plus est quod amicum dixit, quam propinquum. MECVM INDIGNABAR. Quomodo ergo *Nec tacui demens*? Intelligimus istum quasi tacuisse primo: post impatientia doloris erupisse in vocem, aut quod interim non vindicarem amici insontis interitum.

FORS SI QVA. Bene si qua: quia est & bona & mala.

TVLISSET. Nonnulli pro retulisset intelligunt.

SI PATRIOS VNQVAM REMEASSEM VICTOR AD ARGOS. Bene dubitat, ut ostendat propter Palamedem omnes sibi Græcos inimicos fuisse. VICTOR autem, ut quidam volunt voti compos, ut est, *quam septem ingentia victor*, aliter dictum potuit non bene à Trojanis accipi. ARGOS. Argi ab Argo dicti, quem custodem vaccæ, in quam Io fuerat commutata, Mercurius occidit.

PROMISI. Pro minatus sum, per contrarium dixit: quia minamur mala: promittimus bona. Sic autem Horatius contra, *Atque vultus erat multa & præclara minantis*, Id est promittentis; & promisi ultorem, deest futurum.

HINC MIHI PRIMA MALI LABES. Pro hac causa, vel propter hoc, & est adverbium locale pro conjunctione causali. Quia secuta sunt postea oraculum, & adscita Calchantis factio; *adscita* sane dicitur adsumpta. LABES vero ruinam significat, à lapsu.

CRIMINIBVS. Causis, ut, *Et crimine ab uno?* NOVIS. aut magnis, aut, quæ nullus sperasset, aut aliis atque aliis. SPARGERE VOCES. ut, Cicero. *Spargere venena didicerunt.*

AMBIGVAS. Dubias aut suspicionum aut criminum plenas, ne si aperte ageret, accusatio esse videretur. CONSCIVS. Aut peracti sceleris, & de nece Palamedis; aut dolorum suorum: ut in tertio, *Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto*; aut certe sciens hunc meum animum. ARMA. Modo fraudes, vel dolos. Nam arma sunt instrumenta cujuslibet rei. Vnde insidiantis fraudes arma nominavit. Alii arma pro opibus vel auxiliis accipiunt, alii arma consilium, alii occasionem, nonnulli insidias intelligunt: Quidam *conscius arma*, hypallagen putant, pro conscientia arma; ut, *Et quondam patriis ad Trojam missus in armis*, Et, *Arma deosque parant comites*, Et, *Alsa arma Latinus*.

DONATI.

ET NOS ALIQVOD. De præterita ejus florenti fortuna, & de præsenti miseria, sibi comparat benevolentiam. Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo, *quia bella vetabat*, ut amico viventi præstarent, quod defuncto non poterant.

SVPERIS CONCESSIT AB ORIS. Non dixit mortuus est: ne ejus memoria, digna post hominum finem vivere, minoraretur.

VITAM IN TENEBRIS. Vt illi, qui cupiunt mori, & non vivere.

VARIORVM.

PELLACIS VLYSSI. Pellicere autem Festo, in fraudem inducere: & ei lax fraus est. Vt autem hic pellax, à Græcis ἀλλόμηλις, & ἀλλο[illegible] dicitur. Cæterum quamquam Grammatici omnes *pellaciam* & *pellacem*, à pelliciendo deducant; ego tamen malo a *pellando* verbo exoleto, à composita appello, interpello, compello; quod non vocare, aut simpliciter nominare, sed blandius sollicitare significabat. GERMAN.

IN VVLGVM AMBIGVAS. *Vulgus*, in masculino genere vetustum est; figuratum nunc. HARTVNGIVS.

100 Nec

Nec requievit enim, donec Calchante ministro.
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari, & quærere causas
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, & ficto pectore fatur.

SERVII.

NEC REQVIEVIT ENIM. Aut vacat ENIM: aut pendet sensus, ut & posterior. DONEC CALCHANTE MINISTRO. Arte enim agit, ut semiplena dicendo cogat interrogare, & avidius audire Trojanos. CALCHANTE MINISTRO. *Me destinat ara*, intelligitur: Et mire ministro, quasi * non exuerit à te responsuro.

SED QVID EGO. Aposiopesis est. Et bene reticuit ne tæderet illos tam longæ orationis; nihil ad se pertinentis, nisi studium audiendi intermissione renovasset. AVTEM. Hoc abundat. INGRATA. Nec vobis placitura, nec mihi gratiam conciliantia, quorum jam non libenter memini.

QVIDVE MOROR? Vestram scilicet festinationem vel mortem. OMNES. Et eos qui prodesse disponunt. VNO ORDINE. Vno reatu. Et est de antiqua tractum scientia: quia in ordine dicebantur causæ propter multitudinem; vel tumultum festinantium: quum erat annus litium. Iuvenalis, *Expectandus erit qui lites inchoet annus.*

IDQVE AVDIRE SAT EST. Me Graium esse. IAMDVDVM. Modo, quamprimum, scilicet ut satisfaciatis Græcis qui me oderunt, & dicendo mortem suam gratam esse Græcis, & Trojanorum benevolentiam conciliat, & ut sibi reliqua credantur extorquet.

HOC ITHACVS. Pro Ithacensis, principale pro derivativo. VELIT, ET MAGNO MERCENTVR ATRIDÆ. Callide hoc dicto impetrat vitam, asserens mortem suam illorum hostibus esse placituram. Ideo autem dicit MERCENTVR, quia sacrorum est, ut fugiens victima ubicunque inventa fuerit, occidatur: ne piaculum committatur. Ergo Sinon, qui victima fuerat, quippe qui propter reditum sacrificio fuerat destinatus, nec possent Græci nisi vel empta morte Sinonis ad patriam redire, jure, & votis, & præmio Græcorum interimitur. MAGNO MERCENTVR, id est pretio, ut, *Turno tempus erit magno quum optaverit emptum Intactum Palanta.*

ARDEMVS SCITARI. Festinamus inquirere. Et ecce quo proficit Aposiopesim ante fecisse. QVÆRERE CAVSAS. Cur à Græcis ejus optaretur interitus.

IGNARI. Aut nescientes, aut imprudentes. ARTISQVE PELASGÆ. Ars * μέσον est; Ideo adjecit *Pelasgæ*, hoc est malæ; prosequitur mire ut ab initio cœperat. PAVITANS. Quasi Pavitans, hoc est simulans se pavere. Et non tam propter mortem: Nam erit illi contrarium, *Iamdudum sumite pœnas.* sed ut videretur cum timore, civium suorum consilia vel secreta patefacere.

FICTO PECTORE. Pectus pro vero posuit. Nam nunquam fingitur pectus.

DONATI.

QVIDVE MOROR. Cur differo pœnas meas, post relationis beneficum continuo moriturus? Vlysses enim omne malum videbitur intulisse, qui me quolibet peccato quærebat occidere.

IDQVE AVDIRE SAT EST. Vbi ad cardinem venit, in quo mendaciorum consistit affectus, negavit se dicturum, ne ultro omnia referendo, daret suspicionem falsitatis: ait igitur, cum sciat se periturum, melius esse, ne secreta Græcorum prodat. Neque enim propter unum hominem, debeo omnes meos prodere.

TVM VERO. Hoc consilium nostram cupiditatem audiendi accendit.

IGNARI. Nam nostra simplici natura pendentes Græcos, illum vera dicere putabamus. Sed illi omnes sunt dolosi, unde sociavit illud: *& crimine ab uno disce omnes.*

VARIORVM.

DONEC CALCHANTE MINISTRO. Tacuit verba, *me destinat ara.* Nam etsi contentione & acrimonia vocis, dolos, fraudesque Vlyssis proferre ceperat, tamen cum ad finem pervenisset, ut ejus impietatem ostenderet, tanto indignationis ardore deflagravit, ut perficere orationem non valeret: id causa fuit reticentiæ; non quod Servius ait, ut interrogare & avidius Trojanos audire cogat. NASCIMBÆN.

MINISTRO. Cicero diceret, administro: hac enim voce utitur etiam in malo. In Verrem, *Timarchides erat administer cupiditatum Verris.* Et pro Quintio, *Administri & satellites Sex. Nævii.* FONT.

SI OMNES VNO ORDINE HABETIS ACHIVOS. Id est si omnes Græcos eodem loco & numero ducitis & pro hostibus habetis. Vel si vanos & perfidos ex uno Vlysse Græcos omnes judicatis. ut suspicionem doli, per occupationem dissimulanter deprecetur. TVRNEB. lib. 6. cap. 21. HORTENSIVS.

HOC ITHACVS VELIT. Floridus l. 2. c. 22. Linacer lib. 6. Quintilianus lib. 9. cap. 3. Præsens pro præterito. HARTVNG.

HOC ITHACVS VELIT. Ex Homero profluxit. Iliad. α. Et astute, ut vitam impetret, factum vituperat, per communem indignationis locum ex voluntate adversariorum. TVRNEB. lib. 6. cap. 21.

Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo fessi discedere bello:
Fecissentque utinam, sæpe illos aspera Ponti
Interclusit hyems, & terruit Auster eunteis.
Præcipue cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat.
Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,

SERVII.

SÆPE FVGAM DANAI. Hoc secundum Homerum verum est, apud quem suadet Agamemnon Græcis, relicto bello fugere, & ut ostendat propter bellum fugere, ait *cupiere*, non voluere.

MOLIRI. Parare. Et hoc verbo difficultatem rei ostendit. LONGO. Decennali. FESSI BELLO. Favorem sibi conciliat, dicendo fatigatos esse Græcos virtute Trojanorum.

FECISSENTQVE VTINAM. Nec enim hic aræ destinaretur. Et est significatio optandi à præterito tempore. PONTI HYEMS. Bene addidit PONTI: quia est & temporis.

EVNTEIS. Ire cupientes: ut, *Quum canerem reges & prælia*: id est cum canere vellem, & à Græcis figura est; ubi statuisse aliquid pro inchoatione haberentur.

PRÆCIPVE. Contra illud ne diceretur numina non esse placata. Et bene aliud agens, equi mentionem introduxit. TRABIBVS ACERNIS. Speciem pro genere posuit, id est pro quocunque ligno. Nam variat ligni genera in hoc equo, ut, *Abiete costas*, & *pinea claustra*, ita hic *acernis*.

ÆTHERE. Ætherem pro aëre posuit poëtica licentia.

SVSPENSI. Sollicíti: ut, *Nostroque in limine pendens*. quia nec tempestas post dona mutabatur. Aut ad Nimbos refertur, distinctione mutata, ut distinguamus, *nimbi suspensi*. SCITATVM, participium pro participio est, id est scitaturum. Alii SCITATVM legunt, id est inquisitum. ORACVLA. Ad templa de quibus dantur oracula; alibi *oracula*, responsa; ut, *Lapsis quæsitum oracula rebus*; &, *Quin adeas vatem precibusque oracula poscas*.

ADYTIS. Adytus, est locus templi secretior: ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti. TRISTIA DICTA REPORTAT. Renunciat. More suo breviter habitum futuræ orationis ostendit.

SANGVINE PLACASTIS VENTOS ET VIRGINE CÆSA. Cum primum Hic distinguendum est: quia & semel ad Trojam ventum est: & antequam ad eam veniretur, de Iphigenia est sacrificatum, cujus fabula talis est: Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervam cum venatur occidit, ignarus. Vnde dea irata, flatus ventorum qui ad Trojam ducebant suspendit; ob quam rem, cum nec navigare possent, nec pestilentiam sustinerent, consulta per Calchantem oracula dixerunt; Agamemnonio sanguine, hoc est immolata Iphigenia placandam Dianam. Cum ergo ab Vlysse per nuptiarum simulationem, qui Iphigeniam Achilli jungendam fingebat, adducta Iphigenia, in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est: cervaque supposita, & translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita est. Sacerdos facta Dictynnæ, vel ut quidam volunt, Orthiæ Dianæ. Cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem Orestem: qui accepto oraculo, curandi furoris caussa, cum amico Pylade, à cujus patre, Strofio nomine fuerat nutritus, Colchos petierat: & cum his occiso Thoante, simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum. Vnde & Fascelis dicitur: non tantum à face, cum qua pingitur, propter quod & Lucifera dicitur: & Ariciam detulit.

Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret (quanquam servi immolarentur) ad Laconas est Diana translata: ubi sacrificii consuetudo, adolescentulorum verberibus servatur: qui vocabantur Homonicæ: quia aris superpositi contendebant, qui plura verbera sustineret. Orestis vero ossa, ab Aritia Romam translata sunt: & condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolini, juxta Concordiæ templum. VIRGINE CÆSA. Non vere: sed ut videbatur. Et sciendum, in sacris simulata pro veris accipi. Vnde quum de animalibus quæ difficile inveniuntur, est sacrificandum: de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. Hinc est etiam illud, *Sparserat & latices simulatos fontis Averni*. Nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur.

DONATI.

PAVITANS. Aut pavorem simulans, aut pavitans ne lingua titubante, in cursu insidiarum, detectio nasceretur, quam jam videbat in tuto esse.

SÆPE FVGAM. Cum hoc falsum esset, parat causam, quæ sit credibile, scilicet bello fessos.

FECISSENTQVE VTINAM. Recte optare simulat: nam Trojanos placabat, & sibi commiserationem captabat.

SÆPE ILLOS ASPERA. Non consilium facto, sed eventus voluntati defuit.

SANGVINE. Verum dicit de Iphigenia, falsum addit de præcepto Apollinis. miscet ergo vera, ut credantur falsa.

Cum

Digitized by Google

Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina Divûm
Flagitat, & mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.

SERVII.

ILIACAS DANAI VENISTIS AD ORAS. Figuratum, Cum primum venire velletis. Sane hoc de Ifigenia verum est.

SANGUINE QUÆRENDI REDITUS. Hoc falsum est, & bene Oraculorum naturam servat, ut à te ipsa semper incipiant, ut alibi, *Dardanidæ duri,* dicendo enim Dardanidæ, ostendit quæ loca petere debeant. ANIMAQUE LITANDUM ARGOLICA. Quia occurrebat occidi posse captivum: Ergo ideo addidit *Argolica*, ne non esset triste oraculum. Videtur sane peritia juris Pontificalis animalis hostiæ mentionem fecisse, cum dicit, *Animaque litandum Argolica*, nam & animam dixit, & litare verbo pontificali usus * sacrificiis deos placare.

OBSTUPUERE ANIMI. Omnes enim crediderunt se perire posse, antequam unus esset delectus.

CUI FATA PARENT. Cui præparent mortem. FATA, id est responsa. Sunt qui ita dividant, *cui fata parent vitam, quem poscat Apollo*, ut moriatur.

HIC. Pro tunc. VATEM. Nunc divinum, alias poëtam; *Tu vatem, tu Diva mone.* Alias sacerdotem; ut, *Et aurea vati Cassida.* MAGNO TUMULTU. Ad factionem tegendam.

PROTRAHIT. Quasi nolentem. NUMINA DIVUM. Pro oraculis posuit: Id est, ut ambiguitatem oraculorum interpretetur. Quæritur enim non quid dicant, nam planum, sed quid debeat immolari.

FLAGITAT. invidiose poscit; unde & quod flagitatione dignum est, flagitium dicitur. MIHI. Multi posterioribus, multi primis jungunt * ad oram, est unus tamen sensus, & quidem graviter pronuntiandum tradunt. *Mihi*, hoc est Sinoni. MULTI CRUDELE CANEBANT. Multi, bis intelligendum, id est multi videbant taciti, multi etiam dicebant: ne sit contrarium, canebant taciti. quamvis multi sic exponant, qui mihi amici erant dicebant, qui inimici tacebant, ut provenirent quæ præsentiebant.

BIS QUINOS SILET ILLE DIES: Dicimus &, *bis quinis silet diebus:* Scilicet autoritatis quærendæ gratia, ut sit ἀξιοπιστία ejus, qui invitus diceret. TECTUS. Aut multitudini se subtrahens; Aut tegens consilium suum: Aut cautus ne intelligeretur.

PRODERE. Bene prodere, me enim dicturus, quem sciebat. OPPONERE. Objicere, destinare.

DONATI.

ARGOLICA. ne credatur potuisse litari alienigena: nec quærenda erat virgo, cum exercitus feminis careret.

VULGI QUÆ VOX. Cum enim generalitatem proposuisset, quia res incerta erat, unusquisque timebat sibi. Excusat autem Calchantem, qui falsa dixerit. nam ostendit vim esse passum. removet à se odium: quia Græci assensere de eo, non quoniam odissent, sed ut ipsi interitu, qui incertus erat, liberarentur.

VARIORUM.

ANIMAQUE LITANDUM ARGOLICA. *Litare* hic significanter dixit; quod est facto sacrificio Numen placare, auctore Macrobio lib: 3 cap. 5. Veteres etiam eo verbo usi sunt, cum grata acceptaque diis immortalibus sacra fuisse intelligerent. Non enim omnes *litant*, qui sacrificant. Hinc Leno Comicus in Pœnulo, act. 2.

Sex agnos immolavi, nec tamen potui litare.

Argolica autem dixit ἀντιληπτικῶς, occurrens objectioni, potuisse captivum è Trojans occidi; atque hoc modo tristius etiam oraculum fuerit. TURNEB. lib. 18. cap 20.

OBSTUPUERE ANIMI, &c. πάθος, subitique pavoris descriptio. Et callide sane ait, omnes timuisse: ne si solum se timuisse diceret, solus inter cæteros dignus videretur, qui propter scelera aliqua sacrificio, tanquam piacularis hostia traderetur, homo sacer videlicet. PONTANUS.

CUI FATA PARENT, QUEM POSCAT APOLLO. Quidam hic ταυτολογίαν esse volunt; id est, eandem per diversa verba sententiam: attamen non longe à vero (ut opinor) aberrabit, qui alterum ad fatum Sinonis; alterum ad Apollinis voluntatem referet: igitur cui fata Sinonis videlicet, parent mortem: quasi fatum esset Sinoni, ut hoc mortis genere periret. NASCIMBÆN.

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.
Assensere omnes, & quæ sibi quisque timebat,
Vnius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) letho me, & vincula rupi,
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva

SERVII.

VIX TANDEM. Aut junge, & vacat TANDEM. Aut separa, & est aggeratio ex synonymis; ut, *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Et est ordo, vix tandem rumpit vocem.

COMPOSITO. Ex pacto. RVMPIT VOCEM. Hoc est erumpit in vocem, & dictum est per contrarium. Nam silentium rumpere, est loqui: ut, *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* Vocem vero rumpere, est tacere. Sed aliqua interdum simpliciter, interdum per contrarium intelliguntur.

ET QVÆ SIBI QVISQVE TIMEBAT. Ideo hoc addidit, quia dixerat, *Assensere omnes*: ne videretur fuisse cunctis suæ gentis invisus. aut adsensere omnes, ad provocandum in se Trojanorum misericordiam dicit, cum eorum hostes omnes ad crudelitatem consensisse adserat. Est autem figuratius si legatur, *timebant.*

MIHI. Multi posterioribus, multi prioribus jungunt. Vnus tamen est sensus. PARARI. Infinitus modus pro indicativo, hoc est pro parabant: & est figura propria historiographorum: ut Salustius, *Equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare*: Vt poëtarum proprium est, *Nuda genu*, &, *Torvum clamat.* Quod autem ait Cicero, *Bellicum canit*: non est figura, sed sermo naturalis. Est enim soni nomen. quidam sane *parari*, pro parabantur accipiunt, & ad omnia *hoc* subaudiunt. * aut certe intelligendum est ligatum ante tempus sacrificii. Nam consuetudo illa, quæ supra scripta est, in ipso tempore sacrificiorum erat.

SALSÆ FRVGES. Sal & far, quod dicitur mola salsa: qua & frons victimæ, & foci aspergebantur, & cultri. Fiebant autem de horna fruge, & horno sale. ut Horatius, *Et horna fruge.* VITTÆ. Quibus victimæ coronabantur.

LETHO. Non sacrificio: & est hysteroproteron, prius enim erat ut vincula rumperet, & sic fugeret. VINCVLA RVPI. Atqui solutæ sunt hostiæ. Nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum. Vnde est, *Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta.* Item. *Vittasque resolvit Sacrati capitis.* Ergo vincula religionis intellige. ut, *Et vinclis innaret Clœlia ruptis*, scilicet fœderis. Nec enim obsides unquam obligantur. * Ante enim ligabantur: ut Iuvenalis, *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem.*

LIMOSOQVE LACV. Vt verisimilem fugam faciat, circumstantiis utitur. Notandum sane Virgilium sub aliorum persona caussam exequi nobilium: ut hoc loco Marii. Item paulo post Pompeii: ut, *jacet ingens littore truncus.* PER NOCTEM OBSCVRVS. Bona elocutio est, rem temporis ad personam transferre: ut, *Matutinus venit.* VLVA. Herba palustris. Sane in arte rhetorica, omnem narrationem cum rei partibus dicunt convenire debere loco, tempore, materia, causa, persona. Hic ad singula respondetur, nam Persona Vlyxis ponitur ad fallendum aptissima. Causa quia timeret ne ultor esset Palamedis. Tempus ad nocendum aptissimum, cum sibi quisque timeret. Modus agendi, *Bis quinos silet ille dies.* Materia, *Salsæ fruges & circum tempora vittæ.* Locus, *Per noctem obscurus in ulva Delitui.*

DONATI.

ERIPVI, &c. Non culpam criminis, sed innocens crudelissimam mortem, ne ea gauderet inimicus: & ne quis quærat quomodo potuerit fugere, addit, *vincula rupi.*

LIMOSOQVE LACV. Limus enim & lacus suffragabantur, ne possent insequentes intrare. Posuit & noctem, nam tenebræ adjuvabant.

IN VLVA. Timiditatem maximam simulat: ut cum in loco esset, ad quem nulli esset aditus, tamen in eo quæreret latebras. *Vlvam* dicunt rem, quam vulgus budam vocat: sed nihil interest quæ species sit herbæ, modo illum occultare posset.

VARIORVM.

COMPOSITO RVMPIT VOCEM. Græcum & Demosthenicum, ῥήγνυσι φωνήν. HART.

ET QVÆ SIBI QVISQVE TIMEBAT. Nimirum & vicarios interdum Latini dicunt, qui in vicem aliorum exitio devoventur, ut ipsi suo capite procurent & luant ea, quæ aliis, aut civitati impendebant mala: ut ex carmine devotionis docet Turnebus; quod est: *Eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, & populo Romano, exercitibus, legionibusque nostris do, devoveo.* Tale quid & apud Tacitum lib. 1. ubi de legionibus agit, quæ in seditiosos suspectæ & ipsæ rerum novarum satis aspere decreverunt: *Et gaudebat* (inquit Tacitus) *miles cædibus, tanquam semet absolveret.* GERMAN.

ET SALSÆ FRVGES. Molarum descriptio. Vide Neapolitanum Alexandrum lib. 2. cap. 12. H.

LIMOSOQVE LACV. Floridus lib. 1. cap. 10. Gellius lib. 12. cap. 1. HARTVNG.

VLVAM. Lib. 3. Georg. *Vlvamque palustrem.* Ovid. lib. 4. *Hæc steriles ulvæ*, & infra lib. 8. ἐλ[illegible] mea opinione Græcis. Floridus lib. 1. cap. 10. Taxatur autem Caji Marii fuga. HARTVNG.

Deli-

Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulceis natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos, & conscia numina veri,
Per, siqua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam

SERVII.

SI FORTE DEDISSENT. Medium se præbet. Nam nec negat, nec confirmat eos navigasse: ne aut eis demat securitatem: aut quod supra dixit, falsum sit non posse navigare Græcos, nisi homine immolato: Id est quia jam scire non poterat quid facturi essent cum ipse fugisset, ut Trojanorum sit quicquid elegerint: & artis est, in argumentorum angustia, incertis uti sermonibus.

ANTIQVAM. Caram. Et bene commemorat liberos & parentem: ut ostendat, se non deseruisse ut vilem, sed mortis fugisse terrorem. Et bene ignotos finxit sibi liberos & parentem, ut major miseratio ex pluribus nasceretur. Quidam sane non *dulces*, sed *duplices* legerunt, quia *dulces* lene esset & commune epitheton liberorum.

QVOS ILLI. De quibus illi. FORS AD POENAS. Forte & pœnas. Alii jungunt fors; &, ut sit forsitan. Et bene elicit misericordiam: ostenditque, non se habere causam redeundi post mortem suorum, ne eum Trojani non reciperent suspicantes ad suos quandoque rediturum.

EFFVGIA. Pro fuga, dicimus & effugium; sicut lana & lanitium. ut, *Si tibi lanitium curæ.* Hinc est æquitas & æquum. Sed hic dicendo effugia, verbo sacrorum & ad causam apto usus est. Nam hostia quæ ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari vetere more solet, in cujus locum quæ supposita fuerat, succidanea, si gravida fuerat forna dicitur, quæ sterilis autem est taurea appellatur, unde ludi Taurei dicti, qui ex libris fatalibus à rege Tarquinio Superbo instituti sunt, propterea quod omnis partus mulierum male cedebat. Alii ludos Taureos, à Sabinis propter pestilentiam institutos dicunt, ut lues publica in has hostias verteretur. CVLPAM HANC. Vel quod fugi, vel quod me defensorem Palamedis dixeram. PIABVNT. Expiabunt: & τ *piare* est. Nam plerunq; & impiare significat. Hic tamen piabant bene addidit, quia nisi per sanguinem diis accepta hostia non est, quod merito ex persona Sinonis inducitur, quia fatetur sacra per suam fugam fuisse violata, & vult etiam beneficiis sibi debitores esse Trojanos, * quod interim Græci obligati sunt.

QVOD TE PER SVPEROS. Propter quod, & infinita narratione subjungit Epilogos neque * n. q. non putaret crediturus argumenta subjicere debuit: Sane per hujusmodi preces ostendere vult vera se dicere. CONSCIA NVMINA VERI. Bene medium tenuit: Nam ea numina invocans, quæ sunt conscia numina veritatis, quia & Pontifices dicunt, singulis actibus proprios deos præesse. Hos Varro certos deos appellat.

PER, SI QVA EST. Aut diasyrtice ridet, aut certe hoc ait; si aliqua est fides, quam cum sibi non adscribit, facit uti nec esse credatur. RESTAT. Superest. VSQVAM. Quia apud Græcos dicit fidem esse corruptam.

DONATI.

VELA DARENT. Vt ostendat suos plus, quam Trojanos timuisse.

NEC MIHI. Ponit consultationem quam in lacu habuit. Hinc enim nisi navigarent, erat periculum vitæ: si navigassent, privabat *antiqua*, id est, magna patria. Vel *antiqua*, id est, cujus affectum diuturnitas temporis accumulaverat, & filiorum, & parentum: & singula singulis dedit. *Patriam antiquam* dixit, *natos dulceis*, *expectatum patrem*, in quibus rebus occurrunt pejora, quod Græci illos essent occisuri propter suam fugam piandam, quod erat necessarium. Hæc autem omnia dicta sunt, ut faceret verisimilia quæ fingebat.

PER SVPEROS. Quos non latet veritas.

PER, SIQVA EST, QVÆ RESTAT. Sciebat apud se non esse fidem, unde arbitrabatur apud nullos esse. Et cum persona sua esset odiosa, quia hostis, movet misericordiam à suis calamitatibus. Priamus autem ut omnia vera eliceret, deposita regia auctoritate, ut amicus cum hoste locutus est.

VARIORVM.

NEC MIHI IAM PATRIAM ANTIQVAM: Turneb. lib. 12. cap. 5. existimat, *antiquam patriam* vocari *pristinam*, cujus solum quis verterit, & cujus amiserit jus: qui se in aliam velut dicarit, priore deserta. Est enim (inquit) *antiqua patria*, à qua demigratum vel à colonis, vel exulibus, vel transfugis. Sic Tyrus Didonis *antiqua patria* dicitur. 4. Æneid. ibidemque, & *Troja antiqua mæneres*: erat enim eversa, & alias quærebat sedes Æneas. TAVBMAN.

NEC MIHI IAM PATRIAM. Lege I. Parrhasium in Claud. HARTVNG.

AD POENAS OB NOSTRA REPOSCENT EFFVGIA. Videtur hic Poëta respexisse antiqui juris Romanorum & Græcorum consuetudinem; quæ obtinuerat, ut civium liberi tanquam Reipub. oppignorati, & dati obsides paterna luerent & præstarent delicta; tum ut cura liberorum & metu coërcerentur, & in officio continerentur patres: tum ne privata, ob editum in patres exemplum offensa ulcerato & alienato à patria animo, liberi in res novas propensiores laberentur. Cujus rei sunt apud Iurisconsultos monumenta quædam & reliquiæ. GER.

Inte-

Digitized by Google

Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.
His lachrymis vitam damus, & miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos:
Noster eris, mihique hæc edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis author?
Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus & arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.

SERVII.

INTEMERATA. Incorrupta vel integra. alii tamen volunt intemerata de libris sacris commutatis literis esse præsumptum; timaram enim fidem, id est sanctam appellabant, ut sit sensus, oro per fidem vehementer sanctam si tamen est usquam penes homines. ORO. Ordo est, Quod te oro per superos.

LABORVM. Periculorum, malorum. MISERERE. Quidam pro misereare accipiunt.

MISERESCIMVS VLTRO. Aut per se plenum: aut cohæret sequentibus: quia non potest primis. Dicimus enim aut illam rem miseror, aut illius rei misereor; non illis. Quidam, miserescimus pro miserescimur, genus inchoativum volunt, ut horreo horresco, gelo gelasco, aliter lentesco inchoativum nullo præcedente verbo: neque enim est lento ut sit lentesco. VLTRO. non est sponte(nam rogaverat Sinon) sed insuper. Et venit ab eo quod est ultra: quia plus quam rogaverat, præstiterunt.

ARCTA VINCLA, pro vincula per syncopem dictum. Aut epexegesis manicarum est:aut utrunque habuit.

QVISQVIS ES. Licet hostis sis.Et verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris transfugam recipientis in fidem: *Quisquis es, noster eris.* Item, *Vigilasne deûm gens*: verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini.

AMISSOS OBLIVISCERE. Vt obliviscor injurias tuas Clodia * dn..n. & amissorum obliviscere. Et *obliviscere* quidam pro contemne, vel neglige,ut oblitus fatorum. HINC IAM. Aut ex hoc tempore, aut ex hac oratione, qua tibi salutem in tuto polliceor: aut ex eo quod te dicis Vlyxis factione laborasse.

EDISSERE VERA. Hic distinguendum. Vera enim audire desiderat. Edissere autem,ordine cuncta narra; unde qui plane loquuntur dissertores fiunt & diserti vocantur. Sane hoc ab illo Priamus exigit, quod ipse ei statim obtulit. *Cuncta equidem tibi Rex.*

QVO MOLEM. Quam ob caussam, in quem usum; & ad hoc respondet Sinon, Neu recipi portis, Et est color, qui in conjecturali statu sæpe requiritur. hunc tamen equum quidam longum centum viginti, latum triginta fuisse tradunt, cujus cauda, genua, oculi moventur. QVIS AVTHOR? Ad hoc respondet, *Calchas attollere jussit.*

QVIDVE PETVNT? Quid desiderant? utique placetur Minerva. QVÆ RELLIGIO? Quæ consecratio. MACHINA BELLI. Ecce subtiliter secutus est historiam, machinamenti bellici mentionem facit,& servat dignitatem regiam.Breviter enim reges interrogant, non ut minores, quos plus loqui necesse est.

DOLIS ET ARTE. Vnam rem secundo dixit: quia ars τ[illegible] est, sicut supra diximus. AD SYDERA. Ad locum syderum,vel quia semper sunt sydera, sed Solis splendore vincuntur.

DONATI.

NOSTER ERIS. Aperta benevolentia, cum recipiat eum pro cive. MIHI. Scilicet regi, qui possem tormentis inquirere veritatem,& simpliciter quæro vel *Mihi*, qui te servavi, & in meorum numerum recepi.

QVO MOLEM. Brevissima propositio,sed perfecta. Quæsitum est cur equus esset factus, cur tantæ magnitudinis, quo autore: utrum religionis, an belli causa.

ILLE DOLIS. Quasi dicat, natura sua, & arte Pelasga, id est,mandatis suorum: & ostendit nullum græcum carere dolis.

VARIORVM.

HIS LACHRYMIS VITAM DAMVS. Trojanos à pietate, & clementia commendat: quos vel hostium calamitates movent. Occulte tamen ex persona Poëtæ Trojanorum levitas ac imprudentia notatur; quod hosti, præsertim Græco, tam facile crediderint. NASCIMBÆN.

QVISQVIS ES AMISSOS. Ξεῖνε σὺ μὲν δὴ Τρώεσσι μεμιγμένος εἶναι ἔοικας, τάρβος ἔχειν Φρύγες γὰρ ἀνάρσιον ὕβριν ἀγαυῶν αὐτὰρ ὁ ἡμέτερος φίλος ἔσσεαι. ἀλλ' ἄγε, καὶ σύ μοι εἰπὲ τί τοι τόδε θαῦμα τέτυκται ἵππος. HART.

MIHIQVE HÆC EDISSERE. Hoc verbum *edissero*, etsi Donato in Terent. hominis est scrupulose aliquid interrogantis. Tamen hic (ut mihi videtur)animi est simpliciter interrogantis, ut ordine, quod scire velit, intelligat. NASCIMBÆN.

Vos

Digitized by Google

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi:
Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem: si vera feram, si magna rependam.

SERVII.

ÆTERNI IGNES. Aut ararum, quas fugit: ut exsecratio sit propter posteriora. VOS ARÆ. Aut certe Solem & Lunam significat. Exsecratio autem est adversorum deprecatio: Iusjurandum vero, optare prospera. NON VIOLABILE. Quod Græci ἀφθαρτον dicuntur.

TESTOR. Modo juro. Alibi testificor: ut, *Testor in occasu vestro*. VESTRVM NVMEN. Quia secundum Philosophos dicuntur sydera elementa esse, & habere proprias potestates. ENSESQVE NEFANDI. Invidiose ad pluralem transit numerum. Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias*. VITTÆQVE DEVM. Aut qui habentur in honore deorum, aut quas habent simulachra vittas; & multi hic distinguunt, & sic subjungunt, *deûm quas hostia gessi*. QVAS HOSTIA GESSI. Consuetudo apud antiquos fuit, ut qui in familiam vel gentem transiret, prius se abdicaret ab ea in qua fuerat, & sic ab alia reciperetur, quod hic ostendit, dicit enim Sinon jure jam se Trojanorum civem esse, quia apud Græcos hostia fuerit, * adeo nec pro homine, nec pro cive habitus sit. *Gessi* autem *pene*, non enim vere gesserat: sed quantum ad græcos pertineret, qui eum immolaturi fuerant, dixit.

HOSTIA vero victima est dicta, quod dii per illam hostientur, id est æqui & propitii reddantur, unde hostimentum æquationem.

FAS MIHI. Subaudis sit. Et bene à diis petit veniam: ne videatur proditor. Nam & hæc quæ dicturus est tacuit, antequam audiret; *Noster eris*. Si enim voluntate proderet, sequebatur quod ait Cicero, *Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit*. Aut fas mihi ideo, quia non licet solvere sacramentum militare adversariis vel hostibus. ideo dixit, liceat arcana dicere, & cum ostenderit se rem dicere quam non licet ei facilius credetur. SACRATA RESOLVERE IVRA. Vt non incidat in sacramenti pœnam: nam miles legibus sacramentorum rogabatur; ut exiens ad bellum juraret, se nihil contra Rempublicam facturum. Militiæ tria sunt genera. Plerunque enim evocati dicuntur: & non sunt milites, sed pro milite. Vnde Salustius, *Neu quis miles neve pro milite*. Item, *Ab his omnes evocatos in Centuriones*. Plerunque tumultuarii, hoc est qui ad unum militant bellum. Plerunque sacramento rogati: quia post electionem in rempublicam jurant, sicut dictum est: Et hi sunt qui habent plenam militiam. Nam & viginti quinque annis tenentur. Hæc tria genera tangit Virgilius: Sacramenti, hoc loco. Tumultuarii, *Simul omne tumultu Conjurat trepido Latium*. Evocationis, *Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem*.

FAS ODISSE VIROS. Vt supra dictum est, omnia Diasyrtice loquitur. Nam & ad Græcos possunt, & ad Trojanos referri. Et ODISSE. Hic præsentis temporis, quod non facit odero. ATQVE OMNIA FERRE SVB AVRAS. Hinc videtur subtiliter non se implicare periurio, ipse enim lectos hostes produxit ex equo, *Et pinea furtim laxat claustra Sinon*. Et hoc vult credi contra Græcos dicere, cum pro ipsis dicat. SI QVA TEGVNT. Vel callide occultant, vel propterea quia latent in equo.

SI QVA TEGVNT. Callide occultant. NEC LEGIBVS VLLIS. Si Græcorum: propter *Noster eris*, si Trojanorum, quia Græcus. Alii ita: nullis naturæ legibus quibus fas non est patriam prodere, & volunt hoc esse, *Sacrata resolvere jura*.

TV MODO. Pro tantummodo. PROMISSIS. pro in missis.

SERVES TROIA FIDEM. Magnificentius quam si diceret *Trojani*; quia quod rex promittit, videtur respublica polliceri. VERA FERAM. Pro dicam. MAGNA REPENDAM. Magna præmia resolvam pro mea impunitate: & videtur duo promittere Trojanis; primo veriloquium, deinde salutem ex suorum proditione. Alii volunt dubium esse, Vobis feram, Græcis rependam.

DONATI.

VOS ÆTERNI. Iuravit, sed subtiliter. Nam Trojanos fallit, & non prodit arcana suorum. Adhibuit jusjurandum, quia non videbatur verisimile, illum suorum secreta sine tormentis prodere. Testatus est igitur, non propter narrationis veritatem, sed propter licentiam, quasi proditionis.

FAS MIHI GRAIORVM. Quasi jam ipse græcus non esset: vel, illi ejus socii non fuissent. & liceat eos odisse, qui cives mei esse noluerunt.

TENEOR PATRIÆ. Plus est voluntate quam legibus retineri. Alterum est ex studio puræ mentis, alterum ex necessitate.

TV MODO. Pro tu Troja, conservatori tuo fidem serva.

REPENDAM. Quasi dicat, tantum recipiat quantum dederit, id est, ut salutem mereatur, salutis autor.

Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. impius ex quo
Tydides, sed enim scelerumque inventor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,

SERVII.

OMNIS SPES DANAVM. More suo à veris incipit. Nam & favet Minerva Græcis: & constabat raptum esse Palladium. TYDIDES SED ENIM. Hysteroproteron est; Sed enim ex quo impius Tydides. Hysterologia, unius sermonis: ut, *Transtra per & remos.*

IMPIVS. Propter numina vulnerata. EX QVO autem, vel die vel facto.

SCELERVMQVE INVENTOR VLYSSES. Propter se & propter Palamedem factione occisum.

FATALE. τῶ μόρου est. Nam & quod custodit, & quod interimit pro loco intelligitur. AVELLERE. Ostendit invitum numen esse sublatum.

PALLADIVM. Helenus apud Arisbam captus à Græcis est; & indicavit coactus fata Trojana: in quibus etiam de Palladio. Vnde dicitur à Pyrrho regna meruisse: quanquam præstiterit Pyrrho, ut non ea die qua Græci cæteri navigaret, dicens omnes Græcos (quod & contigit) naufragio esse perituros. Alii dicunt Helenum non captum, sed dolore, quod post mortem Paridis, Helena, judicio Priami, non sibi, sed Deiphobo esset adjudicata, in Idam montem fugisse, atque exinde monente Calchante productum de Palladio pro odio prodidisse, tunc Diomedes & Vlyxes, ut alii dicunt, cuniculis: ut alii, cloacis ascenderunt arcem: & occisis custodibus sustulere simulacrum: Qui cum reverterentur ad naves; Vlyxes, ut sui tantum operis videretur effector, voluit sequens occidere Diomedem, cujus ille conatum cum ad umbram Lunæ notasset, religatum præ se usque ad castra Græcorum egit. Ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Minervæ.

Hoc quum postea Diomedes haberet ut quidam dicunt (quod & Virgilius ex parte tangit: & Varro plenissime dicit) credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, quibus nunquam cariturum responsis cognoverat, nisi Trojanis Palladium reddidisset, transeunti per Calabriam Æneæ offerre conatus est. Sed ille velato capite sacrificans cum revertisset, Nautes quidam accepit simulachrum. Vnde Minervæ sacra non Iulia gens habuit, sed Nautiorum. Hinc est in quinto, *Vnum Tritonia Pallas Quem docuit.* Quanquam alii dicant simulachrum hoc à Trojanis fuisse absconditum, intra extructum parietem, postquam agnoverunt Trojam esse perituram: quod postea bello Mithridatico, dicitur Fimbria quidam Romanus inventum indicasse: quod Romam constat advectum. Et quum responsum fuisset illic imperium fore, ubi & Palladium: adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt.

Veruntamen agnoscitur, hastæ oculorumque mobilitate. Vnde est, *Vix positum castris simulacrum arsere coruscæ Luminibus flammæ.* vel, *Hastamque trementem.* Sed ab una tantum sacerdote videbatur; ut Lucanus, *Trojanam cui fas soli vidisse Minervam.* Dicunt sane alii unum simulacrum cœlo lapsum, quod nubibus* adfectum & in ponte depositum apud Athenas tantum dicunt fuisse, unde & γεφυρεῖς dicta est. Ex qua etiam causa Pontifices nuncupatos volunt: quamvis quidam Pontifices à ponte sublicio, qui primus Tybri impositus est appellatos tradunt, sicut Saliorum carmina loquuntur. Sed hoc Atheniense Palladium à veteribus Trojanis Ilium translatum. Alii duo volunt, hoc de quo diximus, & illud Atheniense. Alii cum ab Ilo Ilium conderetur, hoc Trojanum cœlo lapsum dicunt: Alii à Dardano de Samo-Thracia, Trojam translatum: Alii multa fuisse Palladia, sed hoc à Diomede & Vlyxe furto ablatum tradunt.

DONATI.

OMNIS SPES. Respondet ultimæ parti, ut fallendi promptior pateret occasio, & primo unius criminis invidiam, pluribus criminibus accumulat in Vlysse: & ostendit Minervam graviter iratam sacrilegis

INVENTOR SCELERVM. Qui nunquam invenit, quod probari potuisset.

FATALE AGGRESSI SAC. In singulis singula sunt genera sacrilegii. FATALE. In quo staret fatum Græcorum. Dixerat enim *Palladis auxiliis.* AVELLERE. Vt cum sacrilegio esset crimen violentiæ.

PALLADIVM. Cum pondere pronunciandum. In ipso enim nomine magnitudo numinis exprimitur. Quod vero de Mamurio dicunt quidam, nusquam de Palladio legitur, sed de Ancili cælitus delapso, de quo suo loco dicemus. CÆSIS. ad sacrilegium accedit homicidium, cum illi. humanitatis causa, & numinis veneratione, ne levi quidem injuria, contingi debebant. Augetur homicidium ex merito personarum, quia *custodes*: neque essent electi custodes, nisi probatæ vitæ. Vide autem exaggerationem criminis: Aggressi sunt templum sacratum, quod ingredi quemquam sine veneratione nefas esset. Custodes cæsi, & usque ad ipsum simulachrum gradatim ventum. Visum nefariorum oculis, & pollutis humano sanguine manibus tactum: neque solum corpus, sed & vultus & virginales vittas, quas in capite gestabat, incestare sunt ausi.

VARIORVM.

INVENTOR VLYS. Prov. *Vlysseum commentum.* H.

PALLADIVM CÆSIS. Palladium Æneas, sive Nautes, à Diomede ad Salentinos portus prætereuntiens accepit. Servatum id fuit Lavinii, inde Albæ, ut Imperii pignus: postremo Romam translatum est, & Vestæ templo asservatum; quo incenso L. Metellus Pontifex Max. vix cum sui periculo eripuit. Palladii meminit Lucanus l. 9. in persona Cæsaris. GERM.

Corri-

Digitized by Google

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires, aversa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:

SERVII.

SACRAM EFFIGIEM. Quasi de cælo lapsam. Et tres simul res dixit quare numen irasceretur, quod Antistites cæsi, quod tolleretur, quod cruentis manibus.

EX ILLO. Facto, vel tempore. FLUERE. Delabi, & est τ͂ *μέσων*, nam ideo addidit *retro*. Salustius contra, *Rebus supra vota fluentibus*.

AVERSA DEÆ MENS. Propter illud, *Manibusque cruentis*.

TRITONIA. aut * q. inter nubilis ἀπὸ τ͂ * *ὀρμηνόμ* id est timore. aut à Tritone amne Bœotiæ, aut à Tritonide palude Africæ; juxta quam nata dicitur, secundum Lucanum, *Et se dilecta Tritonida dixit ab unda*. Aut quasi terribilis ἀπὸ τ͂ *τρεῖν*, idest timere. Sane Tritonia Antonomasium est, id est vice nominis ponitur: quia proprium est Minervæ. Nam epitheta sunt, quæ variis possunt, vel rebus, vel personis apponi. Et hæc caute observanda sunt, sicut & propria nomina: quæ plerunque ex appellativis sunt: ut est victor, vel fœlix. VIX. Modo mox significat. CASTRIS. pro in castris.

SIMULACRUM. Inter consecratas res, id est ædes æreas, etiam simulachra accipiunt, quod in Bucolicis scriptum est. Hic ergo ipso nomine simulacri, consecrationem ejus ostendit; quis enim ignorat Palladium simulachrum Minervæ esse. Quam autem sacrum fuerit hinc docet, quod ait: *Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris: Vix positum castris simulacrum*, & reliqua. ut appareat & loco motum, vim tamen consecrationis habuisse. ARSERE. Subaudimus Cum; ut sit, cum arsere. CORUSCÆ. Coruscum alias fulgens, alias tremulum est.

LUMINIBUS FLAMMÆ ARRECTIS. Hypallage est, lumina enim arsere flammis. SALSUS SUDOR. Bene addidit salsus, ut significaret laborem futurum, vel certe indicium commoti numinis fuisse dicitur: ne forte alter in simulacro quilibet humor intelligeretur. Probo sane displicet *Salsus sudor*, & supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis dixit.

EMICUIT. Exiluit. Quasi quæ consistebat invita, locumque damnaret. PARMAMQUE FERENS, HASTAMQUE TREMENTEM. His enim signis Palladium à cæteris discernebatur, quod supra dictum est.

TENTANDA ÆQUORA. Si vel fugere post iram Minervæ possint.

DONATI.

EX ILLO FLUERE. Nam supra dixerat, *Palladis auxiliis semper stetit*. Cum ergo irata esset, cœpit fluere.

AVERSA. Duorum sceleratorum commisso, omnibus irata est.

VIX POSITUM. Signa sunt quibus ostendit iram. Primum, flammæ in oculis inanimatis. Secundum signum, Sudor, qui non potest ex simulachro fluere, nisi portendat malum. Idem dicas de motu simulachri.

PARMAMQUE FERENS HASTAMQUE TREMENTEM. Manifestum signum se hostem profiteri deam.

VARIORUM.

CORRIPUERE SACRAM EFFIGIEM. Expolitione rem variat, ornatque orationem: nam modo *Palladium*; modo *sacram effigiem*; interdum etiam *simulacrum* dicit. NASCIMBÆN.

MANIBUSQUE CRUENTIS. Alius communis locus indignationis, ad sceleris atrocitatem amplificandam; quo eorum temeritatem ac impietatem notat.

VIRGINEAS AUSI DIVÆ CONTINGERE VITTAS. Nam & eas diversas à matronalibus fuisse certum est. Alludit autem Poeta ad Romanas virginalesque vittas, quas ilico nuptæ maritalibus vittis mutabant, ducto à Græcia more: unde Propert. 4. *Mox ubi jam facibus cessit pretexta maritis, Vinxit & acceptas altera vitta comas*. GERMAN.

VITTAS. Baysium pete lib. de re vest. cap. 20. Alexandr. lib. 5. cap. 12. Macrobium lib. 3. cap. 4. Turneb. lib. 23. cap. 5. HARTUNG.

EX ILLO FLUERE, AC RETRO. Pœnam ex peccato describit: movetque commiserationem ex desperatione Græcorum victoriæ. *Ex illo* autem Græci *ἐκ τοῦ*, ἐξ ὧ. Homer. Iliad. α. NASCIMB.

SUBLAPSA REFERRI. Linacer lib. 6. consulatur. H.

SOLO EMICUIT. Ita ut simulacrum constiterit velut in pedes arrectum, & novo motu excitatum: quod prodigiosum esse, augurum docebat disciplina. GERMAN.

Digitized by Google

Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis; numenque reducant,
Quod pelago, & curvis secum advexere carinis.
Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso,
Improvisi aderunt. ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso
Effigiem statuere; nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, caloque educere jussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiqua sub relligione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,

SERVII.

ARGIS. Adverbium in loco est. Quod autem ait, *Omina ni repetant*, respexit Romanum morem. Nam si egressi male pugnassent, revertebantur ad captanda rursus auguria. Item in constituendo tabernaculo, si primum vitio captum esset, secundum eligebatur, quod si & secundum vitio captum esset, ad primum reverti mos erat: Tabernacula autem eligebantur ad captanda auspicia. Sed hoc servatum à ducibus Romanis donec ab his in Italia pugnatum est, propter vicinitatem, postquam vero ministerium longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad renovanda auspicia de longinquo revertisset, constitutum ut unus locus de captivo agro Romanus fieret in ea provincia in qua bellabatur, ad quem si renovari opus esset auspicia, Dux rediret. NVMENQVE REDVCANT. Aut pro Palladio posuit numen, ut, *media inter numina divum*, aut Numen, Minervam dixit. REDVCANT. Placent, reconcilient.

QVOD PELAGO. Id est Palladium.

VENTO PETIERE MYCENAS. Hic ostenditur illos navigasse *. ARMA DEOSQVE PARANT COMITES. Ingenti arte de futuro sollicitos facit. ut videatur periculum denunciando, secreta Argivorum prodere, quatenus præsentem firmet securitatem, ut eos faciat incautos.

IMPROVISI ADERVNT. Sicut & factum est. Et artificiose, neque enim mentitur & tamen decipit. Nam verum metum falso metu abegit, & dum reversuros timent, non timeant * ne non abierint. DIGERIT OMINA. Interpretatur numinis commotionem; vel futuri ordinem pandit, id est oraculorum; vel ordinat, & disponit.

HANC PRO PALLADIO MONITI, PRO NVMINE LÆSO. Respondet ad interrogationem, *Quo molem hanc immanis equi statuere.*

NEFAS QVÆ TRISTE PIARET. Contaminati Palladii scilicet; *Piaret* autem, expiaret. IMMENSAM CALCHAS ATTOL. Hoc est, Quis author, quæ machina belli.

NEV RECIPI PORTIS, AVT DVCI IN MOENIA POSSIT. Cum equi magnitudo necessaria ad recipiendos milites fuerit, inducendi equi desperationem facit, ut magis injiciat cupiditatem inducendi.

ANTIQVA SVB RELIGIONE. Id est loco Palladii secundum antiquam religionem, id est favore pristino tutelam colenti populo præstare. Constat enim apud Trojanos, principe loco Minervam cultam.

NAM SI VESTRA MANVS. Quia occurrebat exurendum esse equum, si intro ferri, vel prodesse non poterat.

VIOLASSET. Pro violaverit. DONA MINERVÆ. Quæ Minervæ data sunt. Et minatur occulte, ne quis equum tentare audeat.

DONATI.

ARMA. Quasi dicat hoc contra Trojanos, ut reliqua faciat verisimilia.

VARIORVM.

OMINA NI REPETANT. *Omina* legendum, non *omnia* docet Canterus lib. 1. c. 8. in quo plurimis cum Virgilii, tum aliorum poëtarum productis in medium exemplis, manifeste demonstrat, hanc vocem sæpius perverse, elemento videlicet transposito, in aliam migrasse. Monet item sic legendum Turneb. lib. 6. c. 21. & interpretatur *auspicia*. Legimus enim frequenter duces e Provincia & exercitu, auspiciorum repetendorum caussa, Romam advolasse. PONTAN.

OMINA NI REPETANT ARGIS. Redauspicare, ut redauspicari veteres dicebant. Sed & ut Virgilius, *repetere auspicia* Livius dixit. GERMAN.

NE RECIPI PORTIS. Ne igitur deæ beneficio aliquo potiri, aut cultu antiquæ religionis sublevari possent, equum tanta magnitudine fabricandum jussit Calchas, ne portis civitatis recipi possit. N.

NAM SI VESTRA MANVS, &c. εἰ μὲν γὰρ ἵππον ἱερὸν αὐτὸν σῇ χειρὶ δηλήσῃ, ... ἐσιδὼν πόλιν νίκας ἐχέτω. εἰ δὲ μὲν ἄγοις ἄγαλμα λάθη, ποίαν ἀλλὴν φθίζον]. HART.

Tum

Tum magnum exitium (quod dii prius omen in ipsum
Convertant) Priami imperio, Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
Vltro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis, perjurique arte Sinonis,
Credita res; captique dolis, lachrymisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris, multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos,

SERVII.

QVOD DII PRIVS OMEN IN IPSVM. Adeo se ostendit favere Trojanis, ut nomen etiam Græcorum exueretur: IPSVM autem Calchantem accipimus. Nam quasi Trojanus detestatur, quæ in illos ominose dicta sunt.

ASCENDISSET. pro ascenderit. Vt, *Scandit fatalis machina muros.*

VLTRO. Statim, mox. ASIAM. Asiaticos: ut, *Latio dare terga sequaci.* Nam & paulo post, *Vrbem sepultam*, pro civibus posuit. PELOPEIA. Argiva à Pelope. Vnde & Peloponnesus. NOSTROS NEPOTES. Vtique Græcos posteros. an Diasyrtice, quasi Trojanus loquitur?

TALIBVS INSIDIIS. Bene insidiis, ut ostendat non se virtute, sed insidiis esse superatos. Nam ideo subjecit, *Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles, Non anni &c.* PERIVRI. Quia dixit, *Vos æterni ignes*: & perjuri in verbo r non habet. Nam pejero dicimus. Corrupta natura præpositionis, quæ res facit errorem; ut aliqui maledicant pejuros.

CREDITA RES. Fides habita, aut commissa respublica. CAPTIQVE DOLIS. Sicut dictum est, virtuti non cedit. Dolis dicit Trojam esse superatam. non quod Trojanis victos esse turpe non fuerit: sed quod Græcis turpius vicisse per dolos. COACTIS. Id est expressis: ut Terentius, *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit.*

QVOS NEQVE TYDIDES, NEC LARISSÆVS ACHILLES. Bene utrique honorem virtutis dat à quibus victus est. LARISSÆVS ACHILLES. A vicinitate. Nam Phthius fuit. Vtraque tamen Thessaliæ civitas est: Larissa autem à Nympha Larissa est appellata. ex qua Neptunus creavit* Pelago & Phtion. Achillem autem, Homerum secutus Phtiatem non dicit, quem perhibent peregrinantem apud Phtiam, quod nullius esset humanitate susceptus, tali silentio inhospitalem damnasse civitatem.

HIC. Tunc. MAIVS MISERIS MVLTOQVE. Vt, *Et sale saxa sonabant.* Et, *Casus Cassandra canebat.* Nam apud veteres à similibus incipere vitiosum non erat. Et notandum, quia, ut supra diximus, agit ne videatur vel Troja cessisse viribus: vel Æneas voluntate fugisse. Hanc autem rem ostendit, ex accidentibus dolos Græcorum esse firmatos. cum dicit etiam deos adversum Trojam fecisse.

LAOCOON DVCTVS NEPTVNO. Vt Euphorion dicit, post adventum Græcorum sacerdos Neptuni, lapidibus occisus est: quia sacrificiis, eorum non vetavit adventum. Post abscedentibus Græcis, quum vellent sacrificare Neptuno; Laocoon Thymbræi Apollinis sacerdos sorte ductus est; ut solet fieri quum deest sacerdos certus. Hic piaculum commiserat ante simulachrum numinis cum Antiopa sua uxore coëundo. Et ob hoc immissis draconibus, cum suis filiis interemptus est. Historia quidem hoc habet. Sed poëta interpretatur ad Trojanorum excusationem, qui hoc ignorantes decepti sunt. Alii dicunt quod post contemptum semel à Laomedonte Neptunum, certus ejus Sacerdos apud Trojam non fuit, unde putatur Neptunus etiam inimicus fuisse Trojanis, & quod* illi meruerit in Sacerdote monstrare, quod ipse alibi ostendit, dicens: *Cuperem cum vertere ab imo Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.* quod autem ad arcem ierunt serpentes; vel ad templum Minervæ; aut quod & ipsa inimica Trojanis fuit; aut signum fuit perituræ civitatis. Sane Bachilides de Laocoonte & uxore ejus, vel de serpentibus à Caledonis insulis venientibus atque in homines conversis dicit. SORTE DVCTVS. Sic Salustius, *Sorte ductos fusti necat.*

DONATI.

CAPTI DOLIS, LACHRIMISQVE. Non poterat objici Trojanis, cur ita creduli fuissent, quia juravit, & quia lacrhymas veras credidimus esse. Ergo non virtute, non numero hominum, non diuturnitate belli, sed insidiis victi sumus.

HIC ALIVD MAIVS. Nam vehementer dolos poterat confirmare hoc monstrum.

SORTE. In qua fuerat arbitrium divinum. Ergo debuit, nisi fuisset futurum exitium publicum, servare sacerdotem divina voluntate ductum: & non arbitrio humano mactantem taurum ingentem, id est, excellentem hostiam.

VARIORVM.

QVOD DII PRIVS, &c. Proverb. *Vates secum auferat.* Et, *In suum ipsius caput.* HART.

Solenneis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exuperant undas: pars cætera Pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardenteisque oculos suffecti sanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

SERVII.

SOLENNEIS ARAS. Anniversario sacrificio religiosas. Dicimus autem & sacrificium solenne, & aras solennes: ut, *apricum*, & hominem & locum: ut, *Aprici meminisse senes*, Persius. Contra Horatius, *Cur apricum oderit campum*. quidam dicunt, quod continuo quinquennio, sacrum eidem deo quotannis fuerit restauratum solemne dici, sive publicum fuerit, sive privatum. TAVRVM INGENTEM. Non præter rationem est hoc loco *ingentem*: alibi, *Iam cornu petat*. In victimis enim ista requiruntur. MACTABAT. Scilicet, ut Græcis mala naufragio provenirent. Quid autem sit mactare in quarto libro innuimus: *Mactat lectas de more bidentes*. Sane sciendum rite Neptuno & Apollini tauros immolandos: Nam Iovi non licere, ideo & in 3. libro prodigium dicit secutum.

ECCE AVTEM. Cum ex improviso vult aliquid ostendere, *Ecce* ponit, ut, *Ecce autem telis Panthus*. sicut Cic. *Ecce autem repente ebrio Cleomene esurientibus cæteris*. GEMINI. Duo, & similes. Gemini autem proprie sunt duo fratres simul nati. A TENEDO. Ideo quod significarent naves inde venturas. TRANQVILLA PER ALTA, Absolute dixit.

HORRESCO REFERENS. Etiam referens, quod tum vidissem. IMMENSIS ORBIBVS. Pro immensorum orbium. ANGVES. Angues, aquarum sunt: Serpentes terrarum: Dracones templorum, ut in hoc indicat loco. *Angues tranquilla per alta*. Paulo post in terra. *Serpens amplexus*. Item, *Delubra ad summa dracones*. Sed hæc significatio plerunque confunditur. Horum sane draconum nomina, Sophocles in Laocoonte dicit.

PELAGO. Per pelagus.

IVBÆ. Aut cristæ, aut barbæ. Iubæ autem proprie equorum sunt. Plautus in Amphitruone, *Angues jubati*. SANGVINEÆ. sanguinei coloris.

PONE. Post, semper in loco, nunquam in tempore. LEGIT. Transit: ut, *Littoraque Epiri legimus*. SINVAT. Curvat, flectit in sinus. Vt à fluctu fluctuat, sic, in Georg. *sinuatque alterna volumina crurum*.

FIT SONITVS. Vt ostenderet serpentum magnitudinem, quorum in lapsu fluctus movebantur, quia ait *tranquilla per alta*. SALO. Dicimus & Salum, unde est Salo: & sal salis; ut, *Et sale tabentes artus in littore ponunt*. IAMQVE ARVA TENEBANT. Hic *arva* pro littore posuit: Nam *arva* sunt quæ Græcis ἄρουρα * sunt dicunt, & bene, celeritas demonstrata est.

SVFFECTI. Pro infecti; ut connixa, pro enixa, vel certe inferiorem oculorum partem habentes infectam, & est figura, *oculos suffecti*: Id est suffecti oculi, & suffusos oculos habentes.

SIBILA. Id est sibilantia. Nam participium est. Cum enim nomen est, sibilus dicimus. ut, *Nam neque me tantum venientis sibilus austri*. VIBRANTIBVS. Mobilibus. Quia nullum animal tanta celeritate linguam movet; adeo ut triplicem linguam habere videatur, cum una sit. Hos dracones Lisimachus, Curissia & Peribœam dicit: filios vero Laocoontis, Ethronem & Melanthum Thessandrus dicit.

DONATI.

ECCE AVTEM. Per hoc significabatur hostes venturos à Tenedo. *Ecce*, semper ponitur, ubi res horrenda & repentina significatur. Festinatio autem, & oculi ardentes, & linguæ mobilitas demonstrabant alicui illos laturos interitum.

VARIORVM.

SOLENNES TAVRVM. Gellius lib. 13. cap. 25. Macrob. lib. 5. cap. 10. Homer. Odyss. ζ. Iliados λ. HARTVNG.

TAVRVM INGENTEM. In victimis enim ista requiruntur, ut certis Numinibus certæ ætatis animalia mactentur. Macrob. l. 3. Saturn. c. 6. TAVBM.

MACTABAT AD ARAS. *Aras illas solennes*, in littore fuisse suspicor. Nam & neptuno apud Homerum in littore sacra facit Nestor, & deo marino littoralia sacra videntur convenire, & prodigiosæ anguium narrationi, hoc quoque consentaneum erit. TVRNEB. 12. cap. 12.

IVBÆQVE SANGVINEÆ EXVPERANT. Iubæ, sunt cristæ in capitibus anguium micantes: unde Valer. Flaccus lib. 8. *Iamque alta cecidere jubæ*. Et auctor ad Herenn. *Iste quotidie per forum medium, tanquam jubatus draco serpit*. & apud Plautum Non. in Angues, *Iubatos angues* eodem sensu accipit. GERMAN.

SANGVINEÆ EXVPERANT. Hom. Iliad. 2. ἔνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα, δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός. Et Ovid. lib. 12. HARTVNG.

Diffu-

Digitized by Google

Diffugimus visu exangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt; & primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: & jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite, & cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas, atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sydera tollit:
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus, & incertam excussit cervice securim.

SERVII.

EXANGUES. Timentes; nam ideo timentes pallescunt, quia ante exsangues fiunt. AGMINE CERTO. Itinere, impetu: ut, *Lenis fluit agmine Tybris*; vel tractu corporis, ut, *extremæque agmine caudæ.*

» LAOCOONTA. Etsi à filiis ejus incipiunt, Lao-
» coonta petunt.

» IMPLICAT. Hoc ad molliciem infantum corporis dixit. DEPASCITUR. Ut diximus supra, & pasco & pascor unius significationis sunt: ut, *Atque artus depascitur arida febris.*

SPIRIS. Nodis. Unde & bases columnarum, spirulæ dicuntur. Nam proprie spiræ sunt volubilitas funium. Inde & posteriora serpentium, *spiræ* dicuntur; quæ sic involvuntur in girum, ut Funes.

SQUAMEA. Pro squamosa: ut frondea pro frondosa, & est figuratum: *Squamea terga collo circumdati.*

SIMUL. Modo adverbium temporis est, significat enim eo tempore; Et est ordo, simul manibus
» tendit divellere nodos. *Simul clamores horrendos ad*
» *sydera tollit, Perfusus sanie vittas, atroque veneno.*
» Et vide genus mortis totum ad supplicium procu-
» ratum. TENDIT. Contendit.

PERFUSUS VITTAS. Perfusas vittas habens, & est interpositus versus. Nam potest tolli salvo sensu. SANIE, pro sanguine, nam sanies corruptus sanguis. ATROQUE VENENO. Ut pallida mors: vel tristis senectus.

QUALES MUGITUS TOLLIT. Facta autem comparatio est propter sacerdotis personam.

INCERTAM. Dubie inlisam: quæ non haberet mortis effectum, inde & excussit.

DONATI.

AGMINE. Agmen dicitur actus serpentum. Cursus enim & iter, pedum est, quibus carent serpentes.

LAOCOONTA. Exprimitur deorum impietas. Sacerdos enim in ipso sacrificio petitur, sed primo in ejus conspectu filii crudelissime interficiuntur, parvuli & insontes. Cætera serpentum descriptio crudelitatem designat.

QUALES MUGITUS. Allusit ad taurum, quia sacrificabatur taurus.

TOLLIT. Bis accipe: tollit Laocoon, tollit taurus.

VARIORUM.

ILLI AGMINE CERTO. Vim, impetumque anguium in Laocoonta, ejusq; filios κατ' ὑποτύπωσιν describit: unde varius commiserationis affectus ex circumstantiis moveri videtur; primum à sanguinis conjunctione: deinde à numero, ab ætate, à modo. NASCIMBÆN.

BIS MEDIUM AMPLEXI, BIS, &c. Repetitio hæc vim augendæ commiserationis habere videtur: estque locus ex Arato sumptus;

Hic pressu duplici palmarum continet anguem:
Atque suo ipse manet religatus corpore toto.
Namq; virum medium serpens sub pectore cingit:
Atque oculos urget pedibus, pectusque nepai.

Homer. Iliad. 12. κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν ἰδνωθεὶς ὀπίσω, &c. HART. NASC.

QUALES MUGITUS. Macrob. lib. 5. cap. 15. Homerus Iliad. υ. & Macrob. lib. 3. c. 4. ἤρυγεν ἑλκόμενος, ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα. H.

FUGIT CUM SAUCIUS ARAM, &c. Observavit Turnebus piacularia auspicia à veteribus appellata, quæ sacrificantibus tristia portendebant: ut, si hostia ab ara profugisset, aut mugitum percussa dedisset, aut in aliam corporis partem, quam oporteret, decidisset. GERMAN.

TAURUS, ET INCERTAM EXCUSSIT, &c. Ex antiquitatis monumentis Taurobolium & Creobolium accipit Turnebus sacrificia taurorum & arietum, quod cum immolantur, dejiciantur clava vel securi, deinde prostrata suppositis cultris jugulata à victimariis fuisse. Florus lib. 3. Nec gladio, sed ut victimas, securi percutiunt. Vide Brisson. Formul. lib. 1. Hanc autem comparationem cum Homerica contendit Macrob. lib. 3. cap. 14. sed accuratius Scaliger, lib. 3. cap. 3. Poët. GERMAN.

Digitized by Google

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sævaque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque deæ, clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt; sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulachrum, orandaque divæ
Numina conclamant.

SERVII.

LAPSV. Labi proprie serpentum est. DELVBRA. Delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut Capitolium in quo est Minerva, Iupiter, Iuno. Alii ut Cincius, delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit, à diluendo. Est autem synecdoche, id est à parte totum. Varro autem Rerum divinarum lib 27. Delubrum esse dicit, aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi præter ædem area sit adsumpta deûm causa, ut in circo Flaminio Iovi Statori, aut in quo loco dei dicatum sit simulachrum, ut in quo figunt candelam candelabrum appellant, sic in quo deum ponant, delubrum dicant. Ergo hic cum dicit, *delubra ad summa dracones*, ut esset manifestatum, subtexuit, *dei simulachrum*, adjecit enim, *Sævaque petunt Tritonidis arcem*, nec prætermisit quin dei nomen adderet dicens, *Sub pedibusq; deæ Clypeiq; sub orbe teguntur*; ne sine ratione delubri nomen intulisse videretur. Masurius Sabinus, delubrum effigies à delibratione corticis, nam antiqui felicium arborum ramos, cortice detracto, in effigies deorum formabant, unde Græci ξόανον dicunt. Alii delubrum dicunt templum, ab eo quod nulli junctum ædificio pluvia diluatur.

SÆVÆQVE. Fortis aut nobilis, aut ad tempus epitheton additum, aut *sæva* circa Trojanos.

SVB PEDIBVSQVE DEÆ. Scilicet majoris simulachri: quod à cunctis videtur. Nam quod colitur, & breve est & latet: sicut palladium fuerat. Non ergo contrarium est, quod post raptum Palladium intulit deæ. Sane hoc loco, *Sub*, particulam, secundo repetendo, utrique casui junxit. Accusativo cum proprie significavit, ut sit, *prope pedes deæ, & sub orbe clypei teguntur*, ablativo, id est infra orbem: ut, *Sæpe sub immotis præsepibus.*

NOVVS. Aut magnus, ut, *Pollio & ipse facit nova carmina*; aut repentinus, aut novi generis, id est qualis nunquam antea. CVNCTIS. Quia ante interemptum Laocoonta dixit timuisse nisi eos qui viderant angues, post ejus interitum cunctos dixit, qui Sacerdotem extinctum cognovissent.

INSINVAT autem, insinuatur. Clodius scriba commentariorum, *Insinuem intro eam penitus.* SCELVS. Supplicium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. EXPENDISSE, tractum est à pecunia. Nam apud majores, pecuniarias pœnas constat fuisse, cum adhuc rudi ære pecunia penderatetur, quod ad capitis pœnam de jure usurpatum est. An quia utriusque rei debitor rèus dicitur, quis ante hunc *expendisse* pro luisse?

SACRVM ROBVR. Non ut supra lignum: Et notandum quot nominibus hunc equum appellet, lignum, machinam, monstrum, dolum, pinea claustra, donum, molem, equum, sacrum robur.

TERGO. Quare *tergo*, cum dixerit in latus & in alvum? Ergo *tergo* quasi per significationem equi accipiamus. quidam *tergo* quasi à tergo suo accipiunt. tum quia Laocoon manu reducta à tergo suo, jecerit telum: ut est, *Ecce aliud summa telum librabat ab aure.* SCELERATAM. Pro ipse sceleratus: ut, *Telumque imbelle*, & est Hypallage.

SEDES. Per hoc ostendit domum Minervæ. ORANDA. Placanda. CONCLAMANT. Vna scilicet voce, & bene de peritura civitate, *conclamant*, dixit, quia semper res perditæ *conclamatæ* dicuntur.

DONATI.

AT GEMINI. Non inertia sua decepti sunt à Sinone, sed iniquo deorum studio, præsertim Minervæ. Petitus est Laocoon, qui equum vulneraverat; & dracones ad simulacrum deæ refugerant.

TVM VERO. Tum magis. Nam supra dixerat, *horresco referens.*

ET SCELVS. Nam ex hac conjectura argumentum ducebant.

DVCENDVM AD SEDES. Eadem omnium, ex cæde Laocoontis, fuit sententia, & concordi voce clamabant.

VARIORVM.

DELVBRA AD SVMMA DRACONES. Sunt qui tradunt, non Laocoonta, sed filium ejus solum, à serpentibus afflato veneno interemptum: neque vero littore, sed in Apollinis Thymbræi templo; atque id præsentissimum capiendæ urbis omen fuisse. Sed neque à Tenedo quidem, verum proximis Calidoniis insulis delapsos annavisse. HORTENSIVS.

NOVVS INSINVAT PAVOR. *Novus pavor*, est magnus, vel insolitus. *Insinuare* à sinu verbum, est velut in sinum immittere. PONTANVS.

SCELERATAM INTORSERIT HASTAM. Quæ excidii urbis caussa fuit, ideo *sceleratam* vocat: ut porta scelerata Romæ, unde Fabii infelici omine exierunt. Et est allusio ni fallor, ad hastam sceleratam quæ ante urbium expugnationem ab imperatoribus olim in conspectu hostium poni solebat, quæ illarum excidium significabat. NASCIMBÆN.

Divi-

Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. scandit fatalis machina muros,
Fœta armis: circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, ô divûm domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum. quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæcique furore,

SERVII.

MVROS. Superpositos Scææ portæ. Nam sequitur, *Quater ipse in limine portæ*. MOENIA PANDIMVS VRBIS. Non est iteratio. Nam dicit, patefacta porta vel diruta, interiora civitatis esse nudata, ergo mœnia cætera urbis tecta, ut ædes, vel ædes accipiendum. ACCINGVNT OMNES. Pro accinguntur, vel accingunt pro præparant se ad opus. Terentius Phormione, *Accingere*.

INTENDVNT. Inligant: ut, *Intenditque locum sertis*. SCANDIT. Transcendit propria magnitudine, vel propter aggerem quem ruina fecerat mari. FATALIS. Mortifera. MVROS. Ruinas murorum dirutorum.

FOETA. Nunc plena, ut in Bucolicis, *Tentabunt pabula fœtas*. alias enixa jam, ut, *Fecerat & viridi fœtam*. PVERI CIRCVM INNVPTÆQVE. More Romano, patrimi & matrimi.

SACRA CANVNT. Hymnos dicunt. GAVDENT. Quidam hic *gaudent*, pro optant intelligunt, ut, *Veniat quo teque gaudet*.

MINANS. Vel eminens; ut, *Minæque murorum ingentes*; Vel minitans.

O PATRIA. Versus Ennianus. Sane exclamatio eo pertinet, quod tanta fuerit vis consecrationis in porta Trojana, ut etiam post prophanationem, ab ingressu hostes vetaret. Nam novimus integro sepulchro Laomedontis, quod super portam Scæam fuerat, tuta fuisse fata Trojana. DIVVM DOMVS. Vel quod ejus muros Apollo & Neptunus fabricaverunt, ubi etiam Minerva per Palladium culta est: vel propter Ganymedem, Dardanum, Tythonum.

INCLYTA BELLO. Quia superavit Mysiam totam.

QVATER. Sæpius. IN LIMINE PORTÆ. Hic portam pro ipso aditu posuit; nam quod ait *limine*, manifestum est portæ, nam pars superior diruta est, necessario remanente limine, quod in ima parte, id est in solo, positum erat.

ATQVE VTERO SONITVM QVATER ARMA DEDERE. Ostendere vult, non in totum à diis desertos esse Trojanos, quippe quos sono equi dicit esse commonitos, ne Dido ab his animum averteret, quos videbat à suis numinibus derelictos: sed hoc dicit, monuerunt nos dii, sed nos non intelleximus. Et bene addidit, *sonitum arma dedere*, ne ei objiceretur non potuisse fieri, ut plena armis machina sonum non redderet.

INSTAMVS TAMEN. Subaudiendum, quanquam sonitum dederint, tamen instamus. IMMEMORES. Improvidi: vel non memores oraculorum. Vel immemores, dementes; quoniam memoria in mente consistit. Sane si peritiam Virgilii diligenter intendas: secundum disciplinam carminis Romani, quo, ex urbibus hostium deos ante evocare solebant, hoc dixit: erant enim inter cætera carminis verba hæc: *Eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis*. Vnde bene intulit, *immemores, cæcique furore*, tanquam qui deos * prodiderant.

DONATI.

DIVIDIMVS MVROS. Plena describitur Trojanorum dementia. Nam quo tempore bellum nec positum fuerat, nec sopitum, muros dividebant.

OMNES. Ne quis à nefario opere abesset. PEDIBVSQVE ROTARVM. Quærebatur celeritas, ut quamprimum immitteretur interitus.

VARIORVM.

DIVIDIMVS MVROS, ET MOENIA PANDIMVS. Non credo ex abundanti *muros & mœnia* eodem spiritu à Marone contexta: nam etsi hæ duæ voces confundantur interdum, tamen *muros* proprie pro ambitu lapideo accipio, urbem cogente: *mœnia* autem à muniendo & mæniendo dicta, non tantum urbis esse, sed etiam munitionum, castrorum, & aliorum ædificiorum. Nec ad copiam *dividere* & *pandere* conjunxit Maro; cum *pandere* non simpliciter aperire, ut *dividere* significare videatur; sed amplius aliquid, & forte etiam ædificiorum moles complanare, & majore hiatu patefacere: ut supra: *Panduntur portæ*. GERMAN.

PEDIBVSQVE ROTARVM. κύκλοι δ' ἐκινήθησαν ποδῶν ὑπέθηκαν ἰκρίοις ἑλκόμενος πεδίοισι. H.

ET STVPEA VINCVLA COLLO. ἀλλ' ἄγε δὴ σειρῇσι συμπλέξαντες ἀμφιβάλλοντες ἕλκετ' εἰς ἀκρόπολιν μεγάλην. HART.

SACRA CANVNT, FVNEMQVE. Πολλὴ δ' ἀλγέντων ἐνέπη καὶ χόμενος ὀρώρει. HART.

Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu, non unquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox;
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos. fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat

SERVII.

MONSTRVM INFELIX. Trojanis scilicet, quod post rem probatam dixit. SISTIMVS. Constituimus, collocamus.

TVNC ETIAM. Sicut antehac sæpius. Nam Helena veniente, prædixerat futura bella & mala. FATIS APERIT CASSANDRA FVTVRIS. Ne putarentur stulti, qui vati non credidissent, cito subjecit, *dei jussu non unquam credita Teucris*: Sane quidam hic FATIS, pro calamitatibus accipiunt.

DEI IVSSV. Præcepto Apollinis: qui cum amasset Cassandram, petit ab ea ejus concubitus copiam: Illa hac conditione promisit, si sibi ab eo futurorum scientia præstaretur: quam cum Apollo tribuisset, ab illa promissus coitus denegatus est, sed Apollo dissimulata paulisper ira, petiit ab ea, ut sibi osculum saltem præstaret, quod cum illa fecisset, Apollo os ejus inspuit; & quia eripere deo semel tributum munus non conveniebat, effecit ut illa quidem vera vaticinaretur, sed fides non haberetur. NON VNQVAM. Non aliquando, id est nunquam. Nam si non nunquam esset, duæ negativæ facerent unam confirmativam. licet Terentius Græco more dixerit, *Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii majoris, nemo habet.* CREDITA. Dubium à quo verbo veniat, & an fœmininum singulare sit participium, an neutrum plurale.

FESTA FRONDE. Quæ festos indicat dies, vel quæ festis diebus adhibetur; ut laurus, oliva, hedera. VELAMVS, coronamus. Vt, *Victori velatum auro, vittisque juvencum.*

VERTITVR INTEREA COELVM. Epitheton cœli perpetuum est: sed *vertitur*, est in aliam faciem commutatur. Quod more suo explanat in sequentibus. RVIT OCEANO. Nascitur ex Oceano; ut, *Ruat atram, Ad cœlum picea crassus caligine nubem.* Ideo autem *ruit*, quia altius mare quam terra, aut certe *ruit*, cum impetu, & *festinatione*, ut, *Qua data porta ruunt.* Sane sphæræ ratio hoc habet, ut omnia diversis vicibus sicut oriri, ita & ruere videantur. VMBRA MAGNA. Id est terræ: & definitio est noctis.

MYRMIDONVMQVE DOLOS. A generalibus ad specialia venire vitiosum est: nisi forte redeatur ad caussam, ut hoc loco. FVSI. Dispersi, * per sua quisque, jam ad habitum retulit dormientium securorumque. PER MOENIA. Per domos; ut supra, *Et mœnia pandimus urbis.* Mœnia enim & publica & privata dicuntur.

CONTICVERE. Dormierunt; ex consequentibus priora intelliguntur. FESSOS ARTVS. Aut generaliter, quia omnis dormiens, quasi fessus, aut fessos trahendo equum, diruendoque muros.

PHALANX. Lingua Macedonum, legio. Et synecdoche à parte totum, significat enim totum exercitum. IBAT. Veniebat: ut, *Nunc primum à navibus itis.*

DONATI.

NOS DELVBRA. Tanta amentia fuit, ut quo tempore exitium immineret, lætis frondibus templa non coronaremus solum, sed tegeremus, deorum, qui una nobiscum perituri erant.

VERTITVR. Versa re aliqua, funditur quod in ea erat. Ergo *versato cœlo*, quod præbebat lucem, tenebræ ex eo ceciderunt.

INVOLVENS. Nam quæ involuta sunt non videntur.

TEVCRI CONTICVERE. Et labore trahendi equi, & tempore nocturno inciderunt in somnum.

IBAT. Improprie dixit de navigatione, sed adjunxit navibus.

VARIORVM.

NOS DELVBRA DEVM MISERI. Auget commiserationem ex nimia Trojanorum cæcitate, vel potius infelicitate: qui cum ex omni bellorum periculo se ereptos putarent, & ideo lætitiæ signa ostenderent, tunc servitutis jugum, mortisque discrimen subierunt. NASCIMBÆN.

FESTA VELAMVS FRONDE. Veteres autem solebant, non solum diebus festis & lætis, deorum templa ramis è lauro oliva, hedera & simili, ornare & velare: in magna etiam lætitia, familiaribusque sacris & nuptiis suos postes sertis inumbrabant & infulis decorabant; quin & lucernas addebant. vide Turneb. lib. 25. cap. 4. Sed quoniam hæ feriæ Trojanis exitio fuerunt, ideo *male feriatos* vocat Horat. Ode. 6. lib. 4. PONTAN.

VERTITVR INTEREA CÆLVM. Ad Trojani excidii descriptionem sese accingit, in qua ad unguem ea observare videtur, quæ probabilem reddere narrationem solent. NASCIMB.

Digitized by Google

A Tenedo, tacitæ per amica silentia Lunæ,
Littora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat, fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
Tisandrus, Sthenelusque duces, & dirus Vlysses,
Demissum lapsi per funem: Athamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epëus.

SERVII.

TACITÆ LVNÆ. Aut more poëtico noctem significat, cujus tempore tacetur, quoniam nocte silentium est, ut, *Cum tacet omnis ager*: aut physica ratione dixit: Nam circuli septem sunt, Saturni, Iovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunæ. Et primus, hoc est Saturni, vehementer sonat: reliqui secundum ordinem minus, sicut audimus in cithara. Ergo tacita luna est, cujus circulus terræ vicinus immobili, minus sonat aliorum comparatione. Aut certe *tacitæ*, serenæ: ut, *Sydera cuncta notat tacito labentia cælo*; vel ipsi taciti; ut, *Tacitumque obsedit limen amata*. AMICA. Sibi grata. Et sciendum septima luna captam esse Trojam, cujus simulacrum apud Argos est, quod relata victoria constitutum est, ab imagine ejus, quæ tunc erat, dividuo orbis modo. Hinc est quod dicit: *Oblati per lunam*. & alibi, *Per cæcam noctem*.

LITTORA NOTA: Id est, quæ paulo ante reliquerant. FLAMMAS CVM REGIA PVPPIS. More militiæ: ut, *Dat clarum è puppi signum*. Et hic intelligendum est, Helenam Agamemnoni vel Græcis signum dedisse veniendi, sublata face: Agamemnonem contra signum Sinoni dedisse aperiendi equi, ut in sexto. *Flammam media ipsa tenebat, & summa Danaos ex arce vocabat*. Est autem tropus: per puppem, navem: per navem, eos qui in navi sunt, significat.

FATIS INIQVIS. Voluntate numinum. nam illis propitia, sed in nos iniqua: ut Lucanus, *Non ille favore Numinis ingenteis superûm protectus ab ira*.

REDDIT. Quasi debitos, vel creditos: ut, *Redditus his primum terris*. Sic Horatius, *Navis quæ tibi creditum debes Virgilium, finibus Atticis reddas incolumem precor*. CAVO ROBORE. Equi, Epexegesis.

THESSANDRVS. Polynicis & Argiæ filius. STHENELVS. Capanei & Evadnes. VLYSSES. Laërtæ & Anticliæ filius.

ATHAMAS. Demophoontis filius, Perrechiæ nepos. THOAS. Andremonis filius.

NEOPTOLEMVS. Quia ad bellum ductus est puer; Pyrrhus vero à capillorum qualitate vocitatus est; Achillis & Deidamiæ filius, Pelei & Thetidis nepos ex patre: ex matre vero Lycomedis regis Scyriæ insulæ. PRIMVSQVE MACHAON. Hic Machaon filius Æsculapii fuit, cujus frater Podalirius *Primus* autem, princeps, id est inter primos, aut arte primus: Aut numeri sui nam per ternos distinxit. MENELAVS. Atrei filius frater Agamemnonis, propter quem bella gerebantur. EPEVS. Panopei filius.

DONATI.

TACITÆ PER AMICA. Nullum est scriptoris vitium, quod nunc dicat *silentia lunæ*, & supra meminerit tenebrarum. Nam elegerunt eam noctem, quæ partim tenebrosa, occultaret insidias: partim adveniente luna, illustris esset, ut sine errore venirent. Ergo & noticia littoris, & luna suffragabatur.

FLAMMAS. Quo signo adventum Græcorum cognoscens Sinon rem perageret.

REDDIT. Vsus est bono verbo, nam quos occultandos tenebris acceperat, reddit aëri.

VLYSSES. Et ipse dux intelligitur.

VARIORVM.

AMICA SILENTIA LVNÆ. Politianus capite 10. Miscellan. & Theocrit. in Pharmaceut. ἄσυχα δαίμων, tacita dea, id est Luna. HART.

PER AMICA SILENTIA LVNÆ. Luna silet, cum est in coitu, interprete Plinio. Inter omnes vero convenit, utilissime in coitu ejus sterni: quem diem alii interlunium, alii silentis lunæ appellant. Sequor tamen hic potius Turnebi sententiam, qui hic *Lunæ silentia*, ad noctis taciturnitatem refert, non ad interlunium: cum de lucente Luna Poëta intellexerit. Politianus Miscell. 100. Lunam silentem accipit pro minime tum lucente: non quod per Lunæ coitum tota nox illunis fuisset; sed Lunam quidem non luxisse, quum illi à Tenedo sub vesperam navigarent; sed cepisse lucere, cum jam urbem occupassent. Verum Ios. Scalig. de Emendat. Temp. clarissimis argumentis probat, Ilion captum esse in plenilunio, fine veris, paulo ante solstitium, anno mundi 2767. ubi & hariolationes Politiani super hunc locum rejicit. GERMAN. TAVBM.

CAVO SE ROBORE PROMVNT. Hom. Od. θ. κοῖλον δόρυ. HART.

LAPSI PER FVNEM. Emphasis. Quintil. lib. 8. cap. 3. HART.

EPÆVS. Homer. Odyss. θ. Theocritus in Securi, & Pausanias in Corinthiacis. Tryphiodor. de isto fabro. HART.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.
Cæduntur vigiles; portisque patentibus omneis
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumenteis.
Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo

SERVII.

VRBEM, Id est cives. SOMNO VINOQVE. Ostendere vult nihil magnum à Græcis factum, quod obtinuerint civitatem. SOMNO autem, quia nox erat, VINO quia festus dies.

CÆDVNTVR VIGILES. Non actus nomen est; sed officii. modo enim vigiles intelligendum, non qui vigilarent, sed qui solebant exercere vigilias, aut certe vigiles quos fefellit Sinon equum servantes, & bene ostendit timiditatem Græcorum, qui paucitate timentes eos primos occiderunt; quod cæteros poterant excitare: aut vigiles portarum; nam paulo post, *Vix primi prælia tentant, Portarum vigiles.* PATENTIBVS, pro patefactis.

CONSCIA. Conjurata. Bene autem in insidiis conscientiam nominavit.

TEMPVS ERAT QVO PRIMA QVIES. Hoc loco noctis describit initium. Alibi totam noctem: ut, *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem Corpora per terras.* Descriptiones sane pro rerum qualitate, vel protenduntur, vel corripiuntur. Illo enim loco protensio ad invidiam pertinet Didonis, aut vigiliarum. Sunt autem solidæ noctis partes secundum Varronem hæ, vespera, concubium, intempesta nox, gallicinium, lucifer. Diei: mane, ortus, meridies, occasus. De crepusculo vero, quod est dubia lux (nam creperum, dubium est) quæritur. Et licet utrique tempori possit jungi, usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, *Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.* ÆGRIS. Quantum ad divina, tardis.

DONO DIVVM. Quidam donum voluntate dicunt venire, munus ex officio. Donaria vero loca in templis, in quibus dona ponuntur. SERPIT. Latenter membris infunditur.

IN SOMNIS. Aut per somnos: aut si in somnis legeris, erit synæresis. ECCE. Hac particula utimur, quotiens aliquid repentinum volumus indicare: ergo *Ecce*, subito est: ut, *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.*

VISVS ADESSE. Bene visus: quia somnia videntur tantum, non sunt naturaliter vera. Quod autem paulo post dicit, *Effer penetralibus ignem*: confirmantis est. Nam illud verum fuisse contendit.

RAPTATVS. Frequentativo utitur, ut supra, Id est tractus. BIGIS. Secundum artem dixit: quæ exigit, ut quæ de pluribus constant, plurali tantum dicantur: ut bigas, quadrigas, mappas. Sed hæc plerunque corrumpit authoritas; ut Horatius, *Ne sordida mappa.* Item Statius, *Rorifera gelidum tentaverat atra biga.*

TRAIECTVS LORA. Trajecta lora habens: ut, *Nuda genu.*

HEI MIHI. Ennii versus. Et totum jungendum, ne doloris distinctione frigescat.

DONATI.

INVADVNT. Ordo est, *Cæduntur vigiles, portisque patentibus omneis Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt*, deinde *invadunt urbem, somno vinoque sepultam.* Ne sit vitium, ut primum invadant urbem, & postea recipiant socios per portam. Primo enim patefactus est equus, deinde vigiles occisi, & postremo per urbem sparsi sunt: & potuerunt cives latêre, qui duplici malo essent affecti, vino & profundo somno.

PRIMA QVIES. Excusatur Æneas, si somnum ea hora capiebat, qua omnia animantia reficit somnus: cujus initia tantum ponderis habent, & tanta vi mentes opprimunt, ut omni cura submota, altius soporemur. Et cum munus deorum sit somnus, ad refectionem nobis datum, crimen non est, si concesso tempore dormiatur.

VISVS ADESSE. Ostendit poëta non veras, sed verisimiles imagines videri, cum dormientibus offeruntur. Ex mœrore autem & squalore imaginis, etiam si nihil verbis nunciasset, conjectura colligeretur funesta portendere.

VARIORVM.

CÆDVNTVR VIGILES. Qui scilicet equum servabant; non urbis: nam paulo post:

---- ---- *vix primi prælia tentant*
Portarum vigiles. TAVBM.

PRIMA QVIES. Quintilianus lib. 8. cap. 6. HARTVNG.

PEDES TRAIECTVS. Homer. Iliad. χ. ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας. HART.

HEI MIHI QVALIS ERAT. Macrob. lib. 5. cap. 5. Iliad. χ. ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ, ἢ ὅτε, &c. HART.

He-

Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. ultro flens ipse videbar
Compellare virum, & mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrum,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Expectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi aspicimus! quæ caussa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,

SERVII.

EXVVIAS INDVTVS ACHILLIS. Hoc est arma, quæ occiso Patroclo ademit, quæ Vulcanus Peleo fecerat. Celavit autem mortem Patrocli ad laudis augmentum. *Indutus* autem accusativo jungitur, ut hoc loco; sed magis septimo casu, quo nunc utimur, ut in decimo, *Prædonis corpore raptis Indutus spoliis.* Exuvias autem tantum plurali dicimus numero.

PHRYGIOS IGNES. Flammas Trojanas, quibus Protesilai navis incensa est. Constat enim naves Græcorum, flammis oppugnatas ab Hectore. PVPPIBVS. Pro in puppes.

SQVALLENTEM. Modo sordidam, alibi lucentem: ut x. Æneid. *per tunicam squallentem auro.* BARBAM. Singulari numero hominum, plurali vero quadrupedum dicimus. Vnde dubitatur de quibus dixerit, *Stiriaque impexis induruit horrida barbis.* ET CONCRETOS SANGVINE CRINES. Non sine ratione etiam hoc de crinibus dolet Æneas, quia illis maxime Hector commendabatur, adeo ut etiam tonsura ab eo nomen acceperit, sicut Græci poëtæ docent.

VVLNERA ILLA GERENS, &c. Aut *gerens*, velut iniqua proferens, & ostentans quæ à Græcis pugnans pro patria susceperat, aut quia ut Homerus dicit, in Hectorem extinctum, omnes tela jecerunt more majorum. Vnde est, *bis sexta thoraca petitum, Perfossumque locis.* Propter duodecim populos Tusciæ. Duodecim enim Lucumones, qui reges sunt lingua Tuscorum, habebant. Vnde est, *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.*

VLTRO. Quia ratio exigebat, ut loqueretur ille qui venerat. COMPELLARE. Adloqui.

O LVX DARDANIÆ. Quasi dies noster, per quem certi eramus de luce, id est de vita, tanquam occiso Hectore omnes se extinctos credant. SPES O FIDISSIMA. Bene per contrarium. Spes enim semper incerta; in Hectore fidissima.

EXPECTATE. Antiptosis est: pro expectatus. VT TE. Ordo est, *Vt fessi aspicimus,* id est, * qua fessi.

INDIGNA. Aut te indigna, aut crudelia. SERENOS. Hilares, antiqui & è contrario tristes, nubilos dicebant.

FOEDAVIT. Cruentavit, ut, *Sanguine fœdantem.* Et bene permansit in translatione, quia supra dixerat, *O lux.* Ideo & serenos, ideo & fœdavit. Nam Salust. de nubibus, *Fœdavere lumen.*

ILLE NIHIL. Scilicet ad interrogatâ. Pleraque enim verba ex negotiis accipiunt significationem. VANA. Falsa.

GEMITVS. Nec enim parvus dolor est, viro forti fortem virum fugam suadere. Et notandum omnes suasoriæ partes hoc loco contineri.

DONATI.

VIDEBAR: Et hic ostendit imagines non esse veras.

O LVX. Errorem describit dormientis, ut quod optime norat, quasi nescius, interrogaret.

VARIORVM.

EXVVIAS INDVTVS. Homerus Iliad. ρ. ἔντ' ἄμειβεν κλυτὰ τεύχεα Πηλείωνος. HART.

IACVLATVS PVPPIBVS. Homerus Iliad. π. μὴ δὴ πυρὸς αἰθομένοιο νῆας ἐνιπρήσωσι. HART.

O LVX DARDANIÆ, SPES O. Benevolentiam colligit ex commendatione virtutis Hectoris: quem *lucem* & *spem*, hoc est splendorem & salutem Trojanorum appellat: tantam enim ex effectu virtutis existimationem sibi comparaverat Hector, ut in eo uno omnis spes civitatis niteretur. NASCIMB.

FOEDAVIT VVLTVS. Ita paulo post: *sanguine fœdantem.* Et bene mansit in metaphora: quia prius dixerat, *O lux*; ideo & *serenos vultus*: ideo & *fœdavit*: nam de nubibus Salust. *Fœdavere lumen.* TAVBMAN.

ILLE NIHIL: NEC ME, &c: Defectio orationis. Rei præcipiti attemperavit orationis figuram. Caussa additur quare nihil responderit Hector, quia interrogatio vana erat & otiosa prorsus tum, cum patria periret. HORTENSIVS.

Digitized by Google

Heu fuge nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troja.
Sat patriæ, Priamoque datum. si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja penates:
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique Ponto.

SERVII.

FVGE NATE DEA. Propositio est. ERIPE FLAMMIS. Vtile. HIS autem [illegible]. An necessarium, *Hostis habet muros:* An honestum, *Sacra suosque tibi commendat Troia penates.*

A CVLMINE. Vel à dignitate sua, vel vere *culmine*, id est à tectis suis, & ideo culmina dicta sunt tecta, quia veteres de culmo ædificia contegebant.

SAT PATRIÆ, PRIAMOQVE DATVM. Ecce & hoc honestum, nam contra fata venire constat neminem posse. Ergo, *Sat patriæ Priamoque datum*, vel regnasse; vel sat pro patria est Priamo militasse. ETIAM. Multi distinguunt, ut sit adhuc: ut, *Etiam currus, etiam arma tenentem.* Intelligunt enim eum ostendere voluisse, Trojam voluntate divina, certo tempore esse defensam, & nunc si salutem tenere per fata potuisset, ipsius quoque dextera potuisse defendi. Sed melius est, *etiam hac*: ut & particeps gloriæ sit Æneas, & Hector arrogantiam vitet. Quidam *etiam*, pro denique vel postremo accipiunt. TIBI. Merito tibi, quod religiosus es & pius. COMMENDAT TROIA PENATES. Ecce iterum à necessario, nam sacrilegium est non liberare commendatos penates. Et non *Ego* sed *Troja*, ut videatur patriæ præstare quod fugiat.

SACRA SVOSQVE TIBI COMMENDAT TROIA PENATES. Necessarium. Nam sacrilegium est, non liberare commendatos penates.

FATORVM COMITES. Cæterum à possibili, quia occurrebat, *Hostis habet muros.* dat ei comites deos, & scite ait *fatorum*, ne Æneas diceret, quo mihi eos comites? HIS MOENIA QVÆRE. Hoc est, *dum conderet urbem inferretq; deos.* & multi *quære*, distinguunt, & sic subjungunt, *Magna pererrato statues quæ denique Ponto.* Non enim magna mœnia inventurum promittit, sed magna facturum. Nam & dii penates in 3. ita monent, *Tu mœnia magnis magna para.*

PERERRATO. Vna pars orationis. Hoc autem verbo ostendit erroris longinquitatem.

DONATI.

HEV FVGE. Viro forti fugam suadet, quam non suaderet, si superesset aliquid, cui posset subveniri. Mox subnectit caussam, quæ omnem vim desperationis continet. HEV FVGE. Incipit recte à doloris signo. Dolebat enim, quod qui debebat hortari ad auxilium, fugam suaderet viro forti: & quod sic interierit tota res, ut nihil superesset, quod auxilio fulciri posset.

HOSTIS HABET MVROS. Secunda desperatio. Muros scilicet, quibus se tutari potuissent. RVIT ALTO A CVLMINE TROIA. Tertia desperatio, id est, concidit jam, cui potestas subvenerat.

SAT PATRIÆ PRIAMOQVE DATVM. Vt Priamo venisse interitum denotaret. SI PERGAMA DEXTRA. Quasi dicat contra tantam vim, nihil valere humanam virtutem: & probat, quæ si possent defendi, defensa fuissent hac scilicet mea dextra.

SACRA SVOSQVE TIBI COMMENDAT. Non est ergo flagitium quod fugiat, cum patria suos deos fuga liberandos velit. Nimium etiam religiosum probare voluit, cum ipsis religionibus conservandis sit aptissimus, aut etiam diis potiorem. Nullus enim commendatur inferiori. De his diis meminit in themate: *Inferretque deos latio.* Omni ergo culpa vacat fugiturus, si fugam suadet imago viri fortis: & patria concedit fugam, & deorum sacrorumque societas.

FATORVM COMITES. Adjuvabunt tua fata, cum tui comites fuerint. Quid enim potuit Æneas, si dii ipsi non potuerunt?

MAGNA. Quia magni sunt dii. Et proponit spem futuri temporis, ut sit toleratio præsentis calamitatis. PERERRATO PONTO. Vt ostenderet se vera insinuare, prædixit prospera, & his laboriosa addidit.

VARIORVM.

HEV FVGE NATE DEA. Εἰδωλοποιία est, id est simulacri effictio: Hectori enim mortuo sermonem tribuit: ubi præcipue habetur ratio temporis: nam brevitati temporis, brevitatem orationis accommodat: non enim in tanto, tamque imminenti periculo, longiori opus erat oratione: iis tamen partibus constare videtur, quæ ad persuadendum facere solent, utilitate, honestate, necessitate, facultate. Initio signum doloris habet, *Heu*, quod ad excitandum, & terrendum Æneam plurimum valet: in reliquis etiam partibus tota pathetica est. NASCIMBÆN.

HOSTIS HABET MVROS. Difficilem primum, quia hostes ingressi jam sunt; deinde etiam desperatam esse urbis defensionem indicat, quia *à culmine* jam *ruit*. Et innuit fato Trojam perire. Vnde colligitur honesta fugiendi caussa: constat siquidem adversus fata neminem quidquam posse. NASC.

HIS MOENIA QVÆRE. Lavinium. Alii Romam censent innui, quia addiderit, *Magna*; & alludi ad Monarchiam Augusti. TAVBMAN.

Digitized by Google

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu,
Et magis atque magis (quamquam secreta parentis
Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit)
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens

SERVII.

VESTAM. Deam ignis, quæ ut supra dictum est, Terra est. Quæ in medio mundo librata, nisi astet, & ignem intra se habeat, Alii de igne divino hoc volunt dictum; quod è vi sua stet, inde Vestam, sed in primo libro dictum quos deos penates ab Ænea advectos diversorum opinio tradiderit; quod etiam singulis locis, ubi de penatibus varias opiniones poëta secutus dixerit, notatum invenitur. Hic ergo quæritur, utrum Vesta de numero penatium sit, an comes eorum accipiatur, quod cum Consules & Prætores, sive Dictator, abeunte magistratu, Lavini sacra penatibus simul & Vestæ faciunt. Unde Virgil. cum præmisisset, *Sacra suosque tibi commendat Troja penates.* adjecerit. *Et manibus vittas Vestamque potentem*: Sed *potentem* potest ad illud accipi θεοὺς δυνατοὺς, sicut vocari penates dictum est. Nonnulli tamen penates esse dixerunt, per quos spiramus & corpus habemus, & animi rationes possidemus. Eos autem esse Iovem æthera medium, Iunonem imum aëra cum terra, summum ætheris cacumen Minervam, quos, Demarathi Corinthii filius Samothraciis relligionibus mystice imbutus, uno templo & sub eodem tecto conjunxit. His addidit & Mercurium, sermonum deum. Hos Virgilius θεοὺς μεγάλους, ut, *Iunonis magnæ primum prece numen adora.* θεοὺς δυνατοὺς, ut, *Dominamque potentem*: θεοὺς χρηστοὺς, ut, *Et bona Iuno*, quæ propter admonitionem locis suis notata sunt.

ÆTERNUMQUE ADYTIS EFFERT PENETRALIBUS IGNEM. Quod in templo Vestæ ignis æternus est, Ecce ipse exposuit, quid est Vesta. DIVERSO INTEREA. Hæc est prooeconomia. Ait enim Æneam non fuisse proditorem, sed propter longinquitatem domus, & tarde bella cognovisse, & facilius evitasse discrimen.

MAGIS ATQUE MAGIS. Iteratione sermonis fecit augmentum, ac si diceret magis ac plus: sed propter metrum non potuit. sic etiam & in diminutione, velut si dicat: *& minus atque minus*, & ut pro utcunque.

ANCHISÆ DOMUS. Satis religiose locis omnibus quamdiu vivit Anchises, ei universa concedit: ut alio loco, *Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.* ARBORIBUSQUE OBTECTA. Laus domus. RECESSIT. A frequentia se removit; & est speciosa translatio, quotiens rei mobilis ad immobilem, vel è contra transfertur officium.

INGRUIT. Invadit: ut, *Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet.*

EXCUTIOR SOMNO. Ut appareat terroris esse, non satietatis. clamoribus & sonitu interruptus est, ut non ipse somnum excuteret, sed somnus ipsum.

ARRECTIS AURIBUS. Translatio ab animalibus, quæ ad omnem sonum erigunt aures.

CUM FLAMMA FURENTIBUS AUSTRIS. Ubique bene vis aquæ & ignis bello comparatur, quia utriusque rei prope unus effectus est.

RAPIDUS. Quare rapidus? Quia montano flumine fluxit, ut, *Largoque humectat flumine vultum.*

TORRENS. Fluvius qui æstate siccatur; unde & nomen accepit, cui Græci per contrarium dedere vocabulum. Nam χειμάρρους dixerunt, à tempore quo crescit: sicut æquinoctium ἰσημερία.

DONATI.

EXCUTIOR. Non dixit expergiscor, quod esset aut ex satietate somni, aut ex animi tranquillitate. Quies ergo dormientis abrupta est. ET SUMMI FASTIGIA TECTI, &c. Ut posset vel videndo per flammas, vel audiendo cuncta percipere.

VARIORUM.

ANCHISÆ DOMUS ARBORIBUS OBT. Alludit ad Romanorum procerum luxum & delitias, qui etiam in urbe lucos in domibus haberent: unde Tibull. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataque trabes, marmoreumque solum.

Ex decoro autem Poëta magnifice Augustalem domum Anchisæ tribuit, quales ἀνδρωνίτιδας Græci, & παλάτια principum ædes, à privatorum domibus distinctas & secretas, quas Latini *insulas*. Et de his videatur Lipsius in admirandis lib. 3. cap. 14. GERMAN.

ARBORIBUSQUE OBTECTA. Removetur proditionis suspicio à situ. HART.

IN SEGETEM. Homerus Iliad. β. Macrob. l. 5. cap. 15. ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον, &c. HART.

Ster-

Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit sylvas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiæ. jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano superante, domus; jam proximus ardet
Vcalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur, clamorque virum, clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi: furor, iraque mentem

SERVII.

BOVM LABORES. Vt alibi* *nec tamen cum hæc sint hominum deumque labores.*

PRÆCIPITESQVE TRAHIT SYLVAS. Hoc speciale fluvii est: supra dicta vero etiam ignis. INSCIVS. Non ignarus. Nam videt, qui non valde sit caussarum peritus, id est simplex, ἄπειρος.

SAXI DE VERTICE. Pro montis. Contra in sexto, montem pro saxo posuit; ut, *Prensantemque uncis manibus capita aspera montis.*

MANIFESTA FIDES. Non somnii, ut quidam volunt, sed fraudis Græcorum. Nam & hoc sequitur, DANAVMQVE PATESCVNT INSIDIÆ. Quamvis alii hoc ad Laocoontis interitum, alii ad responsa Cassandræ applicassent. IAM DEIPHOBI. Quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit uxorem. Vnde ei graviter Græcos constat esse iratos, de quo plenius in sexto narratur.

PROXIMVS ARDET VCALEGON. Proximus Deiphobo, rem domus ad personam transtulit, & est τὸ αἴτιον, hoc est caussativum, ideo enim ardet, quia proximus est: ut, *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Bene ergo proximam Deiphobo domum dicit invasam, apud quem Helena fuerat: Secundum Vcalegonem posuit, quem juxta Homerum in consiliis & amicitia constat Priami fuisse.

SIGÆA. Duo sunt Trojæ promontoria, Rœtheum & Sigæum; quod dictum est propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hospitio Laomedontis simulavit abscessum, & inde contra Trojam per silentium venit, quod σιγή. FRETA LATA RELVCENT. Incendii magnitudinem voluit significare: non hoc quidem describere. *Lata* autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant.

CLAMORQVE VIRVM. Sive qui cædebantur, sive qui cædebant. CLANGOR. Græcorum est. Nam κλαγγὴ dicitur. Illud sane sciendum est, quia morem tetigit expugnationis. Plerunque enim ad tubam evertunt civitates: sicut Albam Tullus Hostilius jussit everti.

AMENS: Qui nec somniis credidi; nec rebus aspectis. Quamvis quidam sic exponant, Capio non manibus interim sed animo, nam intentio erat: ergo capio, placet mihi sumere. SAT RATIONIS. Quoniam amens, ideo nec sat rationis. aut ostendere vult primam ei cogitationem fuisse de patria, sed subveniendi ei armis nullam fuisse rationem, ardente jam patria, quomodo enim incensam civitatem defenderet?

BELLO. Ad bellum. CONCVRRERE IN ARCEM. Quod inde facile possit pugnari * hostibus.

FVROR, IRAQVE MENTEM PRÆCIPITANT. Potest quidem specialiter accipi, id est mentem meam furor & ira præcipitaverunt: sed melius est generaliter: Non mirum est me arma cepisse sine ratione: furor enim & ira mentem præcipitant.

DONATI.

IAM DEIPHOBI. Narratis quæ audierat, ponit quæ videbat.

EXORITVR CLAMORQVE VIRVM. Eo pertinet, quia dixit: *Tum vero manifesta fides &c.* Quantus autem fuit affectus Æneæ: qui nec somnio Hectoris admonitus, neque manifesta captivitate urbis deterritus, arma cepit?

AMENS. Omnibus adversis, mente turbata, non in fugam, sed in arma convertitur. Et quærit manum sociorum, quibus arcem, amissis jam mœnibus defendat.

FVROR IRAQVE. Optime posuit. Quicquid enim præcipitanter urgetur, non quo animus voluerit, sed in eam partem cadit, in qua ruinæ pondus adduxerit.

VARIORVM.

IAM PROXIMVS ARDET. Proverb. *Tua res agitur.* HART.

PROXIMVS ARDET VCALEGON. Id est Vcalegontis domus. Est autem in nomine significatio hominis incurii & res suas negligentis, ab οὐκ ἀλέγων. NANNIVS.

VCALEGON. Iliad. 2. Homer. Et Erasmus in copiis, lib. 1. c. 22. ἤντε πῦρ ἀΐδηλον, ὡς ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ, &c. HART.

EXORITVR CLAMORQVE VIRVM, CLANGORQVE. Rem ordine describit: & si clamor Græcorum est (ut mihi quidem videtur, quia subdit, *clangorque tubarum*) allusio est ad militarem cum Græcorum, tum etiam Romanorum consuetudinem, qui ut magis hostem terrerent, clamores horrendos attollebant, NASCIMB.

Præ-

Præcipitant; pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivûm,
Panthus Otriades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad littora tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
Venit summa dies & ineluctabile tempus

SERVII.

SVCCVRRIT. Ratio viri fortis, quid enim aliud à bono cive & forti, amissa patria possit impendi. & SVCCVRRIT, In animum venit.

ELAPSVS. Verbum aptum his, qui vix evaserunt.

PANTHVS OTHRIADES. Everso Ilio ab Hercule, & occiso Laomedonte, Priamus judicans vitio potius loci, quam ira deum calamitatem accidisse patriæ, misit Delphos filium Antenoris scitaturum, an eversum Ilium fas esset hisdem erigi fundamentis. Erat eo tempore Apollinis Delphici sacerdos Panthus Othriadis filius miranda pulchritudine, hunc filius Antenoris, ut dicitur, amore captus, rapuit, & Ilium perduxit, cujus injuriam Priamus volens honore pensare, sacerdotem eum Apollinis fecit, ut quo honore insignis apud suos fuerat, eo apud alios non esset inferior.

ARCIS PHOEBIQVE SACERDOS. Aut subrogatum intelligimus: aut quod melius est, morem Romanum tangit. In Capitolio enim omnium deorum simulachra colebantur. Vt sit illius Apollinis sacerdos, qui in arce colebatur. Ideo addidit alterius, id est arcis quasi arcani, quia ipsum esse dicunt urbium conditorem. aut ARCIS Minervæ accipiamus.

SACRA MANV. Omnino verum, quod Hector dixerat, *Sacra suosque tibi commendat Troia penates.* VICTOSQVE DEOS. Qui egebant sacerdotis auxilio. Simul & Æneæ excusatur abscessus.

IPSE TRAHIT. Id est qui numina liberat, inter pietatem religionemque districtus: Et est septima syllepsis. *Trahit* enim, licet ad nepotem pertineat, tamen & superiora concludit. CVRSV. Legitur & cursum. AD LIMINA. Æneæ & religio laudatur, & virtus.

QVO RES SVMMA LOCO PANTHV? Respublica, id est universus status quo loco positus. & bene civis utilis, de Repub. primum sollicitus est, sed hoc totum admirantis est, non interrogantis, & *Panthu* vocativus est Græcus. QVAM PRENDIMVS ARCEM? Cum tu eam relinquas. Non enim plures erant arces. Vnde admirantis est. *Prendimus* autem, occupamus. Et notanda simul orationis brevitas, quæ in pericula congruit.

GEMITV. Vt ostendat luctuosam rem se esse dicturum.

SVMMA DIES. Vltima, aut suprema, ut *supreme Iupiter.* dies autem si fœminino genere ponatur, tempus significat: ut, *Quam nec longa dies*: si masculino vero ipsum diem. Et de masculino genere tria observanda sunt: in qualitate, numero, adverbio. In qualitate, serenus si dies, non serena. Numero, *Bis quinos silet ille dies, non Bis quinas*: Adverbio, hoc die, non hac die. Cæterum diecula nihil præjudicat, quia multa diminutiva recedunt à nominibus primæ positionis, ut scutum, scutella: canis, canicula: rana, ranunculus. INELVCTABILE. Quod nemo eluctari possit ut effugiat, cum decem annis luctati simus.

DONATI.

PVLCHRVMQ. MORI. Non erat spes victoriæ, sed armatus magis quam inermis, pulchram mortem ignominiosæ vitæ præponebat.

ECCE AVTEM. Adventu Panthi spem conceptam arcis defendendæ amittit. At ille non metu hostili deterritus erat, ut non ferret secum quicquid deorum in arce colebatur. Portabat enim sacra, & deos victos, ut ostenderet humanum auxilium adversus eam vim non fuisse necessarium, cui ipsi quoque dii resistere pro se non potuerant.

AMENS. A tutis exclusus, ad intuta fugiens, ostendebat plenam amentiam.

QVO RES SVMMA. Interrogatio brevis, pro ratione temporis sumpta. Quæsita etiam pro persona fugientis, & pro ejus, qui licet adversa maturarent, tamen scire cupiebat. *Summa*, rerum est bonorum & malorum. Concinna diffinitio, qua celerius exprimi possint adversa, vel prospera.

QVAM PRENDIMVS ARCEM. Arx est secunda defensio, ut evictis muris ipsa succedat. Recte ergo quæsitum *quam prendimus arcem?* Intelligebat enim ex fuga Panthi, arcem captam, neque aliam præterea esse.

VIX EA FATVS. Prædicanda artificiosa subtilitas poëtæ in respondendo. Iisdem enim verbis, & eadem brevitate, & instruxit inscium, & quæ summa esset rerum, perdocuit. Ille enim: *Quo res summa loco Panthu?* Hic: *Venit summa dies & ineluctabile tempus*, quod luctando superari non potest.

VARIORVM.

PVLCHRVMQVE MORI SVCCVRRIT. Homer. Iliad. ω. ὡ ἐν ἀϊκείῃ ἀρηϊκταμένῳ πάντα καλὰ τεθνηῶτι. HARTVNG.

ARCIS PHOEBIQVE. Si arcis, in qua Pallas colebatur, quomodo *Phœbi sacerdos?* Respondemus, alios etiam deos in arce coli solitos: sicut Romæ in Capitolio, quod Iovis erat, omnes dii colebantur. NASCIMB.

VENIT SVMMA DIES. Erasmus in copiis lib. 1. cap. 3. HART.

Dardaniæ: fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus astans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans. portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.
Obsedêre alii telis angusta viarum

SERVII.

DARDANIÆ. Trojæ. aut à Dardano Iovis & Electræ filio, quem quidam ab Arcadia profectum venisse ad Phrygiam volunt: Alii de Samothracia ad memorata loca venisse dicunt, qui ex nomine suo Dardanos populares appellavit: qui ex Samothracia Trojam penates dicitur detulisse, quos post secum Æneas ad Italiam vexit: Nam & Samothraces horum Penatium Antistites suos vocabant, qui postea à Romanis Salii appellati sunt, hi enim sacra penatium curabant; quos tamen penates, alii Apollinem & Neptunum volunt, alii Astatas esse, & in regia positos tradunt. Tusci penates Cererem, & Palem, & Fortunam dicunt, aut certe secundum Sallustium, *A rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit.*

FERVS IVPPITER. Summæ necessitatis est, quoniam cum esset sacerdos, in convitia ruit deorum: quod servat Virgilius ne unquam tradat Æneæ. FERVS. Invidiose dictum est, & ad tempus epitheton. Nam Iuppiter æquus est omnibus; ut, *Rex Iuppiter omnibus idem.* Hinc & paulo post, *Ipse deos in Dardana suscitat arma*, Hoc est, qui æqualis esse consuevit.

ARGOS TRANSTVLIT. Quasi dicat, qui defendas quod Iuppiter transtulit.

ARDVVS. Incultus, ut, *Illi ardua cervix*, & ideo *Dimissum lapsi per funem.* MEDIIS IN MOENIBVS. Vbi arx fuerat. ASTANS. Pro stans: & est Prothesis.

FVNDIT EQVVS. Homerus ἵππων ἐπεμβεβαῶτες. Et ad voluntatem & ad multitudinem, & sonora, quasi adhuc descendant.

VICTOR. Propositi effector: ut, *Rapidusque rotis insistere victor.* MISCET. Scilicet cædibus.

INSVLTANS. Non dicit illis Græcos insultare, sed Sinonem, qui illis muros patefecerat dolis; & *insultare* est in alienum dolorem gaudere, *exultare* vero gaudere. BIPATENTIBVS ADSVNT. Quia geminæ sunt portæ. Et quidam bipatentibus præsumptum accipiunt, quia, *bi*, particula non præponitur, neque verbis neque participiis Nemo enim Bipateo & bipatens, sed præponitur appellationibus, ut bipennis.

MILLIA. Subaudi tot, & est ἀνανταπόδοτον. Nam dixit quot, cum non præmiserit tot. Et ita vel augendi gratia, vel perturbatus dicit, tantos esse Græcos, quanti olim venerint, quasi nemo perierit decennali bello. VNQVAM. Pro quondam.

ANGVSTA VIARVM. Angustas vias, id est vicos, ut, *Strata viarum.*

DONATI.

DARDANIÆ, FVIMVS. Petiit quicquid apud nos erat.

INGENS GLORIA TEVCRORVM. Petiit quicquid apud nos floruit.

FERVS. Nam in adversis etiam deos male tractamus. FERVS. Quia omnibus ad Græcos traductis, nihil nobis reliqui fecit. ARGOS. Non ad Argos, id est Græcos, sed in eam urbem.

DOMINANTVR. Non pugnant, sed ardente urbe, securi de victoria, dominantur.

FVNDIT. Nam quamvis jam fudisset, tamen ex perturbatione animi, adhuc equum fundere armatos putabat.

INSVLTANS. Refert gratias, nam interventu ejus, Trojani certabant illudere capro. PORTIS BIPATENTIBVS. Ostendit unam portam, quæ ingredientibus atque egredientibus in muris præparata fuerat: alteram, quæ dirutis muris fuerat patefacta, ut equi moles immensa posset induci. Per has portas dixerat poëta immissos hostes: ut, *omnes accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.* Verum Panthus eadem ratione adhuc immitti dicit.

OBSEDERE. Causa ponitur cur Æneas & Panthus fugere non possent.

VARIORVM.

FVIMVS TROES. Πάθος à fortunæ commutatione, quasi amplius non sint, omnisque Trojanorum sit extincta salus: & queritur Trojanos à sublimi fortuna ad extremam calamitatem esse redactos. NASCIMB.

OMNIA IVPITER ARGOS TRANSTVLIT. His verbis præter evocationem, de qua infra, etiam vim devotionis, in qua præcipue Iupiter invocatur, Virgilium voluisse ostendere, affirmat Macrob. lib. 3. c. 9. Vrbes autem exercitusque sic devovebantur, numinibus evocatis: & Ductores, Imperatoresque soli devovere poterant. PONTAN.

DANAI DOMINANTVR. Macrob. lib. 5. c. 1. Copiosum dicendi genus. HARTVNG.

FVIMVS TROES. Proverb. pete: *Fuimus Troës.* HARTVNG.

FERVS OMNIA IVPITER. Macrob. l. 3. c. 9. HARTVNG.

MILLIA QVOT. Ἀνανταπόδοτον, neque enim præmissum dicitur.

Oppo-

Digitized by Google

Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte resistunt.
Talibus Otriadæ dictis, & numine divum
In flammas & in arma feror: quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Ripheus, & maximus armis
Iphitus, oblati per Lunam, Hypanisque, Dymasque,
Et lateri adglomerant nostro: juvenisque Chorœbus
Mygdonides, illis qui ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore:
Et gener auxilium Priamo, Phrygibusque ferebat.

SERVII.

STAT. Aut horret: ut, *Stant lumina flamma:* Aut stat, adstantibus in medio armatis tenetur. FERRI ACIES. Bene addidit ferri, quia homonymum est *acies*, & multa significat, ut exercitus, ferri, oculorum.

STRICTA. Nuda. Vnde & distringere dicimus. VIX. Modo ægre. PRIMI. Vel in primo introitu collocati, vel periculo primi.

CÆCO MARTE. Aut confusa pugna; aut nocturna: aut epitheton Martis est, cujus exitus semper incertus est. Aut quia cæcantur animæ & agmina pugnantium.

OTRIADÆ. Patronymici genitivus; nam Panthus Otriadis filius fuit. NVMINE DIVVM. Subaudis *tali*, hoc est mala injiciente desideria. Nam paulo post ait: *Vadimus immixti Danais, haud numine nostro.* Cum ergo hoc esset, tamen omisso consilio, *in flammas, & in arma feror.*

ERINNYS. Impatientia animi hoc loco, quæ in furorem impellit.

FREMITVS. Perturbatio. ET SVBLATVS. Et, unde sublatus.

ADDVNT SE SOCIOS. Non dixit quæro socios, sed *addunt se*, ut ipse ab illis videatur esse quæsitus.

OBLATI PER LVNAM. Agniti per Lunæ splendorem.

ADGLOMERANT. Adglomerantur; ut, *Nox humida cælo Præcipitat.* CHOROEBVS MYGDONIDES. Hic filius Mygdones & Anaximenæ fuit. Ergo patronymicum. Nam si gentis esset, Mygdonius diceretur. Nullius enim gentis nomen in DES exit? Hunc autem Chorœbum stultum inducit Euphorion, quem & Virgilius sequitur: Dans ei, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Quum sit turpis dolo quæsita victoria.

ILLIS AD TROIAM. Deest qui.

INSANO AMORE. Aut perpetuum Epitheton amoris est, ut, *Nunc insanus amor*, aut *insano*, magno, ut *Insano juvat indulgere labori.* aut *insano*, quia belli tempore amabat Chorœbus.

ET GENER. Gener dicitur & qui est, & qui esse vult; ut hic indicat locus, vel certe secundum spem illius, Neque enim jam, nam ideo subjunxit *sponsæ*: Sic dicitur etiam maritus, Nam inde est, *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos.*

DONATI.

NVMINE DIVVM. Nam sic sum accensus verbis Panthi, quasi deorum numine sim afflatus.

CLAMOR. Ergo ibi major erat cædes, unde mors facilior.

ADDVNT SE SOCIOS. Ne narratio multorum nominum, ex similitudine fiat odiosa, mirifice distinguit interpositione verborum: sed ordina, *Addunt se socios & lateri adglomerant nostro, oblati per lunam Ripheus, Iphitus, Hypanis, Dymas, & Corœbus per lunam.* Nam principium hujus noctis luna caruit, sequentia habuerunt.

VARIORVM.

PARATA NECI. Active, ad necem aliis parandam. SCALIG. lib. 4. cap. 16. VIX PRIMI PRÆLIA TENTANT. Hæc tum apertam commiserationis vim habent, tum occultam etiam Æneæ commendationem retinent à magnitudine animi: cui licet horrenda ac vehementer fugienda referantur, tamen intrepidus, ut fortem virum decet, prælium ciet, ac strenue dimicat. NASCIMB.

ET CÆCO MARTE RESISTVNT. Ancipiti prælio: ad Trojanorum laudem: quorum etsi mira paucitas adversus plurimos pugnabat, ita tamen egregie atque audacter dimicabat, ut prælium sæpe dubium, ancepsque victoria esset. NASCIMB.

IN FLAMMAS ET IN ARMA FEROR. Olim cum bellum exitiale nostri majores significabant, *ferro flammaque rem geri* dicebant. Cicer. in Orat. pro Flacco. NASCIMB.

QVO TRISTIS ERINNYS. *Tristis* autem *Erinnys* furorem bellicum significat, non *animi impatientiam*, ut perperam sentiunt interpretes: sic Lucanus in 4. furorem civilis belli *Erinnym civilem* appellat. NASCIMB.

CHORÆBVS. Proverb. *Chorœbo stultior.* H.

INSANO CASSANDRÆ. Macrob. lib. 5. c. 5. Homer. Iliad. ν. ᾔτει δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην Κασσάνδρην ἀνάεδνον. Simile est de Rhæso in Euripide. HARTVNG.

Infœlix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi consertos audere in prælia vidi;
Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra,
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi; quæ sit rebus fortuna videtis.
Excessere omnes, adytis arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat: succurritis urbi
Incensæ: moriamur, & in media arma ruamus.
VNA SALVS victis nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. inde, lupi ceu

SERVII.

INFELIX. Quem mox manebat interitus, vel infelix causæ suæ, vel qui sponsam non audierit. PRÆCEPTA. Propter illud, *Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris.* FURENTIS. Vaticinantis.

INCIPIO SUPER HIS. His incipio, id est verbis. SUPER autem, Insuper: quia jam audebant, unde paulo post, *Furor additus.* IUVENES FORTISSIMA FRUSTRA. Ordo talis est, Iuvenes fortissima pectora, frustra succurritis urbi incensæ; quia excesserunt omnes dii. Vnde si vobis cupido certa est me sequi audentem extrema. MORIAMUR, ET IN MEDIA ARMA RUAMUS. Alii *sequi*, pro sequendi accipiunt. Obscuritatem autem facit hoc loco & synchesis, id est hyperbati longa confusio, & est falsa lectio. Nam multi AUDIENDI legunt, multi AUDENTIS. Sed neutrum procedit. Ergo AUDENTEM legendum est, & ista sententia synchesis est, Id est hyperbati longa confusio.

EXCESSERE. Quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia. Inde est quod Romani celatum esse voluerunt, in cujus dei tutela Vrbs Roma sit, & jure Pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint. Et in Capitolio fuit clypeus consecratus, cui scriptum erat, *Genio urbis Romæ sive mas sive fœmina.* Et Pontifices ita precabantur, *Iupiter optime maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris:* Nam & ipse ait, *Sequimur te sancte deorum, quisquis es.*

QUIBUS. Subaudis auxiliantibus vel per quos stetit.

MORIAMUR ET IN MEDIA ARMA RUAMUS. ὕστερον πρότερον. Nam ante est in arma ruere & sic mori. Bene tamen *moriamur*, opportuniore loco posuit: ante enim dixerat, *Quæ sit rebus fortuna videtis.*

UNA SALUS VICTIS, NULLAM SPERARE SALUTEM. Plerumque desperatione robur augetur, ut Statius. *Et ubi dat vires nimius timor.* Item, *Scimus mortem captivitatis esse remedium.* Hoc ergo suadet, ut aut desperatione vincant; aut vitetur morte captivitas. SALUS. Nunc remedium.

LUPI CEU. Ad ferocitatem pertinet. Ordo tamen est, ceu lupi, & est hoc dictum ab exemplo. Sane apud veteres lupus promiscuum erat; ut Ennius, *Lupus femina fœta repente.* Et bene belli negotium lupo comparavit, qui est in tutela Martis dei bellici.

DONATI.

IUVENES. Ordo est: *juvenes fortissima pectora, Quæ sit rebus fortuna videtis. Excessere omnes adytis, arisque relictis Dii, quibus imperium hoc steterat, frustra succurritis urbi incensæ. Si vobis audendi extrema Cupido, eamus & moriamur, & in media arma ruamus. Vna salus victis nullam sperare salutem.* Ergo juvenes fortes estis, & prompti: sed auxilium vestrum incensæ urbi quid proderit? sed una est salus victis, si salutem quam tueri non possunt, desperando contemnant.

INDE LUPI CEU. Mira comparatio. Lupus enim improbus & sævus est, & in prædam intentus, præsertim cum catulos habet: cui quidem aptissimæ tenebræ sunt ad complendas insidias: sic & nos, auxilio unico noctis, in hostes ferebamur.

VARIORUM.

EXCESSERE OMNES ADYTIS, &c. Hos versus Servius & Macrob. referendos censuerunt ad veterem quandam Romanorum consuetudinem, qui cum obsiderent urbem hostium, eamque capi posse confiderent, certo carmine evocabant tutelares illius deos: quod aut aliter urbem capi non posse crederent: aut etiam si posset, nefas existimarent, deos habere captivos. Ego vero salvo aliorum judicio hanc veriorem & simpliciorem puto. ea nocte qua capta Troja est, visos esse deos Æneæ, exeuntes è templis, & simulacra sua asportantes. MURETUS.

EXCESSERE OMNES ADYTIS. Hi versus sapere videntur priscorum ritus & superstitionem; qui in urbium obsidione, ne θεομαχεῖν viderentur, antequam machinas ullas muris admoverent, conceptis carminibus deos tutelares φυλακτῆρας mitigare & evocare solebant. Vide autem de sacrorum evocatione, & qualiter olim fieri sit solita, Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 9. GERM.

LUPI CEU. Hom. Iliad. δ. λύκοι ὣς ἀλλήλοις ἐπόρουσαν. Et π. Iliad. οἱ δὲ λύκοι ὣς ὠμοφάγοι.

Rapto-

Digitized by Google

Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis: per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem: mediæque tenemus
Vrbis iter: nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, & relligiosa deorum
Limina. nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
QVONDAM etiam victis redit in præcordia virtus;

SERVII.

RAPTORES. Ab actu. ATRA IN NEBVLA. Ab occasione: vel certe nocti comparavit. IMPROBA VENTRIS. A necessitate, & sane duplici; una, *Quos improba ventris Exegit cæcos rabies*; altera, *Catulique relicti Faucibus expectant*.

EXEGIT. Exclusit, de latebris scilicet: ut Terentius, *Spectanda an exigenda sint vobis prius.* „ CATVLI. Hoc ad liberos & conjuges pertinet. „ Sane *catuli*, non solum canum sed & serpentum, „ ut, *Catulos tectis, aut ova reponit.* Plautus etiam „ suum, *Et ego te conculcabo ut sues catulos suos.* RELICTI. Deserti & destituti; ut, *Cui pauca relicti jugera ruris.*

FAVCIBVS EXPECTANT SICCIS. Nimia cupiditate aperiuntur.

„ MEDIÆQVE TENEMVS VRBIS ITER. „ Hoc ad audaciam pertinet, & contra ubi de timo- „ re agit: *Namque avia cursu Dum sequor & nota* „ *excedo regione viarum.*

CAVA VMBRA. Bonum epitheton. Naturale enim est, ut obscurum sit omne concavum; vel *cava*, inani, & hinc apparet occidisse jam lunam. Nam ideo & Androgeos falsus est.

QVIS. Etiam Græcorum: ut, *Quis talia fando.* „ Et bene interrupta narratione exclamavit, ut affectum moveret. LACHRYMIS ÆQVARE LABORES? Hypallage, pro, laboribus æquare lachrymas; ut, *Dare classibus austros*.

VRBS ANTIQVA. Vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnasse firmatur: & quod est *antiqua*, ipse subjunxit, *Multos dominata per annos*. Sane hoc dolentis est, non narrantis.

STERNVNTVR INERTIA PASSIM. Aut non repugnantia; ut, *pecora inter inertia votis Optat aprum.* Aut inertia dum occiduntur; ut, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*: hoc est avertendo ostendis imbellem. RELLIGIOSA. aut „ per somnum inertia. *Religiosa*. Gradatim ascendit, „ vias, domos, templa, videtur enim & de diis invi- „ diam facere, qui templa sua violari cadaveribus passi „ sunt. Sane *religiosus*, & homo dicitur attentus ad „ religionem, & locus qui divinum cultum & vene- „ rationem meretur. Ergo *religiosa*, religionis plena, Significat etiam metum. Relligio enim scribi debet „ propter metri necessitatem. „

POENAS DANT. Moriuntur indigne: hoc enim proprie significat. ut, *Heu nimium virgo, nimium* „ *crudele luisti Supplicium.* Item, *Nunc pareat Teu-* „ *crisque suo det sanguine pœnas.* „

QVONDAM. Hic præteriti temporis est. REDIT IN PRÆCORDIA VIRTVS. Atqui ait Horatius, *Nec vera virtus cum semel excidit, curat reponi deterioribus.* Sed sententiæ non semper generales sunt: sed interdum pro negotiorum qualitate formantur.

DONATI.

QVIS CLADEM ILLIVS NOCTIS? Vt supra. *quis talia fando Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Vlyssi.*

VRBS ANTIQVA. Dolet quod periit patria. ANTIQVAM. Nobilem & maximi meriti veteres posuerunt. Comparat ergo tempus, quod felicitas tot annorum unius noctis spatio absumpta est. Ergo cum perdita gemeret, vehementer movebat, tam longum spatium una nocte absumptum. Adjecit miseranda: quorum alia significabant indignitatem rerum, alia crudelitatem hostium, alia sacrilegia in deos. Indignitatem, quod cæsi opplerent vias, quod proprias domos, quod per templa, quod pertinet ad sacrilegium. Ergo eo processerunt Trojanorum mala, ut qui hostiarum sanguine deos placare consueverant, ii suo cruore eorum templa fœdarent.

NEC SOLI. Excusantur Trojani: hoc tamen ad victoriam non poterat esse, sed erat ad solatium.

VARIORVM.

FAVCIBVS EXSPECTANT. Cælius lib. 27. cap. 18. HARTVNG.

VRBIS ITER. Macrobius lib. 5. cap. 5. Iliad. κ. βὰν ῥ' ἴμεν ὥστε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν. Et Iliad. μ. βῆ ῥ' ἴμεν ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅς ἐπιδευὴς δηρὸν ἔῃ κρειῶν. HART.

VRBS ANTIQVA RVIT. Exemplum brevitatis. Erasmum in Copiis pete. HART.

Digitized by Google

Victoresque cadunt Danai. crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Primus se Danaûm magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens,
Inscius: atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate viri. nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum à navibus itis?
Dixit; & extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit:
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens; trepidusque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis & circumfundimur armis:

SERVII.

VICTORESQVE CADVNT DANAI. Generaliter dixit *victores*, & ad fortunam partis rettulit quæ vincebat, neque enim victores erant qui cadebant. CRVDELIS VBIQVE LVCTVS, VBIQVE PAVOR. Aut utrobique, id est & apud Græcos, & apud Trojanos, aut *ubique*, per totam civitatem.

PLVRIMA MORTIS IMAGO. Aut definitio timoris est, aut varietas mortis ostenditur hic, id est gladio, igni, ruina. Alii intelligunt *plurima mortis imago*, aut frequentissima, aut præsentissima.

ANDROGEOS. Græca est & Attica declinatio. Vnde est, *In foribus lethum Androgeo* τὸν ἀνδρόγεω.

VIRI. Increpantis est, ut solet in milites dici.

SERA SEGNITIES. Quæ seros facit, id est tardos: ut, *Mors pallida.* Sane *segnities* juxta antiquos dictum est, nam modo segnitia dicitur; segnis autem est proprie frigidus sine igni, ut securus sine cura; sedulus sine dolo. FERVNTQVE PERGAMA. ἐμφατικῶς. Quasi ipsam funditus civitatem in victoriam suam transferunt: ut, *Ilium in Italiam portans victosque penates.* ITIS. Pro venitis. ut è contra Terentius, *Nisi ego ad mercatum venio*: pro eo.

FIDA SATIS. Bene addidit fida, ut ostenderet symbolum, quo utebantur in bello. Ergo non dixit fidelia, sed quæ ad fidem habendam pellicere non possent. MEDIOS. Manifestos; ut *Medioque ex hoste recepi.* Ordo autem est, sensit in medios hostes se esse delapsum. Ergo DELAPSVS nominativum pro accusativo posuit. ut Horat. *Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus*, pro ait se dignis paratum esse.

RETROQVE REPRESSIT. Aut retro vacat, aut in repressit, RE, vacat. Sed veteres retro repressit dicebant, ut, *Nec nos obnixi contra.*

ASPRIS. Synæresis est, ut, *Compostus.* ANGVEM. πολυσχημάτως Homer. δράκοντα dixit.

HVMI NITENS. Vel tenens, incedens per humum. & est adverbium.

HAVD SECVS. Non aliter dicebant veteres, secus & juxta, unde & extrinsecus. ABIBAT. Bene imperfecto usus est, non enim abiit. TREPIDVS. Vel pavens, vel festinans.

DONATI.

ALII RAPIVNT INCENSA. Observat militarem disciplinam, quæ est ut primum victoria gloriaque obtineatur, deinde in prædam eatur. Ait igitur Androgeos, jam bellum confecimus, nos, qui prædam egimus de hostibus victis.

VARIORVM.

PRIMVS SE DANAVM. Vult autem Poëta innuere, omnem conatum humanum irritum esse ac frustra, ubi fata reluctant. HORTENS.

ANDROGEOS OFFERT. Exemplum falsæ opinionis simile est, Iliad. ρ. in Hectore induto Panoplian Achillis. H.

ALII RAPIVNT INCENSA FERVNTQVE. Pro *diripiunt*; simplex pro composito. Trita vulgo & proverbiali figura ab authoribus usurpata, ἄγουσι καὶ φέρουσι, pro eo quod est, hostili more diripiunt, populantur aut vexant. Lucianus dixit, ἄγει καὶ φέρει, pro eo quod est, suo arbitratu quo vult trahit. Sic Tacitus de Oratoribus, *Nunc principes in Cæsaris amicitia agunt feruntque cuncta: atque ab ipso principe cum reverentia quadam diliguntur.* PONTANVS.

IMPROVISVM ASPRIS. Duriuscula syncopa, pro, *asperis*; nisi Creticum malis admittere. HARTVNGIVS.

ANGVEM. Macrobius lib. 5. cap. 5. Hom. Iliad. γ. ὡς ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη, &c. HARTVNG.

Igna-

Ignarosque loci passim, & formidine captos
Sternimus: aspirat primo fortuna labori.
Atque hìc exultans successu, animisque Chorœbus,
O socii, quà prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.

SERVII.

IGNAROSQVE LOCI. Palantes, & his circumstantiis ostendit, à paucis plures potuisse superari: Ordo est, passim sternimus.

ASPIRAT. Favet; ut, *Adspirant auræ in noctem.* Vnde & favor & aura dicitur: ut, *Gaudens popularibus auris.* PRIMO. Quæ postea non fuit.

SVCCESSV EXVLTANS. Fœlicitate: quod est stultitiæ.

QVA PRIMA INQVIT FORTVNA. Non quæ prima, sed qua primum. Est autem hypallage; ut, *Ibant obscuri sola sub nocte*: pro ipsi soli. Quæ fit non ornatus caussa; ut, *Pars in frusta secant*: sed necessitatis. FORTVNA. Bene fortuna, neque enim consilio Androgeos occisus est. SALVTIS. Efficax adhortatio.

DEXTRA. Vel fortuna dextra, auctrix, propitia: ut læva, contraria: aut dextra, ad manum referendum.

CLYPEOS. Scuta majora quibus latemus, ἀπὸ τῦ κλέπτειν τὸ σῶμα. INSIGNIA. Arma omnia.

DOLVS AN VIRTVS QVIS IN HOSTE REQVIRAT? Videtur deesse aliquid, ut puta, Dolus an virtus in bello proficiat, quis in hoste requirat?

ARMA. Subdistingue, ut sit quasi interrogantis: Vt responsio, *Dabunt ipsi.* COMANTEM. Aut cristatam, quia de caudis animalium habebant cristas, ut, *Cristaque hirsutus equina.* Aut comas habentem, ut Statius; *Non ego in terga comantis Abantiadas.*

ANDROGEI. Modo Latine declinavit, alibi Græce, *Letum Androgeo.* INSIGNE DECORVM. Ornamentum decorum. Non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Fecit hoc tamen Virgilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt; ut, *Lenta quibus torno facili superaddita vitis.* cum ante FACILIS fuerit. Sane clypei insigne [illegible] pro clypeo.

INDVITVR. Quia multa inerant in scuto lora, quibus manum inserebant; ut, *Clypeoque sinistram Insertabam aptans.* ACCOMMODAT. Mire accommodat ut ignorares quorum esset.

HOC IPSE. Multi hic distinguunt, & ad Æneam referunt. & ideo subjungit, *Cum spoliis se quisque recentibus armat.* Alii, *Hoc ipse Dymas*, distinguunt, ut ignotis personis addita dignitas videatur, ut est, Quos Imbrasius ipse nutrierat, & repetitum. HOC, emphasis properantium non figura (* vel rei) epanalepsis à quibusdam traditur.

LÆTA. Quod est [illegible].

DONATI.

RECENTIBVS. Quia nuper erant detracta mactatis.

VARIORVM.

IGNAROSQVE LOCI. Ostendit his adjunctis, à paucis plures potuisse sperari, quia videlicet, qua irent, qua non irent, nesciebant, nocte præsertim: & inde eos timor invadebat. Cum timidis autem, locorumque ignaris secure pugnatur. PONTANVS.

CHOROEBVS. Exemplum juvenilis temeritatis. Vide Ianum Parrhasium, in Claudianum interpretem, diligentissime. HARTVNG.

DOLVS AN VIRTVS QVIS IN HOSTE. Dolo vincere hostes, laudabile sit nec ne, viderint alii. Equidem si de laude ipse certarem dolis minus uterer: cum de vita & salute dimicatur, dicerem cum poëta, dolus an virtus, quis in hoste requirat? Agesilaus ille Lacedæmonius sentiebat, fœdus frangere impium esse: hostem vero dolo vincere, non justum modo, sed etiam honestum & jucundum. Ac quoniam etiam hostes ipse dolis innituntur, malo nodo (ut est in proverbio) malus cuneus. Et quidem ista duo militis officia esse putantur, aut insidias facere, aut manu cum hoste confligere. VIPERANVS lib. de rege & regno cap. 19.

DOLVS AN VIRTVS IN. Proverb. *Si Leonina pellis non satis est, assumenda vulpina.*

SIC FATVS. Chorœbus consilium suum primus exequitur: ut non solum verbis, sed re ipsa etiam socios hortari videatur. Nam in hujusmodi negotiis facta magis, quam oratio movere solet. Id effectus comprobavit: omnes enim adducti exemplo ejus, ad dolos insidiasque se accingunt. NASCIMBÆNIVS.

Vadi-

Vadimus immisti Danaïs, haud numine nostro:
Multaque per cœcam congressi prælia noctem
Conserimus; multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naveis, & littora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, & nota conduntur in alvo:
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.
Ecce, trahebatur passis Priamëia virgo
Crinibus à templo Cassandra, adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

S E R V I I.

IMMISTI. Vacat IN, ut solet frequenter. HAVD NVMINE NOSTRO. Aut diis contrariis. Hoc est haud nostro, non nobis utili. Et ideo paulo post, *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis*: ut est, *Nec dii texere Cupentum Ænea veniente sui*: Aut in scutis Græcorum Neptunus, Trojanorum fuerat Minerva depicta.

CONGRESSI PRÆLIA. Bellum est totum tempus, ut Iugurthinum, Punicum, Macedonicum. Pugna unius diei. Prælium pars pugnæ.

CONSERIMVS. Id est adversa fronte pugnavimus, ne forte nulla virtus videretur Trojanorum, si dolo pugnassent.

FIDA PETVNT. Sibi scilicet. FORMIDINE TVRPI. Epitheton timoris. sic Salust. *Carbo turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit.*

CONDVNTVR IN ALVO. Nondum eunt, sed eum esse cœperint. Vnde & ablativo usus est, non accusativo, ut, *Conditus in nubem*. Tale est hoc, quale illud, Includuntur in carcere; & includuntur in carcerem.

HEV NIHIL INVITIS FAS QVEMQVAM FIDERE DIVIS. Generalis quidem sententia est, sed hoc loco congrua, sequitur enim & Cassandræ captivitas fidentis sacerdotio, & præcesserat armorum mutatio, quæ nunc deprehenditur, alioquin vitiosa est, cum discrepat à specialitate: est autem catasceue, non potuisse eos vincere, quamvis fortiter dimicarent. ECCE TRAHEBATVR. Bene dissimulavit de stupro Cassandræ.

PASSIS. Vt quidam volunt sacris, quæ sic vaticinari soleret, ut si diceret sacris. PRIAMEIA. Patronymicum quidem est, sed species possessivi. Priameis vero tantum patronymicum est, sicut Priamides. Et bene virgo non filia.

ADYTISQVE. Ostendit illam sacerdotem esse: non enim accedunt ad adyta, nisi religiosi sacerdotes. & ἐμφατικῶς, quasi non sufficeret à templo, addidit *adytis*.

TENDENS ARDENTIA LVMINA. Quod est manuum, oculis dedit. Solent enim homines in magnis molibus manus ad cœlum tendere. FRVSTRA. Secundum Epicureos; & est separatum.

ARCEBANT. Continebant, vel prohibebant.

D O N A T I.

DIFFVGIVNT ALII. Nam qui non penitus turbati erant, fugiebant ad littora: qui autem erant amentes, timore scandebant rursus equum.

HEV NIHIL. Favebat nobis noster dolus, sed inefficax redditur. Nequicquam enim humana industria adversus dei voluntatem molitur, quod ostenditur in Cassandra. Sed singula notentur verba.

ECCE. Id est dum bene ac prospere nostra certamina procederent, repente apparuit, quod multiplici indignitate & scelere, nostros actus turbaret. Trahebatur per publicum, quam paterno merito, ac suo, non nisi cum honestis quidem officiis multorum decuit efferri.

CRINIBVS. Quod fuit virginalis verecundiæ factum profecto inimicum: *Trahebatur virgo*, virorum plurimorum manibus. *Trahebatur sacerdos*, manibus impiorum. *Trahebatur à templo*, & ab ipsius deæ penetralibus rapta, & manibus post terga constrictis: & quamvis hæc perferret, tendebat tamen ad cælum oculos, cum non posset manus, quod faciebat frustra. Quærebat enim in cælo ultores deos, quibus adversantibus imperium ceciderat: & eos, quorum cum domus esset Ilium, templis suis prodesse noluerunt aut non potuerunt. Collige ergo perpetrata primum in Cassandram crimina: quod *regalis*, quod *virgo*, quod *passis crinibus*, quos habuit ad ornatum, quod *per publicum*, quod *vincla*, quod *à plurimis*. In Deos vero, quod *à templo*, quod *sacerdos*, quod à conspectibus deæ. Horum alterum affinitatis causa, alterum regionis, quia antistes esset deorum, movere debebat Æneam. Non tulit etiam Corœbus, & reliqui illi morituræ succurrunt. Hinc error armorum, qui ante juvabat, nocere cepit. Nam à suis, putati Græci, telis, id est, lapidibus & similibus cædebantur.

V A R I O R V M.

DEMITTIMVS ORCO. Homerus Iliad. α. ἀΐδῃ προΐαψεν. HART.

ECCE TRAHEBATVR. Macrob. l.4. c.5. & 41 πάθος ex habitu. HART.

Non

Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine, telis
Nostrorum obruimur: oriturque miserrima cædes,
Armorum facie, & Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira,
Vndique collecti invadunt: acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, & lætus Eois
Eurus equis: stridunt sylvæ, sævitque tridenti,

SERVII.

HANC SPECIEM. Injuriæ faciem, quod Sacerdos, quod ab adytis, quod relicta, quod passis crinibus trahebatur. Cic. Philip. 2. *Ponite itaque ante oculos P.C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos nostros animos necessariam.* Sane *species*, medium est, Et mala enim & bona est. FVRIATA. Furiatus qui furit ex caussa; Furiosus vero est, à quo furor nunquam recedit, & est figura Græca *μαίνετο φρένας*. Quidam sane participium FVRIATA, à verbo figurato apud Horatium *furiare*, sic fortunare, sic scelerare. SESE. *αὐτὸς αὑτὸν.*

PERITVRVS. Melior sensus est, si ad dimicantis referatur affectum: sicut de Tarchonte, de quo dixit; *Et medios fertur moriturus in hostes*: Quum vicerit. & bene Chorœbum non suadentem, pugnandum potius fuerat, * quam loquendum. DENSIS. Catasceue, merito superati sunt à pluribus.

CVLMINE. Tecto: quod ante culmis tegebatur. ORITVR. Quasi aliud initium calamitatis.

CÆDES. Non prælium. MISERRIMA autem, quia inter cives.

FACIE. Veritate. IVBARVM. Pro cristarum, quæ de caudis fiebant: ut est, *Cristaque hirsutus equina.*

TVM DANAI. Ordo est, Vndique collecti invadunt. EREPTÆ. *Σχήματος ἀγνοίας.* Non enim dicit à Trojanis sublatam, qui intelligendum reliquit.

ACERRIMVS AIAX. Oïleus sine dubio; quia Telamonius judicio superatus, jam se peremerat. Incertum est ergo quando ab Ajace vitiata sit Cassandra, quod, sicut dicitur, in templo Minervæ factum est, constat post stuprum Cassandram protractam.

GEMINI ATRIDÆ. Pro duo: habet excusationem, quia fratres sunt propter similitudinem: Nam numeri esse non potest: GEMINI enim sunt proprie simul nati. EXERCITVS OMNIS. Bene excusat propter victi pudorem: ut, *Obruimur numero.*

ADVERSI. Contrario flantes.

EOIS EVRVS EQVIS. Ab Eois equis: unde equi Solis oriuntur. Nam Eurus ab oriente flat. Sciendum sane, quod cum Eous a naturaliter longum habeat; metri necessitate correptum est, propter sequentem vocalem. Rarum autem est. Nam nec proprium nomen est, ut *Diana*: nec sermo compositus, ut, *Sudibusve præustis.*

STRIDVNT SYLVÆ. Excursus poëticus: qui ultra tres versus fieri non debet, ne sit vitiosissimum. STRIDVNT. Quidam antique declinatum tradunt; ut sit prima verbi positio, Strido, stridis, stridit. Et faciat stridimus, striditis, stridunt, non strident. nos autem, strident dicimus, à strideo strides.

DONATI.

TVM DANAI. Compendium adhibet, ut non tantum ereptam virginem diceret, verum etiam multos hostes ob eam rem occisos: & connexuit præcipuorum nomina, & aliorum numerum generaliter posuit.

VARIORVM.

NON TVLIT HANC SPECIEM. Hinc colligi potest, quanta sit vis amoris, vel conjugii potius: quod vir neglecta morte, ut sponsam suam ex Græcorum servitute eripiat, in confertissimos hostes periturus ruit: unde ingens elicitur commiserationis affectus; tum ex adversa Chorœbi fortuna; tum ex insperato ipsius dolore, quem ex repentino & miserando Cassandræ sponsæ suæ casu contraxerat. NASC.

ET SESE MEDIVM INIECIT MORITVRVS IN AGMEN. Alludere videtur ad militarem Roman. morem: quorum Imperatores inclinata jam acie interdum diis, manibusque pro totius exercitus, Populique Rom. salute se devoventes, in hostium copias ruebant morituri. Livius lib. 8. Quod vero ait INIECIT. difficultatem designat penetrandi in confertissimos hostes. NASCIMBÆN.

ARMORVM FACIE, &c. Excusatur civium in cives crudelissimum factum, ignorantiæ merito. hos enim, armorum hostilium facies, non voluntas propria in scelus impulerat. D.

QVONDAM TVRBINE VENTI. Macrobius lib. 5. c. 13. Iliad. 9. *ὡς ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα βορέης καὶ ζέφυρος.* HART.

Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quis obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent; primi clypeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero: primusque Chorœbus
Penelei dextra divæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit & Ripheus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.
Diis aliter visum. pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi à sociis. nec te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,

SERVII.

SPVMEVS. Pro spumosus. Vt frondea, pro frondosa. ATQVE IMO. Abminal est * id est ab imo. Ab imis est. ILLI. Propter illud, *Hic primum ex alto.*

OBSCVRA NOCTE PER VMBRAM. Per umbram noctis obscuræ: ut, *Molemque & montes.*

FVDIMVS. Modo fugavimus. Nam sequitur, *totaque agitavimus urbe.*

TOTAQVE. Per totam. AGITAVIMVS VRBE. Alibi interemimus.

MENTITAQVE TELA. Hoc est, quæ nos Græcos esse mentiebantur; ut solet, sensum dedit rei inanimatæ: Non enim illi poterant tela mentiri.

SONO DISCORDIA. Sono discrepantia. SIGNANT. Designant: aut per vocem, aut per symbolum, quo utebatur exercitus.

ILICET. Confestim, mox: sed apud veteres significabat, actum est. Olim enim Iudex, si dare finem agendis rebus voluisset, per præconem dicebat *Ilicet*; hoc est ire licet: id est acta & finita res est. » Terent. In adelph. *En tibi rescivit omnem rem, id » nunc clamat Ilicet.* Idem in Eunucho, *Actum est » ilicet, peristi.* NVMERO. Ne videantur virtute » superati. DIVÆ ARMIPOTENTIS. Bene Miner- » vam Trojanis expressit iratam, cum etiam eum pe- » risse dicat, qui Sacerdotem liberare tentaverat.

DIVÆ. Minervæ. IVSTISSIMVS. Iustum, secundum leges aliqua ratione constructum: æquum, juxta naturam accipiunt. VNVS. Non solus, sed præcipuus.

ÆQVI. Pro æquitatis. Et est optima figura à fœminino genere, in neutrum transire.

» DIIS ALITER VISVM. Aut illum non esse » justissimum, an aliter visum; sic enim periit ut in- » justus: Et bene in ingenti indignatione Æneæ, » tamen nihil sacrilegum datur.

CONFIXI A SOCIIS PEREVNT. Pro perierunt. PANTHV. Vocativus Græcus est.

ILIACI CINERES. Naturale est jurare per id quod charum quis habuit: & excusatur (ut supra diximus) fuga. Ergo fuit necessarium jusjurandum. « EXTREMA. Num ideo *Extrema meorum*, quia « existimet nihil ex ea superesse.

DONATI.

* ILLI ETIAM. Alia calamitas, ut ab hostibus cognosceremur, qui acrius etiam quam cæteri hostes movebantur, quia se deceptos viderant.

ILICET. Vbicumque ponitur *ilicet*, extrema omnia occidere vel occidisse significatur. Corœbus denique, primus insidiarum autor, primus interficitur, & ante ipsius Minervæ aram occubuit, propter cujus sacerdotem defendendam eramus collecti.

IVSTISSIMVS VNVS. Perierunt innoxii, & sceleratis jus vincendi datum est.

VISVM. Vbi ponitur hoc, non justum judicium, sed pravæ voluntatis studium & libido, significatur.

CONFIXI A SOCIIS. Augetur commiseratio. Interfici enim durum est, sed durius à suis interfici. Et exaggeratur quod dixerat: *Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis.*

NEC TE TVA PLVRIMA PANTHV PIETAS TEXIT. Id est, servavit. In fine deos tantum fuisse à Trojanis alienos ait: ut etiam Panthus occumberet vir pius, gravis, religiosus, cum ipsis etiam insignibus sacerdotis.

ILIACI CINERES. Quia videbat vel crimini, vel esse posse dedecori, quod tot tantisque cadentibus evaserit, jurandi religionem ultro ante objectum, quod metuebat, opposuit. Habet enim majorem fidem, si ante quam exigatur, offertur. Habet & bonæ conscientiæ firmum testimonium, non extorta, sed oblata purgatio.

VARIORVM.

DIIS ALITER VISVM. Cum Deo quisque flet & ridet, σὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ καὶ ὀδύρεται). Rerum humanarum subita est mutatio. Neque in nobis situm est, ut res sint vel secundæ vel adversæ: sed ut Deo visum est, ita prosperis attollimur vel adversis dejicimur. HORTENSIVS.

TEXIT. pro protexit. TAVBM.

Testor

Digitized by Google

Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm: &, si fata fuissent,
Vt caderem, meruisse manu. divellimur inde,
Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Iam gravior, Pelias & vulnere Tardus Vlyssei.
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruenteis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus; clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contra, turres ac tecta domorum

SERVII.

TESTOR. Testificor: & deest vos. VICES. Pugnas: quia per vicissitudinem pugnabatur; ut Salustius docet. Legimus etiam pœnas, vices dici. Horatius, *Vicesque superbæ Te maneant ipsum.* Sed de bello usurpatum est. Nullum enim prælium caret periculo, ergo vices periculi.

MERVISSE. Id est fortiter dimicasse. Hi enim merentur occidi. Bene autem evasisse fatis imputat. Cum tam senex, quam debilis Iphitus & Pelias, evaserint occisis juvenibus. DIVELLIMVR. Sic dixit, quasi accuset, quod non perierit.

VVLNERE VLYSSI. Quia illi Vlyxes inflixerat.

PROTINVS. Servavit ordinem, ut primo de patria, post de rege curaverit. Protinus hic statim. Alibi porro tenus. CLAMORE. &c. Bellico. VOCATI. Clamorem secuti. INGENTEM PVGNAM. Merito, quippe in domo regia, ubi aut caput Reipub. erat, aut de qua major spes erat prædæ.

FORENT. Pro essent. MORERENTVR. Non pugnarent, ut supra, *Oriturque miserrima cædes.*

ACTA TESTVDINE. Applicata; vel quæ agebatur.

HÆRENT PARIETIBVS. Quod illæ quæ feruntur ad pugnam clavos habeant vel uncos & figantur, ideo hærent.

POSTESQVE SVB IPSOS. Si circa portam, sub postibus: si circa fenestras, circa postes.

NITVNTVR. Pro nitebantur. AD TELA. Contra tela; & hoc verum est, nam si ad tela, sinistris manibus simul tenent tela & scutum, cum se tegunt.

TECTA. Culmina. Tecta participium est. Aut eandem rem bis *dixit*. Quamvis legatur, & *tota domorum*. Veteres hæc domus ut merito ablativus, ô, terminatus, genitivum pluralem in rum mitteret, ut bono, bonorum; sed mutata postea declinatio est, ut hujus domus faceret, quod cum ita evenerit, ut ablativus in u terminaretur, genitivum pluralem per u geminat, ut ab hoc fructu fructuum, ita & domuum. Nam & Iuven. *Viscera magnarum domuum,* ait. Nos tamen de antiqua declinatione præsumimus, ut ab hac domo, harum domorum dicamus.

DONATI.

ET SI FATA FVISSENT VT CAD. Quasi dicat, si fata permisissent interitum meum.

MERVISSE MANV. Id est, ita sine aliquo respectu meæ salutis pugnavi, ut meruerim ab hostibus interimi.

DIVELLIMVR. Inviti, necessitate adacti impellimur abire: ostendit autem meruisse manu mori, cum prius cum paucis, nunc vero solus pugnaret.

CLAMORE. Non specialiter ab aliquo, sed clamore pugnantium, quo indicatur opus esse auxilio, ad defendendam regiam: apud quam acrius pugnabatur propter gloriam, & prædam.

SCALÆ. Non solum quia in plurali declinantur, sed quia plures essent.

VARIORVM.

VITAVISSE VICES. *Vices*, vulnera significant & cædes: ut quemadmodum vel percusserat, vel interfecerat, idem pateretur. Vbi igitur ab Argivis tantundem fiebat operis ad pugnandum, & Æneas se induebat. Scalig. lib. 4. cap. 16. TAVBMAN.

POSTESQVE SVB IPSOS NITVNTVR GRADIBVS. Magno scilicet conatu ascendunt gradibus scalarum quas admoverant. In edito ergo januam fuisse indicat, gradibusque ad eam aliquot ascendi solitum, quod hodieque fieri videmus in optimatum ædibus, regiisque Principum. TVRNEB. lib. 12. cap. 9.

TARDVS VLYSSI. Aulus Gellius legatur, libro 9. cap. 12. HART.

TESTVDINE. Vegetius lib. 4. cap. 14. HART.

PARIETIBVS. Lagarus versiculus: legendum seu metiendum tribus syllabis. HART.

Culmina convellunt: his se (quando ultima cernunt)
Extrema jam in morte parant defendere telis:
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores & pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infælix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis; unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

SERVII.

HIS. Propter quæ pugnabant. Sic Lucanus, *In pugnam fregere rates.* Vel *His*, hujusmodi. QVANDO. Quatenus, quoniam.

EXTREMA MORTE. Hoc est ruina civitatis. DECORA. Ab eo quod est decus; ut pecus.

OBSEDERE. Nunc pro præsidio tenebant: ut sequentia indicant. HAS SERVANT. Alii adservant, AGMINE DENSO.

INSTAVRATI ANIMI. Hic ostenditur eos superius defecisse: quod supra non dixit.

LEVARE. Iuvare. VIMQVE. virtutem: ut Salustius, *Sed nostra omnis vis in animo & corpore est.* VICTIS. Qui vincebantur: ut, *Et qua victus Abas.* hoc est sine vincendi spe laborantibus.

LIMEN ERAT. Contra illud, obsessis foribus quomodo ingressus sit: & dicit per posticum, quod generis est neutri: ut, Horatius, *Atria servantem postico falle clientem.* Nam si generis fœminini legeris *postica*, augurale est: ut, antica, postica. CORCÆ. Non omnibus notæ. VSVS. Verbum juris: via, actus, usus. Has Græci *αὐθρένας* appellant.

TECTORVM INTER SE PRIAMI. Per quod iter ad utramque domum Priami commeabatur, ut appareat duas domos fuisse, alteram regiam Priami, alteram Hectoris, inter quas illi aditus. POSTESQVE RELICTI. Relictum spatium cum domus ædificaretur, ubi ostium fieret. Aut relicti ab hostibus, id est, quos hostes non obsederant.

INFOELIX. Non cum regna manebant, sed ad præsens retulit tempus. DVM. Donec: & absolutus est sensus. Alii tamen CVM legunt: sed CVM MANEBANT, quomodo dicimus; cum constet MANEBANT, modum esse indicativum? Hoc verò sciendum est, quia quando conjunctivus est, necesse est aliquid jungi, aut subaudiri: ut, cum venirem, vidi illum. Si autem *Cum veniebam* dicamus; aut modus pro modo est, hoc est indicativus pro conjunctivo; aut etiam CVM non erit conjunctio, sed adverbium temporis: & significat tempore quo veniebam.

ANDROMACHE. Notum est omnibus hanc de gente Eetionis, fuisse uxorem Hectoris, matrem Astianactis, de qua plenius omnia in 3. lib. narrantur. FERRE INCOMITATA. Vt & ad soceros iter sæpius, & non quæreret exequia famulorum.

AD SOCEROS. Quare ad soceros, cum socer & socrus dicantur; sed meliori sexui respondit: id est masculino. ASTYANACTA. Hunc quidam ab Vlyxe; alii à Menelao absente Pyrrho, raptum & præcipitem datum ferunt: Fatis enim prædictum fuerat, puerum, si supervixisset, ultorem patriæ & parentum futurum. TRAHEBAT. Quasi puerum: ut, *Parvumque nepotem Ipse trahit.*

EVADO. E, vacat, ut, *emortuus.* Sane minus est, HAC. id est hac evado.

IACTABANT. Spargebant, quasi nil profutura.

DONATI.

HIS SE. Ad excusationem, quare pulchra destruerent.

VARIORVM.

QVANDO VLTIMA CERNVNT. Parenthesin interponit ad misericordiam exaggerandam à desperatione salutis: & ad causam destructionis regiæ per occupationem objectionis reddendam: nam occurrebat, cur turres & propugnacula domus dissolverent, si alio telorum genere uti possent. NASC.

CORCÆQVE FORES. ψευδόθυρον, & ἀποδιόδημα describit. Est enim *pseudothyrum* (qua voce & Cic 4. Verrinâ utitur) latens janua, quæ à prætereuntibus non animadvertitur. Vide NANNIVM, Miscell. lib. 7. cap. 11.

AD SVMMI FASTIGIA. *Fastigia* sunt, quæ perfecto demum ædificio ab ædificatoribus solent imponi. Hinc parœmia, *summum fastigium imponere*, pro eo quod est, rem omnibus suis partibus absolvere. HORTENS.

Digitized by Google

Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm solitæ naves, & Achaïca castra:
Aggressi ferro circum, quà summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaûm super agmina late
Incidit. ast alii subeunt: nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus
Exultat, telis & luce coruscus ahena.
Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina pastus,

SERVII.

IN PRÆCIPITI. In alto: unde quis potest præceps dari. Sequitur enim, sub astra.

EDUCTAM. Extructam. SOLITÆ NAVES. Participium est sine verbi origine. Soleo enim neutrale est: quod caret præterito.

ACHAICA CASTRA. Videtur alios Danaos; alios Achaïcos dixisse. CASTRA. Ubi exercitus sit, castra dicuntur. Unde est, *Nos castra movemus*: ut, *Velorum pandimus alas.*

SUMMA. Extrema. ut, supremum, summum dicimus: ut, *Pro supreme Juppiter!* LABANTES. Faciles ad resolutionem. Et est ordo: *Turrim convellimus, impulimusque.*

TABULATA DABANT. Quidam dabant pro faciebant intelligunt; ut, *Ingentem lato dedit ore fenestram.* Olim sane domus de tabulis fiebant, unde hodie in ædificiis surgentibus, primum & secundum tabulatum dicimus; summum autem est quod tectum sustinet.

IMPULIMUSQUE. Quidam notant quod non sit expressum, ubi stantes summum tectum impulerint. REPENTE. Ne provideri aut vitari possit.

AST ALII SUBEUNT. Hic ostendit priores periisse.

TELORUM INTEREA CESSAT GENUS. Bene addidit GENUS. Telum enim dicitur secundum Græcam etymologiam ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, id est, quicquid longe jaci potest: quanquam legimus de gladio; *At non hoc telum quod vi mea dextera versat*; & sequitur, *Dixit, & sublatum consurgit in ensem.* Sed telum illo loco à longitudine dictum est, ut, *mustelum* dicimus.

VESTIBULUM. Vestibulum est prima janua. Dictum vel quia januam vestiat: ut dicimus cameram duabus sustentatam columnis: vel quoniam Vestæ consecratum est. Unde nubentes puellæ limen non tangunt. Lucanus, *Translataque vetat contingere limina planta.* Singula enim domus, sacrata sunt diis: ut Culina, diis penaribus: Maceries, quæ ambit domum, Herceo Jovi. Ante videtur Vestibulum & Limen pro una re dixisse. PYRRHUS. A colore comæ dictus: qui Latine byrrus dicitur, ita & Salustius crispus.

LUCE AHENA. pro luce aheni; ut 3. Georg. *Saxea procubet umbra.*

IN LUCEM COLUBER. Deest processit. Sed colubrum nonnulli promiscuum nomen tradunt, " quod ut sonantius fieret finxit masculinum, ut diceret coluber: nam ut alii, promiscuum est. MALA GRAMINA PASTUS. Venenatis herbis, Id est pro malis graminibus. PASTUS. Legimus, *& sylva pastus arundinea.* Sed sciendum est, quia licet hoc in usu sit, ratum tamen est apud antiquos: PASTUS autem, pro qui pascebatur: quia ut supra dictum est, in hac ratione Latinitas deficit.

DONATI.

PRIMOQUE IN LIMINE PYRRHUS. Ferocem naturam hujus ostendit, & qui plenæ victoriæ fiduciam cerneret.

QUALIS UBI. Descripturus hostem natura ferum, ætate insolentem, successu superbum: & ipse Æneas hostilem animum in adversarium gerens, hinc animali illum comparandum putavit. Sæviebat ut serpens, qui vomit venena, qui nescit aliquando misereri: qui captat tempora, quibus procedat aut lateat. Hac igitur comparatione Pyrrhum deformat. Nam ut serpens non in virtute, sed veneno confidit: ita huic non arma, sed insidiæ ad victoriam profuerunt: nec unquam in præliis visus est, nisi cum alienis dolis procurata est victoria.

VARIORUM.

TURRIM IN PRÆCIPITI. Aulus Gellius, lib. 10. c. 19. HART.

JUNCTURAS TABULATA. Homerus Iliad. μ. [illegible] πύργων. HART.

VESTIBULUM ANTE IPSUM. Aulus Gellius lib. 2. cap. 3. HART.

LUCE CORUSCUS AHENA. Macrob. lib. 5. cap. 12. Homer. Iliad. ν. *αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἀπολαμπομενάων.* HART.

MALA GRAMINA PASTUS. Homer. Iliad. χ. *Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα εἰς τ' δράκων.* Etiam l. 9. Vergil. *Potentes herbas.* Cælius lib. 6. c. 12.

Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positus novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad Solem, & linguis micat ore trisulcis.
Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon: una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos; jamque excisa trabe, firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, & atria longa patescunt,
Apparent Priami & veterum penetralia regum;
Armatosque vident stanteis in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu

SERVII.

TVMIDVM. Qui semper irascatur. BRVMA. Id est hyems. Dicta autem bruma, quasi βραχὺς ἡμέρα, id est brevis dies. Est autem, ut hic locus indicat, generis fœminini, numeri singularis.

EXVVIIS. Bene corium quo serpens exuitur, *exuvias* dixit. NITIDVSQVE IVVENTA. Novus; constat enim serpentes innovari virtute, pelle deposita.

LVBRICA TERGA. Lubricum dicitur & quod labitur, dum tenetur, ut piscis, serpens: & locus in quo labimur. ut, *Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.*

PERIPHAS. Vltima accentum non habet, ne fœmininum sit: nec tertia à fine, quia novissima longa est: Ergo RI habebit accentum. AGITATOR. Auriga, secundum usum communem.

ARMIGER AVTOMEDON. Pyrrhi armiger. Nam Achillis auriga fuit. SCYRIA PVBES. A Scyro insula, una de Cycladibus: in qua fuit Lycomedes pater Didamiæ; quam Achilles commendatus ibi à matre Thetide vitiavit, unde Pyrrhus natus est. quamvis alii, volente Lycomede Deidamiam Achilli datam in matrimonium dicunt.

SVCCEDVNT TECTO. Pro sub tectum cedunt. Et est figura: quia mutatus est casus.

DVRA. Valida limina, id est firmiter clausa. Ideoq; non aperit, sed perrumpit. BIPENNI. Ecce nomen quod servavit antiquitatem: quia veteres pennas dicebant, non pinnas.

VELLIT. Non dejecit. Nam sequitur paulo post, LABAT ARIETE CREBRO. Sed movet, ut, *Cynthius aurem Vellit, & admonuit.* Vel certe vellere vult, ut, *Ipsumque trahunt in mœnia regem.* Nam quare facit fenestram?

FENESTRAM? Epitheto, ut solet, *auxit tapinosim*, in dicendo *lato ore*. DEDIT autem, id est fecit, ut Terentius, *Quas turbas dedit.*

PATESCVNT. Aperiuntur, ac per hoc videntur.

PENETRALIA. Ideo domorum secreta dicta, ab eo quod est penitus, aut à Penatibus.

ARMATOSQVE VIDENT STANTEIS. Vt supra, *Strictis mucronibus imas Obsedere fores.* Sic enim datur virtus ubique Trojanis.

AT DOMVS INTERIOR. De Albano excidio translatus est locus. TVMVLTV. Tumultus dictus, quasi timor multus. Vnde alia bella dicta sunt; ut Italicus, Gallicus tumultus. Bene autem addidit MISERO, quia est etiam terribilis.

DONATI.

DVRA LIMINA. Quæ facile superari non possent. Potest tamen videri dixisse *duram bipennem*, id est, idoneam, qua frangere potuerit firmitatem æratorum postium. Allusit autem de ostio ad fenestram: sed debuit dicere cavernam factam in ostio, per quam non ingrederetur, sed videret interiora. Ergo videbantur intus armari. Intercepta autem spe, clausa ante domus, patuit. Plangebant fœminæ & summis ululatibus prodebant hostibus suam formidinem, qua augebatur illis spes. Ergo, *Instat vi patria Pyrrhus.* Quis enim non provocaretur audiendo talia? Descriptio autem regiæ, auget nobilitatem & amplitudinem fœlicitatemque Priami.

VETERVM REGVM. Vt ostenderet regnum Priamo à majoribus suis provenisse. Quantus autem dolor, ut una nocte conciderit, quod per infinitos reges, multis etiam seculis servatum fuerat?

VARIORVM.

AGITATOR ACHILLES. Græcum expressit epitheton, ἱππόδαμος. Odyss. γ.

AVTOMEDON. Vide Iliad. π. & ρ. de Automedonte. HART.

DEDIT ORE FENESTRAM. Alludit ad Proverb. *Patefacere fenestram.* HART.

Misce-

Digitized by Google

Miscetur: penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea sydera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent. labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, & late loca milite complent.
Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omneis,
Cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas:

SERVII.

MISCETUR. Perturbatur. ut, *Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto Misceri patet.* CAVÆ ÆDES. Tecta camerata. Ædem autem numero singulari, de templo tantum dicimus: plurali, & de domibus,& de templis. Si aliter invenies,usurpatur.

FERIT CLAMOR. Secundum philosophos,qui dicunt vocem corpus esse. ideo dixit *ferit*, nam & fluvius habet mugitum res incorporalis. Bene ergo FERIT AUREA SYDERA. Multi ad laquearia referunt, quod stultum est.

PAVIDÆ. Pavidus est semper pavens: Timens, ex caussa. ut furiatus & furiosus. Modo pro paventibus, pavidas posuit. MATRES. Honoris nomen. ERRANT. Confusio, Consilio.

AMPLEXÆQUE TENENT POSTES. Apollonii locus, in quo inducitur Medea patrio * Ætæ relinquens domum, ita facere. VI PATRIA. Secundum fidem generis sui: ut, *Stirpis Achilleæ fastus.* Item de Hercule, *Salve vera Iovis proles.*

CARDINE. A cardine. PRIMOS. Quos dixit strictis mucronibus.

NON SIC AGGERIBUS RUPTIS. Vult ostendere gravius vastatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vastantur. Et sciendum comparationes, aut pares esse, aut minores, aut similes; at contra in similitudine negatur comparatio ultro, ut hoc loco vel illo. *Non tam præcipites, bijugo certamine campum Corripuere.* Contrarium est, *Si parva licet componere magnis.* SPUMEUS. Pro spumosus.

EXIIT. Dicimus& exivit. Sed u subtrahit Virgilius, ut brevem faciat sequentem vocalem. Et proprie plena flumina, cum extra alveum suum crescunt, exire dicuntur, ut, *Præsertim incertis si mensibus amnis abundans Exit.*

CUMULO. Augmento: Exuberante fluctu, ut, *Cumulo præruptus aquæ mons.*

VIDI IPSE FURENTEM. Ut, *Quæque ipse miserrima vidi.* Et hic *vidi*, pro admiratione posuit,at vero *Vidi Hecubam*, pro admiratione. Sane VIDI IPSE, hac particula addita miseriorem se ostendit, cujus ante oculos casus patriæ suorumque fortuna constituerat.

GEMINOSQUE IN LIMINE ATRIDAS. Potest subaudiri furentes.

DONATI.

NEC IPSI CUSTODES. Vigiles, de quibus dixerat, *Imas obsedere fores.* Possumus etiam *custodes*, ipsos postes intelligere, quoniam *custodes* à custodiendo appellantur. Cum igitur omnia deficerent, *fit via vi. Vis* inquit januam patefecit: *Vis* aditum ad interiora tenenda reclusit.

VARIORUM.

CAVÆ ÆDES. Per cavas ædes, cavædium intelligit, quod post atrium erat, explicaturque à Varrone lib. 4. & Vitruvio lib. 6. cap. 3. TURNEBUS lib. 12. cap. 5.

FERIT AUREA SIDERA. Homerus Iliad. β. αὐτὴ δ' οὐρανὸν ἵκει. H.

AMPLEXÆQUE TENENT POSTES, &c. Hoc ut opinor è Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant. Amplectuntur ergo postes & osculantur, eorum religione se tutos fore, & immunes ab hostium injuria existimantes. Turneb. lib. 12. cap. 5. Idem alibi lib. 26. cap. 23. Hoc faciunt, inquit, mulieres, quæ se in captivitatem abreptum iri suspicantur. Qui enim domum sic deserebant in perpetuum, limina salutare solebant. Quod & Charinus adolescens, apud Plautum Mercatore facit, alio proficisci in perpetuum deliberans, mutato domicilio, versoque solo.
Limen superum & inferum salve, simul autem vale,
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.
PONTANUS.

FIT VIA VI. Παρήχησις, figura. HART.

AGGERIBUS RUPTIS. Macr. l. 5. c. 5. Iliad. 5. θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς χειμάῤῥῳ. HARTUNG.

Vidi

Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.
Quinquaginta illi thalami, (spes tanta nepotum)
Barbarico postes auro, spoliisque superbi,
Procubuere. tenent Danai qua deficit ignis.
Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.
Vrbis ubi captæ casum, convulsaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hostem:

S E R V I I.

CENTVMQVE NVRVS. Aut finitus est numerus pro infinito ὑπερβολικῶς. Aut certe ideo *centum*, quia Barbarorum fuerat non singulas habere, sed plures conjuges. Aut illud dicit plures fœminas: ut Lucanus, *Cultus gestare decoros Vix nuribus rapuere mares.* Hoc est fœminas. Aut novas nuptas, ut ætatis hoc nomen sit, non adfinitatis. Aut centum per aras: licet incongruum sit, quia sequitur, *Hæc ara tuebitur omnes:* & unus per centum aras occidi non poterat. Est autem hæc plena affectu & dolore repetitio. FOEDANTEM. Cruentantem. Sallustius in 1. *Cum aræ & alia diis sacra, suppliceum sanguine fœdarentur.* Et Terent. In Eunuch. *Proh deum atque hominum fidem, facinus fœdum, ô infelicem adolescentem.* QVOS IPSE SACRAVERAT IGNES. Vt, *Et relligiosa deorum Limina.* Per quod ostenditur latenter, nihil prodesse religionem.

QVINQVAGINTA ILLI THALAMI. Illi celebrati ab Homero. Et bene de thalamis verum expressit numerum. Potest enim unus thalamus, plures habere conjuges: & est zeugma; Quinquaginta thalami procubuere.

ET POSTES SVPERBI AVRO BARBARICO. Id est, aut multo ait cultu barbaro, quia Barbari copiæ magis quam elegantiæ student: aut à Barbaris capto, aut vere barbaro, id est Frigio, quia πᾶς μὴ ἕλλην βάρβαρος. Nam & Homerus Phrygas barbaros appellat. Et Virgilius, *Barbara tegmina crurum.* Aut vere Barbarico: quia πλήρωμα τῶν βαρβάρων. Aut cultu barbaro, aut Barbaris apto. SPES TANTA NEPOTVM. Aut nepotes significant, qui essent futuri magnæ spei, aut connubia de quibus sperabantur tanti nepotes, ut, *Modo namque gemellos Spem gregis.* SPOLIIS SVPERBI. Hoc fuit moris antiqui: ut ipse in septimo, *Captivi pendent currus, curvæque secures.* TENENT DANAI QVA DEFICIT IGNIS. Ignis potuit deficere, Danai non potuerunt.

FORSITAN ET PRIAMI FVERINT QVÆ FATA REQVIRAS. Bene de Priamo obtulit narrationem, quia breviter perstrinxerat, *Priamumque per aras Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.* Et bono usus est ordine: ut ante reipublicæ, post regis, inde privati, hoc est sua fata narraret: hoc est illud, *Multa super Priamo rogitans super Hectore multa.* De morte autem Priami lectum est. Alii dicunt quod à Pyrrho in domo quidem sua captus est: sed ad tumulum Achillis occisus tractusque est juxta Sigæum promontorium. Nam in Rhœtæo Ajax sepultus est: tunc ejus caput conto fixum circumtulit. Alii vero quod juxta Hercæi Iovis aram extinctus sit, dicunt. Vnde Lucanus, *Hercæas, monstrator ait, non respicis aras?* Et hanc opinionem plene Virgilius sequitur. Licet etiam illam prælibet; ut suo indicavimus loco.

VRBIS VBI CAPTÆ CASVM. Bene omnia collegit & captam & dirutam, & incensam.

MEDIVM IN PENETRALIBVS H. Hypallage est, hoc est, in mediis penetralibus. Si autem MEDIIS dixeris, non stat versus, nisi excluso S: ut, *Inter se coiisse viros, & decernere ferro.* Et bene Priamum nisi in extremis armat periculis, ut magis incitet hostem in necem suam, qua possit captivitatem vitare, quam ut defendat aliquid. Sane *penetralia* proprie Deorum dicuntur, nonnumquam etiam imæ, & interiores partes privatarum domorum vocantur, unde & Penum dicimus locum ubi conduntur, quæ ad vitam sunt necessaria. Hic autem videtur opportunius *penetralia* de domo regis dixisse; quoniam Reges proprie suggestum imitantur deorum.

D O N A T I.

VIDI HECVBAM, CENTVMQVE NVRVS. Respondet ad id: *Quæque ipse miserrima vidi.* Fuit ergo cædis eorum hominum spectator, quos venerat defensurus.

QVA DEFICIT IGNIS. Omnia occupaverat ignis, sed cum rebus consumptis ignis extinguatur, Danai occupabant ea loca, in quibus non dixit, non fuit ignis, sed jam deficiebat.

SVPERBI. Ornatu artis & materia.

FOSITAN & PRIAMI. Bono compendio utitur, ut ultro suggerat, quod interrogari poterat: Debebat enim eo tempore, quod omnibus quietem destinaverat, uti brevitate. Exponit igitur, quomodo sanguine aras fœdaverat.

VRBIS VBI CAPTÆ. Cum jam nihil esset reliqui de urbe regiaque sua, nullaque omnino spes restaret, statuit sapiens & forti animo rex, quacunque morte captivitatem fugere.

V A R I O R V M.

QVINQVAGINTA ILLI THALAMI. Propter quinquaginta liberos quos habuit: ex quorum conjugio sperabat sibi copiosam subolem nepotum. Vide Hyginum cap. 90.

FORSITAN ET PRIAMI FVERINT. Insigne spectaculum fortunæ proponitur. Idem in Priamo apud Homerum Iliados. ω.

Arma

Digitized by Google

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa penates.
Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & divûm amplexæ simulachra tenebant.
Ipsum autem sumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit; Quæ mens tam dira, miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis

SERVII.

ARMA DESUETA. Ab hominis consuetudine, sensum ad arma transtulit. Quia jam pugnare desierant. TREMENTIBUS ÆVO. Non timore.

CIRCUNDAT. Non apte sibi cohærere facit: sed potius oneri sumit. INUTILE FERRUM. Ipse inutilis. Ferrum enim de his est, quæ ex conjunctis sumunt epitheta; ut venenum.

ÆDIBUS IN MEDIIS. Omne ædificium ædes dicuntur, sed Varro locum, quatuor angulis conclusum, *ædem* docet vocari debere. Idem Rerum Divinarum libro sexto intulit, Ideo loca sacra civitates habere voluisse, ne per continua ædificia incendio prolaberentur, & ut essent quo confugerent plerique cum familia sua in periculis, quod etiam in Comediis à servis timentibus legimus factum. Hoc Virgilius hoc loco subtiliter tangit, cum dicit, *Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe Ingens ara fuit*: &c. Ex nomine enim penatium & aræ, intelligitur loci sacri veneratio, ut non immerito illuc confugerit Regina cum suis, nam subjunxit, *Hic Hecuba & nati nequicquam altaria circum Præcipites*, &c. Unde apparet veram consuetudinem fuisse fugiendi à periclitantibus ad ararum præsidium.

NUDOQUE SUB ÆTHERIS AXE. Hoc est sub divo quod impluvium dicitur. Axis autem est aut Septentrio, aut pars Septentrionis, aut spiritus quo mundus movetur; ut *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum*, sicut docet & Lucanus.

VETERRIMA. Usurpatum est. Ergo, ut supra diximus; hoc tantum uti necesse sit, & comparativum non habet, sicut deterior positivum. LAURUS. Daphni filia Ladonis fluvii Arcadiæ terræ fuit, quæ aspernata viro jungi, semper venatibus operam dabat. Hanc cum Apollo adamasset, & eam ut comprimeret insequeretur: illa à Terra matre petit auxilium, quæ recepta à matre est, nec multo post in locum ejus, arborem lauri nasci *

COMPLEXA PENATES. Penates sunt omnes dii, qui domi coluntur.

NEQUICQUAM. Aut secundum Epicureos, qui dicunt deos nihil curare, aut propter vim bellicam. ALTARIA. Superorum & aræ sunt, & altaria: Inferorum, tantum aræ. Ara autem dicitur à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt: ut unde contra imprecatio κατάρα dicitur.

PRÆCIPITES. Festinæ propter tempestatem: & bene ATRA Addidit, quia est & clara; ut, *Unde hæc tam clara repente Tempestas.*

DIRA. Modo proprie. Dira enim est deorum ira. Ergo quæ mens infusa ex deorum ira.

TELIS. Armis. RUIS. Aut festinas, aut incedis seniliter.

DONATI.

ARMA CAPIT. Non ut peteret victoriam, sed ut in armis positus viriliter occumberet. Ponit autem & hominem & arma inutilia, quoniam ipse senex jam diu arma non sumpserat. Unde illa rubigine contabuerant, & inutilia reddita erant.

HIS TELIS. Autorem mortis quærit, non amentia, sed sapientia, ut morte captivitatem fugiat. Ergo sapientissimus poëta, decorum in hoc rege servavit. Dedit & convenientem naturam mulieri, & reginæ, & uxori.

VARIORUM.

ÆDIBUS IN MEDIIS, &c. Turnebus docet describi hic à Poëta Iovis Hercei aram, quę in mediis ædibus in impluvio erat sub dio, Græcorum more: & in ea ara ad quam Priamus occisus est, sacratum fuisse æternum & pervigilem ignem, ex eo versu; *Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.* Passeratius vero observavit ὕπαιθρον hic designari Iovi sacrum; de quo Vitruvius lib. 1. *Iovi, Fulguri, Cælo, Soli, Lunæ, ædificia hypæthra constituuntur.* GERM.

DIVUM AMPLEXÆ SIMULACRA TENEBANT. [illegible]c Æschylo est βρετέων ἔχεσθαι. Solebant enim in magno discrimine & metu desperationeque salutis, amplecti deorum simulachra, ut eorum fide tuti essent. Aras quoque tangebant, ut Virgil. lib. 6. *Talibus orabat dictis, arasque tenebat.* TURNEB.

Tempus eget: non si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede; hæc ara tuebitur omneis:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, & sacra longævum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hostes,
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, & premit hasta.
Vt tandem ante oculos evasit, & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi, pro scelere, (exclamat,) pro talibus ausis,
Dii (si qua est cœlo pietas, quæ talia curet)
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum

SERVII.

NON SI IPSE MEVS. Mire, *meus*, ut matris exprimeretur affectio. Et subaudis posset defendere. *Aut moriere simul.* Vt religio, aut pariter omnes servet, aut simul moriantur omnes.

ORE EFFATA. Abundat, ORE: est autem pleonasmus. VACVA. Magna, quæ difficile complentur. An *vacua* quia in unum ad aras omnes confugerant, an *vacua* jam sine defensoribus. INFESTO VVLNERE. Bonum schema, vulnus pro telo. An vulnus quod inflixit; an quod infligeret. PREMIT. Vrget; ut, *apri cursum clamore prementem*: alibi Interfecit: Vel opprimit; ut, *Armigerumque premit.* VT TANDEM ANTE OCVLOS. Hoc ideo describitur, ut & contra propositum Priamus incitetur. EVASIT. Pervenit. VITAM CVM SANGVINE FVDIT. Modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitæ volunt. Alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam volunt: ut, *Purpuream vomit ille animam.* potest tamen κατὰ τὸ συνεκδοχικὸν intelligi item vulneratum Polyten. HIC. Id est tunc. MEDIA. Manifesta, aut certè potest secundum consuetudinem dictum, neque enim est mors prima, media, postrema, & potest referri vel ad Politen. NON TAMEN ABSTINVIT, NEC VOCI, &c. Bene Priamo animositatem regiam dedit, ut mori honeste velit.

AT TIBI PRO SCELERE EXCLAMAT. Ordo est atque * dii persolvant grates dignas. AVSIS. Quidam proprie sumptum tradunt, nec posse in prosa dici.

SI QVA EST. Vel secundum Epicu[illegible], vel desperat: quia impune ante aras conspicit cædem. CVRET. Vlciscatur.

GRATES. Prout res fuerit, vel in bonis, vel in malis dicuntur, sicut præmia.

CORAM. Adverbium temporis modo est: quia verbo cohæret: ut, *Coram quem quæritis adsum*: & coram ad personam certam refertur; palam ad omnes. ME CERNERE. De spectaculo queritur, non de morte. Quia jure belli Polyten Pyrrhus occiderat, sed cur ante oculos patris. FOEDASTI. Crudeles impiosque fecisti.

DONATI.

RECEPIT. Quam imbecillis esset ex eo apparet, quod mulier anus, eum ab incepto ad se vocavit.

ECCE AVTEM ELAPSVS. Voluit mori Priamus, vetuit uxor: at casus attulit sibi quod cupiebat.

HIC PRIAMVS. Voluit fortuna, ut mors Polytæ esset in conspectu suo, ut inde sua mors oriretur.

DII. Scilicet præsentes, ad quorum se suffragium contulerat: & si est in cælo aliqua pietas, quæ nefaria commissa vindicet.

QVI NATI. Non culpat Pyrrhum, quod occiderit, sed quod cædem in conspectum paternum reservaverit. Nam stulte reprehenderet, quod jure belli licebat.

VARIORVM.

HÆC ARA TVEBITVR OMNES. Solent poëtæ, rebus bello, aut urbis captivitate desperatis, perfugium miseris dare in sacra & templa. Cic. pro Roscio Comœdo, *Sicut in aram confugit ad hujus domum.* Terent. *Nemo te accusat Syre; ne tu aram tibi, aut deprecatorem pararis.* PONTAN.

PERSOLVANT GRATES DIGNAS. Prov. *Oedipi exsecratio.* HARTVNG.

Fecisti

Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque
Supplicis erubuit; corpusque exangue sepulchro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Coniecit: rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati,

SERVII.

FVNERE. Cadavere: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. FVNVS. Enim est jam ardens cadaver. Quod dum portatur, exsequias dicimus: crematum jam, reliquias: conditum jam, sepulcrum.

AT NON ILLE SATVM. Tribus generibus parentes objicimus filiis, cum bonos eos negamus æquales ut hoc loco: cum malos objicimus, ut, *Laomedontiadæ*; item cum non solum bonos adimimus, sed insuper malos objicimus, ut, *Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus author.*

IN HOSTE PRIAMO. Aut Archaismos est, aut *in hoste*: id est cum hostem gereret, cum ipse hostis esset. Hic Priamo nomen positum, sensum validiorem fecit, hoc est Priamo qui tunc fui, quasi jam esse desierit, id est quem operæprecium fuit occidere. IVRA FIDEMQVE. Quia quod Homerus mutat, dicitur duce Mercurio Priamus ingressus Achillis tentoria, excitatum rogasse, quem dormientem potuisset occidere. IVRA, vero, quia rex rogabat. FIDEM. Quia supplex. Quidam *jura fidemque* ita intelligunt, *Iura* quod Hectorem reddidit, *Fidem*, Quod me in mea regna remi sit.

SEPVLCHRO. Pro ad sepulchrum. REMISIT. Comitatus usque ad Trojam est, & mire *in mea regna remisit*, cum potuisset per me mea regna capere.

IMBELLE. Ipse imbellis; ut *Inutile ferrum.*

RAVCO ÆRE. Ad scutum retulit. PROTINVS REPVLSVM. Statim prohibitum.

NEQVICQVAM. Non, Sic Persius. *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.* Sane quidam, *nequicquam umbone pependit*, hunc sensum volunt, telum repulsum ne summatim quidem hærere potuit, ut penderet. alii unam eandemque rem bis dictam volunt, & superfluum putant. ET SVMMO CLYPEI NEQVICQVAM. &c. Eandem rem bis dixit; cum præcessisset, *Rauco quod protinus ære repulsum:* quod idem est, *Et summo clypei nequicquam umbone pependit.* & nihil attinuisse dici putant. *Summo clypei nequicquam v. p.* Tanquam non omnino necesse esset, ut de summo clypei penderet, & potuisse dici, nec de clypeo pependit: Sed duplicationem narrationis per *, ἐπεξήγησιν excusat.

REFERES ERGO HÆC. Sarcasmos est, locus cum amaritudine. Vt, *En agros, & quam bello Trojane petisti Hesperiam.* Astismos autem, est urbanitas sine iracundia: ut, *Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

DEGENEREM. Non respondentem moribus patris. HÆC DICENS. Ostendit simul dum diceret fecisse. ALTARIA AD IPSA. Vnde sperabat auxilium, aut quia Achilles in templo occisus est, & ex similitudine vindicta ..... TREMENTEM. Non formidine, sed ætate.

DONATI.

AT NON ILLE. Conatur privare eum omni gloria, & nobili genere, quod non sit filius Achillis: quod probat, quod in se non servaverit jura, quæ servaverat Achilles.

REDDIDIT CORPVS. quod injuste retinuisset. Sola enim anima debetur hosti: corpus autem, quoniam in nullius est potestate, dimittitur sepulturæ. Reddidit ergo, quoniam contra humanitatis jura id tenebat.

SIC FATVS. Est desiderium manifestum mortis, quod post contumeliam etiam armis juvenem senex provocet.

TELVM IMBELLE. Confirmat, quod dixit, *Inutile ferrum.* SINE ICTV. Probat quod dixit, humeris trementibus ævo.

PEPENDIT. Stulte dicunt non posse pendere, quod repellitur.

VARIORVM.

HIC PRIAMVS QVAMQVAM IN MEDIA IAM MORTE. Virgilius hic inducit Priamum, execrantem Neoptolemum, ob atrox ipsius immiteque factum; & accusat hostem, non tam quod filium necarit, sed quod *ante oculos suos eum obtruncarit*, contemeraveritque aspectum patrium cæde filii: neque enim major ullus dolor patri inuri potest, quam spectante ipso, filium necare: multo namque magis homines movent, quæ fieri vident, quam quæ facta audiunt. VICTORIVS.

Implicuitque comam leva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam, & prolapsa videntem
Pergama; tot quondam populis, terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. jacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror;
Obstupui: subiit chari genitoris imago:
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Crëusa,
Et direpta domus, & parvi casus Iüli.
Respicio, & quæ sit circum me copia lustro.

SERVII.

DEXTRAQUE CORUSCUM EXTULIT. Coruscum, si ornatum gemmis caput regis acceperis; sensus talis est, Sublato capite gladium in vaginam recondit, quæ lateri semper cohæret. Si vero coruscum gladium vis intelligere: lateri Priami infixum accipe: & κατὰ τὸ σιωπώμενον: postea caput esse sublatum.

HÆC FINIS. Ut dies, si tempus longum significat, generis fœminini est, & omnia Latina nomina, inanima, simplicia, à verbo non venientia HIS Syllaba terminata, masculina sunt. Inanima, propter canis: simplicia, propter bipennis: à verbo non venientia, propter finis. Ergo clunis Iuvenalis bene dixit *Tremulo descendunt clune puellæ.* Horat. Male, *Quod pulchræ clunes.* HIC. Talis. ut, *Hunc ego te Euryale aspicio?* SORTE. Fatali necessitate. Vel sorte fortuna, ut, *Utere sorte tua*, & quidam, *exitus sorte*, pro sortis tradunt, ablativum pro genitivo.

TROIAM INCENSAM. Pro Ilium.

PERGAMA. Proprie Trojanæ arces sunt; unde κατ᾽ ἐξοχὴν arces omnes *Pergama* dicuntur: ut Poëtam dicimus, & intelligimus Virgilium. SUPERBUM. Nobilem.

REGNATOREM ASIÆ. Quia imperaverat & Phrygiæ & Mygdoniæ. IACET INGENS LITORE TRUNCUS. LITORE. Pompeji tangit historiam, cum *ingens*, dixit, non magnus. Quod autem dicit LITTORE, illud ut supra diximus respicit, quod in Pacuvii tragœdia continetur, Priami corpus ad litus tractum. aut *littus* pro solo accipiamus; aut, *Littoraque & latos populos.* Aut ideo LITTORE, ut ostendat littus jam esse ubi fuerat Troja, ut, *Et campos ubi Troja fuit.* Quod autem Donatus dicit. *Littus*, locum esse ante aras à litando dictum, vel quod lituo illud spatium designatur, ratione caret. Nam à litando, LI brevis est, & stare non potest versus.

AVULSUMQUE HUM. CAPUT. Hoc est quod κατὰ τὸ σιωπώμενον accipi debet, hoc enim claris & fortibus viris fieri solebat, ut, *Quin ipsa arrectis visu mirabile in hastis Præfigunt capita.* SINE NOMINE. Sine agnitione, aut dignitate, aut simpliciter sine nomine, à capite enim quis nomen ducit.

SÆVUS HORROR. Quia est & bonus: ut, *Lætusque per artus Horror iit.* Est & amoris, ut Terent. *Totus Parmeno tremo horreoque, postquam aspexi hanc.*

ÆQUÆVUM. Amabiliter locutus est; plus enim est æquævum, quam longævum.

VITAM EXHALANTEM. Secundum eos, qui volunt animam esse ventum: ut, *Atque in ventos vita recessit.* DIREPTA. Pro diripienda; participium pro participio.

CASUS. Aut interitus, aut captivitas.

COPIA. De exercitu dixit numero singulari, ut Sallustius * *Con Sertorios neque rumper.* & an Levi copiam avibus: Cum copias de exercitu numero plurali dicamus. Copia vero aliarum rerum fit.

VARIORUM.

HÆC FINIS PRIAMI FATORUM. Durum & absonum fuisset, & quod aures respuisset, *Hic finis*: Sicut illud contra insuavius facias, si mutes: *quem das finem rex magne laborum?* GELLIUS lib. 13. cap. 19.

IACET INGENS LITTORE. Utramque opinionem tuetur poëta, & eorum qui Priamum ad Hercæi Iovis aram cæsum affirmant & eorum qui eum è regia in Sigæum promontorium, ubi Achillis sepulchrum erat, à Pyrrho raptatum & obtruncatum ferunt. Sed communis opinio tenet, Priamum in templo Iovis Hercæi occisum. HORTENS.

VITAM EXHALANTEM. Alludit ad sententiam eam, quam perstrinxit sub persona Cebetis ad Socratem Plato in Phædon. eo loco quo multos in eo errore versari dicit ut credant, ita animam ab hominibus efflari, ut tanquam fumus dilabatur & dissipetur. Quamvis autem Poëta vulnere & violento fato Priamum oppressum canat, tamen quia senum mors, quæ μάρανσις Aristoteli dicitur, ἄλυπος, & pene sine sensu doloris committitur, exhalatio & vitæ exspiratio dicitur. GERMAN.

Digitized by Google

Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misère, aut ignibus ægra dedère.
Iamque adeo super unus eram; cum limina Vestæ
Servantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum, & deserti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasque Mycenas
Aspiciet? partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine littus?
Non ita. namque etsi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas: animumque explesse juvabit

SERVII.

„ DESERVERE OMNES. Defessi dolore, vos „ non accusationis, sic enim se purgat ut alios non „ culpet: dicendo autem *defessi*, etiam illos excusat, à „ quibus desertus est.

„ IGNIBUS ÆGRA DEDERE. Post hunc ver- „ sum, hi versus fuerunt, quos Tucca & Varus obliti „ sunt, *Iamque adeo super unus eram*, &c. versus e- „ nim refert * usque illum, *Talia jactabam*, &c. In „ quibus hæ variæ lectiones, *Permetuens Troiæ* m: s: „ Præmetuens T. *aris invisa* m: s: Argis invisa. *Regina* „ *triumpho* m:s: Regnata Triumpho. *Sudavit sanguine* „ m: s: Sudarit sang. *Nec habet victoria.* m: s: Habet „ hæc victoria. *Sumsisse merentis* m: s: Sumsisse me- „ rentes. *Vltricis flammæ.* m: s: Vltricis famæ. *Mente ferebar.* Mente loquebar.

VARIORUM.

IAMQUE ADEO SUPER UNUS ERAM, &c. Sunt qui sequentes xxij versus omittant, ut à Tucca & Varo, quos Æneida jussu Augusti emendasse constans fama est, rejectos. Cum, quia turpe sit viro forti fœminæ irasci: tum, quia his contraria dicuntur 6. Æneid. vers. 510. *Omnia Deiphobo solvisti.* Eos vero Poëtæ germanos esse solidissimis evincunt argumentis. Nic. Erythræus, NASCIMBÆNIUS, & SCALIGER lib. 3. cap. 11. & 12. & 23.

LIMINA VESTÆ. Cum enim neque apud Trojanos, neque Græcos illi locus esse videretur, non mirum fuit, si ad aram & asylum confugerit. TAUBMANNUS.

EXARSERE IGNES ANIMO. Ignes, id est ira, quæ est sanguinis ardor circa cor. Cum autem *Ira* sit animi perturbatio, modo alio plebejus, alio nobilis irascitur: aliter è vulgo quispiam, aliter sapiens. Et multis etiam in locis apud Virgil. Æneam ira accensum cernimus, sed varie: aliter enim hic irascitur, pro patriæ, domusque suæ dignitate, ac salute; aliter in xij. ob amici atque hospitis mortem.

---- *furiis accensus & ira*
Terribilis. Vide Scaliger lib. 3. cap. 9. TAUBM.

PHRYGIIS COMITATA MINISTRIS. Alludit ad Romanorum morem, quibus familiari in usu erat servitium operaque Phrygiorum mancipiorum, ut inter cæterarum gentium delicatissimorum & peritissimorum; unde & Phrygiones; & in parœmiam abiit, *Phryx flagris emendatur.* GERMAN.

NAMQUE ETSI NULLUM NOMEN, &c. Non quærit igitur Æneas aut nomen, aut laudem; sed justitiam; ut suorum deleat ignominiam. Quis enim patiatur affines suas, fœminas primarias premi servitio impudicæ mulieris? Igitur rectè interpretatur factum [illegible] sic: *Exstinxisse nefas.* Nullius enim non interest nefas tollere. Vir enim justus nullum malum superesse pati debet. Scalig. lib. 3. cap. 11.

Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum.
Talia jactabam, & furiata mente ferebar:
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Cælicolis, & quanta solet: dextraque prehensum
Continuit; roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creüsa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Grajæ
Circum errant acies: &, ni mea cura resistat,
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.

SERVII.

CVM MIHI SE. Ordo est, cum mihi se videndam oculis obtulit, non ante tam clara.

IN LVCE. In nimbo, qui cum numinibus semper est. CONFESSA DEAM. Divino habitu, quia in primo venatricis habitu, se obtulerat. QVALIS & QVANTA. Qualitas & quantitas hoc loco ad pulchritudinem pertinet.

DEXTRAQVE PREHENSVM. Ea corporis parte, qua Helenæ ictum minabatur; quæ in templo Vestæ stabat ornata. Vt enim dictum est versus illos qui superius notati sunt, hinc constat esse sublatos, nec immerito. Nam & turpe est viro forti contra fœminam irasci: & contrarium est Helenam in domo Priami fuisse, illi rei, quæ in sexto dicitur: quia in domo inventa est Deiphobi, postquam ex summa arce vocaverat Græcos. Hinc autem versus esse sublatos, Veneris verba declarant; dicentis, *Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ*. Sane quidam *Invisa* figurate dictum putant. Adserunt enim ad Trojam Helenam non venisse, id est non visam à Trojanis, quia cum eam rapuit Paris, ad Ægyptum profectus dicitur mutato itineris cursu, ne à Græcis forsan insequentibus comprehenderetur, ibià Protheo receptus hospicio; sed cum Helena Protheo suam narrasset injuriam, ab eo retenta est, tum sine ea Paris venit ad Trojam. Græci autem putantes quod occultaretur à Trojanis & nollent sibi eam reddere, deleverunt Trojam frustra, cum Trojani vere dicerent se Helenam non vidisse. Alii dicunt à Protheo quidem Paridi Helenam sublatam, & quibusdam disciplinis fantasma in similitudinem Helenæ Paridi datum, quod etiam Homerum volunt tetigisse subtiliter, ubi Æneas à Neptuno * apposita nube liberatur.

ROSEO. Pulchro. quidam reprehendunt non convenisse in ruina & exitio civitatis, Venerem roseo ore loqui cum filio, ignorantes hoc epitheton Veneris esse perpetuum. INSVPER. Quod continuerat eum.

INDOMITAS. Magnas nunc &c. * & quis, non nulli admirantis volunt esse, non interogantis.

QVID FVRIS? Aut quia furor est virum fortem tuere in mulieris interitum. Aut quid furis, cum extinctos socios vides velle pugnare: & bono verbo usus est, virum fortem à prælio revocans; NOSTRI CVRA. Et hoc loco, ut solet, unam se de Æneæ familia facit. Vt, *Vnius ob iram prodimur*. Nostri autem & vestri genitivi plurales sunt antiqui, & ex Græcis convenientes, sicut singulares sunt *mis* & *tis*. Non est possessivum: sed à Nos venit ut dicimus, Nostri causa facit, hoc est nostrum.

SVPERET. Supervivat, supersit.

ASCANIVSQVE PVER. Filius: ut, *Tuque puerque tuus*. Horatius, *Pueroſque Ledæ*. & est Græcum, nam παῖδας dicunt. Interdum tamen etiam ad ætatem refertur.

CIRCVM ERRANT. Mire quasi quærentes tanquam prope sint & adhuc * sua opera sua non avertant.

HAVSERIT ENSIS. Aut percusserit: ut, *Latus hausit apertum*. Aut voraverit.

VARIORVM.

CINERES SATIASSE MEORVM. Pietatis tamen nomine laudabor, qui cæsorum civium manes & umbras sanguine hostium expleverim. TAVBMANNVS.

NATE QVIS INDOMITAS. Oratio Veneris est partim objurgatoria, minime tamen contumeliosa; partim exhortatoria: versatur in genere deliberativo, habetque fere omnes suasionis partes, illisque etiam affectibus constat, qui Patheticæ orationi convenire videntur: breves continet sententias, crebras interrogationes: caret tamen abrupto illo & concitato principio, quo patheticæ orationes uti solent: id quod arte & consilio factum est: ne videatur mater iræ potius affectu, quam materno officio adducta ad filium accedere commonendum: propterea NATE ait: quæ vox insigne quoddam non odii, neque iracundiæ; sed materni amoris indicium affert. NASCIMB.

Non

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris: divûm inclementia divûm
Has evertit opes, sternitque à culmine Trojam.
Aspice (namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortaleis hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Jussa time, neu præceptis parêre recusa)
Hic, ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum:

SERVII.

TYNDARIDIS. Atqui Iovis est, non Tyndarei filia. Sed sic dicimus Tyndaridis de Helena, ut de Hercule Amphytrioniades. Nam de Iove & Leda nati sunt Pollux & Helena: de Tyndareo & Leda Castor, qui solus mortalis fuit. Vnde Virgilius in sexto, *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.* qui immortalitatem suam cum fratre partitus est. Helenam vero immortalem fuisse indicat tempus. Nam constat fratres ejus cum Argonautis fuisse, Argonautarum autem filii Thebano Eteoclis & Polinicis bello dimicaverunt. Item illorum filii contra Trojam bella gesserunt. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio seculis durare non posset. Hanc autem legimus primo à Theseo raptam: & in Ægypto commendatam Protheo alia fabula à Paride raptam, & cum ad Ægyptum cum ea isset à Protheo cognito raptu, subtractam Paridi dicit. FACIES INVISA. Pulchritudo Helenæ odiosa, id est Helena. & est Græcum; ut, *vis Herculea*: hoc est Hercules. Ostendit autem naturæ culpam, non esse hominibus adscribendam LACÆNÆ. A provincia Laconica. Et notandum derivationem minorem esse à principalitate, quod rarum est.

CVLPATVSVE PARIS. Criminosus, reus. Divinam inclementiam latenter hic Venus * suam purgat invidiæ, dicendo Trojam deorum conspiratione subverti. poterat enim ei objici quod nisi ipsa rapiendi Helenam Paridi author fuisset, Troja non fuisset eversa.

ASPICE. De Homero tractum, qui inducit Minervam præstantem ista Diomedi & bene subdistinguit, quia non solum dicitur, sed etiam manu significatur. NAMQVE OMNEM. Ordo est, Omnem tibi nubem eripiam, quæ humida circum caligat, & mortaleis hebetat visus tuenti. Dicitur autem nebula orta de terris obesse nostris obtutibus. Vnde aquila, quia supra nebulam est, plus videt. Est etiam theologica ratio: quia ignorantes usum Venerium, videre dicuntur & numina. Vnde nunc merito post Veneris abscessum numina vidisse dicitur Æneas. OBDVCTA. Superducta. TVENTI. Modo videnti: alias defendenti.

NEQVA PARENTIS IVSSA TIME. Pro NE & hæc particula, imperativo jungitur modo: sed interdum præsenti tempori, interdum futuro; prout aliquid volumus ad præsens, vel ad futurum referri: potest sane hoc præceptum, & ad generalitatem, & ad specialitatem referri. IVSSA TIME Veretur enim ne imperanti sibi fugam non obtemperet.

SAXIS SAXA. Dicendo *saxis saxa*, renovavit narrandi magnitudinem. VNDANTEM. Aut abundantem, aut quia in modum undarum attollitur: ut, *Qua plurimus undam Fumus agit.*

VARIORVM.

NON TIBI TYNDARIDIS FACIES. Observandum, recte ac decore à Poëta, Veneri, Paridis & Helenæ patrocinium tribui, cujus opera & beneficio conjuncti erant. Prudenter itaque ambos culpæ eximit, eam in Deos & fata transmovens. Et ne vana coarguatur, confirmat verba sua testimonio præsentis rei: ac gradatione quadam paulatim ad summa pervenit. HORTENSIVS.

DIVVM INCLEMENTIA DIVVM. Ita in libris antiquis, & iis castigatioribus legitur:

---- divûm inclementia divûm,
Has evertit opes.

Quæ βιβάσεως καὶ ἀναφορᾶς venustissima est, & maximam vim habet. Eamque lectionem Terentianus interpres aperte asserit, teste etiam Fabricio. Pro illo priore *divum*, multa antiqua exemplaria legunt *Sed enim*: quædam etiam *verum*. Latenter autem Venus se purgat invidiæ; dicendo, Trojam conspiratione deorum subverti. Poterat enim ei objici: quod nisi ipsa rapiendæ Helenæ Paridi author fuisset, Troja non fuisset eversa. TAVBMAN.

ASPICE, NAMQVE OMNEM, QVÆ NVNC OBDVCTA, &c. Δεικτικῶς. Sensus autem est: aspice; quanto cum iræ impetu ea nunc diruant dii, quæ olim propitii muniendæ urbis gratia condiderunt: Neptunus mœnia: Pallas arcem; Iuno portas. Mutuatus hunc locum est ab Homero Iliad. 5. Vbi Pallas Minerva Diomedi in pugna nubem oculis detrahit, quo divos ab hominibus dignoscat. NASCIMB. HORTENS.

NAMQVE OMNEM. Eo usque pendet *nubem eripiam*. Auferam, inquit, abs te ignorantiam, quæ natura in omnibus hominibus est: quæ oculos tuos perstringit, & quasi nubem offundit, quo minus, quæ ex deo sunt, perspicere possis. NASCIMB.

VNDANTEM PVLVERE FVMVM. Nam ex ruina lateriorum, pulvis seu fumus, sive ad undarum speciem, in aërem erigitur ut Æneid. 8.

--- qua plurimus undam
Fumus agit.

TAVBMAN.

Digitized by Google

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit. Hic Iuno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone sæva.
Ipse pater Danais, animos, viresque secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.

SERVII.

NEPTVNVS MVROS. Hoc autem habet fabula, quod Neptunus cum Apolline, Trojæ, fabricati sint muros. Sed constat Laomedontem supradictis diis certam vovisse pecuniam, ad sacra facienda: quam imminentibus Muis vel Mysiis transtulit ad murorum fabricam. Vnde dii & fecisse muros, & offensi esse dicuntur. Simul notandum, quod deos facit opera sua evertere, ut Portas Iunonem, quarum dea est. Nam & portam luminis nascentibus præbet. ut, *Iuno Lucina fer opem.* Arces, Minervam: legimus enim, *Pallas quas condidit arces.* Neptunum, muros: ipsi enim fundamenta sunt consecrata, cujus & moventur arbitrio. Vnde *ἐνοσίχθων* dicitur, hoc est terram movens aquæ concussione; sicut terræ motus continent opiniones. Ergo cum Neptunus infestus indicatur, Apollo tamen etiam post piaculum Trojanis favet, quia eum propter Chrysis sacerdotis filiam offenderant Græci.

TRIDENTI. Omnia in NS exeuntia, aut participia sunt, aut nomina. Sed si participia sunt, ablativum & in I & in E mittunt pro nostro arbitrio: Iuvenalis, *Nec ardenti decoxit aheno.* Contra, *Semperque ardente camino.* Si vero nomina fuerint, omnimodo in E exeunt. Si autem eadem sint & nomina & participia, ut amans: cum nomina fuerint, omnino in E mittunt; quum participia, licenter utimur. Ergo quia tridens nomen est, tridente debuit dicere. Sed novitatem affectavit, nulla cogente necessitate. Sane in nominibus quæ & propria esse possunt, & appellativa, ut liberalis, fœlix, Iuvenalis, ablativus à proprio, in E exit: ab appellativo, in I.
QVATIT. Concutit, commovet.

IVNO SCÆAS SÆVISSIMA PORTAS. Quidam ideo Iunonem has portas tenuisse accipiunt; quia eam fatorum arbitrium volunt, & fatum fuit ad exitium Trojæ, per has portas equum introduci. quia ipsa est Curritis, & sub hoc nomine interest bellis. Nam ideo, *Hic illius arma, hic currus fuit.* ACCINCTA enim, ferro armata, ut, *Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.*

IAM. Præterea: ut, *Iamque seminibus jactis se sustulit arbos.* ARCES. Ordinem tenuit, primum muros, deinde portas, post arces, à muris enim in arcem convertendus est totus impetus. Ob hoc autem arces Minervæ dantur, quod ipsa sit inventrix ædificiorum: ut, *Pallas quas condidit arces. i. c.* Et quia summa quæque possidet sapientia. Præterea in capite esse dicitur, idcirco creditur patris Iovis capite generata. TRITONIA PALLAS. Duo antonomasia sunt sine proprio nomine. Et est nimiæ iracundiæ, cum dicitur: Quanquam irata sit Græcis, nequaquam tamen Trojanis parcere. licet in historia lectum sit vehementius iratam Minervam, quod post victoriam ei sacrifica[illegible] noluerint; ut Horat. *Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio, in impiam Ajacis ratem.* RESPICE. Dicendo *respice*, ostendit vere jam caliginem ab oculis ejus esse sublatam.

INSEDIT. Adeo irata ut ante sacerdotem ibi Cassandram defenderet. NIMBO EFFVLGENS. Nube divina, est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur, sic etiam pingi solet. Alii nimbum clavum transversum in veste existimant: Alii *limbum* legunt, *Vt Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo*: & est pars vestis extrema, quæ instita dicitur: ut Horatius, *Quarum pulsata talos tegit instita veste.* GORGONE SÆVA. Aut etiam per sævam Gorgonem fulgens, aut ipsa sæva terrore Gorgonis. Sane Gorgones tres fuisse dicuntur, Stehmo, Euriale, Medusa; quarum aspectus intuentes vertebat in lapides; hæ autem miræ pulchritudinis fuisse dicuntur: & quisquis eas vidisset, stupore defigebatur. Ideo fictum est, quia in lapides mutarentur. Sed alia fabula refert Medusam miræ parsimoniæ virginem fuisse, & ob hoc accepta Minervæ, quæ compressa à Neptuno Pegasum equum dicitur edidisse, quod posteaquam Minerva cognovit, ejus caput dicitur amputasse & suo affixisse pectori, eique tribuisse vim, ut quidquid vidisset mutaret in saxum.

IPSE PATER. Qui omnibus unus esse consuevit: ut, *Rex Iuppiter omnibus idem.* Et bene honesta Æneæ causa fugiendi est. VIRESQVE SECVNDAS. Quia fuerunt & in Trojanis: sed non prosperæ.

SVFFICIT. Subministrat, suggerit.

DONATI.

NEPTVNVS. Cum deos inimicos Trojanis enumerasset, ponit Iovem. Ipse pater, quasi, qui tum vos contra alios, cum & majoris sit potestatis, defendere debuit, supprimat, hujus destituti auxilio cum sitis, cedendum est vobis.

VARIORVM.

FERRO ACCINCTA. Non dixit *cincta*: maluit elisionem. sic mox *evicta* potius, quam *victa*. Magnus enim in ea voce sonus: sicut *attrectare, adservare*, &c. Scalig. lib. 4. cap. 16.

Nus-

Digitized by Google

Eripe nate fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; & spissis noctis se condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.
Tum vero omne mihi visum considere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes

SERVII.

ERIPE. Accelera, raptim fac. Vel, *eripe te fuga.*

NVSQVAM ABERO. Bona œconomia. Nam si tenent Danai, qua deficit ignis: necessarium est præsidium numinis. ut Horatius, *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.* LIMINE SISTAM. In limine; ut, *Sylvis te Tyrrhene feras agitare putasti.*

SPISSIS NOCTIS SE CONDIDIT VMBRIS. Abscessu enim plerumque numina demonstrantur fuisse, cum subito apparere desierint.

APPARENT DIRÆ FACIES. Secundum mathesim, post abscessum Veneris dicit apparuisse numina: cujus præsentes radii intervenientes anæreticos temperant. vel quia diræ appellantur, quæ sunt in ministerio Iovis, quando morbos aut lethum, aut bellum hominibus molitur, quia in 12 ait, *Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ.*

NVMINA MAGNA DEVM. Quia Iovem, Iunonem, Neptunum & Minervam dixerat.

TVM VERO. Quia ante & ab Hectore audierat, & per se viderat everti Trojam, sed non omnem, singulas enim res viderat; ut, *iam proximus ardet Vcalegon.* vel. Tum vero, quando & divisi sunt sævientes, & ex imo verti, quia superiori excidio, quando ab Hercule expugnata est, nec omne Ilium conciderat, nec ex imo fuerat Troja subversa, per hæc ergo fit certior causa fugiendi.

ORNVM. P . . . . Oceani filia à Sarpedone Ilii filio adamata est, quem cum * veni sprevisset, faciente Venere, Iasonem tunc ad Colchos euntem inefficaciter adamavit, quo absente * ad luchi conficeretur in hanc arborem dicitur commutata.

FERRO ET BIPENNIBVS. ἓν διὰ δυοῖν.

ERVERE. Pro dejicere; & est Acyrologia. VSQVE. Tamdiu. MINATVR, aut eminet; ut, *Minæque Murorum*: Aut movetur.

TREMEFACTA COMAM. Solita figura. COMAM autem, pro ramis, per illam metaphoram tondentur Critici.

VVLNERIBVS. Pro ictibus. IVGIS. Cacuminibus montium. RVINAM. Aliarum scilicet arborum.

AC DVCENTE DEO. Secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus, *Pollentemque deum Venerem.* Item Virgilius, *Nec dextra erranti deus absuit*: quum aut Iuno fuerit, aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatæ Veneris, corpore & veste muliebri cum sceptro & natura virili, quod ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant, quamquam veteres *Deum* pro magno numine dicebant. Sallust. *Vt tanta mutatio non sine deo videretur.*

DONATI.

ERIPE NATE FVGAM. Quia sciebat non facile posse persuaderi fugam Æneæ, idcirco dixerat: *Tu ne qua parentis jussa time, neu præceptis parere recusa.* Quapropter cedendum erat, cum qui potest omnia, & favere debebat, contrarius esset.

NVSQVAM ABERO. Nam sine suo auxilio, cum esset in flammis, telisque hostilibus circumdatus, quomodo fugere potuisset?

VARIORVM.

ERIPE NATE FVGAM. Conclusio est, quæ suasionem habet ab utili. & notandum, fugam Æneæ non prius persuaderi posse, quam urbem penitus excisam videat; aliter enim honestam sibi dari fugiendi causam non putat. unde occulta deducitur Æneæ commendatio ab animi magnitudine. NASCIMB.

NVSQVAM ABERO. Προληπτικῶς suam filio operam pollicetur: etenim objicere potuisset Æneas, quo me feram? cum hinc flammæ, illinc hostes me premant? itaque suæ incolumitatis fit securus. Sane optima œconomia est, ut, ubi desunt humanæ vires, ibi auxilium deorum interponatur. NASCIMB.

AC VELVTI SVMMIS. Macrob. lib 5. c. 11. Homerus Iliad. γ. & δ. Macrobius libro 6. cap. 11. ἤριπεν ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωῒς κορυφή, χαλκῷ περιτμηθεῖσα χθονὶ φύλλα πελάσσει. HART.

Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.
Ast ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,
Antiquasque domos, genitor (quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam)
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exiliumque pati. Vos ô quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cælicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. satis una superque
Vidimus excidia, & captæ superavimus urbi.

SERVII.

DANT TELA LOCUM, FLAMMÆQUE RECEDUNT. Illi reddidit, *Flammam inter & hostes expedior*, hic est hiatus.

ANTIQUASQUE DOMOS. *Charas*, ambitiose dixit.

PRIMUM. Præcipuum. Vel *primum* ante filium & uxorem. Sed Varro rerum humanarum, ait permissum à Græcis Æneæ ut evaderet. & quod carum putaret auferret, illum patrem liberasse, cum illi quibus similis optio esset data, aurum & argentum abstulissent. Sed Æneæ propter admirationem iterum à Græcis concessum, ut quod vellet auferret, ille ut simile quod laudatum fuerat faceret, deos penates abstulisse, tunc ei à Græcis concessum, ut & quos vellet secum & sua omnia liberaret; quod poëta Veneris præsidio præstitum dicit Æneæ. PETEBAM. Pro adpetebam & optabam.

VITAM PRODUCERE. Figurate vitam producturum.

EXILIUM. Dictum quasi extra solum. VOS O. Obliqua oratio est. Nam aperte quidem hoc agit, ut relinquatur: latenter vero aliud, id est voluntatem fugiendi. per quod nimia Æneæ ostenditur pietas: qui nec justis caussis movetur, ut patrem relinquat. Sane rhetorica suasio est, deliberatur enim de ipsa re utrum fugiendum sit, & ejus partes ita ponuntur, ut si qui dissuadent an supervivendum patriæ, quod ideo aperte non dixit, ne cæteros à fuga dehortari videretur; sed ait, *vos fugite qui potestis*: à tempore, *Satis una superque*: an invitis diis, *Iampridem invisus diis & inutilis annos Demoror*: Sic quidem & illud colligitur an debilis patriæ superare debeat. INTEGER ÆVI.

SANGUIS. Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer nisi in juvenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. Unde & in senibus tremor est. Sane ævum hic ad annos referre debemus, cum alibi tempus significet, ut *Ævoque sequenti*, & *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas*. SUO ROBORE, sine alterius auxilio, quo egebat Anchises. Et duas res dicit, & juvenes estis & sani, quorum utrumque mihi deest. STANT. Perstant: solidæque sunt. AGITATE. Disponite, cogitate. Sallust. *Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse.*

COELICOLÆ. Ad quos nostra pertinet vita: ut, *Hand credo invisus cælestibus auras Vitales carpis*, &, *Nos juvenem exanimum: & nil jam cælestibus ullis Debentem*. Et, *Igneus est ollis vigor & cælestis origo.* Anima enim, cœli pars est: corpus vero umbra inferorum. Adeo ergo non posuit generale deorum nomen: & addidit *Cælicolæ*, ne crederentur inferni dii, qui datores vitæ non sunt.

SATIS SUPERQUE. Ad augmentum SUPERQUE addit. Est autem Tmesis. Sane sciendum est, esse aliqua quæ augmentum non recipiunt, nec minus significent: ut satis, perfectus. Nam quæritur utrum perfectior possit facere: ne incipiat. SATIS PERFECTUS minus significare.

UNA EXCIDIA. Sub Laomedonte ab Ercole. Sed emphaticῶs dixit *excidia*. SUPERAVIMUS. Supervivimus.

DONATI.

FLAMMAM INTER & HOSTES EXPEDIOR. Debuit hoc præstare Venus, & quia mater, & quia dixerat: *Nusquam abero.*

ME SI CÆLICOLÆ. Aperta conjectura, me invisum superis.

SATIS UNA. Scelus est patriam vidisse, & dolor immensus, quod adhuc post ejus interitum vivimus, & adhuc de vivendo cogitamus.

VARIORUM.

AST UBI JAM PATRIÆ PERVENTUM &c. Transitio est ad domesticam tragædiam: & primum quidem ad pietatem erga parentem Anchisen, quem humeris suis urbe efferre cupiebat. HORTENS.

EXCISA VITAM PRODUCERE TROIA. *Excissa* malo legere, cum excidium ab exscindo manare ratio moduli ostendat: unde & Maro, *exscindere urbem*. GERMAN.

VOS O QUIBUS INTEGER Æ. S. Explicat Victorius lib. xxv. Variar. c. 21. Observanda etiam est iteratio illa, Vos, Vos, quæ non ad cultum & venustatem, ut alibi sæpius, sed ad necessitatem celeriter fugiendi demonstrandam posita est. NASCIMB.

SATIS UNA SUPERQUE. Hæc vox mea quidem sententia, commiserationem auget: nam plenum erat dixisse SATIS. NASCIMB.

Sic

Digitized by Google

Sic ô, sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam: miserebitur hostis:
Exuviasque petet. Facilis jactura sepulchri est.
Iampridem invisus divis, & inutilis annos
Demoror, ex quo me divûm pater, atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lachrymis, conjuxque Crëusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque, & sedibus hæret in iisdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.

SERVII.

SIC O, SIC POSITVM AFFATI DISCEDITE CORPVS. Sensus talis est, Præstate mihi vos funebre solatium: hoc est adfamini me. ut dici mortuis solet, Vale, vale, vale. Nam ideo, *positum*, & *corpus* dixit. MORTEM autem ego manu hostis inveniam. Nam hic ordo est, Ego inveniam mortem manu hostis: ille miserebitur & petet exuvias. MISEREBITVR HOSTIS. Affectu ejus qui cupiebat interimi dixit: ut eum hostis quasi miseratus occideret. Sic Inix mater Euryali; *Aut tu summe pater divûm miserere, tuoque Invisum hoc detrude caput sub tartara telo, Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.* &, *Vos ô potius miserescite venti.* Alii sic exponunt *& Miserebitur*, id est, quod illi hostili animo fecerint, ego misericordię loco ducam.

EXVVIASQVE PETET. Quasi objectio, Sed spoliatum linquet cadaver; & responsio, FACILIS IACTVRA SEPVLCHRI. Aut secundum Epicureos, qui dicunt nil superesse post mortem: aut facilis contemptibilis & levis sapienti viro, ut sit jactura dispendium: Aut hoc dicit, Facilis sepulturæ jactura est, quam potest ruina præstare.

INVTILIS. Ideo quia debilis fuisse dicitur post fulmen. ANNOS DEMOROR. Quasi festinantes, diu vivendo detineo.

FVLMINIS AFFLAVIT VENTIS, ET CONTIGIT IGNI. Tria sunt fulminum genera: est quod afflat, quod incendit, quod findit. De hoc autem siluit. Fulminatus est autem Anchises; quia se cum Venere concubuisse jactabat. Sane afflatitii tactique dicuntur capti membris, ut *Tractus etiam ille qui hanc urbem condidit Romulus.* AFFLAVIT VENTIS. Bene dixit, quia scit non jaci fulmina, nisi cum flatu ventorum, ut in VII. *Tris imbris torti radios*, & sequentia. Sane de fulminibus hoc scriptum in reconditis invenitur, quod si quem principem civitatis, vel regem fulmen afflaverit & supervixerit, posteros ejus nobiles futuros & æternæ gloriæ. Fabula sane talis est. Cum inter æquales exultaret Anchises, gloriatus traditur de concubitu Veneris, quod cum Iovi Venus questa esset, emeruit ut in Anchisem fulmina mitterentur, sed Venus eum cum fulmine posse vidisset interimi, miserata juvenem; in aliam partem detorsit: Anchises tamen afflatus igne cœlesti, semper debilis vixit.

NOS CONTRA. Præpositiones, vel adverbia in A exeuntia, modo producunt ultimam literam, excepto *puta*, & *ita*: quia apud Ennium & Pacuvium brevia sunt. Hinc est quod etiam numerorum nomina indeclinabilia producuntur: ut, *Triginta magnos volvendis mensibus orbes.* Ea vero quæ declinantur, brevia sunt secundum rationem nominum in A exeuntium. EFFVSI LACHRYMIS. Pro effusi in lachrymas.

OMNISQVE DOMVS. Modo familia, alias domicilium: interdum re vera domum.

FATOQVE VRGENTI. Simile est ut currentem incitare, præcipitantem impellere.

RVRSVS IN ARMA FEROR. Quasi quodam doloris impetu, quod pater liberari non acquiesceret.

DONATI.

CORPVS. Non dixit vivum hominem, sed corpus scilicet ejus, qui non vivendi, sed moriendi cupidus esset.

IPSE MANV MORTEM. Respondet quæ possunt objici.

FIXVS. Immobilis sententia.

NOS CONTRA. Quia fuga esset salus petenda, & sine ipso fuga non erat, orabamus, ne universam domum, dum negat se fugiturum, perderet. Ergo omnia ex illius voluntate pendebant.

VARIORVM.

MISEREBITVR HOSTIS. Proverb. *Vel hosti miserandus.* HARTVNG.

EXVVIASQVE PETET. Non est objectio, ut Servius ariolatur; verum hinc quidem exoriri potest objectio. igitur insepultus abjici, & honore sepulchri carere non curas? cui statim ipse αὐτολυτικῶς occurrit, *Facilis jactura sepulchri.* Fortasse ad Cynicorum sectam alludit: qui se projici inhumatos non curabant. Cic. in I. Tusc. quæst. NASCIMBÆN.

FVLMINIS AFFLAVIT VENTIS, &c. Id est ambussit. Nam quæ igne contacta sunt in corpore, *Ambusta* Plinius vocat. SALMAS.

Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui:
Et sedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat: patet isti janua letho.
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis: ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascaniumque, patremque meum, juxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais, sinite instaurata revisam

SERVII.

NAM QVOD CONSILIVM. Quasi vetuerit regina audito. *Mortemque miserrimus opto*, sic responderet Æneas, *Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur.* MORTEM OPTO. Contra fatorum vim: & matris auxilium.

MENE. Probatæ pietatis filium. Nam pronomina habent vim suam, nonnunquam & emphasim: ut, *Cantando tu illum?* Sane, mene efferre pedem genitor & cætera, Rhetorice per deliberationem tractantur, an Æneæ relicto patre fugiendum sit. POSSE. Plus est quam velle.

NEFAS. Scelus. EXCIDIT. Bene excusat patrem, dicendo excidit; & ipsam temperat objurgationem.

PERITVRÆ. Bene perituræ dixit non perditæ, quia adhuc posse videatur evadere per suam & Anchisæ fugam; ideo amet addere tanquam magnam portionem exilio Trojæ genus Anchisæ conjungeret.

IVVAT. Delectat. Quasi malum illi voluptati sit. PATET ISTI. Apocope est, pro istic. Pronomen enim esse non potest: quia non præcedit nomen.

MVLTO PRIAMI DE SANGVINE. Quasi bis sanguinem fuderit Priamus, quia & filium ejus Pyrrhus occiderit. *

NATVM ANTE ORA PATRIS. His rebus terret eum, qui non potest mortem timere. OBTRVNCAT. Obtruncare consuevit. HOC. Ideo.

QVOD. Propter quod.

ARMA VIRI FERTE ARMA. Notant hoc Critici, quia sæpius armari aliquos dicit, cum exarmatos nusquam ostendat: qui nesciunt non omnia à poëta (ut supra diximus) dici debere. Nam & diem describit, nocte non præmissa. Superfluo enim dicuntur ea quæ necesse est fieri. Quis enim domum ingressus, non arma deponat. Vel quia ad auferendum patrem arma deposuerat, vel quia armis Græcorum fuerat armatus. VOCAT LVX VLTIMA VICTOS. Id est victis moriendum est.

REDDITE ME DANAIS. Vel quibus me eripuit mater, vel tanquam quærentibus & invenire cupientibus, & bene *Reddite* quasi retineatur, nam ideo ait *sinite*. INSTAVRATA. Renovata. quod verbum & de feriis & de scenis solebat apud veteres usurpari.

DONATI.

MENE. Invidiosa dictio, sed quæ plena esset pietatis, & ex affectu religioso profecta. Habet autem gravissimum pondus in pronominibus, ME & TE: ME? Scilicet filium tuum, cujus pietatem, officia, religionemque optime comprobasti. TE? qui sis pater meus, & probe noris quid patres liberis, ac patribus liberi debeant. TE? Qui senectute & morbo gravis sis, & quem ita relinquere sit scelus hoc tempore, & hoc loco, ubi hostes sint & flamma. Potuisti ergo loqui, quod me faceret parricidam?

SI NIHIL. Artificiosa oratio: nam esset causa interitus omnium: & exemplo ostendit affuturum, qui filium, nepotemque in suo conspectu interimat, cum jam ea crudelitate usus in Polyte sit: qui nunquam patrem interemturus sit, nisi prius cæso filio.

HOC ERAT ALMA PARENS. Ostendit materna beneficia converti in perniciem.

CERNAM. Ad omnia pertinet, & propterea non semel accipiendum est.

ARMA VIRI, FERTE. Conabatur flectere patrem in suam sententiam, cum filii periculum cerneret.

VOCAT LVX VLTIMA VICTOS. Vt intelligat non sumi arma ad salutem, sed ad mortem: nec inde aliud sperari, quam aliquam ultionem.

VARIORVM.

PATRIO EXCIDIT ORE? Illud ex ore, seu ex lingua nobis excidere dicitur, quod inconsulte profertur, ac nobis pene invitis, ex ore nostro labi videtur. In hac pene tota contentione, Euripedem in Troad. imitatus est. NASCIMB.

OBTRVNCAT AD ARAS. Ianus Parthasius, in Claudianum, meminit hujus loci. HART.

Prælia

Prælia : nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rursus ; clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iülum:
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. cui parvus Iülus,
Cui pater, & coniux quondam tua dicta, relinquor?
Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
Cum subitum, dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iüli

SERVII.

„ NVNQVAM. Pro non; Vt, *Nunquam hodie* „ *effugies.*

„ INSERTABAM. Cunctationem ostendit hoc „ verbo ejus qui nec ire ad prælium velit, nec domum „ relinquere, sic & *Ferebam*, dixit. PATRI. Melius „ patri, quam mihi.

TENDEBAT. Offerebat : sed non manibus eum gestans.

SI PERITVRVS ABIS. Argutum dilemma, id est complexio : quæ adversarium ab utraque parte concludit.

EXPERTVS. Quidam participium præteriti temporis, sed vim præsentis habere volunt, quia præsens deficit.

TVTARE DOMVM. Hoc est cui defensori relinquimur, si tu deseris. CVI PARVVS IVLVS. Interrogantis est : & simul epitetho commendat ætatem.

CONIVX QVONDAM TVA DICTA RELINQVOR? Quondam, aut aliquando significat : quasi nunc uxor non sit, quæ relinquitur. Aut *quondam* semper significat ; ut in Georgicis, *Quod quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.* Et est sensus, quam semper conjugem nominasti. Haberi enim quævis „ poterat: nominari non nisi nobilis. Et bene ex ductu „ literarum quod eventurum timet, quasi jam conti- „ gerit deflet, se autem ideo ultimam facit, quod ipsa „ loquitur, diversam autem ætatem pueri, senis, & fœ- „ minæ, ad miserationem commovendam videtur ob- „ jicere.

SVBITVM. Pro subito, adverbium est ordinis „ secundum veteres. ORITVR. Oriuntur divina † ut „ Sol ideo & quia dicuntur *oritur*.

MANVS INTER. Mutavit accentum præpositio postposita. Sane INTER plerumque præponitur. Sed raro apud Virgilium ; ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.* Bona autem œconomia ad Iülum venit, dicens eum fuisse inter manus parentum. *Inter manus* autem : hoc est inter amplexus. Non enim possumus eum illo tempore portatum dicere ; quem & mox pedibus patris comitem fuisse, & post septem annos bella tractasse. MIRABILE MONSTRVM. τὸ μέγα est: & à monstrando, id est monendo dicitur. Et refertur ad præsens, ejus significatio. Prodigium vero est quod in longum tempus dirigit significationem.

LEVIS. Pro leviter.

DONATI.

HIC FERRO ACCINGOR. Quoniam ne his quidem dictis motus erat.

PATRI. Non dixit, mihi, sed patri : ut si maritum non flecteret, saltem patrium affectum moveret.

QVONDAM TVA. Nam si discedam, non potero esse deinceps tua.

VOCIFERANS. Non solum verbis, verum etiam gemitu ostendens.

CVM SVBITO. Talis est locus iste, qualis est. *Talia jactanti stridens aquilone procella.* Item, *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur*, &c. Item *Talia fundebat lachrymans, longoque ciebat incassum fletus.* Nam incerta & insperata innectit, non expectans verbosum finem. MIRABILE. Nam fiebant multa contra naturam, ut flamma, quæ tangebat, ac non ureret.

VARIORVM.

CLYPEOQVE SINISTRAM INSERTABAM. Hunc versum explanat Cælius Rhodiginus lib. x. cap. 4. ubi docet, illud scuti lorum, annuli vice, inter quod & ipsum scutum, insertamus manum, *Insertorium* dici. TAVBMAN.

ECCE AVTEM COMPLEXA PEDES. Πάθος ab habitu uxoris, & ætate pueri : de quo Macrobius lib. 4. cap. 3. Et est muta persuasio, quæ non verbis fit, sed rebus. Plus enim quandoque spectacula movent, quam verba. TAVBMAN.

ECCE LEVIS. Prodigium exortum describit : quod Ascanium regem futurum portendebat. NASCIMBÆN.

Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises, oculos ad sydera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantum: &, si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit lævum, & de cœlo lapsa per umbras

SERVII.

FVNDERE LVMEN APEX. Proprie dicitur in summo flaminis pileo virga lanata: hoc est in cujus extremitate modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Modo autem summitatem pilei intelligimus. Tangit namque, ut frequenter diximus, latenter historiam. Item hoc quoque igni, ad Servium Tullum pertinet. Nam quum Tarquinius cepisset Oriculanam civitatem: ex captiva quadam in domo ejus natus est Servius Tullus Hostilius; qui cum obdormisset, caput ejus subito flamma corripuit. Quam cum vellent restinguere; Tanaquil regis uxor auguriorum perita, intelligens augurium, prohibuit. Flamma puerum cum somno deseruit. Vnde intellexit eum clarum fore usque ad ultimam vitam. Sane perite lucem dixit, non ut in septimo, *Tum fumida lumine fulvo.* Nam & illic splendor quidem est: sed cum fumo, qui semper caussa lachrymarum est. In Ascanio autem solus ostenditur splendor. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum. Sed apicem pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum pileum lanatum metæ figuræ: galerum pileum ex pelle hostiæ cæsæ.

CIRCVM TEMPORA PASCI. Pasci, crescere: ut, *Sacrum tibi pascere crinem.* Sunt autem hic infiniti pro indicativis.

SANCTOS RESTINGVERE. Religiosos: Non quos tunc sacros sciebant: sed quos mox probaturi sunt. Et bene *fontibus* non aquis. *Sanctos* vero ut venerabilius fieret, sane *Sanctum* est interdum non idem quod sacrum, neque idem quod religiosum, interdum non aliud quam sacrum, hic ergo *sanctos* sacros accipiemus, quippe quo loco auspicia fierent, sicut ex Anchisæ personæ ostenditur, cum dicit, *Oculos ad sydera lætus Extulit* : &c., *Da deinde pater auxilium atque omina firma.* Aliter *sanctum* accipi per singula loca dicitur.

AT PATER ANCHISES. Et hic & alibi Anchisen divinandi peritum inducit. OCVLOS AD SYDERA. Contra opinionem Theocriti, qui eum cœcatum fuisse commemorat.

ET COELO PALMAS CVM VOCE TETENDIT. Fugæ defensio est, ut videatur non solum utilis & necessaria, sed & honesta, quoniam divina suadebant: nam & ideo inducitur noluisse, ut quod vincitur & consentit argumentum voluntatis divinæ sit.

SI FLECTIERIS. Aut secundum Stoicos locutus est, qui fati asserunt necessitatem: aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia.

ASPICE NOS. Quia intuentes dii juvant. Nam de Iove in x. libro sic ait, cum in Africa esset Æneas. *Et Libyæ defixit lumina regnis*, Et contra, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* Aut secundum Mathematicos, quod quidquid Iupiter irradiaverit felix facit: unde est, *Atque oculos Rutilorum rejicit arvis.*

ATQVE HÆC OMINA FIRMA. Secundum Romanum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora. Vnde est, *Quantum Chaonias aquila veniente columbas.* Nam aquila sine dubio columbis plus potest.

FATVS ERAT. Proprietatem disciplinæ secutus, quod Augurum effata dicuntur.

INTONVIT LÆVVM. Sinistrum, prosperum: quia cæleste est. Sinistrum autem à sinendo, quantum ad auguria pertinet: quod nos agere aliquid sinat; unde alibi, *Si quem numina læva sinunt.* Sed hoc loco pontificalis inducitur disciplina. Nam ostendit Anchisen cum vellet fugam filii sequi, omine quod de Ascanii* pro capite auspicii se obtulit, à diis commotum, petisse de cœlo confirmationem, subjungit enim, *Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore Intonuit lævum*: Prosperum quia sereno cœlo sive audita, sive visa fuerint, quod hic utrumque ostendit, *Subitoque fragore Intonuit lævum*, quod ad auditum scilicet pertinet. Iterum adjunxit quod ad visum pertinet. Et *de cœlo lapsa per umbras Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.* Hoc autem auspicium cum de cœlo fit, verbo Augurum *maximum* appellatur. Sinistras autem partes Septentrionales esse Augurum disciplina consentit, & ideo ex ipsa parte significatiora esse fulmina; quoniam altiora & viciniora domicilio Iovis.

VARIORVM.

HÆC OMINA FIRMA. Omen unum atque augurium, non videbatur Romanis satis habere ad persuadendum fidei. Proinde ad confirmationem prioris augurii, secundum poscere solebant. PONTAN.

Stella

Digitized by Google

Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere sylva,
Signantemque vias: tum longo limite sulcus
Dat lucem, & late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras;
Affaturque deos, & sanctum sydus adorat.
Jam jam nulla mora est: sequor, & qua ducitis, adsum.
Dii patrii servate domum, servate nepotem.
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; & jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.

SERVII.

MVLTA CVM LVCE CVCVRRIT. Nunc theologicam rationem sequitur, quæ asserit flammarum, quos cernimus tractus, nimbum esse descendentis numinis. Alibi physicam: ut, *Vento impendente videbis, Flammarum longos à tergo albescere tractus.* FACEM DVCENS. Lumen, quod utique ex facibus nascitur.

SVPER LABENTEM. Quidam hoc verbum unam partem orationis esse tradunt.

IDÆA CLARAM SE CONDERE SYLVA. Stellæ hujus cursus, significat Trojanos conglobatos ad domum Æneæ Idam petere. Quod dicit, MVLTA CVM LVCE: Ostendit claros. Quod SIGNANTEMQVE VIAS. Scintillas quasdam dicit relictas, quæ ostendunt remansuros in diversis partibus socios. Quod, LONGO LIMITE. Ostendit errorem. Quod, SVLCVM dicit, significat *longum maris æquor arandum.* Quod ait, SVLFVRE FVMANT: divini ignis odor ostenditur. Fulgura enim odor sulphuris sequitur. Ex fumo autem mors Anchisæ cognoscitur, sicut ejus oratio sequens indicat, „ *Et tenuis fugit ceu fumus in auras.*

„ CEDO EQVIDEM. Quasi dicat licet me sciam „ moriturum, & bene quod divinarit Anchises, totum „ ei conceditur. Quidam *fumum*, bellum quod in Ita„ lia futurum erat, significari tradunt.

VICTVS GENITOR. Quasi pertinax & à pristino proposito recedens: SE TOLLIT AD AVRAS. Verbum augurum: qui visis auspiciis, surgebant ex templo; unde ex templo.

„ AFFATVRQVE DEOS. Agit diis gratias, vel „ certe invocat, *Iamjam nulla mora est*, &, *Cedo equi*„*dem*, ostendit eum Æneæ dictis consensisse.

„ DII PATRII SERVATE DOMVM S. N. Hic „ ostendit Anchisen ea quæ optabat per impetrationem „ augurii meruisse.

„ AVGVRIVM enim, est exquisita deorum vo„ luntas per cosultationem avium, aut signorum. peri„ te ergo signum de cœlo *augurium* dixit, ideo & ad„ jecit *servate domum*, id est genus, familiam. *Servate* „ *nepotem*, à quo certus * Romanam prolem propagaturum iri. VESTROQVE IN NVMINE TROIA EST. In vobis ea omnia habeo: propter illud, *Has* „ *mihi servassent sedes*. alii ita exponunt, Augurium nu„ menque vestrum efficiat, ne putem Trojam perisse. „

CEDO. *Cedere* proprie dicitur qui contra sen„ tentiam suam alteri consentit: ut, *Cedamus Phœbo.* „ COMES IRE RECVSO. Tantum ad solatium itineris, quoniam prope moriturus; ut in sexto Æneas: *Ille meum comitatus iter.* Vult enim Virgilius etiam Æneæ concedere patris peritiam.

DIXERAT ILLE. Hic distinguendum. Alii & *ignis*, sed malæ. ET IAM. Dum negat, dum ostenduntur auspicia.

PROPIVSQVE. Quamvis secreta domus sit. „ Propter illud, *Arboribusque obtecta recessit.* & ordo est: Incendia propius volvunt æstus, id est calorem. Vnde etiam æstas dicitur, à calore.

DONATI.

PATER ANCHISES. Apud quem cælestium rerum scientia erat.

VIX EA FATVS ERAT. Ostenditur ex hoc magnum Anchisæ meritum.

SEQVOR ET QVA DVCITIS ADSVM. Primum est ducere, secundum sequi; sed ordinato sensu corrigitur, ut sit, *qua me ducitis sequor.*

VESTRVM HOC AVGVRIVM. Quia vestrum est augurium, vestrum est tueri quod agimus.

CEDO. Scilicet potioribus.

VARIORVM.

STELLA FACEM DVCENS. Beroaldus in Servium § 20.

MVLTA CVM LVCE CVCVRRIT. Alludit ad Græcorum appellationem, qui hujusmodi stellas διάττοντας appellant. Cæterum lucem capit hic locus è Plinio lib. 2. cap. 26. ubi ejusmodi sive *lampades*, sive *bolides* describuntur. Et potest fieri, ut sit allusum ad stellam, quæ à nece Iulii Cæsaris septem diebus perpetuis fulsit, auctore Suetonio. Vide Ios. Scalig. lib. 1. Manilii. TAVBMAN.

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.
Quo res cunque cadent, unum & commune periclum,
Vna salus ambobus erit: mihi parvus Iulus
Sit comes, & longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Relligione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello è tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

SERVII.

ERGO AGE. Quia consensisti,&ignis propinquat. AGE autem, non est modo verbum imperantis,sed adverbium hortantis:adeo ut plerunque *Age*, facite dicamus, & singularem numerum copulemus plurali. CERVICI. Cervix, cum numero singulari dicitur,collum significat: si plurali utamur, superbiam ostendimus; ut in Verrinis Cicero, *Frangere cervices*.

AMBOBVS ERIT. Ad filium & ad patrem potest referri. melius ad patrem: quia de Ascanio post loquetur.

ET LONGE SERVET VESTIGIA. *Longe*, valde: ut, *Tyberinaque longe Ostia*. Nam *longe* non potest, quia sequitur, *Pone subit conjux*. Et bene ire singulos facit. Scit enim multitudinem facile posse comprehendi. SERVET autem, custodiat: ut, *Et tantas servabat filia sedes*. vel *longè* ideo, ut sit prooeconomia quod errare potuerit. FAMVLI. Vnde familia.

VRBE EGRESSIS. Hic ablativo junxit, ut Horat. *Egressum magna me accepit Aricia Roma*. Salust. Accusativo. Vt, *Raro egressa fines suos*. Ergo utrumq; dicimus. TVMVLVS. modo terra tumens: alias sepulchrum. Prudenter autem circa turbatos pluribus utitur præceptis. diversa signa dat, quia scit timoris comitem esse oblivionem. TEMPLVMQVE VETVSTVM DESERTÆ CERERIS. Bene Cereris fanum ante urbem esse facit, quæ dea rusticorum est. Et liberat Æneas&Cereris templum, &vetustum elegit, ad quod nec viris erat aditus,sicut hostes putabant. Nam Æneas scit ante esse profanatum: propter quod, nec prædæ spe Græci poterant duci.

DESERTÆ CERERIS. Verum à sacerdote, qui in sexto extinctus inducitur:ut, *Cererique sacrum Polybetem*. An *deserta* belli tempore, propter decennalem obsidionem. An *deserta* à filia; ut, *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem*.

RELLIGIONE PATRVM. Timore. & est reciprocum. Sic Terentius, *Nam indicinil esse, religio est dicere*, id est metus. Item Virgilius contra: *Multosque metu servata per annos*. Connexa enim sunt metus, & religio. Vt Statius, *Primus in orbe deos fecit timor*. ANTIQVA CVPRESSVS. Ad vetustatem retulit. Cupressum autem funebrem arborem bene ante templum deæ lugentis induxit. EX DIVERSO. Vt non sit suspicio Græcis.

CAPE SACRA MANV. Non est dantis,sed hortantis, ut tollat: quia sequitur, *Me bello è tanto digressum,& cæde recenti Attrectare nefas*. Scit enim Græcos ex pollutione Palladii piaculum commisisse.

FLVMINE VIVO. Perenni, quia jugiter aqua fluens viva vocatur.Sane,*Cape sacra manu patriosque penates: Me bello,&c.* pro abluam. VIVO autem, sicut dictum est, semper fluenti id est naturali: ut, *Vivoque sedilia saxo*. est autem augurale verbum.

DONATI.

ERGO AGE. Nam cum impetrassem paternum assensum, quod difficillimum fuit, arripui subitam occasionem: & omnibus difficultatibus quas objicere potuisset Anchises, occurrit. Nam se illum senem & impeditum laturum pollicetur, & omnia communia ipsis futura ostendit,quia nusquam illum deseret: & ne quærat, quid de filio & de uxore faciat, juvabo, inquit, filium auxilio dextræ, & uxor vestigia mea sectabitur. Quod vero ait, *solus Iulus sit comes & longe servet vestigia conjunx*, fuit consilium, ut tutior fieret fuga. Nam si plures fuissent congregati, non facile latuissent.

VARIORVM.

TEMPLVM DESERTÆ CERERIS. Credo equidem hoc templum Cereri consecratum, respiciente nuncupatione raptum Proserpinæ, & spoliatam & orbatam filia matrem a Dite,& ita desertam à carissima Virgine, quam ad inferos usque secuta requisiverit. Quam sententiam adjuvat Ἑρμιὼν vel Ἑρμιόνη templum in Peloponeso Cereri & Proserpinæ sacrum asyli vice, quod quasi ἑρμαῖον, vel ἕρμαιον Grammatici quidam dictum volunt. GERMAN.

Hæc

Hæc fatus, latos humeros, subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis:
Succedoque oneri. dextræ se parvus Iülus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit conjux. ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji:
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique, onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens, Nate exclamat, fuge nate: propinquant:
Ardenteis clypeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum

SERVII.

LATOS HUMEROS. Aut more Heroum se laudat: aut certe sternendo latos facit: Vel *latos*, sufficientes vecturæ. Vult enim ostendere totum se ad onus præbuisse, & ideo *humeros*, non humerum.

INSTERNOR. Eleganter tanquam onus laturus, ut de animalibus.

SUCCEDOQUE ONERI. Figura est, ut *Succedunt muro, & flammas ad culmina jactant.*

IMPLICUIT. Puerilem expressit timorem, ne manu excidat patris. SEQUITURQ. PATREM, &c. Bene de præsente puero, qui ut putabatur inter manus reginæ erat positus, expressit adfectum.

PONE. Post; sed loco tantum non & tempori adjungitur, & est adverbium. Atque ideo ultima syllaba habet accentum. SUBIT. Sequitur. OPACA LOCORUM. Quia dixit, *Arboribusque obtecta recessit.* Est autem elocutio: ut, *Strata viarum.* Alii *per opaca* * casu accipiendum putant; vel *opaca*, obscura. alibi *opacum*, amœnum.

ET ME QUEM DUDUM. Naturalia plus timet. Quasi & vir fortis & pius non timet bellicum timorem; sed naturalem: propterea quia sequitur, COMITIQUE, ONERIQUE TIMENTEM.

GLOMERATI EX AGMINE. Propter illud, *Undique collecti invadunt.*

NUNC OMNES TERRENT AURÆ. Hic ostendit etiam fortes viros pro ratione temporis & causarum, & debere, & decere metuere. SONUS EXCITAT OMNIS. Consternat.

SUSPENSUM. Sollicitum. COMITIQUE. Quidam *comiti*, pro comitibus accipi volunt. Nam & pro Creusa eum timere putant intelligi, & singulariter dictum, ut equitem & peditem de multitudine dicimus.

SUBITO CUM. Hysterologia est. NATE. Hæc singula pronuntianda sunt: quia perturbatis, jugis non datur sermo; nec gaudentibus, nec dolentibus. quidam adfectiose distinguunt.

PROPINQUANT. Non dicit qui: propter sequentem de Corybantibus œconomiam. CERNO. Nonnulli quærunt ex cujus persona *cerno* dictum sit. Sed altius intuentes, Æneæ dant. Ut ipse hunc versum dixisse videatur.

NESCIO QUOD TREPIDO. Excusatio est conjugis longius derelictæ. Et bene *nescio*. Quod ait, quia hoc postea à simulachro uxoris agnoscit. MALE AMICUM. Non cum utilitate mea favens uxori, quæ in numerum ministrarum Matris deum relata est. Vel *male amicum*, iratum: ut, *Statio male fida carinis.*

DONATI.

IMPLICUIT. Exprimit causam & factum: nam puer patris fugientis æquare passus non poterat. Exprimit etiam laborem suum, quod in tanta celeritate patrem ferret, filium traheret.

VARIORUM.

PELLE LEONIS. Alexander lib. 6. cap. 26. *Gestare Heroës pelles leonum, ad incutiendum terrorem.* HARTUNG.

OMNES TERRENT AURÆ. Sophocles: τῷ φοβουμένῳ πάντα ψοφεῖ. λ. HART.

ÆRA CERNO. Cum esset cæcus Anchises, hunc versum, Æneæ critici tribuere maluerunt. Sed quamvis cæcus, ita ut in consuetudine solemus, potuit Anchises loqui. Nam obliti sui, plerunque cæci ea dicunt, quæ videntium sunt: pavorque mentem ita consternarat ejus, ut se putaret videre, quod metuebat. TURNEB. lib. xxvj cap. 23.

MALE NUMEN AMICUM: *Numen male amicum est*, quod uno tempore adversa prosperis miscet. *Amicum* hic dici non potuit, quia non servavit universos: *Inimicum* non potuit, quia præstitit beneficium, ut plures servarentur. TAUBMAN.

Confusam eripuit mentem. namque avia cursu
Dum sequor, & nota excedo regione viarum;
Heu misero conjux fatone erepta Creüsa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum: nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi, animumque reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris, sedemque sacratam
Venimus. hic demum, collectis omnibus, una
Defuit, & comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisemque patrem, Teucrosque penates
Commendo sociis, & curva valle recondo.
Ipse urbem repeto, cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omneis, omnemque reverti
Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.
Principio muros, obscuraque limina portæ,

SERVII.

MENTEM. Memoriam: quod paulo post ait, *Nec prius amissam respexi.*

FATONE EREPTA CREVSA. Ordo est: *Fato erepta Creüsa, Substititne, erravitne via.* Non enim dubitat fato esse sublatam: cum audierit, *Non hæc sine numine divum Eveniunt.*

NEC POST OCVLIS EST REDDITA NOSTRIS. Constat. Nam umbram ejus vidit tantummodo. Alioquin mentiebatur dicendo, non vidi.

HIC DEMVM. Hic una defuit; Aliter vitium est. Huc enim dicere debuit. VNA. Id est sola: & videtur improprie de necessaria persona *una* dixisse, quæ non sic debet numerari, quasi numero defuerit, sed quasi affectus dolentis; *Sola* enim de multis intelligitur.

COMITES. Vtrum natum & virum, an separatim alios, an famulos dixit. NATVMQVE. Qui per ætatem, matrem desiderare debuerat. VIRVMQVE. Videtur excusasse oblivionem suam, & culpam ad deos retulisse. DEORVMQVE. Hypermetrus versus est; ideo ne si deum per genitivum pluralem diceret, [illegible] faceret. Dicendo autem, *Quem non incusavi amens hominumque deorumque*, dat sibi amentiam, quia in furore incusavit deos etiam, quod nunquam: cum enim dixit *quem*, non intelligimus etiam deos.

VIDI CRVDELIVS. Bene se commendat futurus maritus, qui apud fœminam sic ostendit priorem se amasse uxorem.

VRBEM REPETO. Qui* repeto, pro repetere accipiunt. FVLGENTIBVS ARMIS. Licet intempestive *fulgentibus* dixerit, tamen potest significasse scutum & galeam, quibus solis caruerat, patrem portans & filium ducens.

VALLE RECONDO. Hic jam ostenditur nimia multitudo.

STAT CASVS. Placet; ut, *Stat quidquid acerbum est, Morte pati.*

OBSCVRA LIMINA. Aut per noctem obscura: aut certe posticum, LIMINA significat.

DONATI.

MALE AMICVM. Amicum non potest dici, quia non servavit universos. Nec rursus inimicum, quia præstitit inimicum.

IPSE VRBEM. Ostendit affectum puri matrimonii.

VARIORVM.

FATONE EREPTA CREVSA. Non casu dixit, sed *fato*; ex opinione Stoicorum: qui asserunt fatorum statuta servari. unde est illud ex x. Æneid.

Stat sua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Epicurei vero casibus omnia tribuunt: quo respexisse videtur Poëta in 4. cum ait:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, &c. NASCIMBÆN.

NATVMQVE VIRVMQVE FEFELLIT. Latuit. λανθάνειν Græcis est latere, pro quo fallere Latini sæpe. Horat.

Non vixit male, qui vivus, moriensque fefellit.

Vel spem fefellit comitum, & gnati, & viri. PONT.

PRINCIPIO MVROS, &c. Qua diligentia uxorem quæsierit, planum facit: loca quæ adierit, ut de illa investigaret enumerat; & in illis recensendis varios renovat commiserationis affectus. NASCIMBÆN.

Qua

Digitized by Google

Qua gressum extuleram, repeto, & vestigia retro
Observata sequor per noctem, & lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax, summa ad fastigia vento
Volvitur: exuperant flammæ, furit æstus ad auras.
Procedo ad Priami sedes, arcemque reviso.
Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo,
Custodes lecti Phœnix & dirus Vlysses,
Prædam adservabant: huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur: pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.

SERVII.

QVA. Pro unde. RETRO OBSERVATA SEQVOR. Relego retro & prosequor mea vestigia.

LVMINE LVSTRO. Oculos circumfero, non enim facem ferre poterat, quia proderetur.

IPSA SILENTIA. Ipsa quæ terrere non debent, præcipue inter hostes. Sed ut diximus, naturalibus tantum cedit.

SI FORTE PEDEM, SI FORTE. Iteratione auxit dubitationem.

IRRVERANT DANAI. Quos Venus ante prohibuerat. Vnde est, *Et ni mea cura resistat*.

ILICET. Confestim. Hic significat quod ILICO: Sed metri ratione variantur. SVMMA AD FASTIGIA VENTO. Qui urget flammas; ut, *Veluti cum flamma furentibus austris*. FASTIGIA. Modo de summitate proprie dixit: alibi de imo; ut est, *Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras*. Inde est, *Cœlumque profundum*: cujus porro fundus est: cum de imo fundus, de summo fastigium dicatur.

PRIAMI. Patris ejus. ARCEM. Ne vel illuc confugisset.

VACVIS. Magnis, quippe illic erant omnia. Alii *vacuis* pro vacuatis intelligunt, ut sit nomen pro participio; aut *vacuis* à nobis, aut certe *vacuis*, latis. IVNONIS ASYLO. Templo: unde nullus possit ad supplicium extrahi. Dictum asylum, quasi asyrum. Alii, asylum ideo dictum, quod nullus inde tolleretur, id est quod συλᾶσθαι, hoc est abripi nullus inde poterat, vel quod fugienti illuc spolia non detraherentur: σῦλαι enim Græce aut furta, aut spolia dicuntur. Hoc autem non est in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum est. Primo autem apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur ii, qui erant à patre oppressi: sicut docet in duodecimo Statius. Hoc asylum etiam Romulus imitatus est. Vnde est, *Quem Romulus acer asylum Rettulit*. Non statuit. Quem locum deus Lucoris, sicut Piso ait, curare dicitur. Sunt quidam qui dicunt, ideo Græcos in templo Iunonis, quod Asylum erat, prædam convexisse, vel captivos conclusisse, quod ibi cædem fieri non liceret, & ideo fœminas & pueros clausos, quod imbellis esset ætas & sexus, quibus etiam hostes parcere consueverunt.

PHOENIX. Achillis magister.

HVC. Pro illuc.

GAZA. Census, Persarum lingua: & est numeri singularis tantum.

MENSÆQVE DEORVM. Postquam excessere omnes adytis.

CRATERESQVE AVRO SOLIDI. Qui sunt vel inaurati, vel laminis tecti, vel incrustati. CAPTIVAQVE VESTIS. Pro captivorum, & est nota elocutio.

LONGO ORDINE. Longa multitudine, ut in sexto; *Vnde omnes longo ordine posset*: quum non dicat per ordinem. Non enim ordo erat in multitudine.

VARIORVM.

HORROR VBIQVE. Πάθος. nihil erat in urbe, quod animis hominum terrorem non incuteret.

SIMVL IPSA SILENTIA TERRENT. ὑπερβολικῶς timorem suum auget: cum tamen non sibi, sed uxori timeat: ita quoque antea de patre se territum fuisse dixerat. NASCIMB.

ILICET IGNIS EDAX. Vide Ioach: Camerarium, problemat: x. Decur. 4.

PROCEDO AD PRIAMI. Alii legunt, *Protinus ad Priami sedes*. In Longobardico exemplari est, *Procedo, & Priami sedes, &c.* Et ita habetur in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis. Quam lectionem etiam Tib. Donatus agnoscit. Ait enim, *Procedo*, hoc est progredior, vel ulterius accedo. *Et Priami sedes arcemque reviso*: ne illa ad domum patris sui, aut ad munitum aliquem locum se contulisset. PIERIVS.

Digitized by Google

Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mæstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterumque, iterumque vocavi.
Quærenti, & tectis urbis sine fine furenti,
Infælix simulachrum, atque ipsius umbra Creüsæ
Visa mihi ante oculos, & nota major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum insano juvat indulgere labori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine divûm
Eveniunt: nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas: haud ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies; ubi Lydius arva

SERVII.

AVSVS. Quod inter hostes. VOCES IACTARE. Quæ contrariæ sunt latere cupienti. & hic ostendit, & se fato evasisse, & fato conjugem perdidisse, sed inquirendi officium ad *vocem* transtulit, propter noctem: ibi enim voce opus est, ubi visus non suppetit. *voces* vero, quia, *Iterumque iterumque vocavi.*

TECTIS. Per tecta. Antiptosis.

INFELIX SIMVLACRVM. Mihi, non sibi: ut, *Quæ potui infælix?* Per *simulacrum* autem apotheosin ostendit: quia simulachra deorum sunt: umbræ, inferorum. sicut Vlyxes in Homero apud inferos umbram Herculis cernit, qui post mortem umbræ inferos, animæ quæ cœlum petunt.

MAIOR IMAGO. Quia umbra major est corpore. Et per hoc mortuam vult ostendere, aut ex homine deam factam.

STETERVNTQVE COMÆ. Præ horrore.

TVM SIC AFFARI. Infinitus modus pro indicativo, & hic versus in plerisque dicitur non fuisse. QVID TANTVM. Consolatio est. sequitur etiam divinatio, quæ animis liberatis corpore conceditur. Vnde etiam morientibus datur. Vt, *Nec longum lætabere: te quoque fata Prospectant* paria.* Acron Mezentio post, atque aut eadem m. at.

INSANO. Hic sine ratione, aut certe *Magno*: ut, *Insani feriant sine littora fluctus.* INDVLGERE. Vel permittere, vel, Operam dare; ut, *indulgent vino.*

SINE NVMINE DIVVM. Sine fati necessitate: ut enim Statius dicit, *Fata sunt quæ dii fantur.* EVENIVNT: NEC TE HINC COMITEM ASPORTARE CREVSAM. Hic versus scansione caret. si non convertatur, ut per eclypses aut synalœphas scandatur ita, *Eveniunt: nec te hinc comitem asportare Creusam*: unde multi AS syllabam detrahunt, sic tamen vix fide servata scanditur, conversio; ut, *Nec te hinc comitem asportare*, & potest scandi per synalœpham. Aliter, nec eclipsim, nec hiatum, nec synalœpham recipit.

FAS. Pro fato. Quia sequitur *Regnumque & regia conjux parta* tibi. CREVSAM. Quia Latina declinatio est, erit Latinus accentus. ILLE. Superfluum hoc loco pronomen. OLYMPI. Cur in penultima accentus sit, manifesta est ratio apud. Latinos: quanquam Græci discretionem velint per accentum facere montis & cœli, quod superfluum est.

LONGA TIBI EXILIA. Subaudiendum obeunda. ARANDVM. Quia legimus, *Subtrahiturque solum*: non immerito dixit nunc ARANDVM. HESPERIAM. Sequenti epitheto Italiam ab Hispania segregavit; quæ & ipsa Hesperia dicitur. Et videtur per derivationem etiam errori finem dedisse.

VARIORVM.

AVSVS QVIN ETIAM. Nihil intentatum reliquisse ostendit: qui in summo etiam salutis periculo vocem effundit, ut amissam uxorem inveniret: movet commiserationem ab animi sui afflictione. & à tristi ac infausto rei eventu, quod hæc omnia tanto cum periculo frustra tentarit. NASCIMB.

NEC TE HINC COMITEM, &c. Digladiantur inter se Grammatici & eruditi homines super hoc versu, qui ita in vulgatis exemplaribus legitur: *Eveniunt: nec te comitem hinc asportare Creusam.* Vitiose profecto. Cui alii demunt locale adverbium *hinc*, ne uno pede redundet: quidam vero *portare* legunt, ut ad numerum cadat: nonnulli, *hinc asportare*, legendum mordicus defendunt, versumque esse pentametrum choriambicum hypercatalecticum asserunt: denique in hoc omnes periti convenire videntur, versum hunc exlegem esse. Verum ego ab imperito librario verba transposita esse judico: & si ita legeris, *Nec te hinc comitem asportare Creusam*, versus suum numerum & pedes habebit, & omnis illa frivola Grammaticorum disputatio corruet. NASC.

LONGA TIBI EXILIA. Mariti exilia opponit suæ felicitati, quod è rebus humanis sublata sit. Illius exilia exaggerat ab incommodis & imminentibus periculis. Et ne denuntiatione illa percelleretur, adversitatibus adjungit res secundas. HORTENS.

Inter

Digitized by Google

Inter opima virum, leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque & regia conjux
Parta tibi: lachrymas dilectæ pelle Creüsæ.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Grajis servitum matribus ibo,
Dardanis, & divæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Iamque vale, & nati serva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lachrymantem, & multa volentem
Dicere, deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra compressa manus effugit imago;
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

SERVII.

VBI LYDIVS. Qui per Tybrim fluit. Ideo sic dictus à fratre Tyrrheni; Tusci enim à Lydis originem ducunt. Nam Lydus & Tyrrhenus duo fratres; quum eos provincia una non ferret, in sortem miserunt, ut divisis copiis, proficisceretur unus ad novas sedes quærendas: profectus Tyrrhenus est, qui ex suo nomine Tuscos Tyrrhenos vocavit. LYDIA autem dicta est, in qua frater remanserat. Vnde nunc traxit, ut Lydium diceret. THVSCI autem, à frequentia sacrificii dicti sunt, hoc est ἀπὸ τοῦ θύειν. Constat namque illic à Tage aruspicinam repertam; ut Lucanus meminit, *Sed conditor artis Finxerit ista Tages.* Apud Tuscos etiam togæ usus est, nam hoc habitu in Lydia Iovis simulachrum fuisse dicitur.

LENI AGMINE. Leni impetu, vel fluore: & multis rebus hoc nomen adjungitur.

REGNVMQVE ET REGIA. Cur ergo Æneas horum non meminit, & considit in Thracia & aliis locis.

PARTA. An parata, an adquisita armis? LACHRYMAS DILECTÆ PELLE CREVSÆ. Melius ad posteriora referimus; ut dicat, *Noli flere*: nec enim captiva sum. Male enim plerique dicunt, quia habes uxorem paratam.

SERVITVM. Vt serviam. Verbum finitum & modus gerundi est.

DARDANIS. Laus à majoribus. NVRVS. Laus à cognatione. Sane hunc versum quidam ita supplevit, *& tua conjux.*

HIS ORIS. In quibus colitur plus quam in Creta.

IAMQVE VALE. Recedentis significatio est. Vnde & mortuis dicitur, ut, *Salve maxime Palla Æternumque vale.* NATI SERVA COMMVNIS AMOREM. Quasi mater sollicita quod dixerat eum aliam habiturum uxorem. Bene ergo propter futuram novercam commendatur Ascanius.

MANVS EFFVGIT IMAGO. Quasi imago, quæ non tenetur. Naturale enim est ut non possit teneri. Nam in septimo quod ait, *Da dextram misero*; auxilium significat.

PAR LEVIBVS VENTIS. Puris & non vehementibus. SIMILLIMA SOMNO: Pro somno: Sic Cicero, *Simillimum deo judico.* Nam genitivo plurali, debuit jungi superlativus.

DONATI.

DARDANIS. Laus communis à genere. VENERIS NVRVS. Laus propria ipsius. Sum ergo liberata ab hominum infimorum servitute, & ei deæ collocata, ex qua se ortos omnes dii gloriantur, & habitabo in locis originalibus. Magna ergo consolatio, qui uxorem nec captivam, nec occisam invenit, sed detentam voluntate ejus deę, qua nulla est potior.

NATI COMMVNIS. Nam& illo poterit levare uxoris amissionem: & etiam admonet propter novercæ suspicionem, ut magis indulgeat filio. Ac propterea hoc novissimum collocavit, ut magis pectori infixum, relinqueret. Non tamen apertius hoc dixit, ne si aliter sentire videretur, recessuri animum læderet

HÆC VBI DICTA. Ingratum facinus fuisset, nisi demonstrasset, & plura se fuisse dicturum, & ad illius dicta responsurum, ac diutius eam retenturum, nisi ipsa decessisset.

TER CONATVS. Demonstrat proprie volentem amplecti, quod corporale non fuerat. CONATVS. Ibi enim ponitur conatus, ubi effectus sequitur.

VARIORVM.

SED ME MAGNA DEVM, &c. Non Græcorum, sed magnæ matris servitio detineam. Vult autem innuere, se jam fatis concessisse: nam Cybele Ops & Terra dicta est, quæ omnium est mater. NAS.

NATI SERVA COMMVNIS AMOREM. Ita Propert. lib. 4. Eleg. ult. sub persona Corneliæ ad Paulum:

Nunc tibi commendo communia pignora, natos:
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater, &c.

Vide BRISSON. Formul. lib. 7.

PAR LEVIBVS VENTIS. Macrobius lib. 5. cap. 7. & lib. 5. cap. 5. Infrà lib. 7. Homer. Odyss. λ. τρὶς μὲν ἐφορμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἀνώγει, τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν. HART.

Sic demum socios consumpta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque, virosque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Vndique convenere, animis opibusque parati;
In quascunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum: nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, & sublato montem genitore petivi.

SERVII.

SIC DEMVM. Novissime.

INVENIO ADMIRANS. Quum invenissem, admiratus sum. Vel admiratus sum tantos evadere potuisse. Sane adamat poëta ea quæ legit, diverso modo proferre. Nævius belli Punici primo de Anchisa & Ænea fugientibus hæc ait, *Eorum sectam sequuntur multi mortales*. Ecce hoc * est, *Invenio admirans numerum*. Multi alii è Troja strenui viri, ecce hi sunt animis parati, ubi foras cum auro illic exibant: Ecce & opibus instructi.

EXILIO. Ad exilium alii. Donatus contra metrum sensit, dicens EX ILIO, quasi de Ilio. Nam i longa est. MISERABILE VVLGVS. Magnum est quod addidit *vulgus*. sic Statius, *Vnde hoc examen, & una tot misera*.

VNDIQVE CONVENERE. Videtur hoc loco tanquam omnium consensu regnum ad Æneam esse delatum.

ANIMIS OPIBVSQVE PARATI. Et volebant & poterant, vel fortes pariter & divites. DEDVCERE TERRAS. Iuxta morem Romanum deduci coloniæ dicebantur. Bene ergo de Ænea dixit *Deducere*, quod eis civitatem conditurus erat.

IAMQVE IVGIS SVMMÆ SVRGEBAT LVCIFER IDÆ. Vt Trojanis videtur. Sic alibi: *Tibi deserit Hesperus OEtam*. Secundum persuasionem eorum, qui circa montes habitant, illic enim vel occidere, vel oriri putant sydera; unde videri vel incipiunt, vel definunt. Hoc est autem quod ei Venus promisit: *Nunquam abero*: Varro enim ait hanc stellam Luciferi, quæ Veneris dicitur, ab Ænea donec ad Laurentum agrum veniret, semper visam, & postquam pervenit, videre desiisse. Vnde & pervenisse se agnovit. Bene autem poëta diligentia sua dierum horis, hic quæ aguntur accommodat: ut hoc loco quod de patria cum patre & filio discedit Æneas, ait *surgebat*.

DVCEBATQVE DIEM. Quia Lucifer lucis est prævius. OPIS. Ferendi auxilii. Vel ad cæteros liberandos qui non fuissent occisi, vel ad eruendam de captivitate patriam, quia dicit, *Danaique obsessa tenebant Limina portarum*. vel CESSI. Hoc est tantis difficultatibus vel malis; & proprie *cedere* dicuntur, qui patriam relinquunt. Vt ostendit in IX. Idam significat.

SVBLATO GENITORE. Vbique inventa opportunitate pietatem suam erga patrem vult ostendere. MONTEM. Hoc est, Idam.

VARIORVM.

ATQVE HIC INGENTEM. Floridus lib. 1. cap. 7. HARTVNG.

IAMQVE IVGIS SVMMÆ. Cælius libro 24. & 13. cap. 12. videndus. HARTVNG.

NEC SPES OPIS VLLA DABATVR. Movet commiserationem ex desperatione salutis civitatis: cujus tuendæ ac servandæ omnis erat sublata spes. NASCIMB.

CESSI, ET SVBLATO MONTEM, &c. Occulta laus sapientiæ. Tempori sese Æneas accommodat, non resistit, ubi majus salutis periculum imminet, quam spes ulla victoriæ sese ostendat. Sapientis est inquit Cicero, *tempori cedere*, id est necessitati parere. chorus apud Euripid. in Troad. monet Hecubam, ut fortunæ cedat, & naviget κατὰ πορθμὸν, κατὰ δαίμονα. NASCIMB.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER TERTIUS.

Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja:
Diversa exilia, & desertas quærere terras,
Auguriis agimur divûm: classemque sub ipsa

SERVII.

POSTQVAM RES ASIÆ, PRIAMIQVE EVERTERE GENTEM. Secundam interrogationem Didonis post insidias Græcorum, & casus suorum, proprios errores exequitur, quos pertulit antequam ad Africam perveniret: ordine, ut supra diximus, commutato. Nam rectum operis initium est, *Fracti bello, fatisque repulsi.* Fuga autem ejus hæc est, relinquens Ilium, Idam tenuit. Inde Antandrum civitatem: juxta quam factis navigiis tenuit Thraciam, in qua Ænum constituit, ut multi putant. Mox prodigiis territus, Delum tenuit. Illic accepto augurio, errore patris prætervectus Cycladas, venit ad Cretam: ubi cum pestilentia laboraret à diis penatibus monitus, ad Strophadas devectus est insulas. Inde prætervectus maritima Græciæ, apud Epirum susceptus est Heleni hospitio. Vnde profectus Calabriam tenuit: & illinc statim territus adventu Diomedis, abscessit; navigavitque usque ad Scyllam, & Charybdim, quæ sunt Ætnæ vicinæ. Vnde vento pulsus, circumita maxima parte Siciliæ, Drepanum venit. Vbi secundum Virgilium, perdidit patrem. Inde (ut est in primo) ad Didonis regna pervenit.

POSTQVAM. Hæc particula connectendis adjungitur rebus; ut, *Postquam altos tetigit fluctus.* Sic enim dictis sequentia copulantur. RES. Quamvis multa prout locus exegerit significet; modo tamen imperium, aut RES hic pro universo statu Asiæ. Bene autem ASIÆ, quasi orbis tertiæ partis. Nam Phrygia in Asia est: Ilium in Phrygia minore. PRIAMIQVE EVERTERE GENTEM. Non est iteratio. Nam potuit aliud sine alio fieri, ut vel Phrygia tota everteretur; vel solum Ilium perisset.

GENTEM IMMERITAM. Bene gentem. Nam Laomedontis, & Paridis culpa, universa gens perire non debuit. VISVM SVPERIS. Vt ipse ait, Neptunum, Iunonem, Minervam vidisse se eversores Trojæ: Laus Ilii est, quod non nisi dii potuerunt subvertere. Quotiescunque autem ratio, vel judicium non apparet, SIC VISVM, interponitur: ut Horatius, *Sic visum Veneri*: Cum amorem ostenderet non esse pulchritudinis. Et bene accusatio in deos habet quandam venerationem, alioquin sacrilegium est.

SVPERBVM ILIVM. Nobile. *Ilium* autem Virgilius, neutro tantum genere declinat. Horatius etiam fœminino, ut, *Non semel Ilios vexata.* Sane modo *Ilium* proprie de civitate dixit. Nam regio Troja est: quamvis interdum pro civitate provinciam ponat: ut, *Et campos ubi Troja fuit.* HVMO FVMAT NEPTVNIA TROIA. *Humo*, ab humo id est funditus: ut significet patriæ suæ solum quoque arsisse. FVMAT. Sane quæritur quomodo dixerit CECIDIT, & FVMAT. Sed aut per licentiam poëticam, tempus pro tempore posuit: ut, *Meminisse horret, luctuque refugit.* Aut certe naturam rerum expressit. Nam *ruina* fit brevi, *fumus* vero longo permanet tempore.

NEPTVNIA TROIA. Bene & subtiliter etiam diis invidiam commovet, ut ea cecidisse dicat quæ putabantur deorum. Sane fabula talis est, Laomedon rex Trojanorum sollicitus pro opibus suis petiit Apollini & Neptuno, ut Ilium cingerent muris, mercede promissa; quo impetrato, quæ diis promiserat denegavit. Sed Neptunus iratus, cetos, id est belluas marinas immisit; quod malum Trojani passi sunt, nece filiarum quas bellua consumebat, donec apertiore responso Hesiona Laomedontis filia monstro exponeretur, quam Hercules Troja eversa liberavit, & amico suo Telamoni dedit uxorem. Sane Laomedonte occiso, Priamo Phrygiæ donavit imperium. NEPTVNIA autem TROIA, quia Neptunus & Apollo eam cinxit muris, sicut prædiximus.

DIVERSA EXILIA. Multi ad illud referunt, *Magnum quæ sparsa per orbem.* Constat namque diversas partes orbis tenuisse Trojanos, ut Helenus & Antenor: Sed melius est ut specialiter hoc Æneæ daret, qui compulsus auguriis est, diversas terras, hoc est in diversa regione positas, quærere. ideo, *Incerti quo fata ferant.* DESERTAS. A Dardano accipe. Nam ubique uberes esse legimus: aut *desertas*, ut quidam volunt, quas & tenuimus & deseruimus; ut Cretam & Thraciam.

AVGVRIIS AGIMVR DIVVM. Pro ostentis, id est, Ex flamma, quæ tempora Ascanii pasta est: cursu stellæ: Creusæ admonitione, quæ dixit, *Ad terram Hesperiam venies.*

Antan-

Digitized by

Antandro & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur:
Contrahimusque viros. vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.
Littora tum patriæ lachrymans, portusque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit, feror exul in altum
Cum sociis, natoque, penatibus, & magnis diis.

SERVII.

SVB IPSA ANTANDRO. Iuxta Antandrum. Est autem civitas Phrygiæ, dicta Antandros, vel quod de Andro insula eam condiderunt coloni, quasi ἀντὶ Ἄνδρου: vel quia Græci venientes per Thraciam, ceperunt Polydorum: pro cujus pretio hanc accepere civitatem, quæ ex facto nomen accepit. Antandros, id est propter virum data. Fertur tamen quod post acceptum pretium à Græcis occisus sit lapidibus: Quamvis huic opinioni Virgilius non consentiat. Nonnulli adserunt Antandron insulam esse vicinam Trojanis regionibus, ab hac populos Medos coactos loci angustia ad vicina littora profectos, civitatem Antandron ex nomine patriæ condidisse. Alii à Polymestore occisum dicunt post eversam Trojam, & in maria præcipitatum. Cujus quum mater Hecuba agnovisset cadaver: cum captiva duceretur, flendo in canem conversa est, cum se præcipitare vellet in maria. Quod ideo fingitur, quia nimio dolore inaniter Græcis conviciabatur. PHRYGIÆ IDÆ. Ad discretionem Cretensis. MOLIMVR. Fabricamus, paramus. Et bene petit loca, in quibus & lateret, & navigia præpararet.

INCERTI. Quia quisquis navigat, licet mente destinet locum, quo tamen feratur, incertus est. Ergo non ignari, quibus dictum erat ut Italiam peterent; sed incerti ubinam esset Italia. QVO FATA FERANT. Quia nec in Thracia permansit, nec in Creta. VBI SISTERE DETVR. Propter diuturnum errorem, & quia sicut dictum est; ad multa delatus loca est; aut propter dubietatem oraculorum, certum enim erat nos à Troja debere proficisci, incertum tamen ubi esset consistendum.

CONTRAHIMVSQVE VIROS. Colligimus. Eos scilicet, qui ad auxilium venerant. Vnde est, *Vnam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem.* Item, *Et fratres Lycia missos & Apollinis agris.* VIX. Mox: ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* PRIMA ÆSTAS. Vt prima pars æstatis, quia est ea adulta & præceps. Aut vernum tempus dicit, quamvis Palefatus tradat capto Ilio Ænean post triennium navigasse, & hæc cojunctio velocitatem videtur ostendere.

ET PATER ANCHISES. Vt agendarum rerum authoritatem adsignet Anchisæ. Et ut diximus, τὸ πρέπον servat, ut pater jubeat.

LITTORA TVM PATRIÆ LACHRYMANS. Amat Poëta quæ legit, immutata aliqua parte vel personis, ipsis verbis proferre. Nævius enim inducit uxores Æneæ & Anchisæ cum lachrymis, illum relinquentes his verbis, *Amborum uxores noctu Trojade exibant, capitibus opertis, flentes ambæ, abeuntes lacrymis cum multis.* Hoc iste Ænean eodem in tempore ejusdem rei causa inducit fecisse, cum dicit, *Littora tum patria lacrymans portusque relinquo*, & multi tradunt hoc in primo dictum, *Trojæ qui primus ab oris.*

CAMPOS VBI TROIA FVIT. Hoc est, quod ait, *omnis humo fumat Neptunia Troja.*

PENATIBVS & MAGNIS DIIS. Alii deos magnos cœlum ac terram putant, ac per hoc Iovem & Iunonem. dii penates à Samothracia sublati, ab Ænea in Italiam advecti sunt; unde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur, quos inter cætera ideo *magnos* appellant, quod de Lavinio translati Romam, bis in locum suum redierint; quod Imperatores in provincias ituri, apud eos primum immolabant; quod eorum nomina nemo sciat; quod præsentes * sentiantur. Nam cum ambæ virgines in templo deorum Lavini simul dormirent: ea quæ minus casta erat fulmine exanimata, alteram nihil sensisse, quos inmani,* penitus in cultu habent, quos nisi sacerdoti videre fas nulli sit; qui ideo penates appellantur, quod in penetralibus ædium cœli sedeant; nam & ipsum penetral penus dicitur, ut hodie quoque penus Vestæ claudi, vel aperiri dicitur. EXVL. Quasi trans solum missus, aut extra solum vagus.

CVM SOCIIS, NATOQVE, PENATIBVS, ET MAGNIS DIIS. Duo humana posuit, & duo divina: patris non fit mentio, quia secundum Virgilium ad Italiam non venit. PENATIBVS, ET MAGNIS DIIS. Varro unum esse dicit, *Penates & magnos deos.* Nam & in basi scribebatur, MAGNIS DIIS. Potest tamen hoc & pro honore dici. Nam & dii magni sunt, Iuppiter, Iuno, Minerva, Mercurius: qui Romæ colebantur. Penates vero apud Laurum Lavinium. Vnde apparet non esse unum. Idem Varro & alii complures *magnos deos* adfirmant simulachra duo virilia, Castoris & Pollucis, in Samothracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota solvebant.

DONATI.

VIX. Nam fugitivi maturum tempus expectare non possunt, & quia definita loca non habuimus, navigavimus quo fata ducebant.

LITTORA. Nam patria perierat, & commuto terram, locum stabilem & certum, & sequor incerta maris.

ET CAMPOS. Non sine summo dolore videt latitudinem camporum, in qua mœnia diruta jacebant. Et tria posuit, quæ per naturam suam non potuerunt perire: *littus, portum, campum.*

CVM SOCIIS NATOQVE PENATIBVS, ET MAGNIS DIIS. Tacuit patrem, quia jam olim nominaverat.

Terra

Terra procul vastis colitur Mavortia campis:
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo:
Hospitium antiquum Trojæ, sociique penates,
Dum fortuna fuit. feror huc, & littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri, divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum; superoque nitentem

SERVII.

TERRA PROCVL. Procul est quasi porro ab oculis. Vnde potest & satis longe significare: & non valde. Hic tamen, pro non valde longe, ponitur: Brevis est enim Hellesponti transitus. VASTIS. vastatis, & per hoc desertis aut magnis.

THRACES ARANT. Figurate, nam minus est QVAM. ACRI. Sævo & cruento. LYCVRGO. Lycurgus vero, ut alii dicunt cum indignaretur Liberum ab omnibus gentibus coli, ut primum eum Thraciæ fines cum socio comitatu introiisse cognovit, comprehensas Baccas ejus flagellis verberavit, ipsum vero insequi, ut occideret cœpit. Sed postquam se Liber fugiens, ut evaderet præcipitavit in mare, & Athen.. * nympha exceptus liberatus est. LYCVRGVS autem hic filius Dryantis, rex gentis Bistonum fuit: qui ut habet fabula dum contemnens Liberum patrem, vites manu sua semper abscinderet, immisso à Libero furore, ipse sibi crura succidit. Re vera autem abstemius fuit: quos constat acrioris esse naturæ, quod etiam de Demosthene dictum est. REGNATA. Participium est sine origine verbi.

HOSPITIVM ANTIQVVM. Aut carum: aut re vera antiquum. Nam tanta inter ipsos familiaritas fuit, ut Ilione filia Priami, Polymnestori nuberet Thraecum regi. SOCIIQVE PENATES. Vel propter supra dictam conjunctionem Iliones & Polymnestoris; vel quia cum omni hæreditate majorum, diviserant etiam deos penates, Dardanus & Iasius fratres; quorum alter Thraciam, alter Phrygiam incoluit occupatam.

DVM FORTVNA FVIT. Scilicet bona: & simul ostendit fidem cum fœlicitate deficere. Sane sciendum, quod quotiescunque fortunam solam dicimus, fœlicitatem intelligi. Vnde & fortunatos tantum felices: & infortunatos solos infelices vocamus. LITTORE CVRVO. Perpetuum epitheton littorum est. Nam quod in sexto ait, *Tunc se ad Cayetæ, recto fert littore portum*: Significat eum ita navigasse, ut non linqueret littus. PRIMA LOCO. Quia apud Cretam alia fecit. Modo autem Æneum significat. ut Salustius. *Ænum & Maroneam: viamque militarem.* Quanquam Homerus dicat inde auxilia ad Trojam venisse. Ergo jam fuerat. Euphorion, & Callimachus hoc dicunt etiam, quod *Ænum dicatur à socio Vlyssis illic sepulto eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda.* FATIS INIQVIS. Bene quid sit futurum præoccupat.

ÆNEADAS. Ecce nec Virgilius Ænum dicit. Æneadas autem hic secundum accusativum nomen derivatum aliter juxta nominativum.

SACRA DIONÆÆ MATRI. Veneri, à matre Dione secundum Homerum. Et bene dispensat, ut si adversa navigatio sequatur, Dionæam Venerem dicat, ut hoc loco: si prospera, de mari eam dicat esse procreatam; ut, *Vnde genus ducis.* Hæc autem in quantum potest, reservat.

AVSPICIBVS COEPTORVM OPERVM. Iovi, qui arcis deus est: Apollini, propter auguria: Libero, causa libertatis. Nam dii alii si invocentur, ad privatam pertinent causam. Vnde de Didone legimus, *Iunoni ante omnes cui vincla jugalia curæ*, propter nuptias. quamvis enim reipublicæ utilitas simularetur, erat tamen specialis caussa Didonis. Similiter & hic Æneas sacrificat Veneri. Quod autem de Libero diximus, hæc causa est: ut signum sit liberæ civitatis. Nam apud majores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ. Sed in liberis civitatibus simulachrum Marsiæ erat, qui in tutela Liberi patris est. Sed auspicia omnium rerum sunt; auguria certarum: auspicari enim cuivis, etiam peregre licet; augurium agere, nisi in patriis sedibus non licet. Peritissime ergo Virgilius veteris consuetudinis meminit, cum facit Æneam, quia peregre, id est in Thracia agit, auspicantem, id est, *Auspicibus cœptorum operum.*

DONATI.

TERRA PROCVL. Optime ignoranti Didoni terram exponit: in qua situs loci, & incolarum persona, & opportunitas, cum propter propinquitatem laborem longioris itineris levaret: & propter fertilitatem indigentibus posset opitulari. Quoniam autem Thraces antiserant Lycurgum regem, videbatur, quod nullus adversarius venientes prohibere posset. Firmabat autem spem religio fœderis, diuturnitate temporis roborata.

FEROR. Nam non suo consilio venit.

FATIS INIQVIS. Hoc exitus rerum, non initia docuerunt.

SACRA. Primo invocabam auxilium maternum, deinde aliorum deorum, qui auspicio novorum fundamentorum essent necessarii.

VARIORVM.

TERRA PROCVL VASTIS. Ex Euripide expressum. Turneb. xi. cap. 19. Notat autem Servius, *Procul*, hic significare propè. Vel *Procul* dixit, ut rationem migrantium, nec in patriam unquam redeuntium habuerit: quibus etiam propinqua videntur longinqua. NASCIMB.

SACRA DIONÆÆ. Macrob. lib. 3. c. 3. Saturn.

Cælicolûm regi mactabam in littore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. mihi frigidus horror

SERVII.

MACTABAM IN LITTORE TAURUM. Contra rationem, Iovi taurum sacrificat: adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. Vbique enim Iovi juvencum legimus immolatum; ut, *Statuam ante aras aurata fronte juvencum, Idm cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.* Item Iuvenalis, *Qui vexat nascendi robora cornu.* Nam in victimis etiam ætas est consideranda.

FORTE FVIT IVXTA TVMVLVS. Excusat dicendo *Forte fuit*, quod juxta eum locum sacrificaverit: TVMVLVS autem dicendo, uno sermone, & collem & sepulchrum fuisse significat. Potest enim tumulus & sine sepulchro, interpretatione collis interdum accipi. Nam & terræ congestio super ossa, tumulus dicitur. Sane apparatus mortuorum funus dici solet; exstructio lignorum rogus; subjectio ignis pira; crematio cadaveris bustum; locus ustrina; operis exstructio sepulchrum; nomen inscriptum monumentum. QVO SVMMO. In quo summo. CORNEA VIRGVLTA & MYRTVS. Bene legit, hastis apta virgulta. Nam legimus, *Et bona bello cornus.* Et alibi *ac myrtus validis hastilibus.* Ergo si telis fuerat confixus, merito illic hæc coaluere virgulta. Cornus autem declinatur ut ficus, si arbor sit. Nam cornu animalis, indeclinabile est: licet genitivum usurparit Lucanus: ut, *Cornus tibi cura sinistri Lentule.* Sic Cicero in Arato, *Huius genus:* pro genu.

VIRGVLTA. Copiose virgulta, hastilia, sylvam, ramos, arborem, vimen, corticem, stipitem, segetem, jacula. HORRIDA MYRTVS. Horridæ ad loci faciem retulit, nam ad arboris naturam vel certe umbrosam. MYRTVS. Sane de myrto fabula talis est. Hæc Myrtus ex fama de plebe antiquorum nata, Græco vocabulo Myrene vocitata est, forma pulcherrima: hanc cum quidam popularium dives & nobilis adamasset, à parentibus ejus postulavit uxorem. Interea latrones urbem occupaverunt, quam cum depopulantur, Myrenem fratribus ejus occisis captivam duxerunt, & in latebris condiderunt, donec alia loca vastarent: Sed hæc Myrene inventa occasione fugit, & ad cives reversa est: Gratulati cives, eam sacerdotem Veneris esse jusserunt; quæ cum sacra celebraret, unum de latronibus per quos abrepta fuerat in plebe cognovit, eumque comprehensum in medium vulgus extraxit. Latro pœnis adactus, omnia quæ intendebantur confessus est, socios quoque ubinam essent prodidit. Sed juvenis qui eam ante amaverat & petierat sibi conjugem, ad investigandos latrones sibi negotium depoposcit; quos cum inventos cepisset & præmium posceret, data ei potestas est à populo, ut virginem quam amaverat in matrimonium duceret: ob quam rem irata Venus, illum mori fecit; virginem autem in Myrtum arborem vertit, eique quod sacerdos fuisset, præstitit ut perpetuo, & suavi odore gauderet.

ACCESSI. Non ad cornum, sed ad myrtum, quæ inter verbenas est. Et bene matri sacrificaturus aras coronat ex myrto. SYLVAM. Sicut dictum est, bene variat, ut nunc sylvam, nunc vimina, nunc virgulta, nunc arborem dicat.

RAMIS TEGEREM. Excusatio à voluntate.

MONSTRVM. Bene monstrum: nam statim quid esset apparuit, & hoc proprietatis est: abusione tamen plerunque corrumpitur.

ATRO. Hic pro corrupto sanguine. LIQVVNTVR. LI in verbo producitur, ut hoc loco. In nomine vero corripitur, ut liquor.

TABO. Corrupto sanguine.

VARIORVM.

MACTABAM. *Mactare* proprie valet, magis augere, ornare, honorare. M. Tullius apud Nonium, Ferunt laudibus, mactant honoribus. Itaque non solum ita loquimur, mactare diis hostiam, id est immolare: sed & mactare deos, pro eo, quod est sacrificiis deos honorare, seu placare. M. Tullius in Vatin. cum puerorum extis deos mactare soleas: Ex quo mactare malo, & infortunio, damno. Terentius. LAMBIN.

QVO CORNEA SVMMO VIRGVLTA. Hoc mihi è consuetudine doctissimus Poëta finxisse videtur: qui tumulis & bustis cum alia virgulta, tum myrtum imponere solebant, quod Victorius notavit lib. 16. cap. 1. Verius sit tamen, hoc finxisse Maronem, quod è corno & myrto hastas facerent antiqui, quibus ait confixum Polydorum fuisse. TVRNEB. lib. 4. cap. 22.

DENSIS HASTILIBVS HORRIDA MYRTVS. Myrtum etiam sepulcralem fuisse constat ex hoc loco, & Theophrasti: qui auctor est, primo visam in tumulo Elpenoris socii Vlyssis: & illo in Culice: *myrtus veteris non nescia fati*: ubi alludit Poëta ad myrtum in Veliterno conspicuæ magnitudinis ab Africano satam, non ita procul à specu quodam; ubi draco Manibus Scipionis servandis præfectus dicebatur. GERMANVS.

Mem-

Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus & alterius lentum convellere vimen
Insequor, & caussas penitus tentare latenteis:
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nixu
Aggredior, genibusque adversæ obluctor arenæ;
(Eloquar, an sileam?) gemitus lachrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures:
Quid miserum Ænea laceras? jam parce sepulto,

SERVII.

MEMBRA QVATIT. Causa pendet ex causa. Nam timor sanguinem gelat, qui coactus frigus gignit. GELIDVSQVE COIT. Physice loquitur & rationabiliter, nam hinc & pallor nascitur, cum se ad præcordia fugiens contrahit sanguis.

LENTVM VIMEN. Molle & flexuosum. Vnde & qui incurvi sunt per senectutem.

TENTARE LATENTEIS. Miraculum enim est ex arbore sanguinem fluere.

MVLTA MOVENS ANIMO. Non dicit quæ, sed ex sequentibus intelligimus. Cogitabam, inquit, ne forte bellum immineret quod sanguinem vidissem, ne lucum Nympharum violassem, ne forte sanguis ex nymphis esset. Hamadryades namque cum arboribus & nascuntur, & pereunt. Vnde plerunque cæsa arbore sanguis emanat. Nam Ovidius ait, quum Erisichton arborem incideret, primo sanguis effluxit: post ululatus secutus est. Inde Statius, *Nec amplexæ dimittunt robora nymphæ.* Item, Cogitabam ne forte ex terra Martis jure sanguis efflueret. Nam quod dicit hæc se veneratum esse numina, illas constat præcessisse cogitationes.

GRADIVVMQVE PATREM. *Gradivum*: exilientem in prælia: quod in bellantibus sit, necesse est. Aut gravem deum patrem: aut ideo, quia apud Pontifices, Mars pater dicitur. Alii *gradivum*, quod gradum inferant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur. Alii à gratitudine quod huc & illuc gradiatur; unde Martem communem dici: Nonnulli eundem Solem & Vulcanum dicunt: Sed Vulcanum generis esse omnis principem, Martem vero Romani tantum stirpis auctorem. Alii gradivum, quia nunquam equester, aut à gradu dictum. GETICIS. Thraciis. Getæ autem populi sunt Mœsiæ: quæ quia lata est, multas continet gentes.

RITE SECVNDARENT. Recte prosperos facerent. VISVS. Pro visa posuit. Tunc enim masculino utimur genere, cum de his loquimur, quibus videmus: ut si dicas, Nubecula obest visibus meis. Si autem neutro utamur, ea quæ videntur significamus: ut si hoc loco diceret, *Rite secundarent visa.* quod propter metrum non potuit. OMENQVE LEVARENT. Bonum ac leve facerent. Id est in bonum converterent.

OBLVCTOR. Acrius nitentem ostendit.

ELOQVAR, AN SILEAM? Parenthesis ad miraculum posita. Qua magnitudinem monstri ostendit, & bene, auditorem adtentum vult facere.

GEMITVS LACHRYMABILIS. Potest enim esse etiam irascentis. Et *lacrymabilis* cum lacrymis, an dignus lacrymis.

IMO AVDITVR TVMVLO. Ex imo tumulo, ut longe vox cum quodam defectu sonans, auditu ipso miserabilior videtur. AVDITVR. Vetus codex habet auditus. VOX REDDITA. Pro data. Redditur enim quicquid ad nos per alterum transit, quanquam hic etiam hoc possit intelligi. Nam ad eum vox missa per tumulum est.

DONATI.

GEMITVS. Moraliter primo gemitus, deinde voces auditæ sunt.

QVID MISERVM ÆNEA. Artificiosa res. si enim Æneas loqueretur, diceret feci, & absoluta qualitate sese defenderet, quia nescius fecerat: sed Poëta eum inducit defensorem, qui accusator esse debuit. Ideoque acerbitatem latius extendit, & ex uno crimine multa posse exoriri evidenter ostendit: sed instruit, & non arguit. Primum crimen est, sepulchrum violatum: & hoc ratione loci, temporis, & personarum. Addit miseriam, quæ sublevatione & non oppressione digna est.

ÆNEA. Ex nomine proprio apparet, notum cum noto loqui.

VARIORVM.

IAM PARCE SEPVLTO. Lex erat xij. tab. *Defunctis injuria ne afficiantur: deorum manium jura sancta sunto.* Ex Solonis sanctionibus, *Ne in vita defunctos convitia jaciantur; ne quis sepulchra deleat, aut violet etiam, &c.* Violatoribus sepulchrorum supplicia erant proposita ex Pauli I. C. sententia: humilioribus, capitis mulctatio: honestioribus, in insulam deportatio, relegatio, aut in metallum damnatio. PONTAN.

Parce pias scelerare manus. non me tibi Troja
Externum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infœlix Priamus furtim mandarat alendum

S E R V I I.

LACERAS. Per membra discindis. Nam lacerare est sæpius vulnerare. PARCE. Id est parce tibi: Vel sepulto parce, cui vivo nemo pepercit. SEPULTO. Modo mortuo vel jacenti significat. Nam sepultus est quasi sine pulsu. Non enim hunc sepultum possumus dicere, cujus sepultura non sit rite perfecta: sed fortuita est obrutus terra.

PIAS. Bene etiam ille qui læditur excusat Æneam: quod pietatis grande testimonium est. *Pias* autem propter penates de excidio liberatos, aut quia sacrificabat. SCELERARE. Polluere: nomen tamen fecit sine verbi origine, non enim dicitur scelero.

EXTERNUM TULIT. Ordo est, Troja me tibi tulit, & bene *tulit*, hoc est educavit, non externum. Nam & civis Æneæ fuerat & cognatus. Et cito se & Trojanum esse, & ad finem ostendit.

HAUD CRUOR HIC DE STIPITE MANAT. Mire quasi ostendens cruorem suum de stipite. De ligno ait; nam stipes vere est lignum sectum siccum.

CRUDELES TERRAS. Id est crudelium & avarorum. Ex moribus enim cultorum, terræ laudantur vel vituperantur: ut, *Devenere locos lætos.*

POLYDORUS EGO. Sive EGO distinguas, sive EGO HIC: subaudias SUM necesse est. Et quasi dicticôs, id est Polydorus sum, non stipes.

TELORUM SEGES. Multitudo. Plautus Aularia, *Stimulorum seges.* Sane putatur non verisimile jaculis conjectis puerum occisum; nam repugnat cum illo, *Polydorum obtruncat*, nam emisisse radices jacula mirum est, nisi monstruosum sit. INCREVIT. Revixit. Traxit autem hoc de historia Romana. Nam Romulus capto augurio, hastam de Aventino monte in Palatinum jecit: quæ fixa fronduit.

VERO. Adfirmative. ANCIPITI. Duplici, quod & sanguinem viderat, vel ancipiti formidine, una quod sepulchrum læserat, altera quod metuere cœperat l.... * ipsum.

HUNC POLYDORUM. Licet de Polydoro superius sit relatum, tamen propter varietatem rei necesse est repeti. Priamus cum videret longa obsidione res suas in ultimo constitutas, filium parvulum Polydorum, Polymnestori regi Thraciæ genero suo per Ilionam filiam cum magno auri pondere nutriendum commendavit; qui victa Troja, auri cupiditate impulsus, Polydorum obrutum telis occidit.

INFOELIX. Aut qui jam infelix esse cœperat: aut cui etiam provisa nocuerunt. Aut infelix, quia superstes liberis fuit: aut quia illi perfidia non ab hostibus tantum est. MANDARAT. Aphæresis est, sive dixeris commendarat, sive amandarat: Et mandarat est amoris; amandarat vero odii est; & amandare est sub specie legationis aliquem relegare. FURTIM. Ne Græci scirent.

D O N A T I.

PIAS MANUS. Cur parce, si jam patrata res fuerat? Quia quod ignorans fecerat, merebatur veniam. Non autem mereretur, quod deinde esset facturus. Sic: *Si mihi parces te crimine solves.* NON ME TIBI TROIA. Peccares enim in hominem, in miserum, in defunctum, in civem, in tuum. Ergo, non tulit me tibi Troja exterum, id est non solum civem, sed affinem: frater enim Creusæ erat.

DE STIPITE MANAT. Personarum & temporis posuerat partes, nunc ponit loci.

CRUDELES TERRAS. Demonstrat hoc esse vitium terræ parentis, ut per hoc omnes eodem vitio laborare significaret. Ergo & ab aliis poterat eandem injuriam expectare, atque etiam si tutus permansisset, pium inter impios versari.

FUGE FUGE. Ex duplicatione verbi, necessitatem ostendit fugiendi.

TUM VERO. Quia supra dixerat: *Mihi frigidus horror membra quatit.* Nam ad illum horrorem, qui fuit ex sanguine, accedens vox lamentabilis Polydori mentem in hebetudinem convertit, & vox in silentium transit.

HUNC Ea ratione misit Priamus, ut eum se in summis periculis cerneret, saltem posteritas sua in hoc filio remaneret, & auri vim magnam dedit, ut esset quo viveret: & ex se naturam Polymnestoris conjectans, tutum filium apud veterem amicum credidit. Infelix ergo, qui dum filium in tuto collocare putat, eum perdidit. Ergo Priamus nec incautus, nec imprudens, nec in filii causa indiligens fuisse demonstratur. Dederat enim vicino, affini, amico veteri; dederat cum divitiis, dederat regi.

V A R I O R U M.

HIC CONFIXUM FERREA TEXIT SEGES. In eo dissentit ab Euripide Maro, quod scribit Polydorum jaculis multis confossum fuisse, quæ & in sepulcri agmine viridanti fruticata sint. Contra Euripides, eum ab hospite & educatore Polymnestore cæsum clam & in mare projectum fuisse. TURNEB. lib. 11. cap. 6.

Threi-

Digitized by Google

Threïcio regi: cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. QUID NON mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monstra deûm refero: &, quæ sit sententia, posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,

SERVII.

THREICIO REGI. Auxit ex provincia crudelitatem, ex qua fuerunt Diomedes: Qui equos habebat, qui humanis carnibus vescebantur. Lycurgus ob injuriam Liberi patris punitus. Tereus qui Philomelæ sorori uxoris, post inlatum stuprum linguam abscidit. *Threicio* autem pro Thracio, ut supra pro Thracia Threïssa. Nam solutio est Ionicæ linguæ. Cum enim sit Θρᾳξ: Iones dicunt Θρήιξ: cujus solutio facit Threicius, vel Threïssa.

CINGIQUE URBEM OBSIDIONE VIDERET. Inter ipsa principia obsidionis, nam postea jam minime poterat.

ILLE UT OPES FRACTÆ, ET FORTUNA. Bene utrunque innexuit, sæpe enim alterum sine altero valet, aut opes, aut fortuna. ILLE UT. Vel postquam, vel tantum quod deest statim, ut sit Ille statim ut. FORTUNA. Melior scilicet.

RES AGAMEMNONIAS. Hoc est imperium vel partes Agamemnonis. VICTRICIA. Omnia nomina à verbo venientia, cum in OR exeunt; masculina sunt, ut victor; cum in TRIX fœminina sunt, ut victrix. Neutra vero non faciunt, nisi tantum ex numero plurali. Unde est victricia.

FAS OMNE. Et cognationis, & juris hospitii. OBTRUNCAT. Pro occidit. Nam obtruncare, proprie est capite cædere.

VI. Violentia. POTITUR autem verbum de his est quæ permiscent conjugationes: cum enim sit tertiæ, infinitum modum à quarta facit, ut potiri. QUID NON MORTALIA PECTORA COGIS. Ad quod flagitium homines non compellis, detestandi auri cupiditas.

AURI SACRA FAMES. Sacra, execrabilis: Alii *sacra* devota accipiunt, unde & ver sacrum. Alii *sacrum* pro scelestum, vel sacrilegum. Tractus est autem sermo ex more Gallorum: Nam Massilienses quotiens pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis, & sic projiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum est. Sane sciendum latenter Æneam hoc agere, ut Trojanos Didoni ex infœlicitatis similitudine commendet. Nam & ejus marito, auri caussa intulit necem.

PROCERES. Qui processerunt ante alios. PRIMUMQUE PARENTEM. Bene *primum*, id est ante proceres.

MONSTRA DEUM. Quæ ostenderant. & modo mala: nam medium est, quia interdum dicuntur & bona.

OMNIBUS IDEM ANIMUS. Idem, plus est quam si diceret similis. Est unus animus aut idem consilium, & hoc juxta disciplinam auguralem dixit, quæ appellatur consensio; sicut in libro secundo dictum est. SCELERATA TERRA. Pro sceleratorum, ut supra, *Captiva vestis*.

DONATI.

ILLE. Scilicet qui speraretur humanus, cujus fidei commissus fuerat, qui dives, qui ex plurimis delectus, qui susceperat innocentem amici filium. notatur hic persona scilicet avara. Item locus. Nam mare interpositum erat, inter se & Trojam. Item tempus, scilicet in quo perierat imperium, ut non timeret ultionem. Ostendit præterea Poëta in rebus adversis, ne amicis quidem fidendum. Damnat avaritiam, tanquam quæ ad omnia scelera impellat.

PRIMUMQUE PARENTEM. Qui judicare de monstris posset: & ad proceres, quia quod facto opus esset, debuit omnium diffiniri sententia.

IDEM. Solet decerni quod majori parti placet. sed hic tam manifestum scelus fuit, ut omnes fugiendum censerent inde, ubi per scelus fuerat soluta amicitia, quæ fœdere devincta erat. non ergo utile illic morari, nec religiosum, cum sanguine pueri pollutus esset locus.

VARIORUM.

POLYDORUM. Exemplum violati hospitii memorabile. HARTUNG.

OBTRUNCAT. Proverb. *Nefasti dies*. HARTUNGIUS.

QUID NON MORTALIA. ἀποστροφή; de quo, & loco, Quintil. lib. 9. cap. 3. & 2. cap. HART.

AURI SACRA FAMES. Sumptum ab homine sacro. Homo enim sacer is est, quem populus judicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari; sed qui eum occidit, parricidii non damnatur. Ex quo quivis homo malus atque improbus *sacer* appellari solet; Festus. Et Turpilius in Demetrio, *Etiamne irrides pessime & sacerrume?* Plautus Mostell. *Perdidit patrem, unus iste servus est sacerrumus*. PONT.

Linquere pollutum hospitium, & dare classibus Austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aræ,
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro

SERVII.

CLASSIBVS AVSTROS. Hypallage est. nam classes austris damus.

INSTAVRAMVS FVNVS. Modo sepulchrum, quod virgulta à vellendo diruerat. Nam proprie funus est incensum cadaver.

AGGERITVR TVMVLO TELLVS. Vt ostenderet verum tumulum, ne forte aliquis alius illud errore violaret. STANT. Positæ sunt. MANIBVS. Manes sunt illo tempore animæ, quo de aliis recedentes corporibus, necdum in alia transierunt. Sunt autem noxiæ, & dicuntur κατ' Antiphrasim. Nam manum bonum est, unde & mane dictum est. Similiter etiam Eumenidas dicimus, parcas, bellum, lucum. Alii Manes à manando dictos intelligunt. Nam Manibus plena sunt loca inter lunarem & terrenum circulum, unde & defluunt. Quidam Manes, deos infernos tradunt. Quidam alios Manes, alios deos infernos dicunt: plurimi deos cœlestes ut vivorum, ita Manes mortuorum tradiderunt. Alii Manes nocturnos esse ejus spatii quod inter cœlum terramque est, & ideo humoris qui noctu cadit potestatem habere; unde mane quoq; ab iisdem Manibus dictum.

CERVLEIS VITTIS. Cato ait, deposita veste purpurea, fœminas usas cerulea cum lugerent. Veteres sane ceruleum nigrum accipiebant. Vittæ autem ceruleæ in acerbo funere præcipue filiorumfamilias adhiberi solebant, sicut hic; nam Polydori funus ut pote adhuc pueri, acerbum est, & quia ejus ætatis erat, ut filiusfamilias adhuc esse potuisset. MOESTÆ ARÆ. Cicero pro Murena, *Imaginem Lugentem.*

ATRAQVE CVPRESSO. Nigra, funesta. Nam inferis consecrata est, quia cæsa nunquam revirescit. Fabula autem de cupresso talis est, cum haberet in deliciis Cyparissus puer cervum, & ipse ab Apolline diligeretur, imprudens cervum suum jaculo occidit, eumque dum luget neglecta consolatione Apollinis, dolore consumptus est; cujus ut exstaret memoria in luctuosam arborem, id est cupressum mutatus est, quæ defunctis adhibetur. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Hinc Horatius: *Nec te præter invisam cupressum ulla brevem dominum sequetur.* Atra autem, quod atratos lares significet.

CRINEM DE MORE. Aut de more gentis, ut etiam in Ægypto est. Aut certe de more plangentium

INFERIMVS. Inferias damus proprie. TEPIDO LACTE. Statim mulcto. CYMBIA. Pocula in modum cymbæ facta.

SANGVINIS SACRI. De victimis sumpti. Ideo autem lactis & sanguinis mentio facta est, quia adfirmantur animæ lacte & sanguine delectari. Varro quoque dicit mulieres in Exsequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant; quare etiam institutum est, ut apud sepulchra & victimæ cædantur. Apud veteres, etiam homines interficiebantur; sed mortuo Iunio Bruto, cum multæ gentes ad ejus funus captivos misissent; nepos illius, eos qui missi erant, inter se composuit, & sic pugnaverunt, & quod muneri missi erant, inde munus appellatum: Sed quoniam sumptuosum erat & crudele, victimas vel homines interficere; sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici, ut & ipse testatur VI. Æneid. *Purpureasque super vestes velamina nota*: & V. Æneid. *Purpureosque jacit flores.* Alii sanguinis inferendi ad adescendas defunctorum animas illa ratione consuetudinem tradunt, ut quod amiserunt videantur accipere. Sanguis enim velut animæ possessio est, unde exsanguines mortui dicuntur. Nam & Homerus in Necromantia non prius facit loqui animas, nisi sanguine gustato. Alii lac & sanguinem ab hoc accipiunt, quod una res nutrit, alia nutriatur.

VARIORVM.

DARE CLASSIBVS AVSTROS. Hypallage est. HART.

ERGO INSTAVRAMVS. Id est, ad pristinam similitudinem reficimus; nam virgultorum evulsione dirutum fuerat. Quidam funebrem pompam interpretantur; & quæ sequuntur, ad exequiarum apparatum referunt. ut sit hic intellectus, quia male funeratus erat Polydorus, de integro eum funeramus, & solenni more justa ei persolvimus. De gentium diversarum atque etiam Romanorum ritibus in curandis condendisque defunctorum corporibus, consulas licet Alex. Neapol. lib. 3. cap. 2. NASC. PONTAN.

INSTAVRAMVS POLYDORO. Alexander lib. 3. cap. 2. Blondus lib. 2. HART.

CRINEM DE MORE. Delrius in Senecæ Troad.

INFERIMVS TEPIDO. De animis hominum circa sepulchra corporum suorum errantibus, & eadem incolentibus, multa cognitu perjucunda & perutilia ex optimis scriptoribus collegit Magius lib. 4. cap. 12.

INFERIMVS TEPIDO. Macrob. lib. 5. cap. 21. Saturn. Hinc *Inferiæ* dictæ, teste Arnobio, Turneb. lib. 23. cap. 28. a. Et lib. 4. cap. 22. c.

ANIMAMQVE SEPVLCHRO CONDIMVS. Turneb. lib. 4. cap. 22. c. H. Magius lib. 4. Miscell. cap. 12.

Condi-

Digitized by Google

Condimus, & magna supremum voce ciemus.
Inde ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auster in altum;
Deducunt socii naves, & littora complent:
Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.

SERVII.

ANIMAMQUE SEPULCHRO CONDIMUS. Bene animam lacte & sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte namque corpus nutritur post animæ conjunctionem: & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso recedit. Legimus præterea in sexto, insepultorum animas vagas esse: & hinc constat non legitime sepultum fuisse: Rite ergo reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem sepulchri, quam Stoici herciscundi, id est medium secuti, tam diu durari dicunt, quam diu durat & corpus. Unde Ægyptii periti sapientiæ, condita diutius reservant cadavera; scilicet ut anima multo tempore perduret, & corpori sit obnoxia, nec cito ad alia transeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est in suam rediret naturam. Dicit ergo nunc sacrificiis quibusdam elicitam animam, & sepulchro conditam, obnoxiamque factam corpori: quod ante horrebat, quasi per vim extorta. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus: quia Plato perpetuam dicit animam, & ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero, non μετεμψύχωσιν, sed παλιγγενεσίαν esse dicit: hoc est redire, sed post tempus.

SUPREMUM. Non est nomen, sed adverbium: ut, *Torvum clamat.* CIEMUS. Est autem hoc loco quod dicimus more solenni, id est tertio vale: nos te ordine quo natura permiserit, cuncti sequemur. Quidam dicunt eorum mortuorum nomina ter vocari, qui in aliena terra dimittuntur; ut in VI. *Et magna manes ter voce vocavi.*

FIDES PELAGO. Hoc est ubi fidem pelago habere cœpimus, nos tuto navigaturos,

LENIS CREPITANS AUSTER. Duo epitheta posuit vitiose, ut diximus supra. Fecit autem hoc improprie in decem versibus. AUSTER autem, quivis ventus. Nam ad Thraciam Aquilone navigatur; *lenis* autem ideo quia superius ait, *vix prima inceperat æstas*, & lenes venti per æstatem sunt.

DEDUCUNT. Proprie, ut è contrario subducunt.

TERRÆQUE URBESQUE RECEDUNT. Physicam rem dicit: hoc enim navigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. Item aliter, Iuno, cum vidisset Latonam à Iove adamatam, juravit eam non parituram in terris: Iuppiter mutavit eam in coturnicem, quæ Græce ὄρτυξ appellatur, & monstravit ut veniret Delon, quæ illis temporibus circa omnia littora ferebatur ventis. Post partum* vero Latonæ quod Dianam & Apollinem peperit, Ortygia dicta est, quæ ante Delos nominabatur, & postea Delos cum eam Apollo revinxisset Gyaro & Mycone altissimis montibus.

DONATI.

CONDIMUS. Erant placandi manes læsi, præsertim illius qui civis & affinis & regis filius erat: & qui recte monuerat Trojanos, ut sceleratam terram relinquerent. Docet autem Poëta, quæ possint curare, quod male sint gesta, esse curanda.

DEDUCUNT. Quas miseri subduxerant.

VARIORUM.

MAGNA SUPREMUM VOCE. Mos appellandi Manes. TURNEB. lib. 22. cap. 10. Voces supremæ in funeratione *Salve, vale*, ut Græcis χαῖρε, καὶ. A vocando autem & ciendo mortuos ψυχαγωγεῖν & ψυχαγωγίας Græcos dixisse constat ex Plutarcho. In funebribus cærimoniis solemne fuit, omnibus rite peractis, & cadavere rogo imposito, mortuum proprio nomine ter inclamare: fortassis quod ad nihil æque atque ad proprium nomen expergisci soleamus; ad quod si vitalis aliquis calor adhuc inclusus lateret, vitæ signum aliquod ederetur. Quod si ne tum quidem se proderet spiritus vitalis, de eo conclamatum dicebatur. GERMAN. HORTENS.

INDE UBI PRIMA FIDES PELAGO. Videtur respicere illam navigationem, quæ auctoribus classicis prima dicitur, quæ post sævitiam hyemis vel tempestatis navigantibus aperiebatur: quam Græci πρῶτον πλοῦν, ad Δήλιον referentes dicebant. GERMAN.

INDE UBI PRIMA FIDES PELAGO. Hanc locutionem de mari pacato, notat & Scalig. lib. 4. cap. 16. Poët. Solvunt è Thracia & deferuntur in Delum. *Primam fidem* vocat tranquillitatem cæli ac maris, qua citra periculum vela dare poterant. HORTENS.

ET LENIS CREPITANS VOCAT. Duo epitheta inquit Servius posuit vitiose. Sed H. Stephanus negat, participium *crepitans*, pro epitheto habendum; cum perinde accipi queat, ac si dictum esset, lenis Auster vocat crepitando, vel crepitu suo. Deinde affirmat Vett. libros habere *lene crepitans*: quod & Fabricius observat: ut *lene* sit adverbium, & producatur Græcorum, immo & Latinorum ratione. TAUBMAN.

NAVES ET LITTORA COMPLENT. Hysteron proteron. Prius complebant littora, quam ingrederentur, Inde deducebant è littore. HORTENSIUS.

TERRÆQUE URBESQUE RECEDUNT. Brodæus lib. 5. cap. 36.

Digitized by Google

Sacra mari colitur medio, gratissima tellus
Nereidum matri; & Neptuno Ægaeo:
Quam pius Arcitenens oras & littora circum
Errantem, Mycone celsa Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: haec fessos tuto placidissima portu

S E R V I I.

SACRA MARI COLITVR MEDIO. Ordo est, In mari medio Ægaeo colitur tellus sacra Neptuno, Nereidum matri, id est Doridi gratissima. Fabula autem talis est. Post vitiatam Latonam, Iupiter cum etiam ejus sororem Asteriem vitiare vellet; illa optavit à diis, ut in avem verteretur; versaque in coturnicem est. Et cum vellet maria transfretare, quod coturnicum est: adflata à Iove, & in lapidem conversa, diu sub fluctibus latuit. Postea supplicante Iovi Latona, elevata est super aquas: haec primo Neptuno & Doridi fuit consecrata. Postea cum Iuno gravidam, Pythone immisso, Latonam insequeretur, terris omnibus expulsa Latona, tandem applicante se littoribus sorore, suscepta est: & illic Dianam primo, post Apollinem peperit. Qui statim occiso Pythone, ultus est matris injuriam. Sane nata Diana, parturienti Apollinem matri dicitur praebuisse obstetricis officium.

Vnde cum Diana sit virgo, tamen à parturientibus invocatur: haec namque est Diana, Iuno, Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi naturalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alia est: Nam haec insula cum terrae motu laboraret (qui fit sub terris latentibus ventis, sicut Lucanus, *Quaerentem erumpere ventum Credidit*) Oraculo Apollinis, terrae motu caruit. Nam praecepit ne illic mortuus sepeliretur, ut in Vulcano: & jussit quaedam sacrificia fieri: postea è Mycone & Gyaro vicinis insulis populi venerunt, qui eam tenuerunt, quod etiam Virgilius latenter ostendit. Quod autem diximus Dianam primo natam, rationis est. Nam constat primam noctem fuisse: cujus instrumentum est Luna, id est Diana: post diem, quem Sol efficit, qui est Apollo. Vt autem Delos primo Ortygia diceretur, factum est à Coturnice, quae graece ὄρτυξ dicitur. Delos autem, quia diu latuit, & postea apparuit. Nam δῆλον Graeci, manifestum dicunt. Vel quod verius est, quia cum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula. Delos autem civitas dicitur & insula. Vnde interdum recipit praepositionem. SACRA MARI. Sane sacrum dicitur, quod rite sacratur Deo, ut aedes, arae, simulacra, dona. Hic igitur aedium sacrum, etsi non aperte, attamen ejusdem ritus meminit, cum de insula loqueretur, in qua praeterquam ut sacra dixerat, id est sacrata, gratiam quoque posuit non solum Doridi matri Nereidum, quae traduntur deae maris; sed Neptuno etiam addidit dominatori videlicet omnium in mari deorum. TELLVS. Major dignitas est *tellus*, quam si dixisset *insula*.

NEREIDVM MATRI. Doridi, quinquaginta nympharum matri, conjugi Nerei. NEPTVNO ÆGAEO. Quia in Ægaeo mari haec insula posita est. Sane inter Ellespontum & Adriaticum mare, omne illud Ægaeum appellatur; quod nomen à patre Thesei Ægaeo rege Atheniensium traxit, qui in mari se praecipitavit; sperans mortem filii. Cum enim in labyrintho Minotaurus esset inclusus, & quotannis ex nobilitate Atheniensium, septem pueri vel puellae ad vescendum Minotauro mitterentur, tandem dolor Theseum subiit. Profectus itaque est ad Minotaurum perimendum, placuitq; cum patre, ut si illud monstrum vicisset, vela candida navibus daret; si forte à Minotauro fuisset oppressus, navigium cum atris velis rediret. Sed cum extinxisset Minotaurum, oblitus non eum candidis, sed cum nigris velis reverti coepit; & patri in specula constituto, triste sui interitus signum dedit, qui extinctum filium credens se praecipitavit in mare, unde Ægaeum pelagus appellatum est.

PIVS ARCITENENS. Apollo est. Bene *pius*, aut qui ultus est matrem de Tityone, de Niobe, de Pitone: aut quia patriam stabilivit errantem. Legitur & *prius*.

MYCONE GYARO REVINCT. Quidam per historiam dictum putant, nam inter Myconem & Gyarum, Syrum unam de Cicladibus esse dicunt: unde fuit Ferecides philosophus. Alii nullum auctorem alium esse adserunt, qui Delon ab Apolline religatam dicat. Constat enim eam ante evagare, & propter Latonae partum restitisse. Alii hanc insulam inter Myconem & Gyarum humilem esse dicunt, ut his quasi vinculis contineatur. REVINXIT autem, putant num retraxit.

COLI DEDIT. A vicinis scilicet populis. VENTOS CONTEMNERE. Propter terrae motum.

D O N A T I.

SACRA. Vt ostenderet vittas & laurum non esse signa laetitiae, quae tristitiae Trojanorum non conveniebat, sed sacerdotii. Magna autem exempla posuit malae bonaeque amicitiae: Polymnestorem & Anium, quae nos ad bonum hortentur, & à malo revocent.

V A R I O R V M.

NEPTVNO ÆGAEO. Cur sic dictus. Turneb. 3. cap. 10.

QVAM PIVS ARCITENENS. *Pius* autem hic dicitur Apollo: vel quia occiso Pythone serpente, ultus est Latonae matris injuriam: vel quia non passus est Delum, terram sibi natalem, diutius errare, sed Myconi & Gyaro insulis eam religavit. Hodie tamen sejunctam conspici tradunt. TAVB.

ARCITENENS. Homerus: ἀργυρότοξος, ἑκηβόλος, & ἑκάεργος. Macrob. l. 6. c. 4. Saturn. H.

CONTEMNERE VENTOS. Proverb. *Non movenda moves*. HARTVNG.

Acci-

Accipit: egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos,
Vittis & sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum:
Jungimus hospitio dextras, & tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam Thymbraee domum, da mœnia fessis,

SERVII.

APOLLINIS VRBEM. Delon: & est definitio. Ejusdem nominis & urbs, & insula Delos dicitur.

REX ANIVS. Anius autem rex Deli, Apollinis sacerdos, cum trium filiarum esset parens, ne unius tantum Dei esset totas * auxilio filia numini Liberi patris devovit, qui parem ei gratiam reddens, effecit, ut quidquid una adtigisset verteretur in fruges, altera in vinum, tertia in oleum; id cum comperisset Agamemnon dux Argivorum, cum mille navibus oppugnaturus iret Trojam; misit qui eas accerserent, ut posset alere Græciæ exercitum. quæ cum vinctæ tenerentur, invocaverunt Liberum patrem, quas ille in columbas vertit, & ita vincula fecit effugere: unde hodieque Deli columbas violare nefas est: hunc tamen Anium, Palefatus etiam propinquum tradit Anchisæ. Alii dicunt hujus Anii filiam occulte ab Ænea stupratam, edidisse filium nomine An.*

REX ET SACERDOS. Hic Anius Apollinis filius, rex Deli & sacerdos fuit, qui habuit filium Andron nomine: unde Andros insula appellata est, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venerat; an Salaminam peteret comes Priamo, unde & agnoscitur. Sane majorum hæc erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos, vel pontifex. Vnde hodieque imperatores, dicimus pontifices.

VITTIS ET LAVRO. Vittæ, sacerdotis sunt: laurus vero etiam imperatoris victoris.

ANCHISEN AMICVM. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus: Nam quomodo fuerint amici, palam poëta non dicit.

HOSPITIO. Licet Probus quærit, quid sit *Jungimus hospitio dextras*; tamen casus septimus est, id est jure hospitalitatis. Nam ad hospitium non potest intelligi: quia jam amicus fuit; aut sicut quidam tradunt, jungimus dextras, & hospitio tecta subimus.

TEMPLA DEI. Hoc juxta augurii genus quod stativum dicitur retulit, in quo considerantur, quo in loco auguria peragi debeant. Nam ideo ait, *Templa dei saxo venerabar structa vetusto*, & subjunxit, QVO VEIRE IVBES. Et exinde. DA PATER AVGVRIVM. Sane quæritur cur saxum vetustum dixerit. Sed traditur à plurimis, inter quos etiam Epafus vir peritissimus refert, Delphis quodam tempore evenisse, ut templum religiosum ante & intactum, spoliatum incensumque sit; ac post multas Corinthii urbes singulasque proximas terræ motu haustas; Delon neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sicut Tuthrodes, quod etiam Cicero in prætura Verrinarum ita ait, *Tantaque vis hujus religionis est, & semper fuit, ut ne Persæ quidem cum bellum totum Asiæ diis hominibusque indixissent, & mille navium classem Delum appulissent, quicquam conarentur, aut violare, aut adtingere.* Non mirum ergo si aut ad tempora poëta respondit, aut ad pristina; ut pote quod religio nunquam omnino vexata illo suo antiquo & vetusto saxo colebatur; vel *vetusto*, religioso: Et quod VENERABAR ait, ostendit se precatum. DA PROPRIAM. Da, dic, indica; Apollo enim non dandi, sed dicendi habet potestatem. Quæritur etiam cur Æneas cum Delum venisset, nullis prius hostiis cæsis, statim à precibus cœperit: quia tradunt multi, inter quos & Varro; esse aras tam Apollinis, quam filii ejus non tantum Deli, sed in plurimis locis apud quas hostiæ non cædantur; sed consuetudo sit deum solemni tantum prece venerari: quod autem ait, Neptuno & Apollini tauris postea sacrificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet.

PROPRIAM. Perpetuam, stabilem, firmam; ut, *Propriamque dicabo.* Et bene post experimentum male conditæ civitatis, perpetuas postulat sedes.. THYMBRÆE. Thymbræus Apollo dicitur à loco Trojæ, id est agro vicino pleno Thymbra, quæ Satureja dicitur; & bene Deli positus, *Thymbræum* appellat, quem in Troja adsueverat colere in agro, in quo ejus & nemus est, & templum: ubi à Paride Achilles occisus est. Vnde fingitur manu Apollinis vulneratus. Ergo *Thymbræus*, ut Delius: nam numina à locis frequenter nomen accipiunt. Alii *Tymbræum* locum in Delo consecratum Apollini tradunt. Sane quia Græce θύμβρη facit: in derivatione η in diphthongum mutat: ut αἴτνη Ætnæus, δίρκη, Dircæus. DOMVM. Familiam: ut; *Domus tenet à quo Sergia nomen.*

DONATI.

OCCVRRIT. Magna benevolentia, ut rex & sacerdos non expectaverit peregrinos ad se venire, sed ultro occurrerit. VETEREM AMICVM. Quasi dicat: illum talem tunc habuit amicum, qualem habebat stante Trojanorum felicitate: neque secutus est fortunam, ut Polymnestor, & tantum habuit amicum quantus fuit, non quantus veniebat.

PROPRIAM. Nam incerti hactenus vagabantur, ut, *Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.* Est autem precatio brevis, & quæ omnia contineat. nam petit & movet commiserationem.

VARIORVM.

REX ANIVS. De Anio Dionysius Halicarn. Turneb. lib. 4. cap. 22.

THYMBRÆE DOMVM. Macrob. lib. 1. cap. 17.

Digitized by Google

Et genus, & mansuram urbem: serva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaûm atque immitis Achillei.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da pater augurium, atque animis inlabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.

SERVII.

MANSURAM. Perpetuam. Duo ponit epitheta, & urbem & perpetuitatem. Mansuram autem ideo, vel propter Trojam: vel propter eam, quam in Thracia condidit. SERVA ALTERA. Non quia prima servavit: sed quia servare voluit, ut Homerus dicit. ACHILLEI. Sic veteres declinabant.

QUEM SEQUIMUR? Quia Cadmus oraculo Apollinis bovem secutus, in Hyantheo Boëtiam condidit. Veteres enim oraculis signa quibus civitatem conderent accipiebant.

DA PATER. Pater religionis, ut supra diximus, nomen est. Nam & hominibus datur: ut, *Inde toro pater Æneas.* & montibus, ut, *pater Apenninus.* & fluminibus, ut, *Tybris pater.* numinibus etiam: ut, *Quidve pater Neptune paras.* Item, *Ipse pater Danaus animos viresque secundas Sufficit.* Item, *Odit & ipse pater Pluton.*

AUGURIUM. Modo oraculum: sed usurpative. Augurium enim est, exquisita deorum voluntas per consultationem avium aut signorum; quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus, per auguriumà diis volumus impetratum; ut in hoc loco Æneas, postquam omnia quæ volvebat animo petit; ait, *Da pater augurium*, & est species ista augurii quæ legum dictio appellatur: legum dictio autem est, cum condictio ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quale conditione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis versibus supradictis; tunc enim quasi legitimo jure legem adscribit, *Da pater augurium.*

ANIMIS ILLABERE NOSTRIS. Quia Apollinis responsa semper obscura sunt, vera tamen. Unde cum intelligentia oraculum postulat.

TREMERE OMNIA. In consequentibus quid sit *omnia* docuit, dicendo, *Liminaque laurusque dei.* & hoc augurium juxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur tripudium sonubium. Id est, à sono ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet. VISA REPENTE. Stoicos & Academicos sequutus est, qui dicunt ea quæ contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri. Unde magica ars est exclusa omnis: sicut Plinius Secundus docet in naturali historia.

LIMINAQUE. QUE brevis, est pro longa posita: quæ hac ratione defenditur: aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, & his licenter uti possumus. Aut certe, quia omne μόριον, id est particula quæ sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis, quod si est: *liminaque*, quasi una pars orationis est: & potest QUE finalitatis ratione, vel produci, vel corripi.

LAURUSQUE DEI. Aut ideo singulariter, quia in Delo Insula laurus Apollini consecrata est; aut lucum dicit, aut quia traditur Latonam, duas Laurus amplexam, Dianam & Appollinem enixam. Fabula sane de Lauro talis est, Daphnis Penei, vel ut alii dicunt Ladonis filia, ab Apolline adamata est; à qua cum precibus & promissis non potuisset Apollo, ut secum concumberet, impetrare; vim ei adhibere conatus est, cumque eam insequeretur, & illa fugiens defecisset lassata, terræ imploravit auxilium, quam terra hiatu facto recepit, & pro ea arborem edidit, quæ Græce nomen suum retinuit, Latine Laurus dicitur; sed Apollo eam etiam mutatam ita dilexit, ut adscriberet efficeretque, ut propter virginitatem servatam semper vireret. MOVERI. Quia opinio est sub adventu deorum moveri templa.

MONS. Cynthus. Unde Cynthius Apollo. CORTINA. Locus unde oraculum datur. Dicitur autem *Cortina*, vel quod Apollinis tripos corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa funduntur, quasi certina, vel (quod est verius) quod cor illic vatis tenetur. Nam caverna quidem in templo Apollinis fuit, ad quam Phœbus rapta vaticinabatur; ut Lucan. ostendit. Alii *cortinam* quasi ortinam tradunt, quod inde vox oriatur. RECLUSIS. Nunc apertis: alias denuo clusis.

DONATI.

DA. Id est, ostende. *da pater augurium.* Paterno animo infunde animis nostris aperta & perspicua oracula. Usus est autem imperativo *da* & *illabere*, quod est deprecantis ex fiducia Apollinem, qui Trojanis favebat.

VARIORUM.

ATQUE ANIMIS ILLABERE NOSTRIS. Ut tuam plane assequi possimus mentem. Nam Apollinis oraculum etsi verum est, latet tamen propter obliqua & tortuosa responsa, quæ illius reddebant vates: quo facilius imponerent consulentibus. Ideo Λοξίας dictus est. Vide Macrob. lib. 1. cap. 17. Attamen plenius hic aliquid intelligendum puto: nam cum ait, *animis illabere nostris*, divinitatem, ac vaticinandi potestatem ab eo petere videtur. NASCIMBÆN.

TREMERE OMNIA VISA. Hæc Deum præsentem esse indicio erant. Et tum vera reddebantur Oracula: sicut eo absente, falsa. De quo Turneb. lib. 4. cap. 22.

Sub-

Submissi petimus terram, & vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Hæc Phœbus: mistoque ingens exorta tumultu
Lætitia, cuncti quæ sint ea mœnia quærunt:
Quo Phœbus vocet erranteis, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite ô proceres, ait, & spes discite vestras.

SERVII.

SVMMISSI. Vtrum corpore an animo? an quia supplices rogamus, an quod verum est, *Inclinati*? Et sciendum pro qualitate numinum, orantes interdum ima, interdum summa respicere. Nam potestates aliæ cœlestes sunt, aliæ terrenæ, aliæ permixtæ. Vnde nunc Appollinem deprecantes, terram petunt. Ipse enim est & Sol, & Liber pater, qui inferos petiit. ut Horat. *Te vidit insomnis Cerberus.* PETIMVS TER. Bene ergo terram petunt, unde ad eos responsa perveniunt: & quia Apollo etiam inferis notus est.

DARDANIDÆ. Vt diximus, obscura quidem, sed vera sunt omnia. Nam dicendo DARDANIDÆ, ostendit Italiam, unde Dardanus fuit. quod si Cretam significaret, Teucridæ diceret. DVRI. Vel futurum ostendit laborem: vel eorum arguit insipientiam, qui intellecturi non fuerant. STIRPE. Hoc verbo, Trojanis factus est terror. Sane stirps, genere fœminino originem significat; ut *Heu stirpem invisam.* Masculino, arborem: ut, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.* Sed Horatius contra regulam nititur: ut, *Stirpesque raptas & pecus & domus.*

PRIMA TELLVS. Italia, unde Dardanus venit. Teucer enim de Creta post venit. VBERE LÆTO. Quod est Italiæ proprium: ut alibi, *Atque ubere glebæ.*

MATREM. Matrem autem, terram Apollo significat. Tractum autem est de historia: nam Brutus & filii Tarquinii, cum oraculum Delphici Apollinis peterent; responsum est, ejus imperium fore, qui primus matrem reversus oscularetur. quod solus Brutus agnoscens de navi egressus, simulans casum, osculatus est terram: unde & potitus imperio est. EXQVIRITE. Dicens exquirite, ostendit difficultatem.

HIC. Pro illic. DOMVS ÆNEÆ. Ad illud respicit, *Da propriam Tymbræe domum.*

NATI NATORVM. Propter illud, *Mansuram urbem.* Nam oraculum semper ad petita respondet. Sane hic versus Homeri est, quem & ipse Orpheo sustulit. Item, Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei. Mire autem sequenti versu hoc ostendit; dicendo, *Hæc Phœbus.*

TVMVLTVS. Quia dixit, *Exquirite.*

LÆTITIA. Propter promissam imperii æternitatem: finis enim auspicii in demonstratione comprehensus, dedit petentibus lætitiæ optandam gratulationem.

VOCET. Aut revocet, aut hortetur.

MONVMENTA VIRORVM. Historias.

SPES DISCITE VESTRAS. Aut quasi senex loquitur: aut quia (ut supra diximus) scit se esse moriturum. Vbique enim sciens futurorum inducitur.

DONATI.

CVNCTI QVÆ SINT EA MŒNIA QVÆRVNT. Post ejusmodi responsum, quo solum continebatur incertum, ut constaret, quæ esset illa regio ad quam tendere deberent, læti quidem fuerunt omnes, quod optata cognovissent, sed universi quærebant nomen loci. Antiqua enim memoria fuit, quam posterioris ævi homines ignorabant: Quam cum nemo nosset, Anchises, qui longe cæteris scientia & annis præstabat, revoluta priscorum familia, expositionem responsi, audacter est ingressus.

VARIORVM.

PRIMA TVLIT TELLVS. Turneb. libro 7. cap. 9.

ANTIQVAM MATREM. Vno verbo Euripides παλαιομήτορα dixit, id est terram. ita Lucret. lib. 2.

Humorum guttas mater quum terra recepit,
Feta parit fruges, &c.
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Intelligit autem Italiam, unde Dardanus, author gentis Trojanæ, primum in Troadem commigravit. Teucer vero de Creta post venit. Videmus igitur, in quantum errorem unius verbi negligentia Anchisen ex affectu & tædio peregrinationis Oraculum interpretantem conjecerit. De quo etiam Macrobius l. 7. c. 7. in Somn. Scipionis. TAVBMAN.

NATI NATORVM. Macrob. lib. 5. cap. 3. Homerus Iliad. υ. Proverb. *Nati natorum*: Kinds kind. καί κεν μετόπισθε γένωνται) παῖδες παίδων. HART.

Creta Iovis magni medio jacet insula ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.
Maximus unde pater (si rite audita recordor)

SERVII.

CRETA. Dardanus Iovis filius & Electræ, profectus de Corytho civitate Tusciæ, primus venit ad Trojam: & illic parva ædificia collocavit. Post cujus obitum Teucer venit ex Creta, & invenit Dardani socios habitantes in vallibus, qui constituit arces & mœnia. Modo ergo errat Anchises: nec respiciens adventum Dardani, oraculum Cretam significare credit. Argumentatur ex hisque solent ab advenis fieri. Ida, inquit, illic est: quæ in Troja ad similitudinem dicta: ut, *Effigiem Xanthi Trojamque videtis, Quam vestræ fecere manus.* Item sacrorum similitudo: quam apud majores nefas erat perire. Vnde Æneas in duodecimo, *Sacra deosque dabo, socer arma Latinus habeto.*

IOVIS MAGNI. Quia illic dicitur nutritus esse: quod (ut Salustius dicit) ideo fingitur, quia *Primos Cretenses constat invenisse religionem.* Sane nati Iovis fabula hæc est, Saturnus postquam à Themide oraculo comperit à filio se posse regno depelli, natos ex Rhea uxore filios devorabat, quæ natum Iovem, pulchritudine delectata, Nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo: ubi eum aluerunt apes. Pro quo involutum lapidem glutiendum Saturno dedit, quem cum Saturnus fraude cognita, vehementius quæreret. Et adhibiti sunt Curetes & Corybantes, qui tinnitu æris, id est, lusus excogitato genere, ut cum clypeis æreis inter se currerent & prohiberent audiri pueri vagitum, unde ipsi sunt matris deûm ministri: sed nonnulli eosdem Curetes & Corybantes dicunt. Vt autem fingatur Saturnus filios suos comesse, ratio hæc est: quia dicitur deus esse æternitatis & seculorum. Secula autem annos ex se natos in se revolvunt. unde Græce κρόνος quasi χρόνος, id est tempus dicitur.

MEDIO PONTO. Potest quidem intelligi secundum Salustium, longe à continenti. sed altior est hoc loco poëtæ intuitus. Nam apud Chorographos legimus, quæ insula in quo sit mari: ut Sardinia in Africo. Delos in Ægeo: & de aliis omnibus. De Creta omnes dubitant in quo sit mari. Nam parte Libycum, parte Ægyptium, parte Achaicum, parte Ionium respicit. Ergo medio ponto, ac si dici possit medio pontorum: quod Latinitas non recipit.

MONS IDÆVS VBI. Idæus derivativum est pro principali: & est Ἴδη Idæus, ut Αἴτνη Ætnæus. CVNABVLA GENTIS. Nutrimenta. Nam ubi jacent infantes, cunæ vocantur. Et latenter dat gloriam Trojanis, dicens eos à diis originem ducere. Vnde est, *Ab Iove principium generis.* Ibi enim & de Dardano, & de Teucro intelligimus, quasi Iovis cives.

VRBES HABITANT. Non dicit QVI. sed intelligimus Cretenses. aut certe habitant pro habitantur: ut, *Insinuat pavor.* Et primo quidem centum habuit civitates; unde Hecatompolis dicta est. post viginti quatuor. inde ut dicitur duas, Gnoson & Hierapidnam. Quamvis Livius plures à Metello expugnatas dicat. VBERRIMA REGNA. Hic decipitur, qui audit, *Vbere gleba.*

MAXIMVS VNDE PATER. Fallitur. Nam antiquior dicitur Dardanus. Alii *maximus*, antiquissimus tradunt; per *patris* autem appellationem, majorum cognationem ostendit. SI RITE AVDITA RECORDOR. In dubitatione excusat errorem.

DONATI.

CENTVM VRBES. Exponit quod dixit *jacet*: & ostendit magnitudine & ubertate præcipuum regnum, ut & intimet quod dixit, *gentis Incunabula nostræ*, ponit Teucrum.

MAXIMVS. Vbi deest nomen consanguinitatis, dicimus majores & patres. Ergo *maximus*, est pater ipsorum majorum.

VARIORVM.

CRETA IOVIS MAGNI MEDIO, &c. Chorographia, à dignitate, partibus, origine gentis Trojanæ, & opibus. Creta, hodie Candia vulgo, sed à candore, utroque nomine appellatur: major Cypro, minor Sicilia & Sardinia, sed fertilitate omnibus par. Ab ortu alluit mare Carpathium, ab occasu Ionium, à septentrione Ægæum, à meridie Africum. Insula hæc multis famigerata fuit fabulis, adventu Europæ, Pasiphaës, & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque, Dædali operibus & fuga: maxime tamen eo, quod ibi sepulti Iovis pæne clarum vestigium, sepulchrum est, cui nomen ejus inscriptum esse accolæ ostendunt. Quamvis multæ sint nationes, quæ Iovem apud se natum glorientur, constantior & verior sententia est in Creta natum & educatum: quam ob caussam poëta ejus insulam, natalem scilicet vocavit. Hinc etiam rex Dictæus, Idæus, ab illius insulæ montibus cognominatur. Cic. Tuscul. 1. Eam insulam descripserunt Strabo lib. x. Solinus cap. 17. Mela lib. 2. cap. 7. HORTENS. PONTAN.

MEDIO IACET INSVLA PONTO. A loci opportunitate: quod undique mari clausa ab hostium impetu tuta est: nisi exponas *Medio*; id est ambiguo, nam quo in mari jaceat, Solino teste, non satis probari potest: attamen medio ponto de omnibus insulis dicitur: nam mari undique cinguntur: ita paulo ante de Delo:

Sacra mari colitur medio gratissima ponto.

NASCIMBÆN.

MAXIMVS VNDE PATER. A descriptione transit ad argumenta, quibus colligit, eam terram esse, quam petendam obscuris ambagibus moneat Phœbus, hoc est quod inde oriundi sint Trojani. HORTENS.

Teu-

Digitized by Google

Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. nondum Ilium & arces
Pergameæ steterant, habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subière leones.

SERVII.

TEVCRVS. De hoc fabula duplex est, nam & de parentibus ejus dupliciter traditur. Alii enim Curetas & Idæ nymphæ. Alii, inter quos & Trogus, Scamandri filium tradunt, qui Scamander cum Creta frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad exteras sedes quærendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, ubi noctu à terrigenis oppugnatus esset. cum ad Frigiam venisset & castra posuisset, noctu mures, arcuum nervos & labramenta armorum, adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocavit, qui cum adversus Bebrycas finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit · qui post à Cretensibus in honorem regis sui, Scamander appellatus est, filioque ejus Teucro regnum traditum, qui cives è suo nomine Teucros appellavit; qui post à rege Troo Trojani dicti sunt, & templum Apollini constituit, quem Sminthium appellavit. Cretenses enim murem Sminthicem dicunt. Alii non Scamandrum, sed Teucrum ipsum sub conditione supradicti oraculi profectum Creta dicunt, & civitatem & templum condidisse, & Sminthos mures vocari à Frigibus. Tradunt præterea nonnullį Dardanum, à Teucro in Frigia inventum, filiam suam ei sociasse, & Dardanum populares suos socero cognomines fecisse. Quidam Teucrum Dardani filiam uxorem duxisse tradunt, & ideo Teucros appellatos: Trojanos autem à Troo Rege.

RHÆTEAS. Rhœteum promontorium Troados, licet alii *Retias* legunt, propter Retiam Ritonis filiam. Et amat Virgilius declinationes Græcas, salva reverentia, in Latinas convertere, ει Græcam diphthongum in ε longum mutans: ut *αἰνείας* Æneas, *μήδεια* Medea, *ῥοίτειον* Rhœteum.

OPTAVITQ. Elegit: ut, *Pars optare locum tecto.*

HABITABANT. Hi sunt qui cum Dardano venerant.

HINC. Id est de Creta, unde venerat Teucer. MATER CVLTRIX CYBELI. Mater proprie, cultrix autem Cybeli, id est, Montis Phrygiæ, in quo colitur, à quo Cybele dicta est. Alii dicunt Cybelum sacerdotem ejus primum fuisse in Phrygia, & ab eo Cybelem dictum. Nonnulli CVLTRIX Cybele legunt. ut sit quasi Cybeleia. Alii Cybele, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, id est à capitis rotatione, quod proprium est ejus sacerdotum.

CORYBANTIAQVE ÆRA. Corybantes dæmones, ministri matris deûm. Quos dicit Corybantes quasi [illegible], qui totum sciant. Ærea autem cymbala Corybantibus Iasonis filiis, quibus vagitum Iovis celaverunt, quos quidam Corybantes dictos tradunt, ἀπὸ τῆς κόρης, Corybas enim Proserpina quæ κόρη dicitur, Græce sine patre natus. Alii Corybantes ab ære appellatos, quod apud Cyprum mons sit æris ferax, quem Cypri corium vocant.

IDÆVMQVE NEMVS. Vt ostenderet Idæum montem, qui sit in Troja: de Cretæ Ida cognomen indeptum. FIDA SILENTIA SACRIS. Hinc inquit, inventum est servare sacris fidele silentium.

ET IVNCTI CVRRVM DOMINÆ SVBIERE LEONES. Dominas deas dicunt: ut alibi, *Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.* Sane dominam proprie matrem deûm dici, Varro & cæteri adfirmant: nam & ibi Proserpinam ideo à Virgilio dominam appellatam, quod ipsa terra esse dicatur, sicut & mater deûm. Sane fabula talis est, Schyros civitas est, exinde fuit virgo Atlantes Cyrinei filia præpotens cursu: adeo ut cum responsum accepisset, se post nuptias, ut quidam volunt, interituram; ut quidam vero, in naturam aliam commutandam sponsos provocatos, ac victos occideret. Postea Hippomenes Venerem, ut sibi in eo certamine adesset rogavit: à qua cum accepisset de horto Hesperidum tria mala aurea, provocavit puellam ad cursum, & cum se videret posse superari, singula cœpit jacere.

Tunc Atlante cupiditate colligendorum malorum retenta, superata est. Sed Hippomenes potitus victoria, cum gratiam Veneri, vel oblitus esset, vel neglexisset referre, impulsu ejus, in luco matris deûm, amoris impatientia, cum victa concubuit. Vnde irata dea in leones eos convertit, & suo currui subjugavit; & præcepit ne secum unquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali historia dicit leonem cum parda libenter, & pardum cum leæna concumbere.

Ideo autem mater deûm curru vehi dicitur: quia ipsa est terra, quæ pendet in aëre. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur, & volubilis est. Ideo ei subjugantur leones, ut ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam: ostendit superpositas terræ esse civitates, quas insignitas turribus constat. Hanc eandem Eram appellari, hoc est dominam tradunt. Alii ipsorum leonum dominam à Virgilio dictam arbitrantur.

DONATI.

HINC MATER CYBELE. Ab observatione sacrorum, arguit eos esse majores suos.

VARIORVM.

NONDVM ILIVM. Homer. Iliad. v. expressit. Turneb. lib. 4. cap. 22.

CORYB. ÆRA. Proverb. Vide, κορυβαντιᾶν.

Digitized by Google

Ergo agite, & divûm ducunt quà jussa, sequamur:
Placemus ventos & Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu, (modo Iuppiter adsit)
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo:
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris fœlicibus albam.
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis

SERVII.

DIVVM DVCVNT. Et necessarium posuit, & honestum.

GNOSIA REGNA. Cretensia, à Gnoso civitate ejus, & est argumentum à possibili.

NEC LONGO DISTANT CVRSV. A Delo scilicet, est argumentum à facili. MODO IVPPITER ADSIT. Aut aër: ac si diceret tantummodo sit serenum. ut Horatius, *Manet sub Iove frigido venator Teneræ conjugis immemor.* Aut quia Iupiter præest insulæ Cretæ quam petebant: aut quia ventos prosperos Iupiter præstat.

TERTIA LVX. Hoc quidam juxta speciem auguralem positum tradunt, quæ appellatur condictio, id est denunciatio, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit: quod Anchises post impetrationem augurii, & Apollinis responsum, suadens in Cretam eundum, ostendit conditionem in tertium diem, addit enim: *Modo Iuppiter adsit*, hoc & pro civitate dicitur. CRETÆIS. Quia κρήτη: ideo Cretæus, ut Æneis.

MERITOS HONORES. Vnicuique aptos. *Taurum* figurate dixit: varietas enim ipsa idem significat. Ratio enim victimarum, fit pro qualitate numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri; quia obest frugibus: hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe à similitudine, ut inferis nigras pecudes, superis albas immolent: item tempestati atras, candidas serenitati. Sane hic ostendit dicendo meritos rite Neptuno & Apollini tauros.

TAVRVM NEPTVNO. Propter futuram navigationem. PVLCHER APOLLO. Propter oraculum datum. Sane hoc loco Virgilius sequutus veterum opinionem, Neptunum tantum & Apollinem nominavit; dicuntur enim hi dii penates fuisse, quos secum advexit Æneas, quamvis diversis locis alias opiniones aliorum secutus poëta de diis penatibus diversa dixerit; & quidam *pulcher Apollo* epitheton datum Apollini reprehendunt, *pulchros* enim à veteribus exsoletos dictos, nam & apud Lucilium Apollo *pulcher* dici non vult.

NIGRAM HYEMI PECVDEM, ZEPHYRIS FOELICIBVS ALBAM. Bono usus est ordine, ut prius averteret mala, sic conciliaret optanda. Frustra enim profutura poscuntur adversis sequentibus: Nam & Romani veteres, Diis asperioribus sacrificabant, ne nocerent.

PVLSVM REGNIS CESSISSE PATERNIS. Non dicit quare. Sed talis historia est, Idomeneus de semine Deucalionis natus, Cretensium rex, cum post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum, sed de re, quæ primum occurrisset. Contigit ut filius ejus primum occurreret: quem quum immolasset; ut alii vero immolare voluisset: & post orta esset pestilentia, à civibus pulsus est regno; Sallentinum Calabriæ promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem: unde est, *Et Sallentinos obsedit milite campos Lictius Idomeneus.* Relatio ergo historiæ ad injiciendum Trojanis Cretam eundi desiderium pertinet: & re vera aliter ad hostis provinciam ire non poterat.

DONATI.

DIVVM DVCVNT QVA IVSSA SEQVAMVR. Nam non amplius sunt incerti quo fata ferant.

PLACEMVS VENTOS. Non quia tunc essent asperi. sed ut deinceps illis prosperis utantur. Facit autem rem facilem à brevitate navigationis.

IVPPITER. Temerarium enim est polliceri aliquid de futuro, cujus sumus incerti, nisi deus faveat.

MERITOS. Convenientes. Neptuno, propter ingruentem navigationem. Apollini, propter acceptum oraculum.

FAMA VOLAT. Opportunitatem convenientem oblatam ostendit. Favebat ergo Trojanis locus, quia secundum Anchisen, fata Cretam portendebant. Item tempus, quia regnum vacabat, erantque domus paratæ, ne essent cum magno labore ædificandæ.

VARIORVM.

TAVRVM NEPTVNO. Ταύρειον Neptunum quidam vocatum tradiderunt, vel propter undarum sonum, quæ boum instar mugiunt; vel quia Neptunus taurina induebatur galea: vel quia ita eum Bœotii vocitabant à tauri sacrificio, quod illi erat institutum, de quo hic Maro. PIERIVS. lib. 3. Verum & illud notatu dignum, quod Neptuno, tametsi ex cælestibus diis unus est, quibus alba conveniunt, sicuti inferis nigra, tamen nigrum taurum mactare consuevit antiquitas. Docet Homeri interpres l. 3. Odyss. *Taurum* quidem immolari ob maris violentiam; *nigrum* vero, propter eum, qui ex profunditate fit, aquæ colorem. NASCIMB.

Ido-

Digitized by Google

Idomenea ducem, desertaque littora Cretæ,
Hoste vacare domos, sedesque astare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus:
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor:
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

SERVII.

IDOMENEA. Hujus nominis penultima syllaba natura brevis, contra regulam producta est. Sed quia quinque Græcæ linguæ sunt, Æolica, Ionica, Dorica, Attica, Communis: hinc fit ut in uno nomine varietas inveniatur: ut ecce in Idomeneos Communis lingua facit genitivum ἰδομενέος; Dorica, ἰδομενεῦς; Attica ἰδομενέως; Ionica ἰδομενῆος. Vnde est hic in versu accusativus, sicut & Ilionea.

HOSTE. Multi hic distinguunt. ASTARE. Esse sub hoc tunc significat, quando de his loquimur quæ cadere non possunt; ut si dicas terras astare. Et ostendere vult se non temere credidisse.

ORTYGIÆ. De hac plenius supra dictum est.

PELAGOQVE VOLAMVS. Quia ut alibi, *Mare velivolum.*

BACCHATAMQVE IVGIS NAXON. Aut vitibus consitam: aut celebratam Bacchis: aut ubi Bacchus ex Indis, vel ut quidam volunt, post devictos Gigantes egit triumphum. Nam ut supra diximus, ipsi consecrata est, quæ & Dia dicitur. Bacchatam ergo in qua bacchatus sit Liber; aut ideo gratam Baccho, quod ibi cum relicta Athesiona duc* libentissime concubuerit, cui etiam coronam donavit, quæ postea inter sidera collocata. VIRIDEMQVE DONYSAM. Vel à colore marmoris Lacedæmonii, vel sylvestrem.

OLEARON. Nam adjecit epitheton caussa varietatis. NIVEAMQVE PARON. Vnde candidum marmor; ut, *Parusve lapis circundatur auro.*

SPARSASQVE PER ÆQVOR CYCLADAS. Et hæ quas dixit, Cyclades sunt: Vnde minus est & ALIAS. Sparsæ autem, quia nullo ordine continentur, ut Stœchades: quæ ἀπὸ τοῦ στίχου dictæ sunt: Rectæ enim sunt. Cyclades vero non ideo dicuntur, quia in rotunditate sunt, sed quod longo ordine eas circumire necesse est. Alii Sparadas, nomine Cycladum dictas tradunt, quod sparsæ sunt.

LEGIMVS. Præterimus: ut, *Littoraque Epiri legimus.* Tractus autem sermo à nautis, quod funem legendo, id est colligendo, aspera loca prætereunt.

FRETA CONCITA TERRIS. Vel propter promontoria: vel quod naturale est, ut concitatiora sint maria vicinitate terrarum: quas constat anhelitum quendam ex se emittere. Vnde in quinto navigaturus Æneas, Eryci sacrificat.

CRETAM PROAVOSQVE. Sane proavos appellando, cognationem declarat. Celeumaticum est hoc hemistichium. Et bene metro Celeumatis usus est, id est Anapæstico trimetro hypercatalecto. Celeuma autem quasi præceptum. Vnde Salustius, *Impediebant jussa nautarum.*

SVRGENS. Flans: ut, *Et flando surgentes demovet austros.* Et contra, non flans, ponens & residens dicitur: ut, *Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.*

ET TANDEM. Ad desiderium pertinet: nam sequitur. *Ergo avidus muros.* CVRETVM. Hi Curetes primi cultores Cretæ esse dicuntur. Alii tradunt Curetes & Corybantes matris deûm ministros, custodes, sicut dictum est, pueri Iovis ad plurimas res maxime usus hominibus extitisse. ADLABIMVR. Ostendit prosperam navigationem fuisse.

DONATI.

VOLAMVS. Ostendit ex prospera navigatione, quantum valuerint obsequia sacrificiorum.

SPARSASQVE. Post specialia transit ad generalitatem. Nam cum dixisset nomina aliquarum insularum, addit, *crebris legimus freta concita terris:* quia nec cognitionem habere Æneas omnium vocabulorum potuit, & odiosum fuit relationem ipsam, facere longiorem. LEGERE autem est nauticum verbum, cum colligunt funes, cum pelagi prolixa transmittunt: & pertinet ad omnes insulas, & ad freta pertinent.

CLAMOR. Vel morem nautarum expressit, vel eorum gaudium, qui suffragantibus ventis prospera sperabant. VARIO CERTAMINE. Nam varia officia sunt, & omnia cum certamine & labore.

TANDEM. Non prolixæ navigationis fuit, sed cupiditatis navigantium. Nam cupienti omnia tarda sunt, etsi summopere properentur.

VARIORVM.

IDOMENEA DVCEM. Homerus Odyss. μ. & γ. Iliad. ν. legatur. HARTVNG.

BACCHATAMQVE IVGIS NAXON. Vide Ianum Parrhasium. HARTVNG.

OLEARON, NIVEAMQVE PARON. Oliaron ex Stephano & Strabone legendum. Ovid. 7. Metamorph.

At non Oliaros, Didymeque, & Tenos, & Andros.

Ergo

Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco; & lætam cognomine gentem,
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Iamque fere sicco subductæ littore puppes:
Connubiis, arvisque novis operata juventus;
Iura, domosque dabam: subito cum tabida membris
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque, satisque lues, & lethifer annus.

SERVII.

ERGO AVIDVS MVROS. Ordo est, Avidus urbis optatæ muros molior; non, avidus molior.

PERGAMEAMQVE VOCO. Zeugma à superioribus, hoc est urbem. Legitur sane in libris antiquioribus, Æneam vere Cretam tempestate delatum locum Trojam nomine Pergamum appellavisse. Alii dicunt, Pergamum in Creta conditam à Trojanis captivis, qui ex classe Agamemnonis illo erant delati, ibique putant Æneam quendam generis auctorem, Ilio incolumi, cum eo ad sacrum Apollinis venisse, & gravidam hospitis filiam fecisse; ex qua ortus eodem nomine Æneas, classem Agamemnonis est adgressus hyeme disjectam; cui se feruntur junxisse hi, qui Cretam secesserant deserto Agamemnone; unde loco nomen Pergamum ab illo conditum, quod obtinuisse desertores feruntur, juxta Cydoniam: quod poëtam latenter attigisse debemus accipere. GENTEM. Sociorum multitudinem. LÆTAM. Propter Pergama restituta.

AMARE FOCOS. Sacrificia celebrare. Quidam focos lares, & per hoc domicilia tradunt. Ergo *focos* pro penates posuit. At è contrario, penates pro focis, ut *Flammis adolere penates.* Sane Varro rerum divinarum, refert inter sacratas aras, focos quoque sacrari solere; ut in Capitolio Iovi, Iunoni, Minervæ, nec minus in plurimis urbibus oppidisque, & id tam publicè, quam privatim solere fieri; focum autem dictum à fovi, ut coli: nam ab eo quod ibi ignis colatur, nec licere vel privata, vel publica sacra sine foco fieri, quod hic ostendit poëta, focorum enim commemoratione, instantium sacrificiorum mentio inducitur: quod ita esse multis locis docetur. Quidam aras superorum deorum volunt esse, Medioximorum, id est marinorum focos, Inferorum vero mundos. ARCEMQVE ATTOLLERE. Poëtica periphrasis, id est domos ædificare. Nam arx est locus in civitate munitus.

FERE. *re*, longa est. SICCO SVBDVCTÆ LITTORE PVPPES. In siccum subductæ littus.

OPERATA IVVENTVS. Perfecit sacrificia propter connubia, & novas sedes: quia apud veteres, neque uxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat. ut alibi, *Letus operatus in herbis.* Item Iuvenalis, *Et matutinus operatur festa lucernis.* SVBITO CVM. Id est cum subito.

CORRVPTO COELI TRACTV. Hic est ordo pestilentiæ, ut Lucretius docet, primo aëris corruptio; post aquarum & terræ; mox animalium. Notandum sane Appolline offenso pestilentiam creari semper; quod etiam Homerus ostendit, cum eum armatum inducit sagittis. Vnde & Apollo dicitur secundum aliquos ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν. Contra si cytharam teneat, mitis est. Vnde Horatius, *Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros Apollo.* MISERANDA. Metonymia, quæ miseranda facit.

ARBORIBVSQVE SATISQVE LVES. Quidam dicunt diversis numinibus, vel bene vel male faciendi potestatem dicatam; ut Veneri conjugia; Cereri divortia; Iunoni procreationem liberorum: sterilitatem horum, tam Saturno quam Lunæ, hanc enim sicut Saturnum orbandi potestatem habere.

DONATI.

AVIDVS. Non avarus, sed quasi ocii cupidus.

FOCOS. Vt haberent cum laribus novis affectus.

ARCEMQVE, Quæ præcipue amavit in Troja, hæc reparare cupiebat.

SICCO. Nam udum etiam est littus.

CONNVBIIS ARVISQVE. Quæ res ostendebat magnam fiduciam manendi.

IVRA DOMOSQVE. Leges vivendi & domos: aut ipsarum domorum jura, id est, dominos à legibus deputans. SVBITO CVM TABIDA MEMBRIS. Securis ac dispositis omnibus, subita pestilentia coorta est ex aëris corruptione, non hominibus solum, sed & arboribus, & satis, victus causa. supra enim dixerat: *Arvis operata juventus.* Languore autem corporis, letum effugere non poterat.

VARIORVM.

HORTOR AMARE FOCOS. Etsi *focus* pro sacrificio quandoque ponatur; quia nullum fere sacrificium absque igne fiat: tamen pro privata cujusque domo frequentius accipi solet. Sic Cicero focos patrios, pro patriis ædibus posuit in Orat. pro Roscio Amerin. & pugnare pro aris & focis multis in locis ab eo dictum est. Cum igitur Æneas urbem designasset, eique nomine imposito, muros parasset, illa duo tantum deesse videbantur, ut civitas privatorum ædibus repleretur, & arce munitior esset: nam sacra antequam urbem conderet, κατὰ τὸ σιωπώμενον ab eo perfecta fuisse intelligendum est: cum veteres illi nihil præsertim magnum prius unquam facerent, quam sacrificassent. Hortatur ergo ut *focos ament*, hoc est, ut quisque sibi domicilium paret, arcem struant, uxores ducant, liberis operam dent, rem denique familiarem constituant. NASCIMBÆN.

Lin-

Digitized by Google

Linquebant dulceis animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Syrius agros:
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ, Phœbumque, remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quem fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat, quo vertere cursus.
Nox erat, & terris animalia somnus habebat:
Effigies sacræ divûm, Phrygiique Penates,
Quos mecum à Troja, mediisque ex ignibus urbis

SERVII.

AVT ÆGRA TRAHEBANT. Duo mala significat, aut mortem, aut ægritudinem prolixam. *Ægra* autem ægrota: & bene addidit *corpora*, quia & animus æger potest esse. LINQVEBANT DVLCEIS ANIMAS. Item alibi, *Et cum frigida mors anima seduxerit artus.* Quare anima dicitur relinqui, & non magis relinquere? Secundum eos scilicet, qui dicunt animam esse perpetuam: & ad diversa corpora transitum facere: quod si est, bene dicimus nos animas linquere, quorum nihil præter corpus est. Nam anima perpetuitatis est. Vnde Palinurus in sexto, *Nunc me fluctus habet*: hoc est corpus, quod solum meum est. Aut certè simpliciter animæ eos linquebant, quia morientibus maxime dulces videntur, Terent. *Animam relinquam potius quam illum deseram.*

EXVRERE SYRIVS AGROS. Syrius stella est in ore canis posita: quæ annis omnibus oritur circa octavum Kalendas Iulii: quæ orta, plerunque pestilentiam toto anno facit, plerunque paucis diebus: Interdum innoxia nascitur. hinc est, *Et in totum regnaret Syrius annum.* Item supra, *& lethifer annus.* Tunc autem pestilentiam creat, si in hanc rem etiam cæterorum consentiat cursus astrorum. Sane canicula in cujus ore est, tantum generis fœminini est: cum sit CANIS communis generis, unde hoc nascitur. Nam in diminutione mutavit genus. STERILES EXVRERE AGROS. Exurendo steriles reddere.

SEGES ÆGRA. Seges interdum terram significat: ut Horatius, *Hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis.* Interdum frumentum: ut, *Quid faciat lætas segetes.* Hoc loco utrunque potest intelligi.

HORTATVR PATER IRE MARI. Bene filium mittit, quia erroris causa pater fuerat. VENIAMQVE PRECARI. Et beneficium: ut, *Orantes veniam.* & re vera veniam erroris Anchisæ, qui oraculum male interpretatus est.

LABORVM TENTARE AVXILIVM. Laborum, periculorum, ut, *Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum.* Temptari autem laborum auxilium propter pestilentiam dixit: & quidam auxilium distinguunt; ut sequatur, *Iubeat quo vertere cursus.*

VERTERE CVRSVS. Propter sedes ait.

EFFIGIES SACRÆ DIVVM, PHRYGIIQ. PENATES. ἓν διὰ δυοῖν. Varro sane rerum humanarum secundo ait; Æneam deos penates in Italiam reduxisse, quædam lignea vel lapidea sigilla, quod evidenter exprimit dicendo; *Effigies sacræ divûm, Phrygiique penates.* Quamvis alio loco alias opiniones secutus diversa dixerit. Sane hos deos Dardanum ex Samothracia in Frygiam, Æneam vero in Italiam ex Frygia transtulisse, idem Varro testatur: quos quidam dicunt, ideo inductos à poëta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem jussum cum Latino fœdus fecisse: eorum etiam monitu Latinum Æneæ se conjunxisse, eosdem tradit visos aliquotiens in somnis quid fieri vellent imperasse, eaque nostros publice curasse majores.

MEDIISQVE EX IGNIBVS VRBIS EXTVLERAM. Hoc quibusdam videtur ad majestatem potius deorum referendum, quam ad jactantiam virtutis Æneæ; & significantius erit, si quæ non legeris intelligas.

DONATI.

LINQVEBANT. Ex principali malo hæc proveniebant: aut moriebantur homines, aut corporibus tabe dissolutis trahebant miserabilem vitam.

EXVRERE SYRIVS. Ergo qui spem evadendi habebant fame perituri videbantur, cum Syrius exurendo omnia sterilia redderet.

RVRSVS. Pater, qui prudentia alios præibat, primus sensit aliquid factum contra præcepta Apollinis.

NOX ERAT. Virtutes animi sui & meritum, gratia deorum commendat: & ostendit, quod cæteris dormientibus, ipse acriter rebus publicis invigilaret.

VARIORVM.

LINQVEBANT DVLCES ANIMAS. Movet commiserationem, ex pessimo rei eventu: quod alii fatis concedebant; alii vero graviter ægrotabant. NASCIMB.

EXVRERE SYRIVS AGROS. De Syrio stella, Had. Iunius Animadvers. lib. 1. cap. 5.

EFFIGIES SACRÆ DIVVM. Ex Dionysio explicat Turneb. lib. 4. cap. 22.

Digitized by Google

Extuleram; visi ante oculos astare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti:
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor:
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus: tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes: non haec tibi littora suasit,

SERVII.

VISI ASTARE. Non adstabant: sed videbantur. Unde & visa dicuntur: non enim sunt, sed videntur.

IN SOMNIS. Multi hic distinguunt, & volunt unam partem esse orationis, id est vigilantes. Nam quemadmodum videbat Lunam infusam fenestris. Multi *somnus* dicunt, & posterioribus jungunt, unde & *visi*, sed corpus post somno vinci volunt, mentem vero vigilare & meminisse omnium: ideo etiam dormiens de Luna scire potuit. Sane in somnis collisio est, quomodo peculi pro peculii. MULTO LUMINE. Cum nimbo suo: qui circa deos solet videri.

INSERTAS. Aut clatratas: aut non seratas; ut sit quasi inseratas, id est non clausas: & dictum, quomodo *Asprosque molares*, pro asperos; compostus pro compositus: vixet pro vixisset: vel *insertas fenestras*, quasi lumine suo Luna inseruerat, ab inserendo, quod se per rimas insereret. FUNDEBAT. Scilicet abundans lumen.

TUM SIC ADFARI. Hic versus in multis non invenitur.

ORTYGIAM. Ad Ortygiam: more suo detraxit praepositionem, ut paulo post; Cretae pro in Creta. Sane quibusdam visum est earum auxilium deorum penatum; Cur enim ante pestilentiam non monuerunt mutandas sedes? ideo aliquibus videtur somnium fuisse appetitum. CANIT. Proprie quia oraculum.

EN Quasi demonstrantis est, ut fidem faciat, ne somnium putetur, ut paulo post, *haud dubitanda refer.*

DARDANIA. Derivativum nomen à constitutore, & sciendum regionem pro civitate positam. TUAQUE ARMA SECUTI. Ac si diceret, tuas partes vel imperium; ut, *Socer arma Latinus habeto.*

SUB TE. Sub tuo jure agentes. PERMENSI. Evecti, ut est contra, *Pelagoque remenso.* Multi autem permensi sine u legunt, à verbo permodior. Hic versus variasse dicitur.

IIDEM. Nos scilicet qui te sumus secuti. VENTUROS. Plus est quam si dixisset futuros. Nam quasi eos jam esse significat. IN ASTRA NEPOTES. Significat Cajum Julium Caesarem, qui primus inter deos relatus est. Et bene IN ASTRA: cujus sydus apparuit: ut, *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum.*

URBI. κατ' ἐξοχὴν Romae: ut supra diximus. MAGNIS. Id est nepotibus: & bonum ornatum à sermonis fecit similitudine: magnis vero dixit, vel penatibus, ut *Magnis diis*: vel nepotibus; sed ad exhortationem Aeneae pertinet, *magna para*, dicendo.

FUGAE. Profectionis. Dicens autem fugae, videtur crimen proditionis excusare.

MUTANDAE SEDES. Argumentum à necessitate. Simul arguitur error Anchisae. SUASIT. Deest capere.

DONATI.

QUA SE PLENA. Voluit demonstrare, quomodo in nocte videre potuit, scilicet per radios Lunae.

TUNC SIC. Ne ulterius recurrentibus curis frangeret.

QUOD TIBI DELATO. Ne geminetur labor redeundo, Apollo facit; ut haec referentibus nobis, hic audias, quae apud eum esses auditurus. Magnus ergo numinis favor: non rogatur, & favet. Non navigas, neque domo egrederis, & dei jussa famulantibus diis, ad tuas aures veniunt.

NOS TE. Ad hominem errore jam à patre imbutum debuit mitti persona, cujus autoritate ac meritis, etiam incredibilia credi possint. Dii ergo penates hujuscemodi erant, qui praeterita memorando, futura meliora pollicerentur. Artis est igitur excludere antè sollicitudinem primam, & liberato angoribus animo, alterius navigationis labores ingerere. AC MONSTRARIT. Non eas sedes ostendisse Apollinem describit, nec eum monstrasse locum.

VARIORUM.

PER INSERTAS FUNDEBAT LUNA FENESTRAS. *Insertas* interpretor, quae aedibus insertae & interpositae erant, ut apud Lucret. *Cum Solis lumina, cumque inserti infundunt radii per opaca domorum.* Inserti enim radii sunt, qui per domos inseruntur, & in eas subeunt, Solisque lumina spargunt. Turneb. lib. 4. cap. 22. Germanus, *Insertas* accipit pro trajectis & penetratis: ut pellucida corpora à lumine transmitti solent, aut corporibus luminosis. PONTAN.

Delius,

Delius, aut Creta jussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
OEnotrii coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ sedes: hinc Dardanus ortus,
Jasiusque pater, genus à quo Principe nostrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Corithum, terrasque require

SERVII.

DELIVS. Ordo autem est, Delius Apollo. CRETÆ. Non sic dicitur Cretæ, quemadmodum Romæ: neque enim bene, sicut dictum est, sine præpositione Insulæ ponuntur, nisi hæ tantum quæ ejusdem nominis civitates habent.

EST LOCVS. Vt ante diximus totius orbis comparatione. HESPERIAM. Deest QVAM. COGNOMINE. Ab Hespero Hispaniæ rege: vel stella, quem intuentur, petentes Italiam.

ANTIQVA. Nobilis, ut jam dictum est.

OENOTRII. Dicti, vel à rege ejusdem nominis, vel à vino. Italis enim primus vitem ostendit Saturnus: ut in septimo legimus, *Vitisator curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex.*

ITALIAM DIXISSE. Bene omnia Italiæ nomina in unum contulit, propter errorem Æneæ.

PROPRIÆ SEDES. Perpetuæ: quia infirmas & in Creta & in Thracia condidit. HINC DARDANVS ORTVS, IASIVSQ. PATER. Iasius & Dardanus fratres fuerunt Iovis & Electræ filii: vel ut quidam volunt, Dardanum de Ioye, Iasium de Corito procreatum; de cujus nomine & mons & oppidum nomen accepit: postea Iasium dicitur Dardanus occidisse. Hi tamen fratres cum ex Etruria proposuissent sedes exteras petere, profecti: & Dardanus quidem contracta in Troja juventute, Dardaniam urbem condidit, à qua Trojanorum origo crevit. Iasius autem Samothraciam cepit, & ibi liberum locum imperio tenuit. Alii dicunt utrumque ex Corytho Iovis filio procreatos, & sicut dictum est, relicta Italia profectos; sed Iasium Samothraciam imperio tenuisse; Dardanum vero in Frygiam pervenisse, ibique auxilio fuisse Teucro Scamandri filio, qui tum finitimas gentes bello subigebat, filiamque ejus duxisse in matrimonium, & post mortem soceri regnum adeptum, Dardaniam Trojanam regionem ab suo nomine appellasse. Græci & Varro humanarum rerum, Dardanum non ex Italia, sed de Arcadia urbe Pheneo oriundum dicunt: alii Cretensem: alii circa Trojam & Idam natum. Sane per patris appellationem cognationem .... *

A QVO PRINCIPE NOSTRVM. Non ab Iasio, sed à Dardano: nam anteriori respondit. Quod autem dicit, A quo principe genus nostrum est: potest tamen & generaliter intelligi, id est unde originem ducimus, ut Deos penates, quasi Trojanos intelligas: & ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris qui appellantur, *De diis quibus origo animalis est*: in quibus ait esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem sunt dii penates & viales.

LÆTVS. Id est omissa tristitia quam de sociis habebat amissis; vel quia ei designatus evidenter fuerat locus, ad quem sine errore & pergere, & pervenire deberet.

HAVD DVBITANDA REFER. Ideo dicunt si forte non crederet, quod per somnium vidit. Aut quia dubitaverant ex consilio Anchisæ: aut ne propter somnium non crederent: aut quia non dubie, ut Apollo noverunt. CORITVM. Designant civitatem ne erraret, & partem provinciæ, ne alter error procrearetur, ex magnitudine locorum. Quidam autem de Corytho hanc fabulam tradunt: Dardanus cum equestri prælio ab Aboriginibus pulsus galeam perdidisset, propter quam resistens, & in audaciam suos reducens, victoriam adeptus est; tum ob rem feliciter gestam, oppidum ubi galeam amiserat condidit; cui Corytho nomen indidit, eo quod Græce Coris galea dicitur; vel Corythum montem in quo Corythus sepultus est. Alii Corythum à Corytho Paridis & Oenones filio conditam ferunt.

DONATI.

HINC DARDANVS ORTVS. Ostendit, cum Apollo dixit: *Quæ vos à stirpe parentum Prima tulit tellus*, non de Creta & Teucro: sed de Italia & Dardano esse intelligendum.

LONGÆVO. Occulte corripit ipsum senem; de origine suorum non debuisse falli.

SVRGE AGE. Ostenditur per somnum hoc vidisse, quamvis aliqui exponant *insomnis*, id est, vigilans.

IVPPITER. Qui Cretæ peculiaris amator est.

VARIORVM.

HAVD DVBITANDA. Ne propter somnium non crederet. *Haud dubitandum*, ab auctoribus pro certo, minimeque ambiguo poni consuetum est. Apud Claudian. in 7. Panegyrii reconditum ac minime vulgarem ejus usum observare licet.

Visa etiam medio populus mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, &c.

Vbi *dubitanda nihil*, pro non parva, aut exigua accipitur: siquidem exilia, quæque oculorum aciem prope subterfugiunt, præ nimia exilitate dubitationem nobis afferre solent. IVNIVS lib. 1. c. 7.

Ausonias: Dictæa negat tibi Iuppiter arva.
Talibus attonitus visis ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velatasque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus: & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.

SERVII.

AVSONIAS. Appellata Ausonia ab Ausonio Vlyxis & Calypsis filio: & primo pars, postea omnis Italia nominata. DICTÆA. Dictæus mons est in Creta, ubi herba Dictamnos nascitur; quæ admota vulneribus, ferrum inhærens solet expellere, qui mons dictus est à Nympha Dicte, quæ ibi colitur, quam cum minus * rex amaret, & insequeretur per loca avia, illa se amore castitatis præcipitem dedit, & excepta piscatorum retibus invita reducta est, à qua rex abstinuit, & nomine ejus Dictæa loca appellari jussit, in hoc monte dicitur altus Iupiter: ut, *Dictæo cæli regem pavêre sub antro.* NEGAT TIBI IVPPITER ARVA. Ex definito. Et bene Iuppiter: quasi ipse qui Cretensibus præest.

TALIBVS ATTONITVS VISIS. Hoc est, talibus deorum vultibus, propter *Visi ante oculos adstare.* Vnde sequitur, *Et voce deorum.* Nam & voce se dicit attonitum & visis. *Attonitus* vero est stupefactus. Nam proprie attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum dant stuporem.

NEC SOPOR ILLVD ERAT. Soluta elocutio.

VELATAS COMAS. Vittatas: ut, *Victoris velatum auro vittisque juvencum.* Aut coronatas, ut, *Velat materna tempora myrto.* Nam dii qui erant apud Laurum Lavinium, non habebant velatum caput.

MANABAT. Fluebat. Hinc & lapis manalis quem trahebant Pontifices, quoties siccitas erat.

CORRIPIO E STRATIS CORPVS. Ne satietate videatur reliquisse somnum. Et sciendum, quia quotiens ex abrupto somnus aufugerit, significat omen infelix: ut ecce hoc loco tempestas sequitur. Item in secundo, *Excutior somno*: & statim sequitur civitatis excidium: nec sine ratione. Nam si somnus munus deorum est: ut, *Et dono divûm gratissima serpit*: non sine infœlicitatis significatione ex abrupto deorum munus abscedit. TENDOQVE SVPINAS AD COELVM CVM VOCE MANVS. Honesta elocutio, cum uno sermone respondemus duobus: ut, *Interea fessos ventus cum Sole reliquit.* Ad cœlum autem ideo, quia dii penates, & Iovis & Apollinis fecerunt mentionem.

INTEMERATA. Rite perfecta: ut si leniter fundendum vinum est, aut mola injicienda, sic fiant ut ratio exigit sacrificii: aliter si fiant, temerata, ac turbata sunt sacra: unde Helenus, *Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.* Item in octavo; *Audax quos rumpere Pallas Sacra vetat, raptoque volat.* FOCIS. Et hic sicut superius dictum est, ostendit cum aris etiam focos solere numinibus consecrari: sed hic, Ideo *focis*, non aris, quia privatum sacrificium sequitur, nam penatibus sacrificat. PERFECTO HONORE. Peracto sacrificio: qui est honot deorum. Et bene ordinem servat, ut ante sacrificet, quam somnium narraret.

DONATI.

ATTONITVS. Duo erant miranda: & deos videre, & optata loquentes audire.

NEC SOPOR. Non enim pleno somno viderat, aut andiverat. nam nec plenè vigilabat, nec plenè dormiebat.

GELIDVS SVDOR. Et hoc confirmat, deos vidisse Æneam.

CORRIPIO E STRATIS. Ostendit prope vigilantem: Nam posuisset expergefactus sum, si dormisset. Exprimit autem festinantem.

MVNERA. Quæ sunt vinum & thus.

CERTVM. Quia primæ interpretationis vitio reddebatur incertus. Ostendit autem Poëta divinas admonitiones referendas non esse, nisi primo patri sacrorum: & precis obsequia sunt, ut prosperentur quæ bona sunt, quæ autem mala vertantur in melius. Deceptus autem fuerat Anchises: quia memoria Dardani antiquior erat quam Teucri, & propterea obscurior. Apollo autem cum dixisset *antiquam*: ostendit fuisse recentiorem. norat enim & primam esse, & secundam.

VARIORVM.

TALIBVS ATTONITVS VISIS. Cælius libro sexto, capite quinto. HARTVNG.

VELATASQVE COMAS. Velatas comas exponi recte video, *vittatas*: ut & *velatis manibus* est apud Plaut. Amphit. id est, cum velamentis & vittis. Et velamenta apud Livium, supplicum vittæ sunt. *velati* auctore Scaligero dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant. TVRNEB. lib. 4. c. 22.

TVM GELIDVS SVDOR. Sudoris frigidi rationem, docet Cælius Rhodig. lib. 6. cap. 4. & 5.

ANCHISEM FACIO CERTVM. Poëtice: pro, certiorem. Vide Floridum lib. 1. c. 2. succisivarum lect. HARTVNG.

Digitized by Google

Agnovit prolem ambiguam, geminosque parenteis,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat:
(Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare)
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.
Sic ait, & cuncti dictis paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ; cælum undique, & undique pontus:

SERVII.

AMBIGUAM. Non incertam, sed modo duplicem; ut in sequentibus probat, dicens. *Geminosque parentes.* Ergo *geminos* hic duos, ut *gemini Atridæ.*

SEQUE NOVO. Adventu scilicet Teucri. VETERUM LOCORUM. Id est Italiæ; deest sane ESSE, ut sit deceptum esse. Sane novo errore veterum locorum: Aut per contrarietatem sermonum declaravit: aut NOVO pro magno posuit.

EXERCITE. Fatigate, exercitate: nam exercitatus, peritus significat: ut expertus & expers. nam expertum rerum si dixero, significo peritum: si expertem, ignarum.

CASUS CASSANDRA CANEBAT. Hæc compositio jam vitiosa est, quæ majoribus placuit: ut, *Anchisen agnovit amicum.* Et, *Sale saxa sonabant.* Et bene Cassandræ inseruit testimonium, quæ divinationem ab Apolline acceperat.

PORTENDERE. Significari debito portendere: Minus est deberi, ut in septimo, *Portendi generum.*

REGNA VOCARE. Satis proprie, unde in octavo; *Expectate solo Laurenti arvisque Latinis.*

TEUCROS CREDERET. Scilicet propter longitudinem spatii.

TUNC VATES CASSANDRA MOVERET. Bene TUNC, quia jam probavit. Et duo argumenta posuit, quibus purgavit errorem.

CEDAMUS PHOEBO. A necessario & utili scilicet. Cujus instinctu dii penates profuturas dixerunt: ut, *Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit.* MELIORA SEQUAMUR. Potest bis subaudiri MELIORA: Meliora moniti, aut meliora sequamur.

CUNCTI. Hoc est cuncti adsentimur, nam *cunctis profectis*, pugnat cum paucis relictis.

OVANTES. Alacres, non utique gaudentes.

HANC QUOQUE. Quemadmodum Trojam & Thraciam: & cum dolore dictum accipe, *Hanc quoque deserimus.* SEDEM. Expressit enim miseriam totius sedis relictæ.

CAVA TRABE. Navium periphrasis optima. CURRIMUS ÆQUOR. Sicut, *Tyrrhenum navigat æquor.*

DONATI.

FATIS ILIACIS. Non proprio fato laborabat. Excusans igitur laborem irritæ navigationis ad Cretam, *Fatis*, adnectit: ut invidiam qua afficiebatur, quod illi frustra laborassent, purget excusatione, cum factum negari non possit.

SOLA MIHI. Uni enim Cassandræ credendum non fuit. deinde non videbatur verisimile, tam longinquas sedes esse petendas.

DICTIS. Vel Apollinis, vel Anchisæ. OVANTES. Propter ereptum laborem iterum in Delum enavigandi, & propter magnam spem propositam. Est autem hæc descriptio navigationis, in qua eadem res sæpius dicitur, diversa & splendida compositione verborum. Tempestas autem egregie descripta est, cum uno pulsu omnia simul elementa turbantur. In hoc & initium posuit: ut, *Cæruleus supra caput astitit imber.* Et augmentum: ut, *noctem hyememque ferens.* Et quæ solent consequi ex huiuscemodi rebus: ut, *Inhorruit unda tenebris*, & : *Continuo volvunt fluctus mare*, & reliqua, quæ maximam ostendunt violentiam, ut quamvis multum laborarent, tamen à cursu detorti, quo volebant non pervenirent.

VARIORUM.

SEDEM. Græcam vocem ἕδρα exprimit, Hesiod. lib. 2. Apollonius lib. 3. HARTUNG.

CASUS CASSANDRA C. Turneb. l. 7. c. 19.

CAVA, TRABE CURRIMUS. Tropus synecdoche, pro navi. HARTUNG.

POSTQUAM ALTUM, &c. Alia tempestas ex XIV. Odyss. Macrob. lib. 5. c. 3. & 6. Saturnal.

APPARENT TERRÆ. Macrob. lib. 5. c. 6. & 7. Homer. Odyss. φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα. HARTUNG.

Digitized by Google

Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora: dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvêre diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere cælo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Treis adeo incertos cæca caligine Soles
Erramus pelago; totidem sine sydere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

SERVII.

SVPRA CAPVT. Capitalis, perniciosus.

NOCTEM, HYEMEMQVE. Pluviamque cum obscuritate. Hyemem autem Græce dixit, nam χειμὼν etiam tempestas dicitur à Græcis. FERENS. Adferens. INHORRVIT VNDA TENEBRIS. Horridior est facta per tenebras.

MAGNA ÆQVORA. Aut epitheton est, ut surgant æquora quæ magna sunt; ut *Magna æquora*, magni fluctus.

GVRGITE VASTO. Epitheto auxit Tapinosim.

INVOLVERE DIEM. Aspectum ademerunt.

NIMBI. Nubes. NOX HVMIDA. Nubes caliginosæ. EXCVTIMVR CVRSV. A proposito itinere avertimur. CÆCIS IN VNDIS. Incertis: quia sydera non apparebant, id quæ * non viderentur.

IPSE. Hoc est, navigandi peritus. Hoc enim significat emphasis pronominis. NEGAT DISCERNERE COELO. Figurate, ut 2. Æneid. *Excissa vitam producere Troia.*

VIÆ. Mari dedit, quod proprium terræ est; ut alibi sulcari ait, unde & terra æquor. PALINVRVS. Hic Iasii filius gubernator Æneæ fuit; qui, Ænea de Sicilia ad Italiam veniente, præcipitatus in mare; nomen in Lucania monti celebri dedit.

INCERTOS SOLES. Bene INCERTOS, quia quantavis sit obscuritas, tamen noctis est manifesta discretio. Vnde superflua quæstio est eorum, qui dicunt tres dies quomodo transisse scierunt, si noctem à die discernere non poterant? Ergo *incertos* obscuros dixit; ut VI. Æneid. *Quale per incertam lunam.*

COECA CALIGINE. Cacephaton in sermone.

ERRAMVS PELAGO TOTIDEM SINE SYDERE NOCTES. *Hinc Pelopis gentes male æquisonantia saxa, Circumstant pariterque undæ terræque minantur, Pulsamur sævis & circumsistimur undis:* Hi versus circumducti inventi dicuntur, & extra paginam in mundo.

ATTOLLERE VISA. Visa naturaliter dixit. Quotiens enim propinquamus littoribus: & exurgere terra videtur, & fumum emittere. APERIRE. Ostendere: ut Salustius, *Caput aperire solitum.* VOLVERE FVMVM. Pro aperiuntur montes ac fumus volvitur.

REMIS INSVRGIMVS. Cum remos, aut * remos, id est exurgentes fortius remittamus.

DONATI.

IPSE. Maximum habet intellectum, id est, qui peritissimus esset gubernator, qui viam in fluctibus observatione sydereum norat. Descriptis autem omnibus quæ orta tempestate perpessi erant, ut finem ostendat, addit.

VELA CADVNT. Verum contraria videntur, quod cum dixerit: *Ipse diem noctemque negat discernere cælo*, deinde addat: *Tres adeo incertos cæca caligine Soles.* Quomodo enim hæc scire potuit, si nulla erat distinctio noctis & diei? Sed responde, voluisse Poëtam obscuritatem aëris nimis satiare. Nam qui fieri potuit sic accidere tenebras, ut inter ipsas & veram noctem, nihil interesset? Vel intellige dierum & noctium numerum distinxisse crebris coruscationibus, quæ vel stellas vel Solem ostendere potuerunt.

VARIORVM.

COERVLEVS IMBER. Id est ater, more Græcorum, qui κυάνεον pro cæruleo & nigro usurpant. TVRNEB. l.14. c.4.

ABRVPTIS NVBIBVS, &c. Lambinus & Gifanius, è MSS. & Vett. editis probant ARVPTI legendum esse. Et notat Turneb. l.5. c.27. eodem modo Græcos πῦρ ἀπορρωγὸς dicere, id est ignem abscissum: quod fulmen nubes dividat ac rumpat. TAVBMAN.

Serva-

Servatum ex undis Strophadum me littora primum
Accipiunt. Strophades Grajo stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyjæque colunt aliæ, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquêre priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira deûm, Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris

SERVII.

SERVATVM EX VNDIS. Ac si diceret, de periculis in graviora se pervenisse discrimina. STROPHADVM ME LITTORA: Fineus Agenoris filius Thracum rex; vel ut quidam volunt Arcadiæ, Cleobulam Aquilonis & Orythiæ filiam, habuit uxorem, & ex ea duos filios, quibus superduxit novercam: quos noverca ad patrem tanquam stupri adfectores detulit, ob quam rem eos Fineus cæcavit: quare irati dii, vel ut quidam volunt, Aquilo, Veneno propter nepotum injuriam, eum cæcavit: & ad Pelagias insulas detulit; adposuitque Harpyias, quæ cum ei diu cibos abriperent, somnosque inquietarent; hic Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, suscepit in hospitio: cui etiam ductorem propter Simpligiadas petras dedit. Hoc ergo beneficio inlecti Argonautæ, cum ei gratiam vellent inferre, Zethum & Calain filios Boreæ & Orithyæ. alatos juvenes, ad fugandas Harpyias miserunt: quas cum strictis gladiis persequerentur, pulsæ de Arcadia pervenerunt ad insulas quæ appellantur Plotæ. Et cum ulterius vellent tendere, ab Iride admoniti ut desisterent à Iovis canibus, & suos converterent volatus: quorum conversio, strophe, nomen insulis dedit. Quod Apollonius plenissime exequitur. Vt autem canes Iovis dicerentur, hæc ratio est: quia ipsæ furiæ esse dicuntur: unde etiam epulas prohibentur abripere, quod est furiarum; ut, *& manibus prohibent contingere mensas.* Vnde & avari finguntur furias pati: qui abstinent partis. Item ipsas furias esse paulo post ipse testatur dicens; *Vobis furiarum ego maxima pando.* Furias autem canes dici, & Lucanus docet, dicens; *Stygiasque canes in luce superna Destituam.* Et in sexto Virgilius, *Visæque canes ululare per umbram, Adventante dea.* Sane apud inferos furiæ dicuntur, & canes: apud superos diræ & aves: ut ipse in XII. ostendit. In medio vero, Harpyiæ dicuntur. Vnde duplex in his effigies invenitur: &, has Virgilius tres dicit, quarum nomina sunt Ællo, Ocypete, Celæno. Apollonius duas dixit, quem in XII Virgilius sequitur. ut, *Sunt geminæ pestes.* Quidam autem dicunt, hunc Fineum ob divinitatem à Thracibus regem cooptatum, consilia divina prodidisse: & obcæcatum adpositis Harpyjis.

STANT Sunt.

IONIO IN MAGNO: In magno mari Ionio. Et sciendum Ionium sinum esse immensum ab Ionia usque ad Siciliam: & hujus partes esse Adriaticum, & Achaicum, Epiroticum. Maria enim vel à provinciis, vel ab insulis, vel à civitatibus nomen accipiunt. Bene ergo IN MAGNO, quasi etiam in quo alia maria sunt. Quidam sane Ionium ab Io Inachi filia dictum volunt, quod amata hoc mare tranaverit; quod in VII. ubi de scuto Turni loquitur, plenius invenies. Nonnulli Ionium ab Ionio rege, qui in insula quæ ante Illyricum jacet regnaverat, dictum tradunt.

HARPYIÆQVE COLVNT ALIÆ. Ergo & Celæno Harpyja. Has Hesiodus dicit Thaumantis & Electræ filias, quas sicut dictum est, quidam furias putant, cum furiarum mater, secundum Hesiodum Terra, secundum Æschilum Nox sit. PHINEIA: Versio Græca est.

MENSASQVE METV. Hoc est sicut dictum est, pulsæ à Zetho & Calai.

NEC SÆVIOR VLLA PESTIS, ET IRA DEVM STYGIIS SESE EXTVLIT VNDIS. Vt pœna in Statio. * Et non dicit has de inferis esse natas, sed pejores esse omnibus inde procreatis.

VIRGINEI VOLVCRVM VVLTVS. Si subdistinguas virginei, major erit admiratio.

FOEDISSIMA. Hic turpis, ut Terentius in Eunucho, *Nunc heu videtur fœdus, quia aliam non habet.* Alibi fœdum cruentum, ut, *Sanguine fœdantem: & fœdatque ora Galesi.*

DONATI.

SERVATVM EX VNDIS. Non perseveravit mala fortuna, sed nec in totum prospera provenit. Nam in littus fertile venerunt, quod fuisset felicissimum, nisi harpyis esset occupatum.

TRISTIVS HAVD. Non potest ab inferis tristius quicquam excitari, quam Harpyiæ.

VIRGINEI VVLTVS. Non esset hoc monstrosum, si cætera essent similia.

VARIORVM.

DIRA CELENO. Euripides in Tauris videndus. HARTVNG.

INSVLÆ IONIO. Diphthongus Græco more accipitur, sequenti vocali in diversis dictionibus. HARTVNG.

VIRGINEI VVLTVS. Somatopœja est. HART.

PHINEIA POSTQVAM. Quo tempore & quam ob rem Strophades ab Harpyis coli ceperint, inditium facit: caussamque struit de fabula Phinei regis Arcadiæ, quam describit Apollonius lib. II. Argonaut. NASCIMB.

VIRGINEI VVLTVS. Cælius lib. 16. cap. 17. lect. antiq.

Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode per herbam.
Irruimus ferro. & divos, ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem. tunc littore curvo
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyjæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.

SERVII.

PROLVVIES. Sordis effusio. Et vitavit ne diceret stercus; & per hoc nimiam edacitatem ostendit; & quidam volunt proluvies cum stercus ventris significet, à Virgilio hoc loco figuram ventris significatam; Ergo quasi annosum & panticosum ventrem. Aliquando proluvies sola effusio. Terentius, *Quod proluvium, quæ hæc est subita largitas*: Aliquando pro aquis multis ponitur. VNCÆQVE MANVS. Pro unguibus manus posuit: hoc est γαμψώνυχας.

FAME. Veluti fame. Nam abundare dicit armenta. Aut revera FAME, quam eis inferebat non inopia, sed avaritia. Alii fami præsides esse tradunt; quia & Fineo propterea adpositæ sunt, & Trojanos ab epulis prohibent, & his tantum famem prænuntiant, & ipsæ sunt famis pallidæ.

DELATI. Quod necessitatis est. Nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus.

LÆTA. Pinguia. nam in animalibus in quibus cognosci non potest sensus, lætitiam pingue corpus ostendit: non mens, ut in hominibus. PASSIM CAMPIS. Vlyxis socii boves Solis occidisse inducuntur, Virgilius credibilius finxit,

CAPRIGENVMQVE PECVS. Satis nove, & affectate. NVLLO CVSTODE. Deest *cum*. PER HERBAM. Ordo est, non per herbam, sed per campos in herbis videmus armenta.

IPSVMQVE VOCAMVS. IPSVM, id est regem deorum, aut certe prædatorem; hoc est, cui de præda debetur aliquid. Nam Romani moris fuit, ut bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Iovis prædatoris: non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Vel quod hic Deus justitiæ præest. Ergo cum eum invocant, testantur se nihil mali facere, cum sine custode interimunt armenta.

IN PARTEM PRÆDAMQVE. In partem scilicet prædæ.

DAPIBVSQVE EPVLAMVR. Dapes, deorum sunt. Epulæ, hominum. Bene ergo utrumque posuit: nam & sacrificiis & conviviis operam tribuunt. OPIMIS. Pinguibus.

SVBITÆ. Pro subito, adverbium in nomen deflexum. LAPSV. Celeritate: ut supra. ADSVNT. Velocitatem ostendit. HARPYIÆ. Vi Græca diphthongus est. Nam Latina esse non potest: quia ne *v* quidem habemus.

CLANGORIBVS ALAS. Deest CVM: ut sit, alas quatiebant cum clangoribus: ut, *Atque Ixionis vento rota constitit orbis*, id est cum vento. Aliter Acyrologia est, si CLANGOREM dixit alarum sonitum. Plautus in Querulo de anseribus, *Cunĉli alas quatiunt diris cum clangoribus.*

CONTACTVQVE OMNIA FOEDANT. Subaudiendum quæ relinquebant.

TVM. Præterea: deest ERAT, vel AVDIEBATVR: & tria mala ipsarum posuit, vocem, tactum, odorem, sed sane hic versus qui circumductus est talis auditur, *Resonant magnis stridoribus alæ.*

DONATI.

PROLVVIES. Nihil in intestinis morari patiuntur, sed statim effundunt. Ergo non solum non satiabantur, sed semper famescebant. Indeque erat pallor.

ECCE LÆTA BOVM. Omnia convenerant, quibus illa invadere cuperemus: Diversitas generis animalium, abundantia, pinguedo ex copia herbarum.

ET DIVOS. Vt quod fiebat illicitum, esset nobis commune cum diis.

TVNC LITTORE CVRVO. Tacuit de apparatu epularum, quem descripsit in primo de cervis. Ibi enim nulla necessitas exigebat brevitatem: hic autem quia proposuerat, *Et breviter Trojæ supremum audire laborem*, & propter noctis tempus, in quo auditores quærebant quietem, erat properandum.

EXTRVIMVS. In primo dixit: *Fusique per herbam*, quia lassitudine & fame naufragi urgebantur. hinc dicit: *Extruimusque toros*, quia in magna copia herbarum, non fuit magnum, congeries cespitum struere, quibus discumbi posset: & magna properandi ad epulas necessitas urgeret.

AT SVBITÆ. Res omnino abominabilis, insultus improvisus: sonitus alarum: unde metus, contactus fœdus, odor teter fugiendas faciebat.

Rursum

Digitized by Google

Rursum in secessu longo, sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum, atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursum ex diverso cœli, cæcisque latebris,
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. sociis tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.
Ergo, ubi delapsæ sonitum per curva dedêre
Littora; dat signum specula Misenus ab alta
Ære cavo: invadunt socii, & nova prælia tentant,

SERVII.

RVRSVM. Ad illud solum pertinet, *Instruimus mensas*: Nam ante in speluncis non fuerant. Et sciendum hanc particulam interdum sic poni, ut iterum aliquid significet: ut si dicas, *Veni ad te mane, rursum veni.* Interdum sine iteratione est: ut, *fui apud te, rursum veni*: non ideo dicis RVRSVM, quia etiam primo venisti, sed quia illic fuisti. CAVATA. Pro cava, nam cavatum proprie manu factum dicimus.

ARISQVE REPONIMVS IGNEM. Ecce quod dixit, *In partem prædamque Iovem.* Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum. nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur. Sunt autem hæ animales hostiæ, quæ tantum immolantur, & caro sacerdotibus proficit. Alibi tantum sanguinem in aras fundi significat: ut, *Sanguinis & sacri pateras.* Alibi partem corporis: ut, *Extaque salsos Porriciam in fluctus.* Alibi integras victimas; ut, *Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

EX DIVERSO COELI. Vt ex secreto montium: subaudis *loco.*

TVRBA SONANS. Imperium ostendit. nam de tribus loquitur. Et alludit ad furias de quibus ait alibi, *Vocat agmina sæva sororum.* Ergo turba, tanquam turba, quare *turba* cum tres dixerit? quia apud Græcos qui dualem numerum habent, pluralis numerus à tribus incipit. Ergo bene turba quasi plures; vel turba propter tumultum & strepitum alarum. Alii tradunt ideo turbam, quod plures, non tres tantum Harpyjæ sint. Alii quod eis cum Furiis consortium; unde, *Vobis furiarum ego maxima.* Alii eas etiam Parcas esse, unde & divinatio ei data est.

PRÆDAM PEDIBVS CIRCVMVOLAT VNCIS. Aut circum prædam dixit volat uncis pedibus: aut intra volam interiorem manus amplectitur prædam. Vnde & involare dicimus, intra volam tenere. Vnde & pira quædam volema dicuntur, eo quod volam impleant.

POLLVIT. Contingit, & pollutum sacrificium contactum dicitur; & hoc est, *Contactuque omnia fœdant Immundo.*

DIRA. Sabini & Vmbri quæ nos mala, dira appellant.

AC IVSSI. Hic jussi, utrum verbum an participium sit; id est, utrum illi jussi sint, an ego jussi?

TECTOSQ. PER HERBAM DISPONVNT. Hoc est disponunt & tectos faciunt. Sicut & scuta condendo latere faciunt.

SIGNVM. Vtrique militare. MISENVS. Bene Misenum dicit tubicinem. Ipse est enim qui filius fuisse Æoli dicitur: unde ait, *Misenum Æolidem*: quia constat sonum omnem ex vento creari.

NOVA. Mira. ut, *Pollio & ipse facit nova carmina.* Nam novum non est, cujus extat exemplum: Hercules enim in monte Arcadiæ Stimphalo vicit Stimphalidas: ut Statius, *Et arisonum Stimphalon.* Aut NOVA ideo; quia vulnerari non poterant. OBSCOENAS. Obscœnæ sunt aves, quæ canendo adversa significant: ut paulo post, *Infælix vates.*

DONATI.

RVRSVM. Antrum & rami, volatum Harpyjarum impedire credi poterant. Ibi igitur securiores dapes & sacrificium restaurarunt, sed frustra. Nam per insperatas cæli partes ad occultas latebras venerunt, & cibum rapuerunt, & quicquid reliquerant, ore polluerunt. Ergo deficiente industria, fuit necessitas ut ad vim recurreremus.

CVM DIRA GENTE. Excusat crimen violentiæ, quam Celæno, faciens pro causa sua, plenissimè exequitur.

IVSSI. Verbum est, non participium.

DISPONVNT ENSES. Brevissima fuit narratio, in qua solum videt, & bellum esse gerendum, & propterea arma capiunt. AT ILLI. Quanqam non jusserat, industria sua capta arma occultarunt? Sapientibus enim locutus fuerat.

VARIORVM.

TVRBA SONANS PRÆDAM. Floridus in hunc locum, de Iuris interpretibus. HART.

Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celerique fuga sub sydera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.
Vna in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infœlix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio insonteis Harpyjas pellere regno?

SERVII.

PELAGI VOLVCRES. Quia dicuntur Ponti & Terræ filiæ: unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii dicunt eas Neptuni filias: qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur: unde est, *Oceanumque patrem rerum.* Hinc fit, ut quotienscunque desunt parentes, redeatur in generalitatem. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus; quorum ignoramus parentes. Quidam Pelagi adverbialiter accipiunt, ut belli, ut domi, propterea quod res in Insula geritur. Alii vero dicunt, Harpyjas esse filias Thaumantis & Electræ. FOEDARE. Cruentare. Ennius: *Ferro fœdati jacent.*

VIM PLVMIS VLLAM. Naturale enim est, ut eludat ictum plumarum levitas. Vnde & addidit *Plumis.* Nam quod alii dicunt ideo eas fuisse invulnerabiles, quia de Styge erant natæ; non probatur.

SEMESAM. Semicomesam.

VESTIGIA. Vel pedum signa: vel indicium sordium, quibus epulas discedentes polluebant.

INFOELIX VATES. Nuntia infœlicitatis: ut Homerus μάντι κακῶν. Hoc est nobis infœlix, ut, *Sis fœlix*, id est nobis, & videtur hic auspicii genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur; quorum unum genus est quod ex signis colligitur, quo nunc utimur. Diram autem esse Harpyjam duplici modo memorat, & oscinis & alitis: etenim cum facit loquentem oscinem, auspicium expungitur, dirum tamen quod futuram famem denuntiat; nam ipse ait, *Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres*, Et, *Quam vos dira fames.* Verum cum ait, *Pinnis ablata refugit*; ab alite auspicium factum docuit: aliter enim certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pinnis vel volatu omnia possunt facere; quæ si fuerint prosperæ, præpetes; si adversæ inhibræ dicuntur; quod etiam in XII. significat, cum dicit, *Alitis in parvæ subito collecta figuram*, ubi vere diram vult videri. RVMPIT VOCEM. Cum indignatione loquitur: ut, *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* Et notandum (ut supra diximus) *Rumpit vocem*: Cum hoc de silentio melius dicatur fieri: An *rumpit*, quia tantum humanam habens faciem, contra naturam sui corporis loquitur?

BELLVM ETIAM PRO CÆDE BOVM STRATISQVE IVVENCIS. Iteratum est ad augendum invidiam; ut, *Stirpis Achilleæ fastus, juvenemq; superbum.* Aut num ætates boum voluit comprehendere?

LAOMEDONTIADÆ. Perfidi: à rege natum opprobrium, qui deos fefellit. Sanè alibi indifferenter hoc nomen ex persona poëtæ ponitur; ut, *Laomedontius heros*, *Laomedontia pubes.*

BELLVMNE. Necessario iteravit, ut verbum in quo culpa consistit. PATRIO REGNO. Aut Neptunio; aut sicut alii dicunt, quia Thaumas pater earum ex Electra Ponti & Terræ filius fuit. Alii *patrio*, proprio accipiunt; ut, *Et patrios cultusque locorum*, id est proprios, non quos patriam agri habeant: Aut ut alii quoniam Neptuni filiæ fuerunt.

DONATI.

PRÆCELSA RVPE. Quia viderat parati vehementiam belli.

BELLVM. Invectio, quam non oportuit habere principia. fuit enim irascentis. Fuit brevis invectio, sed omnia continet. Nam asseruit personam suam innoxiam, deformavit adversam, appellando *Laomedontiadas.* Dixit causam: Iuvencos stratos, & proposuit invasionis crimen. Dixit criminis augmentum: ut, post violentiam in armenta, etiam de expugnatione dominarum cogitaverint. Dixit insontes, dixit factum. Non tamen factum fuit, sed pro facto tenet, quod facere cogitarunt. Nam, invadere greges, armare juventutem, eò tendit, ut reperirent alienum imperium, non male quæsitum, sed relictum à parentibus. Vitio autem est, quod diu expectent quod metuant.

VARIORVM.

FERRO FOEDARE VOLVCRES. De verbo *fœdare*, Palmerius pag. 756. Tom. IV. Lampad. critic.

BELLVM ETIAM, &c. Exordium abruptum & cum indignitate expostulans de injuria & damno acceptis. Propositio est vim fecistis, quod pecus alienum ferro invasistis: insuper & bellum nobis fecistis: & quod indignius, regno patrio nos pellere affectatis. Minatur tamen ultionem; & ne vanæ putentur minæ, auctoritate Iovis & Apollinis eas firmat. TAVBMAN.

BELLVMNE ITERVM. Iteratio magnam objurgationis vim habet, taciteque minas etiam secum trahit. NASCIMB.

ET PATRIO. Dicit *Regno*; non *terra*: sic enim efficacius erat & magniloquentius, auctore Scaligero lib. 4. 16.

Acci-

Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, & in sylvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis, precibusque jubent exposcere pacem;
Sive deæ, seu sint diræ, obscœnæque volucres.

SERVII.

ACCIPITE ERGO. Quia nos bellis appetistis: ac si diceret, ut futuram famem jam nunc possitis timere.

QVÆ PHOEBO PATER OMNIPOTENS. Tribuit authoritatem, ne possint à se dicta quasi ab irata confícta contemni. Simul notandum, Apollinem quæ dicit, ab Iove cognoscere. PHOEBVS APOLLO. Purus, impollutus: & est Apollinis fixum antonomasivum: quod alii dari non potest. Nam sunt & alia communia; ut, *Pater omnipotens.*

FVRIARVM MAXIMA. Adeo ipsæ sunt furiæ, ut & unum epitheton habeant, & caussis consentiant. Nam ait de Tisiphone, *Furiarum maxima juxta Accubat*: & *manibus prohibet contingere mensas.* quod etiam hæ faciunt, & inferentes Trojanis famem & prænuntiantes. Alii dicunt ideo adsumpsisse sibi furiæ nomen harpyjam, ut terreat.

ITALIAM CVRSV PETITIS. Ex his quæ norunt, fidem dicendis accommodat. Id est, ex hoc mihi fidem habebitis futurorum, si præcedentia vera sunt.

DATAM. Fatis concessam.

QVAM VOS DIRA FAMES. Vt Varro in secundo divinarum dixit, *oraculum hoc à Dodonæo Iove apud Epicurum acceperunt*: quod modo dixisse fingit Harpyjas. sed tamen colorate tangit historiam dicendo, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* NOSTRÆQVE INIVRIA CÆDIS. Quidam injuriam, pro vindictam accipiunt, & Harpyja ista mentitur. Nam imminens Trojanis est fames fatalis.

AMBESAS. Vndique esas, hoc est rotundas. Majores enim nostri has mensas habebant in honore deorum: panicias scilicet.

REFVGIT. Non metu (nec enim minantibus convenit) sed ne possit rogatu placari.

GELIDVS DIRIGVIT. Id est gelidus factus, diriguit.

NEC IAM AMPLIVS ARMIS. Subaudi usi sunt. Nec enim potest esse ab inferioribus zeugma: quod plerunque fit, ut & per omnia unus sermo sufficiat: ut, *Trojugena interpres divûm: qui Numina Phœbi, Qui Tripodas Clarii lauros, qui sydera sentis.* per omnia SENTIS, intelligis. Plerunque aliud subauditur: ut hoc loco. Item, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem. Fortunam ex aliis*: Subaudis *opta.* Nam fortuna non discitur.

SED VOTIS PRECIBVSQVE. Duplici ratione placantur numina: aut votis, aut precibus. Vnde est, *Iunonis magnæ primum prece numen adora.* Item, *Iunoni cane vota libens.* IVBENT. Volunt: ut, *Infandum regina jubes renovare dolorem.* Terentius, *Iubeo Chremetem.* SIVE DEÆ. Quia divinant.

OBSCOENÆQVE VOLVCRES. Quia in his ventris cernebant proluviem. Bene autem etiam si aves sunt, eas dicit placandas, propter pessima omina.

DONATI.

FIGITE. Id est, quæ infixa vos vulnerent. dat autem orationi authoritatem, cum veluti ex præcepto Iovis illa dicere demonstret, & Apollinis jussu: & sibi aliquam tribuit potestatem, cum dicit; *Furiarum maxima.* Nam propter hoc digna videtur, propter quam tristia nunciarentur.

ITALIAM. Hæc posuit, ut ex iis faceret fidem sequentibus.

SED NON ANTE DATAM. Ostendit quod necessitati famis, non licito remedio, sed sacrilegio essent subventuri. Nam mensas dicit, quæ ex frumento confectæ, diis penatibus consecrantur. Et ne hoc genus pœnæ ab ultione Harpyjarum discretum videatur: addit, *Nostræque injuria cædis.*

CECIDERE. Qui spe prosperorum fuerant in sublime producti.

SIVE DEÆ. Quasi dicat, non erat respiciendum an deę essent, an monstruosæ volucres: dummodo fierent ea, quibus imminentia mala removeri possent.

VARIORVM.

HÆC MEA FIGITE DICTA. Homerus: σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν. HART.

AMBESAS SVBIGAT MENSAS. Vide infra lib. 7. de hac fame. HARTVNG.

Digitized by Google

Nudati socii. juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.

SERVII.

FVGAM TENVISSE. Fœliciter navigasse. Nam *tenere* est implere; ut, *Ni teneant cursus certum est dare lintea retro*: id est impleant. Et potest intelligi secundum communem sensum, ob hoc eos lustratos, id est expiatos, ob hoc sacrificasse, & ludos celebrasse: quia hostiles terras prospera navigatione transierant.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR ANNVM. *Magnum*, ne putemus lunare esse propterea dixit: Antiqui enim tempora sideribus computabant, & dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Vnde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est: qui XII. continet menses. Mox majore cura magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. & hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium, post annos XII. (millia) nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Bene ergo nunc *magnum* addidit: ne lunarem intelligeremus. Bene Solis nomen, ne quia dixerat magnum, illum VII. planetarum acciperemus: de quo varia & à Metone, & ab Eudoxo, & à Ptolomæo, & ab ipso Tullio. Nam in libris de deorum natura tria millia annorum dicit magnum annum tenere. Possumus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim mensium fecisse.

ÆRE CAVO CLYPEVM. Æris cavi: ut, *Pulchra prole*. Clypeum hic masculino, at neutro alibi, *Clypeum superintonat ingens* MAGNI GESTAMEN ABANTIS. Hunc Abantem possumus intelligere cum Androgeo apud Trojam occisum; ut, *Mutemus clypeos*. Sed Virgilius amans, inventa occasione, recondita quæque summatim & antiquam contingere fabulam, de Abante dixit, Abans namque Lyncei Hypermnæstræ filius viribus præstans, cum vicinas civitates subvertisset, magnusque terror universis esset, diem supremum obiit: populi autem quos ille devicerat, regno ejus infesti, manu facta urbem dirituri muros subiere; cumque in eo essent, ut jam civitatis potirentur, senex quidam Iuvenem egregiæ formæ secutum in publico excidio notavit in foro, cumque ex eo quæsisset, cur patriæ non succurreret, & respondit quod arma non haberet; tunc senex ei Abantis arma consecrata demonstrat, hortatusque ut eis uteretur: quibus tunc sumptis juvenis properat in aciem. Hostes vero viso Abantis clypeo fugerunt. Quidam sane Abantem inventorem clypei ferunt, sed hoc nomen in penultima syllaba habet accentum.

POSTIBVS ADVERSIS FIGO. Proprie figi enim dona dicuntur: ut, *Sacra ad fastigia fixit*: & sciendum inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur, quæ tamdiu dona dici possunt, quamdiu non profanentur. Rite ergo dicendo, *Æneas hæc de Danais victoribus arma*, ostendit clypeum quem dono obtulerat consecratum. Sciendum tamen hunc clypeum ab Ænea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poëta per transitum tetigit. REM CARMINE SIGNO. Rem, votum, id est voluntatem. Carmine autem, epigrammate. Et sciendum carmen dici quicquid pedibus continetur. Nam & hic unum versum, carmen dixit: & in Bucolicis duo, ut, *tumulo superaddite carmen, Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sydera notus, Formosi pecoris custos, formosior ipse*.

DE DANAIS VICTORIBVS. Irrisio est, ut, *Victoresque cadunt Danai*. Subaudis autem ARMA. Consecravit, vel posuit. Sane hic *arma* clypeum solum dicunt, ut, *At Lausum socii exanimem super arma ferebant*.

DONATI.

MAGNVM. Deest *per*.

ÆNEAS HÆC. Brevis titulus, uberem continet latitudinem. *Æneas posuit, Æneas scripsit*. Nam fuit memorabile ad illa cum loca venire potuisse: tutumque fuisse, ubi erat periculum manifestum; habuisse arma sublata victoribus, & in ipsorum sedibus ostentationis causa posuisse quoq; epigramma, quod & suam gloriam testaretur, & illorum qui victores recesserant ludibria: fecitque fortunæ beneficio, ut apud victores arma ipsis erepta publice locaret.

VARIORVM.

NVDATI SOCII. Gymnica hæc fuisse certamina demonstrat: quibus nudi homines, ac oleo, seu ceromate peruncti luctabantur; cumque usum palæstræ Athenienses primi docuerunt, indeque Trojani acceperunt. NASCIMB.

ÆNEAS HÆC DE DANAIS. Hostilis irrisio est, & insultatio, qua Græcorum deprimitur virtus, & Trojanorum animus extollitur: Porro trophæis olim inscriptiones apponebantur. Æneas apud Virgil. Æneid. XI. trophæum Mezentio ab eo erectum tali carmine inscripsit.

hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic est.

NASCIMB.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR. Macrobius lib. I. c. 14. HARTVNG.

Lin-

Linquere tum portus jubeo, & considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoraque Epiri legimus; portuque subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum, Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes & littora linquens.
Solenneis tum forte dapes, & tristia dona,

SERVII.

LINQVERE TVM PORTVS. Id est, post insultationem carminis necessario statim fugit.

AERIAS ARCES. Id est altas. PHÆACVM. Corcyram insulam dicit, sitam contra Epirum & *Vetereum*, ubi regnavit Alcinous, quam incoluerunt Phœaces. ABSCONDIMVS. Nauticus sermo est, & mira bene usus est celeritate; ut, ante absconditam quam visam insulam diceret.

PORTVQVE SVBIMVS CHAONIO. Vt, *Subeunt muro.* Nam si Chaonios legeris, non Chaonio, difficilis est scansio, non excluso *s*.

BVTHROTI VRBEM. Id est Buthrocium, ut, *Fontem Timavi.* Hæc autem civitas est in Epiro, cujus pars est Chaonia: quæ ante Molossia dicta est, posita est autem in saxo quod mari cingitur, in quo fons hujus naturæ esse perhibetur, ut cum mare quietum fuerit, crescat; cum vero fluctibus attollitur, decrescat.

INCREDIBILIS RERVM FAMA. Incredibilium rerum fama. Et bene non credidit. Vnde & postea interrogat, *Pyrrhin' connubia servas?*

PATRIO MARITO. Atqui Thebana fuit de Thebis Frigiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, *Italiam quæro patriam.* Item, Salustius, *Hispaniam sibi patriam esse.* Aut certe secundum jus locutus est: quia uxor, viri domicilium sequitur. Iuncta ergo Hectori, facta Trojana est. Nam & *cessisse*, de jure est. Cedi enim hæreditas dicitur, ergo merito dicta est Heleno civi nupsisse. CESSISSE MARITO. Sic ait, ut dicimus, ex hæreditate paterna illud mihi cessit. Consuetudinis sanè regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent: adeo ut liberi ex ipsa nati succederènt. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit: & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsam, ducere uxorem; Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache (quæ apud eum conjugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossum prius Pyrrho) propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione, cæteris Græcis navigantibus, quos tanquam vates sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, ut teneret Helenus regnum privigni, qui successerat patri: à quo Molossia dicta est pars Epiri; quam sicut dictum est Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti, quamvis de hoc nomine etiam aliæ causæ apud diversos aliàs inveniantur.

PROGREDIOR PORTV, CLASSES, ET LITTORA LINQVENS. Hysteroproteron in sensu: ante enim linquitur littus, & sic à portu proceditur. Sane securitatem verbo ostendit; dicens, *Classes & littora linquens*, quippe cum regnum civium peteret. aliter in primo, *Exire locosque Explorare novos.* Notandum sane finitum esse versum participio: quod raro apud Latinos est, apud Græcos vitiosissimum.

SOLENNEIS. Non festas, sed legitimas, anniversarias. TRISTIA DONA. Acerba, tale est illud, *Quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.*

DONATI.

PRIAMIDEM HELENVM. Mira res à persona' quod frater Paridis victus regnaret inter victores. A loco, ut Trojanus in Græcia. A numero, ut non per unam urbem, sed per plures. A fortuna, ut regnaret potitus Pyrrhi conjugio ac sceptro. Ergo incredibile uxorem, Pyrrhi eversoris Trojæ, hominem ex Priami genere habere. & cum Pyrrhus vita cessisset, Andromachen iterum patrio marito cessisse. Ergo obstupuit Æneas potius, quam miratus sit.

VARIORVM.

ABSCONDIMVS ARCES. Præterimus; ita enim usu venit, ut quæ navigando præterimus abscondi atque evanescere videantur. Lucanus in tertio:

tectumque cacumen
Nubibus, & dubios cernit vanescere montes.

NASCIMB.

Ante

Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis sacraverat aras.
Vt me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lachrymasque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. vix pauca furenti

SERVII.

IN LVCO. Lucum (ut supra diximus) nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui lares viales sunt: unde in sexto, *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Et in v. *Tumuloque sacerdos, Ac lucus late sacer additur Anchiseo;* & hic lucus, qui ad reddenda solennia Hectori & Astyanacti fuerat dicatus.

FALSI. Simulati.

LIBABAT CINERI. Non dixit cujus, sed exin latius intelligitur. MANESQVE VOCABAT. Sacrificiis inani sepulturæ conciliabat manes Hectoreos: & bene in luco, ut diximus supra.

AD TVMVLVM. Id est cenotaphion. VIRIDI CESPITE. Herboso.

GEMINAS. Vnam marito, alteram filio. Aut certe illud respicit: nam inferi, pari gaudent numero. ut, *Ecce duas tibi Daphni.* Superi vero impari: ut, *numero Deus impare gaudet*; vel geminas Diti patri & Proserpinæ; aut quia elatæ mortuorum aræ, deorum altaria dicuntur; ut, *En quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.* Quamvis hoc frequenter poëta ipse confundat.

LACHRYMIS SACRAVERAT. Hoc tantum, ut causam lachrymarum haberet.

MONSTRIS. Rebus scilicet insperatis, & hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monstrum: aut certe monstris, quod tunc advenerat Æneas, cum illa Manes invocaret, & eum crederet esse defunctum.

DIRIGVIT VISV IN MEDIO. Dum me cernit obstupuit, aut antequam nos manifestius videret. CALOR OSSA RELIQVIT. Id est extimuit: ut, *Solvuntur frigore membra.*

VERANE TE FACIES. Ordo est, O nate dea afferSne te mihi vera facies, verus nuntius & opportunum principium fœminæ, quam incertam timor fecerat. VERVS MIHI NVNTIVS ADFERS. Quidam sic exponunt, prout adferris, id est vivus mihi nuntiaris.

VIVISNE? Et secundum muliebrem adfectum, sicut supra dictum est, interrogat, & bene suspicatur. Nam & inferis sacrificat, & in luco, in quo habitant manes.

HECTOR VBI EST? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc, sic umbræ videntur in sacris: cur non eorum magis quibus sacrificatur? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Bene postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit & flevit.

FVRENTI. Insolabiliter & impatienter dolenti.

DONATI.

MONSTRIS. Monstrum fuit, ut quo tempore manibus parentaret, Æneas appareret, ut & ipse mortuus putari posset.

CALOR OSSA RELIQVIT. Nam turbata mente recedit calor. Est autem sapiens consilium Poëtæ, tractantis personam mulieris, solventis inferias mortuo, & illius amorem retinentis. Ex confusione autem mentis, quia perfecte videre non potuit, incidit in errorem, ne esset mortuus. Prior vidit mulier, prior loquitur Æneæ, verecundia intemerata reservatur.

VERANE TE FACIES. Et quia armatus, & quia in die, in qua non solent videri mortui, apparuit, existimavit vivum. Ex occasione autem loci & parentationis causa, putabat mortuum.

LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hæc omnia provenerunt ex mariti recordatione. Nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore quærere.

PAVCA. Vel quia plura turbatus non possem: vel quia ipsa ex dolore non fuisset plura auditura.

VARIORVM.

FALSI SIMOENTIS. Qui nomine tantum referret Simoenta Troadis fluvium. De quo Victorius lib. 5. cap. 3.

VIRIDI CESPITE. Horat. lib. 1. Odâ 19. Alexand. lib. 4. cap. 17. Cornelius Tacitus lib. 1. HARTVNG.

VERANE TE FACIES. Solebat vetustas credere, certis temporibus anni, terram patere, ac tum manes liberè vagari. Putat ergo Hectoris umbram in comitatu Æneæ esse, ut socii quondam charissimi. Vide P. NANNIVM Miscell. lib. 2. cap. 1.

Sub-

Digitized by Google

Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco:
Ne dubita: nam vera vides.
Heu quis te casus, dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum: & demissa voce locuta est:
O fœlix una ante alias Priameia virgo,

SERVII.

TURBATUS. Lugente scilicet Andromache: Cato ait, *Verba tertiato & quartato quempiam dicere præ metu.* HISCO. Hiscere est hiare, nec loqui posse. Vel *hisco* hic, loquor.

VIVO EQUIDEM. Hoc enim ethos legendum est: Ac si diceret, si tamen vita est infœliciter vivere.

NAM VERA VIDES. Propter illud, *verane te facies?*

HEU. Disjungendum ab interrogatione, ut separatim luctuosa vox audiatur. CASUS. Hic eventus; ut, *Tot casibus actos.* Alibi periculum. DEJECTAM CONJUGE TANTO. Dapnas, per comparationem virorum factum. EXCIPIT. Signate locutus est, quia dejectam dixerat, excipiuntur enim quæ cadunt.

DIGNA. Congrua & priori conveniens.

HECTORIS ANDROMACHE. Si Andromache: sequentibus junge; si Andromachen, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam dixerit, cur hic Hectoris dixit; sed ipse quæstionem solvit, dicendo *incredibilis.* CONNUBIA SERVAS. Tenes: ut, *Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen.* Aut certe omis* ut, *servantem ripas.* Aut quia audierat nuptam Heleno. SERVAS. Pro servasti. Consuetudinis regiæ fuit: ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent, adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit ut Andromache, quæ apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur: propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione prohibuerat. Inde factum est, ut teneret regnum privigni, qui successerat patri; à quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti.

DEJECIT VULTUM. Decenter, quia de concubitu admonita est. DEMISSA. Humili, tenui; & verecunde, quia de Pyrrho dictura est.

O FOELIX. Bene nec ad interrogata respondit & virginitatem laudat, & mortem: ut ostendat invitam Pyrrhi pertulisse connubium: & esse superstitem suis miseriis. PRIAMEIA VIRGO. Quia notum est nomen, omisit. UNA ANTE ALIAS. Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et *alias* hic absolute junxit; ut, *filia ante alias.* Iungitur tamen & comparativo; ut, *Scelere ante alios immanior:* & superlativo: ut, *ipse ante alios pulcherrimus omnes.*

DONATI.

HEU. Et ipse incipit à gemitu propter Hectoris recordationem.

HECTORIS ANDROMACHE. Cum laude hæc duo nomina extollenda sunt. PYRRHI. Cum depressione, quoniam hostis erat: & patris Achillis, qui Hectorem occiderat, memoria, fuerat odiosa.

DEJECIT VULTUM. Mora pudore: & quoniam factum negare non poterat, summissæ vocis purgatione defendit.

O FELIX. Ex comparatione ostendit, miserrimam esse felicem, comparatione sui quæ pudorem amiserit, quando mors in illa exclusit violentiam pudoris: & cum illam solam felicem dicit, non se solam ostendit in causa turpi. VIRGO. Ergo periit salva castitate.

VARIORUM.

ET RARIS VOCIBUS HISCO. Ita Seneca in Controvers. *Semesa & tenui atque elisa jejunio voce, ut vix exaudiri posset. Semesa* enim vox singultantis est, & qui sua ipsius verba fere devorat. Ejusmodi semesam & terrore elisam vocem hic intelligas. Singulis autem propositis strictissime respondet Æneas, fortunæque suæ miserias brevissima insinuatione designat. TAUBMAN.

VITAMQ. EXTREMA PER OMNIA DUCO. Movet commiserationem per locum communem ex sua calamitate; quasi dixerit, ego quidem vivo, sed vita mihi acerba est. NASCIMB.

HEU QUIS TE CASUS. Pathetica exclamatio in exactam & præsentem fortunam. Vicissim interrogando materiam suppeditat narrandi casus suos & conditionem præsentem. HORTENSIUS.

HECTORIS ANDROMACHE, PYRRHIN'. Hæc tria nomina emphasim habent: sed illa duo cum laude extollenda, Hectoris Andromache: Pyrrhi vero nomen cum turpitudine deprimendum est: tanquam virtute, atque genere longe inferior fuerit Hectore, nec satis dignus qui tam nobili fœmina, tantique viri uxore potiretur. Vel quia Priami ipse cædem fecit, ejusque filius est, qui Hectorem necavit. NASCIMB.

Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.
Nos patria incensa diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.

SERVII.

HOSTILEM AD TVMVLVM. Quia grande est mortis solatium, præmissus hostis interitus. Fabula talis est, Achilles dum circa muros Trojæ bellum gereret, Polyxenam visam adamavit: & conditione pacis in matrimonium postulavit. Alii dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Trojani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus, missa vulneravit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit, ut devicta Troja ad ejus sepulchrum Polyxena immolaretur: quod Pyrrhus implevit. Et alius ordo fabulæ hujus. Cum Græci victores in patriam vellent reverti, è tumulo Achillis vox dicitur audita, querentis, quod sibi soli de præda nihil impertivissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam Priami filiam, quam vivus Achilles dilexerat, ejus debere manibus immolari; quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: Invenitur enim apud quosdam, quod etiam ipsa Achillem amaverit, & ea nesciente, Achilles fraude & insidiis sit peremptus. TROJÆ SVB MOENIBVS ALTIS. Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit; unde duplex felicitas, quod & virgo, & in patria meruerit interire.

IVSSA MORI. Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. SORTITVS. Quia captivi & præda inter victores sorte dividebantur; ut est, *Et prædæ ducere sortem.*

NEC VICTORIS HERI TETIGIT CAPTIVA CVBILE. Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi & victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. TETIGIT CAPTIVA CVBILE. Tetigit, non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ dominorum toros parentes leviter contingere; & *cubile* dixit non lectulum genialem.

DIVERSA PER ÆQVORA VECTÆ. Tanquam parum fuerat patriam incensam.

STIRPIS ACHILLEÆ. Cum magno dolore dictum ACHILLEÆ. Quia ab eo Hector occisus est, & idem bis dixit. FASTVS. Superbiam: & est quartæ declinationis. Nam liber qui dierum habet computationem, secundæ declinationis est. Vnde erravit Lucanus dicendo, *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

SERVITIO ENIXÆ TVLIMVS. Hoc est pertulimus, donec in servitio positæ eniteremur. Fabula autem est, ut prædiximus. Et bene plurali utitur numero, ad excusandum pudorem. LEDÆAM HERMIONEM. Id est, Ledæ neptem, Tyndarei uxoris, quam Iuppiter in Cygnum mutatus gravidam fecit, quæ ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor & Pollux.

LACEDÆMONIOSQVE HYMENÆOS. Cum ingenti felle: ac si diceret, Infœlices maritis semper: ut Paridi, ut Deiphobo.

TRANSMISIT HAB. Herili voluntate, non lege conjugii: vel quia inter captivos matrimonio fides non stabat: unde & HABENDAM dixit, & *transmisit*: quia alii tradidit, quidam permisit accipiunt.

DONATI.

AD TVMVLVM. Et non ad cubile: unde nulla voluptas potuit pervenire ad mortuum.

HERI. Vt qui inimicus fuerat, esset dominus.

CVBILE. Non ad honestatem, sed ad ludibrium est invita perducta.

CAPTIVA CVBILE. Novissime posuit, qua maxime premebatur, causam.

NOS PATRIA. Conclusa comparationis parte, qua se purgavit, redit ad se & opponit sua his, quæ evenerant Cassandræ. Illa enim incolumem patriam reliquit. NOS INCENSA. Illius funus solum patrium tenet. Nos per diversa maria sumus tractæ, pertulimus natum ex Achille, qui nulla miseratione movebatur.

SVPERBVM. Ex victoria servitium autem nimis ponderosum fuisse ex eo ostendit, quod dixit *tulimus & enixæ.*

QVI DEINDE. Ostendit necessitate Pyrrho, necessitate etiam Heleno fuisse conjunctam.

VARIORVM.

QVÆ SORTITVS NON PERTVLIT. Quæ victori, more militiæ, per sortem non cessit. Hoc autem [illegible] à majori & minori, præter Quintilian. lib. 6. cap. 3. expendit Macrob. lib. 4. c. 6. TAVB.

SERVITIO ENIXÆ. G. Fabricius, ENIXE, inquit, Adverbium est, servitutis gravitatem exprimens (quomodo & Donatus voluit) Quod si nomen velimus, *Enixæ*, interpretandum erit, subjugatæ & labore exercitæ: ut Nonius duobus locis exponit. Servii expositio minus placet. TAVBMAN.

LACEDÆMONIOSQVE HYMENÆOS. Expolitio, id est Hermiones Laconicæ nuptias. TAVB.

Ast

Ast illum, erepta magno inflammatus amore
Conjugis, & scelerum Furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,

SERVII.

EREPTÆ CONIUGIS. Hanc Hermionen quidam dicunt cum Oresti esset desponsata, post à Menelao, apud Trojam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt à Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam, sed à Tyndaro Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam promissam, ut quidam conjunctam tradunt: quam cum Pyrrhus confisus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam uxorem non duxerat, cur conjugis posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat conjugem; ut in secundo, *Et gener auxilium*, cum adhuc sponsus esset.

SCELERUM FURIIS. Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre à Clytemnestra conjuge & adultero Ægisto ipse subtractus periculo esset, apud Strofium patrem Pyladis educatus est: Qui cum adolevisset cum amico Pylade, tam Ægistum, quam matrem peremit; ob quam causam furiis agitatus est, nec ante furore liberatus, quam pervenisset in Tauricam regionem, ubi soror ejus Iphigenia subducta à Diana, apud Aulidem sacrificio templo Dianæ præerat, & more gentis, deæ hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, ut tanquam hospes occideretur, agnitus à sorore, subtractus est morti: post, accepto responso, sublato Dianæ simulacro, sororem reduxit in Atticam; ubi in honorem conservati numinis, Tauropolin appellavit. AGITATUS. Stimulatus. Cicero in Rosciana, *Agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus*.

EXCIPIT. Dolo interficit, ut VI. Æneid. *Aemulus exceptum Triton.* PATRIAS ARAS. Alii Achilleas intelligunt, ubi ille adorabat Apollinem, aut quod ibi Achilles occisus sit, aut, quod historia loquitur, Pyrrhus occiso patre in templo Apollinis Tymbræi, reversus ad patriam, in numinis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit, & illic ei cœpit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alii patrias Apollineas volunt à Patris Achajæ civitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus quærere cur non Delphicas dixerit, quia epitheta in alieno negotio plerumque alia ponuntur, ut in quarto, *Italiam magnam Grynæus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes*: cum à Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Aesculapio aras Apollini statutas, patrias nominatas. Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: Ab hoc quod Icadios Apollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cum in adultam ætatem venisset, primo regionem in qua natus erat à matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes & cortinam consecravit, & , ut illum patrem esse testaretur, Patora cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus Delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, & à Delphino locum Delphos appellasse: aras deinde Apollini tanquam patri consecrasse, quas ferunt vulgo patrias dictas. Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est. Invenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem & Icadium profectos à Creta in diversas regiones venisse; Iapydem ad Italiam; Icadium vero duce Delphino ad montem Parnassum, & à duce Delphos cognominasse, & in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos Crisæos vel Cretæos appellasse, aras constituisse.

REDDITA. More veteri pro data accipiendum, re ergo abundat. Ennius in Annalibus, *Ut Ilia reddita nuptum.* Et alibi, *Isque dies post aut Marcus quam regna recepit.* Et pro accepta, ut REDDITA. Quod Heleno debebatur imperium. CESSIT PARS HELENO. Per privignum, ut diximus.

CHAONIOS COGNOMINE CAMPOS. Epirum campos non habere omnibus notum est, sed constat ibi olim regem nomine Campum fuisse, ejusque posteros Campylid * dictos & Epirum Campaniamque vocatam, sicut Alexarchus historicus Græcus & Aristonicus referunt. Varro filiam Campi Campaniam dictam, unde provinciæ nomen; post vero, sicut dictum est, Caoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Caonem, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur occiderat. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem, & de nomine soceri Campos: de nomine Chaone, Chaonas dixisse.

VARIORUM.

EXCIPIT INCAUTUM. Quod I. Æneid. dixerat, *Incautum superat*: Scaliger lib. 4. cap. 16. Iun. Philarg. ad iij. Georg. vers. 471. *Incautum*, quasi incustoditum est: ut illud Salustii, *Repente incautos agros invasit*, id est, quibus præcautum non est. TAUBMAN.

PATRIAS OBTRUNCAT AD ARAS. Pyrrhus ad patrias aras necatus dicitur, quia eodem modo, eodemque fato (ut in primo libro Pausanias scriptum reliquit) id est ad aras Apollinis utrique necari contigit. Unde colligi potest, *Delphico gladio perire*, de iis dici posse, qui eodem fato, eodemque vindice pereunt. HASCIMB.

Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne & vescitur aura?
Quem tibi jam Troja.
Ecqua jam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lachrymans, longosque ciebat
Incassum fletus: cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert;
Agnoscitque suos, letusque ad mœnia ducit:
Et multum lachrymas verba inter singula fundit.

SERVII.

TROIANO A CHAONE. Vel fratre Heleni, vel ut alii volunt hunc Chaonem, licet superius caussa hujus nóminis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, cum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, unde in honorem ejus Epirum quæ Campania dicebatur, Chaoniam nominavit Helenus, & hoc fuit quando navigaverunt à Troja cum Pyrrho. Alii dicunt, quod cum Pyrrho ab Ilio navigaret & tempestate jactarentur, Dianæ unum è Trojanis amicum Heleni vovisse, ut si illi periculum evasissent, se pro eorum incolumitate interimeret, qui se, postquam illi evaserunt sicut promisit, occidit: Vnde factum est, ut ejus nomine Helenus adeptus regnum, Epirum Chaoniam nominaret.

DIXIT. Nominavit, ut, *Fluvium cognomine Tybrim Diximus.* &, *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

PERGAMAQVE. Pergama legendum, non, ut plerique PERGAMEAM; qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt. Decipiuntur autem cum utrunque derivativum volunt: cum sit PERGAMA principale.

QVI CVRSVM VENTI. Servat hunc ordinem, ut à sui persona incipiens, mox quærat alienam; ut, *Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.* Et hoc totum cùm admiratione dictum est. QVI VENTI, id est tam prosperi. QVÆ FATA. Tam nobis fœlicia.

QVIS DEVS? Qui præstitit, ut te videre possemus. Tale est & illud Æneæ ad Didonem adulatorium, *Hinc me digressum vestris deus appulit oris.* IGNARVM. Aliud disponentem.

PVER ASCANIVS. Filius, quia Græci παῖδας etiam filios dicunt SVPERATNE. Vivit. Sane nove dictum est, & caret exemplo, ut pauca in Virgilio. Alii dicunt SVPERAT, superstes est: sed Superstes præsentem significat: ut Cicero in Murænana, *Suis utrisque superstitibus*, id est præsentibus.

QVEM TIBI IAM TROIA. Hemistichium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: ut hoc, *Concessere deum*: quem quidam ita complevit, *Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.*

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Si parentis Creusæ accipis, occurrit illud: Vnde sciebat eam periisse? Et alii dicunt potuisse hoc vel Heleno divinante cognosci; vel Ænea requirente per Trojam: ut, *Implevi clamore vias.* Sed utrunque viribus caret. Parentem ergo patriam accipiamus: ut, Tullius, *Si tibi patria, quæ communis omnium parens est.* Et est sensus, Dolerne perditam patriam?

ANIMOSQVE VIRILES. Atqui supra dixerat, PVER: sed animos viriles ait parentum consideratione. Inde & in nono de ipso, *Ante annos animumque gerens curamque virilem.*

AVVNCVLVS. Quidam avunculus humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.

INCASSVM FLETVS. Et longos, & incassum bene addidit, ut fœmineos monstraret adfectus:

ET MVLTVM LACRYMAS. Ordo est, Lachrymas multum fundit inter verba singula. Nam si LACHRYMANS dixeris, quid fundit? Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut in libro quinto, Acestæ.

VARIORVM.

SED TIBI QVI CVRSVM. Perorata suarum calamitatum, nec non vicissitudinis fortunæ suæ narratione, causam adventus Trojanorum exquirit, non per simplicem interrogationem, sed affectibus plenam. NASCIMB.

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Quidam *amissi*, legendum esse contendunt: ob id, quia hæ voces, *parens & homo*, quia in communi sexu intelliguntur, tamen virili genere semper dicuntur: de Creusa ergo, non de patria intelligendum est; nec enim *parens* absolute pro patria unquam lectum est; sed *sanctissima parens patria*, apud Cic. ad Att. NASCIMB.

Pro-

Procedo, & parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non & Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies, alterque dies processit, & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.

SERVII.

PARVAM TROIAM SIMVLATAQVE MAGNIS PERGAMA. Multi putant Æneam de ea venisse ad Epirum & ibi hæc loca per licentiam poëticam esse conficta: Varro Epiri se fuisse dicit, & omnia loca hisdem dici nominibus quæ poëta commemorat se vidisse, unde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro Trojam Epiri ab Ænea, sive à comitibus ejus Byopator nuncupatam docet, ubi Trojana classis Æneam expectasse sociosque ejus castra in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore Trojana appellantur, unde apparet divinum Poëtam aliud agentem, verum semper attingere.

ARENTEM. Pro aridum. Participium vice nominis.

AGNOSCO Aut cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jampridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Trojam. ut, *Hic incredibilis rerum fama occupat aures.* SCÆÆQVE AMPLECTOR LIMINA PORTÆ. Scæa porta dicta est, non à pugnis ante se factis scævis, id est malis: (Nam & ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scævo, id est, sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro. Sed à cadavere Laomedontis, hoc est Seenomate, quod in ejus fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis scæam appellatam volunt. AMPLECTOR. Pro teneo. Quasi ad Trojam venisset: ut, *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.*

TEVCRI. Pro Teucriadæ. IN AMPLIS. Quod est regiæ magnitudinis.

ACCIPIEBAT. Pascebat. ut Terentius, *Accipit homo melius nemo neque prolixius.*

AVLAI. Pro aulæ, & est Diæresis de Græca ratione veniens: quorum AI diphthongus resoluta, apud nos duas syllabas facit: Aula autem proprie dicitur quæ concluditur *porticibus* quatuor, unde superius porticibus dixit.

IMPOSITIS AVRO DAPIBVS. Id est, cum impositas auro dapes haberet.

PROCESSIT. Exactus est. AVRÆ VELA VOCANT. Hypallage est pro auras vocant.

CARBASVS. Vtrum aliorum qui navigabant, an ipsorum, & utrum tumide, an tumidus auster; ut *pallidus orcus*? Carbasus autem genus lini est: quod abusive plerunque pro velo ponitur. Sane in numero singulari hæc carbasus dicimus; in plurali hæc carbasa.

DONATI.

PARVAM TROIAM. In omnibus istis versibus, ne minuat magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem. nam dixit parvam Trojam, & simulata Pergama, arentemque rivum Xanthi.

NEC NON & TEVCRI. Æneam, Anchisen & Ascanium duxit in suam domum: Reliquos hospitiis per civitatem acceperunt.

ACCIPIEBAT. Pascebat. aliter enim non in amplis porticibus, sed in amplas porticus dicendum fuerat.

IAMQVE DIES. Argumentum benignitatis, cum non unius sed plurium dierum sit hospitium.

VARIORVM.

PROCEDO ET PARVAM TROIAM, SIMVLATAQVE MAGNIS. Expressit hic Poëta veterem ritum Græcorum, quibus usitatum erat, cum in coloniam mitterentur, aut aliquo casu patriam relinquere cogerentur, iis nominibus loca illa appellare, quibus vocabantur patriæ ipsius loca: atque ita acrem illum amorem patriæ consolarentur: vel id dignitati natalis soli, reverentiæque dabant. VICTORIVS.

ARENTEM XANTHI COGNOMINE RIVVM. *Xanthum* eundem cum Scamandro multi auctores, & ipse Aristoteles prodiderunt. *Arentem* autem hic vocat, non quod simulatione Andromachæ brevis Xanthus, supposita imagine ibi loci, ubi sacra fiebant Hectoris manibus, esset, quemadmodum *Simulata magnis Pergama*: sed quod Xanthus & Scamander, magis aquationi & oblectationi, quam navigationi accommodati essent, ut ex illo superiore, *Xanthumque bibissent.* GERMAN.

AMPLECTOR LIMINA. Et postes deorum, & portarum limina amplecti solebant, qui exulatum ibant, aut peregrinatum, diu absfuturi domo. Iidem etiam reduces osculari & amplecti ea solebant. Flaccus lib. Argonaut. *patriæque amplector limina portæ.* Quod & faciebant in patriæ imagine & assimulatione, ut hic vides, & in coloniis. TVRNEB. lib. 22. cap. 28.

LIMINA PORTÆ. Proverb. [illegible]. HARTVNG.

AVLAI IN MEDIO LIBABANT. Petrus Crinitus libro decimo octavo cap. 2. de honesta disciplina.

Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celerique fuga sub sydera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.
Vna in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infœlix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio insonteis Harpyjas pellere regno?

SERVII.

PELAGI VOLVCRES. Quia dicuntur Ponti & Terræ filiæ: unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii dicunt eas Neptuni filias: qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur: unde est, *Oceanumque patrem rerum.* Hinc fit, ut quotienscunque desunt parentes, redeatur in generalitatem. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus; quorum ignoramus parentes. Quidam Pelagi adverbialiter accipiunt, ut belli, ut domi, propterea quod res in Insula geritur. Alii vero dicunt, Harpyjas esse filias Thaumantis & Electræ. FOEDARE. Cruentare. Ennius: *Ferro fœdati jacent.*

VIM PLVMIS VLLAM. Naturale enim est, ut eludat ictum plumarum levitas. Vnde & addidit *Plumis.* Nam quod alii dicunt ideo eas fuisse invulnerabiles, quia de Styge erant natæ; non probatur.

SEMESAM. Semicomesam.

VESTIGIA. Vel pedum signa: vel indicium sordium, quibus epulas discedentes polluebant.

INFOELIX VATES. Nuntia infœlicitatis: ut Homerus μάντι κακῶν. Hoc est nobis infœlix, ut, *Sis fœlix*, id est nobis, & videtur hic auspicii genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur; quorum unum genus est quod ex signis colligitur, quo nunc utimur. Diram autem esse Harpyjam duplici modo memorat, & oscinis & alitis: etenim cum facit loquentem oscinem, auspicium expungitur, dirum tamen quod futuram famem denuntiat; nam ipse ait, *Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres*, Et, *Quam vos dira fames.* Verum cum ait, *Pinnis ablata refugit*; ab alite auspicium factum docuit: aliter enim certa genera avium ab auguribus appellantur, quæ pinnis vel volatu omnia possunt facere; quæ si fuerint prosperæ, præpetes; si adversæ inhibræ dicuntur; quod etiam in XII. significat, cum dicit, *Alitis in parvæ subito collecta figuram,* ubi vere diram vult videri. RVMPIT VOCEM. Cum indignatione loquitur: ut, *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* Et notandum (ut supra diximus) *Rumpit vocem*: Cum hoc de silentio melius dicatur fieri: An *rumpit*, quia tantum humanam habens faciem, contra naturam sui corporis loquitur?

BELLVM ETIAM PRO CÆDE BOVM STRATISQVE IVVENCIS. Iteratum est ad augendum invidiam; ut, *Stirpis Achilleæ fastus, juvenemq; superbum.* Aut num ætates boum voluit comprehendere?

LAOMEDONTIADÆ. Perfidi: à rege natum opprobrium, qui deos fefellit. Sanè alibi indifferenter hoc nomen ex persona poëtæ ponitur; ut, *Laomedontius heros*, *Laomedontia pubes.*

BELLVMNE. Necessario iteravit, ut verbum in quo culpa consistit. PATRIO REGNO. Aut Neptunio; aut sicut alii dicunt, quia Thaumas pater earum ex Electra Ponti & Terræ filius fuit. Alii *patrio*, proprio accipiunt; ut, *Et patrios cultusque locorum*, id est proprios, non quos patriam agri habeant: Aut ut alii quoniam Neptuni filiæ fuerunt.

DONATI.

PRÆCELSA RVPE. Quia viderat parari vehementiam belli.

BELLVM. Invectio, quam non oportuit habere principia. fuit enim irascentis. Fuit brevis invectio, sed omnia continet. Nam asseruit personam suam innoxiam, deformavit adversam, appellando *Laomedontiadas.* Dixit causam: Iuvencos stratos, & proposuit invasionis crimen. Dixit criminis augmentum: ut, post violentiam in armenta, etiam de expugnatione dominarum cogitaverint. Dixit insontes, dixit factum. Non tamen factum fuit, sed pro facto tenet, quod facere cogitarunt. Nam, invadere greges, armare juventutem, eò tendit, ut reperirent alienum imperium, non male quæsitum, sed relictum à parentibus. Vltio autem est, quod diu expectent quod metuant.

VARIORVM.

FERRO FOEDARE VOLVCRES. De verbo *fœdare*, Palmerius pag. 756. Tom. IV. Lampad. critic.

BELLVM ETIAM, &c. Exordium abruptum & cum indignitate expostulans de injuria & damno acceptis. Propositio est vim fecistis, quod pecus alienum ferro invasistis: insuper & bellum nobis fecistis: & quod indignius, regno patrio nos pellere affectatis. Minatur tamen ultionem; & ne vanæ putentur minæ, auctoritate Iovis & Apollinis eas firmat. TAVBMAN.

BELLVMNE ITERVM. Iteratio magnam objurgationis vim habet, taciteque minas etiam secum trahit. NASCIMB.

ET PATRIO. Dicit *Regno*; non *terra*; sic enim efficacius erat & magniloquentius, auctore Scaligero lib. 4. 16.

Acci-

Digitized by Google

Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis: ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, & in sylvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis, precibusque jubent exposcere pacem;
Sive deæ, seu sint diræ, obscœnæque volucres.

S E R V I I.

ACCIPITE ERGO. Quia nos bellis appetistis: ac si diceret, ut futuram famem jam nunc possitis timere.

QVÆ PHOEBO PATER OMNIPOTENS. Tribuit authoritatem, ne possint à se dicta quasi ab irata conficta contemni. Simul notandum, Apollinem quæ dicit, ab Iove cognoscere. PHOEBVS APOLLO. Purus, impollutus: & est Apollinis fixum antonomasivum: quod alii dari non potest. Nam sunt & alia communia; ut, *Pater omnipotens.*

FVRIARVM MAXIMA. Adeo ipsæ sunt furiæ, ut & unum epitheton habeant, & causis consentiant. Nam ait de Tisiphone, *Furiarum maxima juxta Accubat: & manibus prohibet contingere mensas.* quod etiam hæ faciunt, & inferentes Trojanis famem & prænuntiantes. Alii dicunt ideo adsumpsisse sibi furiæ nomen harpyjam, ut terreat.

ITALIAM CVRSV PETITIS. Ex his quæ norunt, fidem dicendis accommodat. Id est, ex hoc mihi fidem habebitis futurorum, si præcedentia vera sunt.

DATAM. Fatis concessam.

QVAM VOS DIRA FAMES. Vt Varro in secundo divinarum dixit, *oraculum hoc à Dodonæo Iove apud Epicurum acceperunt*: quod modo dixisse fingit Harpyjas, sed tamen colorate tangit historiam dicendo, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* NOSTRÆQVE INIVRIA CÆDIS. Quidam injuriam, pro vindictam accipiunt, & Harpyja ista mentitur. Nam imminens Trojanis est fames fatalis.

AMBESAS. Vndique esas, hoc est rotundas. Majores enim nostri has mensas habebant in honore deorum: panicias scilicet.

REFVGIT. Non metu (nec enim minantibus convenit) sed ne possit rogatu placari.

GELIDVS DIRIGVIT. Id est gelidus factus, diriguit.

NEC IAM AMPLIVS ARMIS. Subaudi usi sunt. Nec enim potest esse ab inferioribus zeugma: quod plerumque fit, ut & per omnia unus sermo sufficiat: ut, *Trojugena interpres divûm: qui Numina Phœbi, Qui Tripodas Clarii lauros, qui sydera sentis.* per omnia SENTIS, intelligis. Plerunque aliud subauditur: ut hoc loco. Item, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem. Fortunam ex aliis*: Subaudis *opta.* Nam fortuna non discitur.

SED VOTIS PRECIBVSQVE. Duplici ratione placantur numina: aut votis, aut precibus. Vnde est, *Iunonis magnæ primum prece numen adora.* Item, *Iunoni cane vota libens.* IVBENT. Volunt: ut, *Infandum regina jubes renovare dolorem.* Terentius, *Iubeo Chremetem.* SIVE DEÆ. Quia divinant.

OBSCOENÆQVE VOLVCRES. Quia in his ventris cernebant proluviem. Bene autem etiam si aves sunt, eas dicit placandas, propter pessima omina.

D O N A T I.

FIGITE. Id est, quæ infixa vos vulnerent. dat autem orationi authoritatem, cum veluti ex præcepto Iovis illa dicere demonstret, & Apollinis jussu: & sibi aliquam tribuit potestatem, cum dicit: *Furiarum maxima.* Nam propter hoc digna videtur, propter quam tristia nunciarentur.

ITALIAM. Hæc posuit, ut ex iis faceret fidem sequentibus.

SED NON ANTE DATAM. Ostendit quod necessitati famis, non licito remedio, sed sacrilegio essent subventuri. Nam mensas dicit, quæ ex frumento confectæ, diis penatibus consecrantur. Et ne hoc genus pœnæ ab ultione Harpyjarum discretum videatur: addit, *Nostræque injuria cædis.*

CECIDERE. Qui spe prosperorum fuerant in sublime producti.

SIVE DEÆ. Quasi dicat, non erat respiciendum an deę essent, an monstruosæ volucres: dummodo fierent ea, quibus imminentia mala removeri possent.

V A R I O R V M.

HÆC MEA FIGITE DICTA. Homerus: σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν HART.

AMBESAS SVBIGAT MENSAS. Vide infra lib. 7. de hac fame. HARTVNG.

At pater Anchises passis de littore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Dii prohibete minas; dii talem avertite casum,
Et placidi servate pios. tum littore funem
Diripere, excussosque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis:
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna;
Et terram altricem sævi execramur Vlyssis.
Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,

SERVII.

PASSIS. Apertis, solutis. NVMINA MAGNA. Hoc est Iovem, Minervam, & Mercurium; ut, *Penatibus & magnis diis.* Ita autem invocat, ut magna dicat. MERITOS. Congruos, id est expiatorios. unde sequitur, *Dii prohibete minas.* INDICIT. Sacrorum verbo usus est, nam supplicationes & dies festi Indici dicebantur.

DII PROHIBETE MINAS. Hoc per speciem auguralem quæ invocatio appellatur, nonnulli dictum putant. Invocatio autem est precatio uti avertantur mala, cujus rei causa id sacrificium augurale peragitur, & hic de auspicio Harpyjarum invocatione suscepta. AVERTITE CASVM. Bene etiam si contingat, casum credit esse, ultionem: Aut certe ideo *casum*, ne si fatalis averti non possit. Casum autem, id est periculum; nihil est enim fame gravius, quod ait postea, *obscœnamque famem, quæ prima pericula vito.* Salustius, *Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros.* SERVATE PIOS. Propter facta sacrificia. Merito ergo servate nos qui pii sumus, ut, initio VII. Æneid. *Quæ ne monstra pii paterentur talia Troes:*

VENTVSQVE GVBERNATORQVE VOCABANT. Honestius hac elocutione per pluralem utimur numerum, licet possit singularis esse.

IAM MEDIO APPARET FLVCTV. Iuxta morem cotidianum, dixit *medio*; ut si dicamus, in medio mari naufragium fecit, cum interdum non longe a littore contingit. NEMOROSA ZACYNTHOS. Hæ omnes insulæ Græciæ sunt, quas Homerum secutus, mutatis tantum conjunctionibus de Græco in Latinum transtulit; Nemorosa autem ὑλήεσσα Ζάκυνθος commemorat. SAMEQVE. Cephaleniæ civitas est ista: nam Samos in Asia est. NERITOS. Mons Ithacæ.

EFFVGIMVS. Celeriter traximus. LAERTIA REGNA. Irrisorie, cum præmiserit scopulos: ut, *Immania saxa, Vestras Eure domos.*

LEVCATÆ NIMBOSA CACVMINA MONTIS. Leucata est mons altissimus prope peninsula, in promontorio Epiri, juxta Ambraciam sinum & civitatem: quam Augustus Nicopolin appellavit, victis illic Antonio & Cleopatra. Ibi & templum Actiaco Apollini constituit, & ludos Actiacos. Vnde nunc Virgilius, in honorem Augusti, quæ ipse fecit, dat ejus origini. Nam Æneam illic dicit ludos celebrasse: ut alibi inducit Æneam templum promittentem Apollini, quod fecisse constat Augustum: ut, *Tum Phœbo & triviæ solido de marmore templum Constituam.* Sane de hoc Leucate amatores se in mare, ad excludendum amorem, præcipitare dicebantur. NIMBOSA CACVMINA. Semper enim quamvis aliis cœli partibus serenis, Leucatis montis cacumen nubibus tectum est.

DONATI.

OBSCOENAS. Aliqui putant dici obscœnum ex ob & cœnum: & cœnum dici à Græco κοινόω, id est, sordidum reddo: unde nos dicimus in Quinto. Ergo per oe diphthongon scribendum esset. Alii volunt ex ob & cano: & tunc careret diphthongo. Varro tamen ait ex ob & scæna: & sic haberet diphthongon æ. Alii dicunt obscœnos dici ab Oscis, qui essent populi malis moribus.

AT PATER ANCHISES. Huic semper dat partes consiliorum & scientiam sacrorum. sic in flamma Ascanii, sic in piaculo Polydori. Ergo & hic omisso errore aliorum, non rogat Harpyjam, quam const[illegible]sse monstruosam, & quæ aliorum jussiones pert[illegible] profitetur, sed magna numina. Ipsa enim placanda fuerant, à quibus diri nuncii esset origo.

MERITOS. Pro magnitudine petitionis convenientes: vel *meritos* secundum interiorem sacrorum scientiam.

DII PROHIBETE. Poterant hæc esse vera & non vera: hocque cognoscebat Anchises, quod ex verbis suis apparet. Nam cum dicit *Dii prohibete minas*, ostendit nihil fuisse dispositum: sed prohibete inquit, minas, ne oriretur favor divinus.

AVERTITE CASVM. Vt si vere esset casus ejusmodi, qui potuisset existere, averteretur. Ergo singula singulis dedit. Supra dixit *prohibete*: hic *avertite*, ut prohiberetur nasci quod non erat: Averteretur autem, quod credebatur ingruere.

VARIORVM.

DII PROHIBETE MINAS. Quibus verbis uterentur antiqui in malis deprecandis & aversandis, BRISSON. Formular. lib. 1.

Et

Digitized by Google

Et formidatus nautis aperitur Apollo:
Hunc petimus fessi, & parvæ succedimus urbi:
Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Iovi, votisque incendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras

SERVII.

ET FORMIDATVS NAVTIS. Aut quod locus hostilis: Aut propter asperitatem locorum, quia saxosa sunt: aut, ut quidam volunt, quia moris erat aliquem ei de nautis immolari, ac per hoc qui formidaretur. APERITVR APOLLO. Nauticum verbum, quotiens cedente eo quo impeditur aspectus aliquid patescit; ut, *Portusque patescit Iam propior.*

HVNC PETIMVS. Occurrebat, Cur formidatum petistis? Ideo addidit FESSI. Vel quia hyemis imminebat adventus: nam ideo & parvæ urbi successit, quia terra erat hostilis; aut ideo hostili terræ, quia erat parva. PARVÆ VRBI. Ambraciæ scilicet: Parvæ autem in adulationem Augusti dictum, nam hanc Augustus diruit primo, quod ei bello Actiaco fuisset inimica. Parva ergo, quam parvam fecerat Cæsar, sed postea instauravit, & appellavit Nicopolin.

INSPERATA TELLVRE. An quia saxosa loca, an quia per medios hostes navigaverant, an quia tempestate, an quia cum Græca natione? TELLVRE POTITI. Potior & illa te dicimus, & illius rei: sed per septimum casum in usu est, per genitivum figurate ponitur. Salustius, *Vt prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur.* Legimus & per accusativum: sed uti non possumus. Terentius, *Patriam potitur commodam.*

LVSTRAMVRQVE IOVI. Aut lustramur, id est purgamur, ut Iovi sacra faciamus. Aut dubium est utrum faciendis, an solvendis votis: Aut certe lustramur Iovi, id est expiamur. Piaculum enim commissum fuerat tauro in Thracia immolato, ut diximus supra, & licet multa fuissent secuta sacrificia: intelligebatur tamen adhuc numen iratum, non desinentibus malis. Sciendum sane moris fuisse, ut piaculo commisso ludi celebrarentur. Nam cum Romani iracundia Matris deûm laborarent, & eam nec sacrificiis, nec ludis placare possent: quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit: quæ sola caussa fuit placationis. Vnde & natum proverbium est, *Omnia secunda, saltat senex.* Quamvis hæc ex alio ordine & alia ex causa narretur historia. * aut lustramur Iovi, quia supra dixerat: *Ipsumque vocamus, In partem prædamque Iovem,* & postea pœna Harpyjarum secuta est. Ergo quoniam non ad justum sacrificium Iovem invocaverint, ideo illi piaculum solvunt, hoc est enim diis lustrari, offensa eorum liberare. Sane *lustramur* apto verbo usus est, mentionem ludorum facturus, horum enim certaminum sacra celebratio, *lustrum* vocatur: lustrato enim populo, dii placantur. VOTISQVE INCENDIMVS ARAS. Id est vota facientes. Dubitatur vero utrum Iovis aras an Veneris dixerit: Varro enim templum Veneri ab Ænea conditum, ubi nunc Leucatem dicit; quamvis Menander & Turpilius comici à Phaone Lesbio id templum conditum dicunt, qui cum esset navicularius, solitus à Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutatam in navis formam gratis travexit, quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inditum ungeret, fœminas in sui amorem trahebat, in queis fuit una quæ de monte Leucate cum potiri ejus nequiret abjecisse se dicitur, unde nunc auctorare se quotannis solent, qui de eo monte jaciunt in pelagus; quidam id fieri propter Leucaten puerum dicunt, quem cum Apollo vellet rapere, in mare se projecit, montemque cognominem sibi fecit.

ACTIA LITTORA. Vt supra diximus, propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit & agona, devicto Antonio & Cleopatra.

PATRIAS PALÆSTRAS. Palæstræ usus primus apud Athenienses repertus est. Trojani autem propter Dardanum & Teucrum, etiam ab Atheniensibus originem ducunt. Vnde & Minervam colunt. Hinc est in secundo, *Nec populum antiqua sub religione tueri.* Antiqua scilicet ab Atheniensibus tradita. ILIACIS ergo, Atheniensibus: unde Ilienses didicerunt. Nam & Vestam ideo Trojani colunt, quia eadem terra est: terrigenas autem Athenienses nemo dubitat.

DONATI.

FORMIDATVS. Non fugerunt, quia fessi indigebant refectione: & fuit occasio, ut ludos celebrarent in honorem ejus Dei, cui tantum debebant. Ergo non luxus fuit causa ludorum egentibus & peregrinantibus, sed gratulatio servatæ salutis.

VARIORVM.

HVNC PETIMVS FESSI. Trojani longa navigatione fessi; quieti refectionique se tradere usque adeo cupiebant, ut ne periculosissimum quidem locum adire vererentur, modo fessis corporibus suis laxamenti aliquid præbere possent. NASCIMB.

ANCHORA DE PRORA IACITVR. Vide Floridum lib. 1. successivarum lectionum, cap. 3. HARTVNG.

INCENDIMVS ARAS. Proverb. *Secunda senex saltat.* HARTVNG.

ACTIAQVE ILIACIS. Ovid. lib. 13. legatur. HARTVNG.

ILIACIS LVDIS. Eo ritu, quo apud Ilium celebrari solebant: vel quales florente Ilio exercere solebamus. NASCIMB.

 Nudati

Nudati socii. juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.

SERVII.

FVGAM TENVISSE. Fœliciter navigasse. Nam *tenere* est implere; ut, *Ni teneant cursus certum est dare lintea retro*: id est impleant. Et potest intelligi secundum communem sensum, ob hoc eos lustratos, id est expiatos, ob hoc sacrificasse, & ludos celebrasse: quia hostiles terras prospera navigatione transierant.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR ANNVM. *Magnum*, ne putemus lunare esse propterea dixit: Antiqui enim tempora sideribus computabant, & dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Vnde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est: qui XII. continet menses. Mox majore cura magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. & hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium, post annos XII. (millia) nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Bene ergo nunc *magnum* addidit: ne lunarem intelligeremus. Bene Solis nomen, ne quia dixerat magnum, illum VII. planetarum acciperemus: de quo varia & à Metone, & ab Eudoxo, & à Ptolomæo, & ab ipso Tullio. Nam in libris de deorum natura tria millia annorum dicit magnum annum tenere. Possumus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim mensium fecisse.

ÆRE CAVO CLYPEVM. Æris cavi: ut, *Pulchra prole*. Clypeum hic masculino, at neutro alibi, *Clypeum superintonat ingens* MAGNI GESTAMEN ABANTIS. Hunc Abantem possumus intelligere cum Androgeo apud Trojam occisum; ut, *Mutemus clypeos*. Sed Virgilius amans, inventa occasione, recondita quæque summatim & antiquam contingere fabulam, de Abante dixit, Abans namque Lyncei Hypermnæstræ filius viribus præstans, cum vicinas civitates subvertisset, magnusque terror universis esset, diem supremum obiit: populi autem quos ille devicerat, regno ejus infesti, manu facta urbem dituturi muros subiere; cumque in eo essent, ut jam civitatis potirentur, senex quidam Iuvenem egregiæ formæ secutum in publico excidio notavit in foro, cumque ex eo quæsisset, cur patriæ non succurreret, & respondit quod arma non haberet; tunc senex ei Abantis arma consecrata demonstrat, hortatusque ut eis uteretur: quibus tunc sumptis juvenis properat in aciem. Hostes vero viso Abantis clypeo fugerunt. Quidam sane Abantem inventorem clypei ferunt, sed hoc nomen in penultima syllaba habet accentum.

POSTIBVS ADVERSIS FIGO. Proprie, figi enim dona dicuntur: ut, *Sacra ad fastigia fixit*: & sciendum inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur, quæ tamdiu dona dici possunt, quamdiu non profanentur. Rite ergo dicendo, *Æneas hec de Danais victoribus arma*, ostendit clypeum quem dono obtulerat consecratum. Sciendum tamen hunc clypeum ab Ænea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poëta per transitum tetigit. REM CARMINE SIGNO. Rem, votum, id est voluntatem. Carmine autem, epigrammate. Et sciendum carmen dici quicquid pedibus continetur. Nam & hic unum versum, carmen dixit: & in Bucolicis duo, ut, *tumulo superaddite carmen, Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sydera notus, Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

DE DANAIS VICTORIBVS. Irrisio est, ut, *Victoresque cadunt Danai.* Subaudis autem ARMA. Consecravit, vel posuit. Sane hic *arma* clypeum solum dicunt, ut, *At Lausum socii exanimem super arma ferebant.*

DONATI.

MAGNVM. Deest *per*.

*ÆNEAS HÆC. Brevis titulus, uberem continet latitudinem. *Æneas posuit, Æneas scripsit*. Nam fuit memorabile ad illa eum loca venire potuisse: tutumque fuisse, ubi erat periculum manifestum; habuisse arma sublata victoribus, & in ipsorum sedibus ostentationis causa posuisse quoq; epigramma, quod & suam gloriam testaretur, & illorum qui victores recesserant ludibria: fecitque fortunæ beneficio, ut apud victores arma ipsis erepta publice locaret.

VARIORVM.

NVDATI SOCII. Gymnica hæc fuisse certamina demonstrat: quibus nudi homines, ac oleo, seu ceromate peruncti luctabantur; eumque usum palæstræ Athenienses primi docuerunt, indeque Trojani acceperunt. NASCIMB.

ÆNEAS HÆC DE DANAIS. Hostilis irrisio est, & insultatio, qua Græcorum deprimitur virtus, & Trojanorum animus extollitur: Porro trophæis olim inscriptiones apponebantur, Æneas apud Virgil. Æneid. II. trophæum Mezentio ab eo erectum tali carmine inscripsit.

hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic est.

NASCIMB.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR. Macrobius lib, I. c. 14. HARTVNG.

Lin-

Linquere tum portus jubeo, & considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoraque Epiri legimus; portuque subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum, Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes & littora linquens.
Solenneis tum forte dapes, & tristia dona,

SERVII.

LINQVERE TVM PORTVS. Id est, post insultationem carminis necessario statim fugit.

AERIAS ARCES. Id est altas. PHÆACVM. Corcyram insulam dicit, sitam contra Epirum & *Veteream*, ubi regnavit Alcinous, quam incoluerunt Phæaces. ABSCONDIMVS. Nauticus sermo est, & mira bene usus est celeritate; ut, ante absconditam quam visam insulam diceret.

PORTVQVE SVBIMVS CHAONIO. Vt, *Subeunt muro.* Nam si Chaonios legeris, non Chaonio, difficilis est scansio, non excluso *s*.

BVTHROTI VRBEM. Id est Buthrotium, ut, *Fontem Timavi.* Hæc autem civitas est in Epiro, cujus pars est Chaonia: quæ ante Molossia dicta est, posita est autem in saxo quod mari cingitur, in quo fons hujus naturæ esse perhibetur, ut cum mare quietum fuerit, crescat; cum vero fluctibus attollitur, decrescat.

INCREDIBILIS RERVM FAMA. Incredibilium rerum fama. Et bene non credidit. Vnde & postea interrogat, *Pyrrhin' connubia servas?*

PATRIO MARITO. Atqui Thebana fuit de Thebis Frigiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, *Italiam quæro patriam.* Item, Salustius, *Hispaniam sibi patriam esse.* Aut certe secundum jus locutus est: quia uxor, viri domicilium sequitur. Iuncta ergo Hectori, facta Trojana est. Nam & *cessisse*, de jure est. Cedi enim hæreditas dicitur, ergo merito dicta est Heleno civi nupsisse. CESSISSE MARITO. Sic ait, ut dicimus, ex hæreditate paterna illud mihi cessit. Consuetudinis sanè regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent: adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit: & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsam, ducere uxorem; Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache (quæ apud eum conjugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossum prius Pyrrho) propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione, cæteris Græcis navigantibus, quos tanquam vates sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, ut teneret Helenus regnum privigni, qui successerat patri: à quo Molossia dicta est pars Epiri; quam sicut dictum est Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti, quamvis de hoc nomine etiam aliæ causæ apud diversos aliàs inveniantur.

PROGREDIOR PORTV, CLASSES, ET LITTORA LINQVENS. Hysteroproteron in sensu: ante enim linquitur littus, & sic à portu proceditur. Sane securitatem verbo ostendit; dicens, *Classes & littora linquens*, quippe cum regnum civium peteret. aliter in primo, *Exire locosque Explorare novos.* Notandum sane finitum esse versum participio: quod raro apud Latinos est, apud Græcos vitiosissimum.

SOLENNEIS. Non festas, sed legitimas, anniversarias. TRISTIA DONA. Acerba, tale est illud, *Quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.*

DONATI.

PRIAMIDEM HELENVM. Mira res à persona; quod frater Paridis victus regnator inter victores. A loco, ut Trojanus in Græcia. A numero, ut non per unam urbem, sed per plures. A fortuna, ut regnaret potitus Pyrrhi conjugio ac sceptro. Ergo incredibile uxorem, Pyrrhi eversoris Trojæ, hominem ex Priami genere habere. Et cum Pyrrhus vita cessisset, Andromachen iterum patrio marito cessisse. Ergo obstupuit Æneas potius, quam miratus sit.

VARIORVM.

ABSCONDIMVS ARCES. Præterimus; ita enim usu venit, ut quæ navigando præterimus abscondi atque evanescere videantur. Lucanus in tertio:

tectumque cacumen
Nubibus, & dubios cernit transcere montes.

NASCIMB.

Ante

Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis sacraverat aras.
Vt me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lachrymasque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. vix pauca furenti

SERVII.

IN LVCO. Lucum (ut supra diximus) nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui lares viales sunt: unde in sexto, *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Et in v. *Tumuloque sacerdos, Ac lucus late sacer additur Anchiseo*; & hic lucus, qui ad reddenda solennia Hectori & Astyanacti fuerat dicatus.

FALSI. Simulati.

LIBABAT CINERI. Non dixit cujus, sed exin latius intelligitur. MANESQVE VOCABAT. Sacrificiis inani sepulturæ conciliabat manes Hectoreos: & bene in luco, ut diximus supra.

AD TVMVLVM. Id est cenotaphion. VIRIDI CESPITE. Herboso.

GEMINAS. Vnam marito, alteram filio. Aut certe illud respicit: nam inferi, pari gaudent numero. ut, *Ecce duas tibi Daphni.* Superi vero impari: ut, *numero Deus impare gaudet*; vel geminas Diti patri & Proserpinæ; aut quia elatæ mortuorum aræ, deorum altaria dicuntur; ut, *En quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.* Quamvis hoc frequenter poëta ipse confundat.

LACHRYMIS SACRAVERAT. Hoc tantum, ut causam lachrymarum haberet.

MONSTRIS. Rebus scilicet insperatis, & hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monstrum: aut certe monstris, quod tunc advenerat Æneas, cum illa Manes invocaret, & eum crederet esse defunctum.

DIRIGVIT VISV IN MEDIO. Dum me cernit obstupuit, aut antequam nos manifestius videret. CALOR OSSA RELIQVIT. Id est extimuit: ut, *Solvuntur frigore membra.*

VERANE TE FACIES. Ordo est, O nate dea afferisne te mihi vera facies, verus nuntius & opportunum principium fœminæ, quam incertam timor fecerat. VERVS MIHI NVNTIVS ADFERS. Quidam sic exponunt, prout adferris, id est vivus mihi nuntiaris.

VIVISNE? Et secundum muliebrem adfectum, sicut supra dictum est, interrogat, & bene suspicatur. Nam & inferis sacrificat, & in luco, in quo habitant manes.

HECTOR VBI EST? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc, sic umbræ videntur in sacris: cur non eorum magis quibus sacrificatur? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Bene postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit & flevit.

FVRENTI. Insolabiliter & impatienter dolenti.

DONATI.

MONSTRIS. Monstrum fuit, ut quo tempore manibus parentaret, Æneas appareret, ut & ipse mortuus putari posset.

CALOR OSSA RELIQVIT. Nam turbata mente recedit calor. Est autem sapiens consilium Poëtæ, tractantis personam mulieris, solventis inferias mortuo, & illius amorem retinentis. Ex confusione autem mentis, quia perfecte videre non potuit, incidit in errorem, ne esset mortuus. Prior vidit mulier, prior loquitur Æneæ, verecundia intemerata reservatur.

VERANE TE FACIES. Et quia armatus, & quia in die, in qua non solent videri mortui, apparuit, existimavit vivum. Ex occasione autem loci & parentationis causa, putabat mortuum.

LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hæc omnia provenerunt ex mariti recordatione. Nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore quærere.

PAVCA. Vel quia plura turbatus non possem: vel quia ipsa ex dolore non fuisset plura auditura.

VARIORVM.

FALSI SIMOENTIS. Qui nomine tantum referret Simoenta Troadis fluvium. De quo Victorius lib. 5. cap. 3.

VIRIDI CESPITE. Horat. lib. 1. Odâ 19. Alexand. lib. 4. cap. 17. Cornelius Tacitus lib. 1. HARTVNG.

VERANE TE FACIES. Solebat vetustas credere, certis temporibus anni, terram patere, ac tum manes liberè vagari. Putat ergo Hectoris umbram in comitatu Æneæ esse, ut socii quondam charissimi. Vide P. NANNIVM Miscell. lib. 2. cap. 1.

Sub-

Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco:
Ne dubita: nam vera vides.
Heu quis te casus, dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum; & demissa voce locuta est:
O fœlix una ante alias Priameia virgo,

SERVII.

TVRBATVS. Lugente scilicet Andromache: Cato ait, *Verba tertiato & quartato quempiam dicere præ metu.* HISCO. Hiscere est hiare, nec loqui posse. Vel *hisco* hic, loquor.

VIVO EQVIDEM. Hoc enim ethos legendum est: Ac si diceret, si tamen vita est infœliciter vivere.

NAM VERA VIDES. Propter illud, *verane te facies?*

HEV. Disjungendum ab interrogatione, ut separatim luctuosa vox audiatur. CASVS. Hic eventus; ut, *Tot casibus actos.* Alibi periculum. DEJECTAM CONIVGE TANTO. Depnas, per comparationem virorum factum. EXCIPIT. Signate locutus est, quia dejectam dixerat, excipiuntur enim quæ cadunt.

DIGNA. Congrua & priori conveniens.

HECTORIS ANDROMACHE. Si Andromache: sequentibus junge: si Andromachen, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam dixerit, cur hic Hectoris dixit; sed ipse quæstionem solvit, dicendo *incredibilis.* CONNVBIA SERVAS. Tenes: ut, *Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen.* Aut certe omis* ut, *servantem ripas.* Aut quia audierat nuptam Heleno. SERVAS. Pro servasti. Consuetudinis regiæ fuit: ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent, adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit ut Andromache, quæ apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur: propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione prohibuerat. Inde factum est, ut teneret regnum privigni, qui successerat patri; à quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti.

DEIECIT VVLTVM. Decenter, quia de concubitu admonita est. DEMISSA. Humili, tenui; & verecunde, quia de Pyrrho dictura est.

O FOELIX. Bene nec ad interrogata respondit & virginitatem laudat, & mortem: ut ostendat invitam Pyrrhi pertulisse connubium: & esse superstitem suis miseriis. PRIAMEIA VIRGO. Quia notum est nomen, omisit. VNA ANTE ALIAS. Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et *alias* hic absolute junxit; ut, *filia ante alias.* Iungitur tamen & comparativo; ut, *Scelere ante alios immanior:* & superlativo: ut, *ipse ante alios pulcherrimus omnes.*

DONATI.

HEV. Et ipse incipit à gemitu propter Hectoris recordationem.

HECTORIS ANDROMACHE. Cum laude hæc duo nomina extollenda sunt. PYRRHI. Cum depressione, quoniam hostis erat: & patris Achillis, qui Hectorem occiderat, memoria, fuerat odiosa.

DEIECIT VVLTVM. Mota pudore: & quoniam factum negare non poterat, summissæ vocis purgatione defendit.

O FELIX. Ex comparatione ostendit, miserrimam esse felicem, comparatione sui quæ pudorem amiserit, quando mors in illa exclusit violentiam pudoris: & cum illam solam felicem dicit, non se solam ostendit in causa turpi. VIRGO. Ergo periit salva castitate.

VARIORVM.

ET RARIS VOCIBVS HISCO. Ita Seneca in Controvers. *Semesa & tenui atque elisa jejunio voce, ut vix exaudiri posset. Semesa* enim vox singultantis est, & qui sua ipsius verba fere devorat. Ejusmodi semesam & terrore elisam vocem hic intelligas. Singulis autem propositis strictissime respondet Æneas, fortunæque suæ miserias brevissima insinuatione designat. TAVBMAN.

VITAMQ. EXTREMA PER OMNIA DVCO. Movet commiserationem per locum communem ex sua calamitate; quasi dixerit, ego quidem vivo, sed vita mihi acerba est. NASCIMB.

HEV QVIS TE CASVS. Pathetica exclamatio in exactam & præsentem fortunam. Vicissim interrogando materiam suppeditat narrandi casus suos & conditionem præsentem. HORTENSIVS.

HECTORIS ANDROMACHE, PYRRHIN'. Hæc tria nomina emphasim habent: sed illa duo cum laude extollenda, Hectoris Andromache: Pyrrhi vero nomen cum turpitudine deprimendum est: tanquam virtute, atque genere longe inferior fuerit Hectore, nec satis dignus qui tam nobili fœmina, tantique viri uxore potiretur. Vel quia Priami ipse cædem fecit, ejusque filius est, qui Hectorem necavit. NASCIMB.

Digitized by Google

Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Iussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.
Nos patria incensa diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.

SERVII.

HOSTILEM AD TUMULUM. Quia grande est mortis solatium, præmissus hostis interitus. Fabula talis est, Achilles dum circa muros Trojæ bellum gereret, Polyxenam visam adamavit: & conditione pacis in matrimonium postulavit. Alii dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Trojani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus, missa vulneravit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit, ut devicta Troja ad ejus sepulchrum Polyxena immolaretur: quod Pyrrhus implevit. Et alius ordo fabulæ hujus. Cum Græci victores in patriam vellent reverti, è tumulo Achillis vox dicitur audita, querentis, quod sibi soli de præda nihil impertivissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam Priami filiam, quam vivus Achilles dilexerat, ejus debere manibus immolari; quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: Invenitur enim apud quosdam, quod etiam ipsa Achillem amaverit, & ea nesciente, Achilles fraude & insidiis sit peremptus. TROJÆ SUB MOENIBUS ALTIS. Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit; unde duplex felicitas, quod & virgo, & in patria meruerit interire.

IUSSA MORI. Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. SORTITUS. Quia captivi & præda inter victores sorte dividebantur; ut est, *Et prædæ ducere sortem*.

NEC VICTORIS HERI TETIGIT CAPTIVA CUBILE. Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi & victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. TETIGIT CAPTIVA CUBILE. Tetigit, non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ dominorum toros paventes leviter contingere; & *cubile* dixit non lectulum genialem.

DIVERSA PER ÆQUORA VECTÆ. Tanquam parum fuerat patriam incensam.

STIRPIS ACHILLEÆ. Cum magno dolore dictum ACHILLEÆ. Quia ab eo Hector occisus est, & idem bis dixit. FASTUS. Superbiam: & est quartæ declinationis. Nam liber qui dierum habet computationem, secundæ declinationis est. Unde erravit Lucanus dicendo, *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

SERVITIO ENIXÆ TULIMUS. Hoc est pertulimus, donec in servitio positæ eniteremur. Fabula autem est, ut prædiximus. Et bene plurali utitur numero, ad excusandum pudorem. LEDÆAM HERMIONEM. Id est, Ledæ neptem, Tyndarei uxoris, quam Iuppiter in Cygnum mutatus gravidam fecit, quæ ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor & Pollux.

LACEDÆMONIOSQUE HYMENÆOS. Cum ingenti felle: ac si diceret, Infœlices maritis semper: ut Paridi, ut Deiphobo.

TRANSMISIT HAB. Herili voluntate, non lege conjugii: vel quia inter captivos matrimonio fides non dabat: unde & HABENDAM dixit, & *transmisit*; quia alii tradidit, quidam permisit accipiunt.

DONATI.

AD TUMULUM. Et non ad cubile: unde nulla voluptas potuit pervenire ad mortuum

HERI. Ut qui inimicus fuerat, esset dominus. CUBILE. Non ad honestatem, sed ad ludibrium est invita perducta.

CAPTIVA CUBILE. Novissime posuit, qua maxime premebatur, causam.

NOS PATRIA. Conclusa comparationis parte, qua se purgavit, redit ad se & opponit sua his, quæ evenerant Cassandræ. Illa enim incolumem patriam reliquit. NOS INCENSA. Illius funus solum patrium tenet. Nos per diversa maria sumus tractæ, pertulimus natum ex Achille, qui nulla miseratione movebatur.

SUPERBUM. Ex victoria servitium autem nimis ponderosum fuisse ex eo ostendit, quod dixit *tulimus & enixæ*.

QUI DEINDE. Ostendit necessitate Pyrrho, necessitate etiam Heleno fuisse conjunctam.

VARIORUM.

QUÆ SORTITUS NON PERTULIT. Quæ victori, more militiæ, per sortem non cessit. Hoc autem [illegible] à majori & minori, præter Quintilian. lib. 6. cap. 3. expendit Macrob. lib. 4. c. 6. TAUB.

SERVITIO ENIXÆ. G. Fabricius, ENIXE, inquit, Adverbium est, servitutis gravitatem exprimens (quomodo & Donatus voluit) Quod si nomen velimus, *Enixæ*, interpretandum erit, subjugatæ & labore exercitæ: ut Nonius duobus locis exponit. Servii expositio minus placet. TAUBMAN.

LACEDÆMONIOSQUE HYMENÆOS. Expolitio, id est Hermiones Laconicæ nuptias. TAUB.

Ast

Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, & scelerum Furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,

SERVII.

EREPTÆ CONJUGIS. Hanc Hermionen quidam dicunt cum Oresti esset desponsata, post à Menelao, apud Trojam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt à Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam, sed à Tyndaro Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam promissam, ut quidam conjunctam tradunt: quam cum Pyrrhus confisus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam uxorem non duxerat, cur conjugis posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat conjugem; ut in secundo, *Et gener auxilium*, cum adhuc sponsus esset.

SCELERUM FURIIS. Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre à Clytemnestra conjuge & adultero Ægisto ipse subtractus periculo esset, apud Strofium patrem Pyladis educatus est: Qui cum adolevisset cum amico Pylade, tam Ægistum, quam matrem peremit; ob quam causam furiis agitatus est, nec ante furore liberatus, quam pervenisset in Tauricam regionem, ubi soror ejus Iphigenia subducta à Diana, apud Aulidem sacrificio templo Dianæ præerat, & more gentis, deæ hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, ut tanquam hospes occideretur, agnitus à sorore, subtractus est morti: post, accepto responso, sublato Dianæ simulacro, sororem reduxit in Atticam; ubi in honorem conservati numinis, Tauropolin appellavit. AGITATUS. Stimulatus. Cicero in Rosciana, *Agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus.*

EXCIPIT. Dolo interficit, ut VI. Æneid. *Aemulus exceptum Triton.* PATRIAS ARAS. Alii Achilleas intelligunt, ubi ille adorabat Apollinem, aut quod ibi Achilles occisus sit, aut, quod historia loquitur, Pyrrhus occiso patre in templo Apollinis Tymbræi, reversus ad patriam, in numinis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit, & illic ei cœpit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alii patrias Apollineas volunt à Patris Achajæ civitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus quærere cur non Delphicas dixerit, quia epitheta in alieno negotio plerumque alia ponuntur, ut in quarto, *Italiam magnam Grynæus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes*: cum à Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Aesculapio aras Apollini statutas, patrias nominatas. Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: Ab hoc quod Icadios Apollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cum in adultam ætatem venisset, primo regionem in qua natus erat à matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes & cortinam consecravit, &, ut illum patrem esse testaretur, Patora cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus Delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, & à Delphino locum Delphos appellasse: aras deinde Apollini tanquam patri consecrasse, quas ferunt vulgo patrias dictas. Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est. Invenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem & Icadium profectos à Creta in diversas regiones venisse; Iapydem ad Italiam; Icadium vero duce Delphino ad montem Parnassum, & à duce Delphos cognominasse, & in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos Crisæos vel Cretæos appellasse, aras constituisse.

REDDITA. More veteri pro data accipiendum, re ergo abundat. Ennius in Annalibus, *Ut Ilia reddita nuptum.* Et alibi, *Isque dies post aut Marcus quam regna recepit.* Et pro accepta, ut REDDITA. Quod Heleno debebatur imperium. CESSIT PARS HELENO. Per privignum, ut diximus.

CHAONIOS COGNOMINE CAMPOS. Epirum campos non habere omnibus notum est, sed constat ibi olim regem nomine Campum fuisse, ejusque posteros Campylid * dictos & Epirum Campaniamque vocatam, sicut Alexarchus historicus Græcus & Aristonicus referunt. Varro filiam Campi Campaniam dictam, unde provinciæ nomen; post vero, sicut dictum est, Caoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Caonem, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur occiderat. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem, & de nomine soceri Campos: de nomine Chaone, Chaonas dixisse.

VARIORUM.

EXCIPIT INCAUTUM. Quod I. Æneid. dixerat, *Incautum superat*: Scaliger lib. 4. cap. 16. Iun. Philarg. ad iij. Georg. vers. 471. *Incautum*, quasi incustoditum est; ut illud Salustii, *Repente incautos agros invasit*, id est, quibus præcautum non est. TAUBMAN.

PATRIAS OBTRUNCAT AD ARAS. Pyrrhus ad patrias aras necatus dicitur, quia eodem modo, eodemque fato (ut in primo libro Pausanias scriptum reliquit) id est ad aras Apollinis utrique necari contigit. Unde colligi potest, *Delphico gladio perire*, de iis dici posse, qui eodem fato, eodemque vindice pereunt. NASCIMB.

Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne & vescitur aura?
Quem tibi jam Troja.
Ecquæ jam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lachrymans, longosque ciebat
Incassum fletus: cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert;
Agnoscitque suos, letusque ad mœnia ducit:
Et multum lachrymas verba inter singula fundit.

SERVII.

TROIANO A CHAONE. Vel fratre Heleni, vel ut alii volunt hunc Chaonem, licet superius caussa hujus nominis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, cum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, unde in honorem ejus Epirum quæ Campania dicebatur, Chaoniam nominavit Helenus, & hoc fuit quando navigaverunt à Troja cum Pyrrho. Alii dicunt, quod cum Pyrrho ab Ilio navigaret & tempestate jactarentur, Dianæ unum à Trojanis amicum Heleni vovisse, ut si illi periculum evasissent, se pro eorum incolumitate interimeret, qui se, postquam illi evaserunt sicut promisit, occidit: Vnde factum est, ut ejus nomine Helenus adeptus regnum, Epirum Chaoniam nominaret.

DIXIT. Nominavit, ut, *Fluvium cognomine Tybrim Diximus.* &, *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

PERGAMAQVE. Pergama legendum, non, ut plerique PERGAMEAM; qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt. Decipiuntur autem cum utrunque derivativum volunt: cum sit PERGAMA principale.

QVI CVRSVM VENTI. Servat hunc ordinem, ut à sui persona incipiens, mox quærat alienam; ut, *Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.* Et hoc totum cùm admiratione dictum est. QVI VENTI, id est tam prosperi. QVÆ FATA. Tam nobis fœlicia.

QVIS DEVS? Qui præstitit, ut te videre possemus. Tale est & illud Æneæ ad Didonem adulatorium, *Hinc me digressum vestris deus appulit oris.* IGNARVM. Aliud disponentem.

PVER ASCANIVS. Filius, quia Græci παῖδας etiam filios dicunt SVPERATNE. Vivit. Sane nove dictum est, & caret exemplo, ut pauca in Virgilio. Alii dicunt SVPERAT, superstes est: sed Superstes præsentem significat: ut Cicero in Murænana, *Suis utrisque superstitibus*, id est præsentibus.

QVEM TIBI IAM TROIA. Hemistichium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: ut hoc, *Concessere deum*: quem quidam ita complevit, *Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.*

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Si parentis Creusæ accipis, occurrit illud: Vnde sciebat eam periisse? Et alii dicunt potuisse hoc vel Heleno divinante cognosci; vel Ænea requirente per Trojam: ut, *Implevi clamore vias.* Sed utrunque viribus caret. Parentem ergo patriam accipiamus: ut, Tullius, *Si tibi patria, quæ communis omnium parens est.* Et est sensus, Dolerne perditam patriam?

ANIMOSQVE VIRILES. Atqui supra dixerat, PVER: sed animos viriles ait parentum consideratione. Inde & in nono de ipso, *Ante annos animumque gerens curamque virilem.*

AVVNCVLVS. Quidam avunculus humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.

INCASSVM FLETVS. Et longos, & incassum bene addidit, ut fœmineos monstraret adfectus:

ET MVLTVM LACRYMAS. Ordo est, Lachrymas multum fundit inter verba singula. Nam si LACHRYMANS dixeris, quid fundit? Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frangeret; sicut in libro quinto, Acestæ.

VARIORVM.

SED TIBI QVI CVRSVM. Perorata suarum calamitatum, nec non vicissitudinis fortunæ suæ narratione, causam adventus Trojanorum exquirit, non per simplicem interrogationem, sed affectibus plenam. NASCIMB.

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Quidam *amissi*, legendum esse contendunt: ob id, quia hæ voces, *parens & homo*, quia in communi sexu intelliguntur, tamen virili genere semper dicuntur: de Creusa ergo, non de patria intelligendum est; nec enim *parens* absolute pro patria unquam lectum est; sed *sanctissima parens patria*, apud Cic. ad Att. NASCIMB.

Pro-

Digitized by Google

Procedo, & parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non & Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies, alterque dies processit, & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.

SERVII.

PARVAM TROIAM SIMVLATAQVE MAGNIS PERGAMA. Multi putant Æneam de ea venisse ad Epirum & ibi hæc loca per licentiam poëticam esse conficta: Varro Epiri se fuisse dicit, & omnia loca hisdem dici nominibus quæ poëta commemorat se vidisse, unde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro Trojam Epiri ab Ænea, sive à comitibus ejus Byopator nuncupatam docet, ubi Trojana classis Æneam expectasse sociosque ejus castra in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore Trojana appellantur, unde apparet divinum Poëtam aliud agentem, verum semper attingere.

ARENTEM. Pro aridum. Participium vice nominis.

AGNOSCO Aut cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jampridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Trojam. ut, *Hic incredibilis rerum fama occupat aures.* SCÆÆQVE AMPLECTOR LIMINA PORTÆ. Scæa porta dicta est, non à pugnis ante se factis scævis, id est malis: (Nam & ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scævo, id est, sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro. Sed à cadavere Laomedontis, hoc est Scenomate, quod in ejus fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis scæam appellatam volunt. AMPLECTOR. Pro teneo. Quasi ad Trojam venisset: ut, *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.*

TEVCRI. Pro Teucriadæ. IN AMPLIS. Quod est regiæ magnitudinis.

ACCIPIEBAT. Pascebat. ut Terentius, *Accipit homo nemo melius neque prolixius.*

AVLAI. Pro aulæ, & est Diæresis de Græca ratione veniens: quorum AI diphthongus resoluta, apud nos duas syllabas facit: Aula autem proprie dicitur quæ concluditur *porticibus* quatuor, unde superius porticibus dixit.

IMPOSITIS AVRO DAPIBVS. Id est, cum impositas auro dapes haberet.

PROCESSIT. Exactus est. AVRÆ VELA VOCANT. Hypallage est pro auras vocant.

CARBASVS. Vtrum aliorum qui navigabant, an ipsorum, & utrum tumide, an tumidus auster; ut *pallidus orcus*? Carbasus autem genus lini est: quod abusive plerumque pro velo ponitur. Sane in numero singulari hæc carbasus dicimus: in plurali hæc carbasa.

DONATI.

PARVAM TROIAM. In omnibus istis versibus, ne minuat magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem. nam dixit parvam Trojam, & simulata Pergama, arentemque rivum Xanthi.

NECNON & TEVCRI. Æneam, Anchisen & Ascanium duxit in suam domum: Reliquos hospitia per civitatem acceperunt.

ACCIPIEBAT. Pascebat. aliter enim non in amplis porticibus, sed in amplas porticus dicendum fuerat.

IAMQVE DIES. Argumentum benignitatis, cum non unius sed plurium dierum sit hospitium.

VARIORVM.

PROCEDO ET PARVAM TROIAM, SIMVLATAQVE MAGNIS. Expressit hic Poëta veterem ritum Græcorum, quibus usitatum erat, cum in coloniam mitterentur, aut aliquo casu patriam relinquere cogerentur, iis nominibus loca illa appellare, quibus vocabantur patriæ ipsius loca: atque ita ac tem illum amorem patriæ consolarentur: vel id dignitati natalis soli, reverentiæque dabant. VICTORIVS.

ARENTEM XANTHI COGNOMINE RIVVM. Xanthum eundem cum Scamandro multi auctores, & ipse Aristoteles prodiderunt. *Arentem* autem hic vocat, non quod simulatione Andromachæ brevis Xanthus, supposita imagine ibi loci, ubi sacra fiebant Hectoris manibus, esset, quemadmodum *Simulata magnis Pergama*: sed quod Xanthus & Scamander, magis aquationi & oblectationi, quam navigationi accommodati essent, ut ex illo superiore, *Xanthumque bibissent.* GERMAN.

AMPLECTOR LIMINA. Et postes deorum, & portarum limina amplecti solebant, qui exulatum ibant, aut peregrinatum, diu abfuturi domo. Iidem etiam reduces osculari & amplecti ea solebant. Flaccus lib. Argonaut. *patriæque amplector limina portæ.* Quod & faciebant in patriæ imagine & assimulatione, ut hic vides, & in coloniis. TVRNEB. lib. 22. cap. 28.

LIMINA PORTÆ. Proverb. Δόμος ἴσος. HARTVNG.

AVLAI IN MEDIO LIBABANT. Petrus Crinitus libro decimo octavo cap. 2. de honesta disciplina.

Hiis vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sydera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Relligio, & cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, & terras tentare repostas:
Sola novum dictuque nefas Harpyja Celæno

SERVII.

TROIVGENA. Ac si diceret, generose: ut alibi, *Dardanidæ magni genus alto à sanguine divum.* Sciendum tamen, sicut veteres auctores adfirmant, peritissimos auguriorum & Æneam, & plurimos fuisse Trojanos. Nonnulli tamen dicunt à Marsya rege missos à Phrygia, regnante Fauno; qui disciplinam auguriorum Italis ostenderent. Ergo *Trojugena* sine dubio auguriorum & divinationis peritus est*. INTERPRES. Vaticinator: Qui mentem deorum mortalibus publicas. Sed quia interpres generale nomen est, currit per species. Nam, ut ait Cicero, *Omnis divinandi peritia in duas partes dividitur.* Nam aut furor est, ut in vaticinantibus: aut ars, ut in aruspicibus, fulguritis, sive fulguratoribus, auguribus. Et omnia ista ex se pendent, licet propriis finibus contineantur: unde Virgilius omnia ei dat, quem vult perfectum intelligi: ut hoc loco Heleno. Item alibi, Asilæ in decimo, *Cui pecudum fibræ, cæli cui sydera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.* Varro autem quatuor genera divinationum dicit, terram, aërem, aquam, ignem, geomantis, aëromantis, pyromantis, hydromantis. Virgilius tria genera complexus est, per lauros geomantis; per sydera pyromantis; per præpetes aëromantis. DIVVM QVI NVMINA. Potest & interpres divum distingui. Sane per omnia Zeugma est ab inferioribus SENTIS. QVI NVMINA SENTIS. Qui suspicis numen, & futura prædicis.

QVI TRIPODAS SENTIS. Tripodes mensæ fuerunt in templo Delphici Apollinis, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Vel quod in eodem templo tripos est, cum ossibus & dentibus Pythii serpentis. CLARII LAVROS. Et hic QVI SENTIS subaudis, & Clarium oppidum est in finibus Colophoniorum, ubi Apollo colitur: unde Apollo Clarius: Sane quæritur: utrum CLARII geminata sit I: & sciendum aliter non procedere, Nam CLA brevis est: ut Statius, *Nec clarias hac luce fores Didymæaque quisquam.* Per *lauros* autem, oraculum intelligimus. QVI SYDERA SENTIS. Qui es peritus Astrologiæ.

ET VOLVCRVM LINGVAS. Qui es augur oscinum. ET PRÆPETIS OMINA PENNÆ. Præpetes sunt quæ secundo auspicio ante eum volant qui auspicatur: Aves autem, aut oscines, quæ volatu augurium significant cum sunt prospera. sed præpetes aut superiora tenent, & præpetes vocantur: aut inferiora, & dicuntur inferæ: præpetes autem ideo quia omnes aves priora petunt volantes.

FARE AGE. Hortantis est AGE, id est dic celeriter. Et est ordo, *Trojugena fare age quæ prima pericula vito, Quidve sequens tantos possim superare labores.* Cætera per parenthesim dicta sunt.

NAMQVE OMNEM CVRSVM. Hypallage est: nam non omnem cursum prospera dixit religio: sed omnis religio dixit prosperum cursum.

CVNCTI DIVI. Quia quicquid audivit à diversis, ad Iovem recurrit: ut diximus supra; ut, *Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit.* NVMINE autem, oraculo significat.

REPOSTAS. Πάθος, pro repositas, id est longè positas, remotas.

NOVVM. Magnum, more suo.

DONATI.

TROIVGENA. Plurimum dat ei generi, ex quo fuit etiam ipse qui laudabat. INTERPRES. Quid felicius quam nosse quid velint dii, & dignum esse, per quem loquatur in hominibus?

TRIPODAS. Trium pedum sunt. Alio nomine cortina appellatur. est autem laus plena: nam cum sint diversa vatum genera, & vix singula vaticinationis, in singulis reperiantur, ipse erat in omnibus versatus. est color rhetoricus, repetitio.

FARE AGE. Non jubet, sed hortatur. prodigia autem dicuntur quibus nunciantur adversa. Poscit inde remedium quo adversa tolleret, aut possit fugere.

VARIORVM.

QVI NVMINA PHOEBI. Helenum in divinandi peritia perfectum vult intelligi poëta. licet ipsum Cicero auguriis tantum divinasse dicat: ut Cassandram mentis incitatione & furore: quod notat TVRNEB. lib. 5. cap. 22.

CLARII LAVROS. Id est oracula. Vates enim δαφνηφάγοι & laurivori. Tibullus lib. 2. eleg. 5.

Vera cano, sic usque sacras innoxia lauros
Vescar.

Eandem & Apollini sacram esse: eandem & divinationis esse symbolum: Lauri item foliis somniorum veritatem conciliari, & alia docet Cælius Rhodig. lib. 5. cap. 7. & Plin. lib. 15. cap. 30.

ET VOLVCRVM LINGVAS. Quanta superstitione veteres auspicia coluerint, quæ aves ominosæ & inauspicatæ haberentur, docet Crinit. lib. 21. cap. 15. De generibus vero auspiciorum, & quibus ea verbis peragerentur, consulito Brissonium, lib. 1. pag. 122. & 124.

Pro-

Prodigium canit, & tristeis denuntiat iras,
Obscœnamque famem) quæ prima pericula vito.
Quidve sequens tantos possim superare labores.
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm: vittasque resolvit
Sacrati capitis: meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit:
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea (nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deûm rex

SERVII.

PRODIGIUM CANIT. Prodigium, portentum & monstrum, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerunque ponuntur. Varro sane hæc ita definit; ostentum, quod aliquid hominibus ostendit: Portentum quod aliquid futurum portendit; prodigium, quod porro dirigit; miraculum, quod mirum est monstrum, quod monet. TRISTEIS IRAS. Deorum scilicet, propter injurias suas. OBSCOENAMQVE FAMEM. Aut quæ homines etiam ad obscœna compellit [illegible], *Male suada fames.* Aut certe quam obscœna avis prædixerat. QVÆ PRIMA PERICVLA VITO, QVIDVE SEQVENS TANTOS POSSIM SVPERARE LABORES. Quid observans. Duo petit, quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consiliis par esse laboribus possit: Et totum hoc per interrogationem legendum est. TANTOS. Quantos Harpyja prædixerat.

DE MORE. Sacrificantum.

EXORAT PACEM DIVVM. Aut de sacrificantum more requirit utrum tempus consulendi esset. (Nam & hoc vehementer quæritur: ut in sexto, *Cum virgo poscere fata Tempus ait*) Aut, quod melius est, de sacrificantum more, ante nefas expiat ab Harpyja prædictum: & sic venit ad vaticinationem. Vt autem hic expiatam famem intelligamus, sequens efficit locus: ut, *Aderitne vocatus Apollo*: cum constat, nisi in hoc intellexeris loco, famis causa nusquam invocatum esse Apollinis numen. Dubitationem autem in hoc loco, EXORAT, facit. nam ORARE, est petere; EXORARE, impetrare. Ergo impetrat pacem, aut ad inquirendum tempus, aut ad mitigandum famis periculum. VITTASQVE RESOLVIT. In ratione sacrorum par est & animæ & corporis causa. Nam plerunque quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus: ut solvere, vel ligare quo possit anima, quod per se non potest ex cognatione sentire. inde est, *Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta.* Bene ergo Helenus cuncta corporis solvit: ne qua parte animo religato ad numen accedat.

SACRATI CAPITIS. Diis & vaticinationibus dicati.

MVLTO NVMINE. Multa veneratione numinis. SVSPENSVM. Si SVSPENSVS, ipse numinis plenus. Si SVSPENSVM me, sollicitum & attentum.

DEINDE CANIT. Post peracta solennia.

NATE DEA. Ordo est, *Nate dea pauca tibi expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.* Omnia, inquit, vates novit: sed non omnia permittitur dicere, fatis prohibentibus: etiam ex his quæ novit multa vetat dicere Iuno Saturnia. MAIORIBVS. Cœlestibus, propter syderis cursum: cujus fuit explanatio per Creusam. Ergo majora sunt quibus præter tripudium auspicari jus fit, neque precatio adhibetur; sicut hoc loco nullum deûm precatur Æneas, ut his versibus: *Nam te majoribus ire per altum Auspiciis manifesta fides:* Auspiciis quia auspicia majora, aut majoribus dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur; ut puta si parra vel picus auspicium, & deinde contrarium aquila dederit, auspicium aquilæ prævalet. Ergo quia notum est esse apud augures auspiciorum gradus plures, & augur loquitur auguriorum perita, ideo majoribus auspiciis dixit. Auspicium autem est volatus avium, qui indicat agendum, vel omittendum esse, quod quis cœperit; dictum ab ave inspicienda, quasi avispicium. PER ALTVM. Per limitem fortunæ superioris.

DONATI.

MANV. Quod est aptum signum benevolentiæ. SVSPENSVM. Aut numinis veneratione turbatum: aut inde suspensum, ne magis contraria quam optaret, audiret.

DIVINO. Quia divina canit.

NAM. Cum sit conjunctio rationalis, non debet prima constitui, ergo lege: *Nate dea majoribus te ire per altum auspiciis manifesta fides, &c. nam sic fata deûm rex sortitur*, &c.

VARIORVM.

VITTASQVE RESOLVIT SACRATI CAPITIS. Qui deos venerabantur, operto erant capite; cujus ritus rationem multis verbis reddit Plutarchus, Quæst. Rom. Quæst. 10. ubi etiam caussa aperitur, cur illud potentioribus obviam facti, nudarent. BONTANVS.

MAIORIBVS AVSPICIIS. Cælesti ductu nam sunt ex avibus, & sunt ex cælo auspicia. NASC.

IRE PER ALTVM. Maria navigare optimis auspiciis. quasi dixit navigationem illius optimum finem habituram. NASCIMB.

Sorti-

Digitized by Google

Nudati socii. juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.

SERVII.

FVGAM TENVISSE. Fœliciter navigasse. Nam *tenere* est implere; ut, *Ni teneant cursus certum est dare lintea retro*: id est impleant. Et potest intelligi secundum communem sensum, ob hoc eos lustratos, id est expiatos, ob hoc sacrificasse, & ludos celebrasse: quia hostiles terras prospera navigatione transierant.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR ANNVM. *Magnum*, ne putemus lunare esse propterea dixit: Antiqui enim tempora sideribus computabant, & dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Vnde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est: qui XII. continet menses. Mox majore cura magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. & hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium, post annos XII. (millia) nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Bene ergo nunc *magnum* addidit: ne lunarem intelligeremus. Bene Solis nomen, ne quia dixerat magnum, illum VII. planetarum acciperemus: de quo varia & à Merone, & ab Eudoxo, & à Ptolomæo, & ab ipso Tullio. Nam in libris de deorum natura tria millia annorum dicit magnum annum tenere. Possumus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim mensium fecisse.

ÆRE CAVO CLYPEVM. Æris cavi: ut, *Pulchra prole*. Clypeum hic masculino, at neutro alibi, *Clypeum superintonat ingens* MAGNI GESTAMEN ABANTIS. Hunc Abantem possumus intelligere cum Androgeo apud Trojam occisum; ut, *Mutemus clypeos*. Sed Virgilius amans, inventa occasione, recondita quæque summatim & antiquam contingere fabulam, de Abante dixit, Abans namque Lyncei Hypermnæstræ filius viribus præstans, cum vicinas civitates subvertisset, magnusque terror universis esset, diem supremum obiit: populi autem quos ille devicerat, regno ejus infesti, manu facta urbem dituturi muros subiere; cumque in eo essent, ut jam civitatis potirentur, senex quidam Iuvenem egregiæ formæ secutum in publico excidio notavit in foro, cumque ex eo quæsisset, cur patriæ non succurreret, & respondit quod arma non haberet; tunc senex ei Abantis arma consecrata demonstrat, hortatusque ut eis uteretur: quibus tunc sumptis juvenis properat in aciem. Hostes vero viso Abantis clypeo fugerunt. Quidam sane Abantem inventorem clypei ferunt, sed hoc nomen in penultima syllaba habet accentum.

POSTIBVS ADVERSIS FIGO. Proprie, figi enim dona dicuntur: ut, *Sacra ad fastigia fixit*: & sciendum inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur, quæ tamdiu dona dici possunt, quamdiu non profanentur. Rite ergo dicendo, *Æneas hæc de Danais victoribus arma*, ostendit clypeum quem dono obtulerat consecratum. Sciendum tamen hunc clypeum ab Ænea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poëta per transitum tetigit. REM CARMINE SIGNO. Rem, votum, id est voluntatem. Carmine autem, epigrammate. Et sciendum carmen dici quicquid pedibus continetur. Nam & hic unum versum, carmen dixit: & in Bucolicis duo, ut, *tumulo superaddite carmen, Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sydera notus, Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

DE DANAIS VICTORIBVS. Irrisio est, ut, *Victoresque cadunt Danai*. Subaudis autem ARMA. Consecravit, vel posuit. Sane hic *arma* clypeum solum dicunt, ut, *At Lausum socii exanimem super arma ferebant*.

DONATI.

MAGNVM. Deest *per*.

*ÆNEAS HÆC. Brevis titulus, uberem continet latitudinem. *Æneas posuit, Æneas scripsit*. Nam fuit memorabile ad illa eum loca venire potuisse: tutumque fuisse, ubi erat periculum manifestum; habuisse arma sublata victoribus, & in ipsorum sedibus ostentationis causa posuisse quoq; epigramma, quod & suam gloriam testaretur, & illorum qui victores recesserant ludibria: fecitque fortunæ beneficio, ut apud victores arma ipsis erepta publice locaret.

VARIORVM.

NVDATI SOCII. Gymnica hæc fuisse certamina demonstrat: quibus nudi homines, ac oleo, seu ceromate peruncti luctabantur; cumque usum palæstræ Athenienses primi docuerunt, indeque Trojani acceperunt. NASCIMB.

ÆNEAS HÆC DE DANAIS. Hostilis irrisio est, & insultatio, qua Græcorum deprimitur virtus, & Trojanorum animus extollitur: Porro trophæis olim inscriptiones apponebantur, Æneas apud Virgil. Æneid. II. trophæum Mezentio ab eo erectum tali carmine inscripsit.

hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic est.

NASCIMB.

MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR. Macrobius lib. I. c. 14. HARTVNG.

Lin-

Linquere tum portus jubeo, & considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoraque Epiri legimus; portuque subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum, Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum;
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes & littora linquens.
Solenneis tum forte dapes, & tristia dona,

SERVII.

LINQVERE TVM PORTVS. Id est, post insultationem carminis necessario statim fugit.

AERIAS ARCES. Id est altas. PHÆACVM. Corcyram insulam dicit, sitam contra Epirum & *Veterum*, ubi regnavit Alcinous, quam incoluerunt Phæaces. ABSCONDIMVS. Nauticus sermo est, & mira bene usus est celeritate; ut, ante absconditam quam visam insulam diceret.

PORTVQVE SVBIMVS CHAONIO. Vt, *Subeunt muro*. Nam si Chaonios legeris, non Chaonio, difficilis est scansio, non excluso *s*.

BVTHROTI VRBEM. Id est Buthrocium, ut, *Fontem Timavi*. Hæc autem civitas est in Epiro, cujus pars est Chaonia: quæ ante Molossia dicta est, posita est autem in saxo quod mari cingitur, in quo fons hujus naturæ esse perhibetur, ut cum mare quietum fuerit, crescat; cum vero fluctibus attollitur, decrescat.

INCREDIBILIS RERVM FAMA. Incredibilium rerum fama. Et bene non credidit. Vnde & postea interrogat, *Pyrrhin' connubia servas?*

PATRIO MARITO. Atqui Thebana fuit de Thebis Frigiis: sed aut provinciam pro patria posuit, ut, *Italiam quæro patriam*. Item, Salustius, *Hispaniam sibi patriam esse*. Aut certe secundum jus locutus est: quia uxor, viri domicilium sequitur. Iuncta ergo Hectori, facta Trojana est. Nam & *cessisse*, de jure est. Cedi enim hæreditas dicitur, ergo merito dicta est Heleno civi nupsisse. CESSISSE MARITO. Sic ait, ut dicimus, ex hæreditate paterna illud mihi cessit. Consuetudinis sanè regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent: adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit: & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsam, ducere uxorem; Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit, ut Andromache (quæ apud eum conjugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossum prius Pyrrho) propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione, cæteris Græcis navigantibus, quos tanquam vates sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, ut teneret Helenus regnum privigni, qui successerat patri: à quo Molossia dicta est pars Epiri; quam sicut dictum est Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti, quamvis de hoc nomine etiam aliæ causæ apud diversos aliàs inveniantur.

PROGREDIOR PORTV, CLASSES, ET LITTORA LINQVENS. Hysteroproteron in sensu: ante enim linquitur littus, & sic à portu proceditur. Sane securitatem verbo ostendit; dicens, *Classes & littora linquens*, quippe cum regnum civium peteret. aliter in primo, *Exire locosque Explorare novos*. Notandum sane finitum esse versum participio: quod raro apud Latinos est, apud Græcos vitiosissimum.

SOLENNEIS. Non festas, sed legitimas, anniversarias. TRISTIA DONA. Acerba, tale est illud, *Quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.*

DONATI.

PRIAMIDEM HELENVM. Mira res à persona quod frater Paridis victus regnaret inter victores. A loco, ut Trojanus in Græcia. A numero, ut non per unam urbem, sed per plures. A fortuna, ut regnaret potitus Pyrrhi conjugio ac sceptro. Ergo incredibile uxorem, Pyrrhi eversoris Trojæ, hominem ex Priami genere habere. & cum Pyrrhus vita cessisset, Andromachen iterum patrio marito cessisse. Ergo obstupuit Æneas potius, quam miratus sit.

VARIORVM.

ABSCONDIMVS ARCES. Præterimus; ita enim usu venit, ut quæ navigando præterimus abscondi atque evanescere videantur. Lucanus in tertio:

tectumque cacumen
Nubibus, & dubios cernit vanescere montes.

NASCIMB.

Ante

Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis sacraverat aras.
Vt me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lachrymasque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. vix pauca furenti

SERVII.

IN LVCO. Lucum (ut supra diximus) nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui lares viales sunt: unde in sexto, *Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.* Et in v. *Tumuloque sacerdos, Ac lucus late sacer additur Anchiseo*; & hic lucus, qui ad reddenda solennia Hectori & Astyanacti fuerat dicatus.

FALSI. Simulati.

LIBABAT CINERI. Non dixit cujus, sed ex inlatius intelligitur. MANESQVE VOCABAT. Sacrificiis inani sepulturæ conciliabat manes Hectoreos: & bene in luco, ut diximus supra.

AD TVMVLVM. Id est cenotaphion. VIRIDI CESPITE. Herboso.

GEMINAS. Vnam marito, alteram filio. Aut certe illud respicit: nam inferi, pari gaudent numero. ut, *Ecce duas tibi Daphni.* Superi vero impari: ut, *numero Deus impare gaudet*; vel geminas Diti patri & Proserpinæ; aut quia elatæ mortuorum aræ, deorum altaria dicuntur; ut, *En quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.* Quamvis hoc frequenter poëta ipse confundat.

LACHRYMIS SACRAVERAT. Hoc tantum, ut causam lachrymarum haberet.

MONSTRIS. Rebus scilicet insperatis, & hoc ad Andromachen refertur, quæ putat monstrum: aut certe monstris, quod tunc advenerat Æneas, cum illa Manes invocaret, & eum crederet esse defunctum.

DIRIGVIT VISV IN MEDIO. Dum me cernit obstupuit, aut antequam nos manifestius videret. CALOR OSSA RELIQVIT. Id est extimuit: ut, *Solvuntur frigore membra.*

VERANE TE FACIES. Ordo est, O nate dea afferse te mihi vera facies, verus nuntius & opportunum principium fœminæ, quam incertam timor fecerat. VERVS MIHI NVNTIVS ADFERS. Quidam sic exponunt, prout adferris, id est vivus mihi nuntiaris.

VIVISNE? Et secundum muliebrem adfectum, sicut supra dictum est, interrogat, & bene suspicatur. Nam & inferis sacrificat, & in luco, in quo habitant manes.

HECTOR VBI EST? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hoc ad Æneæ pertinet gloriam, ut ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc, sic umbræ videntur in sacris: cur non eorum magis quibus sacrificatur? DIXIT, LACHRYMASQVE EFFVDIT. Bene postquam ad mentionem Hectoris ventum est, tacuit & flevit.

FVRENTI. Insolabiliter & impatienter dolenti.

DONATI.

MONSTRIS. Monstrum fuit, ut quo tempore manibus parentaret, Æneas appareret, ut & ipse mortuus putari posset.

CALOR OSSA RELIQVIT. Nam turbata mente recedit calor. Est autem sapiens consilium Poëtæ, tractantis personam mulieris, solventis inferias mortuo, & illius amorem retinentis. Ex confusione autem mentis, quia perfecte videre non potuit, incidit in errorem, ne esset mortuus. Prior vidit mulier, prior loquitur Æneæ, verecundia intemerata reservatur.

VERANE TE FACIES. Et quia armatus, & quia in die, in qua non solent videri mortui, apparuit, existimavit vivum. Ex occasione autem loci & parentationis causa, putabat mortuum.

LACHRYMASQVE EFFVDIT. Hæc omnia provenerunt ex mariti recordatione. Nec debuit de alio quam de mortuo, in tanto dolore quærere.

PAVCA. Vel quia plura turbatus non possem: vel quia ipsa ex dolore non fuisset plura auditura.

VARIORVM.

FALSI SIMOENTIS. Qui nomine tantum referret Simoenta Troadis fluvium. De quo Victorius lib. 5. cap. 3.

VIRIDI CESPITE. Horat. lib. 1. Odâ 19. Alexand. lib. 4. cap. 17. Cornelius Tacitus lib. 1. HARTVNG.

VERANE TE FACIES. Solebat vetustas credere, certis temporibus anni, terram patere, ac tum manes liberè vagari. Putat ergo Hectoris umbram in comitatu Æneæ esse, ut socii quondam charissimi. Vide P. NANNIVM Miscell. lib. 2. cap. 1.

Sub-

Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco:
Ne dubita: nam vera vides.
Heu quis te casus, dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum; & demissa voce locuta est:
O fœlix una ante alias Priameia virgo,

SERVII.

TURBATUS. Lugente scilicet Andromache: Cato ait, *Verba tertiato & quartato quempiam dicere præ metu.* HISCO. Hiscere est hiare, nec loqui posse. Vel *hisco* hic, loquor.

VIVO EQUIDEM. Hoc enim ethos legendum est: Ac si diceret, si tamen vita est infœliciter vivere.

NAM VERA VIDES. Propter illud, *verane te facies?*

HEU. Disjungendum ab interrogatione, ut separatim luctuosa vox audiatur. CASUS. Hic eventus; ut, *Tot casibus actos.* Alibi periculum. DEJECTAM CONJUGE TANTO. Dapnas, per comparationem virorum factum. EXCIPIT. Signate locutus est, quia dejectam dixerat, excipiuntur enim quæ cadunt.

DIGNA. Congrua & priori conveniens.

HECTORIS ANDROMACHE. Si Andromache; sequentibus junge: si Andromachen, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam dixerit, cur hic Hectoris dixit; sed ipse quæstionem solvit, dicendo *incredibilis.* CONNUBIA SERVAS. Tenes: ut, *Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen.* Aut certe omis* ut, *servantem ripas.* Aut quia audierat nuptam Heleno. SERVAS. Pro servasti. Consuetudinis regiæ fuit: ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen pro legitima haberent, adeo ut liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti jam ante desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit ut Andromache, quæ apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur; propter supradictum beneficium, quo eum à navigatione prohibuerat. Inde factum est, ut teneret regnum privigni, qui successerat patri; à quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit: quasi ad solatium fratris extincti.

DEJECIT VULTUM. Decenter, quia de concubitu admonita est. DEMISSA. Humili, tenui; & verecunde, quia de Pyrrho dictura est.

O FOELIX. Bene nec ad interrogata respondit & virginitatem laudat, & mortem: ut ostendat invitam Pyrrhi pertulisse connubium: & esse superstitem suis miseriis. PRIAMEIA VIRGO. Quia notum est nomen, omisit. UNA ANTE ALIAS. Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et *alias* hic absolute junxit; ut, *filia ante alias.* Iungitur tamen & comparativo; ut, *Scelere ante alios immanior:* & superlativo: ut, *ipse ante alios pulcherrimus omnes.*

DONATI.

HEU. Et ipse incipit à gemitu propter Hectoris recordationem.

HECTORIS ANDROMACHE. Cum laude hæc duo nomina extollenda sunt. PYRRHI. Cum depressione, quoniam hostis erat: & patris Achillis, qui Hectorem occiderat, memoria, fuerat odiosa.

DEJECIT VULTUM. Mota pudore: & quoniam factum negare non poterat, summissæ vocis purgatione defendit.

O FELIX. Ex comparatione ostendit, miserrimam esse felicem, comparatione sui quæ pudorem amiserit, quando mors in illa exclusit violentiam pudoris: & cum illam solam felicem dicit, non se solam ostendit in causa turpi. VIRGO. Ergo periit salva castitate.

VARIORUM.

ET RARIS VOCIBUS HISCO. Ita Seneca in Controvers. *Semesa & tenui atque elisa jejunio voce, ut vix exaudiri posset. Semesa* enim *vox* singultantis est, & qui sua ipsius verba fere devorat. Ejusmodi semesam & terrore elisam vocem hic intelligas. Singulis autem propositis strictissime respondet Æneas, fortunæque suæ miserias brevissima insinuatione designat. TAUBMAN.

VITAMQ. EXTREMA PER OMNIA DUCO. Movet commiserationem per locum communem ex sua calamitate; quasi dixerit, ego quidem vivo, sed vita mihi acerba est. NASCIMB.

HEU QUIS TE CASUS. Pathetica exclamatio in exactam & præsentem fortunam. Vicissim interrogando materiam suppeditat narrandi casus suos & conditionem præsentem. HORTENSIUS.

HECTORIS ANDROMACHE, PYRRHIN'. Hæc tria nomina emphasim habent: sed illa duo cum laude extollenda, Hectoris Andromache: Pyrrhi vero nomen cum turpitudine deprimendum est: tanquam virtute, atque genere longe inferior fuerit Hectore, nec satis dignus qui tam nobili fæmina, tantique viri uxore potiretur. Vel quia Priami ipse cædem fecit, ejusque filius est, qui Hectorem necavit. NASCIMB.

Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.
Nos patria incensa diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.

SERVII.

HOSTILEM AD TVMVLVM. Quia grande est mortis solatium, præmissus hostis interitus. Fabula talis est, Achilles dum circa muros Trojæ bellum gereret, Polyxenam visam adamavit: & conditione pacis in matrimonium postulavit. Alii dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Trojani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus, missa vulneravit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit, ut devicta Troja ad ejus sepulchrum Polyxena immolaretur: quod Pyrrhus implevit. Et alius ordo fabulæ hujus. Cum Græci victores in patriam vellent reverti, è tumulo Achillis vox dicitur audita, querentis, quod sibi soli de præda nihil impertivissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam Priami filiam, quam vivus Achilles dilexerat, ejus debere manibus immolari; quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: Invenitur enim apud quosdam, quod etiam ipsa Achillem amaverit, & ea nesciente, Achilles fraude & insidiis sit peremptus. TROJÆ SVB MOENIBVS ALTIS. Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit; unde duplex felicitas, quod & virgo, & in patria meruerit interire.

IVSSA MORI. Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum jussit occidi. SORTITVS. Quia captivi & præda inter victores sorte dividebantur; ut est, *Et prædæ ducere sortem.*

NEC VICTORIS HERI TETIGIT CAPTIVA CVBILE. Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi & victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. TETIGIT CAPTIVA CVBILE. Tetigit, non cum fiducia conjugali secure ascendit, sed ut solent captivæ dominorum toros paventes leviter contingere; & *cubile* dixit non lectulum genialem.

DIVERSA PER ÆQVORA VECTÆ. Tanquam parum fuerat patriam incensam.

STIRPIS ACHILLEÆ. Cum magno dolore dictum ACHILLEÆ. Quia ab eo Hector occisus est, & idem bis dixit. FASTVS. Superbiam: & est quartæ declinationis. Nam liber qui dierum habet computationem, secundæ declinationis est. Unde erravit Lucanus dicendo, *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.*

SERVITIO ENIXÆ TVLIMVS. Hoc est pertulimus, donec in servitio positæ eniteremur. Fabula autem est, ut prædiximus. Et bene plurali utitur numero, ad excusandum pudorem. LEDOEAM HERMIONEM. Id est, Ledæ neptem, Tyndarei uxoris, quam Juppiter in Cygnum mutatus gravidam fecit, quæ ovum peperisse dicitur, unde nati sunt Helena, Castor & Pollux.

LACEDÆMONIOSQVE HYMENÆOS. Cum ingenti felle: ac si diceret, Infœlices mariti semper: ut Paridi, ut Deiphobo.

TRANSMISIT HAB. Herili voluntate, non lege conjugii: vel quia inter captivos matrimonio fides non stabat: unde & HABENDAM dixit, & *transmisit*: quia alii tradidit, quidam permisit accipiunt.

DONATI.

AD TVMVLVM. Et non ad cubile: unde nulla voluptas potuit pervenire ad mortuum.

HERI. Ut qui inimicus fuerat, esset dominus.

CVBILE. Non ad honestatem, sed ad ludibrium est invita perducta.

CAPTIVA CVBILE. Novissime posuit, quæ maxime premebatur, causam.

NOS PATRIA. Conclusa comparationis parte, qua se purgavit, redit ad se & opponit sua his, quæ evenerant Cassandræ. Illa enim incolumem patriam reliquit. NOS INCENSA. Illius funus solum patrium tenet. Nos per diversa maria sumus tractæ, pertulimus natum ex Achille, qui nulla miseratione movebatur.

SVPERBVM. Ex victoria servitium autem nimis ponderosum fuisse ex eo ostendit, quod dixit *tulimus & enixæ.*

QVI DEINDE. Ostendit necessitate Pyrrho, necessitate etiam Heleno fuisse conjunctam.

VARIORUM.

QVÆ SORTITVS NON PERTVLIT. Quæ victori, more militiæ, per sortem non cessit. Hoc autem [illegible] à majori & minori, præter Quintilian. lib. 6. cap. 3. expendit Macrob. lib. 4. c. 6. TAVB.

SERVITIO ENIXÆ. G. Fabricius, ENIXE, inquit, Adverbium est, servitutis gravitatem exprimens (quomodo & Donatus voluit) Quod si nomen velimus, *Enixæ*, interpretandum erit, subjugatæ & labore exercitæ: ut Nonius duobus locis exponit. Servii expositio minus placet. TAVBMAN.

LACEDÆMONIOSQVE HYMENÆOS. Expolitio, id est Hermiones Laconicæ nuptias. TAVB.

Ast

Digitized by Google

Ast illum, erepta magno inflammatus amore
Conjugis, & scelerum Furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,

SERVII.

EREPTÆ CONIVGIS. Hanc Hermionen quidam dicunt cum Oresti esset desponsata, post à Menelao, apud Trojam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt à Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam, sed à Tyndaro Oresti, morante apud Trojam Pyrrho, ut quidam promissam, ut quidam conjunctam tradunt: quam cum Pyrrhus confisus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam uxorem non duxerat, cur conjugis posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat conjugem; ut in secundo, *Et gener auxilium*, cum adhuc sponsus esset.

SCELERVM FVRIIS. Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre à Clytemnestra conjuge & adultero Ægisto ipse subtractus periculo esset, apud Strofium patrem Pyladis educatus est: Qui cum adolevisset cum amico Pylade, tam Ægistum, quam matrem peremit; ob quam causam furiis agitatus est, nec ante furore liberatus, quam pervenisset in Tauricam regionem, ubi soror ejus Iphigenia subducta à Diana, apud Aulidem sacrificio templo Dianæ præerat, & more gentis, deæ hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, ut tanquam hospes occideretur, agnitus à sorore, subtractus est morti: post, accepto responso, sublato Dianæ simulacro, sororem reduxit in Atticam; ubi in honorem conservati numinis, Tauropolin appellavit. AGITATVS. Stimulatus. Cicero in Rosciana, *Agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus.*

EXCIPIT. Dolo interficit, ut VI. Æneid. *Æmulus exceptum Triton.* PATRIAS ARAS. Alii Achilleas intelligunt, ubi ille adorabat Apollinem, aut quod ibi Achilles occisus sit, aut, quod historia loquitur, Pyrrhus occiso patre in templo Apollinis Tymbræi, reversus ad patriam, in numinis insultationem, in templo ejus Delphico aras patri constituit, & illic ei cœpit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alii patrias Apollineas volunt à Patris Achajæ civitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus quærere cur non Delphicas dixerit, quia epitheta in alieno negotio plerumque alia ponuntur, ut in quarto, *Italiam magnam Gryneus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes*: cum à Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Aesculapio aras Apollini statutas, patrias nominatas. Alii in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: Ab hoc quod Icadios Apollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cum in adultam ætatem venisset, primo regionem in qua natus erat à matre Lyciam nominavit; deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes & cortinam consecravit, &, ut illum patrem esse testaretur, Patora cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus Delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, & à Delphino locum Delphos appellasse: aras deinde Apollini tanquam patri consecrasse, quas ferunt vulgo patrias dictas. Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est. Invenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem & Icadium profectos à Creta in diversas regiones venisse; Iapydem ad Italiam; Icadium vero duce Delphino ad montem Parnassum, & à duce Delphos cognominasse, & in memoriam gentis, ex qua profectus erat, subjacentes campos Crisæos vel Cretæos appellasse, aras constituisse.

REDDITA. More veteri pro data accipiendum, re ergo abundat. Ennius in Annalibus, *Vt Ilia reddita nuptum.* Et alibi, *Isque dies post aut Marcus quam regna recepit.* Et pro accepta, ut REDDITA. Quod Heleno debebatur imperium. CESSIT PARS HELENO. Per privignum, ut diximus.

CHAONIOS COGNOMINE CAMPOS. Epirum campos non habere omnibus notum est, sed constat ibi olim regem nomine Campum fuisse, ejusque posteros Campylid* dictos & Epirum Campaniamque vocatam, sicut Alexarchus historicus Græcus & Aristonicus referunt. Varro filiam Campi Campaniam dictam, unde provinciæ nomen; post vero, sicut dictum est, Caoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Caonem, vel ut alii dicunt comitem, dum venaretur occiderat. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem, & de nomine soceri Campos: de nomine Chaone, Chaonas dixisse.

VARIORVM.

EXCIPIT INCAVTVM. Quod I. Æneid. dixerat, *Incautum superat*: Scaliger lib. 4. cap. 16. Iun. Philarg. ad iij. Georg. vers. 471. *Incautum*, quasi incustoditum est: ut illud Salustii, *Repente incautos agros invasit*, id est, quibus præcautum non est. TAVBMAN.

PATRIAS OBTRVNCAT AD ARAS. Pyrrhus ad patrias aras necatus dicitur, quia eodem modo, eodemque fato (ut in primo libro Pausanias scriptum reliquit) id est ad aras Apollinis utrique necari contigit. Vnde colligi potest, *Delphico gladio perire*, de iis dici posse, qui eodem fato, eodemque vindice pereunt. HASCIMB.

Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne & vescitur aura?
Quem tibi jam Troja.
Ecqua jam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lachrymans, longosque ciebat
Incassum fletus: cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert;
Agnoscitque suos, lætusque ad mœnia ducit:
Et multum lachrymas verba inter singula fundit.

SERVII.

TROIANO A CHAONE. Vel fratre Heleni, vel ut alii volunt hunc Chaonem, licet superius caussa hujus nominis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, cum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, unde in honorem ejus Epirum quæ Campania dicebatur, Chaoniam nominavit Helenus, & hoc fuit quando navigaverunt à Troja cum Pyrrho. Alii dicunt, quod cum Pyrrho ab Ilio navigaret & tempestate jactarentur, Dianæ unum è Trojanis amicum Heleni vovisse, ut si illi periculum evasissent, se pro eorum incolumitate interimeret, qui se, postquam illi evaserunt sicut promisit, occidit: Vnde factum est, ut ejus nomine Helenus adeptus regnum, Epirum Chaoniam nominaret.

DIXIT. Nominavit, ut, *Fluvium cognomine Tybrim Diximus.* &, *Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

PERGAMAQVE. Pergama legendum, non, ut plerique PERGAMEAM; qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt. Decipiuntur autem cum utrunque derivativum volunt: cum sit PERGAMA principale.

QVI CVRSVM VENTI. Servat hunc ordinem, ut à sui persona incipiens, mox quærat alienam; ut, *Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.* Et hoc totum cùm admiratione dictum est. QVI VENTI, id est tam prosperi. QVÆ FATA. Tam nobis fœlicia.

QVIS DEVS? Qui præstitit, ut te videre possemus. Tale est & illud Æneæ ad Didonem adulatorium, *Hinc me digressum vestris deus appulit oris.* IGNARVM. Aliud disponentem.

PVER ASCANIVS. Filius, quia Græci παῖδας etiam filios dicunt. SVPERATNE. Vivit. Sane nove dictum est, & caret exemplo, ut pauca in Virgilio. Alii dicunt SVPERAT, superstes est: sed Superstes præsentem significat: ut Cicero in Muræniana, *Suis utrisque superstitibus*, id est præsentibus.

QVEM TIBI IAM TROIA. Hemistichium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: ut hoc, *Concessere deum*: quem quidam ita complevit, *Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.*

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Si parentis Creusæ accipis, occurrit illud: Vnde sciebat eam periisse? Et alii dicunt potuisse hoc vel Heleno divinante cognosci; vel Ænea requirente per Trojam: ut, *Implevi clamore vias.* Sed utrunque viribus caret. Parentem ergo patriam accipiamus: ut, Tullius, *Si tibi patria, quæ communis omnium parens est.* Et est sensus, Doletne perditam patriam?

ANIMOSQVE VIRILES. Atqui supra dixerat, PVER: sed animos viriles ait parentum consideratione. Inde & in nono de ipso, *Ante annos animumque gerens curamque virilem.*

AVVNCVLVS. Quidam avunculus humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.

INCASSVM FLETVS. Et longos, & incassum bene addidit, ut fœmineos monstraret adfectus:

ET MVLTVM LACRYMAS. Ordo est, Lachrymas multum fundit inter verba singula. Nam si LACHRYMANS dixeris, quid fundit? Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut in libro quinto, Acestæ.

VARIORVM.

SED TIBI QVI CVRSVM. Perorata suarum calamitatum, nec non vicissitudinis fortunæ suæ narratione, causam adventus Trojanorum exquirit, non per simplicem interrogationem, sed affectibus plenam. NASCIMB.

AMISSÆ CVRA PARENTIS. Quidam *amissi*, legendum esse contendunt: ob id, quia hæ voces, *parens & homo*, quia in communi sexu intelliguntur, tamen virili genere semper dicuntur: de Creusa ergo, non de patria intelligendum est; nec enim *parens* absolute pro patria unquam lectum est; sed *sanctissima parens patria*, apud Cic. ad Att. NASCIMB.

Pro-

Digitized by Google

Procedo, & parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non & Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies, alterque dies processit, & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.

SERVII.

PARVAM TROIAM SIMVLATAQVE MAGNIS PERGAMA. Multi putant Æneam de ea venisse ad Epirum & ibi hæc loca per licentiam poëticam esse conficta: Varro Epiri se fuisse dicit, & omnia loca hisdem dici nominibus quæ poëta commemorat se vidisse, unde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro Trojam Epiri ab Ænea, sive à comitibus ejus Byopator nuncupatam docet, ubi Trojana classis Æneam expectasse sociosque ejus castra in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore Trojana appellantur, unde apparet divinum Poëtam aliud agentem, verum semper attingere.

ARENTEM. Pro aridum. Participium vice nominis.

AGNOSCO Aut cognomine agnosco, nam ea cognoscimus quæ jampridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Trojam. ut, *Hic incredibilis rerum fama occupat aures.* SCÆÆQVE AMPLECTOR LIMINA PORTÆ. Scæa porta dicta est, non à pugnis ante se factis scævis, id est malis: (Nam & ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scævo, id est, sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro. Sed à cadavere Laomedontis, hoc est Scenomate, quod in ejus fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis scæam appellatam volunt. AMPLECTOR. Pro teneo. Quasi ad Trojam venisset: ut, *Amplexaque tenent postes, atque oscula figunt.*

TEVCRI. Pro Teucriadæ. IN AMPLIS. Quod est regiæ magnitudinis.

ACCIPIEBAT. Pascebat. ut Terentius, *Accipit homo melius nemo neque prolixius.*

AVLAI. Pro aulæ, & est Diæresis de Græca ratione veniens: quorum AI diphthongus resoluta, apud nos duas syllabas facit: Aula autem proprie dicitur quæ concluditur *porticibus* quatuor, unde superius porticibus dixit.

IMPOSITIS AVRO DAPIBVS. Id est, cum impositas auro dapes haberet.

PROCESSIT. Exactus est. AVRÆ VELA VOCANT. Hypallage est pro auras vocant.

CARBASVS. Utrum aliorum qui navigabant, an ipsorum, & utrum tumide, an tumidus auster; ut *pallidus orcus*? Carbasus autem genus lini est: quod abusive plerunque pro velo ponitur. Sane in numero singulari hæc carbasus dicimus; in plurali hæc carbasa.

DONATI.

PARVAM TROIAM. In omnibus istis versibus, ne minuat magnitudinem Trojæ patriæ, ostendit hanc non tantam esse, sed similem. nam dixit parvam Trojam, & simulata Pergama, arentemque rivum Xanthi.

NECNON & TEVCRI. Æneam, Anchisen & Ascanium duxit in suam domum: Reliquos hospitia per civitatem acceperunt.

ACCIPIEBAT. Pascebat. aliter enim non in amplis porticibus, sed in amplas porticus dicendum fuerat.

IAMQVE DIES. Argumentum benignitatis, cum non unius sed plurium dierum sit hospitium.

VARIORUM.

PROCEDO ET PARVAM TROIAM, SIMVLATAQVE MAGNIS. Expressit hic Poëta veterem ritum Græcorum, quibus usitatum erat, cum in coloniam mitterentur, aut aliquo casu patriam relinquere cogerentur, iis nominibus loca illa appellare, quibus vocabantur patriæ ipsius loca: atque ita acrem illum amorem patriæ consolarentur: vel id dignitati natalis soli, reverentiæque dabant. VICTORIUS.

ARENTEM XANTHI COGNOMINE RIVVM. Xanthum eundem cum Scamandro multi auctores, & ipse Aristoteles prodiderunt. *Arentem* autem hic vocat, non quod simulatione Andromachæ brevis Xanthus, supposita imagine ibi loci, ubi sacra fiebant Hectoris manibus, esset, quemadmodum *Simulata magnis Pergama*: sed quod Xanthus & Scamander, magis aquationi & oblectationi, quam navigationi accommodati essent, ut ex illo superiore, *Xanthumque bibissent.* GERMAN.

AMPLECTOR LIMINA. Et postes deorum, & portarum limina amplecti solebant, qui exulatum ibant, aut peregrinatum, diu absfuturi domo. Iidem etiam reduces osculari & amplecti ea solebant. Flaccus lib. Argonaut. *patriæque amplector limina portæ.* Quod & faciebant in patriæ imagine & assimulatione, ut hic vides, & in coloniis. TURNEB. lib. 22. cap. 28.

LIMINA PORTÆ. Proverb. [illegible]. HARTUNG.

AVLAI IN MEDIO LIBABANT. Petrus Crinitus libro decimo octavo cap. 2. de honesta disciplina.

Prodigium canit, & tristeis denuntiat iras,
Obscœnamque famem) quæ prima pericula vito,
Quidve sequens tantos possim superare labores.
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm: vittasque resolvit
Sacrati capitis: meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit:
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea (nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deûm rex

SERVII.

PRODIGIVM CANIT. Prodigium, portentum & monstrum, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerunque ponuntur. Varro sane hæc ita definit; ostentum, quod aliquid hominibus ostendit: Portentum quod aliquid futurum portendit; prodigium, quod porro dirigit; miraculum, quod mirum est monstrum, quod monet. TRISTEIS IRAS. Deorum scilicet, propter injurias suas. OBSCOENAMQVE FAMEM. Aut quæ homines etiam ad obscœna compellit: ut, *Male suada fames*. Aut certe quam obscœna avis prædixerat. QVÆ PRIMA PERICVLA VITO, QVIDVE SEQVENS TANTOS POSSIM SVPERARE LABORES. Quid observans. Duo petit, quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consiliis par esse laboribus possit: Et totum hoc per interrogationem legendum est. TANTOS. Quantos Harpyja prædixerat.

DE MORE. Sacrificantum.

EXORAT PACEM DIVVM. Aut de sacrificantum more requirit utrum tempus consulendi esset. (Nam & hoc vehementer quæritur: ut in sexto, *Cum virgo poscere fata Tempus ait*) Aut, quod melius est, de sacrificantum more, ante nefas expiat ab Harpyja prædictum: & sic venit ad vaticinationem. Vt autem hic expiatam famem intelligamus, sequens efficit locus: ut, *Aderitne vocatus Apollo*: cum constat, nisi in hoc intellexeris loco, famis causa nusquam invocatum esse Apollinis numen. Dubitationem autem in hoc loco, EXORAT, facit. nam ORARE, est petere; EXORARE, impetrare. Ergo impetrat pacem, aut ad inquirendum tempus, aut ad mitigandum famis periculum. VITTASQVE RESOLVIT. In ratione sacrorum par est & animæ & corporis causa. Nam plerunque quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus: ut solvere, vel ligare quo possit anima, quod per se non potest ex cognatione sentire. inde est, *Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta*. Bene ergo Helenus cuncta corporis solvit: ne qua parte animo religato ad numen accedat.

SACRATI CAPITIS. Diis & vaticinationibus dicati.

MVLTO NVMINE. Multa veneratione numinis. SVSPENSVM. Si SVSPENSVS, ipse numinis plenus. Si SVSPENSVM me, sollicitum & attentum.

DEINDE CANIT. Post peracta solennia.

NATE DEA. Ordo est, *Nate dea pauca tibi expediam dictu: prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.* Omnia, inquit, vates novit: sed non omnia permittitur dicere, fatis prohibentibus: etiam ex his quæ novit multa vetat dicere Iuno Saturnia. MAIORIBVS. Cœlestibus, propter syderis cursum: cujus fuit explanatio per Creusam. Ergo majora sunt quibus præter tripudium auspicari jus sit, neque precatio adhibetur; sicut hoc loco nullum deum precatur Æneas, ut his versibus: *Nam te majoribus ire per altum Auspiciis manifesta fides*: Auspiciis quia auspicia majora, aut majoribus dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur; ut pura si parra vel picus auspicium, & deinde contrarium aquila dederit, auspicium aquilæ prævalet. Ergo quia notum est esse apud augures auspiciorum gradus plures, & augur loquitur augurio-rum perita, ideo majoribus auspiciis dixit. Auspicium autem est volatus avium, qui indicat agendum, vel omittendum esse, quod quis cœperit; dictum ab ave inspicienda, quasi avispicium. PER ALTVM. Per limitem fortunæ superioris.

DONATI.

MANV. Quod est aptum signum benevolentiæ. SVSPENSVM. Aut numinis veneratione turbatum: aut inde suspensum, ne magis contraria quam optaret, audiret.

DIVINO. Quia divina canit.

NAM. Cum sit conjunctio rationalis, non debet prima constitui, ergo lege: *Nate dea majoribus te ire per altum auspiciis manifesta fides, &c. nam sic fata deûm rex sortitur*, &c.

VARIORVM.

VITTASQVE RESOLVIT SACRATI CAPITIS. Qui deos venerabantur, operto erant capite; cujus ritus rationem multis verbis reddit Plutarchus, Quæst. Rom. Quæst. 10. ubi etiam caussa aperitur, cur illud potentioribus obviam facti, nudarent. BONTANVS.

MAIORIBVS AVSPICIIS. Cælesti ductu: nam sunt ex avibus, & sunt ex cælo auspicia. NASC.

IRE PER ALTVM. Maria navigare optimis auspiciis. quasi dixit navigationem illius optimum finem habituram. NASCIMB.

Sorti-

Digitized by Google

Sortitur, volvitque vices, & vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque ignare paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Ææque insula Circes;

SERVII.

SORTITVR. Disponit, ordinat. Id est sorte decernit, vel sortitione distribuit. Bene adlusit quasi Apollinis sacerdos: cujus propriæ sunt sortes, id est responsa divina. VOLVITQVE VICES. Definitio fati, secundum Tullium, qui ait, *Fatum est connexio rerum per æternitatem, se invicem tenens, quæ suo ordine & lege sic variatur; ita tamen ut ipsa varietas habeat æternitatem.* Et hic vices, vicissitudines, alibi pericula: ut, *Vitavisse vices Danaum.* PAVCA TIBI E MVLTIS. Duo dicit esse dicturum, quemadmodum possit tuto navigare; & quibus signis Italiæ regna cognoscat.

HOSPITA ÆQVORA. Vicina, nihil enim nobis hospitio esse vicinius constat.

AVSONIO PORTV. Vt in Ausonia, quasi in portu & in littore conquiescat.

PROHIBENT NAM CÆTERA SCIRE. Hoc distinguendum. Et est sensus, *Cætera te scire non sinunt fata.* Helenum vero Iuno prohibet dicere etiam quæ audire poteras. & vacat QVE, ut solet frequenter.

Male autem sentiunt, qui distinguunt *scire Helenum*: cum legerimus in Lucano, *Venit ætas omnis in unam Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus.* Item alibi, *Nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.* Et adeo repletus numine novit omnia sacerdos, ut refrenetur ad certa dicenda. nam dicendo, *Helenum farique vetat Saturnia Iuno*; ostendit præmissum ad Æneam pertinere, aliter suum non interponeret nomen. Prohibet autem scire mortem patris ad augendum inopinatum dolorem, tempestatem ab Æolo immissam: amorem Didonis, in quo & gaudium quidem est: quod improvisum, vile creditur. Et si sciret Æneas se de Africa exiturum, non facile Didonis consentiret amoribus. Novimus autem hoc Iunonem agere, ut si possit fieri, regnum Italiæ Libycas averteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Æneas conqueritur; ut, *Nec vates Helenus cum multa horrenda moneret, Hos mihi prædixit luctus.*

IGNARE. Pro ignarus, casus pro casu: dicit autem ignarum fati. Persius, *Censoremve tuum vel quod Trabeate salutas.*

LONGA PROCVL. Non situ, quam pene videt: sed necessitate fatali. Significat autem difficilem circuitum.

VIA INVIA. Æneæ scilicet. TRINACRIA. Quæ Latine Triquetra dicitur, quam multi Trinaciam dicunt. Sub hac differentia, ut quotiescunque Sicilia significatur, Trinacria totum per r dicatur; quotiens Sicula per unam r; ut, *Trinacia cernitur Ætna.* LENTANDVS. Aut lente tibi navigandum: nam totam Siciliam circumiit: aut lentandus tibi remus est, id est flectendus: unde lentum vimen dicimus flexibile. Et quidam *lentandus* nove verbum fictum putant; sed in Annalibus legitur, *Confricati, oleo lentati, paratique ad arma*, à verbo lentor.

INFERNIQVE LACVS. Lucrinum & Avernum dicit: inter quos est spelunca, per quam ad inferos descendebatur, unde eos dixit infernos. ÆÆÆQVE INSVLA CIRCES. Qui nunc Circejus mons à Circe dicitur. aliquando, ut Varro dicit, insula fuit nondum siccatis paludibus, quæ eam dividebant à continenti. ÆÆA autem dicta ab aspernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes: unde est, *Inaccessos ubi Solis filia lucos.* Æ Æ Æ autem tres sunt diphthongi: nam genitivus est ab Ææa. Quidam Ææa pro Eoia, id est orientalis, quæ Solis filia traditur, accipiunt. Alii non Circe Ææa, sed insula quæ & Ææa.

DONATI.

PAVCA. Multa instructionis causa fuerant referenda, sed ne id fiat, dii prohibent me scire, & Iuno aliqua referre non patitur: tamen dicam quæ possunt esse in earum potestate. deinde narrat, quod quamvis Italia proxima sit, tamen longo circuitu ambienda est Sicilia.

VARIORVM.

NAM CÆTERA PARCÆ SCIRE HELENVM. Numina siquidem minora à superioribus numinibus discere dicuntur responsa danda mortalibus. Vnde Martialis assentatus Domitiano lib. 5.

Seu tua veridicæ discunt responsa sorores.

Antium respiciens, ubi colebatur fortuna sub duarum sororum imagine, ut auctor Macrob. in Saturn. GERMAN.

Quam

Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto.
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam,
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba solo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros;
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Grajis.

SERVII.

QVAM TVTA POSSIS VRBEM COMPONERE TERRA. Ante cuncta lustrabis, quam possis urbem tuta terra componere. *Tuta* autem, propter Thraciæ & Cretæ discrimina.

SIGNA TIBI DICAM. Deest ERGO: Et notandum quia non eo ordine quo præmiserat, dicit. Ante enim dicit de civitate condenda: sic de tuta navigatione.

SECRETI AD FLVMINIS VNDAM. Id est Tyberini. LITTOREIS. Littus dicitur quicquid juxta aquam est: unde ripam fluminis littus vocavit.

SVS. Naturaliter longa est; licet in genitivo corripiatur: ut bos, pes, res, spes. De hac autem sue alii dicunt secundum Virgilium, quod in Italia inventa sit. Alii quod secum eam more navigantum Trojani portaverint: & oraculo cognoverint ibi esse condendam civitatem, ubi sus illa post fugam fuisset inventa. Dicitur ergo in Campaniam fugisse: & inventam in Lauro Lavinio: à qua Ascanius post Albæ nomen imposuit.

TRIGINTA CAPITVM FOETVS ENIXA. Prodigiale est hoc, quo significatur triginta annis regnaturus Ascanius.

ALBI CIRCVM VBERA NATI. Varro dicit etiam hoc signi fuisse, quod cum etiam alterius coloris porci, in fœtu hujus porcæ fuerint, albi tantummodo circa ubera sint reperti.

IS LOCVS VRBIS ERIT. Id est, in ipsa regione: nam & Lavinium & Alba longe à littore sunt. REQVIES. Errorum scilicet, alioquin bello conflictatus est.

HORRESCE. Pro horrueris. VIAM. Id est rationem: & non dicit quam, quia etiam profutura est fames: ut, *Hæc erat illa fames: hæc nos suprema monebat, Exitiis positura modum.*

ADERITQVE VOCATVS APOLLO. Nunc vocatus, quia ut supra diximus, expiatorium fecit sacrificium.

HAS AVTEM TERRAS. Quasi ostendentis est: nec enim Calabria ab Epiro longo distat spatio.

NOSTRI ÆQVORIS. Epirotici, quo Calabriæ littus adluitur.

MALIS GRAIIS. Aut à persona Æneæ epitheton est, aut ad discretionem malorum, id est bonorum: à multis sane amphibolia putatur, potest enim aut catholicon esse epitheton Grais; vel eis habitantibus Grais qui mali sunt, ut est. III. Georg. *Illud sæpe malæ legere novercæ.*

DONATI.

SIGNA VBI DICAM. Commendat quod fuerat dicturus, ut ostenderet id magnum esse & verum: deinde dat signa fluminis, dat porcæ, dat numerum fœtus, dat colorem. quod si est præter naturam porcam edere. XXX. multa persæpe, quæ bonum aut malum portenderent, evenerunt præter naturam, ut ignis ex capite Ascanii mitis & innoxius, ut in Polidori sepulchro sanguis ex viminibus: ut vox humana ex pecudibus.

NEC TV MENSARVM. Ostendit futuram famem, sed non nocituram.

MALIS. Vt Æneam absterreat, qui per multas urbes Græcas transierit: & etiam ipse, qui captivus fuisset, hostium personam deformare debebat.

VARIORVM.

SIGNA TIBI DICAM. Homer. Iliad. Ψ. σῆμα δέ τοι ἐρέω μάλ' ἀριφραδές, οὐδέ σε λήσει. HART.

SIGNA TIBI DICAM. Signa quædam recensset futuri Trojanorum domicilii in Italia. Signum dat Tybris fluminis, porcæ, numeri porcorum & coloris. quo prodigio conditurum urbem nomine Albam, ibique regnaturum triginta annis Ascanium significabatur. NASCIMB.

NEC TV MENSARVM MORSVS. Adimit timorem, spemque dat futuræ quietis & felicitatis. de industria vero rem asperam ac perpessu duram, duris asperisque exprimit verbis. Observandum autem hic non dari Trojanis securitatem evitandæ famis, alioquin contrarium esset illi: *Heus etiam mensas consumimus, inquit, Iulus.* Sed hoc ait, licet consumpturus sit mensas, ob id tamen nihil esse quod spem futuræ felicitatis amittat: quia omnia illi prospere ac feliciter eventura sint. NASCIMB.

CVM TIBI SOLLICITO. Florid. l. 1. c. 10. H.

PROXIMA, QVÆ NOSTRI. Cæl. l. 7. c. 9. H.

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.
Quin ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in littore solves:
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Nequa inter sanctos ignes in honore deorum

SERVII.

HIC ET NARYCII POSVERVNT MOENIA LOCRI. Socii Ajacis Oilei fuerunt, Epizephyri & Ozolei: sed post tempestatem montis Capharei, Epizephyri tenuerunt Brutios: & hos nunc dicit. Ozolei vero tenuerunt Pentapolim: inde est: *Lybicove habitantes littore Locros*. Quinetiam de Ozoleis legitur, quod delati Tinneiam ulterius accesserint, & civitatem condiderint, quæ nunc Vzalis dicitur. Narycii autem à loco dicti sunt provinciæ suæ. Ozolei, à putore paludis vicinæ. Alii Narycios Opuntios eosdem & Epicnemydas dicunt, namque prius Narix, Opuns postea dicta, eadem autem & Epicniminina vocatur. Est enim Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt, à quibus originem trahunt qui in Italia sunt, & appellantur Epizephyrei, quod Zephyrum promontorium vocatur à Græcis, in quo sunt conditi Locri, qui in Græcia sunt. Hi vero qui juxta Delphos colunt, Ozolei nuncupantur, sive à fœtore draconis quem Apollo interemit, seu quod uxores eorum Veneris ira, viris suis fuerint fœditate teterri odoris invisæ, qui autem Libyam delati sunt Nasamones appellantur, ut Cornelius Tacitus refert, oriundi à Naryciis, quod ibi invenies: ubi ait *Lybicove habitantes littore Locros.*

SALLENTINOS OBSEDIT MILITE CAMPOS. Sallentinum promontorium Italiæ est inter Calabriam & Brutios. Nam ut ait Salustius, *Omnis Italia coacta in angustias, funditur inter duo promontoria, Brutium & Sallentinum.*

LYCTIVS IDOMENEVS. A Lycto Cretæ civitate, unde propter supradictam pulsus est caussam. Ad Italiam venisse, ac post dicitur in Asiam profectus decessisse. Alii hunc regressum consedisse apud Apollinem Clarium tradunt.

DVCIS MELIBOEI PHILOCTETÆ. A Melibœa civitate Thessaliæ, de qua fuit. *Melibœi* ergo dixit pro Melibœnsis.

SVBNIXA PETILIA MVRO. Civitas cincta muro modico: ut, *Crinemque madentem Subnixus rapto potitur*. PETILIA dicta vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, id est volare: quod captato augurio est condita: vel quod post relictum Ilium, quo ducebatur à Græcis, eam petivit civitatem. Petilia sane numeri est singularis. Multi ita intelligunt non Philoctetæ Petilia, sed Philoctetæ muro; nam ait Cato, à Philocteta condita jampridem civitate, murum tantum factum. Alii *subnixam* ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Cœlius historicus ait. Philoctetes autem fuit Pæantis filius, Herculis comes: quem Hercules cum ignem sibi in OEta monte componeret, petiit ne alicui sui corporis reliquias indicaret. De qua re eum jurare compulit: & ei pro munere dedit sagittas hydræ felle tinctas. Postea Trojano bello responsum est, sagittis Herculis opus esse ad Trojæ expugnationem. Inventus itaque Philoctetes, qui cum negaret primo se scire ubi esset Hercules: tandem confessus est mortuum esse. Inde cum acriter ad indicandum sepulchrum ejus cogeretur, & primo negaret, pede locum percussit, ne loqueretur: juraverat enim nolle dicere. Postea pergens ad bellum cum exerceretur, sagittæ unius casu vulneratus est pedem, quo percusserat tumulum. Ergo cum putorem insanabilis vulneris Græci ferre non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate sustinuerunt: ductum tandem apud Lemnum sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris, ad patriam redire neglexit: sed sibi parvam Petiliam in Calabriæ partibus fecit: Alii eum adductum à Græcis ad occidendum sagittis Paridem dicunt, quia etiam Paridis mors, inter fatalia dicitur fuisse Trojana.

TRANSMISSI. Quidam *transmissæ* legunt, ut sit præpositio; trans autem adverbium, ut sit transtulit. IN LITTORE. In Italia scilicet.

PVRPVREO VELARE COMAS. Subaudis cura, aut memento: aut certe quod est melius, VELARE imperativus sit, non infinitivus.

IN HONORE. In sacrificio. HOSTILIS FACIES OCCVRRAT. Quidam Vlyxen dicunt, alii Diomeden.

VARIORVM.

PHILOCTETÆ SVBNIXA PETILIA. Petilia est Lucanorum metropolis, quam Philoctetes à Melibæa profugus ædificavit, Samnites muniverunt. Martial. Epigr. lib. 12. *Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire, Petilianum delicatus in regnum.* quamvis alii referant ad domum Petilii, quæ in summo Ianiculo erat. GERMAN.

QVIN VBI TRANSMISSÆ STETERINT. *Transmittere* interdum absolutè ponitur pro transire. Cic. ad Q. Fratrem lib. 2 *eosdem aiebant nuntiare te prima navigatione transmissurum*: quandoque vero *trans* adjungitur, ut hoc in loco. NASCIM.

PVRPVREO VELARE COMAS. Hujus ritus retinentissimum fuisse Numam certum est: unde etiam posteri in re divina caput velabant, præterquam Saturno, cui inter sacrificandum caput aperiebant. GERMAN.

Hosti-

Hostilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori:
Læva tibi tellus, & longo læva petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge littus & undas.
Hæc loca, vi quondam, & vasta convulsa ruina,
(TANTUM ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt; cum protinus utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, & undis

SERVII.

ET OMINA TURBET. Sacrificii ordinem rumpat, quod est piaculum. Significat autem, ut dictum est, Diomedem, qui cum multis casibus adfligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Trojanis oraculo jussus est reddere: quod cum vellet implere, Æneam invenit sacrificantem: qui, ut supra diximus, sacrificii ordinem non rupit: & Palladium Nautes accepit. Unde Nautiorum familia Minervæ sacra servabat. Sane sciendum, sacrificantes diis omnibus, capita velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Et Herculi in templo suo, quia & ipse capite operto est. vel quia hæ aræ ante adventum Æneæ; à Iunone vel Evandro consecratæ sint. Sane quidam dicunt ab Heleno Diomedem suppressum, sed intelligendum est de industria factum, ne terror injiceretur Æneæ.

HAC CASTI. Pii: ut, *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.* IN RELLIGIONE. In observatione perpetua. NEPOTES. Appellando *nepotes*, gradus futuræ cognationis ostendit.

AST UBI. Pro postquam, Et est temporis adverbium. DIGRESSUM. A littore Calabriæ.

ANGUSTI RARESCENT CLAUSTRA PELORI. Quia à continenti, id est à columna usque ad Faron tribus millibus distat. RARESCENT autem ideo, quia venientibus de Ionio propter curvaturam littorum clausæ videntur angustiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur.

PELORI. Promontorium Siciliæ est secundum Salustium, dictum à gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per regis ignorantiam, cum se ejus dolo propter angustias freti crederet esse deceptum, veniens de Petilia: quanquam legerimus, etiam ante Pelorum dictum.

LÆVA TIBI TELLUS. Venientis personam respexit. Nam de Ionio navigantes, si fretum petant, dextrum teneant littus necesse est: sin alias, sinistrum.

ÆQUORA CIRCUITU. Totam enim transiturus est Siciliam.

HÆC LOCA. Ut etiam Salustius dicit, Italiæ Siciliam conjunctam constat fuisse: sed medium spatium, aut per humilitatem obrutum est: aut per angustiam scissum. Ut autem curvum sit, facit natura mollioris Italiæ, in quam asperitas & altitudo Siciliæ æstum relidit. QUONDAM. Tria tenet tempora, sicut OLIM. Præsentis, ut, *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* præteritum; ut, *Quondam Creta fertur Labyrinthus in alta.* futurum, *Nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumno.* TANTUM ÆVI LONGINQUA VALET. Parenthesis. Nam ordo est: Hæc loca vi quondam dissiluisse ferunt. ÆVI. Ævum pro tempore posuit: ut, *Ævoque sequents.* Alibi pro annis, ut, *Vos ô quibus integer ævi Sanguis ait.*

DISSILUISSE FERUNT. Hinc apparet bene dictum, *Vinctos saluere per utres.* Nam ut dissilui: sic salui facit. Cicero in Miloniana, *Cum hic de rheda rejecta penula dissiluisset.* Est enim positio salio, salis, salui. Item in compositione dissilio, dissilui. CUM PROTINUS. Continue: & modo adverbium loci est; alibi temporis est, ut, *Protinus aerias Phæacum ascendimus arces.*

FORET. Ab infinitivo est: sed modo præteritum significat tempus, quod rarum est: sæpius enim futurum significat. VENIT MEDIO. In medium: ut, *It clamor cælo.*

DONATI.

LÆVA TIBI. Advertendum est, quod tendentibus ad Italiam dicitur lævum latus & dextrum: cæterum redeuntibus sinistrum fit, quod fuerat dextrum.

HÆC LOCA. Hujus loci descriptionem cum omni cautela prosequitur. Dicit enim veterum sequi opinionem, facitque verisimile: quia vetustate temporis multi situs locorum mutati sunt.

VARIORUM.

ET OMINA TURBET. Quamvis Fabritius & German. aliique probent OMINA: tamen Nascimbænius omni vi legendum contendit OMNIA. Et *hostilem* illam *faciem*, non de Diomede (ut Servius & alii) sed de quovis hoste interpretatur. TAUB.

HÆC LOCA VI QUONDAM. Proverb. *Charybdin vitans incidit in Scyllam.* Homerus, Odyss. μ. Floridus lib. 1. cap. 17. HARTUNG.

TANTUM ÆVI. Epiphonema est ad vim longinquitatis temporis extollendam: nam temporis longitudine multi locorum situs immutati fuere. N.

Hesperium Siculo latus abscidit; arvaque & urbes
Littore diductas angusto interluit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet; atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sydera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naveis in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema, immani corpore Pristis,

SERVII.

HESPERIVM SICVLO LATVS ABSCIDIT. Hypallage est. Nam minora à majoribus segregantur: sed contra dixit. ABSCIDIT. Propter metrum, *ci* corripit per poëticum morem.

INTERLVIT. Interlabitur, pontus scilicet. ÆSTV. Æstum poëtæ maris angustiis * artari ideo appellant, quod ibi commotione reciproci cursus, mare videatur æstuare.

DEXTRVM SCYLLA LATVS, LÆVVM IMPLACATA CHARYBDIS. De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia est: Charybdis in Sicilia. Scylla autem ipsa Phorci & Cretidis Nymphæ filia fuit. Hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat. Is, quoniam pronior in Scyllam fuerat, irata Circe, fontem in quo illa consueverat se abluere, corrupit venenis: in quem illa cum descendisset, pube tenus in varias mutata est formas. Horrens itaque suam deformitatem, se præcipitavit in maria. Alii à Glauco cum sperneretur à Scylla rogatam Circen, & jam ita ut legatur mutatam dicunt. Alii à Neptuno amatam cum illa Glaucum amaret rivalitatis dolore in hoc monstrum mutatam. Homerus hanc dicit immortale monstrum fuisse. Salustius saxum esse dicit, simile formæ celebratæ procul visentibus. Canes vero & lupi ob hoc ex ea nati esse finguntur: quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, & saxorum asperitas illic imitatur latratus. Sane alia Scylla fuit de qua in Bucolicis plenius dictum est. Legimus etjam, *Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.* Si ergo PLANGVNT dicimus, & LATRANT non incongrue posuit. CHARYBDIS autem in Siciliæ parte posita, fœmina fuit voracissima, ex Neptuno & Terra genita, quæ quia boves Herculis rapuit, fulminata à Iove est, & in mare præcipitata. Vnde naturam pristinam servat. Nam sorbet universa quæ prehendit: & secundum Salustium ea circa Tauromenitanum egerit litus. De hac Cicero in Philippicis, ait, *Charybdis quæ si fuit animal, fuit unum in Philippicis.*

OBSIDET. Ad transeuntium insidias. BARATHRI. Barathrum est immensæ altitudinis nomen. Vnde sequitur, *Sorbet in abruptum*: quod Græce βάραθρον dicitur. TER GVRGITE VASTO. Aut ter pro sæpe posuit, finitum pro infinito; aut ter, uno die.

ALTERNOS. Singulos, non omnes simul, ut II. Aeneid. *Vix hostem alterni si congrediamur habemus*; aut *alternos* vicissim, quia accipit ut vomat; rursus vomit, ut accipiat.

COHIBET SPELVNCA. Hypallage in sensu: nam ipsa se tenet intra speluncam secundum fabulam.

TRAHENTEM. Salustius, *Quod forte in lata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad littora trahit.* Ergo & sorbet, & trahit. & detrahit. Salustio.

PRIMA. Nominativus est pluralis à neutro, & est Græca figura, τὰ πρῶτα ἀνθρώπου.

PVBE TENVS. Tenus præpositio ablativa quidem est, sed figurate etiam genitivo cohæret: ut, *Et crurum tenus à mento palearia pendent.* Sane gaudet postpositione. PISTRIX. Si navem intelligas, pristis hujus pristis facit: si de belua, hæc pistrix, hujus pistricis facit.

DONATI.

TER GVRGITE VASTO SORBET. Vtrumque perniciosum navigantibus, aut cum sorbet navigium, aut cum eructat & excutit.

SCYLLAM. Hanc ut monstrum more Poëtarum describit, scilicet pube tenus, id est, usque ad inguina facie humana est: pro pedibus autem habere sævorum animalium genus, luporum scilicet feritate armatum. Eligit autem animalium naturam, quæ insatiabilia sunt. Cæterum locus est in mari saxa habens latentia, cujus natura sit, ut de longinquis partibus navigia trahat, & contineat asperitate saxorum; & retenta comminuat.

VARIORVM.

TER GVRGITE VASTOS. Non numerum sed vehementiam fluctuum notat. nam compertum est bis tantum in die fieri. Secutus est autem Homerum, quem Strabo primus excusat. TAVBMAN.

ET SYDERA VERBERAT. ὑπερβολικῶς vim Charybdis extollit, & profecto in altum, quos profundissima voragine absorbuerat, fluctus emittit, ita ut naturam Charybdis Virgilius melius etiam quam Homerus, expressisse videatur. NASCIMB.

PRIMA HOMINIS FACIES. Cælium lib. 14. cap. 3. lege. HARTVNG.

Delphi-

Delphinum caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, siqua est Heleno prudentia vati,
Siqua fides, animum si veris implet Apollo:
Vnum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo.
Iunonis magnæ primum prece numen adora:
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittère relicta.
Huc ubi delatus, Cumæam accesseris urbem,

SERVII.

COMMISSA LVPORVM. Conjuncta & coagmentata: ipsa scilicet. ut, *Portam quæ ducis imperio commissa recludunt.* Et figurate locutus est: ut, *Oculos suffusa.* Est autem hæc elocutio postremum, unde est τὸ ἑξῆς commissa erat luporum utero caudas delphinum, id est commissas habebat. Et quidam volunt *commissa* dici, quæ diu excisa junguntur. PRÆSTAT. Melius est.

CESSANTEM. Morantem: quod sequentia indicant, *Longos & circumflectere cursus.* Terentius, *Si abis usquam, aut ubi si cesses.* Sed alibi, *Quid illic natus cessat cum Syra.*

INFORMEM. Hic, quæ confusæ sit formæ. Alibi deformem: *nec sum adeo informis.* Alibi Monstrum ut, *Monstrum informe ingens*, quod humanam excedat formam.

CÆRVLEIS CANIBVS. Variavit nunc canes dicendo, cum supra dixit lupos.

PRÆTEREA. Hinc ostenditur cuncta scire Helenum, & jam infensam Iunonem: sed prohiberi dicere, ut diximus supra. HELENO PRVDENTIA VATI. In homine prudentia est: in vatibus fides. SI VERIS IMPLET APOLLO. Id est, si veris implet oraculis: ut Lucanus, *Atque hominem tota sibi dicere jussit Pectore.*

IVNONIS MAGNÆ. Id est supernæ: nam legimus, *Iunoni inferna dictus sacer.* PRECE NVMEN ADORA.

IVNONI CANE VOTA LIBENS. Cane autem de historia est, nam & bello Punico matrimi & patrimi cantaverunt Iunoni, & bene tria posuit, quæ ad religionem pertinent, prece, votis, donis.

DOMINAM. Hic abusive dominam Iunonem appellavit, cum proprium hoc nomen matris deûm sit.

VICTOR. Propositi tui effector: ut, *Illi victor ego, & Tyrio conspectus in auro.*

CVMÆAM VRBEM. Eubœa insula est: de cujus civitate Calchide, incolæ profecti sunt ad novas sedes quærendas: & haud longe à Baiis (qui locus à socio Vlyssis Baio illic sepulto nomen accepit) invenerunt vacuum littus, ubi visa muliere gravida civitatem condiderunt: quæ res fœcundam ostendebat fore rempub. & eam Cumas vocaverunt: sive ab ἐγκύῳ id est prægnante: sive ἀπὸ τῶν κυμάτων, id est ab undis. Nam κύματα dicuntur. υ autem Latini in u vertunt: ut byrria, burria. Cymæam autem urbem, sicut Buthroti arcem, fontem Timavi.

DONATI.

PRÆSTAT METAS. Propositis utriusque lateris malis, indicat eundum qua Charybdis est, malum levius, & labores subire longioris cursus, quam compendio navigare per Scyllam.

SEMEL. Quia iterum videri, cum perieris non potes.

PRÆTEREA Dicturus rem magnam, & ad Æneæ salutem inprimis pertinentem, commendat altis sensibus tenaciter retinendam. PRVDENTIA. Quod ad eum pertinet, cum nondum numine percitus sit.

FIDES. Hoc pertinet ad personam vatis,

PRÆQVE OMNIBVS. Pro commodo omnium desideriorum.

IVNONIS MAGNÆ. Ostendit Poëta majoris potentiæ inimicos obsequendo potius, quam resistendo posse superari. Quapropter precibus & donis placandam admonet Iunonem, ut possit in Italiam venire.

VARIORVM.

PRECE NVMEN ADORA. Receptissimus & velut solennis deos adorantium mos fuit, eminus stantes manum porrigere, eamque statim reverenter ad os suum referre & suaviari. Vnde Latinis censeo formatum verbum *adorandi*, quia scilicet manus ad ora admoverent. LIPSIVS Elect. 2. cap. 26.

IVNONI CANE VOTA LIBENS. Tribus hisce coluntur maximè dii, precibus, votis, donis. Illud *libens* putant quidam eruditi insinuare formulam antiquam dedicationum, LIB. MER. pro, libens merito. Cum vota dicantur suscipi, concipi, nuncupari, fieri, cur eum jubet vota canere? nisi quia ad morem respicit deos precandi carminibus. PONTANVS.

Divinosque lacus, & Averna sonantia sylvis:
Insanam vatem aspicies; qua rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas, & nomina mandat.
Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit janua frondes:
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odêre Sibyllæ.
Hic tibi, nequa moræ fuerint dispendia tanti:
Quamvis increpitent socii, & vi cursus in altum
Vela vocent, possisque sinus implere secundos:

S E R V I I.

DIVINOSQVE LACVS. Consecratos, Avernum & Lucrinum. Avernus autem, in plurali numero Averna facit: ut tartarus, tartara. unde &, *Averna sonantia sylvis.* Sane hic lacus ante sylvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias, aquæ sulphureæ odor gravissimus supervolantes aves necaret. Vnde & Avernus dictus est, quasi ἄορνος: quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis sylvis, ex pestilentibus, amœna reddidit loca.

INSANAM VATEM. Alii MAGNAM dicunt: quia duo genera vaticinandi sunt, aut simplex, ut Heleni; aut per furorem, ut Sibyllæ: Quia vates à vi mentis appellatos, Varro auctor est: sed melius deo plenam, & vaticinatricem intelligimus: A Græcorum tractum etymologia, qui μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellaverunt: nam supra sensus humanos intelligentia, furor & insania dicitur, teste Cicerone de Divinatione: *Huic præstantissimæ rei nomen, nostri à divis; Græci, ut Plato interpretatur, à furore duxerunt; prorsus furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati*; Vnde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Virgilius: *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* SVB IMA. In ima: ut, *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo*: &, *Exercet sub sole labor.*

FATA CANIT: FOLIISQVE NOTAS ET NOMINA MANDAT. Tribus modis ait futura prædicta: aut voce, aut scriptura, aut signis, id est quibusdam notis, ut in obeliscis Romæ videmus: vel, ut alii dicunt, notis litterarum: ut per unam litteram significet aliquid. In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere, testatur Varro.

FOLIIS. Palmæ. NOTAS. Literas. NOMINA. Verba. CARMINA VIRGO. Quævis responsa versibus scribebantur. Virgo vero Phemonoe dicta est. nam Sibylla appellativum est nomen: adeo ut Varro quot Sibyllæ fuerint, scripserit. Sibylla autem dicitur omnis puella, cujus pectus numen recipit: nam Æoli σιὺς dicunt deos: βουλὴ autem sententia: ergo σιβύλλας quasi σιυβουλὰς dixerunt. Inde est, *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* Sane sciendum omnia responsa Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus. Vnde Virgilius ait, *Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum: Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.* DIGERIT. Ordinat, disponit.

IN NVMERVM. In ordinem, ut continuatio carminum fiat; unde est, *Numeros memini si verba tenerem.* SECLVSA. Pro inclusa: præpositio pro præpositione.

CARDINE VERSO. Aperta janua, per Periphrasim.

TVRBAVIT IANVA FRONDES. Non janua: sed ventus qui per januam ingreditur.

SITVS. Positiones & ordines: alibi *situ*, vetustate: ut, *En ego victa situ*: alibi squalore, *Per loca senta situ.*

INCONSVLTI. Inscii rerum, ignari, sine consilio. Sine responso, quibus consultum non esset; ut inconsultos, incautos dicimus, qui sine consilio aliquid adgrediuntur.

NEQVA MORÆ. Nequa pro non, aut nulla, id est nullum damnum te ex mora fecisse credideris.

VELA VOCENT. Valde nove.

D O N A T I.

INSANAM Plenam numinis. Morem dixit Sibyllæ, & in quo loco sit, & quo ordine singulorum desideriis respondeat. Scribit in foliis, ordinat, & dimittit, homines in illis futura legunt. Sed si vento perturbatur ordo foliorum, pereunt consulta, & dubii remanent qui venerant consulturi.

V A R I O R V M.

INSANAM VATEM ASPICIES. Proverb. *Folium Sibyllæ.* HARTVNG.

REVOCARE SITVS. στιχίζειν: versus in ordinem & numerum digerere. TAVBMAN.

Quin

Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas:
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,

SERVII.

ORACVLA. Fata, responsa.

IPSA CANAT. Ne te mittat ad ea quæ in foliis notat. VOLENS. Quæ velle habet. Nam volitura, propter asperitatem sermonis noluit dicere. Aut *volens*, quia cogi non potest si nolit, ut in sacrificiis: *Vis volens propitiusque.*

ILLA TIBI ITALIÆ POPVLOS. Bene hæc ad Sibyllam distulit, quia ipse de cursu tantum interrogatus est, & quia *bella* terribile nomen intulerat, statim evadendi spem adjecit, *Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem.*

VENERATA. Quam tu veneratus sis, vel venerata pro te deos, id est, rogatis pro te diis.

HÆC SVNT, QVÆ NOSTRA LICEAT TE VOCE MONERI. Bene cum præscriptione, ne falsidicus vel minus peritus postea putaretur.

AMICO EST. Poëta divinus peritiam suam inventa occasione semper ostendit, *effatus* ergo verbo augurali usus est, quia scit loca sacra, id est ab auguribus inaugurata, *effata* dici: Ergo religioso verbo voluit uti, qui potuit dicere: *Quæ postquam vates sic ore est fatus amico.* Effatio dicta ex prolocutione quod ubique loquimur, famur.

GRAVIA. Verum aurea, an quibus non totis aureis addito auro pondus accesserit? & GRAVIA, A, finalitatis ratione producitur: sed satis aspere. Nam in nullam desinit consonantem: ut, *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* Et, *At tibi Thymbre caput Evandrius abstulit ensis.* ELEPHANTO. Pro ebore posuit, Græce dixit.

STIPAT. Densat. Vnde stipatores dicuntur, qui in navibus componunt. à stipa.

DODONÆOS. id est, Epiroticos. A civitate Epiri Dodona laudavit: à regione, ut vasa Corinthia: quidam dicunt ita, ubi æs optime fusum, sicut & apud Corinthum, vel Dodoneos, quales sunt in templo Dodonei Iovis; hæc autem regio in finibus Ætolorum est, ubi Iovi & Veneri templum à veteribus fuerat consecratum. Circa hoc templum quercus immanis fuisse dicitur, ex cujus radicibus fons manabat, qui suo murmure instinctu deorum diversis oracula reddebat: quæ murmura, anus Pelias nomine interpretata hominibus disserebat. Sed cum hic ordo oraculorum per multa tempora stetisset, ab Arce latrone Illyrio excidi quercus præcepta est. Vnde factum est ut postea fatidica murmura cessaverint. Narratur & aliter fabula. Iuppiter quondam Hebæ filiæ tribuit duas columbas humanam vocem edentes, quarum altera provolavit in Dodonæ glandiferam sylvam Epiri, ibique consedit in arbore altissima, præcepitque ei qui tum eam succidebat, ut ab sacrata quercu ferrum sacrilegum submoveret: ibi oraculum Iovis constitutum est, in quo sunt vasa ænea, quæ uno tactu universa solebant sonare. Altera autem columba pervenit in Libyam, & ibi consedit super caput arietis, præcepitque ut Iovis Ammonis oraculum constitueretur.

LEBETAS. Ollas æreas. Græce dixit: Zemas enim vulgare est, non latinum.

DONATI.

ILLA TIBI. Edicet illa, quæ ego prohibeor aperire, quæ bella sint ventura, & quomodo singulos labores vel tolerando transeas, vel superando compescas.

VADE AGE & INGENTEM. Quædam prædicit ut vates, quædam admonuit ut amicus, cessantibus partibus vatis.

STIPAT. Largitorem præcipuum indicat, qui tantum donasset argenti, quantum naves nisi stiparet, capere non possent.

VARIORVM.

IPSA CANAT. Ne omnino scribat in palmarum foliis: nam ea res periculum inanis operæ habitura esset. HORT.

ILLA TIBI ITALIÆ POPVLOS. Causa ab utili: Illa tibi mores & ingenium gentis, cum qua tibi negotium erit, edisseret: compendio ostendet, quæ bella cum quibus populis erunt gerenda. Postremo viam tibi monstrabit, qua pericula & res dubias declines: qua ratione in perplexa fortuna animum infractum habeas, & bene speres. HORT.

SECTOQVE ELEPHANTO. Hom. Odyss. 18. & 19. πριστοῦ ἐλέφαντος. Plinium lege lib. 8. c. 10. & lib. 16. c. 43. HART.

INGENS ARGENTVM. Cælius lib. 19. c. 13.

LEBETES. Proverb. *Dodonæum æs.* HART.

Loricam

Loricam consertam hamis, auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comanteis,
Arma Neoptolemi. sunt & sua dona parenti.
Addit equos, additque duces:
Remigium supplet: socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis:
Et tamen hanc Pelago præterlabare necesse est:

SERVII.

HAMIS AVROQVE. Hamis aureis, per Endyadim. Hamis autem catenis, vel circulis significat, TRILICEM. Trino nexu intextam.

ET CONVM INSIGNIS GALEÆ, CRISTASQVE COMANTEIS. Proprie, sicut dictum est, Græcorum erant, ut, *Deinde comantem Androgei galeam*, & est participium *comantes* notum, non enim est verbum como.

DVCES. Itineris scilicet equorum, vel quos vulgo agasones vocamus, ut, *Effunditque ducem*: alii duces itinerum accipiunt CONVM, autem, à parte totum: nam *conus* est curvatura, quæ in galea prominet: super quam cristæ sunt. *Cone* tamen appellationem sciendum à Græco tractum.

SVA DONA PARENTI. Id est, Anchisæ: SVA autem, congrua meritis, apta ætati.

REMIGIVM SVPPLET. Bene verbo militiæ usus est, ut supplementum diceret: nam multos in Creta perdiderat.

VELIS APTARE IVBEBAT. Subaudis socios, à superioribus, & bene servat τὸ πρέπον, ut ubique Anchisen inducat in navigationem; ut, *Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.*

FERENTI. Pro secundo flanti, vel cum flare cœpisset.

ANCHISA. Bene cum Veneri libidinem non objicit, dicendo conjugium, majorem honorem Anchisæ tribuit. Anchisa autem vocativus hic non est latinus, nam brevis esset A, ut Catilina. Græcus est ergo, de quo valde apud eos quæritur, quemadmodum exeat ab his nominibus, quæ in ES mittunt nominativum. Nam Tydides Tydide facit: ut, *Danaum fortissime gentis Tydide.* Atrides cum sit simile, Atrida facit: ut Horatius, *Nequis humasse velit Ajacem Atrida vetas Cur*; Tale est ergo Anchisa. Sane apud Latinos horum nominum causa manifesta est: nam nominativus ipse in A mutatur, & recipit Latinam declinationem: ut, Atrides Atrida; Scythes Scytha. DIGNATE. Digne habite, digne judicate. Nam modo non agentis habet, sed patientis imaginem: unde est in primo, *Haud equidem tali me dignor honore.*

CVRA DEVM. id est, Amor. ut alibi, *Veneris justissima cura.* BIS PERGAMEIS EREPTE RVINIS. Probavit curam deorum. Et sciendum rhetorica esse argumenta, quæ à contrariis laudant. Quod enim Anchises infœlicitatis putavit; ut, *Satis una superque Vidimus excidia*: hoc iste argumento convertit in laudem. BIS autem, propter Herculem & Græcos, qui expugnavere Trojanos.

ECCE TIBI. Aut vacat TIBI; ut in Tullio, *Qui mihi accubantes in conviviis.* Aut certe altius dictum est TIBI; ac si diceret, qui Italiæ hanc tantum visurus est partem, non etiam eam quam Æneæ fata promittunt; aut certe TIBI, id est quod ad te attinet, nam ita veteres ponebant, ut Terentius in Adelphis, *En tibi autem: quid est, lupus in fabula*: & cur ut Æneæ non dicit, aut sufficere putat quæ illi vaticinatus est, ut retineat illa: aut ambobus dicit ad unum loquendo.

PRÆTERLABARE NECESSE EST. Prænavigas, & bene positum, *necesse est*, ne fatigato, longæ navigationis denunciatio dura videretur.

DONATI.

LORICAM. Et dona quæ augeant suas opes dat, & ea quibus se ab hoste tuetur, & omnia cum decoro: & dicit arma fuisse illius qui Trojam vicerat, ut sit insultatio, arma victum ferre victoris.

SVA. Ætati convenientia.

SOCIOS. Nullum indonatum reliquit, dans quæ competebant viris fortibus.

DIGNATE. Quasi, qui dignus sit inventus qui filiæ Iovis jungeretur.

BIS PERGAMEIS. Ostendit, quod sit cura Deûm, qui cum debilis esset, liberatus tamen sit periculis patriæ, in qua perierunt viri fortes.

VARIORVM.

CRISTASQVE COMANTES. Vide Lipsium de Militia Rom. lib. 3. Dialog. 5.

BIS PERGAMEIS. EREPTE. De Troja bis captâ, Ovid. lib. 11. Homer. Iliad. 5. Ἰλίου ἐξαλάπαξε πόλιν· de Hercule loquens. Euripides in Andromache. Sophocles in calce Philoctetes. HART.

Auso-

Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, ô fœlix nati pietate. quid ultra
Provehor, & fando surgenteis demoror Austros?
Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtegmine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem: nec cedit honori;
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromaches testentur amorem
Conjugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum,

SERVII.

AVSONIÆ. Italiæ, à Rege Ausonio. ARRIPE. Invade. Illic enim est sacrificaturus. Et tamen *ἀπαγγελτον* est, non enim præmisit, quanquam vicina sit. QVAM PANDIT APOLLO. Laurolaviniæ agrum significat: ad quem venturus est.

VADE, AIT. Bis hæc est in Virgilio iteratio; ut in hoc loco. Nam cum supra *compellat* dixerit, intulit modo AIT. Item in quinto cum præmiserit, *Fidam sic fatur ad aurem*: subjecit rursus: *Et sese ostendat in armis. Dic ait.* O FOELIX NATI PIETATE. Latenter ostendit mortem futuram. Non enim ait felicem vitæ longinquitate, vel adventu ad Italiam: sed tantum nati pietate: quasi qui poterit exequiarum munus implere.

PROVEHOR. Sermone progredior: ut ostendunt sequentia. DEMOROR AVSTROS. Id est vos demoror, quo minus ventis utamini.

SVPREMO. Vltimo: postquam eorum desperabat aspectum.

PICTVRATAS. Participium sine verbi origine; vel à fœminino genere derivatum, pro pictas, id est pictura decoratas. AVRI SVBTEGMINE. Id est filo, quod intra stamen currit: quod Persius tramam dixit, *Mihi trama figuræ Est reliqua: ast illi tremat omento popa venter.* Nam male quidam subtegmen stamen accipiunt, quum stamen de auro esse non possit.

ET PHRYGIAM ASCANIO CHLAMYDEM. Aut acu pictam. Hujus enim artis peritos, Phrygiones dicimus secundum Plautum. In Phrygia enim inventa est hæc ars. Aut ob hoc addidit Phrygiam, quasi per quam patriæ memoria retineretur. NEC CEDIT HONORI. Id est tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim honoris est non cedere, parem esse meritis accipientis. Scaurus HONORE legit: & intelligit, honore non cedit Heleno, qui patri ejus vel avo donaverit multa.

TEXTILIBVS. Sibi congruis. Quid enim magis conveniebat donare mulierem?

ACCIPE ET HÆC. Aut intelligimus ante à se aliqua fuisse donata: aut certe secundum jus locutus est. Omnia enim quæ vel avus, vel pater acceperat, ad Ascanium hæreditatis jure deveniunt. An ET HÆC, Præter illa quæ Helenus tibi dedit? MONVMENTA. Memoria. Monumenta autem à mentis admonitione sunt dicta.

LONGVM AMOREM. Et de præterito & de futuro, ut agnoscas quantum te vel amaverim, vel amatura sim. Potest & pro diu accipi.

CONIVGIS HECTOREÆ. Dictum est hoc, habita ratione personæ, cum qua loquebatur: ac si diceret uxoris avunculi tui. EXTREMA TVORVM. Vt quæ Ilio extulit. vel sicut supra, *Digressu mœsta supremo.*

DONATI.

NEC CEDIT HONORI. Duo notat in Chlamyde: & quod esset sibi solatio, quia esset de originalibus terris: & quod conveniret honori Ascanii, nam digna fuit qua uteretur. Tali etiam dignus Ascanius, qui tantam rem applicaret usibus suis. Sunt enim quidam abjecti, qui utuntur vestibus sibi non convenientibus: sunt rursus adeo excellentes, ut cum suis vestibus pari honore contendant. Laudavit autem solam Chlamydem, cætera generaliter dixit.

ONERAT. Vt in Heleno dixit, *stipatque carinis.* Ille vir fortis donat aurum, argentum, arma viro forti. Hæc mulier donat puero textilia. Ergo habuit rationem personarum. Hæc etiam duo genera munerum ponit: Chlamydem auri subtegmine variatam, quæ esset ex antiquis. Item alia munera quæ non essent tanti precii, sed suis manibus. Vnde cum hæc offerret, dixit: *accipe & hæc*, præter Chlamydem & prædicta: ut alterum haberet precium, alterum amoris religionem & dantis affinis affectum. Ergo si non valent dona, valeat persona Andromaches, tui avunculi uxoris.

VARIORVM.

VADE AIT, O FELIX. Clausula, à valedicendi formula. Et obiter senem laudat à pietate filii HORTENS.

AVRI SVBSTEGMINE VESTES. *Subtemine* alii: item alii *substemine* legunt, quod posterius mihi probatur, quia *stamen* & *substemen* sapere Græcam derivationem videntur, ἀπὸ τοῦ στήμονος καὶ ὑποστήμονος. GERMAN.

NEC CEDIT HONORI. Scaurus & Pomponius legunt, *nec cedit honore*: & intelligunt. honore non cedit Heleno, qui patri ejus, vel avo multa donaverit. Phrasis hujus dignitatem notat Scalig. lib. 4. c. 16. *Nec cedit honore*, id est, si non superat, saltem æquat. TAVBMAN.

O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.
Hos ego digrediens lachrymis affabar obortis;
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum;
Arva neque Ausoniæ, semper cedentia retro,
Quærenda: effigiem Xanthi, Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus: melioribus opto
Auspiciis, & quæ fuerit minus obvia Grajis.
Si quando Tybrim, vicinaque Tybridis arva

SERVII.

O MIHI SOLA MEI SVPER ASTYANACTIS IMAGO. Super, id est valde, vehementer, expresse: hoc est, valde mihi es imago Astyanactis. quo sermone etiam Homerus in simili utitur significatione; vel deest VT *sitque superest*, id est, restet, ut in octavo: *Neque enim fuga jam super ulla pericli est.* Fabula autem de Astyanacte ista est: Superato Ilio cum Græci ad patriam redituri contrariis flatibus prohiberentur, Calchas cecinit dejiciendum ex muris Astyanacta, Hectoris & Andromachæ filium, eo quod si adolevisset, fortior patre futurus, vindicaturus esset patris interitum. Hunc Vlyxes occultatum à matre, cum invenisset præcipitavit è muro, & ita Græci Troja profecti sunt.

PVBESCERET ÆVO. Vt etiam in secundo diximus, proœconomia est; ut verisimile sit, Ascanium in octavo potuisse jam bella tractare.

DIGREDIENS. Pro cum digrederer, participium pro verbo modi conjunctivi.

VIVITE FOELICES. Vivite modo, bene optantis est; ut in Bucolicis, malè dicentis: *Vivite sylvæ*, id est perite. Simile est & valere: ut Terentius, *Valeant, qui inter nos dissidium volunt.* Sunt autem hæc per contrarium inventa maledicta, ut sit quasi amara veneratio. Illud quæritur utrum vive, an vivas, id est, utrum per imperativum dicere debeamus; & constat dici melius per optativum. Optari enim possunt, non imperari, vel bona, vel adversa. quod autem invenimus per imperativum, usurpatum est. FORTVNA PERACTA IAM SVA. Id est dura, propria Trojanorum: ut, *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.* PERACTA. Prostrata.

ARANDVM. Findendum, ut, *Longæ sulcant vada salsa carinæ*, sulcus enim proprie aratri est.

SEMPER CEDENTIA RETRO. ut, *Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.*

QVAM VESTRÆ FECERE MANVS. Quod est dulcius.

ET QVÆ FVERIT MINVS OBVIA GRAIIS. Id est quæ nullum patiatur excidium. Alii FVERINT legunt: & volunt esse maledictum in Græcos, ut ad auspicia referas; quòd non procedit. Nec enim de hoc agebatur. *Obvia* autem obnoxia, inimica, contraria.

SI QVANDO TYBRIN. Fluvium: pro quo regem ipsum posuit Tybrin, qui in hunc cecidit fluvium, & nomen dedit. Nam antea Albula dicebatur: ut ostendit in septimo Virgilius. Alii volunt non Tybrin cecidisse: sed Tyberinum regem Albanorum: à quo Tyberis dictus est. Vt autem Tybris dicatur, hæc ratio est; Quodam tempore Syracusani victores Atheniensium, ceperunt Syracusis ingentem hostium multitudinem, & eam cæsis montibus fecerunt addere munimenta civitati. Tunc auctis muris etiam fossa intrinsecus facta est: quæ flumine admisso, repleta munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur fossam per hostium pœnam, & injuriam factam, Ybrin vocaverant ἀπὸ τῆς ὕβρεως. Postea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, ubi nunc Roma est, usque Rutulos & Ardeam. Vnde est, *Fines super usque Sicanos.* & Albulam fluvium ad imaginem fossæ Syracusanæ Tybrin vocaverunt, quasi ὕβριν: ut, EFFIGIEM XANTHI TROIAMQVE VIDETIS. Circa Syracusas autem esse Ibrin fossam nomine, Theocritus meminit.

DONATI.

LACHRYMIS AFFABAR. Non poterat ab iis, qui & cives, & in se liberales essent, sine lachrymis discedere.

VIVITE FELICES. Feliciter vivere dicit, manere ociosam in eodem loco, & adversa fortunæ ulterius non timere. Sibi autem omnia contraria esse ostendit.

CEDENTIA RETRO. Impossibilia dicit, sed per illa suum tædium exprimit, qui tot annos laboriose periculoseque navigans, nondum veniebat quo pervenire cupiebat.

VARIORVM.

SIC OCVLOS, SIC ILLE MANVS. Macrobius lib. 5. cap. 6. Homer. Odyss. δ. κείνου τοιοίδε πόδες τοιαίδε τε χεῖρες, ὀφθαλμῶν τε βολαὶ, κεφαλή τ' ἐφύπερθέ τε χαῖται. Cælius lib. 29. cap. 24. HARTVNG.

AEVA NEQVE AVSONIÆ. Floridus in libello de Iuris interpretibus. HARTVNG.

Intra-

Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:
Cognatasque urbes olim, populosque propinquos
Epiro, Hesperia quibus idem Dardanus author,
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Trojam animis: maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimus optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos, passimque in littore sicco
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
Nec dum orbem medium nox horis acta subibat;
Haud segnis strato surgit Palinurus, & omneis
Explorat ventos, atque auribus aëra captat.
Sydera cuncta notat tacito labentia cælo:

SERVII.

GENTIQUE MEÆ. Bene genti suæ dicit, non sibi: Scit enim Ascanio regna deberi victa fatisque incensa. DATA MOENIA CERNAM, COGNATASQUE URBES OLIM. Quandoque, & per omnia CERNAM subaudis. Sensus autem talis est, Si potuero ad Italiam pervenire, & regna constituere, & dividere urbes, & populos tibi cognatos. Nam & Æneas & Helenus, à Dardano orginem ducunt: Ergo hoc dicit, Quoniam & ab uno originem ducimus; & iisdem casibus subjacuimus.

TROIAM UTRAMQ. Id est quam & tu fecisti, & ego facturus sum, jungamus, & faciamus unam: sed ANIMIS. hoc est fœdere & affectione: quoniam revera eas natura non sinit jungi. Quamvis quidam dubitant utrum genere, an loci proximitate propinquos dixerit. Sane quoniam occurrebat humanæ brevitas vitæ, bene subjunxit, MANEAT NOSTROS EA CURA NEPOTES. Distinguendum autem *populosque propinquos Epiro*: & sequentibus ostendit quomodo. HESPERIA. Id est quibus populis author est Dardanus. Hesperia autem ἑσπερόθεν, (nam Græce dixit) & est de loco adverbium, *Dardanus Hesperiam tenuit*. Figura enim nonnunquam pulchra est, si elocutio imperfecta sit: ut, Cicero in Verrinis, *Qui Verrem Romulia.* non addit, *tribu*: COGNATAS VERO URBES. Quidam in honorem Augusti dictum accipiunt. Is enim cum in Epiro Nicopolim conderet, cavit in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur à Romanis.

PROVEHIMUR PELAGO. Id est Buthrotio derelicto. VICINA CERAUNIA IUXTA. Ceraunia montes Epyri à crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Unde Horatius expressius dixit, *Acroceraunia*, propter altitudinem & fulminum jactus.

CURSUSQUE BREVISSIMUS. Adeo ut medio noctis spatio transfretaverit.

OPTATÆ TELLURIS. Quæ à navigantibus semper optatur.

SORTITI REMOS. Quia remigium suppletum erat. Et *sortitis*, per sortem divisi ad officia remigandi, qui esset proreta, quis pedem teneret. PASSIM. Prout quis voluit. LITTORE SICCO. Ad discretionem illius quod aqua alluitur.

HORIS ACTA. Per horas decurrens. SUBIBAT. Bene subibat, post sextam enim horam descendit.

AURIBUS AERA CAPTAT. Naturale enim est, ut à qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat.

SYDERA CUNCTA NOTAT. Ideo cuncta, quia in prognosticis legitur non sufficere unum signum ad explorandam futuram serenitatem. NOTAT autem, ut Tullius, *Notat & designat oculis*, id est diligenter intuetur. TACITO COELO. Aut nocturno, per quod tacetur: aut ipse tacitus: aut certe ad homines retulit. Nam licet æternus sit axium sonus, tamen à nobis non auditur. Ergo quantum ad nos, tacitum dixit. LABENTIA. Cursu scilicet mundi, neque enim ventis feruntur, sicut de planetis dicitur: Ergo *labentia*, tanquam labentia, nunquam enim loco moventur.

VARIORUM.

COGNATAS URBES OLIM, &c. Sensus est: *Cognatasque urbes*, duas scilicet Trojas: *populosque propinquos*, alterum scilicet ab Hesperia, alterum ab Epiro: *quibus idem Dardanus auctor*, *Atque idem casus*, eadem calamitas fuit; olim faciemus Trojam unam animis; *maneat nostros ea cura nepotes*, quod factum fuit: quia Buthrotii colonia deducta, cives Romani fuerunt. MODICIUS c. 30.

POPULOSQUE PROPINQUOS. Nannius Miscell. 7. cap. 12.

HAUD SEGNIS. Hunc locum ita transtulit Virg. ut Homero superior videatur. Macrob. l. 5. c. 11.

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno;
Dat clarum è puppi signum: nos castra movemus,
Tentamusque viam, & velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis aurora fugatis:
Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates:
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratêra corona
Induit, implevitque mero: divosque vocavit
Stans celsa in puppi.
Dii, maris & terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.

SERVII.

ARCTURUM. Stella est post ursum in Boote signo.

ARMATUMQUE AURO CIRCUMSPICIT ORIONA. Bene armatum auro, quia & balteus ejus & gladius, clarissimis fingitur stellis. Sic Lucanus, *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Et sciendum non hoc eum intueri, ut cernat signa quæ omnibus patent: sed explorare stellarum vigorem, quo futura indicatur serenitas: ut in Georgicis, *Nam neque tunc stellis acies obtusa videtur.* Ipsum autem Orionem etiam tempestates significare si fuerit obscurus, alibi ostendit: *Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion.* Si autem quærebat quasi non orta, nequaquam procedit: cum etiam Septentriones dixerit, qui semper videntur, PLUVIASQUE HYADAS. Id est pluviosas. Salustius, *Consedit in valle virgulta nemorosaque*, virgulta pro virgultosa. Quidam autem arcturum, vel pluvias hyadas accipiunt, quia non utraque uno tempore oriuntur; quod si ita est, erit QUE pro VE. TRIONES. Id est Septentriones. duos, id est Cynosuram & Hellicen. Varro autem ait, boves triones dici, & hæc signa etiam plaustra dicuntur, quæ bobus necessario trahi solent, ut Græci ἄρκτον ἅμαξαν. CIRCUMSPICIT ORIONA. Aut quærit cernere, aut diu contemplatur.

COELO CONSTARE SERENO. Id est omnia videt habere cœlum, quæ significant serenitatem. *Constare* autem, suppetere: ut Iuvenalis: *Quis ferat uxorem, cui constant omnia?*

CLARUM SIGNUM. Faculam elevavit: ut, *Flammas cum regia puppis Extulerat.* CASTRA MOVEMUS. Castra sunt ubi miles steterit. Modo tamen classem significat, quia & castra nautica dicuntur. Dicta autem *castra*, quasi casta: Vel quod illic castraretur libido. Nam nunquam his intererat mulier.

TENTAMUSQUE VIAM. Id est naves produximus. PANDIMUS ALAS. Contos intendimus.

HUMILEMQUE VIDEMUS ITALIAM. Aut naturam provinciæ ostendit: quod verum est in illo transitu: ut Salustius, *Italia plana ac mollis.* Aut rem physicam exprimit: quia omne quod continetur, altius est ab eo quod continet. Aut quia procul visentibus, terra humilis semper videtur: ut Lucanus, *Et dubios cernit vanescere montes.* CONCLAMAT. valde, aut sæpius clamat. ITALIAM. Tautologia usus est ad exprimendum affectum navigantum.

SALUTANT. Quidam pro adorant tradunt, ut deos salutare.

CORONA INDUIT. Aut usque ad summum implevit: aut revera coronavit. MERO. Hic vino: alias merum quod nihil admixtum habet.

DII MARIS. Per quod navigo. TERRÆ. Ad quam iturus sum. TEMPESTATUM. Ventorum, aurarum, temporum, serenitatis: ut, *Unde hæc tam clara repente Tempestas?* Nam multa significat.

VENTO Septimus casus. SPIRATE. Et ad ventum pertinet, & ad favorem: ut, *Adspirat primo fortuna labori.*

DONATI.

HUMILEM ITALIAM. Non est Italia humilis, sed quia etiam alta navigantibus, cum longe apparent, videntur humilia.

VARIORUM.

ARMATUMQUE AURO. Cur autem *auro armatum* dicat Virgilius, alii aliud afferunt. Ego suspicor id dici, quia ejus sidus per auram apparuerit clarissimum & fulgentissimum. Firmat hoc Varro: *Aurora dicitur ante* Solis ortum: ab eo, quod ab igne Solis tum aureo aër aurescit. TAUBMAN.

DAT CLARUM E PUPPI SIGNUM. Non faculam elevatam, ut Servius: sed vocale signum, intellige strepitum tubæ, quo excitarentur dormientes, qui muto signo excitati non fuissent. NASC.

Digitized by Google

Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Iam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt socii, & proras ad littora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum:
Objectæ salsa spumant aspergine cautes:
Ipse latet, gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli: refugitque à littore templum.
Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchises; Bellum ô terra hospita portas:

SERVII.

CREBRESCUNT OPTATÆ AURÆ. Sonant. Magnum hic Anchisæ ostenditur meritum. PATESCIT. Propinquantibus, ut, *Et angusti rarescunt claustra Pelori.*

APPARET IN ARCE MINERVÆ. Hic dubium est utrum Minervæ templum, an in arce Minervæ debeamus accipere. Sane Calabria ante Messapia vocata est; hoc autem templum Idomenæus condidisse dicitur, quod etiam Castrum vocatur.

EOO. Euroo, Ab eo quod est Eurous fluctus, ablativum Euroo per derivationem debemus accipere. CURVATUS IN ARCUM. In arcus similitudinem: ut, *Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum*, id est in antri similitudinem. Sic de Ponto Salustius, *Vnde hic tulit colorem, nam speciem efficit Scythici arcus.* IPSE LATET. Re vera procul intuentibus. Vnde est, *Portusque patescit*. Nam secundum Donatum, LATE PATET, non stat versus.

TURRITI SCOPULI. In modum, in similitudinem turrium, ut, *Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cælum scopuli.* REFUGITQUE A LITTORE TEMPLUM. Ædificia vicina litoribus longe intuenti videntur in mari, quæ accedentibus quasi recedere & retro se agere putantur: vel quia situm est in colle, qui sensim crescit à litore. Ideo dixit REFUGIT. Tale est, *Terræque urbesque recedunt.*

PRIMUM. Aut quale nunquam antea viderat: aut antequam aliud videret, aut certe quia sequitur porcæ albæ omen. Alii vero tondentes primum campum volunt, id est primam partem campi. Sane figurate *Equos omen*, diversa enim significatione id omen dixit. Sed multi de libris augurum tractum tradunt: Iuge id enim dicitur augurium, quod ex junctis jumentis fiat. Observatur enim ne prodituro magistratui disjunctis bobus plaustrum obviam veniat: quod Virgilius oblique ad equos transtulit, quos cum solutos vidisset Anchises, quem auguriorum peritum fuisse non dubium est, ait, *bellum ô terra hospita portas, Bello armantur.* Dicendo armenta, oblique intelligit boves quos vitaverat dicere, & ne plaustrum nominaret ait *currus*, cum autem dicit *Iugo*, veram significationem *Iugetis* facit. Sed quia in libris Etruscis invenitur etiam equos bona auspicia dare, Subjunxit, *Spes est pacis*, ait.

CANDORE NIVALI. Pro candoris nivalis, ablativum pro genitivo: & hoc ad victoriæ omen pertinet. Simul notandum, Anchisen omnem habere divinandi peritiam. Hinc est illud, *Divinique ossa parentis.*

TERRA HOSPITA. Vsurpative HOSPITA dixit: quæ enim in ES exeunt, communia esse possunt. Nam fœmininum in A non mittunt. Lucanus, *Hospes in externis audivit curia tectis.* Nec mirum, abusum esse Virgilium: quum & Plautus paupera dixerit: ab eo quod est hic & hæc pauper, ut, *Pauperque senatus.* Item, *Pauperque domus, nec nota potentum Munera.*

DONATI.

CREBRESCUNT. Apparet petitionis fructus:

FERTE VIAM FACILEM. Præbete facilem viam.

IN ARCE. In altitudine.

LEGUNT. Verbum nautis familiare: nam funes & vela cum colligunt, vel aliqua loca cum transeunt, *legere* appellant.

AURA. Naturaliter dixit. Aura enim nascitur cum primum exoritur lux, quam supra induxit nascentem.

PORTUS. Ab oriente, qua fluctibus portus infestari poterat, magnas natura objecit cautes. Ergo latet portus: quia fluctus illum reperire nequeunt. CAUTES autem sunt in formam brachiorum.

REFUGIT. constitutis in portu non apparet templum, quia obstant scopuli.

HIC PRIMUM. Honesta elocutio pascentes campum, & non pascentes herbam in campo: & cum dicit quibus herbis pascerentur, ostendit sola gramina illic fuisse.

CANDORE NIVALI. Ostendit & equos, & niveos, & constitutos in magna ubertate.

VARIORUM.

QUATUOR EQUOS, TONDENTES CAMPUM. Hoc è veterum religione dixit, equos consecratos, vagos esse dimissos: quæ enim animalia sacrabant diis, ea è manu dimittebant, mancipioque suo abjudicabant, ac ea suo juri, libertatique reddebant, quæ & ζῶα ἄφετα à Græcis ideo vocabantur. Equos enim consecratos Minervæ puto fuisse quatuor hos, currum velut quadrigum Minervæ aliquando subituros, aut etiam simulantes. TURNEB. lib. 2. cap 27.

Digitized by Google

Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre:
Spes est pacis, ait. tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ovantes:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptisque Heleni dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum:
Grajugenumque domos, suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti

SERVII.

BELLO ARMANTVR EQVI. Hic bello dativus est, & ratiocinationis est. ARMENTA. Armenta dicta sunt quasi apta armis. Nam & equi intersunt præliis: boves armant ex coriis.

SED TAMEN. Anacoluthon: Nam QVAMQVAM non præmisit. OLIM. Infiniti temporis. CVRRV. Pro currui, dativus vetus.

SPES EST PACIS, AIT. Ostendit latenter vincere posse Trojanos, dicendo supra, *Curru succedere sueti.* Et, *Iugo sueti.* & cum præmisisset de bello, post ait de pace, ut id magis remaneret in mentibus.

PALLADIS ARMISONÆ. Bene post belli omen, armorum deam precatur: quanquam hoc quoque templum visum ad omen pertineat.

PHRYGIO VELAMVR AMICTV. Sicut dictum est propter visum vel Diomeden, vel Vlyxen, quando ei Palladium redditum est.

DEDERAT QVÆ MAXIMA. Vel propter caput velandum, vel ad illud pertinet, quod ait, *Preque omnibus unum Prædicam*, hoc est ut supplicet Iunoni. RITE. Recte, secundum ritum: unde sequitur, *Perfectis ordine votis.*

IVNONI ARGIVÆ. Id est magnæ: ut, *Iunonis magnæ dat inimica Trojanis.*

HAVD MORA CONTINVO. Vnum de his sermonibus vacat.

VELATARVM. Quia antennæ involutæ sunt velo, id est velatæ, & est versus Spondazon.

GRAIVGENVMQVE DOMOS. Sic est dictum, quemadmodum Trojugena. Et sciendum sacrificii tantum caussa eos tetigisse Calabriam: ubi dicuntur accepisse Palladium, sicut dictum est à Diomede, vel Vlyxe, nec immerito dubitatur. Vt enim in secundo legimus, ambo rapuerant. *Domos* autem ideo quod Helenus, *Cuncta malis habitantur mœnia Grajis.*

HERCVLEI (SI VERA EST FAMA) TARENTI. Fabula talis est, Lacones & Athenienses diu inter se bella tractarunt: cum utraque pars affligeretur, Lacones quibus juventus deerat, præceperunt ut virgines cum quibuscunque concumberent. Quo factum est, ut cum post sedata bella juventus incertis parentibus nata, & patriam erubesceret, & sibi esset opprobrio (nam Partheniæ dicebantur) accepto duce Phalanto octavo ab Hercule, profecti sunt: delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt: & prisco nomine appellarunt Tarentum. Bene ergo nunc Herculei Tarenti. Est & alius fabulæ ordo: Lacedæmonii cum adversus Messenios bellum haberent, solis senibus relictis, omnem juventutem eduxerunt, juraveruntque se non ante reversuros quam Messeniam expugnassent. Sed cum victores reversi essent, vidissentque multitudinem juvenum, qui ex servorum & dominarum virginum concubitu, ut quidam volunt, sine ullo discrimine nuptiarum nati erant, servos patibulis suffixerunt, filios strangulavere, nepotes fugaverunt: Sed alii dicunt, timentes ne qua ex illis discordia nasceretur, pueros qui ex virginibus nati erant Parthenias vocaverunt, & Phalantum eis Ducem constituerunt. Sed hi cum venissent in Italiam, à quodam sepulchro, cui inscriptum erat Taræ nomen, urbem conditam Tarentum dixerunt. Hoc autem oppidum, post multos annos excidii Iliensis, conditum quidam dicunt. Alii dicunt, quod sicut supra memoratum, nepotibus Lacedæmoniorum fugatis à nomine ducis Taræ Herculis filii, Tarentum dictum. Quidam Tarentum ante Satyrium dictum tradunt, & ab Herculis filio Tarento post Tarentum dictum. Alii Herculeum appellatum volunt, quia Heraclidæ Lacedæmoniorum reges. Bene ergo, si vera est fama, aut quia Taras condiderat, auxerat Phalantus, aut ab Herculis filio conditum sit Tarentum, in quo molles & luxuriosi nascuntur, & hæc consuetudo Poëtæ est, ut ubi de incertis dubitat, famam faciat auctorem.

DONATI.

BELLO ARMANTVR EQVI. Non quia equo Troja perierit, ut quidam ridicule dicunt, sed doctrina sua equos ostendere bella dixit.

PALLADIS ARMISONÆ. Ad alia signa belli, accedit templum armatæ Palladis, quam meritò orat, ut prosperum faceret, si quid adversi immineret, & ovantes dimitteret, quos ovantes acceperat.

ANTE ARAS. Vt ostendat præter preces etiam munera fuisse, dicit aras fuisse in navi quæ non erant, ut demonstret aram dici posse, ubicunque sacrificatur.

Cerni-

Digitized by Google

Cernitur: attollit ſe diva Lacinia contra,
Caulonïſque arces, & navifragum Scylacæum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:
Et gemitum ingentem pelagi, pulſataque ſaxa
Audimus longe, fractaſque ad littora voces:
Exultantque vada, atque æſtu miſcentur arenæ.
Et pater Anchiſes: nimirum hæc illa Charybdis,
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.
Eripite ò ſocii, pariterque inſurgite remis.
Haud minus ac juſſi faciunt: primuſque rudentem
Contorſit lævas proram Palinurus ad undas:
Lævam cuncta cohors remis, ventiſque petivit.
Tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad Manes imos deſcendimus unda.

S E R V I I.

ATTOLLIT SE. Quia adpropinquantibus, aut recedere montes videntur, aut ſurgere. DIVA LACINIA CONTRA. Iunonis Laciniæ templum, ſecundum quoſdam, à rege conditore dictum: ſecundum alios à latrone Lacino, quem illic Hercules occidit: & loco expiato Iunoni templum conſtituit. Alii à promontorio Lacinio, quod Iunoni Thetis dono dederat, quod ante Troicum bellum collatitia pecunia reges populique fecerunt. Quidam dicunt templum hoc Iunonis, à Lacinio rege appellatum, cui dabat ſuperbiam mater Cyrene & Hercules fugatus, namque eum poſt Geſſonem extinctum de Hiſpanis revertentem hoſpitio dicitur recipere noluiſſe, & in titulum repulſionis ejus, templum Iunoni tanquam novercæ, cujus odio Hercules laborabat, condidiſſe: In hoc templo illud miraculi fuiſſe dicitur, ut ſi quis ferro in tegula templi, ipſius nomen incideret, tamdiu illa ſcriptura maneret, quamdiu is homo viveret, qui illud ſcripſiſſet.

CAVLONISQVE ARCES. Caulon mons eſt Calabriæ: Horatius, *Et amicus Caulon fertilis Baccho*: In quo oppidum fuit à Locris conditum, quod ſecundum Yginum, qui ſcripſit de ſitu urbium Italicarum olim non eſt. Alii à Caulo Clitæ Amazonis filio conditum tradunt. NAVIFRAGVM SCYLACÆVM. Periculoſum navibus. Dictum Scylacæum, aut à tactu, vel à periculi ſimilitudine. Nam inde Scylla longe eſt. Alii dicunt Vlyxen poſt naufragium in Italia de navium fragmentis civitatem ſibi feciſſe, quam Navifragum Scylacæum nominavit. Alii ab Athenienſibus qui cum Mneſtheo duce venerant, & à Libya redierant, conditum tradunt.

ET GEMITVM INGENTEM PELAGI. Videtur delatus primo ad fretum: poſtea ad Ætnam reverſus. FRACTAS. Nimias: ut, *Fractos ſonitus imitata tubarum.* Vel *fractas*, cum fragore venientes. RVDENTEM. Si rudentem proram, id eſt, ſtridentem & ſonantem in tempeſtate: ut eſt, *Et ſera ſub nocte rudentum.*

ÆSTV MISCENTVR ARENÆ. Deſcripſit loca Charybdi vicina: quod eſſe credidit ex periculi magnitudine.

NIMIRVM. Niſi fallor. ILLA. Hoc pronomine & in venerativa, & in vituperativa ſignificatione, veteres utebantur, ut hic, *Illa*, id eſt periculoſa, deteſtabilis. Venerative autem: ut, *Sic pater ille deûm faciat.*

HÆC SAXA HORRENDA CANEBAT. Retulit ſe ad hiſtoriam. Nam pro SCYLLA, ſaxa dixit horrenda.

ERIPITE. De pericu[illegible] & deeſt nos.

LÆVAS AD VNDAS. De Ionio venientibus aliter non procedit.

CVNCTA COHORS. Quia ſuperius dixit, *Nos caſtra movemus.*

GVRGITE. Pro fluctu. AD MANES IMOS. Poëtica hyperbole.

D O N A T I.

SOCIOS. Nam commune ubi periculum eſt, omnibus laborandum eſt.

V A R I O R V M.

DIVA LACINIA. Id eſt templum Iunonis Laciniæ, hoc eſt, quæ in oppido Lacinio, quod hodie *Caput columnarum* appellant. colebatur; quo in loco & urbis & templi veſtigia adhuc apparere, tradit N.

CAVLONISQVE ARCES. Stephanus author eſt, Cauloniam oppidum *Aulonem* quondam eſſe dictum, nec aliter Horat. 2. Ode 6. & Martial. lib. 13. Epigr. 125. TAVBMAN.

NAVIFRAGVM SCYLACÆVM. Hanc lectionem defendit Turnebus, adductus hac auctoritate Papinii, Thebaid. lib. 5.

Pronam navifragis avidam concurrere ſaxis,

quod eum vocum Maronianarum imitatorem familiarem exiſtimet. Alii aliter hic legunt; ut & Scaliger quem vide lib. 2. cap. 31. Poët. GERMAN.

RAMIS VENTISQVE. Proverb. *Remis veliſque.* HARTVNG.

Ter

Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedêre:
Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum Sole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & sydera lambit:
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus

SERVII.

SCOPVLI CLAMOREM. De historia, ut supra diximus, hoc traxit. Vndæ etenim illisæ concavis saxis imitantur latratus.

ELISAM. Exclusam, expressam: ut, *Elisos oculos & siccum sanguine guttur.* RORANTIA ASTRA. Eum scilicet locum in quo astra sunt, per diem non videbant. *Rorantia* autem pro inrorata, id est quæ inrorabantur: à qua hac significatione, non est apud Latinos participium. Sane hyperbole est.

VENTVS CVM [illegible]E. Ventorum enim mutationem necesse est [illegible] vel oriente Sole, vel occidente.

IGNARIQVE VIÆ, CYCLOPVM ALLABIMVR ORIS. Vt, *Servatum ex undis, Strophadum me littora primum Accipiunt,* similis enim est sensus. CYCLOPVM. *clo* habet accentum, quia Latina declinatio est in accusativo: quia Græce posuit Cyclopas, *cy* habet accentum: si Cyclôpes, *clo* habet accentum.

AB ACCESSV. Id est in accessu.

TONAT ÆTNA RVINIS. Sensus est, portus quidam securos nos faciebat, deest enim, *quidem*, sed Ætna terrebat, & causa hujus incendii secundum Ætnam Virgilii hæc est: Sunt terræ desudantes sulphur, ut pene totus tractus Campaniæ, ubi est Vesuvius & Gaurus montes: quod indicat odor aquarum calentium. Item, novimus ex aquæ motu ventum creari. Esse etiam concavas terras Ætnam constat: ab ea parte qua Eurus vel Africus flant, habere speluncas & plenas sulphuris, & usque ad mare deductas. Hæ speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant: qui agitatus ignem gignit ex sulphure. Vnde est quod videtur incendium. Hoc autem verum esse illa comprobat ratio: quia & aliis flantibus ventis, nihil ex se mittit, & pro modo flatuum Euri, vel Africi, interdum fumum, interdum favillas, nonnunquam vomit incendia: quod & hoc loco ostendit: nam effectum indicat, supprimit causas.

PRORVMPIT AD ÆTHERA NVBEM. Id est evomit & fundit; & est nova locutio; nec enim possumus dicere prorumpo illam rem, potuit enim recte dici, *nubes prorumpit.* Sane tota hæc descriptio poëtica est.

CANDENTE FAVILLA. Id est scintillis: & bona periphrasi. Nam favilla deserta igni scintilla. Quamvis sæpe viderimus de Ætna sicut nigrum fumum, ita & candidum & pinguem manare.

VISCERA MONTIS. Id est partes. sic autem dixit viscera, quemadmodum terræ ossa dicuntur.

ERVCTANS. Ructo, ructas tantum facit: sicut Cicero, *Eructant sermonibus suis cædem bonorum.* Virgilius, *Atque omnem Cocyto eructat arenam.* Horatius usurpavit, *Hic dum sublimes versus ructatur.* LIQVEFACTAQVE SAXA. Putris, decocta in modum calcis.

FVNDO IMO. Ab imo: & reddit causam latenter. Inde enim ventus ex aqua natus erumpit.

FAMA EST. Bene fabulosam rem dicturus excusat. Nam re vera nisi quæ de gigantibus legimus, fabulosa acceperimus, ratio non procedit. Nam cum in Flegra Thessaliæ loco pugnasse dicantur, quemadmodum est in Sicilia Enceladus: Othus in Creta secundum Salustium, unde Othii campi: Typhœus in Campania, ut, *Inarime Iovis imperiis imposta Typhœo*: Sed Varro dicit in diluvio aliquos ad montes confugisse cum utensilibus: qui lacessiti postea bello ab his, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt. unde fictum est, ut dii superiores dicerentur: Inferiores vero, terrigenæ. Et quia de humilibus ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes. SEMVSTVM. Pro semiustum, Et sciendum sic poni, quasi semianimis sit Enceladus: unde est, *Motat latus.* Simul ponitur secundum fabulam caussa, quasi ex fulmine sit illic natum incendium.

DONATI.

FAMA EST. Rectè inducit Aeneam iis quæ fabulosa erant dicentem: fama est, ne se authorem rerum impossibilium faciat.

Vrgeri

Digitized by Google

Vrgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis:
Et, feſſum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum ſubtexere fumo.
Noctem illam tecti in ſylvis immania monſtra
Perferimus, nec quæ ſonitum det cauſſa videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra
Syderea polus: obſcuro ſed nubila cœlo,
Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera jamque dies primo ſurgebat Eôo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum ſubito è ſylvis, macie confecta ſuprema,
Ignoti nova forma viri, miſerandaque cultu
Procedit, ſupplexque manus ad littora tendit.

SERVII.

CAMINVS. Fornacibus Græce dixit.

MOTAT. Movet. Nam ſi MVTAT legeris, dat refectionem labori. *Motat* frequenter movet, quamvis alii *mutat* accipiunt, ut eſt: *Et terruit auſter euntes.*

NOCTEM ILLAM. Melius per accuſativum dixit.

VIDEMVS. Mente vel oculis.

NAM NEQVE ERANT ASTRORVM IGNES. Bene *ignes*, quia de Ætna loquebatur, ut magis flammæ ejus manifeſtæ fierent cœlo lucente. IN NIMBO. Proprie nimbus eſt qui deorum vel imperantium capita quaſi clara nebula ambire fingitur.

ÆTHRA SYDEREA POLVS. Per æthram ſyderéam, hoc eſt per ſplendorem ætheris. Sane *æther* eſt ipſum elementum, *æthra* vero ſplendor ætheris. Sciendum eſt Homerum & ætherem & aërem communis generis dicere: quod de aëre nos non poſſumus dicere. De æthere, æthra factum eſt. Et ſecundum rationem iſtam poteſt & æther & æthra unum eſſe; ut nunc ſit pro æthere ſydereo.

NOX INTEMPESTA. Media. Hoc eſt nimium obſcura. *Intempeſta*, dicta eſt nox media. Intempeſtiva, Inactuoſa, carens actibus, per quod tempora dignoſcimus. Ait enim Lucretius, quia per ſe tempus non intelligitur niſi per actus humanos. Medium autem noctis tempus actu caret. Ergo INTEMPESTA, inactuoſa, quaſi ſine tempore: hoc eſt ſine actu, per quem dignoſcitur tempus. Vnde eſt, *intempeſtive veniſti*, id eſt ἀκαίρως. Ergo *intempeſta* dicitur: quia caret tempore. Sane noctis ſeptem tempora ponuntur, Crepuſculum, quod & Veſper: Fax, quo lumina incenduntur: Concubium, quo nos quieti damus: Intempeſta, id eſt media: Gallicinium, quo galli cantant: Conticinium, poſt cantum gallorum: Silentium, Aurora vel crepuſculum Matutinum, tempus quod ante Solem eſt. TENEBAT. Quaſi curſum ejus denſitate ſui nimbi inhiberet.

HVMENTEMQVE. Hic participium poſitum eſt verbo carens, ergo *humentem* pro humidam, quoniam noctu ros cadit. AVRORA POLO DIMOVERAT VMBRAM. Hyſteroproteron in ſenſu. Ante enim aurora eſt, ſic dies. Vmbram vero, quia nox umbra terræ dicitur.

CVM SVBITO E SYLVIS. Arguitur in hac Achæmenidis deſcriptione Virgilius, negligentiæ Homericæ narrationis: Vlyxes enim inter initia erroris ſui ad Cyclopas venit, quemadmodum ergo Æneas poſt ſeptimum annum, quam à Troja profectus eſt, ſocium Vlyxis invenit, præſertim cum eum tribus menſibus in regione Cyclopum dicat moratum, & mox Æneas de Sicilia ad Africam veniſſe dicatur. SVPREMA. Pro plurima.

NOVA FORMA VIRI. Bene formam dixit, non hominem, & eſt periphraſis pro ignotus vir. *Nova* autem fugienda, aliter alibi. *Quis novus hic noſtris*, id eſt, inſperatus: Idem, *Subitoque novum conſurgere bellum*, id eſt, deteſtandum. Item, *Vere novo*, id eſt, incipiente: Item, *quo lacte novo*, id eſt recenti: Item, *Comitum adfluxiſſe novorum*, hoc eſt ignotorum.

CVLTV. Pro habitu.

DONATI.

IGNOTI NOVA. Non idem, ignoti & nova forma. Nam *nova forma* pertinet ad id quod infrà de cultu & ejus ſordibus dicetur: *Ignoti* autem, quem revera neſciſſent.

VARIORVM.

IGNOTI NOVA FORMA VIRI. Quaſi ab homine fere in belluam deformati, quemque hominem fuiſſe neges, ſed tantum hominis ſpeciem, larvam & imitationem, ut infra: *formæ magnorum ululare luporum*: quod ficti ſimulatique lupi eſſent. GERMAN.

Respicimus: dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegmen spinis: at cætera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul; paulum aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad littora præceps
Cum fletu, precibusque tulit: Per sydera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile numen:
Tollite me Teucri; quascumque abducite terras.
Hoc sat erit: scio me Danais è classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite Ponto.
Si pereo, manibus hominum, periisse juvabit.

SERVII.

ILLVVIES DIRA. Sordes terra. IMMISSAQVE BARBA. Quidam barbam majorem, luctus indicium à Virgilio positum reprehendunt, cum Heroes non fuerint soliti tondere barbam. An *immissam*, neglectam & impexam accipimus?

CONSERTVM TEGMEN SPINIS. Inligatum spinis. Hinc est in Terentio. *Video quendam sentum.* AT CÆTERA GRAIVS. Habet enim unaquæque gens incessum, & vocem propriam. Sane cætera Grajus, Græca locutio est, ut Salust. *Sanctus alia.*

AD TROIAM MISSVS. Aut ex sequenti ejus confessione hoc didicit: aut Græcum esse colligitur ex tr- datione: ut Terentius; *Nescio quid peccati porta- ec purgatio.*

HÆSIT. Dubitavit. SESE. Pronomen compositum, nam *sese* duo pronomina sunt.

PRÆCEPS. Sine respectu salutis, scilicet postquam Cyclopum graviora cogitavit pericula. Sane brevis ei quasi timenti, prima datur oratio.

TESTOR. Quæso, obtestor.

SPIRABILE. Vitale, quo spiramus: & est sermo Ciceronis, quanquam ille spiritabile dixerit in libris de deorum natura.

QVASCVMQVE. Quo eat non cogitat, eorum comparatione quæ fugit. HOC SAT ERIT. Vitasse Cyclopas.

SCIO. Modo confiteor. E CLASSIBVS. Ex equitibus modo, ut est, Et, *Ortinæ classes*, id est equites.

PETIISSE. Caussa metri addidit syllabam: ut, *Nos abiisse rati.*

TANTA EST. Vt non possit fortunæ præsentis qualitate molliri,

SPARGITE. Hoc est dilacerate: & quia nec sævius, nec celerius aliud fieri potest, nova brevitate usus est.

HOMINVM MANIBVS, PERIISSE IVVABIT. Oblique loquitur. Nam vult ostendere hominum hanc non esse crudelitatem.

DONATI.

RESPICIMVS. Quia non audiebatur vox rogantis. IMMISSA. Vltra modum grandis.

CONSERTVM. Continuatum spinis, non enim textum erat spinis, sed spinis frusta pannorum continentibus, consertum illius fuerat tegmen.

AD TROIAM. Gravius Trojanis, quod talem viderent inimicum.

MOX. Vbi metum vicit necessitas.

PER SYDERA TESTOR. Cum procul esset, se gestu supplicem exhibuit, mox propinquus factus, preces adhibuit & lachrymas: confitetur originem, ut misericordiam captet.

SPARGITE. In partes scilicet divisum, quod ne fieret crudelitas facti descripta est.

SI PEREO. Ostendit male vivere. nam si pereo, dixit, & non, cum periero.

VARIORVM.

AT CÆTERA GRAIVS. Figurata locutio, pro quantum ad cætera: hoc est ex reliquo habitu satis constabat, illum esse Graium. NASCIMB.

CONSERTVM TEGMEN SPINIS. Turneb. lib.22. cap.12.

PER SIDERA TESTOR. Oratio Achæmenidis deprecatoria, non vitam salutemque precatur (nam se Græcum esse fatetur) sed tantum ut de eo loco tollatur, ne aut ferarum dentibus dilaniretur, aut à Cyclopibus devoretur: ex obtestatione præcationis exordium sumit: unde oritur commiserationis affectus, qui ad Troja[illegible]rum benevolentiam conciliandam plurimum valet. NASCIMB.

ATQVE HOC COELI SPIRABILE NVMEN. Vel quo vivimus & spiramus, vel quod vitam in se & spiritum habet. Cic. 1. Tuscul. *illam vero funditus eiciamus individuorum corporum levium & rotundorum concursionem fortuitam, quam Democritus concalefactam & spirabilem esse voluit*: intelligit autem vel Solem vel aërem. NASCIMB.

Dixerat;

Digitized by Google

Dixerat: & genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat. Qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur: quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat juveni, atque animum præſenti pignore firmat.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infœlicis Vlyſſei,
Nomine Achæmenides, Trojam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetque utinam fortuna) profectus.

SERVII.

GENVA AMPLEXVS. Phyſici dicunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes: ut aurem Memoriæ. Hinc eſt, *Cynthius aurem Vellit; & admonuit.* Frontem, Genio. Vnde venerantes deum, tangimus frontem. Dextram, Fidei. Vnde paulo poſt. *Atque animum præſenti pignore firmat.* Genua, Miſericordiæ: unde hæc tangunt rogantes. Sane ſicut frequenter dictum eſt, etiam hic oſtenditur ſubtiliter Anchiſen & Ænean, tam Pontificatus, quam Flaminii Iuris & peritos, & præſules fuiſſe. Iure autem Pontificali, ſi quis Flamini pedes, vel genua fuiſſet amplexus, verberari non licebat: hoc eo præcipiebatur, ne eſſet ullum præpedimentum religionis, quominus ſecundis numinibus inſerviretur; aut eſſet importunitas in profanis locis aliquantiſper morandi. Quod hic diligenter exſequi videtur de Achemenide, qui poſt preces habitas genua amplexus genibus volutans hærebat, in quo more, vel præpetimenti * verbum procul dubio eſt, tum quod & ipſe genibus volutabat, vel quod genua amplexus etiam religione habebatur, quo in loco ſatis non fuit nulla verbera adhibita, niſi etiam fides data eſſet, qua ſecuritas confirmaretur veniæ conceſſæ illis verſibus: *Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus, Dat juveni, atque animum præſenti pignore firmat:* Neque enim oportebat tardius immorari profanis cognitionibus, cum precatio cæleſtium deorum interpoſita, daret curam obſervandæ religionis: dixerat enim, *Per ſydera teſtor, Per ſuperos atque hoc cæli ſpirabile numen,* eaque propter, addidit, *Haud multa moratus,* ut celeritas conceſſionis piaculum nullum poſſet admittere. Ipſum Achemeniden hinc poſſumus æſtimare, magis verbera timuiſſe, quam mortem, propter confeſſionem, ut diceret, *Spargite me in fluctus vaſtoque immergite ponto. Si pereo manibus hominum periiſſe juvabit.* Denique poſt hæc addidit. *Ille hæc depoſita tandem formidine fatur.*

QVI SIT, FARI. Per omnia ſubaudis, HORTAMVR.

QVI SIT autem, hoc eſt quis Græcorum ſit, id eſt, cujus filius ſit, ut etiam reſpondet. Nam jam ſe dixerat Græcum.

AGITET FORTVNA, FATERI. Hortamur fateri, quæ eum fortuna vexet: ut, *Agitataque numina Troiæ.*

HAVD MVLTA MORATVS. Nimiæ benignitatis eſt, non exſpectare plurimas preces.

PRÆSENTI PIGNORE FIRMAT. Quod ad hoc tempus poterat dari, id eſt, manuum conjunctione, qua firmabantur amicitiæ: ut, *Cur dextræ jungere dextram Non datur?* Et, *Iungimus hoſpitio dextras.*

SVM PATRIA EX ITHACA. Circumſtantias omnes exſequitur; loci, perſonæ, temporum: & licet rhetorice agit hic Achemenides quæ dicit: ut, ſollicitat, pauca ſunt, neque enim quicquam illi nocet, niſi quod Græcus. Cætera quæ dixit ut fugiant, tantum narrationem rei geſtæ habent. Plane cum auctu, ut ſit major cauſa miſericordiæ, niſi forte hoc etiam putamus ad recipiendum valere, quod aliquod beneficium prædicendo de Cyclope ſignificat dari, nam infra ait, *Recepto ſupplice ſic merito.*

INFOELICIS VLYSSEI. Quoniam apud hoſtes loquitur, quærit favorem ejus vituperatione, quem ſcit odio eſſe Trojanis. PAVPERE. Nam, ut etiam de Sinone diximus, apud majores hæc fuerat cauſa militiæ; & bene utitur ſtatu veniali, per excuſationem paupertatis. Vt conciliet hoſtium animos, quaſi neceſſitate adverſus eos dimicaverit.

FORTVNA. Priſtina, paupertatis ſcilicet, & perſeverat, ut invitus feciſſe videatur.

DONATI.

ET GENVA AMPLEXVS. Ad preces adhibet obſequium corporis.

FARI. Fari & fateri differunt. nam *fari* eſt ſimpliciter aliquid referre: *fateri* autem eſt, ex neceſſitate, quæ ſecreto contingunt, publicare.

VARIORVM.

IPSE PATER DEXTRAM. Dextra in fide porrigitur. unde illud: *En dextra fideſque.* Euſtath. Il. α. docet, ſolitos eſſe veteres per amicitiam *carpum manus* mutuo, non volam apprehendere. TAVBMAN.

ET GENVA AMPLEXVS. Ex Homero Iliad. 6. deque hac ſupplicandi ritu, Had. Iunius lib. 2. cap. 9. Animadv.

NOMINE ACHÆMENIDES. Fabric. è MSS. legit, *nomen Achæmenides.* Porro Nannius lib. 7. Miſc. legendum contendit *Agamemnides* vel Agamenides: quod ſit dictus ſit ab eventu, quod nimirum diu manſerit in ſpelunca Polyphemi: ad quod Maro ipſe videatur alludere, *Hic me dum trepid.* &c.

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere: domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens: ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (Dii talem terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli;
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna, media resupinus in antro,
Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem, nec talia passus Vlysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum

S E R V I I.

TREPIDI. Festini.

IMMEMORES SOCII. Immemores, dum trepidi: ut per timorem, non per odium relictus fuisse videatur. Nam & causam subjungit timoris, Cyclopis descriptione. Ergo *immemores*, timentes.

DOMVS SANIE. Deest horrida.

NEC VISV FACILIS. Cujus possit etiam aspectus inferre formidinem. NEC DICTV AFFABILIS. Sermone non explicabilis. bene rem exaggeravit post descriptionem.

VISCERIBVS. Viscera proprie carnes sunt. SANGVINE ATRO. Hoc est sanie.

VIDI EGOMET DVO. Homerus quatuor dicit: ergo aut dissentit ab eo, ut etiam in temporibus. Nam ante ad Siciliam Æneas, quam Vlyxes venisse dicitur. Aut certe hoc dicit, duo vidisse: quot autem occiderit, ignorare, per timorem. Alii duo simul dicunt, non enim duo sola addidit.

RESVPINVS. Magnitudo virtutis ostenditur, Quod una manu, quod frangeret, & velut exprimeret elidentem non in terram, sed ad saxum sublimitus quatientem. EXPERSA. Hæc fuit vera lectio, id est madefacta. Nam si ASPERSA dixeris, id est inrorata, Tapinosis & Hyperbole junguntur.

FLVENTIA TABO. Pro fluenti tabo.

TEPIDI. Melius tepidi, quasi adhuc vivi: quam trepidi, id est trementes: ne sit iteratio.

VLYSSES. A solo nomine emphasim fecit. Vnde est quod sequitur, *Oblitusve sui est*. Aliquanti tamen juxta veteres oblitus; id est negligens dictum tradunt. Et est laus quod & in adversis constans, vel quem nemo impune læsisset * vel qui dolo etiam fortiores sæpe vicisset.

ITHACVS, Ithacensis.

SEPVLTVS. Stratus jacens.

IACVITQVE PER ANTRVM. Hoc verbum de Varrone mutuatus est, qui ait. *In lecto temulentos jacere, sobrios cubare consuescere.*

D O N A T I.

OBLITVSVE SVI. Omnes nos vehementer turbati sumus: solus Vlysses natura callidus & usu & ingenio instructus, tantæ crudelitatis visu deterritus non est: nec est *oblitus sui*, id est, non perdidit suam industriam.

NAM SIMVL EXPLETVS. Omnia signa ponit belluæ occasionem ad cædem præbentis. Dederat autem consilium Vlysses, ut unicum illi oculum excæcarent: sed hoc periculosum fuit quamvis dormiret sepultus. ergo precati sunt numina. Et quoniam non idem periculum erat omnibus, varias corporis partes tenentibus, eas inter se sortiti sunt.

V A R I O R V M.

HIC ME DVM TREPIDI. Hactenus genus suum, nomen & nomen patriæ professus est; jam vero ad fortunæ suæ conditionem exponendam accedit; quam verisimilem facit ex navigatione Vlyssis in Trinacriam. NASCIMB.

SANIE DAPIBVSQVE. Macrob. lib. 6. c. 1. Saturnal.

ARDVVS ALTAQVE. Homerus una voce. οὐρανομήκης. HARTVNG.

VIDI EGOMET DVO. Græcum est, pro *duos*. & infra libro undecimo: *Si duo præterea tales Idæa tulisset*. Homer. Odyss. 9. σὺν δὲ δύο μάρψας ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ. Macrob. lib. 5. c. 13. HART.

OBLITVSQVE SVI EST ITHACVS. Cæl. lib. 10. c. 15. HARTVNG.

CERVICEM INFLEXAM POSVIT. ἦ καὶ ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος. Homer. Odyss. 9. HART.

Immen-

Digitized by Google

Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat;
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar:
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite ô miseri, fugite, atque à littore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat:
Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam Lunæ se cornua lumine complent,
Cum vitam in sylvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho: vastosque ab rupe Cyclopas

SERVII.

IMMENSVS. Etiam immensus ad Polyphemi magnitudinem pertinet: quasi in tanto antro jacuerit. ERVCTANS. Cicero, *Eructant sermonibus suis cædem bonorum.* FRVSTA. Cicero in Philippicis, *Frustis esculentis vinum redolentibus.*

SORTITIQVE VICES. Vel partes membrorum, vel qui quo loca staret. VNDIQVE. Pro indiviso. CIRCVM FVNDIMVR. Secundum Homerum, qui dicit alios eum tenuisse, alios obcæcasse oculum. ACVTO. Fuste obusto. Nam secundum istum sensum multi TEREBRAMVS legunt: alii TENEBRAMVS. Telo autem acuto potest & simpliciter accipi.

SOLVM SVB FR. LA. Pro in fronte latebat. Multi Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres: sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit: & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur: id est juxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verum Vlyxes eum prudentia superavit: ob quod eum cæcasse fingitur. LATEBAT. Dormienti scilicet. Nam male sentit Donatus dicens, *Late patebat*, contra metrum. Item dicit capillis tegebatur: aut latebat corporis comparatione. Alii *latebat*, subjectum erat fronti, & intra frontem recesserat tradunt. Absolutus tamen est prior sensus.

ARGOLICI CLYPEI, AVT PHOEBÆ LAMPADIS INSTAR. Vnum magnitudinis est, quia Græcorum clypei rotundi, ut Cato originum ait: Aliud splendoris. Phœbææ autem derivatio est vel à Luna, vel à Sole.

SED FVGITE. Occurrebat, Si cæcus est, cur timetur? Subjungitur non unum esse, sed plures. & bene suam ad monendum gratiam facit, quod illos ultro facere necesse erat. repetitio autem *fugite* necessaria, ut alibi, *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.* O MISERI. Aut blandientis particula est, ut in Terentio, *O misera.* Aut re vera MISERI: qui delati sunt ad Cyclopas.

RVMPITE. Vt festinantes, non solvite, sed rumpite, ut, *Festinate fugam tortosque incidite funes.*

QVALIS QVANTVSQVE. Vnum morum est, aliud corporis.

CENTVM ALII. Id est tales & tanti. CVRVA HÆC HABITANT AD LITTORA VVLGO. Ne tantum in montibus esse putarentur.

VVLGO. Passim. INFANDI CYCLOPES. Inaffabiles, ut supra, *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.*

TERTIA IAM LVNÆ. Bene in desertis locis ex Lunæ ratione colligit tempora. SE COMPLENT. Ideo autem, quia suum non habet lumen, sed accipit à Sole. Et bene auxit misericordiam à tempore.

VITAM IN SYLVIS. Misericordia captatur à loco.

DESERTA FERARVM. Propter feras deserta. LVSTRA. Cubilia. Vnde etiam lupanaria lustra dicimus: ubi habitant lupæ, id est meretrices: dictæ ab obscœnitatis & odoris similitudine. Cicero, *Vino lustrisque confectus.*

VARIORVM.

SANIEM ERVCTANS Homer. Odyss. 9. φάρυγος ἐξέσσυτο οἶνος ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι, ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων. HART.

TELO LVMEN TEREBRAMVS. Hom. Od. 9. δινέομεν, ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ τρυπάνῳ, HART.

SED FVGITE, O MISERI. Floridus lib. 2. cap. 23. HART.

[illegible] sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infœlicem, baccas, lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primum ad littora classem
Conspexi venientem: huic me, quæcunque fuisset
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque absumite letho.
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem.
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
Lanigeræ comitantur oves, ea sola voluptas,
Solamenque mali: de collo fistula pendet.
Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit;
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,

S E R V I I.

SONITVMQVE PEDVM. Ordo figuratus, cum traho, cum prospicio.

BACCAS. Generale est, id est fructus arborum agrestium. LAPIDOSA CORNA. Lapidosa, dura: an quod in saxis nascantur? Ipsa arbor cornus dicitur: pomum vero cornum; inde corna: ut templum, templa.

ADDIXI. Signato verbo exprimit desperationem.

VOS ANIMAM HANC POTIVS. Oblique loquitur, ut supra: Reprehensio enim crudelitatis est, Qui rogat salutem, Et ipse condemnat.

VIX EA FATVS ERAT. Ad probationis gratiam pertinet, quod ea quæ Achemenides adfirmaverat, statim adprobavere Trojani.

MOLE. Molitione, agitatione.

LITTORA NOTA PETENTEM. Nota ante oculorum amissionem potest accipi. Sic Statius in nono, *Sequitur tamen improbus hostem, Qua meminit.*

INFORME. Vltra formam. INGENS. Potest & superioribus & sequentibus jungi, ut sit ingens lumen.

TRVNCA MANVM PINVS REGIT. Cujus cœcitatem manu pinus regit.

SOLAMENQVE MALI. Solatium. hinc Quintilianus dixit, *Magnum solatium cæcitatis est habere rem videntis.*

POSTQVAM ALTOS TETIGIT FLVCTVS, ET AD ÆQVORA VENIT. Hyperbaton in sensu: ut, *Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.* aut Hysteroproteron. Primum enim debuerat dicere, venit ad æquora, deinde, tetigit fluctus.

FLVIDVM. Propter *[illegible]*, fluentem noluit dicere. quod autem dicunt physici de effosso oculo sanguinem nunquam fluere, verum quidem est: sed supra non effossum hujus oculum, sed terebratum legimus. Vnde cum constat necdum fuisse curatum. INDE. Aut de fluctibus, aut de spatio oculi.

D O N A T I.

ADDIXI. Hoc consilio ad vos veni, melius esse manibus hominum perire quam Cyclopum.

NOTA. Exponendum fuit, quomodo cæcus venire potuerit? quia noverat, antequam obcæcaretur.

TRVNCA MANVM PINVS. Tota arbor erat pro baculo.

EA SOLA VOLVPTAS. Voluptatem ex animalibus habuit, cum videbat: cæcus autem, solamen capiebat.

LAVIT CRVOREM. Adhuc enim inflicta cæcitas nova putabatur: cum adhuc funderet sanguinem.

V A R I O R V M.

ADDIXI. Signato verbo desperationem exprimit, ut inquit Servius, nimirum ad vocabulum juris, & unum ex tribus prætoris alludens, quod rem licitatione adjudicare sonat, ἀποκηρύττειν. à qua forensi significatione translatitie etiam de aliis dicitur, ut in disciplina augurandi aves dicuntur *addicere*, quando firmant & ratum augurium faciunt. Livius Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixere. Et *addicere opus alicui*, hoc est redemptori locare faciendum: *& addicta sententia* apud Cicer. vendita: unde & *addicte* adverbium, & *addictio* ἀποκήρυξις. GERMAN.

DE COLLO FISTVLA PENDET. Nec Donatus agnoscit hæc verba, nec Servius, nec in veteribus libris apparent, & præcedentis versus ac hemistichii elegantiam tollunt. Meminerunt ejus fistulæ Ovidius & Theocritus, tacet omnino Homerus. Quare Turnebum lib 28. cap. 15. tam turpiter deceptum miror. PONTAN.

Denti-

Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitique incidere funem:
Verrimus, & proni certantibus æquora remis,
Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo:
Clamorem immensum tollit; quo Pontus & omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.
At genus è sylvis Cyclôpum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & littora complent.

SERVII.

GEMITV. Cum gemitu.

IAM MEDIVM. Altum quam litus, vel plusquam litus, id est unde altum incipit; vel sic altum, ut medium putares. Nam & in quinto sic dixit, *Interea medium Æneas jam classe tenebat, Certus iter:* cum adhuc mœnia respiceret. FLVCTV. Legitur & fluctus.

TREPIDI. Festini: ut, *Ne trepidate meas Teucri defendere naves.* Item, *Accepit trepidos: ac Nisum dicere jussit.* CELERARE. Infinitivum, pro pronuntiativo. RECEPTO. Aut in societatem accepto, aut de periculo liberato, ut, *Frugesque receptas*, & *Medioque ex hoste recepi.*

SIC MERITO. Quia omnia ejus probaverant dicta, ac si diceret, non fallacem, ut Sinonem. Sane quibusdam videtur incongruum Achemenidis nusquam alibi factam mentionem, cum eum hic & salutem merito impetrasse, & ut reciperetur à fugientibus dicat.

AD SONITVM VOCIS. Remorum sonitum vocem dixit. Vox enim est omne quod sonat: sic alibi, *Fractasque ad littora voces.* Nam de hominibus non dixit: quia supra est, *Tacitique incidere funem.* VESTIGIA TORSIT. Bene uno sermone ostendit eum revertentem jam audisse sonum remigii.

DEXTRAM AFFECTARE. Dextram intendere, & injicere scilicet sic ut possit navem tenere. Terentius, *Ad dominam qui adfectant viam*, id est intendunt. Nam si DEXTRA legeris, ut sit DEXTRA CONTINGERE, caret exemplo. *Adfectare* autem quidam dicunt, hoc esse pronum animum habere ad faciendum quid occupandumque: Alii *adfectare*, si dextras legas pro adfectandi accipiunt, ut sit verbi infinitivi modo pro participio.

NEC POTIS. Id est nec potis est. *Potis* autem nomen est. & declinatur potis, potis, poti, potem, potis, à pote, & nomen esse docet ratio comparationis. Nam in superlativo potissimus facit, cui si detraxeris *simus*, invenies nominis positionem, ut acerrimus, acer, fortis. Sic autem ut diximus declinari, compositio ostendit. Nam hujus impotis, compotis, impotem, compotem facit, quod in simplici difficile invenis: per compositionem agnoscis facilius.

IMMENSVM. Magnum, & dictum quod mensura comprehendi non possit.

EXTERRITA TELLVS. Poëtica hyperbole.

CVRVIS CAVERNIS. Echo enim in concavis locis est.

AT GENVS. Figurate, at *genus complent*; ut, *Hic manus ob patriam pugnando.*

EXCITVM. A verbo cio, cis, cit. RVIT. Festinanter venit, ut, *Ruuntque effusi carcere currus.*

DONATI.

GRADITVRQVE PER ÆQVOR. Immensæ proceritatis expressio, gradiebatur in medio mari ut in terra: neque profundi maris latus ejus unda tangebat.

TACITI. Cessante remorum strepitu, & cantilena nautarum: sine qua remi operari non possunt.

SENSIT. Quod non videbat, auribus percepit. nam quamvis silentium adhiberetur, non potuit penitus vacua strepitu esse navigatio.

VARIORVM.

NEC DVM FLVCTVS LATERA ARDVA TINXIT. ὑπερβολικῶς iterum corporis Polyphemi magnitudinem extollit; cujus ardua latera ne profundi quidem maris unda tingere poterat. NASCIMBÆN.

DEXTRAM AFFECTARE POTESTAS. *Affectare dextram*, est magno affectu atque aviditate manum intendere seu injicere, ut navim apprehendat. Sic & affectare viam ad aliquid dicimus. Terent. Phormion. *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.* NASCIMBÆN.

DEXTRAM AFFECTARE. Suspicor gladiatorum vel arenæ vocabulum esse GERMAN.

LITTORA COMPLENT. Admirabili brevitate multitudinem Cyclopum expressit. TAVBM.

Cer-

Cernimus astantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferenteis,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, sylva alta Iovis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela secundis.
Contra, jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam lethi discrimine parvo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori

SERVII.

NEQVICQVAM LVMINE TORVO. Quia nocere non poterant.

ÆTNÆOS FRATRES. Aut similes, aut feritate germanos, aut ejusdem patriæ vel terræ, tanquam matris. Nam non sunt Polyphemi fratres: quem Neptuni filium Homerus dicit. Vnde eo occæcato Vlyxes pertulit tempestatem, qui ad eum venit derelicta Calypso, cum qua decem annis fuerat. Vnde, ut supra diximus, Virgilii dictis dissentit temporum ratio.

COELO. Pro in cœlum. CONIFERÆ. Conum substinentes, & *Conus* dicitur fructus cupressi, & ipsa κωνοειδὴς est. Nam à rotunditate in acumen levatur. CYPARISSI. Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline: vel ut alii, à Sylvano, qui cum elassatus æstu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, cervum quem in deliciis habebat feram credens, per ignorantiam misso telo occidisset, cum fletu nimio & abstinentia cibi ac potionis tabesceret, à misericordia deorum in arborem cupressum conversus est, aptam & consecratam lachrymis & luctibus. Alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum & castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli à Zephyro amatum volunt; qui cum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluvium, & montem Cassum, dicitur pervenisse: atque ibi in Cypressum arborem commutatus, quæ arbor ideo mortuis consecratur, quod cæsa semel nescit renasci.

CONSTITERANT. Metri causa *constiterunt.* SYLVA ALTA IOVIS, LVCVSVE DIANÆ. IOVIS, propter quercum: DIANÆ, propter cupressum: Ipsa enim est etiam Proserpina. Ergo cupressi quasi infernæ, vel quia succisæ non renascuntur; vel quia apud Atticos funestæ domus, hujus fronde velantur. *Inmane* autem quod ait etiam vertice celso, & lucus qui propter religionem intactis arboribus & magis crescunt, diu permanent.

EXCVTERE. Num expedire?

NI TENEANT CVRSVS. Antiqui NI pro NE ponebant, qua particula plenus est Plautus, *Ni mala, ni stulta sis.* Sensus ergo talis est, Timor cogebat ut quocunque navigaremus, & ventum sequeremur, non judicium; sed occurrebat præceptum Heleni vitare Scyllam & Charybdim: Quare placuit *Ni cursus teneant*, hoc est agantur & impleantur inter utramque viam modico mortis interstitio, id est Scyllæ & Charybdis. RETRO DARE LINTEA. Quod dum cogitamus, prosperior nobis flare cœpit Boreas. Nonnulli Scyllam & Charybdim inter distinguunt. ut sit ordo: *Inter Scyllam & Charybdim utramque viam leti discrimine parvo Ni teneant cursus certum est dare lintea retro.* Alius ordo est, *Contra jussa monent Heleni ne inter Scyllam & Charybdin cursum teneam.*

PELORI. Sicilia Græcis ideo Trinacria dicitur, quod tres extremitates quas Græci ἄκρας vocant, in mare videtur extendere, Pachynum quod in Aryciam vertit, Lilybæum quod Africam spectat, Pelorum quod in Tyrrhenum mare procedit. Sed angusta ab sede ideo agitur, quia eminus videntibus eum locum, Italia & Sicilia terra continens putatur, nec nisi ad vicinum accedentibus videtur.

DONATI.

VENTIS SECVNDIS. Id est, sequi quocunque venti ferrent. nam omnes venti secundi sunt, si quo impellant eamus. Est ergo sensus; modò Cyclopas fugeremus, non curabamus quocunque navigaremus. Quod erat contra jussa Heleni, qui vetabat illos temere navigare: sed diligenter vitare Charybdim & Scyllam: sed istorum malorum metu turbati, decrevimus ut velocissimè transiremus.

VARIORVM.

ÆTHNÆOS FRATRES. Allusisse videtur ad Græcam vocem ἀιτναῖος, quæ magnum & immanem significat. Turneb. lib. 24. c. 10. GERMAN.

PRÆCIPITES METVS AGIT. Duplex πάθος à timore, & periculo. nam metu cogebantur eo *rudentes excutere*, id est eo vela intendere, quo ipsi vento impellebantur: sed periculum ingens erat, ne in Scyllam & Charybdim inciderent: cujus pericula vitanda esse Helenus vates eos admonuerat. N.

INTER VTRAMQVE VIAM. Virtutis iter figurate depingitur. HART.

NI TENEANT CVRSVS. *Ni*, pro *ne*. Turneb. lib. 17. cap. 11. antiqua literas affines interse commutandi licentia; de quo Aus. Popma De usu antiq. locut.

Missus

Missus adest: vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Tapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achæmenides, comes infælicis Vlyssi.
Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare; qui nunc,
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur undis.
Numina magna loci jussi veneramur: & inde
Exsupero præpingue solum stagnantis Elori.
Hinc altas cautes, projectaque saxa Pachyni

SERVII.

MISSVS ADEST. Favore scilicet numinum: quia Anchises optaverat dicens, *Ferte viam vento facilem, & spirate secundi*; vel *missus* juxta qualitatem locorum, ita enim in illis angustiis & f[illegible]us maris artari & conglobare spiritus fieri dicitur, [illegible] ad illum locum tantummodo missus videatur. VIVO PRÆTERVEHOR OSTIA SAXO. Pro vivi saxi, ablativum pro genitivo, vel viva saxa habentia: ostia vero aut littora sunt, aut exitus fluminis in mare, aut introitus portus.

PANTAGIÆ. Hic fluvius Siciliæ cum plenus flueret, implebat sonitu pene totam Siciliam. Vnde & Pantagias dictus est, quasi ubique sonans. Hic postea cum Cereri quærenti filiam obstreperet: tacere jussus est numinis voluntate. MEGAROSQVE SINVS. Megara oppidum est juxta Syracusas. TAPSVMQVE IACENTEM. Thapsus insula non longe à Syracusis, plana, pene fluctibus par. TALIA MONSTRABAT. Quia occurrebat, Vnde hæc loca scire potuisti?

RELEGENS. Renavigans. Vt, *Et primi lege littoris oram.* ERRATA. Participium sine verbi origine. Non enim facit error. RETRORSVS. Quasi à fine ad caput retexens.

INFOELICIS VLYSSI. Epitheton ad implendum versum positum more Græco sine respectu negotii. Nam Æneas incongrue infœlicem Vlyxen dicit, nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores & ipse patiatur: & notandum conclusam de Achæmenide mentionem.

PRÆTENTA. Anteposita. IACET. Sita est, ut, *Medio jacet Insula ponto.* CONTRA PLEMMYRIVM VNDOSVM. Quidam insulam, quidam fluvium putant dici. Sane verbum de verbo expressit. Hoc est enim undosum, quod Plemmyrium. Sinus Syracusanus in quo Ortygia, cujus hic necessarie meminit; nondum enim erant conditæ Syracusæ, *undosum* vero, quod usque illuc vestigio æstuantis Charybdis dicitur pervenire.

ORTYGIAM. Hæc tantum Ortygia dicitur, Apollinis vero etiam Delos. Et bene addidit *Priores*, ut hæc quæ nunc est semper appellata sit Ortygia, hæc vero prioribus tantum. FAMA EST HVC ELIDIS AMNEM. Elis & Pisæ civitates sunt Arcadiæ, in qua est fons ingens, qui ex se duos alveos creat, Alpheum & Arethusam. Vnde fit, ut fingantur conjungi in exitu, quos origo conjungit. Arethusam autem etiam in Elide esse testatur Virigilius, dicens, *Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos.* Hæc secundum fabulas venatrix fuit, quæ dum se in Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est. In speciem avis alpheos cognosset latere, * & jam sic eam mutatam presequi cœpit, quæ eum diu fugiens deorum miseratione in fontem sui nominis versa ad Siciliam per secretos meatus venit. Quam Alpheus illuc usque persequutus, fonti ejus se miscet: quod tali argumento probatur, nam cum equi, diebus festis, Olympii Iovis, certantes in eo amne diluuntur, stercus equorum ex eo amne etiam in Arethusa recognoscitur. Patera etiam quam in Alpheum quidam Olympionices miserat, in Arethusa inventa dicitur. Hanc autem venatricem fuisse, quòd etiam Virgilius ostendit, *Et tandem positis velox Arethusa sagittis.* Quidam autem Arethusam non de Elide ad Siciliam venire, sed in Sicilia nasci volunt & venienti fluvio occurrere. ALPHEVM. Quia Græce ἀλφεῖος facit: ut αἰνείας Æneas, μήδεια Medea. ORE. Fonte vivo: bene de fluvio, ut I. Æneid. *Vnde per ora novem.*

IVSSI NVMINA MAGNA LOCI. Vel ab Achæmenide admoniti, vel Anchise, vel ab oraculis, & quæritur, quæ numina, vel quare non dixerit, & utrum Alpheum, an Arethusam intelligi voluerit. *jussi* ergo, admoniti.

STAGNANTIS ELORI. Fluvii qui ad imitationem Nili effunditur campis. Sed Græci stagna Elide dicunt, unde ait, *Stagnantis Elori.* PROIECTA. Prorecta & tenta, ut, *Proiecto dum pede lævo.*

PACHYNI. Promontorium est austrum spectans. Vnde & Pachynum dictum ab aëris crassitudine. nam παχὺς est pinguis & crassus.

VARIORVM.

PROIECTAQVE SAXA. *Proiecta*, si, secundum consuetudinem dicatur, intelligitur objecta: si secundum veteres, *proiecta*, porro jacta, prominentia. GERMAN.

Digitized by Google

Radimus: & fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela, fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Agragas ostentat maxima longe
Mœnia; magnanimûm quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybēia cæcis.
Hinc Drepani me portus & illætabilis ora
Accipit. hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ, casusque levamen,
Amitto Anchisen: hic me pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequicquam erepte periclis.

SERVII.

RADIMUS. Propter saxa latentia. *Radimus* autem, nimium adjuncti prætetimus, ut v. Aeneid. *Radit iter lævum interior.*

CAMERINA PROCUL. Palus est juxta, ejusdem nominis oppidum: de qua, quodam tempore cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent: respondit [illegible]. quo contempto exsiccaverunt paludem: & sedata pestilentia, per eam partem ingressis hostibus pœnas dederunt. Sed hoc responsum Æneæ temporibus ignotum fuit. Ergo non observavit poëta, sed ad præsens tempus locutus est.

IMMANISQUE GELA. Civitas à fluvio nominata: sicut etiam campi Geloi.

AGRAGAS. Mons est muro cinctus, in cujus summa parte oppidum est. Unde & Cicero ait, *Ad mare intra mœnia ante oppidum expectabat.* De Verre.

MAGNANIMUM QUONDAM GENERATOR EQUORUM. Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores revertebantur. Legimus etiam aliud, cum in Cappadocia greges equorum periissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento: & reparavere meliores. Quidam autem dicunt Heronem Agrigentinum, vel ut alii ferunt, Dionysium tyrannum Siciliæ, equos ad agonem Elidis olympicum duxisse, & omnes vicisse.

PALMOSA SELINIS. Civitas est juxta Lilybæum, abundans palmis quibus vescuntur, & apio: an *palmosa* ab equis nobilibus?

SAXIS LILYBEIA COECIS. Vere dixit, nam litus Lilybetanum natura liberum saxis, quasi de industria constructum est. Sane notandum omnium trium promontoriorum Siciliæ factam mentionem, ut, *Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori.* Et, *Projectaque saxa Pachyni*, & hic modo, *Saxis Lilybeia cæcis.*

DREPANI PORTUS. Drepanum civitas est ante pedem montis Erycis trans Lilybæum: dicta vel propter curvaturam littoris, in quo sita est, vel quod Saturnus post amputata virilia Cœlo patri ill[illegible] falcem projecit, quæ drepanos dicitur Græc[illegible]uod verisimile putatur propter vicinitatem Erycis consecrati Veneri, quæ dicitur nata ex Cœli cruore, & spuma m[illegible] Quidam *Drepana* dictum volunt à falce Cere[illegible], quam ibi, cum filiam suam Proserpinam quæreret, amisit. Cato Pluraliter hæc Drepana dicit.

ILLÆTABILIS. Propter patris amissionem.
ACTIS. Transactis, vel quomodo mensibus actis.

FESSUM DESERIS. Ut supra diximus secundum Virgilium. Nam Cato eum in originibus ad Italiam venisse docet, unde etiam in sexto illud amphibolon est, *Quo magis Italia mecum lætere reperta.* Nam & post Latinum Turnumque & Amatam dicitur excessisse. Sed *bene* hic subtrahitur, ne parum decoro amori intersit. Quæritur sane cur sine ulla descriptione funeris patris prætereierit? aut quia in v. dicturus est, & bis eadem dicere vitaverit; aut quia, sicut dictum est, Anchises ad Italiam cum filio pervenit.

DONATI.

LONGE; Quia excelsus est mons.

SAXIS CÆCIS. Quæ nautæ subaquaneα appellant.

ILLÆTABILIS. Expressit plenam mortalitatem. nam si quando aliqua infortunia accidunt, nos in dolore positi locis attribuimus, quasi nobis aliquid inflixerint. ergo hic Drepanitano loco applicat, quod fato acciderat.

AMITTO ANCHISEN. Dolet periisse in portu, qui tot maris pericula evasisset. nec dixit mortuum, sed deseruisse filium. Veteres enim egregios viros non mortuos, sed per commutationem locorum translatos putabant.

HEU TANTIS. Tantus fuit dolor, ut etiam apud Didonem positus; quasi cum eo præsente loqueretur. TANTIS. Ad generalitatem transit, ne si specialiter enumeraret, longior fieret. dolebat autem vehementer, quod infinitis casibus liberatus, ad Italiam pervenire non potuisset. Diffinit ergo Poëta quam vim habeat apud filium incolumitas patris, cum dicit: *Omnis curæ casusque levamen.*

Nec

Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris deus appulit oris.
Sic pater Æneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divûm, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

SERVII.

NEC VATES HELENVS. Quia dixerat, *Prohibent nam cætera parcæ Scire Helenum.*

NON DIRA CELÆNO. Quæ vel irata debuit adverſa nuntiare. Et bona pietate mortem patris graviorem dicit eſſe, quam famem.

HIC LABOR EXTREMVS. Aut apud Drepanum. Aut *extremus*, ſæviſſimus, quia ſtatim tempeſtati ſacratus eſt. Et bene de ipſa tempeſtate tacuit, quia *Ilioneus* ſupra dixerat: *Cum ſubito adſurgens fluctu nimboſus Orion In vada cæca tulit.*

DEVS APPVLIT ORIS. Tulit voluntate ſua, bene ſe commmendat Didoni, dicens ſe ad eam deorum voluntate veniſſe. ſane non dixit quis deus, ut alibi, *Dabit deus his quoque finem.* VNVS. Non interpellante regina interrogationibus. FATA DIVVM. Quæ dii hominibus tribuunt.

RENARRABAT. Aut vacat RE, ut, *Conſiceri poſſit.* Aut apparet Æneam ante de ſuis caſibus cum Didone confuſe locutum, & ideo hic addidit *Renarrabat*, quaſi quæ dixerat antea, nunc ex ordine referebat, quod notat in primo: *Immo age & à prima dic hoſpes origine nobis.* Sane in ſecundi principio duo ſunt verſus ex perſona poetæ, ſicut hic tres, & ſimilis eſt finis initio.

CONTICVIT TANDEM. Ut, *Conticuere omnes.* TANDEM. Diuturnitatem narrantis expreſſit. Notandum ſane quia controverſiarum more epilogos dedit ſex iſtis prioribus libris: quos & eſſe bioticos voluit. Nam ſingulis res ſingulas dedit, ut primo omina: ſecundo pathos, tertio errores, quarto ethos, quinto feſtivitatem, ſexto ſcientiam. Epilogos autem ſic variavit, ut in primo miſeratio eſſet Didonis, in ſecundo mors Creuſæ; in tertio Anchiſæ. in quarto Didonis, in quinto Miſeni, in ſexto Marcelli citum deflet interitum.

DONATI.

NEC HELENVS. Cum multa horrenda prædiceret: nec Celæno, cum multa optaret maledicta. ergo nec amicus prædixit, nec inimica. Tacuit autem de tempeſtate Siciliensi, ne bis repeteret quod dictum fuerat ab Ilioneo.

INTENTIS OMNIBVS. Adhuc intentis: ut oſtenderet Aeneam libenter auditum. Intenti fuerant, cum incœpit: intenti, cum finiret. OMNIBVS. Oſtendit nullum illic fuiſſe, qui non adhuc deſideraret audire.

TANDEM. Ad ipſum pertinet, qui caſus ſuos enarrabat invitus: nam auditores adhuc intenti erant.

VARIORVM.

NEC VATES HELENVS. Hoc vehementer patheticum eſt à minori. Macrobius lib. 4. cap. 6. Saturnal.

HINC ME DIGRESSVM. Macrob. lib. 5. c. 2. HARTVNG.

VESTRIS DEVS APPVLIT ORIS. Didonis animum confirmat, illiuſque benevolentiam & gratiam ſibi conciliat ex eventu rei, cum ſe ad eam deorum voluntate acceſſiſſe ſignificat. Et addit uno verſu quod jam copioſe deſcripſerat. Macrob. lib. 5. cap. 2. Saturn. NASCIMB.

SIC PATER ÆNEAS. Concluſio eſt per enumerationem ex perſona Poëtæ: quam Græci ἐπίλογον vocant. breviter enim repetit capita rerum, quæ in ſecundo & tertio libro latius fuſiuſque tractaret. NASCIMB.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER QUARTUS.

AT regina, gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat

SERVII.

APollonius Argonautica scripsit, ubi inducit amantem Medeam. Inde totus hic liber translatus est de tertio Apollonii. Est autem pene totus in affectione, licet in fine pathos habeat, ubi abscessus Æneæ gignit dolorem. Sane totus est in consiliis & subtilitatibus. Nam pene comicum stilum habet: nec mirum, ubi de amore tractatur. Iunctus quoque est superioribus: quod artis esse frequenter diximus. Nam ex abrupto vitiosus est transitus: licet stulte quidam dicant hunc tertio non esse conjunctum, (in illo enim navigationum pericula, in hoc amores exsequitur) non videntes optimam conjunctionem. Cum enim tertium sic clauserit, *Factoque hic fine quievit*: Intulit, AT REGINA GRAVI IAMDUDUM SAUCIA CURA. Item paulo post, NEC PLACIDAM MEMBRIS DAT CURA QUIETEM. Nam cum Æneam quievisse dixerit, satis congrue subjunxit: ut somno amans careret. Alii subitum transitum factum tradunt, quia non ostendit convivium dissolutum, sed hoc subtiliter fecit, quia etiam alia convivia eam habuisse describit. *Post ubi digressi lumenque obscura vicissim.* Sane bene REGINA, quia contra dignitatem amor susceptus gravior esse solet. Ex hoc enim nomine, & pudoris & deliberationis nascitur causa, & præcipue potiundi difficultas. Videtur & post amissam castitatem etiam justus interitus. IAMDUDUM. Aut nimium & vehementer: ut Terentius, *Iamdudum te amat*; *Iamdudum illi facile fit quod doleat.* Aut iamdudum, id est à quo tempore vidit Æneam. Legimus enim, *Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido.* Aut ex quo narrare cœpit Æneas, aut ex quo intervenit Cupido. SAUCIA. Hinc subjunxit,

VULNUS ALIT. Curam pascit. Et bene adludit ad Cupidinis tela, ut paulo post ad Faculam, ut, ET COECO CARPITUR IGNI. Nam sagittarum vulnus, est facis incendium. CURA. Amore intolerabili quem ferre non posset, ut, *Meque his absolvite curis.* Cura ergo ab eo quod cor urat, ut, *Veneris justissima cura.* Item, *Mea maxima cura.* Sane per confusionem verbi & nominis dictum est, nam cura est & verbum, ut cura cures: cum non est nomen. VENIS. Quia per venas amor currit ut sanguis, nam in sanguine, anima, in anima amor est, aut sicut venenum dictum, ut, *Fallasque veneno.* Item, *Longumque bibebat amorem.* Nam venenum ideo dicitur, quia per venas currit. COECO CARPITUR IGNI. Non quod non cernat, sed quod non cernatur: vel quod Dido amorem suum vult occultare si possit, ideo *cæco*, & ait Virgilius, ut inventas frangat declamationes: ut hoc loco rem dixit sine declamatione. Unde Ovidius, *Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.* *Cæco* ergo *igni* possumus ut validiore accipere, cujus hæc natura est, ut compressus magis convalescat. *Carpitur* autem, paulatim consumitur, ut, *Carpit enim vires paulatim.* Sane *igni* pro igne dativus pro ablativo.

MULTA VIRI VIRTUS ANIMO. Bene mediam se facit præbere Didonem, inter regalem pudorem & amoris impulsum. Simulat enim se virtutem mirari, cujus pulchritudine commovetur. *Multa* autem *virtus*, figurate dixit. Nam ad numerum transtulit quod est quantitatis, aut *multa* pro magna. RECURSAT. Frequentativo usus est verbo in frequenti amantis cogitatione.

DONATI.

AT REGINA. Enarratis omnibus, ad quietem secessit Æneas: Dido autem intolerabili cura, mota recordatione loquentis & secreto incendio, torrebatur.

MULTA VIRI VIRTUS. Erant enim & corporis: quia multos labores pertulerat. erant animi: quod erat deorum cultor. Amator patriæ, parentis, uxoris. Quapropter, etiam sublato amore conflato à Cupidine, cur non amaret virum domi, forisque præstantem? bello strenuum, in pace religiosum, necessarium sibi viduæ destitutæ? condenti civitatem necessarium contra Pigmaleonem? Forma autem corporis, cæteris animi virtutibus afferebat decus: accedebat nobilitas generis, erat enim Veneris filius, Cupidinis frater, nepos Iovis.

VARIORUM.

AT REGINA GRAVI. Hic totus liber non modo Apollonii tertium de Medeæ amoribus imitatur, sed omnino repræsentat. Macrob. l. 5. c. 17. Saturn. Ovid. l. 2. Tristium, de laude hujus libri. Conferenda cum hoc libro Epistola Didonis ad Æneam apud Ovid. Allegoricus sensus hujus libri explicatur à Cælio lib. 7. c. 1. Explicatur & hic liber à Turnebo per totum lib. 15. cap. 8. & lib. 19. cap. 17. &c.

Gentis

Digitized by Google

Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum sic unanimem alloquitur male sana sororem:
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?

SERVII.

GENTIS. Non Æneæ, ut sit velut excusatio, sed à numinibus Dardani, aut Veneris. INFIXI PECTORE VVLTVS, VERBAQVE. Vultus, inquit & verba hærent, virtus & honos gentis recursat, quia superiora vehementiora sunt ad amorem. *Infixi* autem ut alibi, *Illum absens absentem auditque videtque*, *Pectore* vero pro pectori.

NEC PLACIDAM MEMBRIS DAT CVRA QVIETEM. Aut penitus quiete caruit, ut PLACIDA epitheton sit quietis: aut habuit quidem quietem, sed non placidam, id est turbatam somniis, unde & ipsa paulo post, *Quæ me suspensam insomnia terrent*;

POSTERA PHOEBEA LVSTRABAT LAMPADE. T. Circumlocutio orientis diei. Secundum enim & tertium librum Æneas per noctem in convivio Didonis narraverat: licet, ut supra diximus, Virgilius ista quæ per naturam necesse est fieri, plerumque contemnat. LVSTRABAT. Aut inlustrabat: aut re vera *lustrabat*, id est purgabat. Nam nox quodammodo polluit mundum, vel circumibat, ut, *Lustrat Aventini montem.*

HVMENTEM VMBRAM. Quia nox omnis humida est, ut, *Noctis lentus non deficit humor.* Et nihil interest utrum umbram an noctem dicat. Nox enim, umbra terræ est, ut supra *Involvens umbra magna terramque polumque*. Ergo umentem pro humidam, quia umens est quod facit umidum, unde bene *humentem* posuit. Est etiam Hysteroproteron in sensu. Prius est enim ut Aurora umbram dimoveat, post phœbea lampas lustret terras.

CVM SIC VNANIMEM. De re pudenda loquutura parum fuerat sororem eligere, nisi etiam unanimem. Dicimus autem & unanimus & unanimis, sicut inermis. MALE SANA. Non plene sana, amore vitiata. Male enim aliquoties non, sæpe etiam minus significat, non, ut *Statio male fida carinis*; minus, ut male sanus, sicut ve, ut vecors, & vesanus. Quanquam *male* significet & Perniciose: ut Lucanus, *Sic male deseruit.* Et quidam malesana volunt usen legere, nec esse compositum verbum, quia composita unum plerumque corrumpant necesse est, ut malesuada.

ANNA SOROR. Cujus filiæ fuerint Anna & Dido, Nœvius dixit, & bene vocabulo necessitudinis blanditur, ut libenter Didonis audiat confessionem, Sed suspense & pedetemptim pudore resistente incipit. INSOMNIA TERRENT? Legitur, Et TERRET & TERRENT. Sed si TERRET legerimus, INSOMNIA erit vigilia. Hoc enim majores inter vigilias, & ea quæ videmus insomniis interesse voluerunt: ut insomnia generis fœminini, numeri singularis, vigiliam significaret. Insomnia vero generis neutri, numeri pluralis, ea quæ per somnium videmus: ut, *Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.* Sciendum igitur quia si TERRET dixerimus, antiqua erit elocutio. Insomnia enim licet & Pacuvius & Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit, & de usu removit. Sed ambiguitatem lectionis hæc res fecit, quod non ex aperto vigilasse dixit, sed habuisse quietem implacidam, id est somniis interruptam, ut intelligamus eam & in somniis territam: & propter terrorem insomniorum vigilias quoque perpessam.

QVIS. Nonnulli pro aliquis accipiunt, vel qualis. NOVVS. Magnus: ut, *Pollio & ipse facit nova carmina.* Quasi antea nunquam, ut, Terentius *Nova figura.* SVCCESSIT SEDIBVS. Vt, *Succedoque oneri*, &, *Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.*

DONATI.

FIXI. Figi ea dicuntur quæ facile avelli non possunt: & hæret quod non potest reparari. VVLTVS. Ad corporis laudem: verba autem ad animum referas.

QVIETEM. Diversa res est somnus & amor. Ergo Æneas quiescebat: Dido inquieta erat.

ANNA SOROR. Elegit sororem & unanimem, cui turpiorem amorem confiteretur. neque tamen apertè, sed per insinuationem longo verborum circulo confessa est. QVÆ ME SVSPENSAM INSOMNIA TERRENT? Patior insomnia, dum considero nihil esse in hospite, quod præferri non debeat.

QVIS NOVVS. Nova in illo sunt omnia, tam in corpore quàm in animo, neque unquam in alio visa: & hæc dicuntur pro amantis animo.

VARIORVM.

MALE SANA. Hoc epitheton, iis qui amant, dant poëtæ latini, imitatione Græcorum, qui amantes κακῶς φρονοῦντας sæpe dicunt. GERMAN.

ANNA SOROR. Oratio generis suasorii, qua deliberat Dido, utrum se amori dedat, nec ne. Et vide quam omnia suspense & veluti ex insidiis pudore resistente, loquatur. Vt non sine caussa I. Cæs. Scaliger, lib. 5. cap. 6. Poët: hæc divina appellarit. TAVBM.

QVÆ ME SVSPENSAM INSOMNIA. Macrob. lib 1. cap. 3. de somnio Scip.

QVIS NOVVS HIC HOSPES. Cum stupore admiratur virtutis magnitudinem hospitis. In his verbis summa laus Æneæ. NASCIMB.

Quem sese ore ferens! quam forti pectore, & armis!
Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.
DEGENERES *animos timor arguit. heu quibus ille*
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum, immotumque sederet,
Nec cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertæsum thalami tædæque fuisset;
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

SERVII.

QVEM SESE ORE FERENS) Cum eum ob virtutem laudet, addendo tamen OS, nec pulchritudinem denegaverit. Ore autem ferens, utrum oratione, an vultu dubium est: Vt *Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido*: Item, *Namque ipsa decoram Cæsariem nato genitrix lumenque juventæ.* FORTI PECTORE, ET ARMIS) Vt etiam ab Ilioneo audierat, dicente: *Quo justior alter, Nec pietate fuit, nec bello major & armis.* Sane subaudis EST. Et bene virtutis commemoratio excusat supra dictam pulchritudinis laudem. Pectora autem suspendere non bis idem dicit, pectore ad patientiam, armis ad fortitudinem.

CREDO EQVIDEM GENVS ESSE DEORVM. Ego quidem credo. Nec enim VANA FIDES est, id est falsa. Nam DEGENERES ANIMOS ARGVIT TIMOR, id est, probat, ostendit. Et bono ordine amari facit Æneam ab ea de qua ait, *Iura dabat legesque viris.* Primo virtute & factis, deinde generis nobilitate, inde oratione, post pulchritudine, & singula singulis reddit. QVIBVS ILLE. Pro quantis. HEV. Per hæc amoris impulsus ostenditur. Et hoc ad miserationem pertinet.

IACTATVS FATIS. Casibus: ut, *Quis te nate dea per tanta pericula casus Insequitur?* Et est Hysterologia, nam prius est, ut bella exhauserit, post fatis jactatus sit. QVÆ BELLA. Quanta, pronomen pro nomine. EXHAVSTA. Finita, terminata: quod nimiæ virtutis est. Nam inchoare bella, quorumlibet est: vincere vel finire, paucorum.

FIXVM, IMMOTVMQVE SEDERET. Cogi se optat, quæ sic negat. *Immotum* autem pro immobile, participium vim nominis habens. SEDERET. Placeret, ut, *Et sedet hoc animo.*

NEC CVI. Deest viro. VINCLO IVGALI. Synæresis est, pro vinculo. Iugali autem propter jugum, quod in matrimonio ponebatur conjugendis. Vnde & Iuno jugalis dicitur. Quidam jugali accipiunt pro conjugali per ἀφαίρεσιν dictum, quæ fit cum de prima parte verbi syllaba detrahitur.

PRIMVS AMOR. Id est maritus. DECEPTAM MORTE FEFELLIT. Figurate dixit, morte sua decepit me, & fefellit.

PERTÆSVM THALAMI, TÆDÆQVE FVISSET. Pertæsus participium est sine verbi origine: & regit genitivum, ut hoc loco. Nam genitivus est singularis.

HVIC VNI FORSAN POTVI SVCCVMBERE CVLPÆ. Bene forsan, quasi adhuc dubitet. Singula pronuntianda sunt, nam Ingenti dicta sunt libra, quibus confessioni desiderii sui quandam injicit refrenationem. CVLPÆ. Bene culpæ potius quam amori, & hoc propter antiquum ritum, quo reppellebantur à sacerdotio. Id est fortunam muliebrem non coronabant bis nuptæ.

DONATI.

QVEM SESE ORE FERENS. Quàm gratum, quàm jucundum est, quàm viro forti conveniens! quod tacet, quod loquitur, quod movetur. Laudatur etiam Æneas hic, quod non amavit ut vulgaris & turpis, sed amatus est, non tamen ab ea, quæ esset pudoris abjecti, sed etiam petita consilio Veneris & Cupidinis fraude.

HEV. Incipit sensim confiteri quod amet, quod doleat casus ejus.

SI MIHI NON. Adeò illum probat, ut illum judicet dignum matrimonio suo, nisi priori conjugio sit decepta.

VARIORVM.

BELLA EXHAVSTA. Id est finita. Nam inchoare bellum, cujusvis est: vincere & finire paucorum. TAVB.

PRIMVS AMOR DECEPTAM. Postquam spe perpetui amoris, interfecto marito, frustrata sum. SCALIG. lib. 4. cap. 16.

HVIC VNI FORSAN POTVI S. C. Hic Servius, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ. Certe & nunc quoque jure Pontificio, qui secundo nupsit, aut viduæ matrimonio se addixit, omnibus exuitur clericorum privilegiis, nec ad sacerdotii dignitatem admittitur. Valerius lib. 2. Olim quæ uno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honorabantur: multorum matrimoniorum experientiam, legitimæ cujusdam intemperantiæ signum credentes: ubi Valer. legitimam intemperantiam vocat secundas nuptias: cui & Martial. accinuit: *Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est: Offendor mœcha simplicitate minus.* GERMAN.

HVIC SVCCVMBERE CVLPÆ. Cælius l. 28. cap. 22. de digamia locus. HARTVNG.

Digitized by Google

Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi
Conjugis, & ſparſos fraterna cæde penates;
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem
Impulit: agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor quam te violem, aut tua jura reſolvam.
Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

SERVII.

FATEBOR ENIM. Bene uno ſermone & culpam expreſſit & neceſſitatem. Fateri enim & coactorum eſt & culpabilium. Sed hic videtur per oblationem confeſſionis levius crimen efficere. MISERI POST FATA SICHÆI. Aut muliebriter dixit MISERI; aut mortui, ſecundum Ciceronem qui in Tuſculanis miſeros, mortuos vocat, aut certe ob hoc MISERI, cujus jam oblioiſcitur, aut *miſere* ſic occiſi.

SPARSOS FRATERNA CÆDE PENATES. Si Didonis, diſperſos poſt fugam intelligimus: ſi fratris, pollutos cruore. *Fraterna* autem *cæde*, quam frater admiſerit.

INFLEXIT. Quia ſupra ait, *Fixum immotumque ſederet.* Inflexit, a propoſito rigido declinavit. Et bene per gradus crevit, primum *inflexit*, ut fixos oſtenderet, quæ fixa ſunt enim, quoniam avelli non poſſunt, flectuntur, dein per impulit labantem. ea enim impelluntur quæ prona ſunt ad cadendum. LABANTEM IMPULIT, id eſt impulit, & labare facit. Non enim labebat, quia ante immobilis fuerat. Cavendum ſane, ne *labentem* contra metrum legamus. Nam LA longa eſt, ut, *Labere nympha polo.*

AGNOSCO. Participium agnotus, non agnitus. Salluſtius, *Nec inhermos ex prælio viros quenquam agnoturum.* VETERIS VESTIGIA FLAMMÆ. Bene inhoneſtam rem, ſub honeſta ſpecie confitetur, dicens ſe agnoſcere maritalis conjugii ardorem. Hoc eſt quo mariti diligi ſolent, nam erat meretricium dicere, in amorem Aeneæ incidi.

SED MIHI VEL TELLUS OPTEM PRIUS IMA DEHISCAT. Callide, ac ſi diceret poſſe ſe conjungi Æneæ, ſi mors ſecuta non fuerit, & bene in veſtigio revocavit. OPTEM. Pro velim.

PALLENTES UMBRAS HEREBO. Id eſt in Herebo, alii HEREBI legunt. aut Herebo, ad Herebum: ut, *It clamor cælo.* Et perſeveravit in atroci imprecatione, nam non ſufficit, *Adigat me fulmine ad umbras*, dixiſſe; adjecit. *Pallentes umbras Herebo, noctemque profundam, Ante pudor quam te violem.* Pudor, pro pudicitia abutimur, & bene *violo* quia pudor ſacroſancte cuſtodiendus eſt.

AUT TUA JURA RESOLVAM. Propter illud. *Vinclo jugali.*

ILLE MEOS PRIMUS QUI ME SIBI JUNXIT. Deſideria & voluptates ſecum abſtulit moriens. AMORES. Quibus amare poſſim, & bene videtur moram poſuiſſe cum dicit, *Primus qui me ſibi junxit amores.*

SERVETQUE SEPULCHRO. Id eſt & defunctus ſervet, & qui in ſepulchro eſt, ut, *Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago Conjugis.* Sed modo pro mortuo accipiamus. Sane ceremoniis veterum, Flaminicam niſi unum virum habere non licet, quod hic ex perſona Didonis exſequitur, dolentis ſtuprum admiſſum in amore Æneæ, quod ſupradictis verſibus probavit. *Ille meos primus, &c.* nec Flamini aliam ducere licebat uxorem, niſi poſt mortem Flaminicæ uxoris, quod expeditur, quia poſt mortem Didonis Laviniam duxit, & quod ſubrepta vel retenta Creuſa ex ipſius quoque confeſſione & prædicatione regia paſſa fuerit, quod nullum piaculum fore denuntiatur.

DONATI.

SED MIHI VEL TELLUS. Confeſſa de amore, melius pro Venere ſibi mortem dicit.

ILLE PRIMUS. Oſtendit ſorori viam neceſſariæ perſuaſionis: ut quod erat amoris impulſu factura, hortatu alieno magis facere videtur. ait enim: ſemel nupſi. habeat ille, quamvis mortuus, pudoris mei pignus. qui mihi florem virginitatis eripuit: & ſecum habeat, ac ſuo ſepulchro conſervet, & ſic obliquè dicit: Quid dubitem nubere, cum alterius nuptias ſepultus ille non videat, nec ſentire poſſit? ſufficiat illi, quod præcipuum habuit, virginitatis meæ decus tuliſſe: relinquat viduam neceſſitatibus ſuis inſervire. & ſi ſentit, fidem debitam illi mors ſubſtulit, quæ novitatem quandam procuravit. Vis major urget, & intolerabilis cogit. Impunè ſecundi conjugii fortuna ſuſcipitur: & ſi aliquid manes ſentire poteſt, impunè peccatur.

VARIORUM.

VEL TELLUS PRIUS, ANTE, &c. *Prius* & *ante* particulas geminavit non neceſſario; cum altera ſatis eſſet ad ſententiam. ita quoque Homerus πρὶν interdum geminare ſolet. TURN. lib. 26. c. 5.

TELLUS IMA DEHISCAT. Proverb. *Terra mihi dehiſcat.* Homerus Iliad. δ. μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. HART.

Sit

Sic effata, sinum lachrymis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua mœrens carpêre juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti;

SERVII.

SINVM LACHRYMIS IMPLEVIT OBORTIS. Sinus dicimus orbes oculorum, id est palpebras, quæ à palpitatione dictæ sunt. Nam semper moventur. Implevit autem ideo, quia lachrymæ plerunque se intra oculos tenent. Et bene præmisit excusationem his lachrymis commemoratione prioris mariti, quasi propter maritum fleret, cum amore cogente lachrymaret.

ANNA REFERT. Mire videtur intellexisse Anna quod sibi suaderi vellet Dido, & est rhetorica suasio, omni parte plena: Nam & purgat objecta, & ostendit utilitatem, & à timore persuadet. Et usus est apto causæ principio, nam cum aliquid propter nos petimus, benevolum nobis eum qui audit facere debemus, cum in aliena causa sententiam dicimus, nos illi benevolos debemus ostendere, ut habeatur dictis fides; postquam igitur dicendo, *O luce magis dilecta sorori*, ostendit nihil sibi sorore esse carius; Summam rei ponit, an nuptiæ faciendæ sint, *Solane perpetua mœrens carpere juventa.* Inde partes rei à persona Didonis, an quia maritum perdiderit, alium accipere debeat. *Id cinerem aut manes credis curare sepultos.* Aeneam, *Placitone etiam pugnabis amori?* à loco. *Nec venit in mentem quorum consederis arvis*: à timore, *Quid bella Tyro surgentia dicam Germanique minas?* à causa & utilitate, *Quam tu urbem soror hanc cernes.* à modo, *Indulge hospitio, causasque innecte morandi*; an etiam id dii fieri velint per conjecturam, *Dis equidem auspicibus reor & Iunone secunda.* O LVCE MAGIS DILECTA. Quæ diligatur adhuc, an magis quam lux dilecta? aut dilectior luce. Nam antiqui frequenter pro comparativo jungebant particulam MAGIS. Tale & illud est, *Nate mihi vita quondam, dum vita manebat Chare magis.* Terentius, *Nihil videtur mundius, nec magis compositum, nec magis elegans.* SORORI. Bene Anna dilecta respondit sorori, quia & Dido sic cœpit. *Anna soror.* Ergo per nomen necessitudinis ostendit, se quæ sunt utilia persuadere, ut alibi, *Parvumque patris tendebat Iulum.*

SOLANE PERPETVA. Id est solane mœrens in omne, carperis juventa perpetua, ergo continua juventa, aut pro juventute accipiendum; nam Iuventa dea illius ætatis est; Iuventas ætas ipsa juvenilis; Iuventus juvenum multitudo.

NEC DVLCES NATOS. Propter liberos, quæ fuit causa secundi matrimonii: ut Iuvenalis, *Sed placet Vrsidio lex Iulia, tollere dulcem Cogitat hæredem.* Et hysterologia est, nam per Veneris præmia proveniunt nati. Alii male jungunt natos Veneris, Æneam & Cupidinem. Alii ἱμέρους & ἀφροδίσια dicunt. VENERIS NEC PRÆMIA. Id est voluptates. Homerus, τά τε δῶρ' ἀφροδίτης. Et volunt quidam ἓν διὰ δυοῖν esse.

ID CINEREM AVT MANES CREDIS CVRARE SEPVLTOS? Distribuit illud, *Ille habeat secum servetque sepulchro*, quia marito juraverat: ut, *Non servata fides cineri promissa Sichæo.* Et bene extenuat dicendo non *animam*, sed *cineres* & *manes sepultos*: Dicit autem secundum Epicureos, qui animam cum corpore dicunt perire.

ESTO. Adverbium concedentis, Græcum. FLEXERE MARITI. Non qui erant, sed qui esse cupiebant. Alii intelligunt ægram mariti, ut sit genitivus singularis, id est tristem propter maritum. Vel *ægram* ad morbum animi referas, id est ut stultitiam judices in juventa ætate nuptiis abstinere. *Æger* enim animo dicitur, ægrotus corpore.

DONATI.

LACHRYMAS. Quas effundebat vel recordatione veteris mariti: vel quod cogatur id facere, quod animo respuente damnaverat. OBORTIS. Subitò coortis. sic enim fit quando dolore animi funduntur: contra in Sinone, *Lachrymisque coactis.*

O LVCE MAGIS DILECTA SORORI. Ostendit causam meri consilii fuisse, cum ex amore loquatur: & deinde aggreditur destruere causas, propter quas ipsa negaverat secundas nuptias.

NEC DVLCES NATOS. Honestam causam proponit, ne libidinis, sed liberorum creandorum causam illam hortari videatur.

ID CINEREM. Id est hic, cui deferre contendis nescit honorificentiam tuam. Cum anima enim sensus morientis extinguitur, totum interit perditque obsequium, quisquis illud non homini, sed cineri prorogare contendit.

ESTO: ÆGRAM. Cum adhuc esses ægra ex recenti dolore, nulli flexerunt te; nunc non repugnabis placido amori.

VARIORVM.

SINVM LACHRYMIS IMPLEVIT. Sinus hic pro concavitate oculorum, Turnebus accipit; alii pro vestibus. Certe Græci quoque κόλπους, tam pro concavitate illa, quæ est inter brachiorum & pectoris complexum, quam pro vestibus ipsis accipiunt: in quem sensum si consentiemus, uberiores amantis reginæ lachrymarum fluxus videbuntur, quam si Turnebi sequemur sententiam. GERMAN.

ESTO! ÆGRAM, &c. ἀνθυποφορικῶς occurrit objecto, nullis unquam conditionibus flecti potuisse, ut alicui nuberet; quod per concessionem confirmat; ejusque rei occultam assignat causam, ex illius voluntate deductam, quia non placuerant proci. N.

Non Libyæ, non ante Tyro despectus Iarbas,
*Ductoresque alii, *quos Africa terra triumphis*
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Non venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Getulæ urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, & inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcæi: quid bella Tyro surgentia dicam,

SERVII

NON ANTE TYRO. Aut in Tyro, ac si diceret Tyri. aut certe τυρόθεν id est de Tyro: ut, *Dardanus Hesperia.* Quidam autem Libyæ mariti Lybiestero mariti Tyrii exponunt. * DESPECTUS IARBAS. Rex Lybiæ, qui Didonem re vera voluit ducere uxorem. Et ut habet historia, cum hæc negaret, Carthagini intulit bellum: cujus timore cum cogeretur à civibus, petiit ut ante placaret manes mariti prioris: exædificata igitur pyra se in ignem præcipitavit: ob quam rem Dido, id est virago, quæ virile aliquid fecit, appellata est. Nam Elissa proprie dicta est.

DUCTORESQUE ALII. Ergo & Iarbas ductor. Alii autem qualis Iarbas. QUOS APHRICA TERRA. Derivationes frequenter majores sunt à principalitate: interdum pares inveniuntur: raro minores. Unde supra Lacæna notandum diximus. TRIUMPHIS DIVES. Id est bellicosa. Et quidam dicunt Afros nunquam triumphasse. Plinius autem secundo historiæ naturalis, & Pompejus Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt. Livius autem Andronicus refert eos de Romanis sæpius triumphasse, suasque porticus Romanis spoliis adornasse, merito ergo *dives triumphis.*

PLACITONE ETIAM PUGNABIS AMORI? Ac si diceret, jure contempsisti eos qui displicebant: nunquid etiam placito amori repugnabis? Et est Græcum, pugno tibi. Nam nos pugno tecum dicimus; & placito alii volunt vel universis hominibus, id est conjugali amori, vel legibus dictum.

HINC GETULÆ URBES. Ad terrorem URBES posuit. Nam in mapalibus habitabant. GENUS INSUPERABILE BELLO. Ut, *Quos nulla fatigant Prælia, nec victi possunt absistere ferro.* INFRENI. Aut sævi, & feroces, ut ipse contrario, *Hi frenum accipere*: aut quia equis sine freno utuntur.

CINGUNT. Non adjuncti sunt, sed *Cingunt* quasi circundant, ut, *cingique urbem obsidione videret.* INHOSPITA. Barbara, aspera, & fictum *inhospita*, cum *inhospes* non dicatur.

DESERTA SITI REGIO. Inhabitabilis vel raritate aquæ. Dicit autem Xerolibyen, quæ est inter Tripolin & Pentapolin. Et bene terret dicens juxta esse aut bellicosas gentes, aut deserta loca, unde non speratur auxilium. LATEQUE FURENTES BARCÆI. Hi longe sunt à Carthagine. Unde addidit, *Late furentes.* Hi secundum Titianum in chorographia Phœnicem navali quondam vicere certamine. *Barce* autem civitas est vel forum Pentapoleos, quæ hodie Ptolemais dicitur. Nam Cyrene & Barce reginæ fuerunt: quæ singulis dederunt civitatibus nomina. Sed hoc per prolepsin dictum est.

BELLA TYRO SURGENTIA. Necessario ad persuadendum præsenti tempore usus est.

DONATI.

HINC GETULÆ URBES. Exprimit quod obscurè dixit: *quorum consederis arvis.* Post autem multa necessaria, quæ superius posuit, addit faciendi necessitatem, singula cum metu discurrens. dicit ergo: Non consideras te peregrinam, & in locis peregrinis te imperium velle fundare, & omnia initia, præsertim imperii, habere laborem durum? Quod fœmina & sola pares urbem fundare, cum innumeræ gentes possint te magno numero urbium infestare, quæ viribus & ferocitate valent?

INSUPERABILE ET INFRE. Invincibiles ostendit. Infreni, qui suis legibus viventes, nollent alieno imperio subjugari. INHOSPITA. Non quod non suscipiat hospites, sed quam inhumanitatis causa omnis formidet adveniens, vel oderit peregrinus. CINGUNT. Hoc ipsum *Cingunt*, habet magnam vim. nam cingere est ambire, ut infiniti monstrentur inimici undique: ne per illos, ne vel etiam per deserta fugere possis.

VARIORUM.

TYRO DESPECTUS IARBAS. Id est contemptus à Tyro, & per denominationem à te Tyria muliere. Servius Iarbam facit Tyrium, quem constat Afrum fuisse. Turneb. lib. 23. cap. 3. Sic igitur intelligendus est locus: *Ægram & lugentem propter Sichæum à fratre trucidatum, nulli quondam flexere ante mariti Tyro,* pro Tyri vel in Tyro. Hic puncto periodum termino & alteram incipio. Despectus est à te Iarbas, & despecti ductores alii, &c. MODICIUS, cap. 31.

PUGNABIS AMORI. Græcismus: μάχομαι τινί. HART.

ET NUMIDÆ INFRENI. Aut sævi: aut qui ob effrenatam audaciam, nec moribus, nec legibus, nec imperio cujusvis regebantur. Strabo vero notat Numidas Massylosque equos habere, quos virga, non freno gubernent. TAUBMAN.

LATE FURENTES BARCÆI. Notat Turneb: l. 22. c. 26. Barcæos & Cyrenæos olim in Africa plurimum potuisse.

Germanique minas?
Diis equidem auspicibus reor, & Iunone secunda,
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem soror hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis:
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis,
Indulge hospitio, causasque innecte morandi:
Dum pelago desævit hyems, & aquosus Orion,
Quassatæque rates, & non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.

SERVII.

GERMANIQVE MINAS. Propter aurum quod ei (sicut in primo diximus) tulerat. ET MINAS pro ipsis periculis posuit, ut ex præcedentibus sequentia accipiamus.

DIIS EQVIDEM AVSPICIBVS. Hoc dicit, dii qui sunt auspices matrimonii, Æneam huc venire fecerunt. Nuptiæ enim captatis fiebant auguriis: ut, *Contentusque auspice Bruto.* Varro de pudicitia. *Auspices in nuptiis appellatos ab auspiciis quæ ab marito & nova nupta per hos auspices captabantur in nuptiis.* IVNONE SECVNDA. Aut quæ præest conjugiis, quæ pronuba appellatur; quamvis & ipsa in libris Augurum præesse dicatur auspiciis: aut quia Carthaginem fovet.

HVC CVRSVM ILIACAS VENTO. Mire cum alio iter haberent, huc delati sunt, & ideo addidit *vento.* TENVISSE. Perfecisse, implesse:

QVAM. Qualem vel quantam. pronomen pro nomine. VRBEM SOROR HANC CERNES. Mire pro voluntate sororis, ut si quis avaro suadeat spem pecuniæ faciens.

CONIVGIO TALI. Id est viri fortis. quod ideo non dicit, quia scit à Didone prædictum, & bene in ultimo conjugium posuit, propter quod universa prædicta sunt.

VENIAM. Aut beneficium & benevolentiam, aut re vera veniam perjurii scilicet: ut, *Non cineri servata fides promissa Sichæo.* TV MODO. Pro tantummodo. SACRISQVE LITATIS. Diis litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed deos sacris litamus, id est placamus. Ergo nove dixit.

INDVLGE. Da operam: ut, *Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.*

DVM PELAGO DESÆVIT HYEMS. Enumerat quas moræ caussas possit innectere. AQVOSVS ORION. Id est dum occidit Orion; quoniam & oriens & occidens tempestates commovet; & bene Orion opponitur, quia & Ilioneus dixerat, *Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion.* O corripuit ratione supradicta.

QVASSATÆQVE RATES. Hoc ad illud *Quassatam ventis liceat subducere classem,* NON TRACTABILE. Asperum, intractabile. Sub quo tractari nihil possit.

INCENSVM INFLAMMAVIT. Horatius ait, *Oleum adde camino.* Alii non *incensum*, sed *in* per se legunt, ut sit Terentianum, *Inpendio magis animus gaudebat mihi.*

SPEMQVE DEDIT DVBIÆ MENTI. Dubitativa enim fuerat Didonis oratio, dicendo: *Si non pertæsum thalami, tædæque fuisset.* Ergo jam non ambiget de qua dubitabat, sed sine respectu pudoris palam agit. SOLVITQVE PVDOREM. Propter vincula castitatis, & ad illud respondet, *Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.*

DONATI.

GERMANI MINAS. Hoc ut validissimum posuit: quasi istis addetur, qui mare obsidebit ne fugere possis. Postremo illi hunc cogitandum proponit, cui imperium sit relictura, si careat liberis.

DIIS EQVIDEM. Poterat timere Dido Iunoni hoc non placere: sed conjecturaliter removet Anna. ait enim: si nollent dii nobis conjungi Trojanos, nunquam illi nostra littora tetigissent. & credit Iunonem procurasse, ut Trojani à patria pellerentur, ut huic regno faverent.

QVAM TV VRBEM. Si sola tantum regnum parasti, quid facies Trojanis adjuta? ergo favorem deorum sacrificiis concilia.

INDVLGE HOSPITIO. Id est, illorum peregrinationem uberius fove, ne deficientibus rebus Trojani recedere cogantur. CAVSASQVE INNECTE MORANDI. Prætende causas quæ illos à navigatione arceant.

INCENSVM INFLAMMAVIT. Bis repete scilicet animum incensum amore, inflammavit amore. Nam data spe commodi, ex his quæ profutura dicebat, adeo dubitationem removit, ut omnis verecundia & pudor cesserit.

VARIORVM.

SACRISQVE LITATIS. Inter sacrificare & litare hoc interest, quod illud est veniam petere: hoc propitiare & votum impetrare, ut ait, NONIVS.

Prin-

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidenteis
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo:

SERVII.

DELVBRA ADEVNT. Iuxta illud dictum sororis: *Tu modo posce deos veniam.* Delubrum autem dictum, aut, ut supra diximus, propter lacum in quo manus abluuntur, vel propter tectum conjunctum, quia una opera abluitur, aut certe simulachrum delubrum dicimus, à libro, hoc est raso ligno factum, quod Græce ξόανον dicitur. Sane in secundo libro de singulis speciebus delubri juxta Varronem relatum est, in quibus est species delubri talis, ut præter ædem area sit adsumpta deûm causa, id est spatia relinquantur juxta aras ministerii causa, ad sacrificia peragenda. Hujus moris hic meminisse eum accipere debemus, *Principio delubra adeunt,* atque quia delubra quasi solum nomen sine dei significatu posuerat, voluit per aras expungere divini nominis causam, licet in continuatione non tam dei fecerit mentionem, quam propria deorum nomina intulerit, & quidem cum sacrificationis gratia illis versibus, *Legiferæ Cereri,* &c. usque, *jugalia curæ,* nec non aræ licet oblique attamen manifeste it* *Aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,* quid enim est *spatiatur,* quam spatio lati loci obambulat. *Adeunt* autem proprie dixit, ad majores enim qui accedit, ait soanori signum. * PACEMQVE. Benevolentiam, ut si sine pace tua atque inviro numine. PER ARAS EXQVIRVNT. Vel apud aras, ut, *It hasta Tago per tempus utrumque*: *Exquirunt* autem, id est sacrificando explorant, an dii vellent huic rei consentire. Dicendo autem PER ARAS, aruspicalem artem ostendit: unde est, *Spirantia consulit exta.* Duo enim genera hostiarum sunt, unum in quo voluntas dei per exta exquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur; Vnde etiam aruspices animales hostias appellant. Sed de exploranda voluntate divina hic expressit dicendo, *Spirantia consulit exta.* Animalis vero hostiæ speciem ostendit, ubi Entellum facit Eryci taurum mactantem V. Æneid dicens, *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persolvo.*

MACTANT. Verbum sacrorum, cata euphemismon, dictum, quasi magis auctum, unde & magmentum dicebant, quasi majus augmentum. Olim enim hostiæ immolatæ dicebantur mola salsa tactæ: cum vero istæ & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur per laudationem, per boni ominis significationem, ut adolere, nam *Mactare* est proprie magis augere. LECTAS BIDENTEIS. Non vacat LECTAS. Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset: ut in sexto, *Nunc grege de intacto septem mactare juvencos.* BIDENTES autem dictæ sunt, quasi biennes: quia neque minores, neque majores licebat hostias dare. Sunt etiam in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent: nec in omnibus, sed in his quæ sunt aptæ sacrificiis inveniuntur.

LEGIFERÆ CERERI. Leges enim ipsa dicitur invenisse. Nam & sacra ipsius *Thesmophoria*, id est legum latio vocatur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum à Cerere, passim homines sine lege vagabantur: quæ feritas interrupta est invento usu frumentorum, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. *Thesmophoria* autem vocantur legumlatio; an quia in æde Cereris ære incisæ positæ leges fuerunt. PHOEBOQVE, Qui præest auspiciis, quibus urbes reguntur. PATRIQVE LYÆO. Qui, ut supra diximus, apte urbibus libertatis est deus. Vnde etiam Marsyas minister ejus per civitates in foro positus libertatis indicium est: qui erecta manu testatur nihil urbi deesse. Et communis hoc habet sensus, Sacrificabat, inquit, primo numinibus, quæ urbi præsunt, quasi nuptura pro utilitate reipublicæ. Deinde Iunoni, cui curæ sunt nuptiæ. Alii dicunt hos deos quos commemoravit nuptiis esse contrarios, Cereremque propter raptum filiæ nuptias exsecratam, vel ex quo Iovi nupta prælata Iunone repudiata est, nam cum Eleusine Cereris sacrum fit, ædes Iunonis clauditur: item, Cum Iunoni Eleusine fit, templum Cereris clauditur, nec sacerdoti Iunonis licet gustare unde Cereri sit libatum. Et Romæ cum Cereris sacra fiunt, observatur, ne quis patrem aut filiam nominet quod fructus matrimonii per liberos constet. Apollinem & Liberum contrarios nuptiis dicunt, quod ille expers uxoris vulgari amore sit usus; iste inter Bacchas non fida connubia sed stupra exerceat, nec nisi raptam conjugem habere potuerit; malè ergo invocat hos Dido, quæ sibi nuptias optat Æneæ, sed sicut prosperis diis ut juvent, ita adversis ne obsint sacrificandum est; ut, *Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam*: Alii dicunt favere nuptiis Cererem, quod prima nupserit Iovi & condendis urbibus præsit, ut Calvus docet: *Et leges sanctas docuit, & cara jugavit Corpora connubiis, & magnas condidit urbes.* Nam ideo & aratri sulco clauditur civitas, vel quod eandem terram volunt, & in eadem urbes exstructas. Similiter & Liber propter Marsyam sicut supra dictum est meritò: & Apollo, nam & in arce coli solet, & muros Trojanis instituit. Iure ergo in nova urbe his sacra fiunt: Iunoni duplici causa, quia & Carthagini præest, & matrimonia dat. Est etiam altior sensus: Nam facturi aliquid, antè adversos placemus deos: & sic propitios invocamus: ut, *Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.* Ergo modo nuptura placat ante Cererem: quæ propter raptum filiæ, nuptias exsecratur: Apollinem, qui expers uxoris est: Liberum, qui nisi raptam conjugem habere non potuit: & sic Iunonem conciliat.

DONATI.

LEGIFERÆ. Quia populorum consensus nisi legibus retineri non possit. PHOEBO. Vt in futurum prosperiora perficeret, quæ optabantur. LIBERO. Vt præstaret lætitiam sempiternam.

VARIORVM.

BIDENTES. Macrob. lib. 3. cap. 12. HART.

Iunoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis; pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Hev vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,
Quid delubra juvant? est mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus.

SERVII.

CVI VINCLA IVGALIA CVRÆ. Quia est & Curetis, & matrona, & regina. Hanc Varro pronubam dicit, unde & Æolo nuptias pollicetur, & Æneæ & Didoni coëuntibus adest, cum dicit *Prima & Tellus & pronuba Iuno*; & in septimo ubi contra votum suum Laviniam promissam vidit Æneæ, ait, & *Bellona manet te pronuba*, hoc est non ego quæ soleo.

CANDENTIS. Candidæ: participium est pro nomine. MEDIA INTER CORNVA FVNDIT. Non est sacrificium, sed hostiæ exploratio, utrum apta sit.

ANTE ORA DEVM. Ante simulacra. PINGVES. Plenas vel sanguine delibutas, ut: *Pecudumque cruore Pingue solum.* SPATIATVR AD ARAS. Matronæ enim sacrificaturæ circa aras faculas tenentes, ferebantur quasi cum quodam gestu: unde Sallustius, *Saltare elegantius quam necesse est probæ.* Quidam genus sacrificii appellant, quo veteres cum aras circumirent, & rursus cum reverterentur, & deinde consisterent dicebant minusculum sacrum. An hoc ad impatientiam amoris referendum est, quo jactata Dido, loco stare non poterat, juxta illud, *Vritur infelix Dido totâque vagatur Vrbe furens.*

INSTAVRATQVE DIEM DONIS. Muneribus, quæ aut diis offerebat: aut donabat Tyriis vel Trojanis. *Instaurat* autem ideo, quia jam supra sacrificaverat: ut, *Simul Æneam in regia ducit Tecta, simul divum templis indicit honorem.* Sanè quidam *donis*, sacrificiis volunt, nam & templa donaria abusive dicuntur, ut est, *Ductos alta ad donaria currus.*

INHIANS. Intenta per solicitudinem. SPIRANTIA. Id est Palpitantia: quasi adhuc viva. CONSVLIT EXTA. Proprie dixit, Aruspices enim exta consulere dicuntur cum inspiciunt. Exta singularem non habent, ut arma.

HEV VATVM IGNARÆ MENTES. Non sacerdotes vituperat, quasi nescios futurorum, sed vim amantis exprimit: & inde vituperat sacerdotes, *Ignara* ergo amoris reginæ, qui admonuerunt non crediturarm. Quia illæ alias causas litationis prætendebant, & ideo vota non perficiebant: Nam omnia futura à sacerdotibus prædicta esse, sequens indicat locus: ut, *Multaque præterea vatum prædicta priorum.*

EST. Verbum indeclinabile. Nam frequenter deficit. Est autem hujus positio edo, es, est. Invenimus (sed quod abolitum est) & Edo, edis, edit. Vnde est Edere, & Comedere, quod hodie dicimus. Nam ab eo quod est Es, esse & comesse facit: quo tempore etiam pro præsenti utimur, ut volo esse. Nam in defectivis tempora pro temporibus ponimus: ut odi, novi, memini: odisse, nosse, meminisse: etiam pro præsenti ponuntur. non odire, novire, meminere, nec enim possumus dicere. MOLLIS FLAMMA. Vtrum mollis flamma, an mollis medullas.

TACITVM. Tacendum & pudore plenum. De quo tacuerit etiam nunc apud alios, an apud Æneam *tacitum*, quia sorori jam confessa est. VIVIT. Nonnulli hoc loco *vivit* pro vescitur dictum accipiunt. SVB PECTORE VVLNVS. Vt, *Vulnus alit venis.*

DONATI.

IVNONI. Quia conjugiorum tenet plenissimam potestatem.

IPSA TENENS. Alii alia faciebant: ipsa sacerdotis munere fungebatur.

PINGVES. Pecorum corporibus oneratas.

SPACIATVR. Eundi & redeundi vices crebras procurabat.

INSTAVRAT. Sæpius hoc faciebat, ut produceret diem, volens diutius habere præsentem, quem amabat.

HEV VATVM. Id est, fiebant ab imprudentibus sacra, nullis amorum necessitatibus profutura, fiebant ab iis, qui sibi veluti vaticinandi sententiam vendicabant: & cum aliud ageretur non intelligebant Didonis ardorem. Profutura vero arbitrabantur iis, quæ interveniente ignoratione, nescirent. Qui enim, quæ solvebantur diis vota, prodesse poterant amanti, cum ardor jam immoderata incendia dedisset?

VARIORVM.

CANDENTIS VACCÆ MEDIA INTER CORNVA. Mos veteribus fuit, uti capitibus stantium sub ictu, cultroque victimarum, vinum infunderetur. PONTAN.

INSTAVRATQVE DIEM, Macrob, lib. I. c. II. HARTVNG.

PECTORIBVS INHIANS. Vt exploraret, utrum dii vellent huic matrimonio assentiri. Hoc sacrificii genus haruspicina dicebatur, in qua deorum voluntas per exta, hoc est, per hostiarum intestina exquirebatur. NASCIMBÆN.

PECTORIBVS INHIANS. Alexander lib. 5. cap. 21. HARTVNG.

Vri-

Digitized by Google

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum,
Neſcius: illa fuga ſylvas, ſaltuſque peragrat
Dictæos; hæret lateri lethalis arundo.
Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,
Sidoniaſque oſtentat opes, urbemque paratam:
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Nunc eadem labente die convivia quærit:
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

SERVII.

VAGATVR. Poteſt accipi *vagatur* dum opera oſtendit Æneæ.

VRBE FVRENS. Furor enim eſt amor, in quo nihil ſtabile. Vnde & Cupido puer inducitur, quaſi inſtabilis & infans, qui non poteſt fari. Vnde eſt, *Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.* QVALIS CONIECTA CERVA SAGITTA. Satis congrua comparatio: Singula enim ſingulis, cervam Didoni, ſagittam amori; paſtorem Æneæ, nemora urbi, ictum lethalem amori mortifero comparavit.

INCAVTAM. Nomen perituris accommodatum, ut, *Fallit te incautum pietas tua*, & *Excipit incautum Triton.* CRESSIA. Cretenſia. Nam Græce Cres, unde & Cretes & Creſſia, & latine Cretenſis facit, unde & Cretenſia.

AGENS TELIS. Vrgens, perſequens.

NESCIVS. Aut neſcius quod fuerit, aut ignoratus & latens: non qui cervam neſciret. Et rara ſunt verba, quæ per contrarium ſignificant. Nam vector cum ſit proprie qui vehit, invenimus etiam eum vectorem dici, qui vehitur: ut Lucanus, *Vectoris patiens tumidum ſupernatat amnem.* Tale eſt formidoloſus, cum ſit timidus, & timendum ſignificat. Cum enim exigat ratio, ut nomina verbalia agentis habeant ſignificationem, pro paſſiva ſignificatione plerunque ponuntur. Quidam *neſcius* ad Æneam referunt, qui neſcit amore ſuo vulneratam regiam. FVGA. Curſu: ut, *Simul arva fuga, ſimul æquora verrit.* Nam intelligere non poſſumus fugam, cum dicat *peragrat*. PERAGRARE enim eſt circumire inquirendo.

DICTÆOS. Cretenſes. Cervæ vulneratæ dictamum quærunt, qua guſtata feræ vulneribus tela depellunt: ut in duodecimo legimus, *Non illa feris incognita capris Gramina.* LETHALIS ARVNDO. Propter futurum omen Didonis, & admiranda copia loquendi, lethalis arundo, ſagitta, volatile ferrum.

SIDONIAS. Pygmalionis, vel Sichæi. Quod ſupra ait, *Avari Pygmalionis opes*, &, *Ignotum argenti pondus & auri*, & hoc additum propter illud, *Omnibus exhauſtos jam caſibus omnium egenos.* VRBEMQVE PARATAM. Paratam ad illud pertinet, quod Æneas propter civitatem navigat. Et omnia ei oſtendit Dido quibus poſſit inducere, & *paratam* ideo ut ſit impendium quærentibus ſedes. Sed alii movent quæſtionem quomodo PARATAM, cum paulo poſt inferat, *Pendent opera interrupta, minæque murorum*; ſed PARATVM poteſt dici, cui etiam paululum ſupereſt: unde eſt, *Minæque murorum ingentes.* Nam ideo alibi, *Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi.*

INCIPIT EFFARI, MEDIAQVE IN VOCE RESISTIT. Sic Horatius, *Cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua ſilentio?*

LABENTE DIE. Ad convivia retulit, peringratum eſt quia in uſu non erant prandia: ut Iuvenalis, *Exul ab octava Marius bibit.*

DEMENS. Quia ea quæ noverat, audire cupiebat.

NARRANTIS AB ORE. Vt eum intueretur. & hoc loco per omnia amantis adfectus exprimitur.

DONATI.

TOTAQVE VAGATVR VRBE FVRENS. Cum omnia fruſtra agerentur, ex nimio amore nullo in loco conſiſtere poterat, & vaganti totius civitatis ſpacium non ſufficiebat.

QVALIS. Didonem Cervæ, ſylvas civitati: mobilitatem Cervæ, Didonis diſcurſibus: ſagittam paſtoris, ſagittæ Cupidinis comparat.

SIDONIAS OPES. Ne ſua præſentia ſuperflua videretur. Et oſtendebat urbem paratam, ut à navigandi cupiditate avocaret.

INCIPIT EFFARI. Præcidebat contextum verborum, ut loquendi ſpacia proferret in longum.

ILIACOS. Conſumptis omnibus inventionibus, redibat ad ea quæ prius erant narrata, miſere illum detinere cupiebat.

VARIORVM.

QVAM PROCVL INCAVTVM. Macrobius lib 5. cap. 6. Iliad. λ. ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ ἰῷ ἀπὸ νευρῆς. HART.

Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sydera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat: illum absens absentem auditque, videtque.
Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt turres: non arma juventus
Exercet, portusve, aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Chara Iovis conjux, nec famam obstare furori;

SERVII.

OBSCVRA LVNA. Id est nox. Nam nihil tam contrarium Lunæ est, quam obscuritas. Aut ideo nox *obscura Luna*, quia nec semper, nec eadem hora oritur. VICISSIM autem ideo, quia per diem Sol lucet, illa per noctem: ergo apparens diurnum lumen, id est Solis reprimit: An ipsa Luna suum lumen reprimit occidens & se obscurans.

SOLA. Sine eo quem amabat. Nam regina sola esse non poterat. Est autem Plauti, qui inducit inter multos amatorem positum dicentem quod solus sit. Vt ipse alibi, *Me sine sola vides*: quam constabat Antonii castra comitatam, sed *Sola* sine amatore suo. MOERET. Si diphthongum habeat, ut hoc loco tristis est, significat: aliter militat, ut *Meret parvo*. Sane meroor aliud est. VACVA. Aut sine Ænea & Trojanis, aut magna, ut, *Vacua atria circum Intenti ludo*. RELICTIS. Potest intelligi ab Ænea.

INCVBAT. Quasi invita. ABSENS ABSENTEM. Vnum sufficeret. Sic, *Et fratrem ne desere frater*. Terentius, *Præsens præsentem eripi, abduci ab oculis*.

IMAGINE CAPTA. Ob amati similitudinem.

INFANDVM. Iuxta judicium reginæ ut illa sentiebat, vult enim eam culpæ eximere, alii *infandum*, quia falli non potest accipiunt, hoc est ipsam libidinem in cujus vicem nihil subponi potest.

NON COEPTÆ ADSVRGVNT TVRRES. Contra illud *Pars ducere muros*. NON ARMA IVVENTVS EXERCET. Aut in armis se exercet, aut sic dixit quemadmodum illud, *Ferrum exercebant*.

PORTVSVE. Quod supra 1. Æneid. *Hic portus alii effodiunt*. PROPVGNACVLA. Quibus porro pugnatur.

INTERRVPTA. Cœpta & omissa. MINÆ. Eminentiæ murorum: quas pinnas dicunt, hinc & eminere dicimus, ut in primo Æneid. *Geminique minantur*. quidam *minæque ad* interrupta opera referunt atque imperfecta sunt, sic videantur ruinam minantur. *

ÆQVATAQVE MACHINA COELO. Exposuit quid sint minæ murorum ingentes.

SIMVL. Postquam. TALI. Quali utitur infelix Dido, PESTE. Amore, incendio: ut, *Tuto defendit corpore pestis*.

NEC FAMAM OBSTARE FVRORI. Honestam scilicet. Nam ἄφημος est. FVRORI. Iam non amori.

DONATI.

ILLVM ABSENS. Tantum fallebatur amantis animus, ut absentem videre & audire sibi videretur.

NON COEPTÆ. Mirifice mortalitas expressa est. Nam cum multa mala in amore insint, illud præcipuum quod negociorum omnium oblivionem inducit. Eadem enim Dido quæ instabat operi regnisque futuris, nunc omnia omittit: & cum omiserit, Tyrii quoque qui instabant ardentes, omnia nunc deserunt. Vnde ostenditur rectorem complere omnia, cum insistit: cum vero contra agit, omnia frigescere.

QVAM SIMVL AGGREDITVR. Per hoc ostendit aliquid invidiose se esse dicturam. Tractatus Veneris magnus atque astutus cernitur.

VARIORVM.

STRATISQVE RELICTIS INCVBAT. Ea vis videtur mihi hujus vocabuli, ut Didonem significet more personarum, quæ animi ægritudine somnos ægre capiunt, & lecto in hanc illamque partem inquieti jactantur, interdum assurgere quoque è stratis, & cubito, toroque, dum consistere mente corporeque nequit, incumbere: ut infra *Incubuitque toro, &c.* *Stratis* autem *relictis*, ut videatur Dido instabilis mentis habitu & stratu relictum lectum paulo post repetere, & in eum se rejicere ac revolvere, id est eidem loco rursus incumbere. GERMAN.

ILLVM ABSENS ABSENTEM AVD. Non inscite dictum, nescio à quo, amantium animos ibi magis esse ubi amant, quam ubi animant. Omnia illorum verba, vultus gestus, habitus incessus, motus omnis semper animis obversantur. PONTAN.

MINÆQ. MVRORVM. Hic *minæ* significant partes illas murorum in quibus sunt propugnatores, hostibusque minantur, quæ ad emissionem telorum fenestratæ sunt, ἐπάλξεις fere à Græcis vocantur.

Talibus

Digitized by Google

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus. magnum & memorabile nomen,
Vna dolo divûm ſi fœmina victa duorum eſt.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia noſtra,
Suſpectas habuiſſe domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam, pactoſque Hymenæos
Exercemus? habes tota quod mente petiſti.
Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem,
Communem hunc ergo populum, paribuſque regamus

SERVII.

ADGREDITVR. Cum calliditate loquitur. Et quaſi ex præparato, vel ex inſidiis, ut alibi IIII. Georg. *Facile ut ſomno adgrediare jacentem.* SATVRNIA. Vbi nociturum Iunonem poëta vult oſtendere *Saturniam* dicit, ſcit enim Saturni ſtellam nocendi facultatem habere, ut alibi: *Irim de cælo miſit Saturnia Iuno:* & *Saturnique altera proles Irarum tantos volvit* &c. Vbi autem propitiare eam promittit, ait, *Iunonis magnæ.* & iterum, *Adſit lætitiæ Bacchus dator & bona Iuno.*

EGREGIAM VERO LAVDEM. Ironia eſt, inter quam & confeſſionem ſola intereſt pronuntiatio. Ironia autem eſt, cum aliud verba, aliud continet ſenſus. Sane hujus verbi initium tractum eſt, quia proprie, egregium dicebatur, quaſi in grege ampliſſimum, quod emineret ex grege. Singula autem hic pronuncianda ſunt, & memorandum in ſingulis verbis habentes in ſingula invidiam. SPOLIA AMPLA REFERTIS TVQ. Tranſlatio rei militaris, referre enim ſpolia victores ex victis dicuntur.

PVER. Filius, παῖς puer eſt, Græce dixit. Vt Horatius, *Pueroſque Ledæ.*

FOEMINA. Bene fœmina qualis mortalis opponitur, ut, *Mixta deo mulier*, pro mortali intelligendum eſt. DVORVM EST. Bene ceſſit maſculino fœmininum.

ADEO. Multum, valde: ut Terentius, *Adoleſcentem adeo nobilem.* VERITAM TE MOENIA NOSTRA. Propter illud, *Haud tanto ceſſabit cardine rerum.* MOENIA NOSTRA. Iunonis hoſpitium. Nam legimus, *Quo ſe Iunonia vertant Hoſpitia*, & *Noſtra* Græce dixit.

MODVS. Finis. Iuvenalis, *Nullo quippe modo milleſima ſurgit Pagina.* SED QVIS ERIT. Archaiſmos. AVT QVO NVNC CERTAMINE TANTO? Quo nunc, Aut quo, aut ad quam rem, aut quid opus eſt tanto certamine? Aut figurate quo tibi hoc, id eſt quo nunc certamen tantum, aut quis modus erit in tanto certamine, aut quouſque, ut uſque extrinſecus accipiamus.

QVIN POTIVS. Pro, Cur non. PACEM ÆTERNAM. Non inducias temporales. PACTOSQVE HYMENÆOS. Licet fabula de Hymenæo in primo libro enarrata ſit breviter, tamen plenior talis eſt: Hymenæus Athenienſis adeo pulcher fuit, ut adoleſcens, puella putaretur: Is cum unam virginem nobilem ipſe mediocriter ortus adamaſſet, ejuſque nuptias deſperaret, quod unum poterat, ſequendo puellam, amori ſatisfaciebat: Sed cum Athenienſium nobiliſſimæ virgines Eleuſinæ Cereri ſacra facerent, ſubito adventu pyratarum raptæ ſunt, inter quas etiam Hymenæus, qui illò amatam fuerat ſecutus, tanquam puella raptus eſt. Sed cum pyratæ prædam per maria longa portaſſent, in deſertam regionem delati, ac fatigati ſomno ſe dederunt; quos cum univerſos occidiſſet Hymenæus, relictis ibi virginibus Athenas reverſus eſt, petiitque à civibus, ut ſi virgines quæ raptæ fuerant reduxiſſet, dilectæ nuptias impetraret; quas cum reduxiſſet, optatam in matrimonium virginem meruit, quod conjugium quia felix fuerat, placuit omnibus Athenienſibus, omnibus nuptiis Hymenæi nomen intereſſe: Eſt etiam alia ratio vocabuli: Nam Ymen quædam membrana quaſi virginalis puellæ eſſe dicitur, qua rupta quia deſinat eſſe virgo, Hymenæi nuptiæ dictæ.

HABES TOTA QVOD MENTE PETISTI. Propter illud, *Noſtram nunc accipe mentem.*

ARDET AMANS DIDO. Plus dixit hæc quam Venus imperaverat, illa enim dixerat: *Sed magno Æneæ mecum teneatur amore*, hæc dixit, *Ardet.* & TRAXIT FVROREM, traxit autem dixit, ut ſpiritum trahere dicimus.

COMMVNEM HVNC ERGO POPVLVM. Vtrum ad ſolum Carthaginenſem retulit, quem velit ſibi communem eſſe cum Venere; an utrumque, id eſt Tyrios & Trojanos.

VARIORVM.

TALIBVS AGGREDITVR. Hoc verbo futuræ orationis habitus oſtenditur, dolo videlicet & inſidiis plenæ. Eſt enim *aggredi* interdum doloſe & inſidioſe, hoc eſt decipiendi cauſa quempiam adire. Terent. Phorm. *Satis aſtute aggredimini.* NASCIMB.

EGREGIAM VERO LAVDEM. Ironia. *Vero, Enim, Scilicet, Videlicet*, voces ſunt appoſitæ ironiæ: *Iſte* contemptui. HART.

TOTA QVOD MENTE, &c. Proverbialis verſiculus, ad concludendum aptiſſimus. HART.

Auſpi-

Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotaleisque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat? aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem, Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.

SERVII.

PARIBVSQVE REGAMVS AVSPICIIS. Æquali potestate. & ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Et dictum est à comitiis, in quibus hisdem auspiciis creati, licet non simul crearentur, parem tamen habebant honorem, propter eadem auspicia. Vnde & consules pares sunt, cum necesse esset ut unus prior crearetur. PHRYGIO SERVIRE MARITO. Eloquenter, Emphaticōs: ac si diceret *exuli*. Nonnulli autem per fallaciam Iunonis dictum accipiunt.

LICEAT. Id est non necesse sit, sed in voluntate sit Didonis si velit, ut supra, *Paribus auspiciis*, non imperio. Potest enim imperium par non esse cum auspicium par sit. Alii invidiose dictum volunt, liceat Phrygio marito, id est qui victus est, non dixit *nubere*, sed *servire*. Quidam servire dubitant utrum Didonem, an Tyrios dixerit. Sane hic coëmptionis speciem tangit. Coëmptio enim est ubi libra atque æs adhibetur, & mulier atque vir in se quasi emptionem faciunt, quod ante jam in primo Georgicorum, *Teque sibi generum Thetys emat omnibus undis.* Quoniam coëmptione facta mulier in potestatem viri cedit, atque ita sustinet conditionem, liberalis servitutis. * ait enim, *Liceat Phrygio servire marito*, & in lib. 1. Geor. *Tibi serviat ultima Thyle*, quoque omnis iste mos coëmptionis, & citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conventio dicitur: subjunxit, *Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ*; quid est enim aliud *dextræ*, quam in manum convenire, quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam Iure Pontificio in matrimonium necesse est convenire. Sciendum tamen in hac conventione Æneæ atque Didonis, ubique Virgilium in persona Æneæ Flaminem, in Didonis Flaminicam, præsentare.

DOTALES TYRIOS. Regiam spectavit personam. PERMITTERE DEXTRÆ. Quasi per manus conjunctionem secundum jus locutus est.

OLLI. Aut illi, aut tunc. Cætera per parenthesim dicta sunt. Ordo enim est, Olli sic contra est ingressa Venus. SIMVLATA MENTE. Hoc est talibus aggreditur.

QVO. Pro, ut, Pronomen pro conjunctione causali. LIBYCAS ADVERTERET ORAS. Absolutior hæc quidem est elocutio: sed verior & magis figurata illa, *Libycas averteret oras.* Nam plerumque trahitur Schema, ut, aliquo ituri non ad locum, sed de loco ponamus significationem: ut si dicas, De Campania abeo in Tusciam, *abeo* honestius est quam si dixeris *eo*. Nec hoc tantum hoc loco facit, sed pluribus. Hinc est enim, *Rspamve injussus abibis?*

INGRESSA VENVS. Calliditatis est, ut supra, habet enim hæc vox insidiarum significationem. QVIS TALIA DEMENS. Deest *nisi*, ut nisi demens.

AVT TECVM MALIT CONTENDERE BELLO? Non dixit possit, quod autem addidit.

SI MODO QVOD MEMORAS. Oblique dum consentit, docet fieri non posse. FORTVNA SEQVATVR. Aut subauditur fortuna prospera, aut hoc ad casum pertinet.

FATIS INCERTA FEROR. Bene omnia tetigit, quibus res humanæ reguntur: casum, fata, voluntatem deorum. Alii sic exponunt, quia scio fatis aliud videri, ideo de Iovis voluntate nunc dubito. Ergo *fatis* propter fata. Sane oratorie & blanditur & pugnat, sed non palam, dicendo incertam se esse de voluntate fatorum.

AVT FOEDERA IVNGI. Si FOEDERA, per se plenum est: si FOEDERE, ad populos pertinet.

DONATI.

TVÆ. Quasi indigæ. TYRII. Invidiose, quasi potentissimi.

QVO REGNVM. Sensit non potuisse fieri, ut tam graves, tamque diuturnas inimicitias, sic subito deponeret. Noverat enim quid Æneæ deberetur, quo magis nitebatur id avertere.

SIC CONTRA. Melius visum est dolos dolis excludere, veluti approbatis per dissimulationem præsentibus, ne deteriorem viam inquireret atrox inimica, si contrariam se ostenderet Venus.

QVIS TALIA DEMENS. Hæc vox quasi consentientis est.

SED FATIS INCERTA FEROR. Non fuit incerta: sed ita posuit, ut neque reniti videretur, & tamen non posse fieri subdole demonstraret. SI IVPITER. Sciebat non posse fieri, sed noluit ostendere se nolle: sed ad Iovem eam demisit, ut ab eo sciret non posse fieri. Nam virorum secreta facile intelligunt uxores.

Tu

Digitized by Google

Tu conjux; tibi fas animum tentare precando.
Perge, sequar. Tum sic excepit regia Iuno:
Mecum erit iste labor, nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Æneas, unaque miserrima Dido,
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commista grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, tonitru cælum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem

SERVII.

TV CONIVX. Dicendo conjux, ostendit eam non posse ignorare, impossibile esse quod petit. TIBI FAS ANIMVM TENTARE PRECANDO. Sic Æolus, *Tuus ô regina quid optes Explorare labor.*

PERGE, SEQVAR. Per te incipiet. Bene aliud agens, aliud ostendit. Ante enim est Iunonis officium ex matrimonio: sic usus venerius. Vnde paulo post, *Adero, & tua si mihi certa voluntas.* TVM. Quidam ordinis esse volunt, *tunc* temporis. EXCEPIT. Subsecuta est: & potest *excepit*, pro insidiose respondit, accipi; ut, *Æmulus exceptum Triton*, &, *Excipit incautum.*

ISTE LABOR. Scilicet explorationis à Iove. Quod dixerat si Iuppiter unum. QVOD INSTAT. Quod fieri volo.

CONFIERI. CON abundat: ut, *Fata renarrabat divum cursusque docebat.* Quamvis veteres indifferenter *confieri* dicebant. PAVCIS ADVERTE. Id est animum adverte, parte pro toto usus est. Et aut adverte paucis, aut paucis docebo. MISERRIMA DIDO. Aut ex persona miserantis dictum, dolet enim insidiis circunventam, aut *miserrima* quæ perdiderit castitatem.

NEMVS. Pro sylvis & montibus. VBI. Hoc loco, pro *Cum.*

TITAN. Sol, unus enim de Titanibus Yperionis filius contra Iovem non fecit. RETEXERIT ORBEM. Quem nox tegebat. Ergo illuminaverit, huic contrarium, *Quotiens humentibus umbris Nox operit terras.*

NIGRANTEM. Nigrum: participium pro nomine, sine verbo, & quæritur quis prius *nigrantem* dixerit.

ALÆ. Equites: ob hoc alæ dicti, quia tegunt pedites, alarum vice. INDAGINE. Ferarum inquisitione. Et quidam cum vestigatoribus alatorum mentionem inductam accipiunt. Nam indaginem vestigatorem ipsum tradunt. Alias vero alatores, qui dextra & sinistra plagarum subiata voce prohibent feras exire. TREPIDANT vero hoc loco, *sensim* accipiunt, non ut alibi festinant, ut, *Hic me dum trepida*: quia saltus non cursu, sed sensim cinguntur. Quidam trepidant ab equis, qui hodieque trepidare dicuntur, appellari putant. Cato, *Sedere non potest in equo trepidante.* DESVPER INFVNDAM. Quia aër est Iuno. Bene ergo hic se facturam dicit, quod habet in potestate.

NOCTE OPACA. Nubium caligine. OMNE CIEBO. Pro totum. Omne enim, numeri est: *totum*, quantitatis.

VARIORVM.

TV CONIVX. Argumentatur à facultate & ab honesto: quasi dixerit: Tu hoc facile scire & honeste etiam à Iove petere potes, quia illi uxor es: quibus verbis occulte significatur licere interdum uxori à viro, magna etiam rogando impetrare. NASCIMB.

MECVM ERIT ISTE LABOR. Transigendi negotii provinciam recipit, quod tamen fatis adversantibus non transiget. Quare ad consilium utriusque alteri jungendi, nullis nuptiarum auspiciis, nullis legitimis cærimoniis se vertit, si quid etiam contra vetitum possit proficere. Sed Venus consilium ridet, ut doli plenum & vaferrimæ simulationis. HORTENS.

CONFIERI POSSIT. *Confieri*, pro confici, casta elocutio est; neque *con*, ut scribit Servius, in hoc verbo abundat: quin potius, sicut pleniore intellectu *conficio*, quam facio dicimus; cum confectæ res proprie dicantur non nisi magnæ atque arduæ, quæ perfectæ sunt: ita *confieri* hoc loco positum de re magni momenti. ERYTHRÆVS.

VBI PRIMVS CRASTINVS. Hypallage: pro, *ut primum crastinus.* HARTVNG.

DVM TREPIDANT ALÆ. *Trepidant*, festinant. *Alas* vero venatorum intellige, qui in dextra sinistraque saltus parte, tanquam in corpore avis alæ locati, apertam feris planitiem ad excurrendum relinquebant. Xenophon de venatione, Venatorum quatuor genera esse dicit: *Investigatorum*, qui animalium vestigia investigant: *Indicatorum*, qui latibula noverunt: *Insidiatorum*, qui insidias & casses animalibus parant: *Alatorum* vero, qui equo succussanti, sensimque insultanti animalia terrent, ne aliorsum quam per medias tendiculas fugam arripiant. SCOPPA lib. 1. Collect. c. 23. PONTAN.

Devenient: adero, &, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit, non adversata petenti,
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit:
It portis jubare exorto delecta juventus;
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant; ostroque insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.

SERVII.

TVA SI MIHI CERTA VOLVNTAS. Id est, si etiam tuum subsequatur officium. Quia Iuno conjugium, Venus causa conjunctionis fit. Igitur Juno nil se posse adnuntiat, nisi voluntas Veneris adfuerit. CERTA autem firma, quia promiserat.

CONNVBIO. Hoc Veneri contrarium est, & hic est dolus quem intellectura est & risura. NV naturaliter longa est, ab eo quod est nubere: ut, *Connubia nostra Reppulit*: sed modo metri causa corripuit.

HIC HYMENÆVS ERIT. Id est, hæ erunt nuptiæ. Sane de Hymenæo licet superius dictum sit, tamen sunt etiam aliæ opiniones: nam alii hunc Veneris & Liberi filium dicunt primum nuptiis prospere usum, ob quod in nuptiis vocatur, unde nuptiale carmen Hymenæus. Alii nuptiarum inventorem tradunt, & ideo carminibus decorari, quod exemplum ab eo proditum ubique servatur. Cornelius Balbus Hymenæum ait Magnetis filium, musicæ artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris & Altez religiosis cantibus celebrat, expirasse, propter quod ei talis honor nuptiis adtributus est, ut celebratio nominis ejus nuptiarum jungendarum perpetuum nomen esset. NON ADVERSATA. Legitur & AVERSATA.

REPERTIS. Vel compertis vel deprehensis. Cur autem dolis repertis risit, qui altius intelligunt sic tradunt, hoc est quos jampridem compererat, cum Ilium obpugnaretur.

IVBARE EXORTO. Nato Lucifero. Nam proprié jubar Lucifer dicitur, quod jubas lucis effundit. Vnde etiam quicquid splendet, *jubar* dicitur, ut argenti, gemmarum. Est autem Lucifer interdum Iovis. Nam & antiqui *jubar*, quasi juvar dicebant. Plerunque Veneris stella. Vnde Veneris dicta est: ut, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* Alii *jubar* Solem, alii splendorem siderum dicunt. Sane modo Hysteroproteron est in sensu, Nam *Lucifer jubar est.* Iubar enim præcedit Auroram: & facit hoc jubar, hujus jubaris.

RETIA RARA, PLAGÆ. Multi dividunt, ut sic retia rara, majora: plagas vero, minora intelligant. Alii plagas per definitionem accipiunt: ut intelligant quæ sunt retia rara, plagæ. Sane sciendum proprie *plagas* dici funes illos quibus retia tenduntur circa imam & summam partem. Ergo, *Retia, rara, plagæ, lato venabula ferro*, subauditur portantur, aut Zeugma est, *ruunt.* LATO VENABVLA FERRO. Lati ferri, *venabula* autem ob hoc dicta, quia apta venatui, quasi excipiabula.

MASSYLI. Massyliorum gens est haud longe à Mauritania: & Massyli legendum per unum *l* litteram, ne non stet versus. Sy enim longa est: ut, *Hæc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos.* ET ODORA CANVM VIS. Plus enim est quam si diceret, multitudo. Vt Salustius, *Qua tempestate ex ponto vis piscium erupit.* Ergo vim aut ad multitudinem, aut ad naturam retulit. ODORA autem, non olens sed odorem inveniens, ergo improprie dixit. Nam odorum est, quod ex se odorem emittit, non quod odorem sequitur: ut Statius, *Et odoro vulnere pinus.* Sic est, *Et inter odoratum lauri nemus*, pro odorum. Nam odoratum est quod aliunde odorem accipit, ut odoratum templum. Tria ergo sunt: *odorum*, quod per se olet: *odoratum*, quod aliunde odorem accipit, ut odoratum templum: *Odorisequum*, quod odorem sequitur, sicut modo de canibus debuit hic dicere.

CVNCTANTEM. Morantem. atqui amatrix ad eum quem amabat debuit festinare: sed pathos naturale superat: ut mulierem & reginam ostendat, ut Terentius, *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Deinde hæc morabatur jam studio placendi. Hic enim inducitur veste, armis, auro, vel purpura comptior, cum supra naturalis pulchritudinis gloria contenta sit, ut, *Regina ad templum forma pulcherrima Dido.* AD LIMINA. Ante, vel apud. PRIMI. Principes, ut, *una omnes juvenum primi*, & bene reginæ officio *primi* adsunt, quia de plebe dixerat: *It portis jubare exorto delecta juventus.* Et, *Massylique ruunt equites.*

STAT SONIPES. Adest, præsens est. Nam si STAT simpliciter acceperis, vituperatio est. Quia legimus, *Stare loco nescit.* Denique sequentia dictum hoc explanant: ut, *Ac frena ferox spumantia mandit.* SPVMANTIA. Spumas vomentia; ut naufragum mare, quod naufragos facit.

VARIORVM.

STAT SONIPES. Plenum carmen & sonorum: quale illud Homeri, Odyss. *α. βοῆν ἀγαθὸς Μενέλαος* [illegible] HARTVNG.

Tandem

Digitized by Google

Tandem progreditur magna stipante caterva;
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non & Phrygii comites, & latus Iulus,
Incedunt: ipse ante alios pulcherrimus omneis
Infert se socium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta

SERVII.

TANDEM. Hoc ad illud redditum; *Reginam thalamo cunctantem.*

SIDONIAM PICTO CHLAMYDEM CIRCVNDATA LIMBO. Veteri ceremoniarum jure preceptum est: ut, *Flamen venenato operta sit. Operta* autem cum dicitur Pallium significatur, *Venenatum* autem infectum, quod ipse ait in Bucolicis: *Alba nec Assyrio fucatur lana veneno*, hic vero cum dicit Sidoniam, ostendit Tyriam & purpuream dederat infectam, chlamydem autem Pallium esse quis dubitet. Præterea Flaminicam habere præcipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam, de Venenato dictum est. Arculum vero est virga ex malo Punico incurvata, quæ fit quasi corona, & ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat: Flaminica autem dialis omni sacrificatione uti debebat. Virgilius ergo propter nominum & intellectus difficultatem aliter omnia comprehendit, nam Pallio chlamydem, pro venenato, id est infecto, Sidoniam. Arculum vero & fibulam ex auro factam commemorat, dicendo *Cui pharetra ex auro crines nodantur in aurum*, quod in arculum potest referri, nam de fibula manifestum est cum ait: *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.* Subnectit autem quid aliud est, quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit? Vestem vero possumus ricam accipere, quia rica genus est vestis. Sciendum sane sicut supra dictum, ubique Didonem Flaminicam ostendi. LIMBO. Limbus est, ut supra dictum est, fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum: ut, *Victori chlamydem auratam quam plurima circum Purpura.*

CVI PHARETRA EX AVRO. Deest *erat*, & amat Poëta iterare voces, vel pretiosas, vel necessarias, vel optabiles: Preciosas. ut 1. Æneid. *Ærea cui gradibus surgebant limina.* 7. Æneid. *Aurea pectoribus demissa monilia pendent*: Necessarias item, 7. Æneid. *Ab Iove principium generis, Iove Dardana pubes.* Optabiles ita. *Humilemque videmus Italiam.* CRINES NODANTVR IN AVRVM. Veluti retiolum dicit, quod colligit comas, quæ Græce κρωβύλη dicitur.

IPSE ANTE ALIOS. Quia amabatur, & ideo ei dat pulchritudinem: licet Ascanio magis congruat. PVLCHERRIMVS. Ex animo Didonis, hoc enim ei videbatur; alibi epitheta Æneæ dat, cum religiosum ostendit, dicit pium, cum fortem magnanimum.

VBI. Hoc est cum. HYBERNAM LYCIAM. Non asperam, sed aptam hyemare cupientibus. Sic enim se habet natura regionis: Sed bene aliud agens, aliud ostendit. Nam constat Apollinem sex mensibus hyemis apud Pataram Lyciæ civitatem dare responsa (unde Pathareus Apollo dicitur) & sex mensibus æstivis apud Delum. Ergo Hybernam, utrum quod ibi hyemare soleat, an frigidam, an hyeme temperatam, an quam hyberno tempore deserere soleat. XANTHIQVE FLVENTA. *Que*, pro *vel* posuit. Hoc enim dicit, vel cum Xanthum, vel cum Lyciam relinquit, ut est, *Suspectaque dona Precipitare jubet, subjectisque urere flammis.*

DONATI.

LIMBO. Limbus regibus deputatur & diis: qui eorum caput candido orbe circundat.

CVI PHARETRA. Totum quod habuit aut aurum fuit, aut purpura, ut placeret.

QVALIS. Vt Æneæ pulchritudo præferri cæteris posset, deficientibus humanis ad divinam comparationem accessit: & quia Didonem Dianæ comparaverat, hunc comparat Apollini.

VARIORVM.

SIDONIAM PICTO CHLAMYDEM C. L. Non temere hic Didonem fingit chlamydem gerentem, tanquam tegmen viatoris. Qui enim peregrinabantur, uti ea consuesse, ut pote ad injurias cæli depellendas apta. Et ut Pollux in *Onomastico* dicit, usui chlamydem esse posse, sinistra manu implicatam, cum feræ in aliquem insiliunt, aut quis pugnam cum illis capessit. Et ut Pacuvius apud Varronem loquitur; *chlamyde clupeat brachium*; tanquam usum præbeat clypei amictus hic; evitarique illo possint tela ictusque qui inferuntur. VICTORIVS.

CRINES NODANTVR. Manilius lib. 5. *Tortos in fluctum ponere crines*, id est diffundere, aut quasi undantes facere. TVRNEB. l. 4. c. 19.

AVREA PVRPVREAM. Explicat Victorius lib. XXXII. cap. 12. & lib. 4. cap. 19.

QVALIS VBI HYBERNAM. Sumptum ex Apollonii lib. 1. Turneb. lib. 3. cap. 2.

QVALIS, VBI HYBERNAM. Apollonius libro primo: unde hæc comparatio, haud dubie transsumpta: οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων Δῆλον ἀν' ἠγαθέην, ἢ Κλάρον, ἢ ὅγε Πυθὼ, ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσιν. HART.

Digitized by Google

Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros: mistique altaria circum
Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris. haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montes atque invia lustra:
Ecce, feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrêre jugis: alia de parte, patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri

SERVII.

DESERIT. Relinquit, ut, *Desertosque videre locos littusque relictum.* DELVM MATERNAM. Quæ Latonam fugientem, dracone Pitone insequente, suscepit. Et hoc ideo quia sicut dictum est, sex mensibus æstivis apud Delum responsa dat. INVISIT. Repetit, per quod ostendit relicta Delo ad Lyciam transire. APOLLO. Apollini Æneam vel propter sagittas, quibus in venatu utebatur, comparat: vel certe propter futurum infœlix matrimonium. ut enim supra diximus, nuptiis est hoc numen infensum. Vel Apollini Æneam, ut in primo Didonem Dianæ, quomodo germanorum nuptiæ esse non possunt.

CHOROS. Sacra. CRETES. Ab eo quod est Cres.

DRYOPESQVE. Populi sunt juxta Parnasum: ut, *Dryopumque trahens Erasinus Aristas.* Erasinus vero fluvius est. Hi populi ab Hercule victi Apollini donati esse dicuntur. PICTIQVE AGATHYRSI. Populi sunt Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum, cujus logia, id est responsa, feruntur. *Picti* autem non stigmata habentes: sicut gens in Britannia, sed pulchri, hoc est cyanea coma placentes. Hos Melissus ad Homero Achabas appellari ait, qui propter scientiam sagittarum Apollini sunt gregales, sicut Cretes.

CYNTHI. Mons est Deli Cynthos. FLVENTEM. Vnguentatum, odoribus abundantem, aut prolixum & effusum, ut τὸν ἀκερσεκόμην significet.

FRONDE PREMIT. Id est comprehenso crine efficit ne fluat. FINGENS. Componens. IMPLICAT AVRO. Non frontem, sed crinem qui est illi retrorsum in nodum collectus.

TELA SONANT. ut in nono, *Pharetramque fuga sensere sonantem.* HVMERIS vero, aut in humeris, aut ex humeris. HAVD ILLO SEGNIOR. Id est, non illo deformior. Nam plerunque virtus & pulchritudo per se invicem componuntur. Hinc est, *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus.* Nam Herculi satis incongrua est pulchritudo. Sic Plautus in Pyrgopolinices fabula de muliere interrogat, *Quid nam fortis est?* Id est pulchra.

EGREGIO. Præclaro: Et sic dicimus quasi extra gregem.

LVSTRA. Latibula ferarum vel luporum: unde & lupanaria meretricum, lustra dicuntur.

ECCE Adverbium demonstrationis est, ut ostenderet velociter factum, & bene hac particula utitur, facit enim nos ita intentos, ut quæ dicuntur putemus videre. Ità enim capreæ suspensionis super saxa currunt, ut putes cadere illas cum exiliunt. FERÆ CAPRÆ. Hoc est capreæ. Et bene aptat descriptionem ad species: ut *cervis* campos, *capreis* saxa permittat. SAXI. Pro montis, ut, *Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.* FERÆ CAPRÆ. Quas Græci αἰγάγρους vocant.

DECVRRERE. Bene præterito usus est tempore, ad exprimendam nimiam celeritatem. Ostendit enim jam factum. Sane decurrêre juxta analogiam dixit, non ut imperiti putant *decurrerunt*.

TRANSMITTVNT. Celeriter transeunt: præcipue transmittere est de loco ad locum transitio.

PVLVERVLENTA. Num cervorum pulverulenta agmina, quæ pulverem faciunt, ut, *Pulverulenta coquat maturis solibus æstas* GLOMERANT. Pro involvunt. Alias pro in unum contrahunt, ut, *Quem circum glomerati hostes*, vel glomeratim eunt.

VARIORVM.

DELVM MATERN. Cælius lib. 3. c. 3. Turneb. lib. 19. cap. 29. & lib. 24. cap. 26

INSTAVRATQVE CHOROS. In Delo sacrum nullum obibant absque saltatione & Musica. Prodibant autem puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus; è quibus selecti peritissimus quisque saltabant. Eorum item cantilenæ à saltationis usu dicebantur ὑπορχήματα. PONTAN.

CRETESQVE FREMVNT. Turneb. lib. 24. cap. 26. & lib 30. cap. 39. morem explicat.

PICTIQVE AGATHYRSI. Cælius lib. 5. c. 3. Cur autem picti. Solinus habet cap. 25. HART.

Gaudet

Digitized by Google

Gaudet equo: jamque hos cursu, jam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit: insequitur commista grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, & Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiêre: ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem
Deveniunt: prima & Tellus & pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes & conscius æther

SERVII.

GAVDET EQVO. Gaudet quod acrem equum habeat, & velocem. IAMQVE HOS CVRSV. Id est modo: ut, *Iam eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.* Et bene puerilem ostendit animum, qui per mobilitatem frequenter optat timenda.

PECORA INTER INERTIA VOTIS. Bene per contemptum pecora, cum ea sint pecora, quæ non sylvestri, sed humano usui aluntur. *Inertia* autem pro ignavis & innocuis posuit, & hoc ad capras & cervos retulit, ut in Georgicis, *Imbelles dant prælia cervi.* Nam *iners* proprie quid sit Lucilius declarat, *Vt perhibetur iners ars in quo non erit ulla.*

MONTE LEONEM. Per transitum tangit historiam. Nam Ascanius præter Iulum & Ilum quæ habuit nomina, etiam Dardanus & Leontodamus dictus est, ad exstinctorum fratrum solatium. Ideo nunc eum dicit optare adventum leonis. paulo post, Dardaniusque nepos Veneris. Constat etiam Æneam Dardanum dictum, ut ostendit Virgilius, *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Item, Ilioneus, *Hinc Dardanus ortus*, Hic repetit. Nam latenter illud nomen ostendit.

COMMISTA GRANDINE NIMBVS. Secundum Iunonis promissa, *His ego nigrantem commista grandine nimbum.* Et bene etiam *grando* dicitur: quia poterat nimbus contemni facilius. Murmur autem cœli ad infaustum omen pertinet, quia tonitru dirimuntur auspicia.

NEPOS VENERIS. Quidam indecenter dictum volunt, ut, Venus avia sit.

DE MONTIBVS AMNES. Ne vel investigare possint Tyrii reginam.

DEVENIVNT. Bene supprimit rem pudendam, sic Terentius, *Quid tum satine? fateor.* PRIMA ET TELLVS. Satis perite loquitur. Nam secundum Etruscam disciplinam nihil tam incongruum nubentibus, quam motus terræ vel cœli dicitur. Quidam sane, Tellurem præesse nuptiis tradunt, nam & in auspiciis nuptiarum vocatur, cui etiam virgines, vel cum ire ad domum mariti cœperint, vel jam ibi positæ diversis nominibus, vel ritu sacrificant. ET PRONVBA IVNO. Quæ nubentibus præest. Iunonem autem dedisse signa per tempestatem constat & pluvias, quæ de aëre fiunt. Varro pronubam dicit, quæ ante nupserit, neque uni tantum nupta est; ideoque auspices deliguntur ad nuptias.

FVLSERE IGNES. Vt dei nuptiales. Varro dicit, *Aqua & igni mariti uxores ducebant.* Vnde hodieque & faces prælucent: & aqua petita per fœlicissimum puerum aliquem, aut puellam de puro fonte, interest nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lavari. Alii *fulsere* pro malo omine positum volunt. Cum enim ait *fulsisse ignes*, infaustum connubium videtur ostendere, quia actio perimitur cum de cœlo servatum est, & bene hoc totum ad Iunonem refertur, quia aër esse dicitur, Vnde aquas cum ignibus dedit.

VARIORUM.

INTEREA MAGNO MISCERI, &c. Fiunt ea, quæ Iuno futura prædixerat, movetur cælum, tonitrua concrepant, nimbi funduntur, de summis montium verticibus amnes præcipitantur plurimi. Deserta venandi voluptate, fugiunt omnes, & diversa occupant tecta: Diversa ideo, quod dispersæ rusticæ domus tantam multitudinem adunatam capere non poterant. Vel quod unusquisque usus in tanta necessitate compendio, non pulchrum suffugium tecti, sed proximum quærebat. DONATVS.

SPELVNCAM DIDO. Hujus antri meminit & Ovid. in Epistola Didonis:

Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Cæruleis subitis, impulit imber aquis.

Vide Iac. Nic. Loensem lib. 9. Epiph. c. 23.

PRIMA ET TELLVS. Infra lib. 7. Tellus prima deorum: *Primamque deorum Tellurem.* Platonem in Timæo. Cælium lib. 1. cap. 4. lege. HART.

ET TELLVS, ET PRONVBA IVNO D. H. Non temere est quod signorum & prodigiorum in nuptiis mentionem facit. Nam superstitiosa illa priscorum natio, cum in aliis, tum in conjugiis, vel maxime omina observabat: unde illud, *primusque jugarat Ominibus.* Et nuptiis auspices adhibebantur. TVRNEB. lib. 3. cap. 14. Nescio an Nannio assentiendum sit, qui hic *Iunonem* pro Terra accipit: quia Tellurem Poëta præmiserit & Iunonem subjunxerit, idque cum pronubæ epitheto, quod Terræ convenire non videtur. GERMAN.

FVLSERE IGNES. Pet. Nannius Misc. l. 7. c. 14

Connubii, summoque ulularunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus lethi, primusque malorum
Caussa fuit. neque enim specie famave movetur;
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it fama per urbes:
Fama, malum quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras:
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata deorum,

SERVII.

VLVLARVNT. Bene elegit medium sermonem. Nam ait Lucanus, *Non tu lætis ululare triumphis.* In luctu autem ululare non dubium est. Et ideo medium elegit sermonem, quia post nuptias mors consecuta est. Nonnulli ita accipiunt, quod *ululare* veteres etiam in sacris dicebant, ex Græca consuetudine. Ergo ulularunt Nymphæ, quasi nuptiarum sacra celebrarunt. Græci autem ὀλολυγμὸν appellant, nam & primam congressionem ὀλολυγὴν dicunt, quod Virgilius ostendit, *magnoque ululante tumultu.*

SPECIE FAMAVE MOVETVR. *Species* rerum Didonis præsentium est, quod quasi aspicitur: *fama* autem rerum absentium. Hoc ergo dicit, Non eam movet, nec præsens deformitas, quod non in thalamo, sed in spelunca concubuerat: sed nec futura mox fama. Alii *fama* accipiunt facta qualitate, aut respectu honestatis τοῦ πρέποντος. adeo illam nec Tyriorum pudebat videntium talia, nec aliarum gentium quæ audiebant. Ergo *fama* deest *mala*.

MEDITATVR. Exercet: sic Horatius, *Et horridam cultis diluviem meditatur agris.* Nec incongrue dictum. Actus enim est in ipsa meditatione. Nam exercitium meditatio est. Sciendum tamen est hoc hodie in usu non esse.

PRÆTEXIT. Prætegit. CVLPAM. Vt supra, *Succumbere culpæ.*

FAMA MALVM QVO. Diffinitio est, ut QVO ex præcedenti pendeat nomine: quanquam alii QVA legant. Sane QVO nisi diffinitio sit, legi non potest: nec enim procedit, ut ordo sit. Fama quo non aliud malum est velocius.

MOBILITATE VIGET. Dat ei ἐπιφώνημα: & laudat à contrario. Cum enim omnia labore minuantur, hæc crescit. Sane *viget* quidam pro *vigescit* accipiunt.

METV PRIMO. Non primo metu sed primum, quod initio cautius loquatur, id est in principio: cum enim quis veretur ne auctor is sit, quod audit continet; at ubi sit vulgatum, passim loquitur, & modo *Primo* adverbium est, non nomen. ATTOLLIT IN AVRAS. Sumpta licentia quæ minuebatur timore.

INGREDITVRQVE SOLO ET CAPVT INTER NVBILA CONDIT. Hoc vult ostendere: nec humili eam fortunæ parcere, nec superiori. Vel quia famæ incertus auctor.

TERRA PARENS. Genialis est rerum omnium parens Tellus. IRA INRITATA DEORVM. Amphibolon est, utrum ira sua propter extinctos gigantes: an ira deorum inritata, quæ exstinxerat gigantes. Vel ideo ira deorum, quod in eam fulmina & grandines de cœlo cadunt.

VARIORVM.

FVLSERE IGNES, ET SVMMO VLVLARVNT VERTICE. In fulmine autem omen esse nuptiarum, multis testimoniis probari potest. ut ex Claudiano lib. 2. de raptu Proserpinæ. Ad ritus ergo nuptiales pertinet, *Summoque ulularunt &c.* Moris enim fuit, ut puellæ ante thalamos, ubi novi nupti inerant, vesperi usque ad mediam noctem concinerent, quæ carmina κατευναστικὰ, hoc est somni conciliatoria vocabantur. Fiebat autem id, ne quid foris audiretur quod intus fieret. Rursus alia ab iisdem canebantur carmina matutina, quæ διεγερτικὰ hoc est excitatoria nuncupantur. *Vlulare* vero, luctus & lætitiæ vocabulum est, unde Lucanus, *Et lætis ululare triumphis.* Quamobrem Virgilius in incerto reliquit, lugubriter an festiviter concinuerint, naturam prodigiorum sequens, in utramque partem dubia significatione replicatilem. NANNIVS. Miscell. 7. cap. 14.

ILLE DIES. Muret. lib. 5. Var. cap. 16.

FAMA MALVM. Græcismus: pro eo quod est, fama aliquid mali, vel aliquod malum. Græci enim subaudiunt τὶ τι. Euripides in Supplicibus: σφαλερὸν ὁ μέμφει θηρεύς, &c. Homer. Iliad. 4. De contentione, quæ Maro de fama. Macrob. lib. 5. c. 13. HARTVNG.

MOBILITATE VIGET. Proverb *Ex minimis initiis maximum.* Hom. Iliad. 4. ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη. Macrobius lib. 5. cap. 3. & 13. HARTVNG.

MOX SE ATTOLLIT. Turneb. lib. 29. cap. 6.

CAPVT INTER NVBILA CONDIT. Quia famæ caput, id est auctor rumorum fere incertus est. Et dixit *nubila*, non cælum: quia ad nubes usque pervenire à terra clamor potest. PONTAN.

Extre-

Digitized by Google

Extremam (ut perhibent) Cœo, Enceladoque ſororem
Progenuit: pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens: cui, quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat,
Gaudens, & pariter facta, atque infecta canebat:

SERVII.

EXTREMAM. Aut poſt omnes gigantes, quæ ideo ad deorum ultionem nata eſt (nam per ipſam eorum crimina vulgata ſunt) aut certe EXTREMAM, peſſimam. Omnes enim qui de medicina tractant dicunt naturale eſſe, ut inutiliores ſint qui naſcuntur ultimi. Famam ergo inducit ultam eſſe fratres, quia ipſa deorum delicta vulgavit. VT PERHIBENT. Quotieſcunque fabuloſum aliquid dicit, ſolet inferre, *Fama eſt*. Mire ergo modo cum de ipſa fama loqueretur, ait, *Vt perhibent*. COEO ENCELADOQVE. Iſti Gigantes fuerunt inter alios, qui Iovem ſuperpoſitis montibus regno cœleſti detrudere conati, fulminibus ſunt deleti, & bene elegit ex fratribus maximos, ex quibus exiſtimaretur.

PEDIBVS CELEREM ET PERNICIBVS ALIS. Convertit rerum epitheta. Nam pernix pedum eſt: ut, *Pernicibus ignea plantis*: Celeritas pinnarum eſt: ut, *Celerique fuga ſub ſidera lapſa*. Aut certe intentio deſcribentis eſt, ſupervacuum eſt enim alas habenti pedum pernicitas, aut ſic intelligit pedibus celerem, & alis velocibus.

MONSTRVM. Bene vituperavit famam ex accidentibus perſonæ per parentes, alas & fratres, * & quod eam deſcribit non eſt narratio, ſed argumentatio, quidni monſtrum, quæ hujus naturæ ſit ut quot plumas, tot oculos, tot linguas, tot aures & cætera. QVOT SVNT CORPORE PLVMÆ. Non ipſius, ſed in omnium corporibus. Nam exaggeratio eſt: ac ſi diceret, quot ſunt arenæ.

OCVLI SVBTER. Adverbium eſt: ac ſi diceret, non ſub plumis, ſed ſub ipſa: & mire *ſubter*, quaſi quæ non videatur, & omnia videt, & reliqua. MIRABILE DICTV. Sic exclamavit Poëta, quaſi minus admirationis haberet ipſa deſcriptio.

TOT LINGVÆ. Infinitus eſt numerus. Nam re vera quot ſunt homines, in quibus eſt fama, tot ora habent, quot ſunt & hominum. TOTIDEM ORA SONANT. Aliud viſu, hoc eſt ORA, aliud auditu, hoc eſt ſonant.

NOCTE VOLAT. Bene naturalem rem dixit. Denique quanto celatum eſt aliquid, tanto magis quæritur: & ſine dubio incipiens fama ſemper obſcura eſt: quæ divulgata conquieſcit. Vnde ait, *Luce ſedet cuſtos*. COELI MEDIO. Abſolute, quia inter cœlum terramque medium eſt.

TERRÆQVE PER VMBRAM. Noctem, umbram terræ eſſe nuſquam ſignificavit apertius.

STRIDENS. Poteſt & ad oris ſonum, & ad volatum referri. DVLCI DECLINAT LVMINA SOMNO. Qui eſt omnibus animalibus dulcis; & SOMNO, utrum ablativo an dativo. Melius interpreteris quaſi non ſuccumbit illi.

LVCE SEDET. Id eſt per diem, aut ut lux cepit, & bene nocturna illi & diurna officia dat, ne dulci ſomno capiatur. CVSTOS. Speculatrix. Ne quid eam prætereiret, non quæ cuſtodiat aut ſervet. SVMMI CVLMINE TECTI. Per domos nobilium propter res pravas.

TVRRIBVS AVT ALTIS. Per domos regum, propter reſpublicas. VRBES. Populos. Id eſt plebeios. Et oſtendere vult famæ linguis neminem exceptum qui non exagitari poſſit.

TENAX. In omnibus perſeverans: Tam enunciandis falſis rebus, quam in veris.

HÆC TVM. Vel fama talis, vel hæc facta. POPVLOS. Vtrum generaliter, an Tyrios & Trojanos tantum?

GAVDENS. Propter inventam materiam. Et quidam non temporale famæ epitheton GAVDENS, eſſe volunt, ſed generale, ut multiplici ſermone gaudeat, quo tunc populos implebat. FACTA ATQVE INFECTA. Sicut ſequentia indicant. Et eſt quaſi proverbiale, nam hoc eſt, *Tam ficti pravique tenax quam nuncia veri.*

VARIORVM.

MONSTRVM HORRENDVM INGENS. Non abſque ratione tria hæc famæ tribuiſſe videtur. nam primo ob id *monſtrum* appellari videtur, quod nulla vi unquam ſuperari poteſt: imo ut quiſque maximè eam conatur opprimere, ita maxime ſe attollit, majorque fit. *Horrendum* eſt, quia cum magna quædam & inopinata nobis annuntiantur, ſi bona ſunt ſtupeſcimus, ſi triſtia, horrore perfundimur. *Ingens* vero, quia paulo ante dixerat, *Et caput inter nubila condit*. NASCIMB.

HÆC TVM MVLTIPLICI. Revertitur ab excurſu. HARTVNG.

Veniſſe

Venisse Æneam Trojano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido.
Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fovere:
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarbam,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Ammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum, latis immania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacraverat ignem,

SERVII.

VENISSE ÆNEAM. Hæc facta sunt.

VIRO. Marito, ut, *Vir gregis ipse caper.* DIGNETVR. Libravit sermonem, quasi personæ superioris.

HYEMEM INTER SE LVXV, QVAM LONGA FOVERE. Id est nunc hyemem inter se fovere luxu, in quantum longa est ipsa hyems. Sic in VIII. *Tybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem Lenit.* Quam longa est ipsa nox. Veteres *fovere* pro diu incolere & inhabitare dixerunt, ut ipse alibi, *Fovet humum.*

REGNORVM IMMEMORES. Hoc fingit. Nam & illi curæ est Carthago, & Æneæ Italia. An quia quod una patitur, duobus assignat. CVPIDINE. Veteres immoderatum amorem dicebant: Afranius Neraria. *Alius est amor, alius Cupido, amant sapientes, cupiunt cæteri.* Plautus cum distinctione posuit, *Cupidon te conficit, anne amor?* Quod intelligitur vehementer illam amare vel impatienter. Ipse alibi Initio Curcul. *Quo Venus Cupidoque imperat, suadet amor*, dicendo imperat violentiam ostendit, *suadet* addendo, moderationem significat.

DEA FOEDA. Crudelis, impia, quod alibi interpretatur, *Eadem impia fama furenti Detulit.* IN ORA. Palam, ut antequam audiant loquantur, & proprie *ora*. Terentius, *In ore est omni populo.*

IARBAM. Filium Iovis Hammonis. Liber, vel ut alii dicunt Hercules cum Indos peteret, & per deserta Libyæ, hoc est per Xerolibyam exercitum duceret, fatigatus siti, Iovis patris sui imploravit auxilium, cui ille arietem ostendit, quem secutus ille pervenit ad locum quendam in quo aries terram pede suo scalpsit, è quo loco fons manavit. Vnde factum est, ut Iovi Hammoni ab harenis dicto lingua Libyca, templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitueretur; quod ideo fingitur, quia satis ejus sunt involuta responsa. Aut quia Libyæ Isammone arietem appellant. * Alii hunc Hammonem in luco natum ubi sola ovis fuerat, à finitimis inventum dicunt, creditumque ex Iove & ove natum, appellatum Hammonem ab harena, quia ibi tale solum est. Alii inter Cyrenas atque Carthaginem locum tradunt fuisse, in quo pastores puerum arietinis cornibus insignem, in harena sedentem ac vaticinantem deprehenderunt. Hic sublatus tacebat; repositus loquebatur: mox cum à conspectu hominum subito recessisset, creditus est deus, unde Iovem ideo ibi colere cœperunt, nomine Hammonem, quod in harena fuerat visus.

AGGERAT IRAS. Super eas quas habebat ex contemptu.

RAPTA. Stuprata, ut, *Rapti Ganymedis honores.* Et rapta raptoris mortem, vel nuptias optet. GARAMANTIDE NYMPHA. Et proprium potest esse, & gentile. Nam Garamantes sunt juxta Libyam. A Garamante filio Apollinis.

CENTVM Finitus numerus pro infinito. Sane in primo Æneidis qui mos sit templorum constituendorum relatum est, quæ aut tantum sacra sunt, aut ibi etiam respublica administrari auspicato potest. Hic ergo templa tantum sacra declarat, cum subjungit, *Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem, Excubias divum æternas pecudumque cruore*, quibus scilicet & sacratio ageretur, & nihil de publicis rebus actum aliqua narratione subjungit. Alii templum dicunt non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis, aut aliqua tali re & linteis aut loris, aut simili reseptum est, quod & factum est. Amplius uno exitu in eo esse non oportet, cum ibi sis cubiturus auspicans.

ARAS POSVIT. Per præteritum perfectum intulit. SACRAVERAT. Per præteritum plusquam perfectum. At è contrario *Multa vastabat cæde*, &, *Ardentesque avertit.* Alibi simile schema per tempora, *Ipse oratores ad me*, &c. *cum sceptro misit, mandat*, &c. &, *Mactat binas de more bidentes Vinaque fundebat pateris.* VIGILEM IGNEM. Vtrum ad quem vigiliæ agebantur, an perpetuum?

VARIORVM.

TEMPLA IOVI CENTVM. Numerum templorum ut reor, amplificavit. Obiter autem significavit, Iarbam conditorem templi Iovis Ammonis fuisse, quod Garamantas oraculo nobile erat. TVRNEB. lib. 24. cap. 26.

CENTVM ARAS POSVIT. Nescio hic, an per centum aras *βωμοὺς* [illegible] innuat: quorum mentionem facit Iulianus ad Sarapionem elegantissima epistola. Vt, ut sit, locus hic saltem admonebit, centenarium antiquis mysticum visum: nec hic pro indefinito accipiendum, ut interpretes. GERMANVS.

Digitized by Google

Excubias divûm æternas; pecudumque cruore
Pingue ſolum, & variis florentia limina ſertis.
Iſque amens animi, & rumore accenſus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Iovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.
Iuppiter omnipotens cui nunc Mauruſia pictis
Gens epulata toris, Lenæum libat honorem;
Aſpicis hæc? an te genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

SERVII.

EXCVBIAS DIVVM ÆTERNAS. Diffinitio eſt æterni ignis. Quid eſt ignis pervigilis? excubiæ deorum. Quod ſignificat ſine intermiſſione fieri ſacrificia, atque excubare per diem & noctem ut dicimus, cotidie in officio eſſe. Non ergo apud quas dii excubant, ſed quæ diis excubantur. Et ſciendum non vacare ratione, ut in aliquibus templis ſit ignis pervigil. Nam poteſtates aut terrenæ ſunt, aut aëriæ: ſed quia æther ignis eſt, ideo in ætheriarum poteſtatum templis ignis eſt, ut reddatur eis imago ſui elementi. Eſt autem in templo Iovis, quia æther eſt Minervæ, quæ ſupra ætherem eſt. Vnde patris de capite procreata eſſe dicitur.

VARIIS FLORENTIA SERTIS. Aliis atque aliis, ac ſic perpetuo tempore.

ISQVE AMENS ANIMI. Et amator & barbarus & amens animi, ut, *Sævit inops animi.* Sane amens animi nominativum pro genitivo poſuit, num ergo amentis animi? AMARO. Quod audierat ſibi prælatum Æneam. *amaro*: Aſpero: ut, *Hoſtis amare quid increpitas?*

MEDIA INTER NVMINA DIVVM. Ac ſi diceret, & diis teſtibus: ut Saluſtius, *Quæ medius fidius vera licet mecum recognoſcas.* Id eſt ſis dictis medius Fidius, id eſt διὸς υἱός, Iovis filius, id eſt Hercules. Medium dixit teſtem. Sane multi *Munera* legunt, hoc eſt in media precatione deorum: & eſt invidioſius, ſi inter munera quæ ipſe ſacraverat.

MANIBVS SVPINIS. Iuxta rationem, Nam inferos demiſſis ad terram manibus invocamus, ut Homerus inducit Alteam matrem Meleagri manibus in longum porrectis, ut ipſe alibi, *Paſſis de littore palmis*: Cœleſtes levatis ad cœlum, ut modo, & alibi: *Duplices tendens ad ſidera palmas.* SVPPLEX ORASSE. Hæc adlocutio conqueſtionem habet, *oraſſe*, autem dixiſſe. Vnde oratores dicti: nam rogare non procedit, quia conqueritur magis.

IVPPITER OMNIPOTENS. Epitheta quæ commemorationem potentiæ habent, interdum exprobrationis vim obtinent, ut hoc loco. MAVRVSIA. Maura, nam protentio eſt nunc, Cœlius, *Mauruſii qui juxta Oceanum colant.*

NVNC EPVLATA. Pro epulans participium, & bene dixit. Dum in epulis eſt. Quaſi celebranti bus ejus ſacra tanta injuria acciderit. Officia enim in deos, licet æternam habeant gratiam, & ſpectent tam præteritum quam futurum, tamen in præſenti plus valent. Semper autem propter hoſpitalitatem Iovi libabatur. Et bene conqueritur, quia humanas res ne tum quidem curat, cum ei ſacrificatur. LENÆVM. Bacchicum. Nam Liber Lenæus dicitur, quia lacubus præeſt, id eſt ἀπὸ τοῦ ἐφεστάναι ληνοῖς. Nec poteſt dici Lenæus à mentis delinimento, cum ſit à Græco tractum, Ex calcatorio ἀπὸ τῆς ληνοῦ, hoc eſt lacu.

ASPICIS HÆC. Id eſt talia, Et hoc ſentit, itane talia aſpicis, nec vindicas? FVLMINA TORQVES. Vel intorques, vel gubernas.

NEQVICQVAM HORREMVS. Quia non judicio hæc facis. Quia non punis malos, & ſupervacua HORREMVS, Aut quia exiſtimamus ea non emitti manu tua. An nequicquam pro non? ut ſit, *Tu fulmina non torques.* COECIQVE IGNES. Non quia non videntur: ſed quorum origo non apparet. An quorum rationem ignorantes timemus. Alii enim de ventis dicunt fieri: alii de nubibus: alii de aëre fulmen: Iuvenalis, *Non quaſi fortuito, nec ventorum rabie, ſed iratus cadat in terras & vindicet ignis.* IN NVBIBVS. Ac ſi diceret, non ex te fiunt. Si enim errant, tuo non reguntur imperio.

TERRIFICANT ANIMOS ET INANIA MVRMVRA MISCENT. Latenter ſecundum Epicureos locutus eſt.

DONATI.

MEDIA INTER NVMINA. Quaſi dicat, diis teſtibus.

IVPITER OMNIPOTENS. Si hæc vides, cur non punis? ſi non vides, non es dignus ut colaris.

VARIORVM.

EXCVBIAS DIVVM ÆTERNAS. Hoc autem loco, quamvis *excubiæ* ad ignem ἄσβεστον referantur, tamen non dubium eſt antiquos deorum ſuorum ſacra vigiliis excubiiſque excoluiſſe & peregiſſe. GERMAN.

ISQVE AMENS ANIMI. Scaliger libro 4. cap. 16.

GENS EPVLATA. Homer. Odyſſ. α. ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας. HARTVNG.

Fœmina, quæ nostris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio posuit, cui littus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis

SERVII.

FOEMINA. Invidia sexus contemptu inferioris, & jam incipit specialis conquestio. Est autem ordo, fœmina errans, quæ in nostris finibus urbem posuit. Et est exaggeratio: primum quod pretio, deinde exiguam, dein certis legibus.

PRETIO. Vt ostendat eam nec meruisse per gratiam, nec invasisse virtute. Et si vendidit, quid conqueritur? Scilicet aut de fraude facta per corium, aut ex nuptiarum promissione. Aut exiguam pretio, pro exigui pretii. LITTVS. Non ait agros sed *littus*, terram mari vicinam, ut supra diximus.*Modo etiam infertilem sibi, & angustam vult ostendere, hoc est talem illi dedimus terram, quæ nulli esset necessaria, qua tamen contenta fuit. ARANDVM. Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur nova civitas tauro & vacca, ita ut vacca esset interior, à magistratu muri designarentur. Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu quo condita subvertatur: Horatius, *Imprimeique muris hostile aratrum.*

LOCI LEGES DEDIMVS. Aut quam tributariam fecimus: aut cui ideo civitatem concessimus, ut in nostrum veniret matrimonium, ut justa ita sit. CONNVBIA. *Hic* NV produxit, cum alibi corripuerit, ut, *Connubio jungam stabili.* NOSTRA. Pro MEA, nobilium est autem hic sermo. Sic Numanus, *En qui nostra sibi bello connubia poscunt.* Salustius, *Nos in tanta doctissimorum hominum copia.*

DOMINVM. Vt superius, *Liceat Phrygio servire marito.* est autem de jure quasi per coëmptionem. Vel *dominum* maritum, ut alibi *dominam* uxorem, *Hi dominam ditis*, & est quasi vehemens accusatio, me maritum respuit, & Æneam non virum, sed dominum recepit. PARIS. Similis Paridi: & injuria à persona. Probrosis enim nominibus veteres convicia dicebant, ut Sallustius, *Tyrannumque & Cinnam maxima voce appellans.* Bene autem *Paris*, quasi qui sustulit alii matrimonium pactum: sic Iuvenalis, *Et calvo serviret Roma Neroni.*

SEMIVIRO COMITATV. ut, *O vere Phrygiæ*, neque enim *Phryges*, id est effœminati: Et bene non solum regi, sed & sociis convicium facit. Sane quidam tradunt jure hoc in Frigas dictum, ab ipsis enim ferunt cœpisse stupra puerorum.

MOEONIA MITRA. Lydia: nam utebantur & Phryges & Lydii. MITRA. Hoc est incurvo pileo: de quo pendebat etiam baccharum regimen. Sane quibus effœminatio crimini dabatur, etiam *mitra* eis adscribebatur: multa enim lectio *mitras* proprie meretricum esse docet. Ergo ex habitus qualitate imutatur invidiam, cum enim non jam effœminatum, velut meretricem appellat, quod est inimici non mulieris tantum, sed etiam meretricem vocare, cum sicut supradictum est, alios insectetur dicens: *O vere Frigiæ*, neque enim Friges. CRINEMQVE MADENTEM SVBNIXVS. Crinem unguentatum, subnixum & subligatum habens. Aut *subnixus*, fiducia elatus.

RAPTO POTITVR. Stupro fruitur. Nam proprie raptus est inlicitus coitus. Nec enim hic rapuerat.

DONATI.

FOEMINA. Quasi abjecti sexus: unde magis dolendum. Sic Terent. *Tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.* ERRANS. Exul, peregrina, & sine urbe.

CONNVBIA NOSTRA. A facto & persona facit comparationem. NOSTRA. Quasi dicat, tanti viri: & dolet quod suum connubium reppulit. id est, se maritum: & accepit Æneam exulem, non maritum, sed dominum: quem deinde ab habitu vituperat.

SEMIVIRO. Duos proferunt sexus, sed dimidiatos, ut neque viri neque fœminæ sint: qua conjectura probet infames esse.

NOS MVNERA. Quasi dicat incassum sacrificamus, cum non tuis cultoribus: sed alienigenis prodes.

VARIORVM.

FOEMINA QVÆ NOSTRIS ERRANS, &c. Male audiebant apud veteres peregrinæ. Hinc est quod Medea apud Ennium Corinthiis matronis persuadere conatur, ne sibi illæ vitio verterent, quod procul abesset à patria. MASCIMBÆN.

MÆONIA MITRA SVBNIXVS. Immo, SVBNEXVS potius scribendum Vetus auctor apud Athenæum, [illegible] *mentum & barbam subnexi.* nam sub mento religabatur: hinc pileos episcopales, hodieque *mitras* dicimus. Mitra, pileus, cucullus, galerus, palliolum, capitis tegmina erant, ut reapse haud multum diversa, sic nomine plerumque ab auctoribus confundi solita. SALMAS.

RAPTO POTITVR. A paucis Grammaticis observata est vis & usus hujus verbi apud Iurisconsultos, qui longe ab hujus loci usurpatione & passim obvia, deflexa locutione *potiri hostium* dixerunt, pro ab hostibus capi & captum esse. Qua forma & Plaut. in Captiv. *Potitus hostium est.* sicut prius in Amphitr. *Pater potivit servitutis*, pro Servum reddidit me, qui liber fuerim. GERMAN.

Quippe

Quippe tuis ferimus, famemque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit omnipotens: oculoſque ad mœnia torſit
Regia, & oblitos famæ melioris amantes.
Tum ſic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age nate, voca Zephyros, & labere pennis,
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Expectat, fatiſque datas non reſpicit urbes,
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promiſit, Grajumque ideo bis vindicat armis:

SERVII.

TEMPLIS QVIPPE TVIS. Ac ſi diceret, Non mirum ſi hæc patimur te colentes. Sic ſupra ad inriſionem dictum, *Iuppiter omnipotens*: ac ſi diceret, tu es qui potes omnia. FOVEMVS INANEM. Aut quia fruſtra te credimus mundi eſſe rectorem: aut quia me tuum filium eſſe confido. *Fovemus* autem auxiliamur, quaſi rem per ſe infirmam.

ORANTEM. Pernoctantem non precantem, ut ſupra dictum eſt, *Talibus orabat Iuno*. ARASQVE TENENTEM. Veteres *aſas* dicebant, poſtea immutata littera *ſ* in *r*, aras dixerunt, ſicut Valeſios Valerios, Fuſios Furios: Quod Varro libro quinto Rerum divinarum apud Macrob. ſat. 3. 2. plenius narrat. Neceſſe enim erat à ſacrificantibus teneri, quod ſi non fieret, diis ſacrificatio grata non eſſet, quod plenius intelligi voluit gratum hoc eſſe numinibus, ſubjungendo, *Araſque tenentem Audiit omnipotens*.

OCVLOSQVE AD MOENIA TORSIT. Vt inde pellat Æneam: nec videatur eſſe contrarium, quia turbantur omnia Iove in Africa reſpiciente: Nam utrumque à turpi liberat fama.

OBLITOS FAMÆ MELIORIS AMANTES. Oblitos & eos dicimus qui aliquid negligunt, vel quibus aliquod excidit, ut hoc loco, & id quod de memoria excidit. Sed figurate, ut, *Nunc oblita mihi tot carmina*. FAMÆ autem MELIORIS. Hoc eſt, *Neque enim ſpecie famave movetur*.

VADE AGE NATE. Singulis verbis & jubentis, ut *vade*, & hortantis ut, *age*, & blandientis, ut *nate*, expreſſit adfectum. VOCA ZEPHYROS. Aut quibus Æneas naviget: unde eſt, *Nec Zephyros audis ſpirare ſecundos*. aut quia vehebant Mercurium: ut, *Ventoſque ſecabat*. Item, *Rapido pariter cum flamine portant*.

DARDANIVMQVE DVCEM. Ordo eſt, Dardaniumque ducem adloquere. TYRIA CARTHAGINE. Quaſi homini iratus, civitati epitheton patrium dedit. Carthagine autem pro Carthagini: & pro adverbio in loco, de loco poſuit: ſic Horatius, *Romæ Tybur amem, ventoſus Tybure Romam*. pro Tyburi.

EXPECTAT. Moratur, deterit tempus. NON RESPICIT VRBES. Non cogitat cum illum neceſſe ſit ad Italiam navigare. CELERES. Pro celer, vel celeriter.

NON ILLVM NOBIS. κατὰ τὸ σιωπώμενον non intelligimus. PVLCHERRIMA. Epitheton perpetuum, nec ad præſens negotium pertinens.

GRAIVMQVE IDEO BIS VINDICAT ARMIS. Alii dicunt bis, ſemel à Diomedis ſingulari certamine: in quo à Diomede percuſſus eſt ſaxo. Iuvenalis, *Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam Æneæ*. Iterum in excidio: alii dicunt ſicut legimus, *Deſcendo ac ducente deo*, &, *Hoc erat alma parens*. Alii dicunt propter Diomedis & Achillis certamina ſingularia contra Æneam. Sed quando cum Achille dimicavit, à Neptuno liberatus eſt. Quando cum Diomede, a Venere; poteſt tamen quod pro Venere fit, à Venere factum videri. Sic enim Iuno imputat Veneri, quod pro ea factum eſt, dicens: *Potes in totidem claſſes convertere Nymphas*. Poteſt etiam & alter eſſe ſenſus. Nam Troja antea ab Hercule, qui & ipſe Græcus fuit, capta eſt: ut intelligamus jam tunc Æneam natum fuiſſe. Nec enim multum temporis fuit: cum conſtet Priamo tunc ab Hercule imperium traditum. VINDICAT autem, pro vindicavit, & quædam ideo præſenti præterita tempore ponuntur, ad majorem ſignificationem figurandam, ut, *Vel qualis equos Threiſſa fatigat*, 1. Georg. *Cœumque Iapetumque creat*, ut è contrario præteritum tempus ad exprimendam celeritatem, ut, *Suras incluſerat auro*, &, *Exiit ad cælum ramis felicibus arbos*. & *vindicat*, eripit, ut, *Qui in libertatem vindicat*, id eſt eripit ſervituti.

VARIORVM.

ARASQVE TENENTEM. De conſuetudine aras tenendi & amplectendi inter precandum, locos auctorum producit BRISSON. Formular: lib. 1. pag 40.

VOCA ZEPHYROS. Ex Odyſſ. ε ſumptum eſt. HARTVNG.

GRAIVMQVE IDEO BIS VINDICAT A. Semel ex Diomedis, iterum ex Achillis manibus vindicavit. Senſus ergo hoc habet, eum non idcirco bis ex Græcorum armis ereptum, ut otio voluptatique ſe dedat, ſed ut ea, quibus ad altum gloriæ, immortalitatiſque faſtigium evehi poteſt, proſequatur: feroces Italiæ populos domet, ſurgentiaque imperia ſua ingenti virtute compeſcat. NASCIMBEN.

Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lavinia respicit arva?
Naviget. hæc summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat: ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea: quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

S E R V I I

GRAVIDAM IMPERIIS. Quasi parituram imperia, vel unde multi imperatores possunt creari: ut, *Hinc populum late regem.* Ideo autem *gravida* ablativo jungitur: quia etiam gravis illa re dicimus. Vnde est hujus origo sermonis. Sic Plautus in Amphytrione: *Vxor tua non puero sed peste gravis est.* Alii hunc ordinem volunt, sed fore qui Italiam gravidam bello frementem imperiis regeret. BELLOQVE FREMENTEM. Exceptis temporibus quibus à Latino regebatur: ut, *Longa populos in pace regebat.* Nam aliis bellicosa fuit Italia.

ALTO: Illustri, nobili.

PRODERET. Modo protenderet, & propagaret. Propago autem si genus significet, PRO brevis est: ut, *sit Romana potens Itala virtute propago.* Si de arbore dicas, pro longa est: ut, *Flexos propaginis arcus, Exspectent.* Prodere sane significat & occulta detegere, unde proditores dicti, & decipere vel perdere: ut, *Vnius ob iram Prodimur*: & est in infinitum hæc glossula polysemos. Plautus, *Nam, illud quod dat perdit, & illi prodit vitam ad miseriam*, cum de paupere loqueretur.

SVPER SVA LAVDE. Id est pro sua laude: & Græcum est schema. sic enim Demosthenes, ὑπὲρ τ̃ στεφάνου, Id est, pro corona. MOLITVR. Præparat, exercet.

ASCANIONE. Propter illud quod frequenter diximus, ipsi imperium deberi. Ideo autem hoc adserit Poëta, ut laudando Iülum, Cæsarem laudet: quod ab eo originem ducit: ut, *Iulius à magno demissum nomen Iulo.* ROMANAS INVIDET ARCES. Honestior elocutio est, si addamus quam rem invidemus, ut, *Liber pampineas invidit collibus umbras.*

INIMICA IN GENTE. Præoccupat quasi præscius, nam nondum inimica est.

NEC PROLEM AVSONIAM. Vt in sexto, *Nunc age Dardaniam prolem quæ deinde sequetur Gloria.* Vel quia de Lavinia Silvium habuit.

HÆC SVMMA EST. Id est mei præcepti collectio. Hoc est totum propter quod mitteris, ut, *In summa, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax,*

HIC NOSTRI NVNTIVS. Pro talis, *Manibusque meis Mezentius hic est*, &, *Hunc ego te Euryale aspicio*, pro talem.

PARERE PARABAT. Non respondit quasi numen inferius; sed dictis obtemperat. Vt, *Paret amor dictis caræ genitricis.*

TALARIA NECTIT. Mercurius ideo dicitur habere pennas, quia citius ab omnibus planetis in ortum suum recurrit, Vnde & velox & errans inducitur: ut, *Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.*

V A R I O R V M.

SED FORE QVI GRAVIDAM. Occulta laus Æneæ à prudentia: non enim nisi prudentibus atque sapientibus, maximarum rerum administratio committi solet. Italiam itidem commendat Poëta à peritia & studio rei militaris: ut quæ multos Imperatores ad bella gerenda parere possit: propterea subdit; BELLOQVE FREMENTEM, acrem, ferocemque bello ac tractandis armis propemodum natam. NASCIMB.

SI NVLLA ACCENDIT TANTARVM GLORIA. Objurgatio à demissione animi; quam tamen hypothetica dictione mitigat. Si animo est, inquit, ita demisso, ut gloriam (cui maxime debet) nominisque immortalitatem contemnat, suam filio salutem ne defraudet. NASC.

ASCANIONE PATER. Explicat Turneb. lib. 10. cap. 7.

AVT QVA SPE INIMICA IN GENTE. M) Imprudentiæ arguit; qui non videat ex hostibus nihil esse sperandum boni. apposite vero fit ex persona Iovis præoccupatio prædivinantis, Carthaginem fore sanguini Trojano inimicam. NASC.

ILLE PATRIS MAGNI. Ex Homer. Macrob. lib. 5. cap. 6. Saturnal.

TALARIA NECTIT. Proverb. *Talaria nectere.* Hom. Odyss. 1. ποσσὶν ὑπεδήσατο καλὰ πέδιλα ἀμβρόσια χρύσεια. HAET.

RAPIDO PARITER CVM FLVMINE. Brodæus lib. 3. Miscell. cap. 31.

Tum

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallenteis; alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila, jamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit:

SERVII.

TVM VIRGAM CAPIT. Id est caduceum: quod primo Apollo habuit, & donavit Mercurio accepta ab eodem lyra sibi tradita. Sic Horatius, *Fraternaque humero lyra.* Hujus autem virgæ hæc est ratio, Mercurius & orationis deus dicitur, & interpres deorum. Vnde virga serpentes dividit, id est venena. Nam serpentes ideo introrsum spectantia capita habent, ut significent inter se legatos colloqui & convenire debere, quia bellantes interpretum oratione sedantur. Vnde secundum Livium legati pacis, caduceatores dicuntur. Sicut enim per feciales à fœdere bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. Quibus caduceis duo mala adduntur, unum Solis, aliud Lunæ. Sane in ipsis serpentibus hæc opinio est, Mercurius hæc tam fera animalia concordat, nos quoque concordare debere certum est. ἑρμῆς autem Græce dicitur, ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας. Latine interpres. Sane caduceum postea inventum dicitur, virga vero insigne potestatis est, nam ideo ea & magistratus utuntur, dicta quod vi regat, hac & vates plerunque utuntur, unde & Circe videtur homines mutasse, ut, *Aurea percussum virga.* Et hodieque tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur, & præfecti gentium Maurarum cum fiunt, virgam accipiunt & gestant. ANIMAS. Pro umbris: secundum poëticum morem. Animæ enim in cœlo sunt: ut, *Visa dehinc cælo facies delapsa parentis.* Hujus autem rei ratio alterius est scientiæ.

LVMINA MORTE RESIGNAT. Claudit, perturbat. Et est aliud quod Physici dicunt, pupillas quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere: quibus non visis, est summa desperatio. Hoc ergo dicit, RESIGNAT hoc est aufert signa luminibus. Id est signorum quibus quæque noscuntur intellectum tollit. Cicero *resignare*, pro auferre, in Orat. pro Archia ait, *Quandiu incolomis post damnationis calamitatem, omnem tabularum fidem resignasset.* Hoc est abstulisset. Alii tradunt resignare vetuste ita dictum, ut nos *adsignare* dicimus pro damno, ut est apud Catonem in Lucium Furium, *De aqua quod attinet adsalinatores ærarios, cui cura vectigalium resignat,* & Idem in oratione, *Ne spolia figerentur nisi de hoste capta, sed tum ubi ii dimissi sunt revertantur resignatis vectigalibus.*

AGIT VENTOS. Non vocat aut transit, nam sequitur, *Et turbida tranat*, an ergo ducit atque moderatur, ut, *Mulcentem tigris & agentem*, unde & pædagogos dicimus: an excludit ac pellit, ut, *Ac membris agit atra venena*: An sequitur, ut, *Palantes Troas agebat?* An ante se agit, ne reflectant, ut, *equos agit*, quia illis defertur? nam dixit, *Rapido pariter cum flumine portant.* An agit, in actu est: Salustius: *Inter certamina donationis aut libertatis agit.* TRANAT. Transvolat; ut, *Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen.*

APICEM ET LATERA. Bene ei quæ sunt hominis dat. Nam & humeros, barbam, mentum, senem dicit. Hic autem Athlas rex fuit, qui habuit, sicut quidam volunt, juxta Æthiopas pomarium, in quo mala aurea nascebantur, quæ Hesperides & insomnis Draco custodiebant. hic cum audisset à Themide antiquissima dearum vate, cavendum esse à Iovis filio qui ea poma quandoque sublaturus esset, & timorem nullum susciperet, audito quod Perseus Iovis esset filius, suscipere eum hospitio noluit, à quo in montem conversus est, viso Gorgonis capite. Vt autem in primo diximus, peritus astrologiæ fuit. Nam & syderum cursum deprehendisse dicitur, & Herculem docuisse. Sane Latine Atlas Telamon dicitur, sicut Nilus Melo.

ATLANTIS. Ætheris & Diei filius, cui pœnæ gratia cœlum impositum dicitur, quod, ut quidam volunt, cum Titanibus steterit. DVRI. Laboriosi, & merito qui cœlum sustinet, unde ait *fulcit*, hoc est sustinet, propter altitudinem, nam *altus* est nimis.

VARIORVM.

TVM VIRGAM CAPIT. Caduceum. Virgula divina in proverbium abiit, quoties id quod optamus, citra humanam operam, sed quasi divinitus nobis contingere volumus significare Cic. 1. de offic. *Quid si nobis omnia quæ ad victum cultumque pertinent, virgula, ut aiunt, divina suppeditarentur?* Antiquitas enim, ut in annulis, ita in virgis quoque ferendis, credidit aliquam fatalem ac ceu magicam potentiam inesse, qua prodigiosa multa edebantur. Lege & Beroaldum in 10. lib. Apulei, de Asino aureo. HORTENS.

TVM VIRGAM CAPIT. Homerus Odyss. ε. τῇ δ' ἀνδρῶν ὀδύρματα θέλγει καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει. H.

LVMINA MORTE RESIGNAT. Notandus hujus vocis varius & multiplex apud auctores usus: nam & contraria usurpatur significatione: aliquando pro aperire, claudere, abrogare, reddere. Æs etjam militi resignatum dicitur, quando ob delictum, Tribuni jussu denegatur stipendium. Sane contra Servium Turnebus lib. 24. cap. 26. *resignare* hic aperire interpretatur: ex Romana consuetudine, qua mortuis in rogo oculi aperiebantur, qui domi ante clausi fuerant, Plinii testimonio. Vid. & Iac. Loensem lib. 3. Epiphyl. cap. 4. Ioh. Castalio cap. 46. Var. refellit Turneb. GERMAN.

IAMQVE VOLANS. Turneb. lib. 25. cap. 6.

ATLANTIS DVRI. Homer Odyss. α. μακρὰς ... ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς. HART.

Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri.
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit: avi similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter, cælumque volabat;
Littus arenosum Libyæ, ventosque secabat.
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

SERVII.

ATLANTIS CINCTVM. Repetitio cum emendatione & astu.

NIX, nivis facit: sed verbum ninguit non hinc venit: sed ab eo quod est hæc ninguis, & hæ ningues. Lucretius, *Albas effundere ningues.* Ninguit autem prima persona caret, & secunda: quia non est in nostro arbitrio. Fabula autem talis est, Nilus Calliroen Oceani filiam amabat. ex his nata puella nomine Chione, quam cum rure vitam agentem Iuppiter à Mercurio tolli, & nubibus misceri præcepit, unde factum est, ut nives quæ cadunt Græce χιόνες appellantur, quæ tamen nives repræsentantes virgines & vitam priorem, montibus magis inhærent. Ideo autem calentes nives sata exurunt, ut ostendant puellam injuriam quam pertulit à rustico vindicare.

PRÆCIPITANT. ut, *Nox humida cælo Præcipitat*, præcipitantur. SENIS. Aut propter ætatem: aut adlusit ad nives: ut, *Gelidus canis cum montibus humor Liquitur.* RIGET. Aut frigida est, aut recta est: Vnde & *rigorem* dicimus directionem. Inde est, *Vestesque rigescunt*, &, *Diriguere oculi.*

PARIBVS ALIS. Leni volatu, ut, *Dixit & in cælum paribus se sustulit alis.* NITENS. Quidam pro volans accipiunt, & est participium à verbo *nitor.* CYLLENIVS. Aut ab avia: unde paulo post, *Cyllenia proles.* Aut à Cylleno Arcadiæ monte, ubi dicitur esse nutritus.

TOTO CORPORE. Vno impetu excussus. Sic Lucanus, *Nec se tellure cadaver Paulatim per membra levat, terraque repulsum est Erectumque semel.*

AVI SIMILIS. Incongruum heroico credidit carmini, si mergum diceret, vel ut quidam volunt, fulicam: ut alibi ciconiam per Periphrasim posuit: *Candida venit avis longis invisa colubris.* Sic est, *Et testa cum ardente viderent Scintillare oleum.* Sane fabula de mergo talis est: Isacus quidam puer Nympha Alexi præditus, aliam ejusdem fontis Nympham amabat, quæ cum insequentem amatorem fugeret, ad quoddam specu delata, calcato serpente interempta est, quod postquam amator vidit, in mare se præcipitavit, cujus cum membra ferrentur fluctibus, miseratione deorum in avem mergum mutatus est, quia semper mergi fluctibus gaudent.

PISCOSOS. Pisculentos, causa cur volet. HVMILIS. Humiliter, & tractum est ab humo, ut, *Qua me quoque possim Tollere humo.*

LITTVS ARENOSVM LIBYÆ. Bene arenosum addidit. Nam in Libya erat: sed non in arenosa. Mauritania enim aspera & sylvestris est. VENTOSQVE SECABAT. Quia omnis avis in ventum volat, ut, *Illa notos atque atra volans in nubila fugit.*

MATERNO AB AVO. Per Majam Atlantis filiam.

DONATI.

AVO MATERNO. Ab Athlante monte: in quem Athlantem patrem Majæ convertit Perseus.

VARIORVM.

ATLANTIS. Vocem Atlantis repetit, quasi rei admirandæ magnitudinis mentionem faciens.

PINIFERVM CAPVT. Iam vero non quasi montem, sed quasi hominem effingit; humani corporis partes recenset, caput, humeros, mentum, barbam, in quibus recensendis, eo tamen artificio utitur, ut rei utriusque, hoc est, montis hominisque significationem afferre videatur: nam & piniferum caput, & humeros nive infusos, tum flumina à mento fluentia, & barbam glacie rigentem dicit: quibus verbis facile Poëta declarat, se in hac Atlantis descriptione, non hominem, sed montem, qui hominis nomen sortitus fuerit, artificiose describere. NASCIMB.

PRÆCEPS SE CORPORE AD. Odyss. ε. σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς. HART.

AVI SIMILIS, QVÆ CIRCVM. &c. Quamvis Mergum hic ambitu verborum à Marone significari velit Servius, Λάρον omnino ex Homero accipiendum constat; tum quod hæc descriptio illi convenit; tum quod sacrum esse Mercurio certum est, ut docet Eustath. in ω. Iliad. Nam etsi sint qui Λάρον ad stupidum hominem transtulerint, Comici tamen pro furace usurpant, quod ea avis sit voracis & rapacis naturæ. GERMAN.

AVI SIMILIS, QVÆ CIRCVM, &c. Quintilian. lib. 8. cap. de ornatu. & Pet. Nannius Miscell: 7. cap. 16.

Vt

Digitized by Google

Vt primum alatis tetigit magalia plantis:
Æneam fundantem arces, ac tecta novantem
Conspicit: atque illi stellatus jaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna,
Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

SERVII.

ALATIS. Participium verbo carens. MAGALIA. Afrorum casas, & mapalia: idem significant. sed magalia, MA, producitur: mapalia vero corripitur: ut, *Et raris habitata mapalia tectis.*

STELLATVS IASPIDE FVLVA. Gajus Memmius de triumpho Luculli, *Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus.* Participium sine verbo. *Iaspide* autem *fulva*, pro viridi: ut, *Fulvaque caput nectentur oliva.* Dicit etiam Plinius in naturali historia, multa esse jaspidum genera; in quibus etiam *fulvum* commemorat. Hoc & Dydimus & Nicander adfirmant. Alii tradunt *Iaspidem* in zmaragdam transire.

ENSIS ERAT. *Ensem* pro vagina posuit. Et multi jaspidem volunt ad gratiam pertinere. Alii ad salutis custodiam plurimum posse: Ergo necessaria Æneæ in rebus trepidis, qui inter ignotas & bilingues devenerat gentes. Traditur etiam hanc gemmam concionantibus necessariam, nam Gracchus ea dicitur in concione sæpe usus, & hic Æneas quasi regni particeps, in publico velut in concione, à Mercurio corripitur. Bene ergo hic ei habitus datur. Ne enim Tyrii aut ut profugum aspernarentur, aut obedire, ut advenæ nollent. Sane bene describit luxuriantis ensem: aliter 8. Æneid. *Fatiferumque ensem*, &, *Ensem Quem Dauno ignipotens.* Hic capulum aut vaginam, at in illis ferrum. Sed peritus poëta cum amatoris luxuriantis vaginam describit, alias etiam inseruit rationes, cur *Iaspidem* dixerit.

LÆNA. Genus vestis. Est autem proprie toga duplex, amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem in qua Flamines sacrificant infibulari. Quidam tradunt bene filio Veneris habitum *læna* datum, quia hunc sibi amictum genus Veneris vindicavit, unde populi Lænates propter hunc habitum, qui se de Veneris genere ortos volebant. Alii inventorem hujus vestis ab hac ipsa veste *Lenatem* appellatum tradunt. Quidam muliebrem vestem quasi amatori aptam volunt. Quidam Pontificalem ritum hoc loco expositum putant. Veteri enim religione Pontificum præcipiebatur inaugurato Flamini, vestem quæ *Lena* dicebatur, à Flaminica texi oportere: quam vestem cum cul[illegible] quæ *secespita* appellabatur uti debere. * *Secespita* autem est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum argento, auroque, fixo clavis æneis, quo Flaminicæ virgines Pontificesque ad sacrificia utuntur, eaque jam sacra est. Appellatur autem *secespita* à secando.

Hic ergo Virgilius in Ænea quem sacratum intelligere vult, omnia supradicta latenter amplexus est. Nam inaugurationis meminit, cum dici[illegible], *Paribus nitens Cyllenius alis*, &, *Avi similis*, & *Volat æquora juxta*, ostendit enim Æneam auspicato, & à Carthagine jussum abire. Togam autem duplicem quam purpuream debere esse non dubium est, hoc versu declarat, *Tyrioque ardebat murice læna. Secespita* autem quoniam gratum non erat ipsius nominis facere mentionem, ita meminit, *Stellatus iaspide fulva Ensis erat.* Ensem ergo pro cultro longiore debemus accipere, stellatum autem pro acutis uncis vinctum. *Iaspidem* autem ideo intulit, ne totus à rege discedere videretur, cui propositum est, veterum ceremoniarum ritum, aliud agens contingere.

DEMISSA EX HVMERIS. Ex qualitate amictus ornatum amatoris expressit. DIVES QVÆ MVNERA DIDO. Non addidit cujus rei dives, ut alibi, *Dives opum variarum*, & *Dives equûm*, *Dives pictæ vestis & auri.* Sane hoc loco docuit Flamini à Flaminica fieri vestem oportere, cujus lanam ipsa per se & nere debeat & texere: Non enim dixit, fieri jusserat aut miserat, quod ad expositionem nominis pertinet.

ET TENVI TELAS DISCREVERAT AVRO. Ostendit ipsius manibus textam.

VARIORVM.

ÆNEAM FVNDANTEM ARCES. Huic vero similis est locus apud Apollonium 4. Argonaut. ubi Thetis à Iunone ad Argonautas missa, eos disco & sagittis oblectantes reperit: quos hortatur, ut Iunonis præceptis audientes solvant è littore. NASCIMBÆNIVS.

ATQVE ILLI STELLATVS ENSIS ERAT. Descriptio rei à materia & qualitate. STELLATVM vocat, quasi stellis lucentem, aut stellarum in modum fulgentem; aut certe stellulis ex Iaspide lapide confectis mire splendescentem. Iaspis vero lapis est pretiosus, cujus descriptio exstat apud Plin. lib. 37. cap. 8. Hanc autem utere dicit & sæpe translucere, gestanti miram gratiam conciliare. HORTENS.

STELLATVS. Contra Servium Turnebus libro 26. cap. 5.

IASPIDE. Plin. lib. 37. cap. 9. HART.

MVRICE. Plin. lib. 9. cap. 25. HART.

ARDEBAT LÆNA. Hanc inquit lænam Æneæ usibus ipsa confecerat Dido, ut amorem erga illum ostenderet suum, & divitias suas. Tantum purpuræ & auri habebat, & ita fulgebat, ut eam ardere putares. NASCIMB. TVRNEBVS. lib. 26. cap. 5.

DIVES QVÆ MVNERA DIDO. Horum meminit infra lib. 11.

Tum geminas vestes, ostroque auroque rigentes
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat.

Con-

Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis, heu regni, rerumque oblite tuarum.
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum, & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iüli
Respice: cui regnum Italiæ, Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus,
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

SERVII.

INVADIT. Habitum futuræ orationis ostendit. Et notandum non eum tantum nuntii, sed etiam caduceatoris, id est oratoris officio fungi. Nam & persuadet & nuntiat. TV NVNC. *Tu* invectio est; & *nunc*, id est, hoc tempore quo tibi navigandum, vel pro tua spe laborandum est. ALTÆ. Quam altam vis fieri.

LOCAS. Pro collocas, vel jacis. VXORIVS. Nimium uxori deditus, vel serviens, ut Horatius, *Vxorius amnis.*

EXTRVIS. A struice, Plautus in Menechmis, *Tantas struices concinnat patinarias.* Nævius nominativo singulari, *Struix malorum.* HEV REGNI. Hic increpat ut misereatur. IPSE. Dat dictis authoritatem: ut, *Quæ Phœbo pater omnipotens.* Et, *Imperio Iovis huc venio.*

CLARO DEMITTIT OLYMPO. Olympus quasi ololampus dictus est: sive mons sit Macedoniæ qui dicitur esse diversorium deorum; sive cœlum. Vnde addidit CLARO: ut, *Plemmyrium undosum.* Accentus sane Græcus tunc potest esse, si sit Græca declinatio, ὄλυμπος ὀλύμπου, Nam Latine Olympi.

REGNATOR COELVM ET TERRAS. Omnem mundum. TORQVET. Vtrum quia mundus volubilis est? an *Torquet*, regit, sustinet? ut, *Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques.* NVMINE autem est, aut nutu, aut potestate.

HÆC. Quæ dicturus est. Nam supradicta ex se dixerat. QVID STRVIS. Vtrum ædificas, an moliris? an incipis machinari.

QVA SPE LIBYCIS TERIS OTIA TERRIS? Terra totum orbem significat, terræ autem partes sunt. TERIS. Per negligentiam tempora consumis, & est verbum ad ignaviam positum: Sallustius, *Ibi triennio frustra trito.* Et cum Iuppiter dixerit, *Inimica in gente moraris*, adhuc non dixit quæ non esset intellecturus Æneas. DEBENTVR. Honestius plurali numero respondit.

SVRGENTEM. Crescentem: ut, *Surgentem cornua cervum.* Item, *Surgentemque novæ Carthaginis arcem.*

CYLLENIVS. Antonomasticum est pro proprio. ORE. Oratione.

MORTALES VISVS. Aut oculis se Æneæ sustulit: aut humanam reliquit effigiem, quam sumpserat, ut ab Ænea possit videri: quod melius est. MEDIO SERMONE. Atqui exsequutus est omnia quæ Iuppiter dixerat: sed sermo est consensio orationis, & confabulatio duorum vel plurium. *Medius* ergo *sermo* est, cum persona cum qua quis loquitur, non respondet, ut nunc fecit Æneas.

DONATI.

INVADIT. Invectivam futuram esse hoc verbum ostendit. & ex hoc acri habitu Mercurii ostendit, qualis debuit esse Iupiter. TV NVNC, Objurgatio est potius quam invectio. nam commune sibi facit hoc damnum, & dolet decipi speciem ipsius & filii, quod non faceret, si accusatoris animum gereret.

PVLCHRAM VXORIVS VRBEM. Stulti est aliena curare, sua negligere.

IPSE DEVM. Hujus personæ autoritate graviorem facit suam objurgationem: & ut major sit metus, potestatem ipsius describit. Vtrunque autem damnat, & quod sublevet inimicorum opes, & quod in re agenda ocium sibi proponat: quoniam negligentis est & incauti. Addit, ne per eum pereat quod Ascanio debetur, quod, nisi per ipsum, præstari non potest.

MEDIO SERMONE. Quia non expectavit responsum, quod erat dimidium sermonis, qui oritur inter duos.

VARIORVM.

IPSE DEVM TIBI ME, &c. Suffecerat indicasse à quo esset missus: sed cum notum esset quantum Iupiter posset, adjecit injiciendi majoris metus caussa potestates ejus, & quod ille celerius omnia perferri jussisset, ostendens ex eo mandata maturius debere compleri. DONATVS.

At

At vero Æneas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras:
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia ſumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc;
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.
Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt:
Mneſthea, Sergeſtumque vocat, fortemque Cloanthum:
Claſſem aptent taciti, ſociosque ad littora cogant:
Arma parent; & quæ ſit rebus cauſa novandis,
Diſſimulent: ſeſe interea, quando optima Dido

SERVII.

ASPECTV. Numinis ſcilicet, ut, *Ipſe deum manifeſto lumine vidi, Intrantem muros.*

ARRECTÆQVE HORRORE COMÆ. Subaudi, SVNT.

DVLCESQVE RELINQVERE TERRAS. Deeſt QVANQVAM. Per quod intelligi vult Æneam amo, unde eſt, *Invitus regina tuo de littore ceſſi*, ut non videatur ingratus, deorum excuſatur imperio: ſic ipſe in ſexto, *Sed me juſſa deûm.*

ATTONITVS TANTO MONITV. Proprie juxta quem deus miſſus à Iove ſtetit, à quo & fulmina jaciuntur, quæ attonitos faciunt; *Attonitus* enim eſt proprie juxta quem fulmen cadit.

HEV QVID AGAT? Vt ſolet, perſonis de quibus loquitur adfectum commodavit: ut nono Æneidos: *Heu quid agat, qua vi juvenem, quibus audeat armis Eripere?* AMBIRE. Blanditiis vel ſubdole circumvenire. Et ambio illam rem dicimus: ut *Neu connubiis ambire Latinum.* Salluſtius: *Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit.* Significat & rogare, Salluſtius in Iugurth. *Quos ego audio ambire, fatigare vos ſingulos.* Dicebatur, & ambio illum, pro rogo illum; Salluſtius, in primo, *Idem fecere Octavius & Quintus Cæpio ſine gravi cujuſquam expectatione, neque ſane ambiti publice*, hoc eſt neque valde rogati. *Ambitores* etiam dicuntur, qui ut honores conſequantur diſcurrendo & rogando ſuffragia adquirunt.

EXORDIA. Orationem, vel hic pro initiis; ſed exordium in duo dividitur: in principium & orationem, ſicut in Rhetoricis legimus.

ALTERNANTI. Varia mente tractanti. Et per hoc oſtenditur cogitaſſe etiam amorem: ſed prætuliſſe voluntatem deorum. VISA EST. Ideo viſa eſt pro neceſſitate deorum.

CLASSEM APTENT. Deeſt præcipit: & *aptent*, modo parent, alibi adnectere. *Sed hac lento mos eſt aptare flagello.* TACITI. Pro tacite ſine ſtrepitu celantes conſilia. SOCIOS AD LITTORA COGANT. Ad votum, ſubaudiendum taciti.

ARMA PARENT. Contra impetum iratæ forte reginæ. QVÆ REBVS SIT CAVSA NOVANDIS. Salluſtius, *Quæ cauſa fuerat novandis rebus.* Non quæ cauſa novandarum rerum dicimus.

QVANDO. Non eſt temporis: ſed ſignificat ſiquidem: & eſt conjunctio rationalis. Sane quando, DO brevis eſt naturaliter: ſic Serenus, *Quando flagella ligas, ita liga.* Virgilius uſurpat, *Si quando Tybrim vicinaque Tybridis arva.*

DONATI.

ATQVE ANIMVM NVNC HVC. In tam ambigua conſultatione prævaluit in religioſo viro divinum præceptum.

VARIORVM.

ASPECTV OBMVTVIT AMENS. Terror infelicis conſcientiæ, amentiam parit, adimit defenſionis rationem, efficitque animi perturbationem, quam à ſignis externis & accidentibus notat. HIC AMENS, ut & ſæpe, eſt conſternatus & attonitus, quod evenire ſolet horrore, pavoreque perculſis. Lucret. lib. 6. *Ne trepides cæli diviſis partibus amens*, id eſt, ex metu non compos mentis ne ſis. Turneb. lib. 24. cap. 26. HORTENS.

ARDET ABIRE FVGA. Quod hominis perſuaſione fieri non poterat, ut Æneas dulces, jucundaſque ſibi terras relinqueret; id Mercurii, vel Iovis potius oratione perficitur. Hac ergo in re laude dignus Æneas, qui ſemel admonitus, dictis paret; nec quod appetitus ſuggerit, verum quod ei ratio præſcribit, Deorumque voluntas jubet, exequitur. NASC.

ATQVE ANIMVM NVNC HVC CELEREM, &c. Diuturnam hanc fuiſſe deliberandi rationem deſignat: ſic enim prudentes homines facere ſolent, ut diutiſſime deliberent, juxta illud Auguſti Cæſaris σπεῦδε βραδέως, *feſtina lente*, quod vero ait, *animum celerem*, Æneam ingenio promptum eſſe declarat: vel animi naturam deſignare voluit; qui tantæ celeritatis eſt, ut ne tum quidem, ut auctor eſt Cicero, cum ſopitus eſt, conquieſcat. Vid. Turneb. lib. 21. cap. 29. NASCIMB.

Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. ocyus omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.
At regina dolos (QVIS fallere possit amantem?)
Præsensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. eadem impia Fama furenti
Detulit, armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Æneam compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum

SERVII.

OPTIMA DIDO. Pro adhuc optima.

TEMPTATVRVM ADITVS. Vt illam adeat: ut, *Sola viri molles aditus, & tempora noras.* QVÆ MOLLISSIMA FANDI. Cato: *Qua mollissimum est adoriuntur.* Et ubique *temptaturum* subaudis.

QVIS REBVS DEXTER MODVS. Quis sit optimus rebus eventus. Vt, *Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo*, id est bonus ac per hoc propitius, ut, lævum pro malo, *Et lævo contristat lumine cælum:* *Modus* autem terminus. OCYVS. Velocius: & nota quod habeat adverbium, & nomen illius non facile reperiatur.

LÆTI. Alacres, festini. FACESSVNT. Modo frequentativum est, ut in Georgicis, *Matris præcepta facessit.* Alias discedit significat, ut, Et Terentius, *Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.*

QVIS FALLERE POSSIT AMANTEM. Quamvis de Didone loquatur, generalem sententiam posuit.

PRÆSENSIT. Ac si diceret, ante quam ille moliretur: & nimia in hoc vis amantis exprimitur.

OMNIA TVTA TIMENS. Id est etiam tuta, nedum illa quæ timebat: & est exaggeratio. EADEM FAMA. Quæ & Iarbæ nuntiaverat. Et ideo *impia*, quia supra, *Fama malum.* FVRENTI. Aut amanti, aut detulit ut faceret furentem.

CVRSVMQVE PARARI. Modo navigationem: ut alibi, *Ni teneant cursus.*

INOPS ANIMI. Sine animo, sine consilio.

BACCHATVR. Furit more Bacchantum. Et bene uno sermone præoccupavit futuram comparationem. COMMOTIS EXCITA SACRIS. Verba antiqua usum tradunt; moveri enim sacra dicebantur cum solemnibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii causa, cujus rei Plautus in Pseudolo meminit, *Scis tu profecto mea si commovissem sacra, quo pacto & quantas soleam turbas dare.* Hoc vulgo apertiones appellant: Quidam dicunt: Commotis sacris ideo dixit, quia in sacrorum renovatione commovebantur simulacra: unde Horatius, *Non ego te candide Bassareu Invitum quatiam.*

THYAS. Baccha. nam sicut à Baccho Bacchæ, sic & à Thyoneo Thyades dicuntur. Quidam ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est insane currere, dictas volunt. TRIETERICA. Triennalia. Liberi enim sacra tertio quoque anno innovabantur. Sane sciendum ORGIA, apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur. Sed jam abusive sacra Liberi, *orgia* vocantur: vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est à furore; vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, ex sylvis.

NOCTVRNVSQVE. Nocte celebratus, unde ipsa sacra *Nyctelia* dicebantur: quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis. CITHÆRON. Mons est circa Thebas Bœotias, ex quo, clamor veluti numinis Bacchas vocabat.

DISSIMVLARE ETIAM. Hic quasi reus Æneas à Didone accusatur. Ingrati ergo dissimulare quasi ab actu criminis cæpit, nam qui dissimulat aliquotiens cogitat, & quasi non sit dubium cum proficiscendo Didonem lædat Æneas; ita incipit dissimulare, id est non tantum proficisci, quod est per se malum, sed ut me falleres. Satis artificiosa adlocutio est. Nam interdum subtiliter, & sibi consulit sub facie utilitatis Æneæ, & nunc irata, nunc supplex agit. Dissimulare autem adeo, ac si diceret, ita rem pudendam cogitas, ut eam fateri nolis. Supra enim dixerat, *Quæ rebus sit causa novandis Dissimulent.* Post illud inducit quod dictum est, primum accepisti beneficium, *Nec te data dextera quondam*, reliqua per singula loca aperientur. PERFIDE. Muliebre verbum. hoc enim frequenter utitur. *Solam nam perfidus ille Te colere*: & alibi, *Hæc olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.*

VARIORVM.

PERFIDE TANTVM. Apollon. lib. 4. & 3. Vnde videntur istæ querimoniæ esse petitæ. HART.

Posse

Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hyberno moliris sydere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum
Crudelis! quid si non arva aliena, domosque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret?
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? per ego has lachrymas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam misera nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;

SERVII.

NEFAS. Bene amans ejus quem amabat consilium profectionis *nefas* dixit. MEA DECEDERE TERRA. Dicendo *mea*, stultum ostendit qui putavit quod amanti possit abripere.

DATA DEXTERA. Fœdus amicitiarum.

NEC MORITURA TENET. Secundus locus accusationis est, magis enim augere injuriam non potuit quam si se ostenderet.

QUINETIAM. Immo etiam, sed insuper, sed forte difficile est quod peto, immo quod tu facis. *Quinetiam hyberno* USQUE *ire per altum*. HYBERNO SYDERE. Non hyeme, sed hyemali sydere: aut propter quod ait supra, *Dum pelago desævit hyems, & aquosus Orion*. Ergo aut pro tempore: ut, *Quo sydere terram Vertere Mecænas*. aut de vera sydere, propter Orionem. Et bene tempestatis eum admonet, qui naufragus venerat; & hoc agit quasi non sua causa eum remanere velit, sed etiam utilitatis Æneæ. MOLIRIS. Aut moves, aut paras.

MEDIIS AQUILONIBUS. Media hyeme, ut per *Aquilones* hyemem significet, aut quod *Aquilones* ex Africa navigantibus adversi sunt. PER ALTUM. Exacerbavit sententiam per *altum* dicendo, quamvis notum esset Æneam per altum navigaturum.

CRUDELIS. Etiam in te odio mei. sic Lucanus de Cæsare, *Sævitia est voluisse mori.* ARVA ALIENA. Blande quasi hæc jam tua sunt. DOMOSQUE IGNOTAS. Ac si diceret, Carthago jam tibi nota est: & ne hoc responderet Æneas. Aliena sint arva. Ideo adjecit, *Domosque Ignotas peteres.* Sed æquum est te hic esse & non in tuo regno: *Quid si non arva aliena domosque Ignotas peteres?*

TROJA ANTIQUA MANERET. Vel nobilis, vel illa tua patria quam doles amissam: & deest *Si*, & quasi per interrogationem, intelligendum est, Etiamsi Troja staret, per hyemem Troja peteretur.

MENE FUGIS? Adhuc aperte non vult imputare beneficia: sicut paulo post facit irata. Et est intellectus, fac non esse undosum æquor, æquum est ut me fugias, & paulatim descendit ad preces, nam sequitur: *Per ego has lacrymas dextramque tuam te*, vel per amicitiam, vel per virtutem, & bene virum fortem per dextram adjurat.

NIHIL IPSA. Non pudorem, non regnum. Et est sensus Si enim aliquid sperares, retinere te possem, sed contemnis me, quia tibi ab initio cuncta concessi.

PER EGO HAS LACHRYMAS. Hæc & vicem epilogi possunt obtinere, contra illud vero, me dii expellunt, modo nihil potuit dicere, non enim audierat hoc, sed postea respondit, *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.* Sed hic rursus redit ad exprobrationem beneficii. *Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni Odere: infensi Tyrii, te propter eundem.* Hic aut inconstantiam amantis expressit, aut quia in causa nihil potentius erat, unde cæpit ibi desiit.

INCEPTOS HYMENÆOS. Qui novitate sunt dulces, & bis idem dixit.

VARIORUM.

TACITUSQUE MEA DECEDERE TERRA? [illegible] est superioris non absque ingenti criminis amplificatione: nam singula pene verba ἔμφασιν habent. TACITUS, quasi proditor, vel saltem ingratus. MEA TERRA, quasi diceret, unde tot in te profecta sunt beneficia: vel arguit eum imprudentiæ; qui non viderit, ipsa nolente, nequaquam fieri posse, ut Carthagine decedat. NASCIMBAN.

NEC MORITURA TENET. Crudelitatis vitium; quodque maximum erat, postremo loco reservavit, ut suæ cædis mentionem faceret, ex cujus commemoratione ingentem movet commiserationem, amplificatque ex genere, non enim simpliciter dixit *moritura*, sed addidit, *crudeli funere*. NASCIMB.

QUIN ETIAM HYBERNO. Expressit Ovid. in Epistola Didonis ad Æneam: *Quo fugis? obstat hyems, &c.*

QUIN ETIAM HYBERNO &c. Amplificat à tempore facinus Æneæ, & occulte sibi consulit per speciem utilitatis illius. NASC.

PER EGO HAS LACHRYMAS. Ut Latini in jurejurando plerunque inter præpositionem & ejus casum aliquid interponunt; item & Græci, qui Latinis exemplo fuerunt. TURNEB. lib. 19. cap. 17. & lib. 24. cap. 26.

Digitized by Google

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum; miserere domus labentis, & istam
Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentem.
Te propter Libycæ gentes, Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sydera adibam,
Fama prior. cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat? aut captam ducat Getûlus Iarbas?
Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, siquis mihi parvulus aula

SERVII.

DVLCE MEVM. Tetigit rem inhonestam. Sic Terentius, *Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.* Alii non accipiunt de re venerea, *Dulce meum*, sed ita, Si ea quæ in te contuli grata fuerunt & dulcia: Alii pro, *Si ego tibi quicquam dulcis fui*, vel quia amantes, amores suos dulcia sua dicunt, id est si talis in te fui ut mererer quam tu diceres *tuum dulce.*

EXVE MENTEM. Rejice à te propositum mei relinquendi.

TE PROPTER. Hoc est propter te. LIBYCÆ GENTES. Redit ad enumerationem beneficiorum, & hanc cum auctu explicat, dicendo inimicas gentes factas, dum illis præponitur. TYRANNI. Nihil intererat apud majores inter regem & tyrannum; ut, *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.*

TE PROPTER EVNDEM. Bene servavit rem causæ necessariam. Et sunt qui hic distinguunt, ut sequatur, *Extinctus pudor.*

EXTINCTVS PVDOR. Magna indignatio, meminit enim se dixisse: *Ante pudor quam te violo.*

FAMA PRIOR. Quæ melior fuit sine dubio: Non posterior turpis. CVI ME MORIBVNDAM. Hoc est quod supra, *Nec moritura tenet crudeli funere Dido*; sed ibi invidiose, hic per miserationem. DESERIS. subdistinguendum, dubitat enim quo eum nomine potissimum appellet. HOSPES. Non dixit marite, id est, quia non vis dici marite. Æneas enim & hospes fuerat, & maritus: sed modo maritum se negat, hospitem confitetur. Vnde nunc Dido hoc dixit, *Cui me deseris hospes?*

HOC SOLVM NOMEN QVONIAM DE CONIVGE RESTAT. Hoc est, superest. Alii RESTAT intelligunt resistit, id est contrarium tibi est. Nonnulli dicunt, *Hoc solum nomen quoniam superest, ut te conjugem* dicam. Dicitur autem ingenti adfectu hos versus pronuntiasse, cum privatim paucis præsentibus recitasset Augusto. Nam recitavit voce optima primum, tertium, & quartum.

QVID MOROR. Vtrum quid in hac terra moror, an quid in vita moror?

SALTEM. Vel hoc. est autem sermo tractus à captivis, qui cum frequentius ab hostibus captarentur, dicebant, *Sublatis omnibus, salutem concede.* Inde per Synæresim hic natus est sermo; ut in contemptu rerum multarum petituri aliquid, *saltem* dicimus: Quasi quod negari minime debeat, cum extremum aliquid petitur, inde necessitate additur *saltem*, veluti salutem postremo poscentes, vel salutem si aliter non potest. Et hic ostendere vult Didonem, ut est mos inconstantibus animis, præ amore id agere invidiose; quasi à legitimo marito deseratur: quis enim ignorat matrimonia liberorum suscipiendorum gratia iniri? Ait enim, *Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles.* Dixerat enim, *Miserere domus labentis*, id est futuri generis. Alii hoc à sorore natum volunt, quæ dixit: *Nec dulces natos Veneris nec præmia noris.*

SI QVA MIHI DE TE, & SI QVIS MIHI PARVVLVS. *Qua* & *quis si* addita putantur, nam integrum est. Si suscepta fuisset ante fugam soboles, & mihi parvulus aula Luderet Æneas.

ANTE FVGAM SOBOLES. Et amatorie & amare. Nam hæc fugam dicit: quam ille nominat profectionem. Amor autem ex filii desiderio comprobatur. SI QVIS MIHI. Bene iterat MIHI: & secundum jus loquitur. Nam ubi non est justum matrimonium, liberi matrem sequuntur.

DONATI.

ANTE FVGAM. Fugam dicit: nam non vult honestare rem, si dicat discessum.

VARIORVM.

MISERERE DOMVS LABENTIS. Movet commiserationem ex imminenti domus suæ calamitate: non enim pro se orat, sed pro domo; cujus ipsum quoque participem fecerat: causamque addit miserandi, *labentis*; distracto enim conjugio, domus dissolvitur & dilabitur. Turneb, lib. 26. cap. 5.

ET ORO. Conclusio est hujus obsecratoriæ partis: quam per varios commiserationis affectus, longo verborum tractu, quod Græci ὑπέρβατον vocant, huc usque distulit. NASCIMB.

CVI ME MORIBVNDAM D. Hactenus præterita enumeravit incommoda, jam vero ad futura recensenda, per locum misericordiæ communem, sese accingit. NASCIMB.

Lude-

Digitized by Google

Luderet Æneas, qui te tantum ore referret:
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.
Dixerat. ille Iovis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam regina negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elisæ,
Dum memor ipse mei; dum spiritus hos reget artus.
Pro re pauca loquar. nec ego hanc abscondere furto

SERVII.

QVI TANTVM ORE REFERRET. Aut sic dixit, quasi amatrix: ut supra de Ascanio, *Infandum si possit fallere amorem.* Aut illud dicit, Optarem filium similem vultui, non moribus tuis.

IOVIS MONITIS. Bene præscribit, ne ei det impietatem. Sane & hæc monita dicimus: ut, *Carmentis nymphæ monita*, & *deus author Apollo*, & hos monitus, ut Persius, *Hos pueri monitus patres infundere lippos.*

IMMOTA TENEBAT LVMINA. Physicum enim est, ut qualitatem animi ex oculorum, aut corporis stabilitate aut mobilitate noscamus. Ergo modo vult ostendere Ænean à proposito non esse deviatum. CVRAM. Vel simpliciter accipe, vel amorem.

EGO TE, QVÆ PLVRIMA FANDO. Controversia est plena, in qua expurgat objecta, removens à se crimen ingrati: & veniali utitur statu, profectionem suam retorquens in voluntatem deorum: Habet etiam finem, nam purgat objectam fugam, nomine profectionis.

PROMERITAM. Præstitisse, & bene egisse: & est sermo de his qui per contrarium magis lucent. Terentius, *Ita me velim ames promerentem pater*, id est bene agentem. Et congruit, ut præstet qui bene agit, contra commeritus, quia aliquid delinquit, ut alibi ipse Terentius, *Quid commerui aut peccavi pater?* Id est quid male egi? & est sensus, quantacunque enumerare potueris in me tua beneficia conlata, eorum tibi debere gratiam non repugno.

MEMINISSE PIGEBIT ELISÆ. Memini & illius rei dicimus, ut hoc loco: & memini illam rem: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* Elyssæ autem Didonis, quæ appellata est lingua Punica virago, cum se in pyram sponte misisset, fingens placare manes prioris mariti, cum nubere se velle Iarbæ mentiretur.

DVM MEMOR IPSE MEI, DVM SPIRITVS HOS REGET ARTVS. Hic versus superioribus jungendus, ut sit sensus, tandiu beneficiis tuis obligatus ero, quandiu vixero; Et bene hoc de futuro dixit, & congrue. Nam *Piget* ad futurum spectat. *pudet* ad præteritum, & licet pene sit una significatio: tamen dicimus, Piget me illud facere & fecisse. Vnde interdum præcipue à Salustio simul ponuntur.

PRO RE PAVCA LOQVAR. Remoto ingrati crimine descendit ad causam. & proprie, id est si rei magnitudinem cogites, pauca. NEC EGO HANC. Profectionem scilicet subaudis. Nam posteriori non potest jungi, ne sit confessio. Et hoc est quod reddidit, *Dissimulare etiam sperasti.*

DONATI.

ILLE IOVIS. Confundebatur pudore, utpote qui ingrati, qui fallacis, qui fugitivi infamiam subiret contra institutum suum. Sed solum Iovem sibi ante oculos ponebat, quod efficiebat, ut vir alioquin mitis & humanus, quamvis moveretur officiis Didonis, tamen à proposito non discederet. Recte autem dixit *monitis* potius quam jussis: quia non solum imperium eum movebat, sed ea quæ imperabat, quæ ad regnum Italicum acquirendum pertinebant, & ne Carthaginem suo imperio inimicam futuram foveret.

NVNQVAM REGINA NEGABO. Palam habet beneficia accepta, sed necessitate impulsum & non voluntate, ostenditur se illi non obsequi. Breviter autem purgavit quæ objiciebantur, ne multiloquio tempus tereret: & ingratitudinis vitium primo confutat, ut secundum artem incipiat à validioribus adversariorum objectis.

NEQVE HANC ABSCONDERE FVRTO. Probat quod non fugam, sed navigationem paravit: quia non venerat ut matrimonium conficeret, quod probat quod nullis solitis ceremoniis conjugium celebratum sit.

VARIORVM.

IMMOTA TENEBAT LVMINA. Non ideo siccos habet oculos Æneas, quia consuetudine stupri commoveri turpe ducat: sed ut poëta dicit, *Iovis monitis*, cui ita parebat, ut tamen cum affectu suo luctaretur. Erupisset utique in lachrymas vir pius, nisi illum major quædam causa & religio continuissent. PONTANVS.

NEC EGO HANC ABSCONDERE FVRTO. Speciem habet propositionis, quod non fugam, sed profectionem pararit. Quam statim subsequitur ratio quædam; Cur fugerem, cum nulla extiterit inter nos matrimonii conjunctio? Non enim veneram, ut te uxorem ducerem, neque id etiam feci: siquidem nullis solitis cæremoniis hoc conjugium, si ita appellandum, celebratum est. NASCIMB.

ELISÆ. Nomen proprium. nam Dido nomen est fortunę & calamitatis, à terrore nomen habens. Δείδω enim, Timeo est. Exemplum igitur horribile insani amoris. HART.

Speravi (ne finge) fugam: nec conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte mea componere curas:
Vrbem Trojanam primum, dulcesque meorum
Relliquias colerem, & Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,

SERVII.

PRÆTENDI TÆDAS. Probat non esse matrimonium. Quia illa dixerat: *Per connubia nostra*, & est quasi status fines latens, Quid si sit legitimæ nuptiæ, * & hic Æneam inducit agentem nullo se matrimonii jure posse constringi, qui neque confarreatione Didoni conjunctus fuerat, ut Flamini ac Flaminicæ convenit, ait enim, *Nec conjugis unquam Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni*, & Tædas quidem quantum ad ignem pertinet, per quem mos confarreationis firmabatur, dixit; scilicet ne aut legitime jugatam contra fas reliquisse videretur, aut fœdus id est fidem rupisse perpetuæ castimoniæ, quia cum fuissent juncti, scirent tonuisse, quæ res dirimit confarreationes. Dixerat enim Iuno, *Et tonitru cælum omne ciebo*, & paulo post, *Insequitur commixta grandine nimbus*. QVÆ TANDEM AVSONIA. Hoc ad illud pertinet, *Quid si non arva aliena domosque Ignotas peteres?*

AVT HÆC IN FOEDERA VENI. Id est matrimonii: & jungendum est superiori, aut certe ad posteriora pertinet: & hoc dicit, Non ad hoc veni, ut hic morarer: sicut & nunc probat dicens, *Me si fata meis paterentur ducere vitam*, & dixit in 1. *Quæ me cunque vocant terræ*. Ergo veni, consensi, hoc est, Non ad hæc consensi fœdera: ut, Cum vellem discedere, non liceret.

MEIS AVSPICIIS. Argumentum à necessitate, & auspiciis ideo, quia majores omnia auspicato gerebant. Ergo *auspiciis*, dispositionibus. Potest & *auspiciis* dixisse ominibus, quia in Iure Augurali *Auspicium* dicitur, quod non petentibus nobis ad ea quæ in animo habemus jure ominis offertur: vult enim ostendere Æneam semper animo volutasse ominibus, ut quæ mente agitaret offerrentur auspicio, atque augurio firmarentur: unde si bene advertas singula hic illi loco in tertio ad singula redduntur; nam quod ibi imprecatione, ibi ubi augurio petit ea quæ negaverat firmari, hic in reputatione comprehendit. Ibi enim dixit: *Serva altera Troiæ Pergama*, hic, *Vrbem Trojanam primum*, ibi, *Relliquias Danaum atque immitis Achilli*, hic, *Dulcesque meorum Relliquias colerem*, ibi *Mansuram urbem*, hic, *Tecta alta manerent*, ibi, *Vbi ponere sedes*, hic, *Recidiva manu posuissem Pergama victis*: ibi, *Quove ire jubes*, hic *Italiam magnam Grinæus Apollo*. Ibi. *Da pater augurium*: hic, *Me si fata meis paterentur ducere vitam*. Alii *auspiciis* potestate, ut, *paribusque regamus Auspiciis*, vel quæ animo ac mente agitaretur de quibus consulturi essent.

SPONTE MEA. Modo nomen est. Nam & genus & casum habet. Sic & mane cum ei & genus & casus additur, nomen est: ut, *Dum mane novum, dum gramina canent*. Sic est, *Forte sua Libycis tempestas appulit oris*. Alias adverbia sunt. Verum autem dicit non sua sponte. Nam supra legimus, *Hos cape fatorum comites*. Item, *Diversas quærere terras Auguriis agimur divum*.

PRIMVM. Id est hoc vellem præcipue.

RECIDIVA. Post casum restituta. Alii *recidivum* proprie dicunt, quod excisum denuo nascitur.

GRINÆVS APOLLO. Clazomene civitas est Asiæ. Vnde Horatius. *Dives agebat Clazomenis*. Iuxta hanc nemus est Grynæum: ubi Apollo colitur. Qui traditur ibi Grynem Amazanam stuprasse Tymbreæ domum: * licet in Delo acceperit oraculum. Hic tamen singula commemorat quibus se ostendat coactum voluisse abscedere. ITALIAM. Necessaria repetitio Italiæ, quia ibi ei dicebatur imperium, & ipsa est causa navigandi.

DONATI.

SED NVNC ITALIAM. Facit rem verisimilem: nam nullus ab ocio ad negotium, nisi invitus accedit.

VARIORVM.

ME SI FATA MEIS AVSPICIIS. Paulo aliter usurpavit vocem *auspiciis*, quam cum aliquem suis auspiciis gessisse bellum dicimus. Nam hic *mea auspicia* dicit, quæ quod volo pollicentur, neque voluntati meæ refragantur, proinde pro voluntate posuit. TVRNEB. lib. 24. cap. 26. & lib. 26. cap. 5. & lib. 7. cap. 12.

FATA MEIS. Proverb. *Meis hospitiis*. HART.

ET SPONTE MEA COMPONERE. Hinc homo suæ spontis Celso dicitur, qui more suo vivit & ut libet, ac nullo vitæ instituto adstrictus, ὁ μὴ ἐν τῇ τέχνῃ καὶ ἀσκήσει [illegible]. CELSVS. lib. 1. cap. 1.

ET RECIDIVA MANV. &c. Turnebus accipit pro iis quæ redeant & revertantur, ut Tertullianus Annum redeuntem, recidivum appellavit. Turneb. lib. 29. cap. 24. GERMAN.

GRYNÆVS APOLLO. Pausanias in Atticis pag. 15. Profectionem excusat, quam in oraculum Apollinis rejicit: remque verisimilem facit à loco; iteratione utitur; quæ cum magnum pondus habet, tum etiam vim quasi asserendæ veritatis habere videtur. NASCIMB.

Italiam

Digitized by Google

Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes.
Hic amor, hæc patria eſt. Si te Carthaginis arces
Phœniſſam, Libycæque aſpectus detinet urbis:
Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Invidia eſt? & nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchiſæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt,
Admonet in ſomnis, & turbida terret imago.
Me puer Aſcanius, capitiſque injuria chari.
Quem regno Heſperiæ fraudo, & fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divûm, Iove miſſus ab ipſo,

SERVII.

LYCIÆ SORTES. Nec hinc accepit reſponſum: ſed ſic dixit *Lyciæ*, ac ſi diceret Apollineæ. IVSSERE. Bene quæ contemni non poſſunt. CAPESSERE. Occupare, & ideo frequentativo verbo uſus eſt, quia multas ſe dicit ſuper hoc ſortes accepiſſe; quidam *capeſſere* pro ire accipiunt, ut Titinius, *Lucius domum ſe capeſſit.*

HIC AMOR, HÆC PATRIA EST. Eo inquit deſiderio Italiæ per voluntatem deorum, circa Italiam teneor, quo poſſim circa Trojam. & ad illud ſpectat quod dixit, *Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor.* An quia Dido dixerat etiam illud, *Nec te noſter amor*: & poteſt hoc verbum interdum per confuſionem verbi, & nominis poni, ut amor amaris, & hic amor hujus amoris.

SI TE CARTHAGINIS ARCES PHOENISSAM. Et tu externo regno delectaris. Senſus enim eſt, ſi tu ex Phenice veniens Carthaginem in Africa habere potuiſti, quæ invidia eſt, ut propriam ſedem poſſint habere Trojani? & multum ponderis habet ſenſus cum Epitheta iſta, Phœniſſam & Teucros, ponit.

ASPECTUS DETINET VRBIS. Poteſt pro delectat accipi, ut VIII Æn. *Capiturque Locu.* Sane quidam in novis & emendatis libris, pro *detinet*, demeret, inventum adſerunt, nam & Ciceronem in prima Philippicarum, ita ajunt dixiſſe, *Putaſne eum immortalitatem mereri voluiſſe?* Alii ab eo quod eſt mereor, mereris, meret.

ET NOS FAS. Nobis fas dicimus: ſed hoc loco non eſt jungenda elocutio, ne ſit vitium. Nam legimus, *Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere jura.* Sed hoc dicit, fas eſt etiam nos extera regna requirere.

ME PATRIS ANCHISÆ. Quaſi adhuc reſponſis non crederet, addidit patris admonitionem.

NOX OPERIT TERRAS. A veriſimili, ideo tempus poſuit. QVOTIENS autem, Per unamquamque noctem. ASTRA IGNEA SVRGVNT. Vnam rem bis dixit, *Aſtra* autem *ignea* à ſapientibus dicuntur.

INSOMNIS. More ſuo pro in ſomniis. TVRBIDA. Id eſt, prius me admonuit, poſt negligentiam etiam terruit, *Turbida*, terribilis: quod & umbræ convenit, & parentis auctoritati. Aut *turbida* pro turbata & ſollicitata, ut ipſe VI Æneid. *Quam metus, ne quid Libyæ tibi regna nocerent.* Nam & Æneas ſic reſpondit, *Tua me genitor tua triſtis imago.*

ME PVER ASCANIVS. Amor Aſcanii ſcilicet admonet: & bene, & patrem, & filium poſuit: ut ille increpando, hic dum videtur, urgeret. Sed hæc ad neceſſitatem profectionis adjecit.

QVEM. Longe repetiit, & quem non ad caput, ſed ad Aſcanium retulit, & licet excuſetur tamen σολοικοφανὴς eſt.

INTERPRES DIVVM. Hermes: expreſſit verbum de verbo. Sed hic *Interpres* pro nuntio poſuit. & ne forte fingere putaretur, addidit, *Teſtor utrunque caput*, deinde multa cum adfirmatione hoc agit; dicendo, *Ipſe deum manifeſto in lumine vidi.* Non ab alio dictum, & *lumine*, non in tenebris, non per quietem, omnia tamen hæc per tranſlationem aguntur. AB IPSO. Id eſt magno: ut ſupra, *Ipſe deum tibi me claro demittit Olympo.*

DONATI.

HIC AMOR: HÆC PATRIA EST. Si te cœpit amor novæ patriæ, non ægre feras quod ego quoque novæ patriæ amore capiar.

ET NOS. Quemadmodum & te.

VARIORVM.

LYCIÆ SORTES. Apud antiquos dabantur etiam oracula ſortibus, lege in Alciati parerg. lib 5. cap. 22.

CAPESSERE SORTES. Proverb. *Naves omiſſa convitiis.* HARTVNG.

ME PATRIS ANCHISÆ QVOTIENS. Similem, inquit, objurgationi video in ſomniis, per quietem patrem meum, & inſtantem ut Italiam petam: nec id ſemel, ſed noctibus ſingulis. Toties ille adeſt & ſua me præſentia, auctoritatis plena horrore quodam perfundit, & ex officio paternæ pietatis me de itinere à principio inſtituto ad finem perducendo admonet. DONATVS.

CAPITIS CHARI. Periphraſis blanda & urbana: φιλὴ κεφαλή. Turneb. libro vigeſimoſexto cap. 5. HARTVNG.

Teſtor

(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit. ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine, meque tuis incendere, teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus author,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

SERVII.

VTRVMQVE CAPVT. Aut meum & tuum, aut Iovis & Mercurii: aut Anchisæ & Ascanii. Alii volunt Æneæ & Ascanii imagine numinis esse deceptum. CELERES MANDATA PER AVRAS. Sicut supra, *Celeres defer mea dicta per auras.*

MANIFESTO IN LVMINE. Aut claro: aut in nimbo, cujus majus est lumen. Sic Lucanus. *Postquam se lumine vero Miscuit.* Et fingenda sunt hæc, ut habeant admirationis venerabilem fidem.

HIS AVRIBVS HAVSI. Accepi: & est Pleonasmos. *Haurit* enim pro percipit ponebant veteres, & ideo qua potissimum parte sensus percipient adjungunt, simul hoc animo hauri, & *Hauriat hunc oculis ignem.* Probus enim ait, *Nemo haurit vocem.*

INCENDERE. Exagitare. QVERELLIS. Querellis *l* litteram metri addidit, nam querela dicitur, quia querulus facit hoc modo, & loquela, & suadela.

SEQVOR. ut, *Italiam sequimur fugientem*, & oratione ibi finivit, ubi vis argumenti constitit.

TALIA DICENTEM. Bene, non postquam dixit. IAMDVDVM. Ab initio orationis. AVERSA. Id est irata: Aversa ergo ad animum referendum est, nam incipit esse contrarium *adversa tuetur*, ut est, *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* LVMINIBVS TACITIS. Pro ipsa tacita: ut, *Tacitumque obsedit limen amatæ*, hoc est ipsa tacita. Sequitur autem invectio, quæ semper statu caret. Sane *tacitis* participium passivum pro activo. Quidam *tacitis* epitheton oculorum volunt. Alii *tacitis*, siccis præ iracundia.

NEC TIBI DIVA PARENS. Non est sola in Ænean objecta vituperatio, sed etiam in se dijurgatio, quia dixerat, *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.* Vnde nunc dicit, *Generis nec Dardanus auctor.* Et studet illud destruere, *Tune ille Æneas quem Dardanio Anchisæ*, & nominando *Venerem* & *Dardanum*, & maternam & paternam generositatem destruit.

PERFIDE. Amantum verbo eum increpat. Sic supra, *Dissimulare etiam sperasti perfide.*

CAVCASVS. Mons Scythiæ inhospitalis. Sane quidam absurde putant *Caucasum* & tigres à Didone memoratas, quia nec Didoni perturbatæ venire in mentem Caucasus potuit: nec tigres juxta eum cognitæ Hyrcanæ: nam quod ait genuit Caucasus, elaboravit dicendo *genuit* incredibilius facere de monte masculini generis; sed hic imitatur Græcos, qui magis proprie Γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα, quod hic ad propria nomina transtulit. HYRCANÆQVE TIGRES. Arabicæ, nam Hyrcania sylva est Arabiæ. Et notandum relictis mediis comparationibus, eum augmenta fecisse, nam post deos, non homines, sed saxa intulit.

DONATI.

ASTRA IGNEA. Facit verisimile ex ipso tempore, in quo somnus capitur.

MANIFESTO IN LVMINE. Confirmatio rei, ne credat esse deceptum: & interponit jusjurandum utriusque scilicet, Iovis qui misit, & Mercurii qui missus est.

DESINE. Quia cognovisti justas discessus causas.

IAMDVDVM. Ex quo incepit loqui, quæ sibi non placerent: qua consideratione incensa fuerat.

TOTVMQVE PERERRAT. Irascentis signum: ut cum totum nolit visum, totum tamen oculis errantibus cernat.

NEC TIBI DIVA PARENS. Vbi vidit illum non flecti precibus, vertit se ad convitia, ut saltem animo suo morem gerat. Est autem animorum maxima commutatio. nam cum amaret, dixit: *Genus credo esse deorum.*

DVRIS TE CAVTIBVS. Quia asper es, & ab humanitate alienus.

VBERA TYGRES. Propter quod hominum mansuetudinem nescis. ostendit autem per alimoniam lactis, mores pueris infundi, quod & Ciceroni placet: qui in educatione oratoris jubet præcipuas adhiberi mulieres, cum per obsequia uberum, natura ex alia in aliam mutetur.

VARIORVM.

TESTOR VTRVMQVE CAPVT. Græci per caput alterius jurabant. Vid. Brisson. lib. 8. form.

NEC TIBI DIVA, &c. Macr. lib. 5. c. 11. Sat.

Nam

Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num numina flexit?
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?
Quæ quibus anteferam? jamjam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.
NVSQVAM *tuta fides, ejectum littore egentem*
Excepi, & regni demens in parte locavi:

SERVII.

QVID DISSIMVLO? Tacitæ quæstioni occurrit, ne quis ejus nimiam iracundiam reprehenderet, dicens Ænean posse mitigari forsitan precibus.

QVÆ ME AD MAIORA RESERVO. Aut ad majores scilicet injurias, aut ad superiora pertinent, quia & maledixit.

NVM FLETV INGEMVIT. Nam hoc est, *generis nec Dardanus auctor.* NVM LVMINA FLEXIT. Hoc est, *genuit Caucasus*, vel ad illud pertinet, *Ille Iovis monitis immota tenebat Lumina.*

MISERATVS AMANTEM. Hoc est, *Hyrcaneque admorunt ubera tigres*, & miseratus accusativum regit, ut hoc loco: misereor genitivum: ut, *Miserere animi non digna ferentis.* Et bene avertit ab eo sermonem, & non dixit, *Ingemuisti*, num flexisti, aut miseratus es: ut: *Hic alienus oves custos.* Non dixit tum illi es & miseratus * hoc est *Nec tibi diva parens.*

QVÆ QVIBVS ANTEFERAM. Amphibologia est, quid prius, quid posterius dicam. Quod fieri solet ubi omnia & paria, & magna sunt. Sane *anteferam*, non est dividendum, ut præferam. NEC MAXIMA IVNO. Aut in Iunonem maledictum est, ut eam non esse *maximam* dicat, sicut etiam Iovem, nam convicium est quod eum *Saturnium* dicit: hoc est nocentem. Aut certe jungitur: ut: *Nec Iuno aspicit, nec Iuppiter*, ut se dementem dicat, quod regina ejectum & egentem in partem regni receperit aut certe *maxima Iuno* quæ solet amare Carthaginem, vel quæ nuptias dedit, quod optaverat Dido.

NEC SATVRNIVS. Vt supradictum est, ubicunque infestos vult ostendere: vel Iunonem vel Iovem *Saturnios* appellat, ut, *Veterisque memor Saturnia belli*, &, *Saturnique altera proles Irarum tantos volvit sub pectore fluctus*, & Iovem ideo *Saturnium* modo appellat, quia Ænean à Carthagine præcipit abscedere.

NVSQVAM TVTA FIDES. Hoc est, nec apud rem, nec apud hominem. Terentius, *Quid credas, aut cui credas?* Et declamavit per contrarium. Nam omnis fides tuta est. Cujus hæc propria virtus est, ut tuta sit, hic ait, *Nusquam tuta.* EIECTVM. Naufragum. Legimus enim, *Huc pauci vestris adnavimus oris*, & est separandum ejectum. LITORE EGENTEM. Id est egentem littoris: ut, *Hospitio prohibemur arenæ*, vel si jungas *ejectum litore*, pro in litus, ut, *Inferretque deos Latio*, pro in Latium, & in tribus modis hæc elocutio profertur. Egeo hanc rem Plautus in Menech. *Linum lanam prabeo, neque quicquam eges.* Egeo hujus rei, *Has ego Dardanio juveni, cum classis egeret*, & egeo hac re, ut, *litore egentem.*

EXCEPI. Ad illud respondet, *Ejectum littore egentem.* REGNI IN PARTE. ut, *Ac dominum Ænean in regna recepit*, quod Iarbas conqueritur, & est invidiosum, quando optantem, vel litoris egentem, in regni partem recepi. Mire autem recordatione beneficiorum iracundia accenditur. Sane etiam hic mentio ceremoniarum inducitur. Mos enim apud veteres fuit Flamini ac Flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas ovili pelle superinjecta poni, ejus ovis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent, quod Dido meminit cum queritur, se ab Ænea contra jus nexus maritalis deseri, his verbis: *Regni demens in parte locavi.* Locata enim uxor dicitur, quod simul cum eo sedeat dum confarreatur.

DONATI.

NVM FLETV INGEMVIT NOSTRO? NVM LVMINA FLEXIT. Ostendit non esse in Ænea, quæ in bono viro esse solent. Tria autem hæc sunt per quæ homo miseratione motus esse videtur: gemitus, lachrymæ, oculorum flexio.

IVNO. Quæ, vel quia deorum sit regina, vel à se colatur partiam ulcisci debebat, vel quia inimica esset Trojanis.

VARIORVM.

NAM QVID DISSIMVLO. προληπτικῶς tacitæ quæstioni occurrit, ne forte quis inferat Æneam posse vel precibus, vel alia aliqua ratione mitigari.

NVM FLETV INGEMVIT NOSTRO? Quæstionem solvit & ab effectu Æneam crudelem esse probat: qui, ipsa lugente, ne ingemuit quidem, aut ullum pietatis ac misericordiæ erga illam signum ostendit, perinde quasi sensibus omnibus careret. NASCIMB.

NVSQVAM TVTA FIDES. Id est non tutum est, quemquam in fidem recipere, aut de quoquam bene mereri cum tanta in hominibus perfidia & ingrati animi perversitas & pravitas reperiatur. Nam Æneas, de quo tam bene merita sum, in me ingratus est, & ingrato tamen animo prætexit deorum imperium, perfidiæ latebram quærens, cum simulet se deorum jussis cogi: id enim est, *Nunc Lyciæ sortes, nunc & Iove missus ab ipso.* TVRNEB. lib. 26. cap. 5.

Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu furiis incensa feror. nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Iove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is superis labor est; ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas:

SERVII.

AMISSAM CLASSEM. Subaudis RENOVAVI. Ad illud respondit, *Quassatam ventis liceat subducere classem.* SOCIOSQVE A MORTE REDVXI. Scilicet quos hospitio ejectos excepi, quibus classem reparavi.

HEV FVRIIS INCENSA FEROR. Aut quod necesse habeo exprobrare beneficia, Terentius, *Insanire occipiunt homines & injuria.* Quia multa erat in deos loqutura: & bona præmittitur excusatio. Nam numina non credere curare mortalia, & ab his beneficium sperare, furoris est. Subjungit enim, *Si quid pia numina possunt.*

NVNC LYCIÆ SORTES, NVNC & IOVE MISSVS AB IPSO. Irrisio est honesta satis: cum his verbis fit quibus laus promissa est: ut, *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit, Necdum illis labra admovi, sed condita servo.* Scimus autem Æneam superius hæc verba dixisse. *Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes. Lyciæ* autem *sortes*, Apollinem Licium appellat, sive de Lycio quem vicit, & victoriæ suæ testimonium hoc nomen induit; sive quod est Λυκὸς à candore, idem enim & Sol creditur, sive quod trans figuratus est in lupum cum Cirene concubuit, & inde eadem provincia Lycia vocata; sive quod in lupi habitu Thelcanos occiderit; sive quod lupus ei primus post interemptum Pythonem, ex eo loco qui appellatur Tempe aurum attulit, sive quod pastoralis deus lupos interemerit, & est alia fabula cur Lycia vocata sit regio. Diana harum regionum gaudebat venatu, sed quodam tempore tanta vis luporum se ibi infudit, ut omnes feras eorum incursus absumeret: cum ergo omnis oblectatio deæ quæ de venatione veniebat, extinctis cæteris animalibus defecisset, Apollo* ob hanc rem consecratum est.

Est alia de hoc fabula, Denaus trahens ab Ægypto originem, cum videret ira Neptuni vindictam sumentis, quod adversum se de condendis Athenis Hisagus fluvius pro Minerva judicasset, uri siccitatibus solum, filiam Amymonem ad aquam inquirendam proficisci jubet, quæ cum vidisset repertum fontem, hiatu terræ receptum exaruisse, ad patrem detulit: quo ille prodigio commotus, oraculum Apollinis adit, cui Apollo respondit, ut profectus ubi invenisset taurum & lupum inter se pugnantes, spectaret exitum pugnæ, & si taurus vicisset, Neptuno templa constitueret: si vero lupus, Apollini delubrum sacraret. Sed cum Danaus lupum videret vicisse, Apollini Lycio templum dedit: in hujus autem Lyciæ regione Patara sacer olim lucus Apollini fuit, ubi Apollo responsa dedit, unde etiam Patareus appellatus est. NVNC IOVE MISSVS AB IPSO. Sicut supra ab ipso magno: Et bene NVNC sæpius posuit ad irrisionem, quasi nunc de te curant, qui ante periclitanti non curaverunt subvenire.

HORRIDA IVSSA. Et hoc per irrisionem quasi plena venerationis, vel quæ tu timeas.

QVIETOS SOLLICITAT. Cicero in libris de deorum natura, triplicem de diis dicit esse opinionem. deos non esse: cujus rei auctor apud Athenas exustus est. Esse, & nihil curare: ut Epicurei. Esse, & curare, ut Stoici: secundum quos paulo post, *Si quid pia numina possunt.* Nam modo secundum Epicureos ait, *Ea cura quietos.* Quidam superos deos Mercurium, Apollinem, & Iovem accipiunt; quietos vero infernos, quia Æneas dixerat, *Me patris Anchisæ*: Sollicitat vero sollicitos habet. Terent. *Ego quia non redis filium, quæ cogito & quibus nunc sollicitor rebus.*

REFELLO. Vel retardo, vel falsa esse convinco: *refello* enim ab eo quod est fallo venit.

I, SEQVERE ITALIAM VENTIS. Satis artificiosa prohibitio, quæ fit per concessionem: quæ tamen ne non intellecta sit persuasio, permiscenda sunt aliqua quæ terrent latenter, ut, *Ventis, per undas*, nomina terribilia, & *sequere* quasi fugientem. Sic Terentius, *Profundat, perdat, pereat: nihil ad me attinet.* Ergo hic cum eum videtur dimittere admonendo periculi retinet. Sane multi Italiam distinguunt, ut sequatur, *Ventis pete regna per undas.*

DONATI.

AMISSAM CLASSEM. Quasi contra me fecit: nam sine illa navigare non posset. REDVXI. De classe dicamus solum reduxi classem; de sociis vero, reduxi socios à morte.

NVNC. Quasi dicat nunc cum vult abire: sed cur non antea, cum opera mea egeret?

VARIORVM.

HEV FVRIIS, INCENSA FEROR. Cum desint plura exprobranda, exclamat per indignationem. Et quia culpam fugæ, si qua esset, in deos Æneas transferebat, hunc Dido cum conetur refellere argumentis, neque valeat, mimesi ludit. HORTENSI.

SCILICET SVPERIS. εἰρωνικῶς. & confutat ad hunc modum: die Götter fragen freilich viel darnach! sie haben sonst nichts zuschaffen! HART.

EA CVRA QVIETOS. Quieti dii sunt, id est, immortales, nullisque calamitatibus obnoxii. Hom. ῥεῖα ζώοντες dixit, Odyss. δ. & alias. Estque argumentum à pugnantibus. HARTVNG.

Spero

Spero equidem mediis (ſi quid pia numina poſſunt)
Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. ſequar atris ignibus abſens:
Et cum frigida mors animæ ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero: dabis improbe pœnas:
Audiam, & hæc Manes veniet mihi fama ſub imos.
His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit: ſeque ex oculis avertit & aufert;
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. ſuſcipiunt famulæ, collapſaque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.

SERVII.

SPERO EQVIDEM. Videtur eadem quodammodo repetere, & de tempeſtate & de beneficiis ſuis vehementius. MEDIIS SCOPVLIS. Aut manifeſtis, ut, *Medioque ex hoſte recepi.* aut illa ſaxa dixit, quæ ſunt inter Africam & Sardiniam, atque Siciliam.

HAVSVRVM. Luiturum, daturum. DIDO. Poteſt & vocativus eſſe, & accuſativus, ut & ô Dido, & hanc Dido.

SEQVAR ATRIS IGNIBVS. Alii furiarum facibus dicunt: hoc eſt, *Invocatas tibi, immittam diras.* Alii ſociorum facibus dicunt, ut paulo poſt, *Ferte citi flammas.* Melius tamen eſt ut ſecundum Vrbanum accipiamus, *Atris ignibus*, rogalibus, qui viſi tempeſtatem ſignificant, ut Æneæ (ſicut in quinto legimus) contigit. Hoc ergo quod factum eſt dicit, id eſt occidam me, & rogalibus te perſequar flammis. ABSENS. Mortua: vel de ſuis dicit hominibus, ut paulo poſt, *Ferte citi flammas, data vela, impellite remos.* ABSENS autem, id eſt inferias. Atris autem rogalibus, id eſt, nigris quæ dum dicit ignium meminit, & debuit abſens conjungere, ut eſſet *quanquam abſens.*

ANIMA SEDVXERIT ARTVS. Hypallage enim pro animam artubus ſeduxerit. Aut certe *anima*, pro ab anima, & eſt mortis periphraſis. Quid enim eſt mors, quam ſeparatio animæ à corpore?

OMNIBVS VMBRA LOCIS ADERO: DABIS IMPROBE POENAS. Dicunt Phyſici biothanatorum animas non recipi in originem ſuam, niſi vagantes legitimum tempus fati compleverint: quod poëtæ ad ſepulturam transferunt: ut, *Centum errant annos.* Hoc ergo nunc dicit Dido, Occiſura me ante diem ſum: vaganti mihi dabis pœnas. Nam te perſequar & adero quandiu erravero ſemper. ſi autem fuero recepta in originem, pœnas tuas audiam, quas videre non potero. Hic ergo ſenſus eſt, ſi tempeſtatem evaſeris flammarum rogalium, umbra mea te perſequetur. ſi & hanc evaſeris, vel recepta audiam famam ſuppliciorum tuorum.

MEDIVM SERMONEM. Propter hoc quod ſequitur, *Multa metu cunctantem, & multa volentem Dicere.* Vt ſupra, *Mortales viſus medio ſermone reliquit.* Sane multi DICTIS, participium, non appellationem volunt, hoc eſt, cum hæc dicta eſſent.

LINQVENS. Multi pro derelinquens Ænean, alii pro deficiens accipi volunt more antiquo, ſicut delinquere pro deficere: Cælius hiſtoriarum, *Delinquere frumentum Sardiniam hoſtes tenere.* Tubero, *Nam delinquit aut ſuperet aliquid tibi*, Id eſt, deficiat aut ſuperet. Gellius Annalium, *Deliquium Solis, & delinquionem dicit*: Quod Virgilius, *Defectus Solis varios*: Nam in hoc ipſo loco ſequitur.

SVSCIPIVNT FAMVLÆ. Eam ſubaudi. THALAMO. Dativus caſus.

VARIORVM.

SPERO EQVIDEM MEDIIS. Æneæ peſſime ominatur, conjectura ex ejus crudelitate, & ex Deorum juſtitia deducta. ubi etiam obſervanda eſt animi furentis inconſtantia, cum modo Deos mortalia curare neget, modo id etiam affirmet. NASCIMB.

SVPPLICIA HAVSVRVM. NIC. Erythræus, *haſurum*; quæ lectio mihi non diſplicet ob inſolentiam *ſupini hauſurum*, pro *hauſturum*. GERMAN.

HAVSVRVM. Contra analogiam, pro, *hauſturum*: niſi corruptum eſt. per quam ſcite & appoſite, cum de navigatione verba faciat: *hauſurum*, id eſt luiturum ſupplicia, dixit. HART.

SEQVAR ATRIS IGNIBVS. De facibus furiarum hoc intelligendum, quas ei, ut ſcelerato minatur. Eas Cicero, conſcientiarum ſtimulos, angores & cruciatus animi ob maleficia interpretatur. P.

ET CVM FRIGIDA MORS ANIMA. S. A. De illo plane mortis genere intelligendum eſt, quo corpus ab anima ſejungitur: nam datur & animæ ſeparatio à corpore, juxta Platonis ſententiam: ad cujus opinionem hic proculdubio alluſiſſe videtur. NAS.

OMNIBVS VMBRA LOCIS. Cenſebantur mortuorum manes infeſti quibuſdam vivis eſſe, à quibus illi in vita læſi fuiſſent, & eos pœnis exagitare. Sic Ovid. in Ibin:

Tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Inſequar & vultus oſſea forma tuos.

TVRNEB. 22. 1. Ioh. Brodæus lib. 5. Miſc. cap. xi.

OMNIBVS VMBRA LOCIS. Cælius lib. 17. cap. 16. HART.

AVRAS ÆGRA FVGIT. Quæ exanimatur, nec reſpirat. Qui enim reſpirat, aura fruitur: qui non reſpirat, aura & aëre nihil utitur, nec veſcitur. TVRNEB. lib. 26. cap. 5.

At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore:
Iussa tamen divûm exequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naves: natat uncta carina:
Frondentesque ferunt remos, & robora sylvis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes:
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt,
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas

SERVII.

AT PIVS ÆNEAS. Ordo est, at pius Æneas jussa divum exequitur. Bene autem excusat Ænean *pium* dicendo, cum ei & gemitus dat, & ostendit solatia dolenti velle præstare, & probat relligiosum, cum deorum præceptis paret.

ANIMVM LABEFACTVS. Pro animum labefactum habens. AMORE. Num Didonis quo illa flagraret?

TVM VERO TEVCRI. Regis scilicet præsentia. sic in nono, *Tum vero incumbunt, urget præsentia Turni.* LITORE. De litore. VNCTA. Pice delibuta.

FRONDENTESQVE FERVNT. Non qui erant, sed quia esse potuerant: ut, *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos.*

FVGÆ STVDIO. Celeris profectionis: ut, *Ille volans simul arva fuga, simul æquora verrit.* INFABRICATA. Bene expressa est festinatio navigare cupientum:

CERNAS. Honesta figura, si rem tertiæ personæ in secundam referas: hoc est, *si quis cernat.*

FORMICÆ. Ad studium respicit hæc comparatio hoc loco, non ad personas: & notandum cautelam exprimi per hanc comparationem. Horatius, *Parvula nam exemplo est magni formica laboris.* Iuvenalis, *Formica tandem quidam expavere magistra.* Sane formica dicta est ab eo quod ore micas ferat. De qua fabula talis est: In Attica regione quædam puella Mirmix nomine fuit, Minervæ ob castimoniam & solertiam dilecta, quæ postea hoc modo Minervæ in se odium concitavit. Namque cum vidisset Minerva Cererem segetes invenisse, volens ipsa ostendere Atticis, quo expeditius segetes parerent, aratrum dicitur invenisse, quod cum manu ageret, & Mirmix ei adhæreret, ausa est occulte aratri stivam subripere, & apud homines se jactare infructuosum esse Cereris munus, nisi suo uterentur invento, quo terra aratro resoluta expeditius ederet fructus, quod cum proditum ægre tulisset Minerva, Mirmicem illam virginem in formicam convertit, eamque ut proditricem adversam frumentis, quæ semper insequitur & subripit, esse præcepit, quæ cum Iovi miserationem movisset, excogitavit quemadmodum formicæ honorem daret. Nam cum Æacum filium suum ex Egina susceptum Tessalis imponeret regem, & agros ipsos videret hominibus indigere, formicas colligi in unum jussit, easque in homines commutavit, unde Mirmidones appellati sunt. FARRIS. Solum nomen est quod *r* geminet in genitivo. Monadicon est ergo, sicut Sol. Item cor cordis, solum in *dis* mittit genitivum. Item *s* geminata assis. & hæc carent exemplis.

CVM POPVLANT. Antique dixit. Nam hoc verbum apud veteres activum fuit, nunc tantum deponens est. Et bene rei parvæ per metaphoram sublimitatem dedit, ut non videatur de formicis, sed de exercitu loqui. HYEMIS MEMORES. Hoc est caute, in adventum hyemis, Horatius, *Qui simul inversum contristat aquarius annum, Non usquam prorepit.* TECTO, pro tecto, id est cavernis.

IT NIGRVM CAMPIS AGMEN: ut, *It portis jubare exorto delecta juventus*, Hemistichium Ennii de elephantis dictum, quo ante Acilius est usus de Indis.

VARIORVM.

AT PIVS ÆNEAS, QVANQVAM LENIRE &c. Pietas commendatur Æneæ, sed ejus magis extollitur animi prudentia atque fortitudo: qui in rebus illis, quæ sensus (ut ita dicam) titillant, ita se gerit, ea constantia est, ut minime succumbat, sed illis potius imperare videatur.. NASCIMB.

DIVVM EXSEQVITVR. Æneas, rationis simulachrum; Dido, affectuum. HART.

TVM VERO TEVCRI INCVMBVNT. Diligentiam celeritatemque Trojanorum in curandis parandisq; quæ ad navigationem faciunt, Poëta describit.

MIGRANTES CERNAS. Inter narrandum subinde, Homerico more, ad aliquem dirigit sermonem, id quod Macrobio pro memorabili habetur, l. 5. cap. 14. HARTVNG.

IT NIGRVM CAMPIS AGMEN. Rei humilitatem magnitudine verborum extollit: videtur enim cum ait; *It nigrum campis agmen*, non de formicis, sed de militum turmis agere. Sic in 4. Georg. cum de apibus loquatur, rem verbis mirum in modum effert. NASCIMB.

Con-

Digitized by Google

Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc Dido cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus? cum littora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
IMPROBE *amor, quid non mortalia pectora cogis?*
Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum, frustra moritura, relinquat.

SERVII.

CALLE ANGVSTO. Callis est semita tonsior callo pecorum prædurata. Vnde & callum & callidos dicimus. *Semita* est semis via: unde & semita dicta est. *Via* id est actus dimidius: qua potest ire vehiculum. Nam actus duo carpenta capit propter euntium & venientium vehiculorum occursum. GRANDIA TRVDVNT. Quæ portare non possunt.

MORAS. Tardas, morantes, quia solent resistere. SEMITA FERVET. Aptum verbum festinationi, ut è contrario frigidum, tardum.

QVIS TIBI TVNC DIDO CERNENTI. Totum hoc magna prosphonesi dictum est, plus enim est in re, quam in verbis, quamvis enim totum dictum non sit: tamen & cogitatur & capitur ab auditore; hæc est enim magna emphasis quæ perpetuam personam complectitur. Terentius, *Quid illi tandem credis fore animi misero, qui cum illa consuevit?*

FERVERE LATE. Infinitus hic à tertia est conjugatione, id est à fervo fervis. Secundæ conjugationis verba, perdito *e*, quod habent ante *o*, in tertiam migrant: ut ferveo fervo, fulgeo fulgo. Hinc est, *Fervere Leucatem: auroque effulgere fluctus.* Sic etiam Horatius, *Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.* Nam cave, *ve* longa est, nec vocalis sequitur, ut in Virgilio, *Vale vale inquit Iola.* sed dicimus tertiæ esse conjugationis imperativum, ut cavo cavis: Hinc etiam Catullus cavere dixit.

ARCE EX SVMMA. Regium enim fuit habitare in arcibus propter tutelam. Denique Romæ Valerius cum in Esquiliis domum haberet altissimam, invidiæ causa complanavit. Item Augustus post Actiacum bellum palatium ex suo præcepto ædificatum, cum esset domus privata, donavit reipublicæ.

TANTIS CLAMORIBVS. Nautarum scilicet vocibus. MISCERI. Pro repleri, aut commoveri.

IMPROBE AMOR. Exclamatio à poëta contra amorem. & hoc est quod Horatius dicit, *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.* Tale est & illud in tertio, *Auri sacra fames*: id est cupiditas. Nam & illic amoris est increpatio, qui secundum philosophos omnium generalis est rerum. Hinc est quod apud inferos Eriphula inter amantes commemoratur, quæ monile concupierat.

IRE ITERVM IN LACHRYMAS. Hinc est amoris improbitas, quæ cogit lachrymis rogare dudum superbam. Est autem speciosa eloquutio, *Pergit in lachrymas.* PRECANDO. Cantando modo *do*, naturaliter brevis est: sic Terentianus, *Vt vitæ dubius varios renovando dolores.* Plerunque tamen à Virgilio producitur: ut, *Cantando tu illum? Et Cantando rumpitur anguis.*

SVMMITTERE AMORI ANIMOS. Quidam pro iras accipiunt, ut animosus dicitur pro iracundus, &, *Supplex animos summittere amori*, id est supplices preces adhibere, quæ erat amore victa: *Summittere autem amori* ac si diceret, non Æneæ, aut certe Æneam amorem vocavit, ubique tamen subaudiendum, cogitur.

NEQVID INEXPERTVM FRVSTRA. Rogabat, inquit, non spe impetrandi: sed ne esset quod sibi possit imputare, si non rogasset: quanquam frustra rogaret. Id est ne derelinqueret medium aliquod intemptatum, & hoc frustra quia moritura erat, Terentius, *Omnia experiri certum est priusquam pereo.* & FRVSTRA ex judicio poëtæ dictum est. Sic Salustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum*: ut supra, *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.*

VARIORVM.

FERVERE LATE. Enallage conjugationis tertiæ, pro secunda accepta. HART.

IMPROBE AMOR. Exclamatio in amorem. Turneb. lib. 22. cap. 12.

QVID NON MORTALIA. Supra lib. 3. de avaritia, carmen est hic de amore? Vtrobique autem deterret nos Poëta. non dissimilis Homeri illa iteratio: πόλεμος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει. Iliad. ζ. Et Od. α. μῦθος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει. HART.

COGITVR ET SVPPLEX. Mirum verbum. Liber enim nullus amans est, neque suus, sed sibi alienus. idcirco addit odiosum verbum SVPPLEX: item quod minime decet hominem sui compotem, *Animum submittere Amori*, id est videre & commodum & decorum; utrumque agnoscere, utrumque negligere. SCALIG. lib. 3. cap. 19.

Anna, vides toto properari littore circum:
Vndique convenere: vocat jam carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre soror, potero: miseræ hoc tamen unum
Exequere, Anna, mihi. solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus:
Sola viri molles aditus & tempora noras.
I soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi:
Nec patris Anchisæ cineres Manesve revelli.

SERVII.

ANNA. Prope invidiose, quia ipsa nuptias suas suaserat. VIDES. Quasi diceret ipsa tibi credidi, & est major vis adfirmantis cum dicit *vides*, petitio autem hæc etiam deliberationis modum à quibusdam putatur tenere. PROPERARI LITTORE CIRCVM. Vtrum circunspicis, an circum totum litus? & est ordo, *Anna i soror atque hostem supplex adfare superbum.* Circum non est præpositio, sed adverbium loci: Nam postposita præpositio & accentum mutavit, & suas perdidit vires. *Properari* autem impersonale est.

VNDIQVE. Bene non addidit *Qui*, intelligitur.

ET LÆTI NAVTÆ. Id est aut minime timentes. Aut adeo non necessitate, nec jussu abeant, sed volentes: & hoc ad spem retinendi, aut ad indignationem commovendam dictum est. Et sicut supra prope ad invidiam Annæ loquitur, ut est alibi: *Tu prima furentem. His germana malis:* Probus sane sic adnotavit, *Si Hunc, versum omitteret melius fecisset.*

CORONAS. Multi funium coronas accipi volunt, qui solent quotiens navigatur in modum coronarum componi, nam fugientes quemadmodum naves coronabant?

SI POTVI autem, pro potuissem: & sic dictum est, ut, *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.* Ac si diceret, nihil mihi novum contigit. SPERARE DOLOREM. Pro timere: & est Acyrologia superflua dictio. Nam speramus bona, timemus adversa. Hoc autem dicit, Si scirem abiturum Ænean, non tantum diligerem: si non dilexissem, minus dolerem.

HOC TAMEN VNVM. Vel hoc solum. MIHI. Pro me exsequere. id est pro mea causa.

COLERE. Pro colebat vel colit, infinitus pro indicativo. CREDERE. Credit vel credebat, id est, committebat.

MOLLES ADITVS. Faciles: ut: *Et quæ mollissima fandi Tempora.*

ATQVE. Conjunctio complexiva est, & disjunctiva cum dicimus, aliter atque aliter debuit fecit; est & expletiva, *Atque illum in præceps prono trahit alveus amni.* HOSTEM SVPERBVM. Postquam ex aperto denegavit se Carthagini esse mansurum, & reddit causas ob quas suppliciter adloquatur, quod & *hostis* & *superbus*, quasi dicat, æquo animo patiamur nos supplices esse, quoniam incidimus hostem superbum. nonnulli autem juxta veteres *hostem* pro hospite dictum accipiunt: Plautus in Curculione, *Si status condictus cum hoste intercedit dies.* Idem in Cistellaria: *datum est hostimentum, opera pro pecunia.* Nec enim vere hostem diceret, quem revocare cupiebat. Ipsa enim ait *hospes*. *Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat*: Herodotus, Persas qui erant Græcorum hostes, ξένυς à Lacedemoniis appellatos refert. Inde nostri, *hostes* pro hospitibus dixerunt, nam inimici perduelles dicebantur.

AVLIDE IVRAVI. Aulis insula est in Ægeo mari, in qua conjurarunt Græci se non ante reversuros ad patriam, quam Troja caperetur. *Aulide* autem, aut in Aulide, aut pro Aulidi. AD PERGAMA. In Pergama: id est contra Pergama.

ANCHISÆ CINERES, MANESVE REVELLI. Ad hoc autem quod dicitur ex oraculo fecisse Diomedes, & secum ejus ossa portasse: quæ postea reddidit Æneæ, cum multa adversa perferret. Hinc est, *Salvete recepti Ne quicquam cineres.* Sciendum sane Varronem dicere, Diomedem eruta Anchisæ ossa filio reddidisse: Catonem autem adfirmare quod Anchises ad Italiam venerit: tanta est inter ipsos varietas, & historiarum confusio. REVELLI. Non revulsi. Nam velli & revelli dicimus: vulsus vero & revulsus usurpatum est tantum in participiis contra naturam.

VARIORVM.

PVPPIBVS ET LÆTI NAVTÆ I. C. Ex antiquorum ritu dictum est. Tum lætitiæ securitatisque animi signum est coronare naves: id enim facere solebant nautæ, cum præsertim aliquo migrarent, ubi se aliquid boni consecuturos sperarent. TVRNEB. lib. 26 cap. 5. NASCIMB.

HVNC EGO SI POTVI. Hic locus est valde idoneus ad pathos movendum, & dicitur præter spem. Hunc Virg. frequenter exercuit. Macrob. l. 4. cap. 6. Saturnal.

NEC PATRIS ANCHISÆ. Violare sepulchra nefas. Turneb. lib. 14. cap. 21.

Cur

Digitized by Google

Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro:
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto; requiem, spatiumque furori;
Cum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis)
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam.
Talibus orabat: talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.

SERVII.

CVR MEA DICTA NEGAT. Non interrogat, sed queritur; quidam revelli jungunt, ita ut sequatur *Cur mea dicta negat.*

QVO RVIT. Properat, sine respectu salutis. Nam hoc dicit, quod peto, etiam ipsi prodest, amoris scilicet impatientia. EXTREMVM HOC MISERÆ DET M. A. A qualitate beneficii dictum.

FACILEMQVE FVGAM. Permanet in eodem sensu, ut dicat petitionem suam etiam Æneæ prodesse. FERENTES. Bene flantes, propitios, prosperos.

ANTIQVVM. Aut primum, aut carum, ut nihil antiquius habuit, dicimus: aut antiquatum & irritum. QVOD PRODIDIT. Quod decepit. Et bene, ad disruptionem enim conjugii immutata voluntas sufficit. Quidam *prodidit*, pro perdidit accipiunt, ut, *Unius ob iram Prodimur.*

PVLCHRO VT LATIO CAREAT. Quod illi pulchrum videtur. Sic est illud, *O tantum libeat mecum tibi sordida rura*: quæ tibi sic videntur. RELINQVAT. Negligat.

TEMPVS INANE PETO. Id est sine matrimonio, sine officio coëundi. Nam sine beneficio, non procedit, cum spatium petat & requiem. Aut quasi non magnam rem, vel quo vacuus & ociosus est, cum illi tempus inane est. REQVIEM SPATIVMQVE FVRORI. Ut possim habere spacium, quo amori finem imponam.

DVM MEA ME VICTAM. Mea fortuna. Id est aversa: ut, *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.* Ex statu in quo est, *fortunam* dixit. DOCEAT autem DOLERE illud est, quia non habet in adversis patientiam, nisi quid dolere consuevit. Hoc ergo petit, ut ei præstetur tempus, per quod discat adversa perferre.

ORO VENIAM. Beneficium: juxta morem antiquum: ut, *Orantes veniam.* Terent. in Hecyra: *Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam.* MISERERE SORORIS. Genitivum tantum regit.

QVAM MIHI CVM DEDERIS CVMVLATAM MORTE RELINQVAM. Sensus est, Quod beneficium cum mihi cumulatum dederis, sola morte derelinquam: & hinc intellectus est melior, quod sorori loquitur: Nam male quidam legunt, *Quam mihi cum dederit*, id est Æneas, *cumulata morte relinquam*: & volunt intelligi, acceptum ab illo beneficium, mea morte cumulabo, & sic relinquam: ut amantes dicere consueverunt, ut, *Præceps aerii specula de montis in undas Deferar, extremum hoc munus morientis habeto.* Nam si eam odio habet Æneas, restat ut ejus morte lætetur. Hoc sorori quoque potest dicere, quæ credit eam ex amore concitatam, id loqui, nec tamen facere, sed eloquutio non procedit. Nemo enim dicit *veniam cumulata*, sed cumulatam. Alii ita intellegunt, reddam illi gratiam, occidam illum, nam alibi ait, *Non potuit abreptum divellere corpus.* Sed hoc totum sorori dicit. An perplexe loquuta est, ut solent loqui mali aliquid molientes? *Cumulatam* autem *veniam*, nunquid solidam & plenam, & cui nihil desit debemus accipere?

TALIBVS ORABAT. Aut simpliciter accipiendum Loquebatur, aut orabat, ideo quoniam preces inmixtæ erant: aliter IIII. Æn. *Multa Iovem manibus supplex orasse supinis.* Alibi pro oravit: *Talibus orabat Iuno.* FLETVS. Pro verbis, id est verba debilia.

FERTQVE REFERTQVE. Non ab Ænea, qui nihil dicit: sed à Didone fert & refert, id est iterum portat. Nam subjunxit: *Sed nullis ille movetur Fletibus*: mire autem fletibus repetit.

VOCES VLLAS TRACTABILIS AVDIT. Cur mitis & placidus & tractabilis non audit? Quasi mirum est: excusat & recusat dicendo.

VARIORVM.

VENTOSQVE FAVENTES. Intelligit secundos. Græcumque est, ἰκμένους. HART.

QVO RVIT. Quasi dicat præter rationem, præterque necessitatem. NASC.

TEMPVS INANE PETO. Notat Scal. l. 3. c. 57.

QVAM MIHI CVM DEDERIS, &c. Servius, aliique interpretes hic distinguendum putant, *Quam mihi cum dederis cumulatam.* Sed male. Distinguendum ergo ut distinximus in textu. & sensus est, si mihi hanc veniam dederis, non moriar prius, quam tibi cumulatissime satisfaciam. NASC. Turneb. lib. 20. c. 2.

Fata

Digitized by Google

Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & alte
Consternunt terram, concusso stipite, frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas:
Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.
Tum vero infœlix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cœli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat:
Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,

S E R V I I.

FATA OBSTANT, PLACIDASQUE VIRI DEUS OBSTRUIT AURES. Aut certe *voces tractabiles* accipe, aut alias tractabilis. FATA OBSTANT. Excusat Æneam, cum eum ne ingratus videatur, non duritia mentis facit immobilem, sed voluntate divina. DEUS. Iuppiter scilicet, unde & supra Dido ait, *Saturnius*, vel certe Mercurius. OBSTRUIT. Obcludit ἐμφατικῶς.

ALPINI BOREÆ. Flantes de Alpibus: quæ Gallorum lingua, alti montes vocantur. Et speciem pro genere posuit, nam *Alpinum Boream* pro quocunque vento dixit, vel quia potentiores montani sunt venti. NUNC HINC, NUNC ILLINC. Sicut Æneas ab Anna & Didone.

IT STRIDOR. Ad dolorem Æneæ pertinet; de quo ait, *Magno persentit pectore curas.* ALTE. Aut jugiter, diu, aut ex alto cadentes.

CONSTERNUNT. Implent, cumulant, ut, *Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.* FRONDES. Sicut lachrymæ Æneæ. Stipes autem media pars est arboris quæ ramos sustinet.

HÆRET SCOPULIS. Sicut ille in consilio perseverat.

TANTUM RADICE IN TARTARA. Secundum physicos, qui dicunt parem esse altitudinem radicum & arborum.

TUNDITUR. Sæpe pulsatur. Terentius, *Tundendo atque odio effecit senex*, & ipse alibi, *Rhiphæo tunditur Euro.* MAGNO PERSENTIT PECTORE. Quamvis magno, sentit curas, sed eas forti pectore patitur: *Curas* potest Didonis, potest & suas.

MENS IMMOTA MANET. Ad illud refertur, *Ipsa hæret scopulis.* LACHRYMÆ INANES. Quia mens immota manet: & utrum *inanes*, quæ Didoni nihil prosint? quidam tamen *lachrymas inanes* vel Æneæ, vel Didonis, vel Annæ, vel hominum accipiunt.

TUM VERO. Post desperationem. EXTERRITA. Atqui in fine ait, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.* Fatis ergo aut malis suis, aut à verbo For, Faris. *Fatis*, id est responsis Æneæ: *Exterrita* autem præcipitata, turbata.

MORTEM ORAT. Pro desiderat: ut, *Mortemque miserrimus opto.* aut certe ideo *orat*, quia consecrata fuit: nec mori poterat, nisi soluta consecratione. COELI CONVEXA. Incurva cœli.

QUO MAGIS INCEPTUM PERAGAT. Id est, mortem sibi inferat. LUCEMQUE RELINQUAT. Ad illud, *Tædet cœli convexa tueri.*

TURICREMIS. Id est cremantibus thura, nomen mire compositum, & hoc genus ominis Didoni factum, de augurali disciplina translatum est, quæ diris observatur. *Dira* enim deorum ira est, quæ duplici modo colligitur, ut ex signis, aut quocunque modo, quacunque ex parte, quodque in illo factum tempore traditur, ex signis hic ostenditur: dicens enim, *Vidit turicremis*, usque, *nigrescere sacros*, non solum adversa petitionibus inveniri, verumetiam mortem denunciari, nam præmisit: *Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat.* Item, tumulis Sichæi exaudiri voces & verba vocantis, quod asperius fuit, ut mariti defuncti vox audiretur è tumulo, quod erat dirum ad se vocantis. Sunt & de avibus dira auspicia, quod hic subjunxit dicendo, *Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri*, in quo satis non fuit diram avem bubonem nominatam, nisi adjecisset *Ferali carmine*, & *Sæpe queri*, & ut non utique canendi usus significaretur, sed fletus, vice querelarum.

V A R I O R U M.

ALPINI BOREÆ. Locus explicatur à Ioanne Parrhasio, & Cælio libro 15. c. 6. Macrob. ejusdem mentionem facit, lib. 5. cap. 6. Homer. Iliad. 12. ὡς ὅτε δὴ δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα ῥίζῃσι μεγάλῃσι. H.

LACHRYMÆ VOLVUNTUR INANES. Forte illud vult, quod Homer. Odyss. κ. ἀλλ' οὐ γάρ τις πρῆξις ἐγίγνετο μυρομένοισιν. HARTUNG.

(Hor-

Digitized by Google

(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea, fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Visa viri: nox cum terras obscura teneret:

SERVII.

HORRENDUM DICTU. Quanto magis visu, quod Didoni contigit.

IN OBSCOENUM SE VERTERE. Hoc est, *Latices nigrescere sacros*; & quidam Nigrescere & vertere, ideo incertum tempus positum volunt, ut ostendant non vere vertisse se, quod contra naturam est, sed verti à Didone visa; ut, *Visaque canes ululare per umbram*; non ululasse ergo, sed fieri visum: *Obscœnum* autem, mali ominis, ut 1. Æneid. *Obscœnas pelagi volucres.*

HOC VISUM NULLI. Hoc quod viderat, nulli dixit. Quid est *nulli?* ne sorori quidem, cui fuerat de amore confessa: & forte ideo sororem celavit, ne & ipsa se perimeret; post queritur, *Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.*

CONIUGIS ANTIQUI. Aut prioris, aut chari. Lucilius, *Concilio antiquo sapiens vir solus fuisti*: antiquus ergo est, qui præcedit eum qui præsens est. MIRO QUOD HONORE COLEBAT. Exhibendo ea mortuo quæ circa vivos solent fieri. Ritum veri & venerabilis templi, mariti templum obtinere cupiebat. Templa enim velamentis religiosa monstrantur, & moris fuerat, ut nubentes puellæ, simul cum venissent ad limen mariti, postes ante quam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis. Vnde ait, *Velleribus niveis*, & oleo ungueren, unde uxores dictæ sunt; quasi unxores. Bene ergo Dido, cum templum marito extrueret veluti devota viro, quippe post quem nuptura non esset, ad conciliandum amorem, officia ritus maritalis adfixerat, ut morem instauraret uxorum. Nam ait post, cum in pœnitentia inducitur à Poëta: *Non servata fides cineri promissa Sichæo.* Hi tamen qui de nuptiis scripsisse dicuntur, tradunt cum nova nupta in domum mariti ducitur, solere postes unguine lupino oliniri, quod hujus feræ & unguen & membra multis rebus remedio sunt. Alii hoc Romuli dicunt temporibus institutum, quod Romulus & Remus lupino lacte nutriti sunt. Dicitur etiam Lupam in concilio multorum ejusdem generis sociari marito, atque amisso eo nulli alteri post jungi, quod ipse subjecit, *expertem sine crimine vitam Degere more feræ*, id est Lupæ; hæc ergo ideo à nove nuptis fiebant, ut sciret puella se domum religiosam ingredi, simul lanam ferens, lanificium promittebat.

FESTA FRONDE. Divina, tanquam numen coleret. Sane hoc loco latenter, quam supra diximus, tangit historiam. Nam si amabat Æneam, utique non coleret extinctum maritum.

VISA VIRI. Vt, *visaque canes ululare per umbram*: Terentius, *Audire vocem visa sum modo militis.* Non enim erant vera, ut supra. NOX CUM TERRAS. Vt augeret terrorem, tempus adjecit, a verisimili.

VARIORUM.

FUSAQUE IN OBSCOENUM. Quod quidem monstrum, quia sola inter sacrificandum observarat, nulli indicare voluit, sed ne sorori quidem, omnium consiliorum alioqui participi: nam id ἐμφατικῶς, Particula, *ipsi*, signat. HORTENS.

PRÆTEREA FUIT IN TECTIS. Alterum describit portentum, unde major etiam horror, quam ex vino illo nigrescente nasci poterat: magis enim vox mortui hominis terret, quam vini in colorem sanguinis conversio. hunc locum imitatus est Ovid. in Epist. Didonis ad Æneid.

> *Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus,*
> *Oppositæ frondes, velleraque alba tegunt.*
> *Hinc ego me sensi noto quater ore citari;*
> *Ipse sono tenui, dixit, Elisa veni.*

Quibus ex verbis satis liquet, hoc templum Sichæo Herculis sacerdoti dicatum, in eoque ipsius Sichæi statuam fuisse. Morem explicat Turneb. lib. 24. c. 26. NASCIMB.

VELLERIBUS NIVEIS ET FESTA FRONDE REVINCT. Servius locum hunc longe aliter intelligit, ac intelligendum puto. Dicit enim, moris fuisse *ut nubentes puellæ simul ac venissent ad limen mariti, postes ornarent laneis vittis*; unde poëta ait, *velleribus niveis.* Verum hoc faciebat nova nupta, non conjunx, aliquamdiu matrimonio inveterata, nec nisi semel fiebat. Iam Dido maritum, non sponsum colebat. Cæterum omnes dii stemmatis solebant coli. Est autem *Stemma*, teste Sophoclis interprete, *lana ramo circum voluta*, quam rem Virgilius periphrasticôs extulit. Deorum autem simulacra hujusmodi stemmatis integi solere, apud Iulium Obsequentem invenias, ubi inter prodigia refertur, ea statuis decidisse. In lectisternio, inquit, Iovis, terræmotu deorum capita se converterunt, lana cum integumentis, quæ Iovi erat apposita, decidit. NANNIUS Miscell. 7. cap. 16.

NOX CUM TERRA, OBSCURA, &c. Tempus hoc manibus atque umbris valde oportunum est: vel ideo fictum est noctu vocari Didonem à conjuge, quod lucem moriendo desertura esset, quasi ad tenebras & ipse vocaretur. NASCIMB.

Digitized by Google

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:

SERVII.

SOLA BVBO. *Sola*, quærendum quod dixerit, utrum ἐμφατικῶς, an pro solis, id est desertis; ubi enim sederit & cecinerit solitudinem significat: secundum auguralem disciplinam volunt greges avium minus significare: & juxta hanc avem si alia sederit, malum quod imminet creditur evanescere; ut, *Et sola in sicca secum spatiatur arena.* Sane bubo si cujus ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere. Ergo hic SOLA utrum quod alia avis non sedebat in culmine, an *sola*, quia nihil deferebat, ut mortis signum esset.

In hanc autem avem conversus est Ascalaphus Acherontis, vel, ut quidam volunt, Stygis filius ira Cereris cum Proserpinam prodidisset, malum granatum de pomario Ditis gustavisse, quod plenius in primo initio Georgicorum dictum est, ubi est, *Nec repetita sequi.* Sane SOLA contra genus posuit. Lucanus, *Et læta jurantur aves bubone sinistro.* Item Ovidius, *Infandus bubo* Et est in usu. Sed Virgilius mutavit, referens ad avem. Plerumque enim genus, relicta specialitate, à generali sumimus: ut si dicas *bona turdus*, referendo ad avem. Item si dicamus prima est *a*, id est littera; cum *a* sit neutri generis. FERALI CARMINE. Bene autem addidit: Non enim omni modo malum est bubonis omen. Sed cum canit omnimodo malum est, quia aut fletum imitatur, aut gemitum: tacens autem ostendit felicitatem. Omnes enim aves oscines malæ, præpetes bonæ sunt: vel è contra, malæ præpetes, oscines bonæ sunt.

SÆPE QVERI. Quidam propterea *queri* positum volunt, quod doleat de Ascalapho se in avem mutatum, ut, *Veterem in limo ranæ cecinere querelam.*

PRIORVM. Legitur & PIORVM. Sed priorum illud spectat, *Heu vatum ignaræ mentes quid vota furentem*: quod superius expositum. Sed PIORVM religiosorum, castorum.

HORRIFICANT. Horrorem incutiunt.

IN SOMNIS FERVS ÆNEAS. Non est epitheton *ferus*, sed fantasia, talem enim illum imaginabatur, qualem timebat; & *in somnis* pro insomniis, id est vigiliis. SEMPERQVE RELINQVI. Per omnes noctes navigare videbatur Æneas, quasi eam semper relinqueret.

LONGAM VIAM. Nonnulli inferorum accipiunt. INCOMITATA. Quod ferale, id est mortiferum omnibus; & præcipue regibus qui nunquam soli sunt.

IRE VIAM. Veteri more juxta jus, ut, *ite viam, redite viam*, & alibi, *Primus & ire viam.* TYRIOS DESERTA QVÆRERE TERRA. Bona affectio, solent enim qui deficiunt suos desiderare, ut dulcius moriantur.

AGMINA PENTHEVS. Aut impetus: aut secundum quosdam quia habitus earum & sibila serpentium faciem agminis præbent, vel quia plures furiæ putantur, vel quia furiosis pro tribus plures videntur, & bene *videt agmina*, expressit furentem, cum ait *Videt*, non existimat, sed putat se videre: Pentheum autem furuisse traditur secundum Pacuvii tragœdiam, de quo fabula talis est: Pentheus Echionis & Agaues filius, Thebanorum rex, cum indignaretur ex matertera sua Semele genitum Liberum patrem coli tanquam deum, ut primum comperit eum in Citherone monte esse, misit satellites, qui eum vinctum ad se perducerent, qui cum ipsum non invenissent, unum ex comitibus ejus Acoëten captum ad Pentheum perduxerunt, hic cum de eo graviorem pœnam constitueret, jussit eum interim claudi vinctum: cumque sponte sua & carceris fores apertæ essent, & vincula Acoëti excidissent, miratus Pentheus expectaturus sacra Liberi patris Citherona petit, quem visum Bacchæ discerpserunt. Prima autem Agave mater, ejus amputasse caput dicitur, feram esse existimans, aut secundum Vrbanum, agmina serpentum. Pentheus furuit etiam ipse secundum Pacuvii tragœdiam.

SOLEM GEMINVM. Tragice dixit, imitatus Euripidem. DVPLICES THEBAS. Civitas in Bœotia à Cadmo & Zetho & Amfione constituta, in qua OEdipus Laii filius cum matre concubuit, ex qua Eteocles & Polinices, qui se propter regnum invicem peremerunt.

VARIORVM.

FERALI CARMINE BVBO. *Ferali carmine* dicit, quasi funebri. Quia enim veteribus mors dicebatur Fera, hinc omnia quæ ad mortuos manesque pertinebant, vocabant *ferales*. TVRNEB. lib. 14. cap. 22.

AGIT IPSE FVRENTEM. Agere hoc loco est insequi, agitare, nullam requiem permittere, PONTANVS.

GEMINVM ET DVPLICES. Proverb. *Tria vides è duobus.* HART.

Aut

Digitized by Google

Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Cum fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit furias, evicta dolore,
Decrevitque mori: tempus ſecum ipſa, modumque
Exigit, & mæſtam dictis aggreſſa ſororem,
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat.
Inveni germana viam (gratare ſorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.
Oceani finem juxta, Solemque cadentem,
Vltimus Æthiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

SERVII.

AGAMEMNONIVS SCENIS AGITATVS ORESTES. Hunc Oreſten Electra ſoror ejus poſt occiſum ab Ægiſto dolo Clytemneſtræ matris Agamemnonem ſubtraxit, quem Strophio alendum dedit. Eum cum filio Pylade educatum in adultam produxit ætatem, qui ut primum de ſcelere matris ac morte patris agnovit, venit Micenas, & adjuvantibus amico Pylade & ſorore Electra, Clytemneſtram matrem cum adultero Ægiſto occidit, ob quam rem aliquandiu furiis agentibus inſaniit. Sane *Agamemnonius* non eſt patronymicon, nam Agamemnonides facere debuit. Ergo ſicut, *Agamemnoniæque phalanges.* SCENIS AGITATVS. Famoſus, celebratus tragœdiis. Qualiter à Græcis in ſcena inducitur. *Agitatus* autem, aut quia furiis agitatus, aut quia multæ ſunt de eo tragœdiæ: quaſi frequenter actus.

ARMATAM MATREM. Cauſam ipſam furoris. CVM FVGIT. Ad eum, credidit veritatem.*

SEDENT IN LIMINE DIRÆ. A Pacuvio Oreſtes inducitur Pyladis admonitu, propter vitandas furias, ingreſſus Apollinis templum: unde cum vellet exire, invadebatur à furiis. Hinc ergo eſt, *Sedent in limine diræ.* Alii dicunt, quod cum abſolutus in templo Minervæ, de judicio exiret à furiis correptus eſt.

CONCEPIT FVRIAS. Furore completa eſt, & quidam *furorem* pro bono & innocenti motu accipiunt, furias ſemper pro malo: Concepit ergo furorem poſtquam amori dolor immixtus eſt.

TEMPVS SECVM IPSA MODVMQVE. *Tempus* id eſt quando, *modum* id eſt quomodo, & qua morte.

EXIGIT. Ad certum redigit, ut ſolent pondera vires & ad exactum redige, ergo definit.*

CONSILIVM VVLTV TEGIT. Vt, *ſpem vultu ſimulat.* VIAM. Rationem, remedium. Ita enim antiqui dicebant, ut ipſe alibi, *Aut tu, ſi qua via eſt.*

GRATARE. Gratulare, ſuſcipe gaudium pro ſorore. Sic enim dicimus, grator tibi honorem meum. Et bene à gratulatione incipit, quæ vult ſuum diſſimulare conſilium.

REDDAT. Reconciliet. EVM. Æneam; quem, ut notum, noluit dicere. EO ME SOLVAT AMANTEM. Mori diſponens, duo mentitur, vel ut ſe ſolvat, vel ut alliget Æneam.

OCEANI FINEM IVXTA. Finem Oceani nullus novit, ſed initium: quod & ipſum poteſt finis videri aliunde ſumpto principio. Et longinquitate argumentatur: Terentius, *Ex Æthiopia eſt uſque hæc.*

ÆTHIOPVM. Æthiopiæ duæ ſunt, una circa ortum Solis, altera circa Oceanum in Mauritania, quam nunc dicit. Et dicta Æthiopia à colore populorum, quos ſolis vicinitas torret. Græce enim αἴθειν torrere, ὤψ aſpectus dicitur. ATLAS. Nullum nomen Græcum in *ns* terminatur.

AXEM. Nunc pro cœlo, non enim in axe ſunt ſtellæ. TORQVET. Suſtinet, portat. STELLIS APTVM. Satis perite loquitur. Nam APTVM. conjunctum dicit, ἀπὸ τῶν ἄστρων, non inſignitum ſtellis. AXIS enim non habet ſtellas, qui eſt medius inter ſeptentriones. Vnde & Græce ἄκαμπος dicitur. Septentriones autem non occidere, axis vicinitas facit, non quia in axe ſunt. Ergo *bene aptum,* conligatum: Cicero in Timæo, *Quæ ex conjunctione cœlum ita aptum eſt,* id eſt conſtrictum & complexum. Item in Oratore, *Facilius eſt enim apta diſſolvere, quam diſſipata connectere.*

VARIORVM.

VLTRICESQVE SEDENT IN LIMINE. Quia apud Æſchylum in Eumenidibus templum Apollinis non ingrediuntur Furiæ; ſed Oreſtem in limine exſpectant. Nam earum ingreſſu religio fani violata fuiſſet. TVRNEB. lib. 26. cap. 6.

AXEM HVMERO TORQVET. Fabula inde conficta eſt, quod Atlas omnium primus Solis & Lunæ curſus, ſiderumque omnium motus, ortus & occaſus certa quadam moveri lege deprehendiſſe creditus eſt, eaque diligenter obſervata, mortalium uſui promulgaſſe. PIERIVS. lib. 49.

STELLIS ARDENTIBVS APTVM. *Aptum,* hoc eſt compactum & compoſitum. *Apere* enim antiquum vocabulum *colligare* ſonat: Lucret. *Sic ubi non erimus, cum corporis atque animai Diſcidium fuerit, quibus è ſumus uniter apti.* GERM.

Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos; epulasque draconi
Quæ dabat, & sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, soporiferumque papaver.
Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit; ast aliis duras immittere curas:
Sistere aquam fluviis, & vertere sydera retro.

SERVII.

HINC MIHI MASSYLÆ GENTIS MONSTRATA. Prædicta. Quæ est oriunda Massyla, aliquando horti Hesperidum sacerdos, nunc habitans circa Atlantem. Nam aliter non procedit. Massyla enim Mediterranea est: Berenice civitas Libyæ, unde haud longe sunt horti Hesperidum. Atlas vero mons maximus in Mauritania est. Quidam tamen hos hortos circa Syrtes positos tradunt.

HESPERIDUM TEMPLI CUSTOS. Hesperides Atlantis filiæ Nymphæ, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant aurea mala Veneri consecrata, quæ Hercules missus ab Eurystheo, occiso pervigili dracone, sustulit. Re vera autem nobiles fuerunt puellæ, quarum greges rufam lanam habentes abegit Hercules, occiso eorum custode. Unde mala fingitur sustulisse: hoc est oves, quæ Græce μῆλα dicuntur. unde μηλονόμος dicitur pastor. Propter ruborem autem lanæ, quæ similis auro est, existimasse eos qui audierant mala aurea in Africa nasci.

Est & alia fabula, cum nuptiæ Iunonis celebrarentur, omnesque Dii in honorem ejus conferrent munera, Terra in extremis regionibus edidit arborem poma aurea ferentem, hæc cum decerperent Hesperides Atlantis, sive Hesperi filiæ, custodes ejusdem arboris Iuno offensa munus spoliari suum, in metum earum misit Draconem insomnem, qui omnibus noctibus diebusque custodiret ramos, hoc postmodum ab Hercule interempto, qui ab Eurystheo ad hoc missus fuerat, mala sublata sunt. Hesiodus has Hesperidas Eglem, Aretusam, & Hesperusam Noctis filias, ultra Oceanum mala aurea habuisse dicit. Bene ergo Virgilius, Has ad Oceanum & Solis occasum esse dicit. EPULASQUE DRACONI. Esperus rex traditur preciosissimas oves habuisse, quarum pastor vocabatur Dracon, cui præbebant epulas regis filiæ, sed quia Græce oves μῆλα dicuntur, ex dubio nomine fabula composita est.

SACROS RAMOS. Vel Veneri, vel Iunoni dicatos.

SOPORIFERUMQUE PAPAVER. Incongrue videtur positum, ut soporifera species, pervigili detur draconi. Sed dicimus variam vim præbere victuum diversa à diversis animalibus. Nam salices amaræ hominibus sunt, dulces capellis: ut, *Et salices carpetis amaras*, scilicet hominibus. Item cicutæ, secundum Lucretium hominibus venenosæ sunt, cum pingues reddant capellas. Ergo & *papaver* cum det hominibus somnum, draconi adimit. Forsitan & est ergo excusatio. Potest tamen melior esse sensus, si *Servabat in arbore ramos*: plena sit distinctio, sequentia vero sic accipiamus, Hæc se promittit carminibus curas solvere. SPARGENS HUMIDA MELLA, SOPORIFERUMQUE PAPAVER. Id est miscens: ut supra dictum est ex Cicerone, *Et spargere venena didicerunt.* Nec incongrue ad amaritudinem amoris, mel adhibet: ad oblivionem, papaver.

SOLVERE. Cura liberare. DURAS CURAS. Bene duras affectu quo ipsa passa est.

SISTERE AQUAM FLUVIIS, ET VERTERE SYDERA RETRO. Quanto magis poterit Æneam ab incepto revocare? Vel in amorem immittere, aut mihi auferre. VERTERE SYDERA RETRO. Utrum ut videtur etiam in cœlo potestatem habere, an etiam fata posse mutare, quæ secundum Mathematicos sideribus gubernantur: & multi *sydera* hic planetas accipiunt, quia reliqua cœlo adfixa sunt.

VARIORUM.

HINC MIHI MASSYLÆ &c. Nugatur hic Servius. Massyli populi Mauritaniæ, aut haud longe à Mauritania. Hortos Hesperidum major pars in Mauritania statuit ad Oceanum, circa Lixon; alii etiam circa Atlantem Mauritaniæ montem. nam Hesperidas quidam Hesperi filias faciunt; quidam Atlantis ex Hesperide uxore. Nihil prohibet igitur sacerdotem illam templi Hesperidum & Massyla oriundam fuisse, & circa Atlantem habitasse, etiam tum quum templi custos esset. Nam aperte Virgilius circa Atlantem collocat Hesperidum hortos, non circa Berenicen Libyæ Pentapolitanæ oppidum. SALMASIUS.

SPARGENS HUMIDA MELLA, SOPORIFERUMQUE PAPAVER. Locus hic negotium facessit Servio, & magnopere illum torquet. Non videtur enim cibus accommodatus pervigili serpenti, custodique aureorum pomorum; quia papaver somnum inducit: sumpto enim illo parum recte munere suo fungi posset. Ita ergo scrupulum hunc evelli posse confido. Ut cum fera admodum truculentaque esset bestia, sine periculo ali, & curari non potuisse: quare oportebat sævam illius naturam mollire. eodem itaque tempore cibaria, quibus in vita eum retineret, custos templi præparavit, ac sibi consuluit: miscuit ergo, infuditque cibis illis papaver, ut asperum ingenium serpentis mitigaret; nec tamen profundus somnus inducebatur: mel vero idem hoc suo humore præstitit: aut suavitatem addens cibo, faciebat ut libentius devoraret. Vel epulis papaver miscebat, ut somno brevi & levi recreatus, integrior ad pristinam custodiam reverteretur, quod & verius reor. TURNEB. lib. 29. cap. 6. & lib. 28. cap. 45.

No-

Digitized by

Nocturnoſque ciet Manes. mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.
Teſtor chara deos, & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier arteis.
Tu ſecreta pyram tecto interiore ſub auras
Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviaſque omneis, lectumque jugalem,
Quo perii, ſuperimponas. abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monſtratque ſacerdos.
Hæc effata ſilet: pallor ſimul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera ſacris
Germanam credit: nec tantos mente furores,

SERVII.

NOCTVRNOSQVE. Vtrum quia in nocte ſunt, an quia per noctem evocantur, an noctu. ut Cicero, *Nocturnus canibus dilaniandum*: Et, MANES. quod ad inferos manent, id eſt abeant.

SVB PEDIBVS TERRAM, ET DESC. Hæc non ſic adfirmat, quaſi ad amorem extinguendum opus ſint, ſed difficiliora adſignat, ut facilius de opprimendo amore credat. MVGIRE VIDEBIS. Id eſt, videbit quis: ut, *Migrantes cernas.*

MAGICAS INVITAM. Pro ad magicas, aut magicas adgredi invitam; quia cum multa ſacra Romani ſuſciperent, ſemper *magica* damnarunt. Probroſa enim ars habita eſt, ideo excuſat. ACCINGIER. Præparari. Accingier autem, ut ad infinitum modum ER addatur, ratio efficit metri. Nam cum in eo ultima ſit longa, addita ER ſyllaba brevis fit: ut hic & in reliquis.

TV SECRETA. Sine arbitris, & eſt bona elocutio, rem loci vel temporis, ad perſonam transferre: ut nocturnus venit, ſecretus fecit. PYRAM. Sub ſpecie ſacrificii, præparat mortis exequias.

ET ARMA. Gladium dicit abuſive. Nam ait paulo poſt, *Enſemque relictum.* Proprie enim ARMA ſunt quæ armos tegunt. Hoc eſt ſcutum quod Græcis ὅλοι ὅπλοι dicitur, cum cætera ſua nomina habeant, unde ipſe ait, *At Lauſum ſocii exanimem ſuper arma ferebant.* Sed hic ideo generaliter arma nominavit, ne inventione ſolius gladii conſilium proderetur.

IMPIVS: Qui gladium reliquit furenti. Hoc autem tractum eſt de Homero, qui dicit gladium Ajaci datum ab Hectore, & Hectori ab Ajace balteum, quæ eis exitio fuerunt. nam alter tractus eſt balteo: alter ſe donato telo interemit. EXVVIAS. Veſtes Æneæ: quem hoſtem dixerat ſupra, *I ſoror: atque hoſtem ſupplex adfare ſuperbum.* Item, *Dulces exuviæ.* LECTVMQVE IVGALEM. Eleganter etiam in morte, perſeverat in amore & quatenus poteſt Æneæ ſe conjungit, ſi uno igne cum ejus concremetur exuviis.

QVO PERII. Propter extinctum pudorem. ABOLERE NEFANDI. A memoria tollere, ut, *Paulatim abolere Sichæum.*

IVBET MONSTRATQVE SACERDOS. Et juvat συμφέρει, hoc eſt, & voluntas mihi eſt, & ſacerdos hoc præcipit. *Que* autem, pro enim. poſuit.

HÆC EFFATA SILET. Subitum ſilentium, imperfectam orationem ex perturbatione mentis oſtendit. PALLOR SIMVL OCCVPAT ORA. Scilicet ex conſcientia cogitatæ mortis.

NOVIS. Pro uſitatis. PRÆTEXERE autem, Prævelare, abſcondere. Et eſt antiſtrophe. funeribus nova ſacra prætexere. Ergo hoc dicit, Anna non arbitratur ſub obtentu ſacrificiorum pompam funeri præparari.

TANTOS FVRORES. Quantos cogitabat Dido.

VARIORVM.

NOCTVRNOSQVE CIET MANES. Ita Tibullus,

Hæc cantu finditque ſolum, maneſque ſepulchris
Elicit & tepido devocat oſſa rogo.

Ciere autem manes eſt evocando movere: voce enim utebantur magæ ad eliciendos è ſepulchris manes, ita quoque in Pharmaceutria legitur: *animas imis excire ſepulchris.* NASCIMB.

TESTOR CHARA DEOS. Excuſat ſe à neceſſitate, utque non ex animi ſententia, ſed quia neceſſitas incumbit, hac nunc arte uſam fuiſſe probet. Deos teſtatur & ipſius ſororis caput: occulte vero deteſtationem innuit Romanorum: qui cum multa varii generis ſacra arteſque multiplices ſuſcepiſſent, magicam ſemper artem neglexerunt, & velut profanam deteſtati fuerunt. NASC.

NON TAMEN ANNA NOVIS &c. Quidvis potius ſuſpicabatur Anna, quam ſororem meditari ſibi necem, eamque ſub iſtis inſolitis ſacris celare & contegere. Nec graviore in ægritudine futuram diſceſſu Æneæ putabat, quam exſtincto Sichæo fuiſſe. HORTENSIVS.

IMPIVS Non quia gladium furenti reliquerat, ut Servius ſentit: non enim ideo reliquerat illud Æneas, ut eo in ſuam necem abuteretur Dido: unde illud eſt paulo infra, *enſemque recludit Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.* Sed *impium*, omnis pietatis expertem vocat: qui eam in medio furoris æſtu relinquendam cogitat. NASCIMB.

Concipit, aut graviora timet, quam morte Sichæi.
Ergo jussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, & fronde coronat
Funerea: super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum: & crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

SERVII.

GRAVIORA TIMET, QVAM MORTE SICHÆI. Aut QVAM detrahimus: & stat eloquutio: aut subaudimus, GRAVIORA timet posse contingere, hoc est, vel quæ fecit, vel passa est Dido.

AT REGINA PYRA. Notatus est hic versus: vitiosa est enim elocutio, quæ habet exitus similes: licet sit casuum dissimilitudo.

INTENDITQVE LOCVM SERTIS. Et intendit & inligat, ut, *Et stupea vincula collo Intendunt.* & est Hypallage, est enim *Intendit serta per locum.* Hoc est aut à pariete in parietem ligat, quod est extensis sertis locum replet, quasi serta per locum tendit.

FVNEREA. Romani moris fuit, propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non possit; hinc ergo *funerea cupresso*: Nam etiam supradicta ligna ad funus pertinent: ut, *Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex.*

EFFIGIEMQVE TORO LOCAT. Imaginem scilicet Æneæ, quia solent Magi effigies eorum facere propter quos carmen instituunt, ut in Bucolicis, *Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit.* & Eclog. 8. *Terque hæc altaria circum Effigiem duco*: Horatius, *Lanea effigies erat, altera cerea.* Et bene exprimitur amoris adfectus, quod etiam in morte amati imagini volebat esse conjuncta, ut paulo post, *Natumque patremque Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.* HAVD IGNARA FVTVRI. Memor suæ dispositionis.

STANT ARÆ CIRCVM. Aut sunt, aut circumstant. CRINES EFFVSA. Crines effusos habens, ut, *pictis scuta Labici.* SACERDOS. Quæritur à quibusdam, quæ sit hæc sacerdos, quia illam ipsam accipi volunt, quæ supra, dicta est, tanquam ficta à Didone. Ergo hanc adhibitam ad tempus hujus officii sacerdotem volunt. TERCENTVM TONAT ORE DEOS. Non tercentum deos: sed tonat tertio centum nomina Hecates: unde & Hecates dicta est Hecaton, id est centum potestates habens. *Tonat* autem perite dixit. Aliquibus enim sacris imitabantur tonitrua. Sed præcipue in Ecatæ: aut TONAT clara voce & cum fiducia invocat. HEREBVM. Inferorum profunditatem.

TERGEMINAMQVE HECATEN. Quidam *Ecaten* dictam esse tradunt, quod eadem & Diana sit & Prosepina, ἀπὸ τ̃ ἑκατέρων; vel quod Apollinis soror sit, qui est ἑκατηβόλος, & secundum Hesiodum Hecate & Titanis & Asteriæ filia est, Diana & Iovis & Latonæ: Persephone Iovis & Cereris, quam genealogiam posteriores confuderunt. TRIA VIRGINIS ORA DIANÆ. Iteratio est ejusdem rei, Lunæ, Dianæ, Proserpinæ. Et cum super terras est creditur esse Luna, cum in terris Diana, cum sub terris Proserpina: Quibusdam ideo triplicem placet, quia Luna tres figuras habet, prima tanquam C, sequens tanquam Ɔ... * tanquam O. Nonnulli eandem Lucinam, Dianam, Ecaten appellant, ideo quia uni deæ tres adsignant potestates, nascendi, valendi, moriendi; & quidem nascendi Lucinam deam esse dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten, ob quam triplicem potestatem, triformem eam triplicemque finxerunt, cujus in triviis templa ideo struxerunt.

VARIORVM.

INTENDITQVE. LOCVM SERTIS. Circumligat coronas ex floribus per locum, honoris, sacrorum & decoris gratia. Præter serta, etiam frondes cupressinas addiderat, quæ pyris mortuorum cremandorum adhibebantur. Necis igitur suæ conscia, parat quæ cum suo corpore cremari volebat. NASC.

EFFIGIEM THORO LOCAT. In sacris illis Stygiis, quæ ad amorem pertinebant, aut effigies cerea, similis ei quem devovebant, ponebatur, quo modo hoc loco exponendum est, contra opinionem Servii: aut laminæ in ejusdem similitudinem effictæ. Vide I. SCALIG: in Ceirin Virg.

TERCENTVM TONAT. Parrhasius, hujus loci interpres. HART.

TRIA VIRGINIS ORA DIANÆ. Quia ut admonet Turnebus pingi fingique triformis solebat, & tribus animalium nominibus vocari gaudebat. Sunt & qui *tergeminæ Hecates*, ejusque trini oris rationem referant ad causam Physicam, quod Luna tertio tantum die ab ortu & reditu suo appareat, jamque tertiana generatione absoluta. Ipse etiam Dianæ frater Apollo à triplici potestate, secundum Porphyrium, apud Superos Solem dici, in terris Liberum Patrem, apud inferos Apollinem. GERMAN.

Spar-

Sparserat & latices simulatos fontis Averni:
Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:
Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta,
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, & conscia fati

SERVII.

SIMVLATOS FONTIS AVERNI. In sacris, ut supra diximus, quæ exhiberi non poterant, simulabantur: & erant pro veris. Bene autem de Averno, per quem descensus ad inferos dicitur.

FALCIBVS ET MESSÆ AD LVNAM QVÆRVNTVR AHENIS. Quia herbæ aut secundum rationem Lunæ tolluntur, aut in quas despumaverit Luna: sicut Lucanus, *Donec subpositas propius despumet in herbas*. Nec omnes eodem modo. Vnde perite & ahenis falcibus dixit: quia aliæ velluntur, aliæ inciduntur, & ad Lunam, non ad noctem, sed ad Lunæ observationem.

PVBENTES HERBÆ. Ideo quia aliæ siccæ, aliæ viridiores leguntur. Et sciendum inter homines & herbas esse reciprocam relationem. Sic enim pubentem herbam dicimus, quemadmodum florem ætatis. NIGRI CVM LACTE VENENI. *Nigri*, aut noxii: quia nigri fiunt homines post venenum. Aut certe illud est: quia sunt herbæ nigri lactis, id est succi. Dicunt autem per periphrasin agreste papaver significari.

ET MATRI PRÆREPTVS AMOR. Plinius dicit in naturali historia, pullos equinos habere in fronte quandam carnem, quam eis statim natis adimit mater: quam si quis forte præripuerit, odit pullum, & lac ei denegat. Iuvenalis, *Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli Infudit*. Et merito suspicantur amorem creari ex carne: sine qua mater non alit ex[illegible]e creatum. Theocritus, Ippomanes virgulti genus dicit. IPSA MOLA. Id est farre & sale: quam molam salsam à molendo appellant. Ordo autem est, ipsa Dido mola, & piis manibus, id est puris, deos testatur. Et bene IPSA, quia supra de sacerdote erat locuta.

VNVM EXVTA PEDEM. Quia id agitur, ut & ista solvatur, & implicetur Æneas. Solent enim & resolutoria sacrificia ab aruspicibus fieri, & Iunonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis. IN VESTE RECINCTA. Quia ut supra diximus, in sacris nil solet esse præligatum, præcipue ejus quæ amore vult solvi. Sane Flaminicæ non licebat, neque calceos, neque soleas morticinas habere. *Morticina* autem dicuntur, quæ de pecudibus sua sponte mortuis fiebant: neque supra genu succinctam esse, quod hic vult tangere, *Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta*: non sublata sed summissa, nam sic est dictum *recincta*, ut resoluta, ut remissa.

TESTATVR MORITVRA DEOS. Quidam hic testatur, pro obtestatur accipiunt. CONSCIA FATI SIDERA. Id est planetas, in quibus fatorum ratio continetur. An conscia fati sui testatur sidera, ut constantia ejus appareat mori volentis: ergo *fati* sui, id est mortis.

VARIORVM.

SPARSERAT ET LATICES. Macrob. lib. 3. cap. 1. Turneb. lib. 3. c. 10. & lib. 14. cap. 9. & lib. 16. cap. 12. Brodæus lib. 4. Miscell.

FALCIBVS ET MESSÆ AD LVNAM. Sunt qui putent non superflue dictum à Poëta, sed mystice & secundum Acherontiorum sacrorum ritus: quod herbæ religiosius & purius æneis falcibus inciderentur quam ferreis: quod æs vi occulta minus quam ferrum corrumpat, vulneribus minus noxium sit, sed & purgandi φαρμακώδη ἰδιότητα & detergendi habeat, ut docet Plutarch. Et ad lumen Lunæ lectas herbas efficaciores veneficiis credebant; quod Lunam veneficiis præesse censerent, & herbas sua quadam spuma & saliva inficere. TVRNEB. lib. 6. cap. 10. GERMAN.

PVBENTES HERBÆ. *Pubentes herbæ*, non sunt adultæ, ut vulgo accipi intelligo; sed lanosæ, lanuginosæ, villosæ: talia enim folia tribuit dictamno Dioscorides. TVRNEB. lib. 26. cap. 5.

LACTE VENENI. Macrobius lib. 5. cap. 19. Cælius lib. 10. cap. 50. HART.

QVÆRITVR ET NASCENTIS EQVI &c. Videbatur quibusdam non tam Poëta Hippomanes & philtrum conquirere debuisse, quam amoris amuletum: cum institutum hic Didûs sit amorem excutere & abolere. Docet tamen Turneb. l. 15. c. 8 nihil admisisse Maronem in artem; cum Hippomanes hic paretur, ut igni mandatum amorem penitus amoliatur & deleat: cum non nisi ex arte adhibitum ad amoris conciliationem prodesse possit. Sunt tamen qui alia ratione Maroni hac in parte succurrant; scilicet ut Dido Annæ fidem faciat id se agere velle, ut aut amore exolveretur; aut ab Ænea redamaretur: ut constat liquido ex præcedentibus, & illo, *Inveni germana viam* &c. GERMAN.

ET MATRI PRÆREPTVS AMOR. Si quis præreptum habeat illud σαρκίον ex fronte pulli revulsum, ubera ei matrem denegare. Vnde præreptum matri amorem vocat. SALMASIVS.

PRÆREPTVS AMOR. Hippomanes intelligit. Vide Plinium libro octavo, capite quadragesimosecundo: Theocritum in Pharmaceutriâ. HART.

IN VESTE RECINCTA. Turneb. l. 6. c. 10. Iac. Crucius in Ovidium lib. 1. Metamorph. vers. 381.

Syde-

Sydera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ Numen habet, justumque, memorque precatur.
Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque, & sæva quierant
Æquora, cum medio volvuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infœlix animi Phœnissa, nec unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit, ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En quid agam? rursusne procos irrisa priores

SERVII.

SI QVOD NON ÆQVO FOEDERE AMANTES CVRÆ NVMEN HABET. Ordo est: Tunc numen precatur, si quod curæ habet amantes non æquo fœdere. SI QVOD autem, bene dubitat utrum & ita malæ res habeant præpositas potestates. Nam & amatoribus præesse dicuntur ἔρως, ἀντέρως, λύσερως; nonnulli Nemesin significari putant: nonnulli ἀντέρωτα invocabant, contrarium Cupidini qui amores resolvit: aut certe cui curæ est iniquus amor, scilicet ut implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur.

IVSTVMQVE MEMORQVE. *Iustum* ad judicandum, ut expugnetur qui est caussa discordiæ. *Memor* simul ad vindicandum; & *memor* ideo neutro genere, quia numen dixerit.

NOX ERAT. Protenditur ista descriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis.

SYLVÆQVE. Secundum eos qui dicunt omnia quæ crescunt, animalia esse.

ÆQVORA. Elementa etiam animalia esse voluerunt. Vnde est in septimo, *Æquora mulcebant cantu.* MEDIO VOLVVNTVR SYDERA LAPSV. Noctem describit per sydera, hoc est cum medium cursum tenent sydera quæ orta sunt.

TACET AGER. Ea quæ in agris sunt.

PICTÆQVE VOLVCRES. Vno verbo multos & varios colores avium demonstravit, pictura enim ex multis coloribus constat.

AC NON INFELIX ANIMI. Antithesis, ut, *At non qua Scythiæ gentes*: figuratius est *animi*, quam si animo diceret, ut, *O præstans animi juvenis.*

OCVLISVE AVT PECTORE NOCTEM ACCIPIT. Quia potest aliud esse sine alio, ut si quis dormiens mente turbetur.

RESVRGENS SÆVIT AMOR. Gravior enim est cum resurgit: & est sententia quasi generalis.

ADEO. Scilicet furuit: ut in hoc proposito permaneret vitandæ sine dubio lucis. INSISTIT SECVMQVE ITA CORDE VOLVTAT. Aut insistit volutare, aut insistit proposito moriendi: Plautus tamen ita ait, *Hunc sermonem institi.*

EN QVID AGAM? En, ecce, & quasi demonstrantis particula est, per quam intelligimus eam multa cogitasse, & sic prorupisse, *ecce quid actura sum?* Est autem comicum principium: nec incongrue amatrici datum. Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Nam hæc conjunctio multa eam cogitasse significat.

RVRSVS. Duo significat, frequenter, iterum: raro vicissim, id est mutuo, ut hoc loco. Alii hoc loco *rursus* pro similiter accipiunt: ut sit, ergo ego similiter rogabo eos, sicut me illi antea rogaverunt.

VARIORVM.

NON ÆQVO FOEDERE, &c. Formulam hanc à Iure mutuatus est Maro, quæ & apud Oratores, Historicos & Iurisconsultos passim usurpata occurrit: Est autem inter locos alios insignis æqui fæderis expressio à Proculo facta, l. Non dubito. De capt. & postlim. his verbis; *Sive æquo fœdere in amicitiam venit, sive fœdere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret.* Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur alterum non esse liberum. GERMAN.

SÆVA QVIERANT ÆQVORA. Mare dormire dicitur. Turneb. libro 21. cap. 4. & libro 26. cap. 5. Cur noctu maria quiescant, Ioach. Camerarius problemat. 3. Dec. 4. pag. 127. Tom. IV. Lampad.

RVRSVSNE PROCOS IRRISA. Pathos, per addubitationem. Macrobius libro quarto c. 6. Saturnal.

Expe-

Digitized by Google

Experiar? Numidumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque ultima Teucrûm
Juſſa ſequar? quiane auxilio juvat ante levatos,
Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) ſinet, ratibuſque ſuperbis
Irriſam accipiet? neſcis heu perdita, nec dum
Laomedonteæ ſentis perjuria gentis?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis, omnique manu ſtipata meorum
Inſequar? & quos Sidonia vix urbe revelli,
Rurſus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lachrymis evicta meis, tu prima furentem

DONATI.

NVMIDVMQVE PETAM. Invidia à perſonis: *petam* mulier & regina Numidas, id eſt vagos.

MARITOS. Futuros ſcilicet. Eſt autem eloquutio, dedignor illam rem.

ILIACAS IGITVR CLASSES. Sic intulit, quaſi ſi illud non fecerit, hoc neceſſario conſequatur. VLTIMA IVSSA. *Vltima*, deterrima, an ſuperba, & Aut intelligimus Æneam ei obtuliſſe navigandi facultatem. aut TEVCRVM IVSSA. Alii κέλευσμα, unde jubere κελεύειν dicitur Græce: Non quæ ipſius fuerant, ſed quæ eis à Iove juſſa ſunt, ut, *Naviget, hæc ſumma eſt.*

QVIANE. Re vera: & eſt una pars orationis. BENE. Pro qualitatis adverbio intelligendum eſt. STAT. Permanet.

QVIS ME AVTEM FAC VELLE SINET? Ordo eſt, Fac me autem velle, quis ſinet? RATIBVSQVE SVPERBIS. Vel magnis & altis, vel in quibus ſuperbi navigaturi ſunt, hoc eſt quæ me tanto contemptu deſeruit.

IRRISAM. Alii inviſam. Quæ ſic contemni & relinqui mereor.

LAOMEDONTEÆ. Nunc fraudulentæ.

NAVTAS. Non Troianos. Nam injurioſe dixit *nautas*, id eſt aſſuetos laboribus. OVANTEIS. Lætantes. abuſive: nam proprie ovatio eſt minor triumphus. Qui enim ovationem meretur, & uno equo utitur, & à plebeis, vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ovibus ſacrificat: unde & ovatio dicta. qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor, & ſenatu præeunte in Capitolio de tauris ſacrificat. Et bene duo diverſa poſuit. FVGA & ovanteis, ut gravius eſſet cum his qui ovarent ire fugientem.

INSEQVAR. Alii inferat, ut, *Infert ſe ſeptus nebula.* VIX VRBE REVELLI. Aut mox: Id eſt paulo ante. ut, *Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* Aut re vera *vix*, ut diximus ſupra. Nam nulla ratione dimitterent patriam, niſi eos aut odium Pygmalionis coëgiſſet, aut timor: ut, *Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.*

QVIN MORERE. Quin, immo. & bene omnis ejus intentio tendit ad mortem. Nam ſi procos rogare turpe eſt, ſolam ſequi impoſſibile & inhoneſtum, Tyrios trahere difficile, ſola mors ſupereſt. FERROQVE AVERTE DOLOREM. Hoc ſecundum eos dixit; qui cum aliquid impulſu animi conſtituerint, voluntatis ſuæ rationem addere conantur. Ergo & hic quaſi rationem adprobat, quod furore paulo ante decreverat.

TV LACHRYMIS EVICTA MEIS. Bene totum ei imputat, ſed cum excuſatione, quæ Aneæ nuptias ſuaſit: & *victa lachrymis*, ut, *Sinum lachrymis implevit obortis Anna refert.* TV PRIMA FVRENTEM. Alii hoc dividunt: licet alii jungant: & volunt hunc eſſe ſenſum, Vrbanus hoc dividit. Tu perſuaſiſti ut nuberem victa lachrymis meis: tu etjam nunc me his oneras malis. nam me olim occidiſſem, niſi te deſerere formidarem.

VARIORVM.

NVMIDVMQVE PETAM CONNVBIA. Alii *Nomadum.* Singula pene verba ἔμφασιν habent: petam mulier, & regina? indecorum enim eſt fœminam virum petere, multo magis reginam. Tum quos petam? Numidas, barbaros. NASCIMB.

VLTIMA IVSSA. Non diſplicet, ut per ταυτολογίαν hoc intelligendum ſit: hoc eſt, ut idem ſit cum ſuperiore, & paſſive (ut ita dicam) capiatur IVSSA. hoc enim modo idem erit ſequi juſſa Trojanis à Iove data, atque claſſes Iliacas ſequi. & eſt alluſio ad illud, *Naviget hæc ſumma eſt.* NASC.

QVIS ME AVTEM (FAC VELLE) Dicit, ſi Trojanos ſequi voluero, ipſi me, (quæ in illis eſt ſuperbia) non accipient, quod ab effectu probavit: deinde ſi voluerint, meque acceperint, illi tandem fidem prodituri ſunt, quod confirmat exemplo Laomedontis. NASCIMB.

Vnu *His*

His germana malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more feræ? tales nec tangere curas?
Non servata fides cineri promissa Sichæo.
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis.
Huic se forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est:
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, & membra decora juventæ.
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec quæ circumstent te deinde pericula, cernis
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?

SERVII.

OBJICIS HOSTI. OB naturaliter brevis est, sicut & *re* & *ad*: sed plerunque producuntur hac ratione, Objcio, rejcio, adjcio, habent vocalem sequentem, quæ per declinationem potest in consonantis formam transire: ut objeci, rejeci. Ergo antequam transeat interdum, fungitur officio consonantis, & præcedentem longam facit. HOSTI. Ad eventum referendum.

NON LICVIT. Quia aliud volebat, & aliud factum est, sicut solent dicere quibus aliter conata succedunt. THALAMI EXPERTEM. Non omnino, sed post Sichæum. SINE CRIMINE. Vt supra, *potui succumbere culpæ.*

MORE FERÆ. Plinius in naturali historia dicit, *Lynces post amissos conjuges, aliis non jungi.* Multi FERE adverbium volunt, ut sit sensus: more scilicet quo jam viduitatem ferre consueverat. *Crimen* autem honor ut supra, *Potui succumbere culpæ.*

SICHÆO pro Sichæio: vel promissa Sichæo non servata cineri.

PECTORE QVESTVS. Id est pectus questibus. CERTVS EVNDI. Indubitabiliter profecturus.

CARPEBAT SOMNOS. Hoc est quod & paulo post culpat Mercurius dicens, *Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?* Sed excusatur his rebus: nam & certus eundi fuerat, & rite cuncta præparaverat: aut certe prooeconomia est, ut possit videre Mercurium. RITE. Recte & ex ordine compositis, & diligenter virum strenuum non ante facit requiescere, quam rite omnia paravisset.

FORMA DEI. Bene non deus, sed forma. Raro enim numina sicut sunt, possunt videri. Vnde & sequitur, *Vultu redeuntis eodem.* Nam licet REDEVNTIS dicat, id est ejus qui possit agnosci: tamen non FACIEM dicit: sed VVLTVM, qui potest sæpe mutari. EODEM. O, semper longum est: quia EODEM ablativus est: EADEM autem & producit & corripit. nam & nominativus est, ut eadem mulier fecit: & ablativus, ut eadem faciente muliere.

VISA MONERE EST. Et VISA bene: quia non re vera.

OMNIA MERCVRIO SIMILIS. Aliud enim est idem esse, aliud simile esse: ergo nunc est certus Æneas. Et à toto transit ad partes, ut omnia magna, pes etiam. VOCEMQ. Duo [illegible], & est versus hypermetrus: *Vocem* autem ideo, quia orationis est deus. Horatius, *Mercuri facunde.* COLOREMQVE, ET CRINES FLAVOS. Ideo & purus & flavus Mercurius introducitur: quia sensis vicinus est Soli præter cæteras stellas.

ET MEMBRA DECORA IVVENTÆ. Quia palestræ deus est. Horatius, *Catus & decoræ more palestræ.* *Juventa* autem ætatis, à juventa. Sane figura est, Similis membra, vocem, colorem.

CIRCVMSTENT. Pro circumstatura sint.

DEMENS. Improbat ejus visum, qui nec videat, nec audiat. ZEPHYROS. Pro quocunque vento, Carthagine enim non Zephyro, sed Austro navigari solet.

VARIORVM.

NON LICVIT THALAMI EXPERTEM. Perstat in sui reprehensione, quod infauste nuptias repetiverit, non servata conjugi Sichæo fide, cum lepida admodum similitudine à feris deducta. non licuit, inquit, degere vitam more feræ thalami expertem? quasi diceret, licuit, sed misera, prius non animadverti. Hæc tamen reginæ verba, Fab. Quintiliano auctore, [illegible] occultam habere videntur: nam ita de matrimonio, nuptiisque queritur, ut eo illius affectus erumpere videatur, absque matrimonio vivere, non hominum, sed ferarum vitam esse. quod vero numero unitatis, FERÆ dixit, ad singularem quandam feram procul dubio allusisse videtur, quæ conjuge amisso, nulli jungitur amplius, attamen quod Plinius apud Servium de Lyncibus refert, nullibi apud Plinium me legisse memini. NASC.

TALES NEC TANGERE CVRAS. Aut novum est, tangere curas, aut severa figuratum, pro tangi curis, [illegible].

Illa

Illa dolos, dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æſtu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Iam mare turbari trabibus, ſævaſque videbis
Collucere faces, jam fervere littora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eja age rumpe moras, varium & mutabile ſemper
Fœmina. Sic fatus, nocti ſe immiſcuit atræ.
Tum vero Æneas ſubitis exterritus umbris,
Corripit è ſomno corpus, ſocioſque fatigat.
Præcipites vigilate viri, & conſidite tranſtris:
Solvite vela citi. deus æthere miſſus ab alto,
Feſtinare fugam, tortoſque incidere funes,
Ecce iterum ſtimulat. Sequimur te ſancte deorum

SERVII.

NEFAS IN PECTORE VERSAT. Hoc ideo poſuit, ne Æneas non timeret amatricem, nam ideo addidit *Certa mori.* Item, *Varium & mutabile ſemper Fœmina.* Et eſt dubitatio quos dolos, vel quod nefas, an ſibi nefas, quia ſua manu peritura erat: an ſorori dolos, quibus eam fallebat, utrumque in Æneam, ut poſtea ait, *Non potui abreptum divellere corpus* & cætera, nam omnia, ſicut dictum eſt, ſequens verſus confirmat. *Certa mori*, ut ſibi mortem excogitet, in Æneam iras moliatur. & *Certa* figurate: Certo ut moriatur.

CERTA MORI. Hoc fidem fecit poſſe fieri quod metuendum prædicabat.

PRÆCEPS. Feſtinus. PRÆCIPITARE. Pro præcipitandi.

TRABIBUS. Vel navibus, vel remis, ut, *Vaſtumque cava trabe currimus æquor.*

COLLUCERE FACES. Propter, *Ferte citi flammas*, vel funes. FERVERE. A verbo fervo, fervis, fervit.

EIA AGE. Hoc loco per αὔξησιν orationem implevit, nam eandem rem ſecundo dixit, cum *heja*, ſæpe age ſignificet. VARIUM ET MUTABILE SEMPER. Hæc, ſicut ſupra dictum eſt, objectio eſt, ſed amat.

NOCTI SE IMMISCUIT ATRÆ. Hoc ad viſum ſomniantis referendum eſt, id eſt in noctem ſe miſcuit: & *noctem* pro tenebris poſuit, per quod apparet eum in claro lumine fuiſſe cum loqueretur. UMBRIS. Ut ſupra, *Forma dei*, vel, *umbris* terroribus.

CORRIPIT. Omen futuræ tempeſtatis.

PRÆCIPITES. Ut ſupra Mercurius, *Non fugis hinc præceps?* Sane nonnulli ita diſtinguunt, *Socioſque fatigat præcipites*, ut adlocutio hinc videatur incipere, *Vigilate viri & conſidite tranſtris*, & eſt uſitata figura, fatigat & præcipites facit. FATIGAT. Cum clamore increpat, ut, *Undique collecti coeunt Martemque fatigant.* VIRI. Habet hæc commemoratio multum adhortationis, ut alibi, *feſtinate viri.* TRANSTRIS. Pro in tranſtris. CITI. Celeres.

FESTINATE FUGAM. Antique ut, *Tum juſſa Sibyllæ, Haud mora feſtinant.* INCIDERE FUNES. Hoc ad rem feſtinantis pertinet, id eſt non ſolvere, ſed incidere.

ECCE ITERUM STIMULAT. Fantaſia eſt ad ſociorum terrorem. ſic in ſexto, *Deus ecce deus.* An iterum qui prius advenerat, cum ait, *Tu nunc Carthaginis altæ.* SANCTE DEORUM. Emphaſis, quaſi adhuc præſens deus urgeat navigare, & aut diſtinguendum *ſancte*: aut *ſancte deorum* ſecundum Ennium dixit, *Reſpondit Iuno Saturnia ſancta dearum.*

VARIORUM.

NON FUGIS HINC PRÆCEPS. Quid agendum ſit, monet ab utili & ab oportuno; item à neceſſario, quod per vocem hanc *præceps* & *præcipitare* deſignari videtur. quaſi dixerit, non tantum opus eſſe fuga; verum etiam præcipiti fuga; cauſamque ſubnectit à ſigno. *Iam mare turbari trabibus*, &c. N.

VARIUM ET MUTABILE SEMPER. Ejuſdem rationis eſt oratio, cum illa ſuprà: *Fama malum.* HART.

SOCIOSQUE FATIGAT. *Fatigare* pro increpare ſumitur, & *boves fatigare* apud eundem, pro ſtimulis increpare & agitare.

— *Veraſque juvencum*
Terga fatigamus haſta.

Hinc *fatigare jocis* aliquem, pro laceſſere & mordere. quod poſtea *fatigare* abſolute dixerunt. SALMAS.

FESTINARE FUGAM. Fugiendi magnam neceſſitatem oſtendit, cum non fugere, ſed fugam feſtinare dixerit. Et ne forte breve aliquod ad fugiendum ſpatium ſibi datum iri putent, quanta hæc debeat eſſe celeritas planum facit, ſubjungens, tortoſque incidite funes. NASCIMB.

SANCTE DEORUM. Græciſmus: δῖα θεάων. HARTUNG.

Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis, ô placidusque juves, & sydera cœlo
Dextra feras. Dixit, vaginâque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque:
Littora deseruere: latet sub classibus æquor.
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina è speculis, ut primum albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis,

SERVII.

QVISQVIS ES. Atqui supra dixit, *Omnia Mercurio similis.* Sed sciendum est secundum Tullium in libro de deorum natura tres esse Mercurios; superum, terrenum, & inferum. Ergo quisquis es, aut quicunque de tribus. Quamvis alii nec unius potestatis, nec unius nominis, nec unius vultus volunt esse Mercurium. Aut quia deorum vera nomina nemo novit: aut certe ad Iovem spectat, id est quisquis es qui præcipis: ut in nono, *Quisquis in arma vocas*: cum Irim vidisset, id est quicunquè Irim misisti. Plane illud occurrit quod ait; *Deus æthere missus ab alto*: ubi & Iovem complectitur, & superum Mercurium. Sed potest & hoc loco, ut diximus, quasi fantasiam facere propter socios, & QVISQVIS ES ideo dicere: quia licet viderit, non tamen re vera novit esse Mercurium: Unde ait supra, *Et formam & vultum & visa monere est.* Vel QVISQVIS ES, secundum Pontificum morem qui sic precantur, *Iupiter omnipotens*, vel quo alio nomine appellari volueris. Nonnulli tamen quatuor Mercurios tradunt, unum cœli & diei filium, amatorem Proserpinæ; alterum Liberi patris & Proserpinæ filium: tertium Iovis & Majæ, quartum Cyllenii filium cujus mater non proditura quo arcu clam occisa est, * qui hoc metu in Ægyptum profugit, & ibi invenisse primum disciplinam litterarum & numerum dicitur, qui lingua Ægyptiorum appellatur, de cujus nomine etiam mensis dictus est. ITERVM PAREMVS. Qui jam semel paruerant præparatione navigiorum.

ET SYDERA COELO DEXTRA FERAS. *Dextra* prosperum. & *sydera* hoc est ventos, qui ex ortu syderum, aut mites & prosperi, aut turbulenti & adversi sunt: sic in Georgicis, *Præterea tam sunt arcturi sydera nobis.* Nec enim *sydera* dicit re vera, cum arcturus una sit stella. Ergo *dextra sydera*, ventos vel tempora.

FVLMINEVM. Quidam fulgentem accipiunt. STRICTOQVE. Videtur ab una re stricto, cum dixerit, *vaginaque eripit ensem.*

IDEM. Pro eo quod est unus, ut, *Rex Iupiter omnibus idem.* RAPIVNTQVE. Num anchoras? RVVNTQVE. Ipsi ruunt, id est cum impetu festinant.

LITTORA DESERVERE. Mira descriptio festinationis.

TORQVENT SPVMAS. Ita enim remus agitur, ut fluctus torqueatur.

PRIMA AVRORA. Designatio temporis est, non diei descriptio: unde infert, *Ut primum albescere lucem vidit.* Sic in duodecimo, *Quum primum crastina cœlo Puniceis invecta rotis Aurora rubebit.* Et bene hanc primum inducit vidisse crepusculum: quæ quasi amatrix tota vigilaverat nocte. Sic in Bucolicis de amatore, *Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum.* NOVO LVMINE. Aut secundum Epicureos qui stulte Solem de atomis dicunt constare, & cum die nasci, cum die perire.

TITHONI CVBILE. Tithonus frater Laomedontis fuit: hunc Aurora adamatum in cœlum levavit, quem longinquitas vitæ in cicadam convertit. Horatius; *Longa Tithonum minuit senectus.*

SPECVLIS. Quas utique in sua regia habuit. ALBESCERE LVCEM. Hypallage est. Luce enim albescunt omnia, non lux albescit.

ÆQVATIS VELIS. Feliciter plenis, sine motu aliquo: ut VI. Æneid. *Æquatæ spirant auræ*, &c. hoc ad dolorem pertinet reginæ.

VARIORVM.

TITHONI CROCEVM. Hom. Iliad. ἠὼς ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο ὤρνυθ'. Infra lib. 9. *Et jam prima novo linquens Aurora cubile.* Macrob. lib. 5. cap. 6. & 9. HART.

ALBESCERE LVCEM. Ego (pace Servii aliorumque interpretum dixerim) nullam hic approbo ὑπαλλαγήν. Sed arbitror Poëtam ad auroræ formam allusisse: quæ, ut videre est, in rosæ colore albicat, sicuti in igne flamma albescit: quare & ab antiquis Poëtis, rosea seu rosida interdum appellatur, & candida & pallida. Lucret. lib. 5. NASC.

SENSIT ET ÆQVATIS VELIS &c. Cum enim æqualiter tenduntur dextra & sinistra vela, tum prospera navigatio est: æquatas quippe & secundas auras spirare signum est. unde apud eundem: ÆQVATÆ SPIRANT AVRÆ. Hinc & *pariare vela* dicuntur navigantes, qui paribus & æquis velis secundo flatu cursum tenet. Auctor vetus apud Macrobium lib. 1. *Pæstanum & Vibonensem sinum pedibus æquis transmisimus.* id est æquis velis vel æqualiter tensis. SALMASIVS.

Lit-

Littoraque & vacuos ſenſit ſine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flaventeiſque abſciſſa comas: Proh Iuppiter, ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit advena regnis?
Non arma expedient? totaque ex urbe ſequentur?
Diripientque rates alii navalibus? ite:
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cum ſceptra dabas. en dextra, fideſque,
Quem ſecum patrios ajunt portare Penates:
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum divellere corpus, & undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium? patriiſque epulandum apponere menſis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. fuiſſet.

SERVII.

VACVOS SENSIT SINE REMIGE PORTVS. Poteſt ὕστερον πρότερον eſſe, ut prius ſentire debuerit.

PECTVS PERCVSSA. Pectus percuſſum habens.

PROH IVPPITER. Aut iraſcentis exclamatio eſt, ut in Terentio, *Pro ſupreme Iuppiter.* Aut certe teſtatur Iovem, quem Æneæ invocavit adventu: ut, *Iuppiter hoſpitibus, nam te dare jura loquuntur.*

IBIT ET ILLVSERIT. Ibit & inludet, tempus pro tempore: & ſic dixit ut, *Certantque inludere capto.*

NON ARMA EXPEDIENT? Furentis hæc verba ſunt, ut ipſa paulo poſt, *Quæ mentem inſania mutat?* Nam hæc à ſana non procedunt, ut imperet abſentibus, *Ferte tela:* cum ſola ſit. TOTAQVE EX VRBE SEQVENTVR. Magna emphaſis quod ait *tota*.

NAVALIBVS. De navalibus, ubi ſtant naves.

AVT VBI SVM. Nunquid in cœtu ſum?

QVÆ MENTEM INSANIA. Bene ei ex parte furentis datur oratio, *date vela*, ex parte retinentis mentem. CVM SCEPTRA. ut, *Vultis & his mecum pariter conſidere regnis*, & alibi, *Ac dominum Æneam in regna recepit.* FIDESQVE. Subaudiendum EN etiam in ſequentibus. aut certe, hic eſt quem dicunt portare deos. Sane EN nominativo melius jungitur: ut, *En Priamus.*

QVEM SECVM PATRIOS. Quidam in utroque verſu *per quem* legunt, ut ſit vetus figura per eclipſin, ubi ſunt qui ajunt patrios penates portaſſe, & parentem humeris ſubiiſſe. Sane hic *ſubiiſſe* juxta præſentem verſum accuſativo junxit, cum alibi antique dativo uſus ſit, ut, *Subeant luco*, &, *Muroque ſubibant.*

CONFECTVM. Vt è contrario, *integer ævi.*

NON POTVI ABREPTVM. Hoc eſt non mihi ſubveniam, cur non poterat in ſuo regno?

IPSVM ASCANIVM. Aut qui eſt cauſa navigationis: ut, *Quem regno Heſperiæ fraudo & fatalibus arvis*, aut ad patris dolorem: ut, *Qui nati coram me cernere lethum Feciſti.* EPVLANDVM APPONERE. Quod fecit Progne occiſo Ity filio, propter ſtuprum ſororis.

VARIORVM.

TERQVE QVATERQVE MANV. Franc. Floridus Subſec. lib. 2. cap. 10. Ita Græci τρίς τε τετράκις τε. forſan ob numeri ſeptenarii perfectionem. TAVBMAN.

FLAVENTESQVE ABSCISSA COMAS. Notatio inſignis luctus. HART.

ET NOSTRIS ILLVSERIT. Eleganter ex contemptu Æneæ anget injuriam ſuam. Macr. l. 4. cap. 3. Saturn.

FERTE CITI FLAMMAS, Apollon. libro quarto, cap. 10. νῆας πυρὶ φλέξαι, &c. Similis in Phœniſſis Euripidis nocendi impetus: ἴτω μὲν πῦρ ἴτω δὲ φάσγανα, ζεύγνυσθε δ' ἵππους, &c. HART.

TVM DECVIT, CVM SCEPTRA D. ἔλλειψις: hoc eſt, tum decuit eum bello perſequi, & finibus arcere, cum eum in regnum reciperes, ejuſque jus cum nominis tui immortali dedecore illi traderes: quare & opulentiſſimos Africæ reges tibi inimicos reddidiſti. HORTENS.

NON POTVI ABREPTVM. Sua erga Trojanos beneficia recenſet, & recenſendo per congeriem amplificat ex incommodis, quibus eos ſi voluiſſet, afficere potuiſſet.

EPVLANDVM APPONERE. Alluditur ad dirum Prognes facinus; quod deſcriptum apud Ovid. lib. 6. Seu ad Atrei & Thyeſtis odium. HART.

Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis, natumque, patremque,
Cum genere exſtinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum, & conſcia Iuno,
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes:
Et diræ ultrices, & dii morientis Eliſæ:
Accipite hæc, meritumque malis avertite numen,
Et noſtras audite preces. ſi tangere portus

SERVII.

IN CASTRA TVLISSEM. Claſſes dixit caſtra: ut, *Nos caſtra movemus.* nam ſequitur, *Impleſſemque foros flammis.* FOROS. Tabulata navium: ab eo quod inceſſus ferant: & eſt generis maſculini, numeri tantum pluralis.

CVM GENERE EXTINXEM. Vtrum omne genus, an morte Æneæ & Aſcanii: & eſt Syncope. Quoniam illis extinctis interitura gens omnis eſſet, & *extinxem* pro extinxiſſem. MEMET SVPER IPSA DEDISSEM. Satis amatorie: Sane *ſeſe* cum dicimus ultima ſyllaba producitur, Virgilius, *Seſeque in bella remittant*, at vero cum proferimus *memet* & *tute* ultimæ breves ſunt: Lucretius, utrumque ſimul, *Tutemet à nobis iam quovis tempore vatum.* Quas particulas volunt nonnulli ſignificare quiddam, ut ſit memet meipſum, tute tuipſe: Alii autem, quod magis ſequendum eſt, excrementa comici leporis exiſtimant, nam Terentius dicit, *Tutemet mirabere*, id eſt tu.

SOL. Iam utitur imprecationibus, hoc eſt devotionibus: unde & devotor & devotrix dicitur, qui imprecatur. Non autem *Terrarum flammis*, ſed Opera terrarum. Et bene invocat *Solem*, cum ſupra per numen Liberi ſacrificavit.

INTERPRES CVRARVM. Aut quas patior, id eſt mearum curarum; aut generaliter curarum conjugalium interpres, hoc eſt media & conciliatrix. Cicero, *Quique interpretes in corrumpendis judiciis ſolent eſſe.* Alii *Interpres*, teſtis, judex, arbitra accipiunt. Sane *Interpres* quid ſit ſecundum veteres ipſe expoſuit, dicendo *conſcia*: veteres enim Interpretem conſcium & auctorem dicebant: Plautus in milite. *Quæ mihi conditio nova & luculentior offertur per te interpretem.* Idem in Curculione, *Quod te præſente hic egit teque interprete.* CONSCIA IVNO. Siluit rem turpem: ſic ſupra, *Et pronuba Iuno.*

NOCTVRNIS. Non triviis nocturnis, ſed per nocturnum tempus. Sacra enim Ecatæ in triviis frequentantur per noctem. Ideo autem Ecaten invocat, quaſi quæ tanti matrimonium fecerit, ut ſperneret matrem. VLVLATA PER VRBES. Proſerpinam raptam à Dite patre, cum Ceres cum incenſis faculis per orbem terrarum requireret, per trivia eam vel quadrivia vocabat clamoribus. Vnde permanſit in ejus ſacris, ut certis diebus per compita à matronis exerceatur ululatus: ſicut in Iſidis ſacris, ubi eſt imitatio inventi Oſyridis, quem dilaniatum à Tiſiphone ejus fratre uxor Iſis per totum orbem requiſiſſe narratur. Iuvenalis, *Plangentis populi currit deriſor Anubis.* Ecaten autem cauſa invocat ultionis. Vnde etiam furias vocat: ſed uſurpative modo *diras* dixit. Nam *Diræ* in cœlo, ut, *Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ*: Furiæ in terris, Eumenides apud inferos. unde & tres eſſe dicuntur: ſed hæc nomina confundunt poëtæ. *Vlulata* autem pro ululatu quæſita, & eſt participium ſine verbo, ut regnata. Vltrix vero, Tiſiphone. Nam Græce τίσις dicitur ultio.

DII MORIENTIS ELISÆ. Aut manes dicit: unde eſt, *Vos ô mihi manes Eſte boni: quoniam ſuperis averſa voluntas* Aut certe anæreticos dicit amarotia, id eſt Martem & Saturnum, qui intercidunt vitæ rationem: ſi radiis ſuis ortum genituræ pulſaverint. Horatius, *Te Iovis impio tutela Saturno refulgens Eripuit: volucreſque fati tardavit alas.* Et bene *tardavit*, quia neceſſitas fati impediri poteſt, non penitus eludi. Sic Virgilius, *Nec fata vetabant Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.* Quidam hoc quod dicit, *Dii morientis Eliſæ*, ſecundum eos tradunt, qui dicunt habere nos ſingulos deos noſtros, ut, *Nec dii texere Capenenum Ænea veniente ſui.*

ACCIPITE HÆC, Audite. MERITVMQVE MALIS AVERTITE NVMEN. Quod mali merentur.

AVDITE PRECES. Imprecationes dicit. Nam non ſunt preces, ut paulo poſt, *Imprecor arma armis.*

VARIORVM.

MEMET SVPER IPSA DEDISSEM. Reſpicere forte videri Poëta poſſit Althææ fabulam, quæ cum incenſo fatali toro filium Meleagrum conſumpſiſſet, in ejus rogum, ſera remorſa pœnitentia, ſe præcipitem dedit; ut videre eſt apud Euſtath. GERMAN.

HECATE, TRIVIIS VLVLATA. Lege Pharmaceutriam Theocriti hac de re. & Turneb. lib. 15. cap 8. HART.

MERITVMQVE MALIS AVERTITE NVMEN. Subdura, ut mihi quidem videtur, locutio eſt, nec admodum Poëtæ familiaris: quare legendum putem ADVERTITE: ita enim reſtius ſententia procedit: nam quæ Trojanis imprecatur mala, velle videtur à Diis fieri rata, atque inevitabilia: ergo ait advertite in malos Trojanos, *numen* ſcilicet, quod ipſi merentur. NASCIMB.

In-

Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt:
Et ſi fata Iovis poſcunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iüli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.
Tum vos ô Tyrii ſtirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera ſunto.

SERVII.

INFANDVM CAPVT. Etiam in imprecatione nomen ejus deteſtatur. ADNARE. Verbum familiare naufragio. Vt in primo, *Huc pauci veſtris adnavimus oris*, id eſt per tempeſtatem devenimus. Et ſic ei futura prædicit. Quemadmodum Homerus qui morituros divinantes frequenter inducit.

FATA IOVIS. Fata, dicta, id eſt, Iovis voluntas: hic ergo participium eſt, non nomen. TERMINVS HÆRET. Si hoc eſt immutabile.

AVDACIS POPVLI. Id eſt Rutulorum, ſicut ſemper inducuntur. Alibi, *Audacis Rutuli ad muros*. Et quidam volunt *audacem* apud Virgilium dici fortem, quem fortuna non ſequitur, ut *Audax quos rumpere Pallas*, & alibi, *At non audaci ceſſit fiducia Turno*. VEXATVS. Hoc loco graviter vaſtatus.

FINIBVS EXTORRIS. Extra ſuas terras remotus. Sicut extra ſolum exul; & ſignificat quando Evandri & Tarchontis petivit auxilium. COMPLEXV AVVLSVS IVLI. Qui ſcit quam ſit charus patri Aſcanius. AVXILIVM IMPLORET. Sicut dictum eſt ab Evandro & Tuſcis.

INDIGNA SVORVM FVNERA. Aut indignorum, aut crudelia & magna, ſicut veteres dicebant: *Suorum* autem Pallantis dicit & cæterorum.

PACIS INIQVÆ. Vt ſupra diximus, propter perditam linguam, habitum, nomen: quæ ſolet victor imponere, ſicut in XII. poſtulat Iuno.

SED CADAT ANTE DIEM. Cato dicit juxta Laurolavinium cum Æneæ ſocii prædas agerent, prælium commiſſum: in quo Latinus occiſus eſt, fugit Turnus. & Mezentii auxilio comparato renovavit prælium, qui quidem victus eſt ab Ænea, Æneas autem in ipſo prælio non comparuit. Aſcanius vero poſtea Mezentium interemit. Alii dicunt quod Æneas victor cum ſacrificaret ſuper Numicum fluvium lapſus eſt, & ejus nec cadaver apparuit: inde dicit, MEDIAQVE INHVMATVS ARENA. Poſtea dictus eſt inter deos receptus. Quidam eum cum adverſum Aborigines pugnaret, exanimem dicunt repertum. ANTE DIEM autem, ante fati neceſſitatem: & bene quod paſſura eſt, optat Æneæ, ut ipſe, *Sed miſera ante diem*: Media, ignota.

HÆC PRECOR. Id eſt, ſicut dictum eſt, imprecor. CVM SANGVINE FVNDO. Quaſi imprecationes ipſas ſuo conſecraret cruore.

TVM VOS O TYRII. Non ſunt mandata: ſed imprecationes, ut diſſentiant omnibus rebus, ſicut & factum eſt. Nam ſi mandata ſunt, quomodo genus futurum;

EXERCETE ODIIS. Id eſt fatigate.

POPVLIS. Aut populorum aut populis, ut Aſris quoque. NEC FOEDERA SVNTO. Sunto pro ſunt & ſint: quia rupta ſunt tertio. SVNTO autem id eſt ſint: & fit propter metrum addita o tertiæ perſonæ numeri pluralis indicativi modi, ut amanto ament, docento doceant, legunto legant, nutriunto nutriant. Alii dicunt verbo eum juris uſum propter odia hæreditaria.

VARIORVM.

INFANDVM CAPVT. Macrob. lib. 5. cap. 12. Homer. Odyſſ. 9. ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι, &c. ὀψὲ κακῶς ἔλθοι. HART.

HIC TERMINVS HÆRET. Id eſt, hoc immutabile eſt, nec aliter evenire poteſt, ratum eſt. Ille igitur terminus hæret, cui rei cujuſque temporis ſpatium ita circumſcriptum eſt atque definitum quadam velut meta, ut ultra propagari ejus diuturnitas non poſſit. TVRNEB. l. 18. c. 6. & 25. c. 1. & l. 29. c. 6.

HANC VOCEM EXTREMAM CVM SANGVINE F. Quaſi nece ſua imprecationes obſignare velit: quod vero dicit, *cum ſanguine fundo*, ad Empedoclis & Critiæ opinionem alludit; qui animam ſanguinem eſſe putarunt. Ariſt. primo de anima. Cic. in primo Tuſculanar. quæſt. NASCIMB.

TVM VOS O TYRII. Ad Tyrios ſermonem convertit quos monet, ut futurum etiam genus Trojanorum, eorum poſteros Romanos capitalibus odiis, & implacabilibus inimicitiis proſequantur. Has ſibi inferias, hæc munera ſuis manibus fore acceptiſſima. Et ſine dubio ad tria bella Punica reſpexit vates, & ad fœdus tertium perfidiſſime ruptum. NASC.

EXERCETE ODIIS. Alluditur ad bella Punica his. HART.

Ex-

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos.
Nunc olim, quocunque dabunt ſe tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipſique nepotes.
Hæc ait, & partes animum verſabat in omneis,
Inviſam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi,
(Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat)
Annam chara mihi nutrix huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum, & monſtrata piacula ducat.
Sic veniat, tuque ipſa pia tege tempora vitta.

S E R V I I.

EXORIARE. Exoriatur: & oſtendit Annibalem. EX OSSIBVS. Secundum Anaxagoram qui Homœomeriam dicit, id eſt omnium membrorum ſimilitudinem eſſe in rebus creandis: id eſt ex oſſibus, ſanguine & medullis. Nam omnia pro parte ſui tranſeunt in procreationem. Lucretius, *Nunc ad Anaxagoræ veniamus Homœomeriam.* Sane Punici ex oſſibus dicunt oriri poſteros, quos nos ex ſanguine: An quia poſt longum tempus naſcetur Annibal, ideo ex oſſibus poſuit?

FACE DARDANIOS. Incendiis urbium Italarum. FERROQVE. Exercituum cædibus. SEQVARE. Proſequere.

NVNC OLIM. Modo, *Olim* futuri temporis & quidam ſeparant pronunciantes, ut ſit modo, *olim*, poſtea: quaſi dicat, vel nunc, vel olim. QVOCVNQVE DABVNT SE TEMPORE VIRES. Quia quotieſcunque voluerint Pœni bella renovare, ideo ait, *Pugnent ipſique nepoteſque.*

LITTORIBVS CONTRARIA. Aut quia in fœdere cautum fuit, ut neque Romani ad littora Carthaginenſium accederent, neque Carthaginenſes ad littora Romanorum. Aut poteſt propter bella navalia accipi inter Romanos & Afros geſta.

FLVCTIBVS VNDAS IMPRECOR. Propter illud quod in fœderibus ſimiliter cautum erat: ut, Corſica eſſet media inter Romanos & Carthaginenſes. PVGNENT IPSIQVE NEPOTES. Poteſt & ad civile bellum referri.

BREVITER. Feſtinatione mortis: ſimul nectit cauſſam moratum, & ipſi, & ſorori. BARCEN. Hoc cognomen familiæ Annibalis fuit.

PATRIA ANTIQVA. Hoc eſt Tyros, quæ ante ejus patria fuit. HVC SISTE. Huc adduc: ut, *Et cum grege ſiſtet ad aram.* Hinc & ſiſtatur dicimus, id eſt adducatur. Nam ſtare aliud eſt. Nec aliter poſſumus dicere: quam ſta illic, ſiſte huc. Fallit autem pleroſque verbi ſimilitudo: quia dicimus ſto & ſiſto, cum diverſa ſignificent.

SPARGERE LYMPHA. Sacrificantes diis inferis aſpergebantur aqua: ut, *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ*: Superis abluebantur: ut, *Donec me flumine vivo Abluero.* Modo autem inferis ſacrificat: ut, *Sacris Iovi Stygio.*

MONSTRATA. Vel quæ ipſa monſtravi, vel quæ ſacerdos. PIACVLA. Purgationes, alias ſacrilegia aut ſacrificia. SIC VENIAT. Quemadmodum præceptum eſt, ne prætermitteret aut præcederet.

TEGE. Corona, ut & ipſa tardaret. SACRA. Sacrum eſt quod ad deos pertinet, profanum quod ad homines.

D O N A T I.

EXORIARE ALIQVIS. Aliqui de Hannibale volunt intelligere: ſed melius eſt, ut ſit hoc perturbatæ perſonæ, quæ neſciat ſe impoſſibilia poſtulare: quod ſequentia indicant, cum poſtulet, & littora & undas inter ſe diſcordare.

PVGNENT IPSIQVE NEPOTES. Hoc dixit poſſibile: nam & furentes quandoque, quod rectum eſt, ſentiunt.

TVM BREVITER. Nam hoc conveniebat, quæ quamprimum mori cuperet.

HVC SISTE, Huc inſtanter adhuc. CHARA. Blanditur ut impetret per blandimenta, quod illa propter ingraveſcentem ætatem poterat recuſare. Elegit perſonam quæ tarde pergeret: & cum mora remearet, ut ſibi longiuſculum ad mortem patrandam ſpacium daretur. & propter hoc dixit *ſiſte*, & non mitte.

DIC CORPVS. Et hoc ad moram innectendam pertinet.

ET PECVDES. Et hoc ſimiliter.

V A R I O R V M.

NAMQVE SVAM PATRIA ANTIQVA. De Patria antiqua, Turneb. lib. 12. cap. 5.

ANNAM, CHARA MIHI. Macrob. lib. 3. capite primo lege. HART.

DIC CORPVS PROPERET. De his ſacris Macrob. lib. 3. cap. 1. Saturnal.

Per-

Sacra Iovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. illa gradum ſtudio celerabat anili.
At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura;
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos; enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.
Hic poſtquam Iliacas veſtes, notumque cubile
Conſpexit, paulum lachrymis & mente morata,
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
Dulces exuviæ dum fata deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exolvite curis.

SERVII.

IOVI STYGIO. Hoc eſt Plutoni. Et ſciendum Stoicos dicere unum eſſe deum, cujus nomina variantur pro actibus & officiis. Vnde etiam duplicis ſexus numina eſſe dicuntur: ut cum in actu ſunt, mares ſint: fœminæ cum patiendi habent naturam: unde eſt, *Conjugis in gremium lætæ deſcendit.* Ab actibus autem vocantur: ut Iupiter juvans pater. Mercurius, quod mercibus præeſt. Liber, à libertate. Sic ergo & modo Iovem Stygium dicit, inferis ſacrificatura: ut alibi, *Iunoni infernæ dictus ſacer.* Hinc eſt Iovis oratio, *Cælicolæ mea membra dei quos noſtra poteſtas Officiis diviſa facit.* QVÆ RITE INCEPTA PARAVI. Ordo eſt, Sacra quæ paravi, animus eſt rite perficere.

PERFICERE EST ANIMVS. Mire, quamdiu enim Æneas præſens erat, non omnino deſperans trahebat exitium. CVRIS. Vtrum amoribus an rei ſuſceptæ?

DARDANIIQVE ROGVM CAPITIS. In quo ejus imago fuerat, & bene ſuum rogum, illius dicit, ne ſuſpicionem faciat. PERMITTERE FLAMMÆ. Incendere.

STVDIO ANILI. Aut pro ætatis poſſibilitate: aut pro induſtria, qua utuntur aniculæ. Aut voluntate obſequendi. Alii *celebrabat* legunt, quia antiqui hoc verbum in velocitate ponebant. Actius, *Celeri gradu greſſum adceleraſſe decet.*

AT TREPIDA. Feſtina. Nam moritura nihil timebat. Ideo autem feſtina, id eſt occaſione vix data. COEPTIS IMMANIBVS EFFERA. Fera, nimis fera, furiata ſævis cogitationibus.

SANGVINEAM ACIEM. More ſuo oſtendit eam furentem vultu, geſtu, voce.

MACVLISQVE TREMENTES INTERFVSA GENAS. Hoc eſt trementes genas interfuſas habens maculis. PALLIDA MORTE FVTVRA. Aut pallidior, quam ſolent omnes eſſe poſt mortem: aut *pallida*, omine mortis futuræ. Aut *pallida*, conſcientia mortis futuræ.

FVRIBVNDA. Furenti ſimilis. Sane quidam volunt Virgilium ubique Didonis, tamquam Flaminicæ facere mentionem: apud veteres autem Flaminicam ſcalas plus tribus gradibus niſi Græcas ſcandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus crurumve ſubter conſpiceretur, eoque nec pluribus gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplicis niſus non paterentur extolli veſtem, aut nudari crura, nam ideo & Græcæ ſcalæ dicuntur: quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clauſæ ſint, ne aſpectum ad corporis aliquam partem admittant. Et ſciendum ſi quid ceremoniis non fuerit obſervatum piaculum admitti: Hic autem piaculum admittitur: quod ipſa Dido ait: *Sacra Iovi Stygio quæ rite incepta paravi:* nam & ſupra ait, *Magicas invitam accingier artes.* Hoc vero loco plenius eam Flaminicæ ritum exceſſiſſe declarat, ubi de gradibus loquitur dicens, *Interiora domus.* &c. neque enim poteſt eſſe altum, quod tribus tantum gradibus conſcenditur: unde apparet plures gradus tribus fuiſſe, quod plenius de Anna ſubjunxit. *Sic effata gradus evaſerat altos.*

NON HOS QVÆSITVM MVNVS IN VSVS. Quem Æneas non ad hunc uſum reliquerat: & ut ſupra diximus, ſecundum Homerum vertitur munus in perniciem. Tale eſt in Bucolicis, *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.*

CVBILE. Cubandi locum dixit. ET MENTE. Conſilio.

DEVSQVE SINEBANT. Aut Iupiter qui Æneam abſcedere compulit: aut amor, aut neceſſitas fati.

VARIORVM.

QVÆ RITE INCEPTA. De Iove Stygio Turnebus lib. 13. cap. 14. & lib. 21. cap 22.

DVLCES EXVVIÆ. Victorius lib. 5. Var. cap. 14. Macrob. lib. 4. cap. 6. Saturn.

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi:
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix, heu nimium felix, ſi littora tantum,
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.
Dixit: & os impreſſa toro, Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait. ſic? ſic juvat ire ſub umbras.

SERVII.

VIXI. Excuſat vitæ abruptionem: quia dicit Plato magna pœna adfici animas eorum, qui vitam ante tempus reliquerunt. ET QVEM DEDERAT CVRSVM FORTVNA, PEREGI. Non natura, nec fatum. Tribus enim humana vita continetur: *Natura*, cui ultra centum & viginti ſolſtitiales annos conceſſum non eſt. *Fato*, cui nonaginta anni, hoc eſt tres Saturni curſus exitium creant: niſi forte aliarum ſtellarum benignitas etiam tertium ejus ſuperet curſum. *Fortuna*, id eſt caſu, qui ad omnia pertinet quæ extrinſecus ſunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena. Bene ergo dixit *Fortuna*: Cicero in Philippicis, *Multa mihi imminere videbantur præter naturam, præterque fatum*: id eſt gladii Antonii ex caſu.

MAGNA. Cogitatione eorum qui me non viderunt, ſed factis cognoverunt. SVB TERRAS IBIT IMAGO. Bene imaginem dixit fortunæ. Valde enim quæritur apud philoſophos, quid illud ſit quod inferos petat. Nam tribus conſtamus: *Anima* quæ ſuperna eſt, & originem ſuam petit: *Corpore*, quod in terra deficit: *Vmbra*, quam Lucretius ſic definivit, *Spoliatus lumine aër*. Ergo umbra ſi ex corpore creatur, ſine dubio perit cum eo: nec eſt quicquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenderunt eſſe quoddam ſimulachrum, quod ad noſtri corporis effigiem fictum, inferos petit: & eſt ſpecies corporea, quæ non poteſt tangi, ſicut ventus. Hinc in ſexto, *Corpora viva nefas Stygia vectare carina*. Hanc autem rem etiam Homerus requirit, ſimulachro Herculis apud inferos viſo. Et ſciendum ſimulachra hæc eſſe etiam eorum qui per apotheoſin dii facti ſunt. Vnde aut viſi eſſe apud inferos: aut illuc deſcendiſſe dicuntur. Horatius de Libero, *Te vidit inſons Cerberus aureo cornu decorum*. Sciendum tamen abuti poëtas, & confuſe vel ſimulachrum, vel umbras dicere.

VRBEM PRÆCLARAM STATVI. Non eſt contrarium illi loco, *Pendent opera interrupta*, quia illud ex perſona poëtæ ſupradictum eſt. Nam licet paululum aliquid ſupereſſet: quantum ad ipſam pertinet, fecerat: ut, *Vrbemque paratam*. Item paulo poſt, *Vrbemque tuam*, & re vera civitati quid ſupereſt factis muris, templo, portu, theatro, foro, ſenatu, quibus adjunguntur etiam privatæ ædes: ut, *Pars optare locum tecto, & concludere ſulco*. MEA MOENIA VIDI. A me facta: & pertinet ad effectum: ut, *Quam veſtræ fecere manus*.

VLTA VIRVM. Puniendo ejus interfectorem. Nam ideo addidit, *Pœnas inimico à fratre recepi*. & re vera nulli avaro major eſt pœna, quam amittere pecuniam propter quam commiſerat ſcelus. Bene autem *recepi*, quaſi debitas. Vel quod partem maximam civium ſollicitavi. Ergo hoc dicit, Feci illud: & illud, felix nimium fuiſſem, ſi tantum Æneas Carthaginem non veniſſet. Alii hæc quaſi per interrogationem volunt accipi: ut nihil dicat eſſe perfectum, Nunquid urbem ſtatui? Nunquid ulta ſum virum? Nunquid à fratre pœnas recepi? Felix tamen fuiſſem, ſi vel hoc tantum contingeret, ut Carthaginem non veniret Æneas. Sed & hanc varietatem gignit hic ſermo TANTVM, quem alii, tantummodo interpretantur. Nam ad utrunque admittitur. tamen melior eſt ſenſus ſuperior, quem nonnulli ſic exponunt propter *Pendent opera interrupta*: ut ordo ſit, Vrbem præclaram, & mea mœnia ſtatui, vidi: hoc eſt vidi dum ſtatuerentur.

OS IMPRESSA TORO. Applicito ore ad lectulum, vel *os* faciem: aut quaſi amatrix, ut, *Stratiſque relictis incubat*. aut certe quaſi peritura inſenſibili rei dat ſenſum: & ſic ad lectulum loquitur, ut ad haſtam Turnus, *Te Turni nunc dextra gerit*. Mezentius ad equum, *Rhœbe diu res ſiqua diu mortalibus ulla eſt*.

SIC? SIC. Quaſi interrogatio & reſponſio. Et placet ſic inultam perire, vel hoc genere mortis, & hoc eam ſe loco intelligimus percuſſiſſe. Vnde alii dicunt verba eſſe ferientis. Alii ita diſtinguunt, *Sed moriamur ait*, & ſic poſt adjiciunt, *Sic juvat ire ſub umbras*, ut dubitaverit an inulta deberet mori: deinde ultionis difficultatem circumſpiciens dixerit, *Sic juvat ire ſub umbras*.

DONATI.

MORIAMVR. In plurali dixit: vel quia ſic ſæpe uſurpamus, ut de uno dicamus, nos: vel quia & reliquiæ erant perituræ.

VARIORVM.

ET NVNC MAGNA MEI. Cælius lib. 17. c. 26. & lib. 9. cap. 41. Phocylides: πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών. Cur MAGNA. Ex Ennio & Lucretio, Turneb. lib. 22. c. 26. & lib. 26. cap. 23. HARTVNG.

FELIX, HEV NIMIVM FELIX. Ex Catullo Macrob. lib. 6. cap. 1. Sat.

SED MORIAMVR. Attende horrendam luctam rationis & affectuum. Initium abruptum facit pathos, Macrob. lib. 4. c. 2. Saturn. HARTVNG.

Hau-

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.
Dixerat, atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus. It clamor ad alta
Atria: concuſſam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, & fœmineo ululatu
Tecta fremunt; reſonat magnis plangoribus æther:
Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,
Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud germana fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes araque parabant?

SERVII.

HAVRIAT HVNC OCVLIS IGNEM. Aut videat omina tempeſtatis futuræ? quia navigantibus malum omen eſt, ſi rogalis flamma videatur: aut certe ſatisfaciat ſuæ crudelitati. AB ALTO. A mari.

DARDANVS. Pro Dardanius, Plautus. *Natus Argu ex Argo patre*: vel quod ipſe Æneas ante Dardanus dictus eſt. ET NOSTRÆ SECVM FERAT OMINA MORTIS. Vt Æneas quoque per vim maturius obeat; & bene infauſta omina imprecatur ei, qui ad novi regni auſpicia properat.

INTER TALIA. Per talia: ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.*

CONLAPSAM ASPICIVNT. Non induxit occidentem ſe. ſed oſtendit occiſam, & hoc Tragico fecit exemplo, apud quos non videtur quemadmodum fit cædes, ſed facta narratur.

SPARSASQVE MANVS. Aut perfuſas ſanguine: aut morte reſolutas.

FOEMINEO VLVLATV. Proprio fœminarum. Horatius, *Et illa non virilis ejulatio.*

ANTIQVA TYROS. Vel nobilem dicit: vel illud oſtendit, quia Carthago ante Byrſa, poſt Tyros dicta eſt, poſt Carthago à Cartha oppido. Vnde fuit Dido inter Tyron & Berithon.

AVDIIT EXANIMIS. Id eſt, territa. Nam ut diximus, exanimatus mortuus eſt.

ORA SOROR FOEDANS. Cruentans, ut, *Sanguine fœdantem.*

NOMINE CLAMAT. Aut Didonem vocat: ut ſupra diximus, Pœnorum lingua viraginem. Nam Eliſa dicta eſt. Sed virago eſt vocata cum ſe in ignem præcipitavit. Aut *nomine clamat*, nominat: ſicut & Homerus dicit ἐν τὸ ὀνόμαζεν ſexies nominabat. Aut certe vero nomine, ut ſolent dolentes: ut, *Hunc ego te Euryale aſpicio.* Item, *Mater Cyrene mater.* Hinc & ibi ait, *Et te crudelem nomine dicit.* Et multi quærunt, quomodo procedat hoc, cum ejus nomen nuſquam ſequatur. Sed tractum eſt à jure, ubi dicitur nihil intereſſe utrum quis unum filium habens, dicat; *Fili heres eſto*: an, *Titi heres eſto.* Ergo dicendo, *Hoc illud germana fuit?* quaſi nomen dixit. Sane ſciendum bene eum perturbatæ, integrum non dediſſe ſermonem.

HOC ILLVD GERMANA FVIT. Allocutio per conqueſtionem. HOC ROGVS ISTE MIHI. Alludit ad hiſtoriam.

DONATI.

HAVRIAT. Pars ultionis erit, ſi hoſtis abiens rogi flammas aſpiciat, & triſtis ominibus naviget.

ATQVE ILLAM. Oſtendit celeritatem in Didone, ut nemo ictum viderit, ſed illam cadentem aſpexerunt.

NOMINE. At qui non dixit Dido, ſed germana. Sed duplex eſt nobis nomen: alterum naturæ & ſanguinis quo conjunctæ perſonæ appellantur: ut mater, pater, frater, ſoror, & ſimilia. alterum quod imponitur ab extraneis: ergo ſoror, ſororem nomine ſanguinis appellare debuit: unde dixit germana.

VARIORVM.

HAVRIAT HVNC OCVLIS, Videat omina tempeſtatis futuræ, hunc rogalem ignem. Aut certe ſatisfaciat ſuæ crudelitati. De locutione videatur Scalig. lib. 4. cap. 16.

NON ALITER QVAM SI, &c. Eleganti ſimilitudine commiſerationis affectum exaggerat. Nam hoc ſignificare videtur, non minorem fuiſſe luctum ex unius morte, quam ſi tota urbs ruiſſet. Et alludere videtur ad Carthaginis direptionem, duce Scipione Æmiliano. NASC.

RVAT HOSTIBVS OMNIS CARTHAGO. Macrob. lib. 4. cap. 6. HARTVNG.

Digitized by Google

Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? eadem me ad fata vocasses;
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos: sic te ut posita crudelis abessem?
Extinxti te, meque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. date vulnera lymphis
Abluam, & extremus siquis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata, gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa graves oculos conata attollere; rursus
Deficit, infixum stridet sub pectore vulnus.
Ter sese attollens, cubitoque innixa, levavit:
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsivit cælo lucem, ingemuitque reperta.

SERVII.

QVID PRIMVM DESERTA QVERAR? Conqueritur cur relicta sit: nec ad par exitium convocata.

COMITEMNE SOROREM SPREVISTI? Deest, Illudne quod sprevisti comitem sororem? & semiplene loquitur. TVLISSET. Abstulisset.

STRVXI MANIBVS. Quasi sceleris contaminata, & quasi ipsa interitum sororis adjuverit. *Struxi manibus*, subaudis RUGOS. PATRIOS DEOS. Saturnum & Iunonem.

POSITA. Exanimata. Statius, *Positusque beata Morte pater.* CRVDELIS. Illum crudelem dicit, quod sit dubium tu an ego.

EXTINXTI TE MEQVE SOROR. Varro ait non Didonem, sed Annam amore Æneæ impulsam se supra rogum interemisse. POPVLVMQVE PATRESQVE VRBEMQVE TVAM. Patres id est Senatum, Vrbem tuam quam extruxisti, & quidam hoc loco volunt treis partes politiæ comprehensas, populi, optimatium, regiæ potestatis: Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem.

AMPLEXA FOVEBAT. Bene non fovit, sed *fovebat*, ut id diu factum ostenderet.

DATE LYMPHIS. Date lymphas, ut vulnera abluam, hoc est date aquam: aut *date*, id est permittite. Lavare autem cadavera satis proximis concedebatur. Vnde queritur mater Euryali: *nec vulnera lavi Veste tegens.* Sane in sacris pura vestis appellatur, quæ neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. Id hoc loco comprehensum accipi potest, cum Dido inducitur habuisse crinem sacratum, quo videlicet abscisso possit sine cruciatu mori: prius tamen voluit ablui cruorem, cum ait, *date vulnera lymphis Abluam.* Plenius tamen infra ait, *Semianimemque sinu germanam*, usque, *veste cruorem*; ut tanquam sin veste pura legitimo sumptu morte data haberetur, * quod quæ sacratum crinem habuerit vitæ fuerit immorata; nam subjecit apte ex persona Iridis: *Hunc ego diti Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.*

ORE LEGAM. Muliebriter, tanquam possit animam sororis excipere, & in se transferre. Sic Cicero in Verrinis, *Vt extremum filiorum spiritum ore excipere liceret.*

GRADVS EVASERAT ALTOS. Id est ascenderat, aut rogis scilicet, qui pro qualitate fortunatum fiebant. Vnde in sexto ait, *Cæloque educere certant.* Aut quia lecti antiquorum alti erant, & gradibus ascendebantur. quibus superatis Anna amplectitur sororem.

CRVORES. Exprimebat, vel alluebat, ut, *Vulnera siccabat lymphis:* An suam vestem vulnere Didonis infectam usurpavit. Nam nec sanguines dicimus numero plurali, nec cruores. SICCABAT autem, exprimebat.

SVB PECTORE. Per transitum dictus vulneris locus.

TER REVOLVTA TORO EST. Aut sæpius: aut Promanteusis. ERRANTIBVS. Vicinitate mortis propter tria bella Punica, præsagium propter bella Carthaginis.

INGEMVITQVE REPERTAM. Atqui dixit, *invisam quærens quam primum abrumpere lucem*, sed ostendit morientes sua improbare desideria; ut in sexto, *Quam vellent æthere in alto Nunc & pauperiem & duros perferre labores.*

VARIORVM.

QVID PRIMVM DESERTA. Facit pathos addubitatio, Macrobius libro quarto capite sexto Saturn.

INGEMVITQVE REPERTAM. MSS. ut & Donatus & Servius REPERTAM; quod est reperisse.

Tum Iuno omnipotens longum miſerata dolorem,
Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexoſque reſolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat;

SERVII.

TVM IVNO OMNIPOTENS. Aut pronuba aut inferna.

DIFFICILESQVE OBITVS. Quia ſupererat vita ei, quæ caſu non aut fato aut natura moriebatur: ut, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat*: id eſt naturali. IRIM DEMISIT OLYMPO. Vt & ſupra diximus, trahit hoc de Alceſte Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam ſecantem: quia fato peribat mariti. Alii dicunt Euripidem, Orcum in ſcenam inducere, gladium ferentem quo crinem Alceſti abſcindat. Euripidem hoc à Pœnia antiquo tragico mutuatum. Sane ſciendum hoc ideo nunc fieri, quia certis conſecrationibus ſolebant homines facere, ut muniti eſſent adverſus fortunę impetus. Nec poterant mori, niſi exauctorati illa conſecratione. Vnde circa Didonem iſta ſervantur.

NAM QVIA NEC FATO. Cum dicat Virgilius, *Stat ſua cuique dies*, quomodo hoc dicit? *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Sed miſera ante diem.* Nam ſi fato vivimus, quid agunt merita? ſi penſamur meritis, quæ vis fati? quomodo hic & fatum admittit & meritum? Deinde cum dixerit, *Stat ſua cuique dies*, quomodo dicit ante diem? Harum rerum ratio ſic redditur: Sunt & fata quæ dicuntur denunciativa, ſunt alia quæ condicionalia vocantur. Denunciativa ſunt quæ omnimodo eventura deferunt, ut verbi gratia Pompejus ter triumphaturus eſt. Hoc illi fata dederunt, ut ubicunque terrarum fuerit ter triumphet: non poteſt aliter evenire, & ideo fatum quod hoc denunciat, *denunciativum* vocatur: *Condicionale* vero hujuſmodi eſt, Pompejus ſi poſt Pharſalicum bellum Ægypti litus attigerit, ferro peribit, hic non omnimodo neceſſe erat ut videret Ægyptum, ſed ſi caſus illum ad aliam regionem forte duxiſſet evaſerat.

Sic & apud Homerum Achilles, refert matrem deam ſibi dixiſſe, ut ſi bello Trojano ſe ſubtraheret, & reducem patriæ daret, alta ſenecta viveret, ſed inglorius: Si vero apud Trojam pugnando perſeveraret, adeptus magnam gloriam primævus obcumberet. Vides igitur conditionem fati ſub duplici eventus exſpectatione pendere. Achilli enim dies ſtatuta erat, qua domum repetens ſenex periret, ſed quia bellum non reliquit, obiit quidem ante diem fato ſtatutum, ſed nec tum ſine fato, quia de gemina fati auctoritate veniebat utraque condicio. Sic & Didoni decretum fuerat ut Vrbem præclaram ſtatueret, ulciſceretur virum, pœnas de parricidio fratris exigeret. Pervenerat autem ad ſeram mortem ſine ulla felicitatis offenſa, Si Trojana claſſis ad litus Africę non veniret, qua portum Carthaginis ingreſſa, nec continuaretur vlterius reginæ nota felicitas, nec expectaretur ad mortem dies illa ſera quæ fuerat conſtituta.

Hæc ſciens Maro, inducit ipſam Didonem in extremis ſuis iſta dicentem, *Vrbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi, Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi, Fœlix heu nimium fœlix ſi litora tantum Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.* Sic & Vulcanus reſpondens Veneri armari filium poſtulanti, conditionale fatum adſerit fuiſſe Trojanis, ut ſi Æneas cœleſtibus armis fuiſſet armatus, annos X. ultra quam ſtetit Troja duraret, nec Priamus ante idem tempus periret: quo præſidio prætermiſſo præparandæ Trojanæ incolumitatis extincta conditio eſt, & hoc eſt, quod ait, *Similis ſi cura fuiſſet*, & quod dicit, *Fas nobis*, &c. hoc eſt per fata licuiſſet: Si enim nefas eſt obviare fatis, fas eſt omne quod permittente fatorum lege præſtatur. Ergo ſenſus hic eſt, Cura quæ tibi nunc eſt, Si ſtante Troja fuiſſet, armari filium tuum mihi per fata licuiſſet, propter rationem ſcilicet conditionalis fati & vitam Priami, & regna Trojæ tam Iuppiter quam fata ſervaſſent, cum hoc decreti conditio contineret.

Ergo *ſtat ſua cuique dies* aut denunciativo fato & mutationem omnino non recipit; aut condicionali & ſi eventum alterum caſus adtulerit, non inſpecta die acceleratur interitus: quod ergo dixit, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat*, nolo illum putes univerſa confundere: Illi enim dicuntur non fato perire ſed merito, qui maxima in deos, & non ignoſcenda committunt, ut Salmoneus, ut contemptor divum Mezentius, ut Tytius, ut Ixion, quos ſi fato dixeris opperiiſſe pugnaveris, nam qui excedunt delinquendi modum ipſi ſibi pœnam ſanciunt, quam ſi fatis imputandam putaveris, excuſas peremptorum reatum; hoc eſt ergo quod dicit, *Nam quia nec fato*, id eſt denunciativo, *merita nec morte*, id eſt nullo immani crimine commiſſo. *Sed miſera ante diem*, hoc eſt uno de condicionalibus fatis ſtatuto; Si Trojanæ claſſis non contigiſſet adventus.

DONATI.

NEC FATO NEC MORTE MERITA. Non ſecundum inſtitutum naturæ, quod fatis attribuitur. difficilis enim mors eſt, cum non conſenſu naturæ ſpiritus redditur, ſed vi extorquetur.

VARIORVM.

NAM, QVIA NEC FATO, M. N. M. P. &c. Aliud eſt Græcis ἀπὸ ἄωρος, aliud ἀπὸ μοίρας θανεῖν: ἀπὸ ἄωρος dicitur de iis qui obeant in juventute; ἀπὸ μοίρας de illis, qui violento exitu decedunt. Tum opinio multorum, non receptos inferis, qui funere acerbo prærepti eſſent, quos Αώρους vocabant: nec eos, qui violento genere mortis erepti forent, quos βιαιοθάνατος appellabant: nec illos, qui ſepulturæ honore caruiſſent. Aoros quidem tamdiu in ſuperis errare & vagari credebant, donec in morte reliquum tempus exegiſſent quod in vita non impleverant. *Aiunt enim & immatura morte præventas animas, eo uſque vagari iſtic donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum pervexiſſent, ſi non intempeſtive obiiſſet.*

Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso Sole colores,
Devolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, & dextra crinem secat: omnis & una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

SERVII.

SED MISERA ANTE DIEM. Non est contrarium, quod dicit in decimo, *Stat sua cuique dies.* Nam ut sæpe diximus, secundum sectas loquitur: & hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est. Quanquam grammaticæ responsiones possunt sufficere, *Omnia vincit amor: & nos cedamus amori.* FVRORE. Quia pudica in amorem devenerat.

FLAVVM CRINEM. Matronis nunquam flava coma dabatur, sed nigra, unde Iuvenalis, Satyr. 6. *Sed nigro flavum crinem abscondente galero.* Huic ergo datur quasi turpi. AVT FLAVVM, quia in Catone legitur de matronarum crinibus, *Flavo cinere unctitabant ut rutila essent.*

CAPVT DAMNAVERAT. Nondum eam morti destinaverat, potest accipi, *Stygioque caput damnaverat orco*: ut Didonem voto liberaret quod semper omnes optant, ut sine cruciatu moriantur; nam subjunxit, *Hunc ego diti Sacrum jussa fero teque isto corpore solvo*, id est libero, vel illud ab orco nondum liberaverat, cum illa devotum crinem adhuc retinens, inter reos esset. Ergo cujuscunque debiti, id est reatus damnatio finem facit. DAMNARE autem est damno afficere, id est debito liberare. Ideo & cum vota suscipimus, rei voti dicimur donec consequamur beneficium, & donec condemnemur, id est promissa solvamus, ut, *Damnabis tu quoque votis.* Et bene poëta non ait, illam damnaverat, sed caput ipsum unde crinis fuerat auferendus.

IRIS ROSCIDA, Quia cum nubibus fit pluvialibus, quæ rore non carent. ADVERSO SOLE. Sane naturalem rem expressit. Iris enim nisi è regione Solis non fit, cui ille varios colores dat: quia aqua tenuis, aër lucidus, & nubes caligantes irradiante isto varios creant colores.

SACRVM IVSSA FERO. Euripides Alcestin Diti sacratum habuisse crinem dicit, quod Poëta transtulit ad Didonem. CORPORE SOLVO. Id est animam tuam, quia ait supra, *Nexosque resolveret artus.*

OMNIS ET VNA. Vno impetu effusa est vita, id est anima. DILAPSVS CALOR. Secundum eos qui dicunt animam calorem esse, qua recedente corpus friget: ut, *Corpusque lavant frigentis & unguent.*

IN VENTOS VITA RECESSIT. Id est anima, ut in quarto Georgicorum *Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.* Et dicendo *in ventos*, aut eos sequitur qui animam aërem dicunt, hoc est in materiam suam redire, aut certe eos qui dicunt animam perire cum corpore: ut intelligamus evanuit, in ventos recessit: ut in nono, *Sed aura omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.*

DONATI.

ANTE DIEM. Ante tempus quod natura potuit afferre.

SOLVO. Omnia quibus vita constat sibi invicem nexa sunt: sed cum resoluta fuerint, atque à sese recesserint, tunc mors sequitur.

VARIORVM.

Idem Tertullianus de insepultis hoc quoq; traditum creditumque, ait: *Creditum est insepultos non ante ad inferos redigi, quam justa receperint.* Vtrumque ergo in Didone Poëta expressit, & βιοθανάτους simul & ἀώρους periisse indicat. SED QVIA NEC FATO, [illegible]. SED MISERA ANTE DIEM, [illegible] ἄωρος. Tertium addidit: MERITA NEC MORTE. Innocentem & nullo crimine commisso manus sibi attulisse significat. Nam plerique aut propter crimina sua supplicio publice afficiuntur; aut ipsi sibi lethum consciscunt metu gravioris pœnæ, quam se meruisse conscii sunt Ex eo genere βιοθανάτων non fuisse Didonem ostendit. Hæc simplicissima illius loci expositio. Servius multa involvit, quæ nec evolvit & longe à scopo aberrat. Turneb. lib. xi. c. [illegible]. SALMAS.

NONDVM ILLI FLAVVM. P. Fabula ex Euripide. Macrob. lib. 5. cap. 19. Saturn. Turneb. lib. 19. cap. 17. Muretus lib. 4. cap. 16. Canterus lib. 4. cap. 20. De flavo crine, Iunius de coma, cap. 19.

PROSERPINA VERTICE, &c. Hic ritus extat apud Macrobium, lib. 5. cap. 7. Euripides in Alceste, & Oreste, & Tauris. Homerus Iliad. ψ. Ovidius lib. 3. Metamorph. *Et sectos secum imposuere capillos.* HARTVNG.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER QVINTVS.

INTEREA medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ jam infœlicis Elisæ
Collucent flammis. quæ tantum accenderit ignem
Causa latet: duri magno sed amore dolores

SERVII.

INTEREA. Dum fletur aut sepelitur Dido, & hoc sermone librum, ut solet, superioribus junxit: cujus pars major ex Homero sumpta. Nam omnia quæ hic commemorat, exhibentur circa tumulum Patrocli: nisi quod illic curule exercetur, hic navale certamen. Sane intelligendum non potuisse fieri, ut una nec plena die Æneas ad Siciliam perveniret. Vnde accipiendum est, sicut supra legimus, quod circa ortum lucis navigavit: ut, *Regina è speculis ut primum albescere lucem Vidit, & æquatis classem procedere velis*. Ergo tota die dum se Dido interemit, dum fletur, paululum provectus est leniter spirantibus ventis: & flammas rogi circa vesperam vidit, quo tempore & per naturam ignem videre potuit, & per pristinum morem quo per diem cadavera non incendebantur. Deinde tota navigans nocte & alterius diei parte ad Siciliam venit. MEDIVM Aut medium est quicquid à principio recedit, & necdum finem sortitur: aut *medium*, sic altum ut medium putares: ut. *Graditurque per æquor Iam medium*. Nam vere *medium* sequenti indicat loco: *Vt pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla Occurrit tellus*. Sane speciem pro genere posuit, nam mare significat maria. TENEBAT. Nautico usus est verbo, ut *Iliacas vento tenuisse carinas*. Et, *Ni teneant cursus*.

CERTVS. Aut indubitabiliter pergens, id est itineris sui certus, aut certus Æneas, id est sollers, strenuus, velox: ut, *Equidem per littora certos Dimittam*. ATROS AQVILONE. Quos nuper flans Aquilo atros effecerat: ut, *Et mediis properas Aquilonibus ire per altum*. Nam ex Africa venientibus Auster secundus est, Aquilo adversus; ergo hoc dicit quod fluctus, qui atri esse consuerunt Aquilonis flatu qui ante flaverat secundo flatu, secarit Æneas surgente Zephyro, ut Mercurius; *Nec Zephyros audis spirare secundos*. Sed novimus tempestatis hanc esse naturam, ut reliquias venti teneat, etiam in alterius flatu. Sicut Lucanus, *Vt quoties æstus, Zephyris furiisque repugnat, Huc abeunt fluctus, illuc mare*. Atros autem secundum Plinium dicit, qui ait in naturali historia, non esse maris certum colorem: sed pro qualitate ventorum mutari: & aut flavum esse, aut lutulentum, aut atrum.

COLLVCENT FLAMMIS. Lucent undique. In honorem enim regum cum facibus procedebatur à populo. Vnde ait de Pallante, *Lucet via longo Ordine flammarum, & late discriminat agros*. Postea etiam funebres lectulos proferre cœperunt. Vnde est etiam in sexto, *Vel quæ Tyberine videbis Funera*: quum de Marcello ædili diceret, filio sororis Augusti, in cujus honorem hoc factum est. QVÆ TANTVM. In quantitate est admiratio. Sane sciendum Varronem dicere Æneam ab Anna amatum: & licet (ut supra diximus) plurimum tempus intersit, lectum tamen est.

CAVSA LATET: DVRI MAGNO SED AMORE DOLORES POLLVTO. *Duri dolores*, ὑπέρβατον est: sed expositio talis est, Ignorabant quidem causam Trojani, conjecturis tamen propius accedebant. Nam duri dolores magno amore polluto, id est læso: & notus fœminarum furor docebat Trojanos pertriste augurium, scilicet ut crederent Didonem se interemisse. Multi dicunt, DVCVNT, dilecerant; ut ad supra dictas duas causas tertia accedat. Percellebant, inquit, animos Trojanorum, quod nascebantur duri dolores amore polluto: quod notus erat fœminæ furor: quod ignem rogi videbant, id est omen navigantibus triste. Vt PERTRISTE, valde triste sit. Sed si sic intellexerimus, tertio dicto congruit tantum, non etiam superioribus: nec enim Trojani navigantes jam poterant de amore, aut de furore Didonis esse solliciti.

DONATI.

ATROS AQVILONE. At qui non est aptus ex Africa in Italiam navigantibus: sed vel posuit speciem pro genere: vel navigabat Aquilone, quia ex secundo Iovis præcepto statuerat, Carthaginem relinquere, quocunque ferrent venti, ut etiam Aquilone flante, enavigaret quo illi ferrent.

VARIORVM.

Hunc librum Turneb. explicat integris capitibus, lib. 14. cap. 4. & lib. 26. cap. 17.

FLVCTVSQVE ATROS. Turneb. lib. 26. cap. 28. Mercur. lib. 3. Var. cap. 13.

Polluto,

Digitized by Google

Polluto, notumque furens quid fœmina possit;
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Vt pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique, & undique cælum:
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis:
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non si mihi Iupiter author

SERVII.

TRISTE PER AVGVRIVM. Quidam augurium pro conjectura accipiunt; sed in quarto libro relatum est duplici modo diras fieri, aut in signis, aut quocunq; modo, aut quacunq; parte. Sed de signis diram fieri, in tertio de arpyiis & in quarto de Didone significatum est: nunc quocunque modo diram fieri sic ostenditur; cum facit Ænean ex Africa navigantem flammam è rogo Didonis adtendere, dixit enim, *Quæ tantum accenderit ignem Causa latet*, usque, *pectora ducunt*. Cùm enim dat ubique Æneæ augurriorum peritiam, ostendit scisse eum etiam hæc signa inter diras referri*, quod verum fuisse declarat secuta tempestas. TEVCRORVM PECTORA DVCVNT. Sicut dictum est propter visas flammas rogales quæ malum navigantibus omen efficiunt, & Trojani auguriorum periti sunt, nam neque ad Italiam veniunt, & mox naves incendio amittunt.

RATES. Pro navibus abusive posuit.

OCCVRRIT TELLVS. Iocunde occurrit; è contrario, *Terræque urbesque recedunt*. MARIA VNDIQVE ET VNDIQVE COELVM. Ecce vere nunc est medium mare.

OLLI. Aut tunc: aut illi. SVPRA CAPVT. Periculosus, inevitabilis, mortifer. Nec enim simpliciter dictum est, cum omnis imber super caput sit.

NOCTEM. Tenebras, hyemem, tempestatem: Græci enim χειμῶνα, & non solum anni tempus, sed & tempestatem significant. INHORRVIT VNDA TENEBRIS. Hoc est & noctis, & nubium.

IPSE GVBERNATOR. ἐμφατικῶς hoc est qui debuit esse solatio. PVPPI AB ALTA. Subaudis, HÆC AIT.

QVIANAM. Id est cur, & est interrogantis adverbium, quo usus est bis, hic, & in decimo, *Cœlicolæ magni quianam sententia vobis Versa retro?* NIMBI. Pro nubes.

COLLIGERE ARMA IVBET. Vela contrahere, non penitus deponere. Nam dicit, *Obliquatque sinus in ventum*.

OBLIQVATQVE SINVS IN VENTVM. Contra eam partem qua venti flabant, & eleganter per totum, gubernatorem ostendit ante omnia tentare, quam ad confessionem descendat.

MAGNANIME ÆNEA. Fortissime, & est epitheton sumptum ex tempore, hoc est qui non consternaris: Sic in quarto ubi nuptias facturus est, ait *ipse ante alios pulcherrimus omnes*. IVPPITER AVCTOR. Aut nostræ navigationis, aut secundum usum loquutus est: nec si hujus rei auctorem se Iuppiter faciat. Et multi quærunt quomodo auctor Iuppiter, cum Apollini dicat, *Tot maria intravi duce te*. Sed legimus, *Quæ Phœbo pater omnipotens*: sed nunc specialiter navigantibus ex Aphrica auctor est Iuppiter.

DONATI.

OCCVRRIT. Impatientiam cupientis gratulari significat.

VARIORVM.

PELAGVS TENVERE RATES. Vbi altum tenuere procul à littore provectæ: id enim *pelagus* est. argumento sunt pisces pelagii, qui opponuntur littoralibus. TVRNEB. lib. 14. cap. 4.

CÆRVLEVS SVPER CAPVT IMBER. Crediderim hic *cæruleum* Græcorum more, pro atro poni, ἠ καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Id est, cæruleis superciliis, quod valet nigris, consensu Græcorum Grammaticorum. TVRNEB. lib. 15. cap. 4.

IPSE GVBERNATOR PALINVRVS. ἐμφατικῶς IPSE, optimus, omniumque peritissimus gubernator. Nec ab re pronomen *ipse*, additum est, quod ἔμφασιν habet; cum scilicet ad magnitudinem tempestatis exaggerandam, tum ad navigationis desperationem apertius declarandam. Nam ubi de re quapiam aliquis ipsius peritissimus desperat, ibi alius imperitior sperare non debet. NASCIMB.

COLLIGERE ARMA IVBET. Contrahere vela & breviari. Imitatione Græca dixit, quibus ὅπλα etiam armamenta sunt & vela, ut notat Turneb. lib. 19. cap. 29.

OBLIQVATQVE SINVS. *Obliquare sinus*, est velum obliquum tendere; quod fecit necessario Palinurus, cum transversim venti flarent: sequitur enim, mutati transversa fremunt. Turneb. lib. 14. cap. 4.

Spon-

Digitized by Google

Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.
Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. ſuperat quoniam fortuna ſequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. nec littora longe
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.
Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos
Iamdudum, & fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an ſit mihi gratior ulla,
Quoque magis feſſas optem dimittere naveis,

SERVII.

HOC COELO. Hoc eſt aëre. *In hoc cælo qui dicitur aër.* Sicut Lucretius poſuit.

MVTATI TRANSVERSA FREMVNT. Id eſt, hinc atque hinc, quod ex tranſverſo; Varro de ora maritima: *Nihil enim venti, ut docti dixerunt, niſi aër multus fluens tranſverſus.* Eſt autem adverbium factum de nomine: ut, *Cunctatur & amnis Rauca ſonans.* Item, *Et pede terram crebra ferit.* Nomen & adverbium plerunque in ſe tranſeunt: ut, *Torvumque repente clamat*, id eſt torve. Item adverbium in nomen: ut, *Dum mane novum*: & accepta declinatione factum eſt nomen. Sic Perſius, *Iam cras heſternum, heu conſumpſimus, ecce aliud cras.* Sed nomen cum adverbium eſſe cœperit, fit indeclinabile: adverbium cum nomen eſſe cœperit, declinatur. Vnde ait Plautus, *A mani uſq; ad veſperum.* A mani autem propter tetraptoton dixit. Cum enim in alienum jus tranſeunt hæ partes, non ſuis, ſed earum ad quas tranſierint, utuntur poteſtatibus, in declinatione duntaxat. Nam temporum ſuorum rationem reſervant: ut hoc loco TRANSVERSA, cum adverbium ſit, A tamen brevis eſt: quia venit ex nomine, licet duæ conſonantes ſequantur, cum ſciamus A terminata adverbia longa eſſe, ut paulo poſt, *Et fruſtra cerno te tendere contra.* ET VESPERE AB ATRO. Id eſt ab occidente nubibus confuſo, hoc eſt quo tendimus: nec enim ſine ratione poſt generalitatem addidit ſpeciem. Quidam autem ideo *atro* dicunt, quia ubi dies occidens, atra omnia facit, id eſt noctem.

IN NVBEM COGITVR AER. Nubes enim, aëris denſitas facit: ut, *Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat*: Contrario, *Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.*

NEC NOS OBNITI CONTRA. [illegible]. Sufficiebat enim aut obniti, aut contra niti. TENDERE. Pro contendere Aphæreſis eſt. TANTVM. Aut quantum adverſa tempeſtas valet, aut TANTVM pro in tantum, ut, *Quid tantum inſano juvat indulgere labori.*

SVFFICIMVS. Hic ſimpliciter, alibi ſubminiſtrare ſignificat: ut, *Sufficit humorem, gravidas cum vomere fruges.* SEQVAMVR. Fortunam ſcilicet.

QVOQVE VOCAT VERTAMVS ITER. Videtur bis idem dixiſſe. NEC LITTORA LONGE. A facili, & deeſt *eſſe.*

FIDA. Propter Aceſtis affinitatem. FRATERNA ERYCIS. Propter Erycem Butæ & Veneris filium: ſecundum alios, Neptuni & Veneris regem Siciliæ, unum ſicut dicitur de numero Argonautarum. SICANOS. Corripuit SI, alibi producit: ut, *Sicanio prætenta ſinu.*

RITE MEMOR SERVATA REMETIOR ASTRA. Si rite remetior aſtra, paulo ante ſervata: ſcilicet ante tempeſtatem. Colligit autem vicinitatem ex ratione curſus, qui á peritis, horis colligitur, quas indicant aſtra.

IAMDVDVM. Non tantum heroicum eſt quod dant Æneæ gubernandi ſcientiam: ſed etiam ad prœconomiam pertinet. Dicturus enim eſt, *Et ipſe ratem nocturnis rexit in undis.* FRVSTRA CERNO TE TENDERE CONTRA. Ad illud reſpondit. *Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus:*

FLECTE VIAM. Ex re mira nata declamatio. In terra enim à via deflectimus nos: in mari ipſam deflectimus viam. Non ergo velorum viam, ſed per vela ipſius curſus viam dixit: *Flecte* autem ſignificat muta, ut, Pacuvius, *Quæ meum veniens flexit ſocium pectora*, & hic ad illud reſpondit, *Quoque vocat vertamus iter.*

FESSAS NAVEIS. Pro nos feſſos. Vel FESSAS, quaſſas, nec ad plenum refectas. DIMITTERE. Pro immittere.

VARIORVM.

SVPERAT QVONIAM FORTVNA SEQVAMVR. Fortunam. vel *ſequamur* pro obſequamur: ut modo *tendere*, pro contendere. In rebus agendis ſi major vis interveniat, hanc conſentiendo potius quam reluctando vincamus, & æquum cenſeamus, ut homini placeat, quicquid placuit Deo. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturn. TAVB.

REMETIOR ASTRA. Venuſte *remetior* dixit, ut qui alias etiam aſtra menſus fuerat, ad Aſtrologorum morem alludens, qui numeris, argumentis, nec non inſtrumentis aſtra metiuntur. NASCIMB.

SIC POSCERE. y. Pro velle. Brodæus lib. 9. Miſc. 20.

Polluto, notumque furens quid fœmina possit;
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Vt pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique, & undique cælum:
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis:
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non si mihi Iupiter author

SERVII.

TRISTE PER AVGVRIVM. Quidam augurium pro conjectura accipiunt; sed in quarto libro relatum est duplici modo diras fieri, aut in signis, aut quocunq; modo, aut quacunq; parte. Sed de signis diram fieri, in tertio de arpyiis & in quarto de Didone significatum est: nunc quocunque modo diram fieri sic ostenditur; cum facit Ænean ex Africa navigantem flammam è rogo Didonis attendere, dixit enim, *Quæ tantum accenderit ignem Causa latet*, usque, *pectora ducunt*. Cùm enim dat ubique Æneæ auguriorum peritiam, ostendit scisse eum etiam hæc signa inter diras referri*, quod verum fuisse declarat secuta tempestas. TEVCRORVM PECTORA DVCVNT. Sicut dictum est propter visas flammas rogales quæ malum navigantibus omen efficiunt, & Trojani auguriorum periti sunt, nam neque ad Italiam veniunt, & mox naves incendio amittunt.

RATES. Pro navibus abusive posuit.

OCCVRRIT TELLVS. Iocunde occurrit; è contrario, *Terræque urbesque recedunt*. MARIA VNDIQVE ET VNDIQVE COELVM. Ecce vere nunc est medium mare.

OLLI. Aut tunc: aut illi. SVPRA CAPVT. Periculosus, inevitabilis, mortifer. Nec enim simpliciter dictum est, cum omnis imber super caput sit.

NOCTEM. Tenebras, hyemem, tempestatem: Græci enim χειμῶνα, & non solum anni tempus, sed & tempestatem significant. INHORRVIT VNDA TENEBRIS. Hoc est & noctis, & nubium.

IPSE GVBERNATOR. ἐμφατικῶς hoc est qui debuit esse solatio. PVPPI AB ALTA. Subaudis, HÆC AIT.

QVIANAM. Id est cur, & est interrogantis adverbium, quo usus est bis, hic, & in decimo, *Cælicolæ magni quianam sententia vobis Versa retro?* NIMBI. Pro nubes.

COLLIGERE ARMA IVBET. Vela contrahere, non penitus deponere. Nam dicit, *Obliquatque sinus in ventum*.

OBLIQVATQVE SINVS IN VENTVM. Contra eam partem qua venti flabant, & eleganter per totum, gubernatorem ostendit ante omnia tentare, quam ad confessionem descendat.

MAGNANIME ÆNEA. Fortissime, & est epitheton sumptum ex tempore, hoc est qui non consternaris: Sic in quarto ubi nuptias facturus est, ait *ipse ante alios pulcherrimus omnes*. IVPPITER AVCTOR. Aut nostræ navigationis, aut secundum usum loquutus est: nec si hujus rei auctorem se Iuppiter faciat. Et multi quærunt quomodo auctor Iuppiter, cum Apollini dicat, *Tot maria intravi duce te*. Sed legimus, *Quæ Phœbo pater omnipotens*: sed nunc specialiter navigantibus ex Aphrica auctor est Iuppiter.

DONATI.

OCCVRRIT. Impatientiam cupientis gratulari significat.

VARIORVM.

PELAGVS TENVERE RATES. Vbi altum tenuere procul à littore provectæ: id enim *pelagus* est. argumento sunt pisces pelagii, qui opponuntur littoralibus. TVRNEB. lib. 14. cap. 4.

CÆRVLEVS SVPER CAPVT IMBER. Crediderim hic *cæruleum* Græcorum more, pro atro poni, ἡ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Id est, cæruleis superciliis, quod valet nigris, consensu Græcorum Grammaticorum. TVRNEB. lib. 15. cap. 4.

IPSE GVBERNATOR PALINVRVS. ἐμφατικῶς IPSE, optimus, omniumque peritissimus gubernator. Nec ab re pronomen *ipse*, additum est, quod ἔμφασιν habet; cum scilicet ad magnitudinem tempestatis exaggerandam, tum ad navigationis desperationem apertius declarandam. Nam ubi de re quapiam aliquis ipsius peritissimus desperat, ibi alius imperitior sperare non debet. NASCIMB.

COLLIGERE ARMA IVBET. Contrahere vela & breviari. Imitatione Græca dixit, quibus ὅπλα etiam armamenta sunt & vela, ut notat Turneb. lib. 19. cap. 29.

OBLIQVATQVE SINVS. *Obliquare sinus*, est velum obliquum tendere; quod fecit necessario Palinurus, cum transversim venti flarent: sequitur enim, mutati transversa fremunt. Turneb. lib. 14. cap. 4.

Spon-

Digitized by Google

Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.
Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. ſuperat quoniam fortuna ſequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. nec littora longe
Fida reor fraterna Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor ſervata remetior aſtra.
Tum pius Æneas: Equidem ſic poſcere ventos
Iamdudum, & fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an ſit mihi gratior ulla,
Quoque magis feſſas optem dimittere naveis,

SERVII.

HOC COELO. Hoc eſt aëre. *In hoc cœlo qui dicitur aër.* Sicut Lucretius poſuit.

MVTATI TRANSVERSA FREMVNT. Id eſt, hinc atque hinc, quod ex tranſverſo; Varro de ora maritima: *Nihil enim venti, ut docti dixerunt; niſi aër multus fluens tranſverſus.* Eſt autem adverbium factum de nomine: ut, *Cunctatur & amnis Rauca ſonans.* Item, *Et pede terram crebra ferit.* Nomen & adverbium plerunque in ſe tranſeunt: ut, *Torvumque repente clamat*, id eſt torve. Item adverbium in nomen: ut, *Dum mane novum*: & accepta declinatione factum eſt nomen. Sic Perſius, *Iam cras heſternum, heu conſumpſimus, ecce aliud cras.* Sed nomen cum adverbium eſſe cœperit, fit indeclinabile: adverbium cum nomen eſſe cœperit, declinatur. Vnde ait Plautus, *A mani uſq; ad veſperum.* A mani autem propter tetraptoton dixit. Cum enim in alienum jus tranſeunt hæ partes, non ſuis, ſed earum ad quas tranſierint, utuntur poteſtatibus, in declinatione duntaxat. Nam temporum ſuorum rationem reſervant: ut hoc loco TRANSVERSA, cum adverbium ſit, A tamen brevis eſt: quia venit ex nomine, licet duæ conſonantes ſequantur, cum ſciamus A terminata adverbia longa eſſe, ut paulo poſt, *Et fruſtra cerno te tendere contra.* ET VESPERE AB ATRO. Id eſt ab occidente nubibus confuſo, hoc eſt quo tendimus: nec enim ſine ratione poſt generalitatem addidit ſpeciem. Quidam autem ideo *atro* dicunt, quia ubi dies occidens, atra omnia facit, id eſt noctem.

IN NVBEM COGITVR AER. Nubes enim, aëris denſitas facit: ut, *Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat*: Contrario, *Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.*

NEC NOS OBNITI CONTRA. κατ' ἰδίαν. Sufficiebat enim aut obniti, aut contra niti. TENDERE. Pro contendere Aphæreſis eſt. TANTVM. Aut quantum adverſa tempeſtas valet, aut TANTVM pro in tantum, ut, *Quid tantum inſano juvat indulgere labori.*

SVFFICIMVS. Hic ſimpliciter, alibi ſubminiſtrare ſignificat: ut, *Sufficit humorem, gravidas cum vomere fruges.* SEQVAMVR. Fortunam ſcilicet.

QVOQVE VOCAT VERTAMVS ITER. Videtur bis idem dixiſſe. NEC LITTORA LONGE. A facili, & deeſt *eſſe.*

FIDA. Propter Aceſtis affinitatem. FRATERNA ERYCIS. Propter Erycem Butæ & Veneris filium: ſecundum alios, Neptuni & Veneris regem Siciliæ, unum ſicut dicitur de numero Argonautarum. SICANOS. Corripuit SI, alibi producit: ut, *Sicanio pretenta ſinu.*

RITE MEMOR SERVATA REMETIOR ASTRA. Si rite remetior aſtra, paulo ante ſervata: ſcilicet ante tempeſtatem. Colligit autem vicinitatem ex ratione curſus, qui á peritis, horis colligitur, quas indicant aſtra.

IAMDVDVM. Non tantum heroicum eſt quod dant Æneæ gubernandi ſcientiam: ſed etiam ad prooeconomiam pertinet. Dicturus enim eſt, *Et ipſe ratem nocturnis rexit in undis.* FRVSTRA CERNO TE TENDERE CONTRA. Ad illud reſpondit. *Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus.*

FLECTE VIAM. Ex re mira nata declamatio. In terra enim à via deflectimus nos: in mari ipſam deflectimus viam. Non ergo velorum viam, ſed per vela ipſius curſus viam dixit: *Flecte* autem ſignificat muta, ut, Pacuvius, *Quæ meùm veniens flexit ſociûm pectora*, & hic ad illud reſpondit, *Quoque vocat vertamus iter.*

FESSAS NAVEIS. Pro nos feſſos. Vel FESSAS, quaſſas, nec ad plenum refectas. DIMITTERE. Pro immittere.

VARIORVM.

SVPERAT QVONIAM FORTVNA SEQVAMVR. Fortunam. vel *ſequamur* pro obſequamur: ut modo *tendere*, pro contendere. In rebus agendis ſi major vis interveniat, hanc conſentiendo potius quam reluctando vincamus, & æquum cenſeamus, ut homini placeat, quicquid placuit Deo. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturn. TAVR.

REMETIOR ASTRA. Venuſte *remetior* dixit, ut qui alias etiam aſtra menſus fuerat, ad Aſtrologorum morem alludens, qui numeris, argumentis, nec non inſtrumentis aſtra metiuntur. NASCIMB.

SIC POSCERE. Pro velle. Brodæus lib. 9. Miſc. 20.

Quam quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
Hæc ubi dicta, petunt portus, & vela secundi
Intendunt Zephyri: fertur cita gurgite classis,
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis
Adventum, sociasque rateis, occurrit Acestes,
Horridus in jaculis, & pelle Libystidis ursæ:
Troia Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces, & gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

SERVII.

DARDANIVM ACESTEN. Vt & supra diximus, Hippotes filiam suam Egestam ne ad cetos religaretur, superposuit naviculæ, & misit quo fors tulisset. Quæ delata ad Siciliam, Crinisus fluvius concubuit cum ea conversus in canem, unde Acestes natus est. Vel, ut quibusdam videtur, Egestus: hujus rei ut esset indicium, nummum effigie canis percussum Siculi habuerunt. Alii dicunt Laomedontem regem Trojanorum cum graviter cives sui ab eo ceto, id est bellua marina infestarentur, propterea quod mercedem Neptuno ob fabricatos muros negasset, ad templum Iovis Ammonis scitatum misisse de mali remedio vel fine, cui cum esset responsum, ut filiam suam Hesionam belluæ offerret, & hoc à civibus facere cogeretur, fore respondit si ante eorum filias belluæ objecisset: quo facto cum plures puellæ à ceto absumptæ essent, plerique parentes filias in longinqua miserunt, ex quibus una Troja, nomine Ægesta * delata in Sicilia est, & Criniso, sicut dictum est, compressa, edidit Acesten.

Alii dicunt Laomedontem cum sicut narratum est, propter filiam suam seditionem à civibus pertulisset, unum de Trojanis auctorem seditionis occidisse, filiasque ejus mercatoribus exponendas dedisse, à quibus illæ in Sicilia prope Crinisum amnem relictæ sunt, quarum ille una in canem conversus compressa* quidam dicunt Ægestam reversam in matrimonium à Capye ductam ex quibus Anchisen natum. SERVAT. Hic tenet: ut, *Tantas servabat filia sedes.* vel certe *servat*, habet.

GREMIO COMPLECTITVR OSSA. Quasi de matre dixit, & quæritur cur hoc Palinurus, cum ad Siciliam suaderet, *divertere* non dixerit, nisi forte quod luctus Ænean noluerit admonere, propter quod ante Æneas causa mortis paternæ Siciliam oram inlætabilem dixerit.

SECVNDI ZEPHYRI. Quomodo si tempestas est, sed post conversionem navigii secundi.

ET TANDEM. Vacans particula est TANDEM: ut, *Et quo sub cælo tandem:* nam cur tandem cum dicat, *Fertur cita gurgite classis*: aut *tandem*, ideo quia navigantibus etiam cita navigatio tarda videtur, aut tandem periculis liberati. LÆTI. Qui in tempore tempestate caruissent. NOTÆ. Notæ harenæ, ad notam harenam, & utrum *notæ*, dulci? an quia jam ibi fuerant? ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum.*

EXCELSO. Vtrum αὔξησις, an ex *celso* pro excelso. MIRATVS. Is qui mirabatur: aut certe miratus occurrit. Et bene temperato usus est verbo, ne videretur, aut quasi inhospitalis dolere, aut exultare voti nescius Trojanorum.

HORRIDVS. Terribilis. IN IACVLIS. In hastis, Ennius, *Levesque sequuntur in hastis.* LIBYSTIDIS VRSÆ. Aut re vera ursæ; aut feræ Africanæ, id est leonis aut pardi.

NON IMMEMOR. Liptotes figura.

GRATATVR. Quidam *gratatur* non gratulatur, sed lætatur accipiunt, ut quod ad Trojanorum votum pertinet doluerit * ad Siciliam reversos, quod ad suum animum gaudeat. Pacuvius in Hermiona. Hoc verbum posuit: *Ibo, atque dicam frequentes ut eant gratatum hospiti.* Accius Pelopidis, *Nec tibi me in hac re gratari decet*, quidam tamen reprehendunt quod penitus non dederit verba Acesti gratulanti. REDVCES. Salvos alibi, *Vt reduces illi ludant.* GAZA AGRESTI. Opibus rusticanis. Nam gaza omnis fructus est.

DONATI.

ET PELLE. Refert habitum paternum. erat enim natus ex fluvio: & fluvii pene nudi, sine ambitione vestium pinguntur.

AGRESTI. Sunt epulæ de quibus ait in Bucolicis: *Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles & pressi copia lactis.* His addere possumus ova & herbas.

VARIORVM.

ET PATRIS ANCHISÆ. Ex Lucretio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn.

ADVENTVM, SOCIASQVE RATES. Ex more Romanorum: qui fœdere & amoris charitate sibi conjunctos, *socios* appellabant. NASCIMB.

ET PELLE LIBYSTIDIS Lipsius Elect. lib. 2. cap. 4. vult hic Virgilium intellexisse, pellem non ursinam, sed leoninam; quoniam ursus Numidicus, seu ursa Libyca veteres Romani dixerint, pro leone; sicut pantheras, mures Africanos, &c. PONTAN.

Poste-

Digitized by Google

Postera cum primo stellas oriente fugarat
Clara dies: socios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à sanguine divûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.
Iamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dii voluistis) habebo.
Hunc ego Getulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus, & urbe Mycenæ:

SERVII.

STELLAS FVGARAT. Poëtice dixit. Nam si *stellæ* ab stando dictæ sunt, quia non fugantur. Semper enim fixæ sunt præter planetas. Et est indicativus modus pro conjunctivo cum fugasset tempestates.

CLARA DIES. Ad comparationem.

ADVOCAT ÆNEAS. Advocata enim proprie concio dicitur. DARDANIDÆ MAGNI. Frequenter, ut diximus, ad opus suum Virgilius aliqua ex historia derivat. Nam sic omnia inducit, quasi divini honores solvantur Anchisæ, quod constat Iulio Cæsari tribuisse Augustum. Et bene dicit, *Genus alto à sanguine divum.* nam per tacitam œconomiam ostendit debere Anchisen generis sui honorem mereri. Vnde est, *Diis genite & geniture deos.*

A SANGVINE DIVVM. Divum & deorum indifferenter plerunque ponit poëta: quanquam sit discretio, ut *deos* perpetuos dicimus: *divos* ex hominibus factos, quasi qui diem obierint. Vnde *divos* etiam imperatores vocamus. Sed Varro & Atteius contra sentiunt, dicentes *divos* perpetuos: *deos*, qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt dii manes, quod tangit in duodecimo dicens, *Diva deam stagnis, quæ fluminibusque sonoris Præsidet.*

ANNVVS ORBIS. Quia menses in sese recurrunt, & annum faciunt. Vnde & annulus quasi annuus dictus. Sic alibi, *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

DIVINI. Aut laus est: ut, *Divini opus Alchimedontis.* Aut re vera *divini*, nam ait, *Genitor mihi talia namque, Nunc repeto, Anchises, fatorum arcana reliquit.* Multa enim antiqua lectio, Anchisen futurorum scientem concelebrat. aut *Divini*, id est dei, quia apud Romanos defunctorum parentes Dei à filiis vocabantur.

MOESTAS ARAS. Aut ipsi mœsti, aut medium se præbet. Nam & hominem fuisse novit, & vult eum ex consecratione numen effectum. Nam mœstas aras ad hominem pertinet; id est diis manibus consecratas. Et quod paulo post dicit, *Altaria linquit:* vult esse divinitatis post apotheosin, posteaquam deus confirmatus est. Vnde est, *Et adytis*: quæ templorum sunt. & *Successit tumulo*: quod est hominis.

NISI FALLOR. Non quasi nescius dixit: sed propter anni confusionem, quæ erat apud majores. Nam ante Cæsarem qui nobis anni rationem composuit, quam hodieque servamus, intercalabantur dies: ut etiam in Verrinis legimus, scilicet Lunæ non congruente ratione. Annum autem primo Eudoxus: post Hipparchus: deinde Ptolomæus, ad ultimum Cæsar deprehendit. ACERBVM. Propter perditum patrem.

HONORATVM. Quia deus effectus est. SIC DII VOLVISTIS. Vt in tertio, *Visum superis.* Semper enim de diis salva veneratione conqueritur; Sane subaudiendum *extrinsecus.*

GETVLIS AGEREM SI SYRTIBVS. Si in Getulis Syrtibus agerem, id est essem. Et bene aut desertos, aut hostiles commemorat locos. Sane multis modis hoc loco ludos fieri debere dicit. à necessitate. *Hunc ego Getulis*, &c. ab opportunitate, *Nunc ultro ad cineres ipsius.* Vt & præmiis invitet, *Bina boum vobis Troja* &c. deinde genera certaminum, *Quive pedum cursu valet*, &c. & orationem auspicato concludit, dicendo, *Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.* EXVL. Extra solum suum.

ARGOLICOVE MARI. Ionio & Adriatico.

DEPRENSVS. Occupatus, & proprie navigantium est: ut *Deprensis olim statio tutissima nautis.* VRBE MYCENÆ. Græce dixit. Vnde singularem numerum posuit. Mycenæ autem sicut Thebæ. Iuvenalis, *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.* Vt sit Mycene Mycenes: ut Agaue Agaues, Potest exinde Latinam fecisse declinationem: numerum posuit pro numero, Mycenæ autem, Mycena hujus Mycenæ: ut Fidena, & est Periphrasis Vrbe Mycenæ, id est Mycenis: ut, *Vrbem Patavi.*

VARIORVM.

ANNVVS EXACTIS COMPLETVR. Alludere videtur Poëta ad ritus Græcorum, in Italiam quoque derivatos, circa honorationem parentum, quos lib. de leg. δ. exequitur Plato; edicens, non tantum viventibus parentibus meritos reddi honores. & ut prima & antiquissima nomina persolvi; sed & mortuis rite justa rependi, & annuis libationibus eorum memoriam renovari: quas etiam in hunc diem pie imitari videmur anniversariis sacris, p'acamentis & cenotaphiis. GERMAN.

Annua vota tamen, solenneisque ordine pompas
Exequerer, struueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius & ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm
Adsumus, & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:
Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naveis: adhibete Penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.
Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,

SERVII.

ANNVA VOTA TAMEN SOLENNEISQVE. Hæc quasi numini. Et vota nove funebre sacrificium dixit, id est ludos funebres, cum vota rerum secundarum sint.

SVIS DONIS. Congruis, aut certe debitis. Sunt enim tantum superorum: munera sunt inferorum: ut in Bucolicis, *Phœbo sua semper apud me Munera sunt lauri, & suave rubens hyacinthus.* Paris autem altari quæ superorum deorum sunt, & hoc ideo quia Anchises jam deus est. NVNC VLTRO. Argumentum à minore ad majus. Vltro autem, aut ultra, id est insuper, hoc est amplius numina præstiterunt. aut ultro, id est sponte sua, non optantibus, vel volentibus nobis. Vult enim ob hoc tempestatem ortam, non ut ab Italia depellerentur: sed ut sacra renovarentur Anchisæ.

SINE NVMINE DIVVM. Sine voluntate & sine auctoritate.

INTRAMVS. Pro intravimus.

CELEBREMVS HONOREM. Quomodo lætum honorem? an pro nos læti? & *honorem* dixit non exsequias. Nam & ventos quasi à numine vult petere. Et eum deum ubique memorat cum in subsequentibus etiam vino libarit, aut quod mortuis non licebat.

POSCAMVS VENTOS. Vtrum tum, id est tum Deinde petamus ventos, & utrum à diis, an ab Anchise quem deum per templa commemorat.

POSITA. Constituta; ut, *Et posuere in montibus urbem Pallantis proavi de nomine Pallanteum,* Dicit autem, Petamus etiam hoc, ut velit nos sibi sacra persolvere. & bene sacra tanquam de deo, & urbe posita, hoc est non quasi exules & vagi.

IN NAVEIS. Per naveis. IN enim multa significat, ut diximus supra.

QVOS COLIT HOSTES ACESTES. Non ait Siculos, Sed quos Acestes incolit.

SI NONA DIEM MORTALIBVS ALMVM. Aut pro confirmativa posita est, ut, *Vestro si munere tellus*, ut sit *si*, pro *cum*, id est cum venerit, aut Si pro dubitativa est, ut accipiamus almum, serenum, id est Si dederit diem serenum, & talem, qualis ludis aptus est. Ergo non de die qui certus est dubitat; sed de serenitate. Vnde paulo post, *Serena jam luce.* Et sciendum: quia apud majores ubi quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur. Vnde est, *Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro*, & illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur. Vnde Horatius, *Novemdiales dissipare pulveres.* Vnde etiam ludi qui in honorem mortuorum celebrabantur *novendiales* dicuntur. Sciendum quia etiam domi suæ sepeliebantur: unde orta est consuetudo, ut dii penates colantur in domibus. Nonnulli tamen Si, pro quando accipiunt.

DONATI.

NONA DIES. Præscripsit tempus ludorum, si tantum aëris temperies esset: & id ipsum nec nimis propinquum, ut posset præparari celebritas: nec nimis longinquum, ne haberet diutinæ expectationis tædium. ALMVM. Tranquillum debemus accipere. Edixit autem ludos non impudicos, ut Mimi sunt, sed fortes & quibus virtutes in homine accenduntur.

VARIORVM.

VRBE VELIT POSITA. Turneb. lib. 26. c. 17.

SI NONA DIEM, &c. Erant sacra novendialia, Græcis ἔννατα, quibus sepulchro reliquiæ solebant condi: dabantque operam ut moles tum sepulchri perfecta esset. Illo quoque die claris viris, ac pueris dabantur ludi funebres. Ea de caussa novendiales dissipare pulveres dixit amarè, Horat. Ode 17. Epod. quod quo die religiose solebant coli mortui, sacris & ludis, venefica impie & scelerate eorum cineres solita esset dissipare, & eorum busta violare, qui justis perfectis consecrati videbantur. Vid. Turneb. lib. 24. cap. 27. Tum & novenarius numerus Poëtis religiosus est, à quo Nundinæ & Trinundinus dies, & præsertim ab Homero observatus, ut in illud Iliad. 6. ἐννέα δὲ σφεας κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον. GERM.

Pri-

Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.
Quique pedum curſu valet, & qui viribus audax;
Aut jaculo incedit melior, levibuſque ſagittis;
Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu:
Cuncti adſint, meritæque exſpectent præmia palmæ.
Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto:

SERVII.

PRIMA. Revera *prima*. Nam cætera non eo quo dicit editurus eſt ordine. Ergo ἀναγκάλωθεν.

QVIQVE PEDVM. Id eſt hinc, vel inde. VIRIBVS AVDAX. Hoc ad omnia pertinet. Et poteſt non ſubdiſtingui, quamvis quidam luctationem accipiant, quod non reddidit.

AVT IACVLO INCEDIT MELIOR, LEVIBVSQVE SAGITTIS. Id eſt jactu velocium ſagittarum: ut vacet VE. Sic iſta junxit in nono, *Inſidiis jaculo & longe fallente ſagitta*. Id eſt jaculo longe fallentis ſagittæ. Nam non exhibuit jaculatores. Aut notandum quod jaculatores promiſit, nec exhibuit. MELIOR. Comparativum pro abſoluto, ſed in uſu jam, & pro abſolutis accipiuntur.

CRVDO CÆSTV. Aut crudeli, aut duro. Vt ſit ſimpliciter dictum quod ex corio duro ſint cæſtus, aut per diphthongon, pugilum arma ſignificat. habet etiam pluralem numerum, & eſt quartæ formæ. Nam ceſtus ceſti numeri tantum ſigularis, ſine diphthongo, balteum Veneris ſignificat.

PRÆMIA PALMÆ. Id eſt virtutis: à præcedenti, id quod ſequitur.

ORE FAVETE. Apto ſermone uſus eſt, & ſacrificio & ludis. Nam in ſacris taciturnitas neceſſaria eſt, quod etiam præco magiſtratu ſacrificante dicebat, favete linguis, favete vocibus, hoc eſt bona omina habete, aut tacete: In ludis quoque neceſſarius favor eſt, quem propter plauſum futuris ſpectatoribus dicit. Favet autem ore quis per taciturnitatem. Horatius poſuit, *Favete linguis carmina non prius audita muſarum Sacerdos*. CINGITE TEMPORA RAMIS. Ex Romano more. Nam feſtis ludis omnis ætas coronata ſpectabat, quod oſtendit per Æneam, Aceſtem, Aſcanium: per quos omnem demonſtrat ætatem.

MATERNA MYRTO. Vel quaſi filius, vel quaſi Veneris ſacrificaturus marito. Et quia dixerit *ramis* ſuperius, ipſe reddidit cum dicit *myrto*. Vnde autem myrtus Veneri dicata eſt? Fabula autem talis eſt, Myrrha Cinyræ filia cum adamaſſet patrem, & ejus ſe ſtupro nocturnis horis captata ebrietate paterna ſubjeciſſet, gravidaque eadem eſſet facta, prodito inceſto cum patrem inſequentem ſe ſtricto gladio fugeret, in arborem verſa eſt: quæ cum infantem quem intra uterum habuerat etiam in cortice retineret, percuſſa, ut quidam volunt à patris gladio, ut quidam ab apro, parvulum edidit. quem educatum Nymphæ Adonem appellaverunt; hunc Venus vehementiſſime dilexit. & cum ira Martis ab apro eſſet occiſus, ſanguinem ejus vertit in florem, qui nunquam vento decuti dicitur: Arborem quoque myrtum ex qua puer natus fuerat, tutelæ ſuæ adſcripſit: quamvis alii dicant ideo myrtum Veneri dicatam, quia cum è mari exiſſet ne nuda conſpiceretur, conlatuit in myrto, vel quia fragilis eſt arbor ipſa, ut amor inconſtans, vel quia jucundi odoris, ut, *Sic poſitæ quoniam ſuaveis miſcetis odores*. Eclog. 2.

DONATI.

SPECTET. Vel videat, vel ſperet. MERITÆ. Præmonet quod recto judicio attribuetur palma.

ORE FAVETE. In ſacris hoc ſignificat inducere ſilentium. Hic vero admonet, ut lætis clamoribus favorem accommodent.

VARIORVM.

PONAM CERTAMINA. Ita & Græci dicunt ἆθλα τιθέναι & κατατίθεσθαι: unde & ἀγωνοθέται certaminum deſignatores, & βραβευταί, qui præmia certaminis ſtatuunt. TAVBMAN.

CRVDO COMMITTERE CÆSTV. Erant autem *cæſtus*, lora, quibus pugilum brachia & manus innectebantur: ut ſi qui hodie pugillatu decertare vellent, chirotecis manus munirent, quo & firmiorem ictum inferrent, neque manum læderent, & ſine noxa ſuſtinerent adverſarii petitionem. *Cæſtus* ex eo vocatus, quod lora illa ſuta eſſent; quaſi ſit κεστὸς ἱμὰς, id eſt ſutile lorum. Turneb. lib. 14. c. 4. Scalig. lib. 1. cap. 12. Poët.

ORE FAVETE OMNES. Propert. 4. *Sacra facit vates, ſint ora faventia ſacris*. Hoc verbum non ut plerique exiſtimant à favore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla voce mala obſtrepente. GERMAN.

MATERNA TEMPORA MYRTO. Non eſt, quod quiſquam præter decorum Myrtum Auguſto à Marone attributum putet, ut Cypriam, imbellem, nec ſatis Imperatoriam arborem, quam Veneri quidem Æneadum genitrici ſacram conſtet, ex Plinio lib. 15. Quin & Myrtus bellicis quoque rebus ſe inſeruit. Eſt enim Plinius auctor, Poſthumium Tubertum in Conſulatu (qui primus omnium ovans ingreſſus urbem eſt, quoniam rem leniter ſine cruore geſſerat) myrto Veneris victricis coronatum inceſſiſſe, optabilemque arborem etiam hoſtibus feciſſe: hinc poſtea ovantium coronam fuiſſe. Cæterum *maternam Myrtum* dixit, in gratiam Iuliæ familiæ, quæ à Venere originem duxit, ut & venuſtum, hoc eſt ἐπαφρόδιτον & felicem Auguſtum favorabiliter auguretur: quod etiam epitheton & cognomentum affectaſſe Syllam, Plutarchus eſt auctor. GERMAN.

Hoc Helymus facit, hoc avi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi; duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve sancte parens: iterum, salvete, recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.

SERVII.

HOC ELYMUS FACIT. Princeps Trojanorum, qui dicitur in Sicilia condidisse civitates Ascam, Entellam, Segestam. Alii dicunt eum post incensum Ilium, cum Aceste in Siciliam venisse, eique participem fuisse. Alii Anchisæ nothum filium tradunt habuisse Helymum regem in Sicilia genitum, Erycis fratrem fuisse dicunt. * ÆVI MATURUS. Honestius quam si ævo maturo diceret, vel certe, ævi maturi.

SEQUITUR. Imitatur, ut, *Victriciaque arma sequutus.*

RITE. Secundum ritum sacrificii, quod exigebat, ut libaret de mero aut Baccho, id est puro. CARCHESIA. Genus poculorum est. Dicitur autem & summitas mali, per quam funes trajiciunt.

HUMI. Terræ. LACTE NOVO. Aut statim mulcto: aut post fœtum, quod colostrum dicitur neutro genere. Umbræ autem sanguine & lacte satiantur, unde fœminæ quæ mortuos persequuntur ubera tundunt, ut lac exprimant. Cuncti autem se lacerant, ut sanguinem effundant. SANGUINE SACRO, Victimarum: ut diximus supra. Et notandum quia partim quasi mortuo pari numero sacrificat: partim impari, quasi deo: ut, *Cædit quinas de more bidentes.* Nam legimus, *Numero deus impare gaudet.*

PURPUREOSQUE JACIT FLORES. Ad sanguinis imitationem, in quo est sedes animæ. Sic in sexto, *Purpureos spargam flores.* Item, *Purpureasque super vestes velamina nota.* scilicet, ut sedis suæ cognoscat imitationem.

SALVE SANCTE PARENS. *Salve & Vale* secundum Varronem in logistoricis synonyma sunt. Unde his & in salutatione utimur, & in execrationibus: ut, *Valeant qui inter nos dissidium volunt.* Unde etiam hæc mortuis dicimus: non quod eis optemus salutem, in quibus nulla esse potest: sed ut significemus nos sic digredi, ut ostendamus eos nunquam in nostram communionem esse venturos. Et hoc verbum *Salve*, apud auctores bonos ter enunciatum invenitur, *Salve Salve resalve ter.* ITERUM. Pro secundo, hic distinguendum: nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio *salve & vale.* RECEPTI NEQUICQUAM CINERES. Cineres pro ipso patre posuit: ac si diceret, salve pater de Trojæ periculis liberate. *Nequicquam* autem sine causa, propter quod sequitur, *Non licuit fines Italos fataliaque arva.* Alii ad historiam supradictam referunt distinctione mutata, ut dicant, Recepti iterum cineres, semel ex Troja, semel à Diomede: qui dicitur ossa ejus eruta cum Palladio reddidisse Æneæ.

NEQUICQUAM autem secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore. ANIMÆQUE, UMBRÆQUE PATERNÆ. Vocativus pluralis est. Nam Plato, & Aristoteles & omnes periti dicunt in homine quatuor esse animas: Unam *intellectualem*, per quam & cogitare, & judicare possumus. Alteram esse *sensualem*: ut in mutis animalibus, in quibus est sensus & timoris & gaudii. Esse etiam *vitalem*, ut in vermibus, qui tantum moventur. Esse etiam quartam infra omnes, quæ physice vocatur *naturalitas*: ut est in herbis & in arboribus, quæ etiam motu carent, vitam tamen habent. Nam & nascuntur, & crescunt, & pereunt. Inde est, *Atque interfice messes.* His rebus colligitur hominem harum omnium animarum esse participem. Unde & Salustius ait, *Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est.* De umbris autem facilis est probatio. Nam si quatuor sunt animæ, sequitur ut tot sint umbræ: ut si quis inter duas stet lucernas, geminam umbram creat. Hoc autem de animis etiam Lucretius asserit: sed non tantum veritati studet, quam sectæ Epicureæ. Alii ista fugientes, dicunt animæ & umbræ genitivum esse singularem: ut sit, cineres umbræ & animæ paternæ, quod non valde probandum est. Nec enim umbra, aut anima cineres habet.

DONATI.

HOC HELYMUS. Acestes & Ascanius. quia omni ætati congruebat.

ITERUM. Nam primo salutaverat, cum sepeliit. SANCTE. Ut significet inter deos receptum: nam in secundo libro, quia vivus erat, & ab eo minime divelli volebat, non *sancte* dixit, sed chare.

ANIMÆ UMBRÆQUE. Casus genitivus est in singulari.

VARIORUM.

PURPUREOSQUE JACIT FLORES. Fuit mos antiquus, floribus aspergendi tumulos. Sueton. in August. cap. 18. *Per idem tempus conditorium & corpus Alexandri cum prolatum è penetrali subjecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus est.* Plin. lib. 21. cap. 3. Possem & Græcos hac de re citare auctores, sed de re satis nota jam dicta sufficiant. Illud peculiare Græcis, quod apii coronas sepulchris imponebant: unde *apio indigere* dicebant eos, qui periculose ægrotabant. Plin. lib. 20. cap. 11. PUNTAN.

Non

Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium (quicunque est) quærere Tybrim.
Dixerat hæc; adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit;
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Cærulea cui terga notæ, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso Sole colores.
Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula serpens,
Libavitque dapes; rursusque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores;
Incertus geniumne loci, famulumne parentis

SERVII.

QVICVNQVE EST. Aut quia adhuc eum nusquam vidit, aut tædio longæ navigationis hoc dicit.

ADITIS AB IMIS. Ecce, Sicut dictum est, ubi tanquam de deo loquitur; templorum enim & deorum adita dicimus. LVBRICVS ANGVIS. Labilis. alias locum dicit: ut, *Per lubrica surgens.* Alii hoc secundum Platonem dictum volunt, qui ait animas per septem circulos ad corpora penetrare. SEPTEM INGENS GYROS. Loci genium per magnitudinem vult probare. Nullus enim sine genio locus est: qui per anguem plerunque ostenditur. Persius, *Pinge duos angues: pueri (sacer est locus) extra Meiite.* Sane hunc locum de Homero sumpsit, qui inducit Græcos apud Aulidem omen futuri decennalis belli ex serpente collegisse: qui etiam matrem consumpsit novem pullis comesis. Ita ergo nunc etiam Æneæ omen sui erroris ostenditur septem gyris. Nam septimus ei annus est finis erroris: & est optimum figmentum. Annus enim secundum Ægyptios indicabatur ante inventas literas picto dracone caudam suam mordente: quia in se recurrit. GYROS. Nomen legimus: verbum exinde non invenimus.

AMPLEXVS PLACIDE. Hoc est molliter, quiete repens, nec dixit corripuit, sed *amplexus* est.

CÆRVLEÆ CVI TERGA NOTÆ, MACVLOSVS ET AVRO SQVAMAM INCENDEBAT FVLGOR. Cæruleæ notæ, & auro maculosus fulgor, hoc est pro auri fulgor. INCENDEBAT. Id est, illustrabat.

AGMINE LONGO TANDEM. Post illos gyros tandem longo repere cœpit *Agmine*, id est impetu, tractu. SERPENS. Participium est non nomen: ac si diceret repens.

LIBAVITQVE DAPES. Leviter gustavit epulas superpositas, quæ silicernium vocantur quasi silicenium, super silicem positum.

DEPASTA ALTARIA. Altaria species ararum, depasta autem, non à se: Nam supra ait, *Libavitque dapes.* Sed hoc dicit, tam diu permansit, quan diu cuncta aris superposita sacer ignis absumeret.

GENIVMNE LOCI. Quia (ut diximus) nullus locus sine genio est. FAMVLVMNE PARENTIS. Fuit enim hæc majorum consuetudo, sicut hodie apud Indos est, ut quotiens reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi, & una de uxoribus charior circa rogum occisi incenderentur. Inter quas de hoc erat magna contentio. Possumus ergo famulum, servum sepultum cum Anchisa accipere: quem per Apotheosin deum ostendit effectum. Vnde ei famulum dat quasi ministrum. Singula enim numina habent inferiores potestates quasi ministras: ut, Venus Adonim: Diana Virbium. Aut certe secundum Pythagoram dicit, qui primus deprehendit de medulla hominis, quæ est in spina, anguem creari: quod etiam Ovidius in quintodecimo Metamorphoseon dicit, loquente Pythagora.

DONATI.

NON LICVIT. Propter quod in Tertio dixit: *Heu tantis nequicquam erepte periclis.*

AGMINE. Dixit agmen, quo naturaliter impellitur serpens. Pulchritudo & innocentia serpentis, rem cælestem, & non noxium animal, significat: propter quod magis honores restauravit.

RVRSVS. Quia inimicorum manibus fuerant effossi, & iterum sua opera conditi: quod beneficium, cum non senserit mortuus dixit: nequicquam, & bene dictum est ex persona filii, qui vivo quam mortuo beneficium præstare maluisset.

VARIORVM.

LIBAVITQVE DAPES. Notat Turnebus, hoc ad antiquorum pietatem referendum; qui partem cœnæ Lari Diisque donabant, & in focum mittebant Lari sacrum: quod *dapes libare* fuisse asserit. Huic quoque loco non omnino repugnat hæc interpretatio, quod quodammodo serpens genius famulusve Anchisæ libarit dapes, ac veluti Diis manibus sacrarit: nisi malis simpliciter accipere, pro eo quod est leviter degustavit. GERMAN.

INCERT. GENIVM. Turneb. lib. 11. cap. 12.

Esse

Esse putet. cadit quinas de more bidentes;
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris; animamque vocabat
Anchisæ magni, Manesque Acheronte remissos.
Nec non & socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt; onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos, & clari nomen Acestæ
Excierat: læto complerant littora cœtu,
Visuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio; sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus; armaque, & ostro

SERVII.

NIGRANTES TERGA. Nigra terga habentes.

MANESQVE ACHERONTE REMISSOS. Aut venientes de Acheronte ad hanc parentationem: aut certe remissos Acheronte, qui jam in Acheronte non essent post Apotheosin, *Remissos*, ut remitterentur, post divinitatis confirmationem.

QVÆ CVIQVE EST COPIA. Pro sua quisque facultate.

LÆTI DONA FERVNT. Alacres, libenter & ipsi conferunt parentationem. FVSI. Id est strati.

PHAETHONTIS. Solis, ἀπὸ τοῦ φαίνειν. Sane de Phaëtonte fabulam in decimo plenius invenies. CIRCO. Hoc est in spatioso ludorum loco.

FAMA FINITIMOS. Vtrum per se potius audienda, an & ipsa ad Acesten referenda, an subtiliter ad Æneam fama, nomen ad Acesten.

EXCIERAT. Evocaverat, invitaverat. LÆTO COETV. Pro ipsi læti. VISVRI ÆNEADAS. Potest & absolute accipi *visuri Æneadas*, potest & per syllepsin subaudiri, *certantes*. CERTARE PARATI. Hoc est parati ad certandum. LOCANTVR. Ponuntur.

SACRI TRIPODES. Sic pulchri, ut sacros putares: vel quales sacrari solent. nec enim sacrilegus erat ut sacra donaret. & sic dictum est, ut, *Dodoneosque lebetas*; quales sunt in Dodona.

ET PALMÆ PRETIVM VICTORIBVS. Zeugma utriusque lateris. Nam victoribus pretium, & ad supra dicta & ad dicenda pertinet.

DONATI.

EXPECTATA. Quasi tardius desiderantibus venisset.

VISVRI ÆNEADAS. Expressit plenissimam laudem Trojanorum: cum Siculi non solum causa ludorum convenirent.

CIRCO. Non quod esset circus, sed in formam circi.

IN MEDIO. Vt ab omnibus spectari posset.

ARMAQVE ET OSTRO PERFVSÆ VESTES. Transit ad generalitatem, ne speciatim diceret.

VARIORVM.

INCERTVS GENIVMNE LOCI. Draco siquidem sacer erat Heroibus; ut videre est apud Plutarch. in Cleom. Credo ego Poëtam hic respicere antiquam religionem, qua persuasum erat non solum locis omnibus suos esse genios, sed & personis: ut genii quodammodo hominibus famulari videantur, & non tantum nascentibus protinus adesse, sed & mortuorum oberrare & obire sepulchra. Turneb. lib. 13 cap. 12. GERMAN.

CÆDIT QVINAS DE MORE B. Sacra quædam suovetaurilia veteres appellabant, ab immolatione suum, ovium, boum. Hoc genus sacrificii puto hic Maronem significasse. TVRNEB. lib. 14. c. 4.

IN MEDIO SACRI TRIPODES. *Tripodas* hic accipimus pro lebetibus vel cacabis, tribus pedibus innixis. Constat autem ex Athenæo, duo antiquitus tripodum fuisse genera: alterum ἐμπυριβήτην, qui igni imponebatur, & eo ad balnea utebantur: alterum ἄπυρον ignis expertem, in quo vinum dilui solebat. Tales vero tripodes, qui ignis injuriam nunquam sentiunt, temperandoque vino addicti, Libero patri sacri erant, ob veritatem in ebrietate sitam, juxta illud οἶνος καὶ ἀλήθεια. Vnde & victoriæ præmium in Liberalibus proponi solebat tripus, quando & veriloquos ex Tripode locutos proverbio dicimus. Duas ergo ob causas Poëtam sacros tripodas dixisse putarim, tum ἀπύρους, ac proinde Libero sacratos; tum ἀναθηματικοὺς, qui vel ad ædium sacrarum ornatum converti possent. IVNIVS.

Per-

Perfusæ vestes; argenti, aurique talenta:
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu

SERVII.

ARGENTI AURIQUE TALENTA. Talenti, secundum varias gentes, varium pondus est: sed apud Romanos talentum est septuaginta libræ, sicut Plautus ostendit in Mustellaria, qui ait duo talenta esse centum quadraginta libras. Legimus etiam talentum esse paululum quiddam. Nam Homerus in ludis funebribus Patrocli, ultima præmia dicit duo talenta. Quod nos cogit aliquid minimum intelligere. Nam si primus victor bovem accipit, consequens non est, ut dicamus ultimum tam magnum accepisse præmium. Unde apparet talentum etiam minimum quiddam significare.

ET TUBA COMMISSOS. Romano more: sicut hodieque videmus omnibus ludis funebribus, ut sunt divorum. Nam si sacri sint, id est festi, lustrantur faculis. Ante etiam ab hymnis incipiebant. COMMISSOS CANIT.... *

PRIMA CERTAMINA. Punico bello primum naumachiam ad exercitum instituère Romani: postquam probarunt gentes etiam navali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine alludit poëta. PARES. Aut pariter, aut diversis comparabiles rebus: ut sequentia indicant, *Melior remis, sed pondere pinus.* Ordine remorum quamvis Gyæ tantummodo triremem dicit. Aut pares ita ut ante certamen videbantur. GRAVIBUS REMIS. Fortibus, ut, *Ferit ense gravem Tymbræus Osyrin.* Nam graves inferunt tarditatem.

REMIGE. Erit nominativus remix. Serenus, *Semiremex Herculis.* PRISTIN. Vel à tutela depicta, vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα: id est undas incidere à secatione fluctuum.

MOX ITALUS. Subaudis futurus. Ipse enim familiam Memmiorum constituit. Et bene laudat familias nobilium. Nam à Sergio Sergia familia fuit: à Cloantho Cloentia: à Gya Gygania, cujus non facit mentionem. Nobiles autem familias à Trojanis fuisse Iuvenalis ostendit, ut, *Iubet à præcone vocari Ipsos Troiugenas.* A QUO NOMINE. Scilicet Mnesthei. & Mnestheus sic est ut Tydeus. Nam diphthongus Græca est. MEMMI. Pro Memmiorum, genitivus singularis pro plurali, vel à quo nomine genus Ital...* Memmi..* à quo nomine genus Memmii. * genitivus singularis nominativus pluralis.

INGENTI MOLE. Motu: ut, *Magna se mole moventem.* CHIMÆRAM. Fabula ex quo hoc nomen translatum est, talis est: Bellerofontes admissa per ignorantiam cæde, profugit ad Prœtum Argivorum regem, à quo cum esset susceptus hospitio, à Sthenebœa uxore ejus adamatus de stupro interpellatus est, qui cum frequentius hoc se indicaturum Prœto minaretur, præoccupatus à Sthenebœa ipse apud Prœtum accusatus est, tanquam reginę castitatem adpetisset, quem cum Prætus ad Iovatem Lyciæ regem socerum suum cum litteris signatis, quibus præcipiebat ut puniretur misisset, Iovates Bellerofontem adversus Tympios sive Solimos, gentem ferocissimam misit, quos cum ille superasset; revertens insidias quas sibi Iovates struxerat incidit, quibus prostratis novissime missus adversus Chimæram triplex monstrum, siquidem prima pars leo erat, posterior draco, in medio caput capræ quod ignes efflabat. Hanc ille vectus Pegaso equo qui volabat, occidit. Miratus hanc constantiam Iovates filiam suam ei cum parte regni in matrimonio dedit.

URBIS OPUS. Tam magna, ut urbem putares. TRIPLICI VERSU. Omnes enim Triremes fuerunt. *Versu* autem, aut ordine, ut, *Ille etiam seras in versum distulit ulmos.* aut versu, tractu, à verrendo: ut, *Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.* Sane unus est sensus, & est Græcum, nam illi στίχον dicunt.

VARIORUM.

COMMISSOS LUDOS. Diversa spectaculorum ac ludorum genera, diversis temporibus in rempub. Rom. invecta sunt. Quorum finis partim in religione, partim in voluptate populi positum erat. Ludos inter alia cælestis iræ placamina institutos, testatur Livius lib. 7. Censorinus de die natali c. 12. Valer. lib. 2. cap. 4. & alii. lege Stevechium ad Veget. lib. 2. cap. 24.

PRIMA PARES INEUNT. Id est compositæ, seu æque omnes instructæ, remis, aliisque huic negotio aptis rebus. NASC.

AGIT ACRI REMIGE PRISTIN. Inter navium ornamenta, quæ multa & varia fuisse constat, effigies quasdam diversorum animalium à scriptoribus commemorari comperio, quæ in universum παράσημα nuncupantur, cujusmodi hæc fuisse existimare licet, à quibus navium nomina his versibus Maro sumpsit: vocat enim aliam Pristin, aliam Chimæram, aliam Centaurum. TITIUS lib. 7. cap. 4. Had. Iunius Animad. lib. 2. cap. 13.

INGENTI MOLE. Non motu, ut Servius interpretatur, sed ad navis magnitudinem refertur; hoc enim indicant sequentia, URBIS OPUS, hoc est ea magnitudine, ut urbem putares. NASC.

Impellunt; terno consurgunt ordine remi.
Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna: Scyllaque Cloanthus
Cærulea; genus unde tibi Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Littora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt ubi sydera Cori:
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, & apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt; ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent, ostroque decori.
Cætera populea velatur fronde juventus,

SERVII.

PVRES IMPELLVNT. Figura est: ut. *Pars in frusta secant.* Et sciendum inter Barbarismum & Lexin, hoc est, Latinam & perfectam elocutionem, Metaplasmum esse qui in uno sermone fit ratione vitiosus. Item inter Solœcismum & Schema, id est perfectam sermonum connexionem, figura est quæ fit contextu sermonum ratione vitiosa. Ergo Metaplasmus & figura media sunt, & discernuntur peritia & imperitia. Fiunt autem ad ornatum.

DOMVS SERGIA. Familia: ut, *Da propriam Tymbrae domum.* Et inde est Sergius Catilina. TENET. Vltra tenet, vel servat.

CENTAVRO MAGNA. Fœminini est generis, si de navi dicas: ut in Eunuchum suam, cum comœdiam diceret. Iuvenalis contra sensit, dicens, *Et in tergo necdum finitus Orestes.* Sed sciendum genera plerunque confundi, aut metri, aut hiatus causa. Sic Horatius, *Nec cupido sordidus aufert.* Cum significantes cupiditatem fœminino genere dicamus. Ipse etiam Virgilius ait, *Timidi damæ, cervique fugaces:* cum ipse secundum fidem dixerit: *Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.* At Horatius, *Et superjecto pavidæ natarunt æquore damæ.*

CÆRVLEA. Aut nigra, aut alta carina. Omne enim altum, nigrum est: ut *Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.* CLVENTI. Ad ipsum Apostropha est.

EST PROCVL. Modo nimis longe, ut & supra diximus. Sic in Bucolicis de nimia vicinitate ait, *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.* Interdum & satis longe significat.

OLIM. Tunc fere cum cori nubibus abscondunt & obruunt sydera.

TRANQVILLO. Melius septimus est quam dativus.

CAMPVS. Saxi latitudo. APRICIS. Sole gaudentibus. Sane *apricus* & locus dicitur sole calens, quod est opaco & abdito contrarium: & *apricos* dicimus locis apricis gaudentes. Virgilius, *Duceret apricis in collibus uva colorem.* Persius, *Nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes. Apricum* autem quasi *ἄνευ φρίκης*, sine frigore, inde & Aphrica quod est calidior. MERGIS. Esacus Priami filius fuit: hic se præcipitavit de muro; nec periit, & cum hoc sæpius faceret, deorum miseratione in avem versus est: quæ ad imitationem præcipitandi quasi idem facit sæpe mergendo.

FRONDENTI EX ILICE. Hæc enim arbor in tutela Iovis est, & *frondenti*, pro frondente, dativum pro ablativo.

CIRCVNFLECTERE. Bene uno sermone & profectionem complexus est, & reversionem.

LEGVNT. Eligunt.

DVCTORES. Domini navium, non gubernatores.

POPVLEA VELATVR FRONDE IVVENTVS. Hebe Græce est juventus filia Iunonis, uxor Herculis. Nunc ergo aut propter hoc juventus utitur populeis coronis: aut imitatione virtutis. Populus enim Herculi consecrata est: ut, *Populus Alcidæ gratissima.* Aut populea, quia ludi funebres sunt, & hæc arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret, nam & ipsa arbor *acherusia* vocatur.

VARIORVM.

TERNO ORDINE REMI. Turneb lib. 14. c. 4.

EST PROCVL IN PELAGO. Explic. contra Turneb. Becanus lib. 3. Hieroglyph.

VNDE REVERTI SCIRENT. In spectaculis quandoque *missus* nominabantur. Confici missum unum intellige, ubi à calce ad calcem procurrentes equi, rursus à meta circumflexa calcem repetebant. Sic vero dicitur, unde emittuntur equi. Rhodigin. lib. 8. cap. 7. Certe & Græci *ἄκρον κάμπτειν* nautice dicunt, quod Latini flectere promontorium. Et Ennius campsare promontorium, quod est, navigatione & flexu promontorium circumducere. GERMAN.

Nu-

Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis,
Intenti exspectant signum; exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque stridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm, studiisque faventum
Consonat omne nemus: vocemque inclusa volutant
Littora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primusque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. post hos æquo discrimine Pristis,

SERVII.

NUDATOS. Bene nudatos: quia veste tecti esse consueverunt. Nam NUDUM est quod nunquam tegi solet, ut facies. OLEO PERFUSA. Oleo perfusos habens.

TRANSTRIS. Et transtra dicuntur & juga, ut in sexto, *Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant.* INTENTA. Porrecta, & bene eodem sermone in diversis usus est rebus. Aliter enim brachia, aliter intendimus mentem.

EXULTANTIAQUE HAURIT CORDA PAVOR PULSANS. Hypallage omni parte pulsans pavor corda haurit, id est ferit, & exultare facit: ut, *Latus haurit apertum.*

LAUDUMQUE. Ne esset turpe quod ait *pavor.* Sane istæ sunt prolusiones bellorum. unde etiam ad tubam geruntur. Sed sciendum majoris ætatis funera ad tubam solere perferri. Persius, *Hinc tuba candelæ.* Minoris vero ad tibias: ut Statius de Archemoro, *Tibia enim teneros solitum deducere manes.*

FINIBUS OMNES. Secundum naturam ante generali usus est descriptione, venturus ad specialitatem.

PRÆCIPITES. Festinantes: ut, *Præcipites vigilate viri*, & est hyperbole. BIJUGO. Pro bigarum: nove dixit. Sane & hoc celeritatis est. Plures enim se impediunt.

CARCERE. Usurpavit. Nam carcer est numero tantum singulari, custodia noxiorum. *Carceres* vero numero tantum plurali ostia quibus equi arcentur: unde & *carceres*, quasi arceres secundum Varronem:

JUGIS. Pro equis jugalibus. UNDANTIA. Large effusa.

CONSONAT. Ideo consonat propter echo. Nostræ enim vocis est æmula: unde & RESULTANT, ait.

ELABITUR. Præcurrit celeriter: ut, *Labere nympha polo.*

TURBAM INTER. Tumultum, hoc est in ipso principio.

DISCRIMINE. Vel interstitio, vel certamine, vel cursu. Et bene variat, nunc naves, nunc ductores commemorans.

VARIORUM.

OLEO PERFUSA. Ad roborandas & conservandas vires: more luctatoribus Romæ usitatissimo. Augustus, centesimum annum excedentem interrogans, quanam maxime ratione vigorem illum animi corporisque custodiisset: respondit, *intus mulso, foris oleo.* Plin. lib. 23. cap. 24 Cælius lib. 6. cap. 6.

INTENTAQUE BRACHIA REMIS. Carrion. lib. 1. cap. 10. Emendat.

EXULTANTIAQUE HAURIT, &c. *Haurit*, pro exhaurit, & emovet corda. Subsiliunt enim pavore aut spe. Aut, Exhaurit spiritibus, in lucta illa pavoris & cupiditatis affectuum contrariorum. Scalig. lib. 4. cap. 16. Poët.

FERIT ÆTHERA CLAMOR. Iliad. ἀϋτὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν. HART.

ROSTRISQUE STRIDENTIBUS. De rostratis navibus, Turneb. lib. 12. cap. 12.

BIJUGO CERTAMINE CAMPUM. Ex Hom. Macrob. l. 5. c. 7. Saturn. Cælius l. 7. c. 38. Lect. antiq.

Centaurusque locum tendunt superare priorem:
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc una ambæ, junctisque feruntur
Frontibus, & longæ sulcant vada salsa carinæ.
Iamque propinquabant scopulo, metamque tenebant;
Cum princeps, medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum;
Littus ama, & lævas stringat sine palmula cautes:
Altum alii teneant. dixit: sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum, pete saxa Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce, Cloanthum
Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
Ille, inter navemque Gyæ, scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens;
Nec lachrymis caruere genæ: segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui, sociumque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipse gubernaclo rector subit; ipse magister:

SERVII.

PRIOREM. Inter se, hoc est tertium.

METAMQVE TENEBANT. Nauticum verbum. PRINCEPS. Modo ordinis est.

QVO TANTVM MIHI. Vacat MIHI: ut solet plerunque.

LITTVS AMA. Littus est omne quod aqua alluitur. Vnde & saxum littus vocavit. STRINGAT. Radat: ac si diceret, Hoc volo quod times. PALMVLA. Extrema pars remi in modum palmæ protenta.

ITERVM. Hoc verbum & à poëta potest dici, ut, *Iterum revocabat*: & à Gya, ut Quo abis iterum: non, iterum pete. INTER NAVEMQVE. QVE vacat.

EXARSIT IVVENI. Causa pendet ex causa. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus juventa consule Planco.*

NEC LACHRYMIS CARVERE GENÆ. Nimis irascentum est. Cicero de Verre, *Cum irasceretur, lachrymas vix interdum teneret.*

DECORISQVE SVI. Inhonestum enim est irasci, duci præsertim.

SOCIVMQVE SALVTIS. Possumus intelligere oblitus salutis suæ socium, id est gubernatorem. Possumus & socium salutis oblitus, pro sociorum, præcipitato scilicet gubernatore.

IPSE GVBERNACLO. Vt ostenderet nihil esse quod etiam ipse, qui non profusus erat, posset implere. Vt in VI, Æneid. *Cui deinde subibit.*

VARIORVM.

QVO TANDEM MIHI DEXTER ABIT. Explicat Gorop. Becanus lib 3. Hieroglyph. Vide etiam Ios. Castalionis Variar. c. 1.

LITTVS AMA. Id est secundum, seu juxta littus semper naviga, adhære littori. Sic Horat. 25. l. 1. *amatque janua limen*, id est, perpetuo ei hæret. Vnde cui hæremus, id amamus quodammodo. PONTAN.

SED CÆCA MENOETES, SAXA TIMENS. Iliad. ψ. ἰσχυρῶς ἴλω χαίνε, ἢ χειμάῤῥου ἄλλυ ὕδωρ, &c.

RADIT ITER LÆVVM INTERIOR. *Interiorem* crediderim hic qui cursu breviore ad metam tendebat, ut apud Ciceronem. *Nam cursu interiore brevi utitur orbe: cui tamen, ut sinister esset, eveniebat:* etsi non ex eo interior dicitur, sed quia propinquiore spatio & breviore ad scopulum, qui pro meta constitutus erat, pergebat. TVRNEB. lib. 14. c. 4.

EXARSIT IVVENI DOLOR OSSIBVS. Hinc occulta laus juvenis emergit, à magnitudine animi: non enim eos videris gloriæ inservire, qui sunt animo abjecto atque demisso, cum in excellentissimis duntaxat animis gloriæ cupiditas vigeat. NASCIMB.

Horta-

Digitized by Google

Hortaturque viros, clavumque ad littora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Iam ſenior, madidaque fluens in veſte Menœtes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem;
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,
Sergeſto, Mneſtheoque, Gyam ſuperare morantem.
Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina;
Parte prior, partem roſtro premit æmula Priſtis.
At media ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus: Nunc nunc inſurgite remis
Hectorei ſocii, Trojæ quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus uſi,
Ionioque mari, Maleæque ſequacibus undis.
Non jam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo:
(Quanquam, ô) ſed ſuperent, quibus hoc Neptune dediſti.

SERVII.

HORTATVRQVE VIROS. Aut ipſe dicit Celeuma. Nam hortatores dicuntur, aut id hortatur ideo quia conſternati fuerant, perdito gubernatore. CLAVVM. Fuſtem gubernaculi.

IAM SENIOR MADIDAQVE FLVENS IN VESTE MENOETES. Contra illud, quia occurrebat gubernatorem natandi peritum fuiſſe debere: addidit ſeniorem veſte madida. Et ideo gravis madida. FLVENS autem, id eſt, cui veſtis fluebat. honeſte locutus eſt: ſic Iuvenalis, *Et multo ſtillaret penula nimbo*.

RISERE NATANTEM. Vnde in ludis voluptas quæritur.

REVOMENTEM. Sæpius vomentem, vel quod diu hauſerat.

MORANTEM. Imperitia gubernantis.

ÆMVLA PRISTIS Ejuſdem rei ſtudioſa: Vt, *illo æmulo atque imitatore ſtudiorum meorum*: Cicero in Cæſarianis. Alias inimicum ſignificat.

INSVRGITE. E contra Lucanus, *Atque in tranſtra cadunt*.

HECTOREI. Aut fortiſſimi, qualis Hector fuit: aut quondam Hectoris.

GETVLIS. Africanis. à parte totum. Nam Getulia Mediterranea eſt. Syrtes vero juxta Libyam ſunt. ſic de Syrtibus Horatius, *Vbi Maura ſemper æſtuat unda*. Fuiſſe autem Trojanos in Syrtibus ille indicat verſus, *In brevia & Syrtes urget, miſerabile viſu*. IONIO MARI. Quando juxta Charybdiu navigaverunt.

MALEAQVE. Malea promontorium eſt Laconicæ provinciæ: unde ſunt *ſequaces*, id eſt perſecutrices: ut, *Capreæque ſequaces Illudunt*.

PRIMA. Quaſi quæ ſoleo. MNESTHEVS. Ille victor ſemper.

VARIORVM.

FVNDO VIX TANDEM REDDITVS. Præcipitatus Menœtes. & *vix*, & *tandem* emerſit ex undis. Ideo *tandem*, quia *vix*. Dicit cauſſas difficultatis & moræ. Cadenti enim in præceps, ne mature poſſit emergere, impedimento fuerunt & veſtes & ſenectus. DONATVS.

REVOMENTEM PECTORE FLVCTVS. Homerus de Vlyſſe, Odyſſ. ε. tale quid habet. H.

MALEÆQVE SEQVACIBVS. Recte *ſequacibus*, ibi enim unda adeo ſævit, ut perſequi navigantes appereat: tantumque periculi ineſt, ut locus adagio datus fuerit. *Maleam navigans, eorum quæ domi obliviſcere.* HART.

SPES EST ACCENSA DVOBVS. Duobus poſtremis ſpes acceſſit ex caſu Gyæ, quoniam ejus mora poterat prodeſſe ſequentibus, ut ſuperiores efficerentur. Propinquabat ſcopulo Sergeſtus, ſic tamen, ut non tota navis eſſet libera: pars quippe ejus videbatur præteriiſſe, pars vero premi poſterioris roſtro *Æmulam Priſtin* dicit, quæ tranſire conabatur. DONAT.

NVNC NVNC INSVRGITE Mneſthei hortatoria oratio ad ſocios; quæ utilitatem honeſtam reſpicit: captat ſociorum benevolentiam, commendatione fortitudinis eorum: quos ideo *Hectoreos* id eſt fortes, appellat; unde neceſſitatem celeritatis in remigando deſignat: quam iteratione verborum, & celeritate orationis oſtendit. NASCIMB.

Extremos pudeat rediisse: hoc vincite cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum. tum creber anhelitus artus,
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad saxa suburget
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo;
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ & magno clamore morantur:
Ferratasque sudes & acuta cuspide contos
Expediunt; fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus, & dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto,

SERVII.

HOC VINCITE. Loco victoriæ sit, ultimos non redire.

NEFAS. Modo opprobrium.

ÆREA. Fortis: ut, *Et junctos temo trahat aereus orbes*. Nam puppis ærea non est, sed prora.

SVBTRAHITVRQVE SOLVM. Vnicuique rei quod subjacet, unde est solum navis, mare: & aër avium. & est verbum cujus perlucida significatio per naturam non invenitur.

RIVIS. Quasi rivis, more rivorum: ac si rivatim diceret.

FVRENS ANIMI. Figurate dixit: ut, *Præstans animi juvenis*.

INTERIOR. Sinisterior. Cicero, *Quem omnia intus canere dicebant*. Salustius, *Igitur introrsus prima Asiæ Bithinia est*. INIQVO. Angusto: ut, *Et sylvis insedit iniquis*.

PROCVRRENTIBVS. Prominentibus, & objectis & velut obviam venientibus.

MVRICE. Saxi acumen eminens per tranquillitatem.

MORANTVR. Id est retro agunt.

LEGVNT. Vel PRÆTEREVNT: sed melius LEGVNT, id est collegunt. Nam sequitur, *Et fractis discentem currere remis*.

PRONA. Vicina littoribus. Vnde *altum*, est longe positum.

COLVMBA. Vbique de his domesticis columbas Virgilius dicit. Persius vero ait, *Timetoque columbo Est similis*. Nam agrestes, palumbes vocantur.

EXTERRITA PENNIS. Pinnarum concussione terrorem significans: ut, *Timuitque exterrita pinnis Ales*. Non enim timet pinnis: sed indicat timorem.

VARIORVM.

EXTREMOS PVDEAT REDIISSE. Est allusio ad puerorum certamen, quod in proverbium abiit, *Occupet extremum scabies*. Nam pueri olim cursu certantes, ita clamare solebant, adhortantes hac voce singulos ad cursum, ac male precantes ei, qui fuisset omnium postremus. PONTAN.

PRORAM AD SAXA. s. Turneb. lib. 14. c. 4.

AD SAXA SVBVRGET INTERIOR. *Interiorem* hic Turnebus accipit, quod propinquiore spatio & breviore ad scopulum, qui meta erat, pergeret: ex illo Ciceronis loco, *Nam cursu interiore brevi vertitur orbe*. GERMAN.

PELAGO DECVRRIT APERTO. Liquido declarat, non fuisse petita maria, aut litori, aut scopulo vicina. Nam si littus petiisset, omnis illi spes victoriæ ablata fuisset: si scopulum, verendum erat, ne, ut Sergestus, ipse quoque in occultas cautes impingeret. Itaque aperto pelago decurrebat: ut postea longos circumflectendo cursus, metam absque ullo discrimine commodius attingere posset. DONATVS, & NASCIMB.

Radit

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat ultima Priſtis
Æquora; ſic illam fert impetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, brevibuſque vadis fruſtraque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram
Conſequitur: cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus jamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, & ſummis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis: reſonat clamoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem,
Ni teneant; vitamque volunt pro laude paciſci:
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens utraſque Cloanthus,
Fudiſſetque preces, divoſque in vota vocaſſet:
Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus, extaque ſalſos

SERVII.

RADIT. Secat. LIQVIDVM. purum aërem.

FRVSTRA. Quis enim ei relicta victoria ſubveniret?

IPSO SVPEREST IN FINE. Prope terminum certaminis. Vt, *ſpatia etſi plura ſuperſint, Tranſeat elapſus prior.*

PROPRIVM DECVS. Quaſi jam partam victoriam & honorem ni teneant, indignantur.

SVCCESSVS. Fœlicitas. POSSVNT, QVIA POSSE VIDENTVR. Sperabant victoriam opinione ſpectantium: ut, *Cunctique ſequentes Inſtigant ſtudiis.*

ET FORS. Pro fortaſſe.

PALMAS VTRASQVE. Diximus ſupra antiquum hoc eſſe. Carminius tamen dicit (qui de elocutionibus ſcripſit) per naturam vitioſam eſſe hanc elocutionem: & ſive utranque palmam, ſive utraſque palmas dixerimus, eſſe in aliquo uſurpationem.

IMPERIVM PELAGI. Id eſt, In pelago: ut, *Dii quibus imperium eſt animarum.*

LÆTVS. Victor: à præcedenti quod ſequitur.

ANTE ARAS. De quibus paulo poſt, *Pars ſpoliant aras.* VOTI REVS. Debitor. Vnde vota ſolventes, dicimus abſolutos. Inde eſt; *Damnabis tu quoque votis*, quaſi reos facies. PROIICIAM. Exta projiciuntur in fluctus. *Aris projiciuntur*, hoc eſt porriguntur. Niſi forte dicamus etiam fluctibus offerri. quod ſi eſt,

VARIORVM.

FRACTIS CVRRERE REMIS. Iocoſe & argute. Et habet ſpeciem Proverbii, in eos, qui tenui præſidio nituntur. TAVBM.

SOLVS IAMQVE IPSO, &c. Vltimum certamen Mneſtheo cum Cloantho eſt. Conanti tranſire Mneſtheo magis favebat ſpectantium turba. Qui locum primum tenebant, hunc ne amitterent, laborabant; itaque ducebantur gloria, ut hanc ſaluti ſuæ præſumerent præponendam. Alterius navis viros, qui primum locum præripere nitebantur, erigebant res ſecundæ & fortunæ ſuffragium, eo magis, quod videbantur auſus ſuos poſſe complere. DONATVS.

VITAMQVE PRO LAVDE PACISCI. Id eſt mutare ex pacto vitam cum laude: Scalig. lib. 4. c. 12.

VOBIS LÆTVS EGO TAVRVM, &c. Quod dicit ſe hilari animo taurum ex voto oblaturum diis, ſciendum, reſpexiſſe ad id, quod vota lætiſſimis animis ſolvebant. Tibull: *cum debita reddet Certatim ſanctis lætus uterque focis.* Vnde ſolemne illud in vetuſtis monumentis. V. S. L. M. Votum ſolvit libens, merito. PONTAN.

VOTI REVS. Vtrumque vocabulum, *reus* & *damnatus*, in votis nuncupandis atque perſolvendis frequens in veterum libris comperies. Nam illum proprie *reum* dixerunt, qui ſuſcepto voto in ſacris numini ſe obſtrinxit: *damnatum* vero dicimus, qui ſe à promiſſis eximit & vota perſolvit. P. CRINITVS, lib. 3. cap. 11.

Porri-

Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit: eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaque virgo:
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit: illa Noto citius, volucrique ſagittæ
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naveis, ternos aptare juvencos,
Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit;
Intextuſque puer frondoſa regius Ida
Veloces jaculo cervos, curſuque fatigat;

SERVII.

PORRICIAM legendum eſt, id eſt porro jaciam.

FORCIQVE. Latine hic Forcus, hujus Forci dicimus: nam apud nos, Græca hujus nominis non eſt declinatio. Eſt autem hic Forcus deus marinus.

PANOPÆAQVE VIRGO. Vna de Nereidibus: quam ideo ſeparatim dixit, ut illas non virgines intelligamus.

PORTVNVS. Deus marinus, qui portubus præeſt. Et bene IMPVLIT eum ipſe jam vicinum portui. Nota eſt autem fabula. Indignata Iuno quod ex pellice ſua Semele natus Liber pater ab Ino matertera ejus eſſet nutritus, Athamanti viro ejus regi Thebanorum, ſive, ut quidam volunt, Orchomeniorum, furorem immiſit, qui cum occiſo Learcho filio dum eum feram credit, Melicertam alterum filium cum Ino uxore ſua perſequeretur, & ſe illi in mare præcipitaſſent, voluntate numinum in deos verſi ſunt: Melicerta in Portunum, qui Græce Palæmon dicitur: Ino, in matrem Matutam, quæ Græce dicitur Leucothea.

PORTV SE CONDIDIT ALTO. Id eſt, uſque ad interiora pervenit.

EX MORE. Ludorum ſcilicet per præconem.

VICTOREM PRIMVM. Cloanthum ſubaudis. Nam & illi duo victores Sergeſti: unde paulo poſt habes: *Quum modo navali Mneſtheus certamine victor Conſequitur.*

DAT FERRE. Græcum eſt duo verba conjungere, ut paulo poſt: *Donat habere viro.* ſed hoc datur poëtis. MAGNVM TALENTVM. Vt diximus, quiddam breve: ſed MAGNVM dixit, comparatione alterius.

CIRCVM. Id eſt in parte extrema: ut diximus.

MÆANDRO DVPLICI. Flexuoſo. & dicit, Erat in chlamyde flexuoſa & in ſe remeabilis purpura, in modum Mæandri fluminis Cariæ provinciæ, qui ſinuoſus eſt. MELIBOEA. Melibœnſis. Alii putant Mileſia. Eſt autem civitas Theſſaliæ Melibæa.

REGIVS. Trois regis Frygiæ filius. FATIGAT. Laus picturæ, quaſi gerat.

VARIORVM.

EXTAQVE SALSOS PORRICIAM. Alii *Proſiciam* legunt: Notat vero Briſſonius ante fuiſſe proſecta, tum deinde porrecta exta, quod hoſtiæ cæſæ exta proſecarentur primum, dein porricerentur, hoc eſt aris inferrentur ſeu imponerentur. & *Proſecare* eſſet exta minutatim concidere: *Porricere* vero, ut Varro lib. 1. de re Ruſt. c.29. interpretatur, exta Diis dare. Ita diſſecta exta Diis porrici, in altaria, aram, focumve. Cum proſecta exta aris imponi ſolita doceat Ovid. lib. 12. Metamorph. *Cui ut impoſuit proſecta calentibus aris.* Turneb. lib. 11. c. 7. Macrob. lib. 3. c. 2. Saturn. GERM.

PHORCIQVE CHORVS. Vide Theogoniam Heſiodi. Proverb. *Orci galea.* HART.

VICTOREM MAGNA PRÆCONIS. Alludit ad ludorum Olympicorum ritum, quo victores per præconem pronuntiabantur. Turneb. lib. 26. cap. 17. GERMAN.

MAGNVM DAT FERRE TALENTVM. Cum dicit, *magnum talentum*, credibile eſt, eum reſpicere ad talentum Atticum majus, quod valuiſſe dicitur coronatos octingentos: minus autem ſexcentos. Quintil. lib. 9. cap. 3. PONTAN.

PVRPVRA MÆANDRO DVPLICI, &c. à multitudine pannorum vel faſciarum & lororum, veſtes dilores, trilores, &c. dictæ. Turneb. lib. 14. cap. 4. SALMASIVS.

INTEXTVSQVE PVER. Hic ab Homerica ſecta deſciſcit. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturn.

Digitized by Google

Acer, anhelanti ſimilis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad ſydera tendunt
Cuſtodes: ſævitque canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute ſecundum,
Levibus huic hamis conſertam, auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe,
Victor apud rapidum Simoenta, ſub Ilio alto,
Donat habere viro decus, & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagariſque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleus, curſu palanteis Troas agebat.
Tertia dona facit, geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.
Iamque adeo donati omnes, opibuſque ſuperbi
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Cum ſævo è ſcopulo multa vix arte revulſus,
Amiſſis remis, atque ordine debilis uno
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,

SERVII.

ACER. Id eſt velox. PRÆPES. Modo volans.

SVBLIMEM. In altum.

PALMAS AD SYDERA TOLLVNT. Aut migrantes: aut increpantes deos.

VIRTVTE SECVNDVM. Quia primus favore vicerat numinum. Vnde & Præmia dantur Congrua: illi chlamys, deorum continens fabulam: huic lorica, id eſt virtutis inſigne.

HAMIS AVROQVE. Hamis aureis.

SIMOENTA. Venit à nominativo Græco, non in ις, ſed in εις, exeunte, ut σιμόεις σιμόεντος. SVB ILIO ALTO. O brevis fit ſequente vocali.

DECVS ET TVTAMEN. Quia triplex & aurea.

PHEGEVS SAGARISQVE. Nominatim dicendo addidit laudem.

CVRSV PALANTEIS TROAS AGEBAT. Ad Æneæ qui eum vicit pertinet laudem.

CYMBIAQVE. Pocula ſunt in modum cymbæ navis. ASPERA SIGNIS. Hoc eſt ἀνάγλυφα.

OMNES. Qui vicerunt ſcilicet.

PVNICEIS TÆNIS. Vittis roſeis: & ſignificat lemniſcatas coronas, quæ ſunt de frondibus & diſcoloribus faſciis. & ſicut dicit Varro, magni honoris ſunt. *Tænis* autem modo vittis: alias vittarum extremitates dicit: ut *Et longæ tænia vittæ*. ARTE. Id eſt virtute. Quod Græce ἀρετὴ dicitur.

ATQVE ORDINE DEBILIS VNO. Sergeſtus ſcilicet. Et bene ex mutatione conquiſivit ornatum. Nam inrideri & ſine honore eſſe, hominis eſt: remis carere, navis.

VIÆ IN AGGERE. Agger eſt media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus ſtrata. Vnde viæ aggere dixit.

DONATI.

LEVIBVS. Minutis & omni ſubtilitate perfectis, oſtendit illam fortem & pulchram. Deinde accedit tertia laus, ab auctore.

DECVS. Propter aurum.

TVTAMEN. Propter texturam triliceem laudat Demoleum, quia illa armatus agebat hoſtes. Laudat magis Æneam, qui illum vicerit ac ſpoliaverit, & portaverit. Laudat eum cui donatur: quia & ipſe portare optime poſſet, proptereaque eſſet dignus dono.

PVNICEIS TÆNIIS. Vittis roſeis.

VARIORVM.

AVROQVE TRILICEM LORICAM. Trilices loricæ ex eo videntur appellatæ, quod cum eſſent hamis, vel ſquammis ferreis conſertæ, præterea tribus erant liciis ornatæ, per eas currentibus. TVRNEB. lib. 29. c. 35. Lipſius de Rom. militia lib. 3. dialog. 6.

DONAT HABERE. Victor. lib. 38. c. 17. Variar.

CYMBIA ASPERA SIGNIS. Olim qui theſaurum parare ſtudebant, in eo nummum aſperum libenter recondebant, quem interpretor, bene percuſſum & recentem, non veterem neque tritum, atque ipſo uſu lævem. TVRNEB. lib. 18. cap. 28.

Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardensque oculis, & sibila colla
Arduus attollens: pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat:
Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis.
Sergestum Æneas promisso munere donat;
Servatam ob navem lætus, sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,
Cressa genus, Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc plus Æneas misso certamine, tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant sylvæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit.
Vndique conveniunt Teucri, mistique Sicani:
Nisus & Euryalus primi.

SERVII.

ÆREA. Fortis: ut, *Ærea puppis*. GRAVIS Fortis, ut, *Gravibus certamina remis*.

TORTVS. Hos tortus, id est sine causa tentat incessus.

CLAVDA. Ab homine transtulit. Cicero, *Mancam ac debilem Præturam tuam*.

MEMBRA. Etiam hoc ab homine transtulit.

VELA FACIT TAMEN. ἀνακόλουθον: Nam non præmisit, Quanquam remigare non possit. SVBIT OSTIA. Portus: ut supra diximus, ideo quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt.

PROMISSO. Aut magno: aut ante promisso, κατὰ τὸ σιωπώμενον, ut intelligamus in omnibus ludis illud esse servatum, *Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit*. Quod etiam in pictali ait certamine, *Victor, velatum auro vittisque iuvencum: Ensem atque insignem galeam solatia victo*. Aut certe promisisse eum intelligamus, quando vidit navem periclitantem.

OPERVM HAVD IGNARA MINERVÆ. Perita lanificii.

CRESSA GENVS. Hoc est Cretensis, & hoc est figura Græca: ut, *Qui genus, unde domo*. PHOLOE. Nomen proprium: erat autem lactans. Nam infantes lactentes dicimus.

GRAMINEVM. Graminosum. Cicero de hastis, *Bene etiam ne gramineas hastas*. Quia gramineum est ex gramine: graminosum gramine abundans.

COLLIBVS VNDIQVE CVRVIS. Mutavit. Non enim sylva colles habet: sed est in collibus sylva. Debuit dicere, Quem colles cingebant sylvis.

MEDIAQVE IN VALLE THEATRI. Media in valle erat circus theatri, id est spatium spectaculi. Et theatri Græce dixit à circumspectione. Omne spectaculum theatrum possumus dicere, ἀπὸ τῆς θεωρίας: non enim est speciale nomen.

CONSESSV MEDIVM TVLIT. Ordo est, Quo se Æneas medium tulit cum multis millibus, & exstructo consessu resedit.

ANIMOS. EORVM subaudis.

MISTIQVE SICANI. Quia ait, *Pars & certare parati*.

DONATI.

PLENIS VELIS. Facit contra nauticam consuetudinem: nam subituri portum demittunt vela; sed necessitas coëgerat, quia carebant remis.

CRESSA GENVS. Plena laus servæ, quæ est ab artificio, à genere, & à fœcunditate.

VARIORVM.

MEDIAQVE IN VALLE THEATRI. Intelligit vallem in via Appia. Marlianus de urbe antiqua.

NISVS ET EVRYALVS. Secundi certaminis descriptio; id erat Cursus. HARTVNG.

En-

Euryalus forma inſignis, viridique juventa:
Niſus, amore pio pueri: quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hunc Salius, ſimul, & Patron: quorum alter, Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegeæ de ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus, Panopeſque,
Adſueti ſylvis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit.
Æneas quibus in mediis ſic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætaſque advertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Cnoſſia bina dabo levato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos: tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamque ſagittis
Threiciis; lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

SERVII.

FORMA INSIGNIS. Id eſt decorus. VIRIDIQVE IVVENTA. Ætates omnes Varro ſic dividit, *Infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventam, ſenectam.* Hæ tamen, ſicut etiam de temporibus ſupra diximus, ſingulæ trifariam dividuntur, ut ſit prima viridis, præceps: hinc eſt, *Et viridis juventa*: &, *Cruda deo viridiſque ſenectus*: item Salluſtius, *Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingreſſus, matre ſua veneno interfecta.*

AMORE PIO PVERI. Caſto, non infami, aut genitivus eſt, & dicit eum ob hoc veniſſe, ne amicum relinqueret. aut diſtinguendum per ſe, & eſt nominativus pluralis: ut PVERI non referamus ad ætatem, ſed ad agonale ſtudium, in quo ſunt puerorum & virorum ſeparata certamina. Nam dicuntur, licet non ſint unius ætatis παῖδες, ἄνδρες.

ACARNAN. Epirota. Acarnania enim eſt pars Epiri.

TEGEÆ DE SANGVINE GENTIS. Si derivativum fuerit, DE non ſequitur: ſi *Tegea* legerimus, non ſtat verſus, niſi addita DE ſyllaba. Derivativum autem ille indicat locus, *Tunc lateri atque humeris Tegæum ſubligat enſem.* Tegæum autem oppidum eſt Arcadiæ, à Tegæo Arcadiæ filio.

HELYMVS. Ecce ubi ſubtiliter Elymum cum Aceſte ad Siciliam dicit veniſſe, cum ait, *comites ſenioris Aceſtæ.*

ADSVETI SYLVIS. Id eſt venatores.

QVOS FAMA OBSCVRA RECONDIT. Hoc dicendo per contrarium illos omnes eſſe nobiles indicavit.

GNOSIA. Cretenſia. Gnoſus enim civitas Cretæ. Et bene, ſicut etiam in navibus & generalia dat & ſpecialia. LEVATO. Nitido: ut, *At levem clypeum ſublatis cornibus Io.*

PRIMI. Aliorum comparatione: Nam unus eſt primus.

FLAVA. Viridi: ut ſupra, *Iaſpide fulva.*

PHALERIS. Equorum ornamentis ſermo Græcus eſt. HABETO. Habeat: tertia perſona eſt à futuro imperativi, quæ in hoc modo numeri ſingularis ſimilis ſecundæ eſt.

AMAZONIAM. Quaſi Amazoniam: ut, *Sacri Tripodes.*

BALTEVS, Balteus dicitur, non tantum quo cingimur, ſed etiam à quo arma dependent.

VARIORVM.

HVNC SALIVS, SIMVL. De Salio, Turneb. lib. 26. cap. 17.

FLAVAQVE OLIVA. Æſchyli epitheton ſecutus eſt. ξανθῆς ἐλαίας κρατὸς εὐώδης πλόκος. Vbi interpres Græcus flavam dicit olivam vocari, quod poſterior pars folii videatur porracei eſſe coloris. Bayfius lib. 2. de re veſtimentaria. In Eclogis ſupra; *Pallenti cedit olivæ*; & *Minerva flava* dicta Ovid. lib. 2. Metam. Ad imitationem ſacrorum certaminum. Oliva enim Minervæ ſacra fuit. Ipſa arbor olea, fructus oliva appellatur. Turneb. lib. 14 cap. 4. NASC.

EQVVM PHALERIS INSIGNEM. De phaleris lege elegantem diſputationem Aldi Manut. de quæſitis per epiſt. lib. 1. cap. 10.

Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt: signoque repente
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt
Effusi, nimbo similes: simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humeris: spatia & si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumque relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem adventabant; levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix: cæsis ut forte juvencis
Fusus humum, viridesque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans, vestigia presso

SERVII.

CONTENTVS ABITO. Quasi de parvo munere.

CORRIPIVNT SPATIA. Raptim eunt, ut, *Corripit Æneas aditum custode sepulto.* LIMENQVE RELINQVVNT. Aut regulam, aut signum de creta factum.

SIMVL VLTIMA SIGNANT. Intuentes & notantes ultima spatia, id est finem cursus aviditate vincendi, & deest visu: ut Cicero, *Notat & designat oculis.* Aut signant ultima culmorum, scilicet summitatem: signant vestigiis: ut alibi, *Vix summa vestigia signat arena.*

PRIMVS ABIT. Sicut & de navibus post generalitatem transit ad specialitatem. & bene, cum tribus statuta sint præmia, quinque commemorat scilicet casuris duobus. ALIS. Velocitate: quia tam ventos, quam fulmina alata fingunt poëtæ: ut, *Et alitis austri.*

PROXIMVS HVIC. Secundum hunc locum, proximum autem dicimus etiam longe positum nullo interveniente.

QVO DEINDE SVB IPSO. Sub ipso, id est post ipsum, juxta ipsum.

CALCEM CALCE TERIT. Calcem dicimus unde terram calcamus. Ergo non proprie dixit, *Calcem calce terit.* Plantam enim calce potuit terere: unde à parte totum accipiendum, id est calce pedem terebat.

INCVMBENS HVMERIS. Aut Helymi humero: aut currentis est gestus

ELAPSVS PRIOR. Vt dum labitur, id est celeriter currit ut prior fiat: sed satis licenter est dictum. AMBIGVVMQVE RELINQVAT. Minus firmum ad celeritatem.

SVB IPSAM FINEM. Finem bis subaudis, Sub ipsam finem, aut fessi adventabant ad finem.

LABITVR INFELIX. Quia parata victoria caruit. CÆSIS VT FORTE IVVENCIS. Bene rem notam, per transitum tetigit. Agonalis enim moris fuerat, post sacrificia ad certamen venire.

FVSVS HVMVM VIRIDESQVE SVPER MADEFECERAT HERBAS. Ordo est, superfusus. TITVBATA. Participium sine verbi origine.

DONATI.

HÆC VBI DICTA, &c. Quia ignobilior fuisset hic ludus, exornat illum descriptione: quia ponit varios casus.

VARIORVM.

CORRIPIVNT SPATIA. Cælius lib. 5. c. 15. HARTVNG.

ECCE VOLAT, CALCEMQVE. Macrob. l. 5. cap. 13. Homer. Iliad. Ψ. αὐτὰρ ὄπισθεν ἴχνια τύπτε πόδεσσι πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι. HART.

ECCE VOLAT, CALCEMQVE TERIT. Perinde ac si diceret, nullum inter utrumque intervallum extitisse. Quomodo vero, in hujus loci explanatione, aliorumque interpretum reprehensione excutierit alioqui oculatissimus ille Scaliger, vide Nascimbænum.

AMBIGVVMQVE RELINQVAT. Hic *Ambiguum* interpretor parem, & ambigentem de cursus palma cum eo, & victoria. Et *relinquere* existimo esse præterire. Qui enim quem præterit, eum post se relinquit. Plus, inquit, si spatii superesset, eum præteriret, qui cum juris in cursu ambigui fuit, cum simul ad metam pervenerint. TVRNEB. lib. 14. c. 4.

Haud

Digitized by Google

Haud tenuit titubata solo: sed pronus in ipso
Concidit, immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens:
Ille autem spissa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici,
Prima tenet, plausuque volat, fremituque secundo.
Post Helymus subit, & nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat & magna proclamat voce Diores;
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Vltima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent pueri, & palmam movet ordine nemo:
Me liceat casum miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli immane leonis

SERVII.

IN IPSO CONCIDIT. Ablativum posuit, quia non est mutatio.

OBLITVS AMORVM. Id est Euryali. Et divisit sententiam Euryali: Amorum, pro amoris. nec supradictis congruit: ait enim, Amore pio pueri: nunc amorum; qui pluraliter non nisi turpitudinem significant.

SPISSA HARENA. Tenui. quanto enim quid minutius, tanto est densius.

PRIMA TENET. τὰ πρῶτα, prisca. FREMITVQVE SECVNDO. Bene secundo addidit: quia est & irascentium.

HIC TOTVM CAVEÆ. Hic temporis adverbium est, modo. CAVEÆ CONSESSVM. Per caveam autem plebem significat. Nam *cavea* consessus est populi. ET ORA PRIMA PATRVM. Hoc est quod Iuvenalis ait, *Et omnibus ad podium spectantibus.*

LACHRYMÆQVE DECORÆ. Ipse etiam fletus habebat aliquid venustatis, ortus à gaudio: ut Terentius, *Lachrymo gaudio.* Quod & congruit puero propter victoriam inopinatam; aut certe ad miserationem movendam contra eum qui se adserebat esse victorem.

VENIENS. Crescens: ut, *Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.*

CERTA MANENT. Firma. PVERI. Vt diximus supra: quia ἄνδρες καὶ παῖδες dicuntur.

ME LICEAT. Liceat me miserari Nam non dicimus me liceat: sed, mihi liceat. CASVS. Allusit à cadendo.

TERGVM. Mutavit more suo. Nam tergus debuit dicere.

DONATI.

SIMVL VLTIMA SIGNANT. Designabant locum, qui finem cursibus daret.

NON ILLE OBLITVS AMORVM. Propter hanc inquit causam posuit in superioriobus tantum inter illos amorem.

CAVEA. Idcirco theatrum cavea dicitur, quod inclusos contineat spectatores.

VARIORVM.

CONCIDIT IMMVNDOQVE FIMO. Hom. ἔνθ' Αἴας μὲν ὄλισθε θέων τῇ ῥα βοῶν κέχυτ' ὄνθος ἀποκταμένων ἐριμύκων. HART.

EMICAT EVRYALVS. Celeritatem & concitationem quandam motus hoc verbum innuit, ut supra, *Terque solo emicuit: & linguis micat ore trisulcis.* GERMAN.

GRATIOR EST PVLCHRO. Brodæus lib. 5. Miscell. c. 35.

ME LICEAT CASVM MISERARI. *Miserari* Latinis est, verbis aut lachrymis aut gestu dolorem ex alicujus nuseria contractum ostendere, σχετλιάζειν. Festus: *Miseratur is, qui conqueritur aliena incommoda.* Virgil. *Miserantem incommoda nostra.* GERM.

Dat Salio, villis onerosum, atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret; quæ munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset?
Et simul his dictis faciem ostentabat, & udo
Turpia membra fimo. risit pater optimus olli,
Et clypeum afferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
Post ubi confecti cursus, & dona peregit:
Nunc si cui virtus, animusque in pectore præsens
Adsit, & evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum:
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora, continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se

SERVII.

ONEROSVM. Plus est quam si oneratum diceret: sicut sceleratum & scelerosum.

QVI LAVDE CORONAM. Virtute: à sequenti quod præcedit.

FORTVNA. Bene dolum suum excusat.

OPTIMVS OLLI. Aut ei adrisit: aut olli jussit efferri. Sane congrue arma dat juveni.

DIDYMAONIS ARTES. Laus ab artifice: ut, *Divinum opus Alcimedontis.*

NEPTVNI SACRO DANAIS DE POSTE REFIXVM. Danais, à Danais, & intelligimus hoc ad Æneam transisse per Helenum.

PRÆSENS. Fortis: ac si diceret, si adsit quis plenus animi.

VELATVM. Id est Coronatum. AVRO autem quia solent habere laminas quasdam: ut, *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.* VIRVM SE MVRMVRE TOLLIT. Cum suffragio plurimorum.

SOLVS QVI PARIDEM SOLITVS CONTRA. Multi hæc à poëta volunt dici: melius tamen verba sunt populi. Vnde &, *Virum se murmure tollit.* PARIDEM. Venit ab eo quod est Paris, Paridis, vel Paridos. Quod autem legimus, *Vrbe paterna, Parin creat*, venit ab eo quod est πάρις, τοῦ πάριδος ἢ τοῦ πάρις, τὸν πάριν. & volunt, si proprium sit, in DOS exire genitivum: si appellativum, in OS. Sane hic *Paris* secundum Troica Neronis fortissimus fuit: adeo ut in Trojæ agonali certamine superaret omnes: ipsum etiam Hectorem, qui cum iratus in eum stringeret gladium, dixit se esse germanum: quod allatis crepundiis probavit, qui habitu rustici adhuc latebat. Hos autem ludos transfert Virgilius ad Hectoris tumulum: qui sunt facti cum ludi funebres celebrarentur cadaveri Hectoris ab Achille occisi.

VARIORVM.

QVÆ MVNERA NISO? Non mihi, sed Niso ἐμφατικῶς dixit, quasi nobili, ac multis laudum præconiis ornato. NASE.

POST, VBI CONFECTI CVRSVS. Παραχωρεῖ ad tertium, quod erat Cestuum certamen. H.

ANIMVSQVE IN PECTORE. &. Nimirum, quod socios Æneas ad pugnam cæstus invitabat: quam exitus Daretis periculosissimam ostendit, & qua Lycurgus Lacedæmoniis interdixerat, ut constat ex Plutarcho in ipsius vita, quamque è repub. sua videtur exegisse Plato lib. leg. ζ. GERMAN.

DARES. Proverb. *Dares Entellum provocat.* De Cestuum certamine, Theocritus in Dioscuris, Apollonius libro 2. Homer. Ψ. Iliad. HART.

IDEMQVE AD TVMVLVM. Homerus Iliad. Ψ. ἐς πάντα θεώσας ὅσα δεδέδοικε ἀντιπάσθαι, ἐς τάφον. HARTVNG.

Bebry-

Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius, nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibuſque inducere ceſtus.
Ergo alacris, cunctoſque putans excedere palma,
Æneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi? quo me decet uſque teneri?
Ducere dona jube. cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promiſſa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes,
Proximus ut viridante toro conſederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortiſſime, fruſtra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? ubi nunc nobis deus ille, magiſter
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama, per omnem

SERVII.

AMYCI DE GENTE FEREBAT. Amycus fuit Neptuni filius & Nymphæ Melies; qui à Polluce victus eſt pyctali certamine. *Bebrycia* autem ipſa eſt Bithynia. Saluſtius, *Igitur introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt, multis antea nominibus appellata. Ipſa enim eſt & major Phrygia.*

MORIBVNDVM. Morienti ſimilem.

TALIS. Qualem multitudo loquebatur. OSTENDIT. Melius dixiſſet OSTENTABAT.

ALACRIS. Cum acer ubique dicat, alacer tamen non dicit: licet inde naſcatur. Vitat enim confuſionem. Vnde utrunque non vult dicere. Nam *alacer* nuſquam: & iterum *acris* nuſquam dixit. Inde eſt quod etiam Papinius ſupprimit genus, quia dubitatur.

SI NEMO AVDET. [illegible] Argumentatur enim ſe viciſſe, ex eo quod ad certamen nullus accedit.

REDDI. Quaſi debita promiſſa: quia ait, *Victori velatum auro vittiſque juvencum.*

HIC GRAVIS. Tunc: gravis vel ætate vel objurgatione. CASTIGAT. Increpat, objurgat.

TORO CONSEDERAT HERBA. Verbum de verbo. Nam *torus* à tortis dictus eſt herbis.

FRVSTRA. Ordo eſt, Tantane dona tam patiens ſines tolli fruſtra? Sane ſciendum hunc ſecundum Iginum, qui de familiis Trojanis ſcripſit, unum Trojanorum fuiſſe, de quo Virgilius mutat hiſtoriam.

NOBIS DEVS ILLE MAGISTER. *Nobis* non vacat: ut Cicero, *Qui mihi accubantes,* ſed pro noſter eſt poſitum, vitandi propter ſimilitudinem homœoteleuti cauſa.

DONATI.

PVTANS. Iam ex hoc ſignat emerſurum alium qui vincat. CVNCTI. Vt pro victore ab omnibus haberi oſtendat, & ſimul eſt teſtimonium ſuorum meritorum.

ENTELLE HEROVM. Objurgatio non injurioſa, cui ſit admixta laus.

FRVSTRA TANTANE TAM PATIENS. Singula verba cum pondere pronuncianda. *Fruſtra,* id eſt, ſine laboris merito. TANTA. Tam precioſa, tam pulchra, ſine gloria vincendi tolli dona patieris. Eſt autem ſententia, quoniam in ſuperioribus ille dixerat, ſi nemo audet, videberis tu etiam timuiſſe.

VARIORVM.

CVNCTI SIMVL ORE FREMEBANT. Trojani, Daretis petitionem ut juſtam & honeſtam approbabant. Eſtq; alluſio ad morem priſcorum Rom. apud quos res approbari ſolebant publice ſtrepitu, ac plauſu populi. NASC.

REDDIQ. VIRO PROMISSA IVBEBANT. Quod approbant tanquam juſtum, mox id fieri jubent. eſt alluſio, ni fallor, ad populi Romani poteſtatem: cujus erat jubere, ut apud Livium & Ciceronem videre eſt; Senatus autem cenſere. NASC.

Tri-

Trinacriam, & spolia illa tuis pendentia tectis
Ille sub hac: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa juventa:
Haud equidem pretio inductus, pulchroque juvenco
Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit: quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades, & pondus, & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces:
Quid, si quis cæstus ipsius, & Herculis arma

SERVII.

ILLE SVB HÆC. Aut statim: aut post hæc.

SED ENIM GELIDVS TARDANTE SENECTA SANGVIS HEBET. Aliud pendet ex alio, quare HEBET? quia gelidus est: quare GELIDVS? quia senex.

EFFOETÆ. Exhaustæ, & est translatio à mulieribus, quas partus frequens debiles reddit.

IMPROBVS ISTE. Qui sine certamine postulat præmium.

ILLA IVVENTA. Aut magna, quæ quondam fuerat.

NEC DONA MOROR. Id est non expecto. Hic enim sensus tam superioribus, quam sequentibus congruit. etenim supra ait se non præmii causa dimicare, sed gloriæ. & paulo post bovem victor interemit.

IMMANI PONDERE. Pro immanis ponderis, more suo: ut, *Hamis auroque trilicem*. QVIBVS. Quorum instructu.

FERRE MANVM. Contendere. Nam utraque manus armatur. Et manum, pro manus. INTENDERE BRACHIA TERGO. Ligare: ut, *Intenditque locum sertis*.

ANIMI TANTORVM. Hic distinguendum est, hoc est virorum fortium, quos æquum non erat magna mirari. Vnde addit *Ante omnes stupet ipse Dares*. Nam stultum est dicere tantorum boum: cum diceret septem.

LONGEQVE. Valde: ut, *Tyberinaque longe Ostia*.

VERSAT. Considerat: Salustius, *Exercitum majorum more verteret*, hoc est consideraret.

SENIOR. Secundum Varronem senior & junior comparativi sunt per imminutionem. Hinc est, *Iam senior: sed cruda deo viridisque senectus*. Additum enim hoc est ad exprimendum qui sit senior. Item Ovidius; *Inter juvenemque senemque*. Et re vera non convenit hunc satis senem accipi, qui & vincere potest, & uno ictu taurum necare. Ergo *senior*, non satis senex: sicut *juvenior*, non satis juvenis, intra juvenem: sicut *pauperior*, intra pauperem. dicit autem hoc Varro in libris ad Ciceronem.

CÆSTVS ET ARMA. ἓν διὰ δυοῖν: arma, id est cæstus.

VARIORVM.

SPOLIA ILLA TVIS PENDENTIA TECTIS. Morem explicat Turneb. lib. 26. cap. 17.

SPOLIA PENDENTIA TECTIS. Turnebus lib. 26. cap. 17. more Romano vult dixisse Poëtam. nam ut scribit Plin. Nat. hist. lib. 35. *Romani ædium suarum limina adfixis hostium spoliis exornabant, quæ mutato domino nec emptori refigere licebat.* unde hac imitatione & repræsentatione, de Caco, Maro, *foribusque affixa superbis, &c.* GERMAN.

SI MIHI, QVÆ QVONDAM, &c. Carpit confidentiam Daretis Entellus, & à magnitudine animi sui benevolentiam colligit, qui non spe quæstus aut præmiorum, sed tantum gloriæ desiderio (quod excellentium ingeniorum est) ad certandum moveri soleat. NASCIMB.

IMMANI PONDERE CÆSTVS. Multa de cæstibus Hieron. Mercurialis de arte Gymnast. lib. 2. cap. 9. & Aldus Manut. de quæsit. per epist. lib. 1. c. 8. Turneb. lib. 14. cap. 4.

TERGA BOVM PLVMBO. Homerus Iliad. Ψ. δῶκεν ἱμάντας ἐϋτμήτους βοὸς ἀγραύλοιο τοῦ δὲ ζωστῆρα. HART.

Vidisset

Vidisset, tristemque hoc ipso in littore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes:
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto,
Solve metus, & tu Trojanos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille pedum melior motu, fretusque juventa:
Hic membris & mole valens; sed tarda trementi

SERVII.

TRISTEMQVE HOC IPSO IN LITTORE PVGNAM. Aut in quo magister occisus est: aut in tristi littore, id est infœcundo. Varro enim dicit sub Eryce monte esse infœcundum campum fere in tribus jugeribus, in quo Eryx & Hercules dimicarunt.

HÆC GERMANVS. Germanus est, secundum Varronem in libris de gradibus, de eadem genitrice manans, non (ut multi dicunt) de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat secundum quem bene nunc Erycen Butæ & Veneris filium, Æneæ dicit fuisse germanum.

SANGVINE CERNIS ADHVC. Non Herculis quippe victoris, sed Erycis quæ infecerat se tegendo.

ÆMVLA. Necdum adversa virtuti. GEMINIS. Duobus.

AVCTOR ACESTES. Hujus certaminis scilicet.

ÆQVEMVS PVGNAS. Id est arma. à sequenti quod præcedit. TIBI Pro te: ut, *Tibi deserit Hesperus Oetam*. EXVE. Projice, solve.

DVPLICEM AMICTVM. Id est Abollam, quæ duplex est: sicut chlamys. Horatius, *Contra quem duplici panno patientia velat.*

CONSTITIT. Hic distinguendum propter vitium, ut sit arrectus in digitos. Est autem hic totus locus de Apollonio translatus.

PVGNAMQVE LACESSVNT. Provocant potius quam gerunt; vel certe irritant.

MEMBRIS ET MOLE. Hoc est mole membrorum: ut, *Molemque & montes.* Sed utrumque in pedum, an in manuum digitos?

VARIORVM.

HIS MAGNVM ALCIDEN CONTRA STETIT. Viri olim quanto nobiliores, & gravitate animi præstantiores, tanto in iis ludorum certaminumque generibus frequentiores fuerant. nihilque gloriosius à se fieri posse putabant, quam quod manibus, pedibusque suis faciebant. id Homerus planum facit Odyss. 1. NASCIMB.

TIBI TERGA REMITTO. Ita accipiendum, ut apud Horat: *Atride magis apta tibi tua dona remitto*, hoc est, cedo tibi & illis renuntio. GERMAN.

PALMAS AMBORVM INNEXVIT ARMIS. Turneb. lib 14. cap 4.

CONSTITIT IN DIGITOS. Initium pugnæ describendum aggreditur: cujus imago verbis ita belle per ὑποτύπωσιν pingitur, ut spectantibus oculis clarior futura non fuerit. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 7. Saturnal.

ABDVXERE RETRO. Morem pugilum adfert Turneb. lib 13. cap. xi.

ILLE PEDVM MELIOR. Collatio egregia bellicarum virtutum. Prov. *Senum consilia; robur juvenum.* H.

Genua labant: vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant:
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus: erratque aures & tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub vulnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis:
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis assultibus irritus urget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit; & ultro
Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri, & Trinacria pubes:
It clamor cœlo, primusque accurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira.

SERVII.

GENVA LABANT. Proceleusmaticus est, quem (ut supra diximus) sic semper ponit, ut cogi possit in dactylum: ut, *Genua labant*, &, *Arietat in portas.*

NEQVICQVAM. Non profutura victoriæ. VVLNERA IACTANT. Ictus.

TELA. Ictus. EXIT. Vitat, declinat. unde de Tarchonte, *Et vim viribus exit.* & hoc verbo bis usus est tantum.

QVI MOLIBVS VRBEM. Amphibolon est, aut celsam molibus: aut quæ molibus oppugnantur.

SEDET CIRCVM CASTELLA. Tmesis est, hoc est circunsedet.

OSTENDIT DEXTRAM. Aut fiducia virtutis est ostendere quod minaris: aut certe proventus ætatis ostenditur, qui cum ex improviso ferire non sinit.

VELOX. Velociter, nomen pro adverbio.

VLTRO. Econtrario. Ille enim cadere debuerat.

GRAVIS GRAVITERQVE. Figura à similitudine.

CAVA PINVS. Id est exesa vetustate, & dicendo *cava pinus*, bene respexit ad ætatem. ERYMANTHO. Mons Arcadiæ.

IDA IN MAGNA. Modo non Cretæ, sed Frygiæ propter pinos.

CONSVRGVNT STVDIIS. In studia.

VARIORVM.

ET PECTORE VASTOS DANT SONITVS. De pectore magnos effundunt sonitus, non quod doleant, sed ut acrius feriant, NASCIMB.

CREBRA MANVS DVRO CREP. Hom. Iliad. Ψ. Macrob. lib. 5. cap. 7. δεινὸς δ' ἢ χρόμαδος γενύων, γίνετ' ἐκ ῥεῖε δ' ἱδρῶς πάντοθεν ἐκ μελέων. Theocritus, in Dioscuris: πυκνὰ δ' ἀράβευν ὀδόντες. Apollon. lib. β. ὣς τοῖσι παρήϊα τ' ἀμφοτέρωθεν καὶ γένυες κτύπεον, βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων. HART.

EXIT. Transitive. infra l. 11. *Sustinet à jugulo dextram, et vim viribus exit*, pro, evitat. Vide Mac. l. 6. c. 6.

CORPORE TELA EXIT. Id est, quod Cic. 1. Catil. habet, & ut dicitur, *corpore effugi*: estque verbum gladiatorium. Manil. lib. 5. *Ille cito motu rigidos illudere castus.* TVRNEB. lib. 14. c. 4. & 28. c. 15.

MISERANS ATTOLLIT AMICVM. Lege pugilatus: prostratum vel collapsum allevare & erigere licuit; alioquin casus Entelli, Daretis victoria fuisset. GERMAN.

Tum

Digitized by Google

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra:
Nec mora, nec requies. quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.
Tum pater Æneas, procedere longius iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis:
Sed finem imposuit pugnæ; fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:
Infœlix! quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede deo. dixitque, & prælia voce diremit.
Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore rejectantem, mistosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves: galeamque, ensemque vocati
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:

SERVII.

PRÆCIPITEMQVE DAREN. Celerem: ut, *Præcipites vigilate viri.*

NVNC ILLE SINISTRA. *Ille* vacat, nam metri causa additum est. De ipso enim dicit: ut, *Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.*

QVAM MVLTA GRANDINE NIMBI. Hypallage. Nam debuit dicere, Quam multo nimbo grando præcipitatur.

VERSATQVE DARETA. Dares Daretis, unde est Dareta: & Dares Daris, unde est Daren; sicut Chremes & Chremis & Chremetis.

INFOELIX. Consolatio est, unde non dicit imbellis, ut fortunæ videatur esse quod victus est.

DIXITQVE. Vacat QVE metri causa: & maluit perissologiam facere, quam uti communi syllaba, quæ frequens vitiosa est. Vnde Horatius, *Nec tanta in metris venia conceditur uti.* Græci enim his utuntur frequenter.

FIDI ÆQVALES. Homero, *φίλοι δ' ἀμφέσταν ἑταῖροι, οἵ μιν ἄγον δι' ἀγῶνος ἐφελκομένοισι πόδεσσιν, αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε.*

VTROQVE. In utramque partem.

VOCATI ACCIPIVNT. Bene eorum ostendit pudorem: vel quia erant occupati circum amicum, VOCATI dixit.

DONATI.

INFELIX. Qui audeas contra numina. est autem optima consolatio, cum ostendat non illum ab homine, sed à numine vinci.

CEDE DEO. Errant qui putant Entellum Deum ab Ænea vocari, sed Deum dicit, favens illi numen.

ÆGRA. Quibus paulo ante tantopere valebat.

CAPVT. Quod paulo ante in cælum tollebat propter superbiam.

PALMAM TAVRVMQVE RELINQVVNT. Exprimit quanto cum dolore hæc facerent.

VARIORVM.

ET SÆVIRE ANIMIS. Ios. Castalio. cap. 47. Variar.

CEDE DEO. Hoc autem amanter Æneam dixisse intelligendum est, ut Dares non Entelli, sed dei cujusdam violentia superatus esse videretur. Et dicendo *Cede Deo*, minuere voluit victoris hominis laudem. DONATVS.

AST ILLVM FIDI ÆQVALES. Iam tota Daretis fatigatio, habitu depingitur. Macrob. lib. 4. c. 1. Saturn.

CRASSVMQVE CRVOREM. Macrobius l. 4. cap. 1. Homer. Iliad. ψ. *αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε.* Theocritus in Dioscuris: *ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα φοινόν.* Pygmachia. HART.

GALEAMQVE ENSEMQVE VOCATI. Victum Dareta luculentiore auget munere, quam victorem Entellum. Idque non absque judicio factum fuisse existimo. Vt scilicet ostenderet Æneas, virtutem sibi ipsam & pretium & præmium esse. Hinc est, quod leges, supplicia criminibus proponunt, virtutibus vero nihil impartiunt. Vide Francisc. Modium Epist. 56. NASCIMB.

PALMAM ENTELLO. Turneb. lib. 26. c. 17.

Nate dea, vosque hæc, inquit, cognoscite Teucri:
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et qua servetis revocatum à morte Dareta.
Dixit, & adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum astabat pugnæ; durosque reducta
Libravit dextra, media inter cornua cæstus,
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces,
Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor cæstus artemque repono.
Protinus Æneas celeri certare sagitta
Invitat, qui forte velint, & præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, & volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri: dejectamque ærea sortem
Accepit galea: & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mnestheus certamine victor

SERVII.

COGNOSCITE TEVCRI. Habet rationem personarum: quia virtutem ejus noverant Siculi.

EFFRACTOQVE INLISIT IN OSSA CEREBRO. Hypallage, fregit ossa, & inlisit cerebrum.

HVMI BOS. Cur cum de uno loquatur, hic bovem, alibi juvencum, alibi taurum appellat; sed videtur pro tempore ac diversitate usus, ideoque *Iuvencum* ait. Est autem hic pessimus versus in monosyllaba definens.

MELIOREM. Aptiorem. Nam animalem hostiam dat.

CÆSTVS, ARTEMQ. REPONIT. Et arma deposuit, & arti renuntiavit. Id est catalysin fecit.

INGENTIQVE MANV. Magna multitudine.

MALVM. Malus, arbor & navis, generis est masculini. Horatius, *Nec malus celeri saucius Africo.* Et dictus est *malus*, vel quia habet instar mali in summitate: vel quia quasi quibusdam malis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius elevantur.

TRAIECTO. Extento: unde transenna dicitur extentus funis. Sallustius, *Machinato strepitu transenna corona in caput imponebatur.*

QVO. In quam. Nam ponit adverbia pro pronominibus, ut, *Genus unde Latinum.*

CLAMORE SECVNDO. Sicut supra ait, *Magnoque virûm se murmure tollit.*

QVEM MODO. Id est nuper: nam ut diximus, victor fuit duorum. Vrbanus vero dicit MODO, propemodum, pene. Nam secundus fuit. Alii VICTOR, voti compos volunt: ut, *Rapidisque rotis insistere victor.* Optaverat enim ne extremus rediret: ut, *Hoc vincite cives.*

VARIORVM.

LIBRAVIT MEDIA INTER CORNVA. Cæstus ergo illisit inter cornua juvenci. Hæc enim pars capitis maximam habet duritiem, proindeque maximam frangendi difficultatem, & tamen ictus istius, effractis ossibus usque ad cerebrum penetravit. Qua ergo morte interiit bos, ipsa ostendit Darem interire potuisse. DONAT.

HVMI BOS. Versus præceps & anhelans: cui similis; *Lutulenta ruit sus.* & supra. *Præruptus aquæ mons: Nascetur ridiculus mus.* Apoll. lib. 2. γνὺξ ἐριπών. Theocritus: πᾶς ἐπὶ γαῖαν κεῖτ' ἀλλοφρονέων. HARTVNG.

HANC TIBI ERYX MELIOREM ANIMAM. Hoc ad proverbium δευτέρων ἀμεινόνων pertinere vult Turnebus; usurpari solitum in hostiis succidaneis, quæ cum priora sacra minus secunda prosperaque apparebant, immolabantur faventibus linguis, & erumpentibus in hanc exclamationem δευτέρων ἀμεινόνων. Turneb lib. 14. cap. 4. & lib. 20. cap. 24. GERMAN.

PROTINVS ÆNEAS. Quartum certamen est sagittis, hic, sed apud Homerum, septimum est & postremum. Macrob. lib. 5. c. 7. Sat. HARTVNG.

VOLVCREM TRAIECIT. Turneb. lib. 5. c. 9.

Con-

Conſequitur; viridi Mneſtheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, ô clariſſime frater
Pandare: qui quondam juſſus confundere fœdus,
In medios telum torſiſti primus Achivos.
Extremus galeaque ima ſubſedit Aceſtes;
Auſus & ipſe manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvans viribus arcus,
Pro ſe quiſque viri, & depromunt tela pharetris
Primaque per cœlum, nervo ſtridente, ſagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras.
Et venit, adverſique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens; pariterque oculos, telumque tetendit.
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos & vincula linea rupit;
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato

SERVII.

CLARISSIME FRATER PANDARE. Notiſſime, qui fuit Lycaonis filius. Pandarus autem qui ſecundum Homerum, Minervæ perſuaſione, ſingulare Menelai & Paridis certamen,cum in eo eſſet. ut Paris vinceretur, jactu teli, diremit, quo Menelaum vulneravit. IVSSVS. A Minerva.

SVBSEDIT ACESTES. Hoc eſt remanſit. Nec enim proferebatur ſors quæ remanſerat ſola: aut certe *ſubſedit*, detulit. Vnde & *ſubſeſſores* vocantur, qui occiſuri aliquem deliteſcunt. De quo verbo plenius dicitur illo verſu, *Devicta Aſia ſubſedit adulter.*

FLEXOS INCVRVANT. Mutatione uſus eſt. Nam curvos inflectunt debuit dicere.

PRO SE QVISQVE VIRI. Pro qualitate roboris ſui.

DIVERBERAT AVRAS. Scindit.

ARBORE MALI. Sic dixit: ut, *Luſtrat Aventini montem.*

EXTERRITA PENNIS. Timorem ſuum pinnis ſignificans. Singula enim animalia habent ſigna, quibus indicant ſuum timorem. Vnde ipſe de ludo, *Caudamque remulcens, Subjecit pavitantem utero.* Item de Caco, *Turbatumque oculis.* Hominum enim timorem primi indicant oculi.

OMNIA PLAVSV. Alii *pinnarum* dicunt, ſed melius ſpectantium favore. Illud enim eſt incredibile.

ADDVCTO ARCV TELVM TETENDIT. Hypallage eſt nam adducitur telum, & arcus intenditur.

MISERANDVS. Qui perfecta re difficiliore, victoria caruit.

INNEXA PEDEM. In nexu pedem habens.

TVM. Deinde, & eſt abverbium ordinis. Nam TVNC temporis eſt. ARCV CONTENTA PARATO TELA TENENS. Contento arcu tela tenens parata.

VARIORVM.

QVI QVONDAM IVSSVS CONF. Alludit ad hiſtoriam,quam deſcribit Homer. Iliad. 3. & 4. convenerant jurejurando Trojani atque Græci, ut Paris cum Menelao ſingulari certamine congrederetur, & quicunque victor eſſet Helenam abduceret, finiſque belli foret, &c. NASCIMB.

IN MEDIOS TELVM TORSISTI. Hom. Iliad. δ. HART.

NERVO STRIDENTE SAGITTA. Quintil. conſule, lib. 1. cap. 10. Hom. Iliad. δ.

TVM RAPIDVS. Moratum impatiens. Quod ait, *ſpeculatus*, artis fuit, debuit enim volatum ejus explorare, quia turbato eo atque incompoſito locus feriendi inveniri non poterat. Vbi igitur hanc vidit lætis & ſecuris volatibus ferri, jecit ſagittam, & columbam in aëre confixit. Magnæ peritiæ, volantem & in alto conſtitutam figere, præterea obumbratam nube atra. Non dixit autem ſagitta revocat columbam, quæ ruptis vinculis libera avolarat, ſed quod erat pulchrius, ales ipſam ſagittam revocat. DONAT.

Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit.
Iam vacuo letam cœlo speculatus, & alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aëriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes;
Qui tamen ætherias telum contorsit in auras,
Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.
Hic oculis subito objicitur, magnoque futurum
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos: cœlo ceu sæpe refixa
Transcurrunt, crinemque volantia sydera ducunt.
Attonitis hæsere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri. nec maximus omen
Abnuit Æneas: sed letum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur

SERVII.

IN VOTA VOCAVIT. Nam apud Lycios colitur, quasi heros.

NIGRA NVBE. Id est alta.

VITAMQVE RELIQVIT IN ASTRIS. Vnde sumpserat vitam: ut, *Hinc hominum pecudumque genus, vitæque volantum.* Sane sciendum hunc totum locum, ab Homero esse sumptum. Vnde inanis est vituperatio Æneæ, quod suspenderit avem maternam. Nam & res est translata simpliciter: & quamcunque suspendisset avem, in hanc incideret vituperationem. Nulla enim avis caret consecratione, quia singulæ aves numinibus sunt consecratæ. Quanquam Vrbanus dicit matrem citius potuisse placari.

ARTEM PARITER, ARCVMQVE SONANTEM. Semelque culpat hoc Virgiliomastix. Artem enim in vacuo aëre ostendere non poterat: quanquam dicant periti posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam comprobari.

OBIICITVR. Superius de his particulis secundum Iubam artigraphum tractavimus. Sed dicunt alii istas monosyllabarum ratione vel produci vel corripi. Sane sciendum naturæ esse, ut breves sint, euphoniæ vel Iubæ ratione: in compositione producuntur, si tamen i sequatur: quæ licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonanti haberi.

AVGVRIO MONSTRVM. Augurium dictum quasi avigerium, id est quod aves gerunt. Et bene de sagitta dixit augurium, quæ habet pinnas: quanquam omnia ad unum congesserit locum, monstrum augurium, auspicium, oraculum.

SERA. Gravia. Sallustius, *Serum bellum in angustiis futurum.* id est grave. Et quod improbant vates, Æneas amplectitur, deceptus augurii similitudine quod apud Trojam probaverat pater, ut, *Stella facem ducens.*

LIQVIDIS IN NVBIBVS. Nubes pro aëre posuit. Nubes enim liquidæ esse non possunt.

CEV SÆPE REFIXA. Poëtice dixit secundum publicam opinionem. Nam ut Lucretius dicit, *Ventus altiora petens, æthereum ignem secum torquet, qui fractus imitatur stellas cadentes.*

ATTONITIS ANIMIS. Intentis, stupefactis per tonitrua: quæ cohærent cœlestibus ignibus.

NEC MAXIMVS OMEN ABNVIT ÆNEAS. Amplexus est, & probavit. Nam secundum augurum disciplinam dixit ad se non pertinere. Nam nostri arbitrii est, visa omina vel improbare, vel recipere.

VARIORVM.

PLAVDENTEM NIGRA, &c. Homerus ψ Iliad. ad finem. HART.

OSTENTANS ARTEM PARITER. Quomodo artem ostentare poterat, si quod figeret, amplius non erat? Sic occurritur: artificis peritiam quandoque ex solo illius gestu perspici solere: sicuti veteranus miles & in re militari exercitatissimus in deferenda hasta sæpe cognoscitur. NASCIMB.

SERAQVE TERRIFICI. Turneb. lib. 26. cap. 17.

NEC MAXIMVS OMEN ABNVIT. Id est omen, ut lætum accipit. Turneb. lib. 26. cap. 17.

Sume

Digitized by Google

Sume pater (nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exortem ducere honorem)
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus habebis:
Cratera impreſſum ſignis; quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro;
Et primum ante omnes victorem appellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis ſolus avem cælo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Iüli,
Epytiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:
Vade age, & Aſcanio, ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſque inſtruxit equorum:
Ducat avo turmas, & ſeſe oſtendat in armis.
Dic, ait. ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos jubet eſſe patenteis:
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum

SERVII.

SVME PATER. Percipe. Nam verbum eſt juriſconſultorum, quo utuntur quotiens legatum non ab hærede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio.

EXORTEM. ἄκληρος Sine ſorte.

ANCHISÆ MVNVS. Quod Ciſſæus rex Thraciæ (ſecundum Virgilium pater Ecubæ, ut, Ciſſeis regina Parin creat) Anchiſæ aliquando donaverat.

IMPRESSVM SIGNIS. Impreſſa ſigna habens, id eſt emblemata.

VIRIDANTI. Species participii ſine verbi origine, temporis præſentis.

PRIMVM ANTE OMNES. Vnum vacat. APPELLAT. Vel dicit, vel ſalutat. Saluſtius, *Ingurtha adveniens velox Quæſtorem appellat;*

PRÆLATO INVIDIT HONORI. Id eſt prælatum honorem.

PROXIMVM. Poſt Eurytionem. DONIS. Ad dona.

EXTREMVS. Oſtendit hos ſua munera percepiſſe: Aceſten vero ſumpſiſſe præcipua.

NONDVM CERTAMINE MISSO. De peractis loquitur rebus. Inde debuit dicere VOCAVIT, & FATVS EST. Ergo aut tempus eſt pro tempore; aut ſic refert, ut videatur non de præterito loqui, ſed actum præteriti temporis ponere & referre.

CVSTODEM AD SESE. Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari ſolitos eſſe cuſtodes, à quibus primo anno regantur. Vnde ait de Pallante, *Sub te tolerare magiſtro Militiam & grave Martis opus.* IMPVBIS IVLI. Ab eo quod eſt hic pubis. Nam quod ait Salluſtius, *Puberes omnes interfici jubet*: venit ab eo quod eſt puber: & ſunt iſta communis generis, ſi referantur ad ſingulos. Multitudo autem ſi dicatur, generis tantum fœminini eſt, ut hæc pubis.

FATVR AD AVREM. Sequitur, & *Dic ait.* Vnde ſicut & in tertio diximus, unum vacet neceſſe eſt.

CAMPOS IVBET ESSE PATENTEIS. Diſceſſu populi jubet fieri campos patenteis.

INCEDVNT PVERI. Aut poëtica licentia confudit ætates: ut, modo pueros, modo juvenes dicat. Nam ait, *Vna acies juvenum.* aut certe ſecundum quoſdam ſequenti diſtinctione mutata, magiſtros, pueros dicit: ſequentes vero, maturioris ætatis.

VARIORVM.

EXSORTEM DVCERE HONOREM. Hic *Honorem*, pro honorario poſuit, more Iuriſconſultorum, quibus paſſim familiaris eſt hæc uſurpatio. Honor enim pro pretio à Romanis accipiebatur, imitatione Græcorum, quibus τιμὴ in eodem eſt uſu. GER.

CVSTODEM VOCAT. Turneb. lib. 26. c. 22.

EPYTIDEN VOCAT. Ex Homero Iliad. ρ. Turneb. lib. 7. cap. 3. & lib. 14. cap. 4.

Fre-

Frenatis lucet in equis; quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa coronâ:
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro:
Pars leves humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti,
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Vna acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
(Nomen avi referens) Priamus; tua clara Polite
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atyi duxere Latini:
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iülo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher Iulus

SERVII.

QVOS OMNIS EVNTES. Quos euntes omnis turba fremit, id est cum favore prosequitur.

TONSA COMA. Composita. Nam proprie comæ sunt non cæsi capilli. PRESSA CORONA. Id est galea. & sermone Homeri usus est. nam galeam στέφανον dixit. Et re vera corona non potest intelligi, cum sequatur *Galeam ante pedes projecit inanem.* Sed alii dicunt potuisse eos galeas habere coronatas. Bebius tamen Macer dicit à Cæsare Augusto pueris qui luserunt Trojam donatas esse galeas, & bina hastilia: ad quod Virgilium constat adludere.

IT PECTORE SVMMO. Sic legendum est, ne sit solœcismus: & rei inanimali dedit motum dicendo IT. Summum autem pectus ait, pectoris & colli confinium.

TRES EQVITVM NVMERO TVRMÆ. Rem Romanæ militiæ suo intulit carmini. Nam constat primo tres partes fuisse populi Romani: unam *Tatiensium*, à Tito Tatio duce Sabinorum jam amico post fœdera: alteram *Ramnetum* à Romulo: tertiam *Lucerum*, quorum secundum Livium & nomen & caussa in occulto sunt. Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium, à Lucumonibus id est Tuscis auxilia postulasse. Vnde quidam venit cum exercitu: cui recepto jam Tatio pars urbis est data: A quo in urbe Tuscus dictus est vicus. Horatius, *At Tusci turba impia vici.* Ergo à Lucumone Luceres dicti sunt. Sic autem in tres partes divisum fuisse populum Romanorum constat, ut etiam qui præerant singulis partibus, tribuni dicerentur. Vnde etiam sumptus quos dabant populo, tributa nominarunt.

TERNI. Tres, & ait more suo.

DVCTORES PVERI. Hic quidam distinguunt, ut diximus supra.

PARIBVSQVE MAGISTRIS. Et hoc adludit. Nam hodieque equitum dicuntur magistri.

POLITE PROGENIES. Illum dicit quem supra à Pyrrho introduxit occisum; de quo Cato in originibus dicit quod ad Italiam venerit, & segregatus ab Ænea condiderit oppidum Politorium à suo nomine.

QVEM THRACIVS ALBIS. Cum tres dixerit duces, duorum equos commemorat. Sed aut prætermisit, quod ut consequeretur necesse erat: nec enim unus pedes esse poterat. aut illo redditur loco: ut, *Cætera pubes senioris Acestæ Fertur equis.* Quamquam multi distinctione mutata tres equos commemorant: ut sit, plena. *Equus bicolor maculis, &* de alio dicatur VESTIGIA PRIMI ALBA PEDIS. Id est primorum pedum vestigia. & Frontem albam ostentabat alter.

GENVS VNDE ATYI DVXERE LATINI. Propter Atiam dicit matrem Augusti: de qua Antonius ait, Aricina mater. Vult enim ejus etiam maternum esse genus antiquum.

EXTREMVS. Quantum ad numerum spectat.

VARIORVM.

POLYTE. Apostrophe est, & Græcus vocativus. recedit vero identidem à Latina ad Græcam flexionem. Sic supra *Mnestea* dixit: sic *Orphei*, *Calliopea*, &c. Macrobium lib. 5. cap. 17. pete. HART.

ALTER ATYS; GENVS VNDE ATYI DVXERE LATINI. Quod Augusti causa dictum scribit Servius, qui ex Atia matre natus est. Hoc in Augusti gratiam dictum fuisse à Virgilio opinor; neque enim ulla vetus Atiorum mentio est. Atii plebeii fuerunt, neque præturæ gradum excessere, cognominaque Varri, Paulli, & Baldi tulerunt. PANVINIVS.

Sido-

Sidonio eſt invectus equo: quem candida Dido
Eſſe ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Cætera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equis.
Excipiunt plauſu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterumque agnoſcunt ora parentum.
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculoſque ſuorum
Luſtravere in equis; ſignum clamore paratis
Epytides longe dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrère pares, atque agmina terni
Diductis ſolvère choris; rurſuſque vocati
Convertère vias, infeſtaque tela tulère.
Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus
Adverſis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant; nunc ſpicula vertunt
Infenſi; facta pariter nunc pace feruntur.
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrûm nati veſtigia curſu
Impediunt, texuntque fugas & prælia ludo:
Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando

S E R V I I.

CÆTERA TRINACRIIS. Cætera pubes equis Aceſtæ fertur.

PAVIDOS. Gloriæ cupiditate ſollicitos: ut, *Corda pavor pulſans.*

FLAGELLO. Virga quæ ſonat in morem flagelli. CHORIS. Aciebus. VOCATI. Ictu virgæ.

ET NUNC TERGA NUDANT. Tria quæ in bellis geruntur cuncta commemorat: fugam, pugnam, pacem.

LABYRINTHUS. Locus apud Cretam factus à Dædalo perplexis parietibus: ubi Minotaurus incluſus eſt.

PARIETIBUS TEXTUM CÆCIS ITER. Hyppallage eſt, cæcum iter intextis parietibus. ANCIPITEM DOLUM. Perplexum errorem. FALLERET. Frangeret, deciperet. Eſt autem verſus Catulli.

IMPEDIUNT. Implicant, intexunt. Quod à veſtibus tractum.

DELPHINUM. Aut venit ab eo quod eſt Delphin delphinis, à delphine: aut delphinum pro delphinorum poſuit. MARIA HUMIDA. Homerus. ὑγρὰ κέλευθα.

V A R I O R U M.

FERTUR EQUIS. Comma eſt: quale illud ſupra, lib. 1. *Dardanidæ.* Colon vero eſt: *Hic curſus fuit.* HART.

INSONUITQUE FLAGELLO Humile mihi videtur hoc, parumque ei majeſtati & gravitati, quam ubique alias ſervat quam diligentiſſime, conſentaneum: fuiſſet magis decorum, tuba vel lituo ſignum exhibere. Opinor tamen eo Homerum alicubi æmulatum eſſe: Iliad. ψ. οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποιιν μάστιγας ἄειραν πεπλήγοντ' ἱμᾶσι. HART.

FLAGELLO. Id eſt virga, quæ ſonat in morem flagelli. Atque hoc à more Rom. ſumptum eſt: apud quos Magiſtratus aliquis præſidens ludis, ex ſuperiori loco auſpicandorum ludorum ſignum dabat: de quo Interpr. ad Sueton. in Nerone. TAUBM.

OLLI DISCURRERE. Proverb *Obliquus curſus.* De Olli, Quintil. lib. 8. cap. 3. H.

DIDUCTIS SOLVERE CHORIS. *Diductis*, pro ſeparatim in acie collocatis dixit; & *ſolvère* pro ſeparavere. HORTENS.

UT QUONDAM CRETA. Cælius lib. 9. c. 34. Lect. Antiq. Proverb. *Labyrinthus.* Dicitur autem, δέδοικα τὸ μὴ λαβεῖν θύρας. HART.

Digitized by Google

Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes,
Albani docuere suos. hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem.
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt solennia ludis,
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti;
Multa movens, necdum antiquum exsaturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, & littora lustrat,
Desertosque videt portus, classemque relictam.

S E R V I I.

CARPATHIUM. Mare est inter Ægyptum & Rhodum, ab insula Carpatho illic posita dictum. Nec mirum duas eum posuisse comparationes, cum & in secundo hoc fecerit, ut, *In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.* Et in Georgicis tres posuit comparationes, *Frigidus ut quondam sylvis immurmurat Auster.* Et, *Vt mare sollicitum stridit refluentibus undis.* Et, *Æstuat inclusis rapidus fornacibus ignis.*

PRIMUS ASCANIUS. Generis ordinem docet: ut in primo diximus.

RETTULIT. Innovavit, quod ante jam fecerat. PRISCOS LATINOS. Ita dicti loca ubi Alba est condita. PORRO. Post longum intervallum, & est adverbium temporis.

TROIAQUE NUNC PUERI, TROIANUM DICITUR AGMEN. Vt ait Suetonius Tranquillus, *Lusus ipse, quem vulgo pyrrhicam appellant, Troja vocatur*: cujus originem expressit in libro de puerorum lusibus.

HAC CELEBRATA TENUS. Tmesis est, hoc est hactenus. & hic sermo, quantum ad artem spectat, duas continet partes orationis: ut HÆC pronomen sit, TENUS præpositio, sicut *pube tenus*, & *crurum tenus*: sed jam usus obtinuit, ut pro una parte habeatur. ergo adverbium est (omnis enim pars orationis cum desierit esse quod est, in adverbium migrat) & est temporis: nam hucusque significat.

HIC PRIMUM. Sequitur enim Palinuri mors, vel Miseni.

IRIM DE COELO MISIT SATURNIA IUNO. Ex magna parte servatur, ut Mercurius ad concordiam, Iris ad discordiam mittatur: unde & Iris dicta est quasi ἔρις. Falsum est autem quod dicitur ministra esse tantum dearum: cum & à Iove plerumque mittatur: ut, *Aëriam cœlo nam Iuppiter Irim Dimittit, germanæ haud mollia jussa ferentem.*

VENTOSQUE ADSPIRAT EUNTI. Vt de Mercurio, *Voca Zephyros.* Et bene Irim mittit, quæ fit de nubibus, quarum dea est Iuno.

PER MILLE COLORIBUS ARCUM. Aut subaudis *factum*: aut Antiptosis est mille colorum, hoc est multi colorum.

NULLI VISA. Ad ipsum retulit numen. Nam arcus semper videtur: quem non Irim, sed viam Iridis dixit. Alii NULLI VISA, celeritatis esse volunt. Notandum sane etiam de Iride, arcum genere masculino dicere Virgilium: Catullus, & alii, genere fœminino ponunt; referentes ad originem, sicut hæc cattus, & hæc gallus legimus.

CONSPICIT INGENTEM. Quia ait supra, *Vndique conveniunt Teucri mistique Sicani.* CONCURSUM autem circa ludicra.

DESERTOSQUE VIDET PORTUS. A viris scilicet.

V A R I O R U M.

PRISCOS LATINOS. Trojani cum suo duce à Latino suscepti, & Aborigines, communi nomine nuncupati fuerunt *Latini*, qui & πρίσκοι, autore Dionysio lib. 1. Hi iidem & *Casci* nominabantur. MERULA, Cosmograph. part. 2. lib. 4.

TROIANUM DUCITUR AGMEN. Tangit veterem nobilium adolescentum apud Romanos consuetudinem: de qua politissimus scriptor Dion. Nicæus in Iulio Cæsare meminit. RUFUS.

Digitized by Google

At procul in ſola ſecretæ Troades actâ
Amiſſum Anchiſen flebant, cunctæque profundum
Pontum aſpectabant flentes: heu, tot vada, feſſis
Et tantum ſupereſſe maris, vox omnibus una:
Vrbem orant; tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Conjicit, & faciemque deæ, veſtemque reponit.
Fit Beroë, Iſmarii conjux longæva Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natique fuiſſent:
Ac ſic Dardanidûm mediam ſe matribus infert:
O miſeræ, quas non manus (inquit) Achaica bello
Traxerit ad lethum, patriæ ſub mœnibus! ô gens
Infœlix, cui te exitio fortuna reſervat?
Septima poſt Trojæ excidium jam vertitur æſtas,
Cum freta, cum terras omnes, tot inhoſpita ſaxa,
Sideraque emenſæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, & volvimur undis.

SERVII.

IN SOLA. Deſerta: Terentius, *Venit meditatus alicunde e ſolo loco* ACTA. Mutato η in α, ſuperiori accentum damus: ut ἑλένη Helena, κίρκη circa. Ergo quoniam & ἀκτὴ Græcum eſt cum acta facit, penultima debet habere accentum: ſed propter differentiam commutatur, ne non ſecreta, & amœna littorum, ſed acta ſignificet participaliter.

ASPECTABANT FLENTES HEV. Multi FLENTES HEV, diſtinguunt, ut ſit miſerabiliter flentes: & à perſona dicatur poëtæ. alii HEV à mulieribus dictum accipiunt.

FACIEMQVE DEÆ, VESTEMQVE REPONIT. Duo diverſa uno ſermone concluſit.

ISMARII DORYCLI. Illyrii. Iſmarus enim mons eſt Epyri. Et bene ſuadentis commendatur auctoritas.

AC SIC DARDANIDVM. MEDIAM SE MATRIBVS INFERT. Sic, aut mutato habitu: aut iſta dictura.

O MISERÆ. Magna utitur arte perſuadendi, ut non ex abrupto, quod perſuadere vult dicat: ſed circunſtantiis ad illud veniat.

EXITIO. Non regno.

SEPTIMA POST TROIÆ EXCIDIVM IAM VERTITVR ÆSTAS. Atqui & Dido dixit, *Nam te jam ſeptima portat Omnibus errantem terris & fluctibus æſtas.* De qua re quidam hoc dicunt: quod Æneas apud Carthaginem paucis diebus fuerit. Nam ait, *Cum ſubito adſurgens fluctu nimboſus Orion*: *qui oritur* (ut Salluſtius dixit) *juxta Solis æſtivi pulſum.* Item ait, *Dum pelago deſævit hyems & aquoſus Orion*: ut hyemem pro tempeſtate poſuerit. Secundum quod Carthagini paucis fuerit diebus. Sed illud occurrit, *Nunc hyemem inter ſe luxu quam longa fovere.* Et hoc quidam ſic putant, ut dicant potuiſſe fieri, ut intra anni metas, & ad Africam venerit, & inde navigaverit. Sed iſtis occurrit quod in primo ait, *Septima æſtas.* Vnde apparet hanc octavam fuiſſe: quod & ab Anchiſæ morte indicat annus impletus. Ergo conſtat quæſtionem hanc unam eſſe de inſolubilibus: quas non dubium eſt emendaturum eſſe Virgilium.

CVM TERRAS OMNES. Quia peragraverat multa.

SIDERAQVE EMENSÆ FERIMVR. Aut tempeſtates ait, quæ ortu vel occaſu ſiderum ſæpe naſcuntur. aut provincias, quæ ſideribus ſubjacent: ut, *Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.* PER MARE MAGNVM. Procelloſum. Lucretius, *Suave mari magno.*

ITALIAM SEQVIMVR FVGIENTEM. Vt alibi, *Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.* Et revera nullus ſequitur, niſi quod fugit. VOLVIMVR. Non dixit navigamus.

VARIORVM.

IN SOLA TROADES ACTA. Pro littore. Turneb. lib. 3. c. 1.

SECRETÆ TROADES. χωρὶς τῶν. Indecorum eſt, honeſtas matronas in publicis ſpectaculis miſceri viris. Tum autem in exequiis, matronarum erat, pullatas ſolutis crinibus mortuos lugere. HORT.

CVI GENVS. Ad utrumque referri poteſt, vel ad Beroën, vel ad Doryclum: ſed melius eſt ad Doryclum referas. NASCIMB.

IAM SEPTIMA VERTITVR ÆSTAS. Significat jam ſeptimam æſtatem recedere & finiri. Annum vertentem & menſem vertentem dicunt Latini, pro circumacto, expleto & finito. PONT.

Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O patria, & rapti nequicquam ex hoste penates;
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum, & Simoënta videbo?
Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quærite Trojam:
Hic domus est, inquit, vobis: nunc tempus agi res:
Nec tantis mora prodigiis. en quatuor aræ
Neptuno: deus ipse faces animumque ministrat.
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem:
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. hic una è multis, quæ maxima natu
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa matres,
Est Dorycli conjux, divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos: qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisque sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata:

SERVII.

HIC ERYCIS FINES. Argumentum à facili. Et est necessaria antithesis, ut opportunitate meliorum præsentium, animi à futuris incertis avertantur.

MVROS IACERE. Pro fundamenta jacere, nam *muri* duci dicuntur.

NEQVICQVAM. Qui non proderant, cum essent fatorum comites.

INFAVSTAS. Mali ominis.

NAM MIHI CASSANDRÆ. Non cui credere non debuerant: sed cum sua pernicie non crediderant.

HECTOREOS AMNES. Quemadmodum vidit sibi patriæ recordatione finxisse, aut non continget mihi videre flumina.

IAM TEMPVS AGI RES. Id est Trojam fieri.

MORA PRODIGIIS. Ecce prodigium de bono: & argumentatur ad incendium navium, aras ardere Neptuni: quas ideo quatuor dicit, quia singuli duces navium qui certaverant, singulas posuerant. Nam contrarium est, *Numero deus impare gaudet.* Alii tamen dicunt à Cloantho esse positas: qui promiserat supra.

DEVS IPSE. Maris, vel navium.

INFENSVM IGNEM. Id est ipsa infensa. TOT. Aut multorum: aut supra dictorum: ut, *Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum.*

NON BEROE VOBIS. Non est dissuasio, ut quidam putant: sed magis hortatur persuadendo numinis auctoritate. RHOETHEIA. A promontorio Rhœtheo.

DIVINI SIGNA DECORIS. Omnia colligit, quibus numina cognoscuntur: ut, *Namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat: ô dea certe.*

SPIRITVS. Odor: ut, *Divinum vertice odorem Spiravere.*

ET GRESSVS EVNTIS. ut, *Et vera incessu patuit dea.*

VARIORVM.

NVLLANE IAM TROIÆ DICENTVR MOENIA? Morem explicat, Turneb. lib. 14. cap. 4.

INFENSVM VI CORRIPIT IGNEM. Servius *infensum*, id est, ipsa infensa. Ego malo infensum ignem, respondere πυρὸς δηΐοιο apud Homerum toties. alibi Maro, *inimicum ignem.* GERM.

At

At matres primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ, spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:
Cum dea se paribus per cælum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monstris, actæque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars spoliant aras; frondem, ac virgulta, facesque
Coniciunt: furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per & remos, & pictas abiete puppes.
Nuntius, Anchisæ ad tumulum, cuneosque theatri,
Incensas perfert naves Eumelus: & ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus & Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat; sic acer equo turbata petivit
Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm, vestras spes uritis. en ego vester
Ascanius. galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illæ diversa metu per littora passim
Diffugiunt, sylvasque, & sicubi concava furtim

SERVII.

PRIMO ANCIPITES. Antequam numen agnoscerent. OCVLISQVE MALIGNIS. Pro ipsæ malignæ.

MISERVM INTER AMOREM PRÆSENTIS TERRÆ. Aut magnum: ut, Terentius. *Eam misere amat*: aut MISERVM, quo fiebant miseriores, cum eis regna negarentur.

PVPPES ABIETE PICTAS. In abiete pictas. Sane ABIETE, hoc est quæ erant de abiete.

EVMELVS. Latinus accentus est: translato nomine in Latinum.

CASTRA. ut, *Nos castra movemus*, id est classem. MAGISTRI. Custodes. Terentius, *Me filios relinquunt quasi magistrum.*

QVIS FVROR ISTE NOVVS? Quasi ad furentes loquitur. Vnde ne tum quidem agnitus, cum dixisset, *En ego vester Ascanius.* Novus autem est aut inopinatus. QVO TENDITIS? Id est quid habetis intentionis?

VESTRAS SPES VRITIS. Navibus enim ad regna tendebant.

INANEM. Concavam, vacuam sine capite. LVDO. Per ludum.

VARIORVM.

AMBIGVÆ, SPECTARE RATES. Tanquam sibi odiosas, propter longos labores, maximaque navigationis pericula. MISERVM INTER AMOREM. Μετωνυμικῶς, quo miserrimæ futuræ erant. NASC.

FOCIS PENETRALIBVS. Ab ipsis aræ interioris partibus, & à profano usu semotis. TAVBMANNVS.

ABIETE. Trisyllabum est in scansione: nam Proceleusmaticus non locum habet in hoc genere carminis. HART.

CVNEOSQVE THEATRI. Hic per *cuneos theatri*, μετωνυμικῶς etiam non inepte spectatores ipsos intellexeris.

QVIS FVROR ISTE NOVVS? Ascanii increpatio est in Trojanas mulieres, non tamen contumeliosa, sed ex intimo doloris affectu proveniens: initium habet abruptum, quale hominum concitatorum esse solet. Fœminas igitur insaniæ ac furoris redarguit, & quantum ex hac re damni atque incommodi futurum sit, ostendit. NASC.

Digitized by Google

Saxa petunt. piget incœpti, lucisque: suosque
Mutatæ agnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stupa, vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.
Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, & tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, siquid pietas antiqua labores
Respicit humanos: da flammam evadere classi
Nunc pater, & tenues Teucrûm res eripe letho.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte: tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, densisque nigerrimus austris:

SERVII.

EXCUSSAQUE PECTORE IUNO EST. Furoris causa, non furor. Idcirco quia furor desierat.

UDO SUB ROBORE. Vel vicino aquis.

STUPPA. Secundum antiquam orthographiam. Nam stippa dicta est à stipando: abusive etiam linum dicimus. TARDUM. Densum, crassum. Nam ignem solet fumus præire. Unde *tardum* ad densitatem retulit.

CORPORE. Navium: ut, *Et disjice corpora ponto.* DESCENDIT PESTIS. Incendium: more suo. Et declamavit per contrarium. Nam ignis superiora semper petit.

FLUMINA PROSUNT. Id est vis aquæ.

TUM PIUS ÆNEAS HUMERIS ABSCINDERE VESTEM. Et notant quidam quod damnum quatuor navium vir fortis & rex impatienter doleat: sed magis illud considerandum est, quod ait supra Ascanius, *Vestras spes uritis*: ut non damnum doleat, sed spem navigationis ereptam.

IUPPITER OMNIPOTENS. Figuratis agit coloribus: nec enim re vera vult perire: sed agit oblique ut restinguatur incendium. Bene autem SI ubique interponit. Hic enim est optimus ductus: qui agentis voluntatem latenter ostendit. EXOSUS. Antiqui & odi dicebant & osus sum: hinc est exosus, quo utimur: licet jam osus sum, non dicamus, odi autem & præsens est & præteritum. AD UNUM. Nullo excepto.

SI QUID PIETAS ANTIQUA LABORES RESPICIT HUMANOS. Aut si tibi chara pietas præstat aliquid humanis laboribus: aut si quid meremur propter pietatem cultam (ut, *Parce pio generi*) hoc ipsum remunerare. Aut (quod est melius) & vel respicit res humanas pietas, quæ de terris olim recessit.

RES ERIPE LETHO. Superflua Acyrologia est.

QUOD SUPEREST. Quod congrue sequitur.

SINE MORE. Sine exemplo. TONITRUQUE TREMISCUNT. Hic ablativus incertus est, unde veniat: utrum à neutro indeclinabili hoc tonitru, ut cornu; nam inde est, *Fractæque tonitrua nubes.* ut cornua. An à masculino secundum quartam declinationem. Hinc enim Statius, *Tonitrus agu, & mea fulmina torques.*

DONATI.

IUPPITER OMNIPOTENS. Amplexus est omnia quæ pro malorum necessitate fuerant postulanda. IUPPITER. Hoc solum satis est ad auxiliandum. OMNIPOTENS. Ut non solum præstandi habeat potentiam, sed etiam difficilia possit removere. Sed quoniam non satis est posse, nisi etiam velit: addit, *Si non omnes ad unum odisti*, id est, nisi me quoque odisti. Addit etiam commemorationem, ponens egestatis angustias: postremo ponit meritum postulantis, & plenum auxilium dantis.

VARIORUM.

VOMENS TARDUM FUMUM. Quis est hic obsecro tardus fumus? an amarus & acerbus? ut, *tardumque saporem Felicis mali.* an potius qui non celeriter emicat, præsertim densior, & ex materia uda, quique diutius durat, cunctaturque & diuturnior est? & verius putem. Sed & vapor, id est ignis, lentus erat. Nam etsi naves erant unctæ, tamen uda materia nonnihil officiebat igni. TURN. lib. 14. c. 4.

Im-

Digitized by Google

Implenturque ſuper puppes: ſemuſta madeſcunt
Robora; reſtinctus donec vapor omnis, & omnes
Quattuor amiſſis, ſervatæ à peſte carinæ.
At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat; verſans, Siculiſne reſideret arvis,
Oblitus fatorum, Italaſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte:
Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Iſque his Æneam ſolatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt, retrahuntque, ſequamur;
Quicquid erit, SVPERANDA *omnis fortuna ferendo eſt.*
Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſiliis ſocium & conjunge volentem:
Huic trade, amiſſis ſuperant qui navibus, & quos
Pertæſum magni incœpti rerumque tuarum eſt:
Longævoſque ſenes, ac feſſas æquore matres;
Et quidquid tecum invalidum, metuenſque pericli eſt,
Delige: & his habeant terris ſine mœnia feſſi.

SERVII.

ARDVA TERRARVM. Periphtaſis montium.
ÆTHERR TOTO. Pro aëre poſuit.

MADESCVNT ROBORA. Aut humectantur: aut reſolvuntur in cinerem: quod naturale eſt poſt incendium.

FATORVM. Oraculorum.

TVM SENIOR NAVTES. Bene daturum conſilium & ab ætate, & à prudentia, & à religione commendat. Quod autem dicit, Pallas quem docuit: propter illud quod ſupra diximus, fingitur: quia ipſe Romam Palladium detulit, Vnde Nautiorum familia Minervæ ſacra retinebat: quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Trojanis ſcripſit. VNVM. Præcipuum. TRITONIA PALLAS. Pro uno proprio, duo Antonomaſiva.

REDDIDIT ARTE. Id eſt virtute, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς.

RESPONSA DABAT. Laus conſilii. VEL QVÆ PORTENDERET IRA MAGNA DEVM. Quæ præſignificabat.

MAGNA IRA DEVM. Id eſt Iuno: ut alibi, *Cœleſtum vis magna jubet.*

SOLATVS VOCIBVS INFIT. Id eſt ſolatur & infit. Nam SOLANS debuit ponere: ſicut ſequens ejus indicat conſolatio.

QVIDQVID ERIT. Vt ait, *Fuerint quæcunque, fatebor.* FERENDO EST. Dum fertur: modus gerundii eſt à paſſivo.

EST TIBI. Iam hoc conſilium eſt, id eſt habes.

DIVINÆ STIRPIS. Propter Dardanum ab Criniſo fluvio.

VOLENTEM. Voliturum. Nam velle habet, non jam vult.

SVPERANT. Superſunt, ſuperfluunt. Dicit autem non tantum debiles, ſed etiam nolentes juvenes. Vnde ſequitur, *Longævoſque ſenes.* nec enim adderet QVE, niſi ſupra IVVENES dixiſſet. Vnde ſequitur expreſſius, *Et quidquid tecum invalidum metuenſque pericli eſt.*

PERTÆSVM MAGNI INCŒPTI. ut, *Si non pertæſum thalami tedæque fuiſſet.*

DONATI.

SENIOR. Et ætate & arte à Pallade accepta meruerat audiri. Eſt autem huic ſententiæ conſona illa Terentiana: *Quando id fieri non poteſt quod vis, id velis quod poſſis.*

VARIORVM.

TVM SENIOR NAVTES. Alludit ad cuſtodiam Palladii, quam ſibi Nautii, qui genus ad Nautem illum Trojanum referebant, ſacrorumque Minervæ adminiſtrationem vindicabant, à quo etiam Romæ clara Nautiorum familia. De eorum familia, Turneb. lib. 26. cap. 17. GERMAN.

QVO FATA TRAHVNT, RETRAHVNTQVE. S. Iterum ab Homerica ſecta deſciſcit. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturnal.

Digitized by Google

Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici:
Tum vero in curas animus diducitur omnes,
Et nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis
Anchisæ subito taleis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Chare magis, nate Iliacis exercite fatis;
Imperio Iovis huc venio; qui classibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. gens dura atque aspera cultu,
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, & Averna per alta
Congressus pete nate meos: non me impia namque
Tartara habent, tristesque umbræ: sed amœna piorum
Concilia, Elysiumque colo. huc casta Sibylla

SERVII.

PERMISSO NOMINE. Ab Aceste scilicet. Dicta autem Acesta, Segesta.

TVM VERO. Nam & ante ea cogitaverat: ut, *Pectore curas Mutabat versans.* ANIMVM DIDVCITVR. Græca figura: ut, *Mentem lesus.*

ET NOX ATRA POLVM. Quasi major causa cogitationis: ut, *Et sub noctem cura recursat.* BIGIS. Proprie modo, non ut Statius, *tenuaverat aëra biga,* abusus est.

COELO FACIES DELAPSA PARENTIS. Aut secundum quod supra diximus, quia animæ cœlum tenent, simulacra vero apud inferos sunt. aut ad errorem pertinet somnii: nam & visa ait. aut certe intelligamus, à Iove missam potestatem aliquam, quæ se in Anchisæ converteret vultum, ut religiosus videretur. Nam & dicit, *Imperio Iovis huc venio:* & infert, *Elysiumque colo.*

CHARE MAGIS. Pro charior. Bene autem addidit, *Dum vita manebat.* Vt ostendat vita fuisse chariorem.

IMPERIO IOVIS. Ab auctoritate: ut, *Ipse deum tibi me claro demittit Olympo Regnator.*

NAVTES DAT SENIOR. Vt solet, iisdem usus est sermonibus. Nam ait, *Cum senior Nautes.*

ATQVE ASPERA CVLTV. Quod in nono latius exequitur, *Natos ad flumina primum Deferimus,* usque, *At patiens operum.*

DEBELLANDA TIBI. Bello perdomanda, & bene victoriam, non bella prædicit, in quibus esse poterat terror.

AVERNA PER ALTA. Vt Gargarus gargara: & Tartarus tartara: Mænalus Mænala pluraliter, ita Avernus Averna.

NON ME IMPIA NAMQVE. Propter facilitatem.

AMOENA. Amœna sunt loca solius voluptatis plena: quasi amunia, unde nullus fructus exsolvitur: unde etiam nihil præstantes, immunes vocamus.

PIORVM CONCILIA, ELYSIVMQVE COLO. Elysium est ubi piorum animæ habitant post corporis animæque discretionem. Vnde & interitus dicitur res inter animam & corpus veniens. Ergo Elysium, ἀπὸ τῆς λύσεως ab absolutione. Quod secundum poëtas in medio inferorum est suis felicitatibus plenum: ut, *Solemque suum sua sydera norunt.* Secundum Philosophos Elysium est insulæ fortunatæ: quas ait Salustius inclytas esse Homeri carminibus: quarum descriptionem Pius commentator dicit esse sublatam: secundum Theologos circa lunarem circulum, ubi jam aër purior est. Vnde ait ipse Virgilius, *Aëris in campis.* Lucanus, *Non illuc auro positi, nec thure sepulti perveniunt.*

VARIORVM.

VRBEM APPELLABVNT PERMISSO, &c. Ab Aceste permisso, intelligendum est. Quidam legunt *promisso*, nec invenuste, ut hoc sit præmium, quod polliceri debeat Æneas, si eos recipere Acestes non recusarit. Vel promisso à fatis sive ab oraculis, κατὰ τὸ σιωπώμενον, ut multa alia apud Virgilium. NASCIMB.

ET NOX ATRA POLVM. Νὺξ μελαινίζουσα. Hic igitur *Nox* ponitur, quasi major causa cogitationis.

BIGIS SVBVECTA. Vt Soli quadrigas tribuunt; ita Lunæ bigas: cui duplex proprietas, crescendi & decrescendi. TAVBMAN.

Ni-

Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.
Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia, diſces.
Iamque vale: torquet medios nox humida curſus:
Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenueis fugit, ceu fumus in auras.
Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes,
Pergameumque larem, & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio, & plena ſupplex veneratur acerra.
Extemplo ſocios, primumque acceſſit Aceſten:
Et Iovis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſt t.
Haud mora conſiliis: nec juſſa recuſat Aceſtes.

SERVII.

TVM GENVS OMNE TVVM, ET QVÆ DENTVR MOENIA, DISCES. Hæ ſunt cauſæ propter quas Æneas deſcendit ad inferos: generis agnitio, & civitatis nomen: quod ei nullus unquam prædixerat: ſed ſolus pater indicat. Latet enim ut ſupra diximus, verum urbis nomen, unde ei pater quaſi pro myſterio & adfectione ait, *illa inclita Roma.* Et nomen quidem Romæ à poëta dictum eſt, nam verum urbis nomen, ut dictum eſt, latet.

TORQVET MEDIOS NOX HVMIDA CVRSVS. ET ME SÆVVS EQVIS ORIENS AFFLAVIT ANHELIS. Dies eſt plenus, qui habet viginti quatuor horas. Nam & nox pars diei eſt. Dicimus autem diem à parte meliore. Vnde & in uſu eſt, ut ſine commemoratione noctis, numerum dicamus dierum. Hic autem dies ſecundum Ægyptios inchoat ab occaſu Solis: ſecundum Perſas ab ortu Solis: ſecundum Etruſcos & Athenienſes à ſexta hora diei: ſecundum Romanos à media nocte: & hos nunc ſecutus ait, MEDIOS CVRSVS NOX HVMIDA TORQVET, &c. Hæc autem plene exſequuntur, & Cicero in auguralibus, & Aulus Gellius in libris noctium Atticarum. hoc etiam illa res juris indicat, quod cum tribunum plebis abnoctare ab urbe non liceret, licebat tamen exire poſt noctem mediam, & ante mediam reverti.

SÆVVS ORIENS. Solem dicit, cujus lux eſt umbris inimica. Vnde Lucanus, *Et medio ferit axe diem.* Eſt autem phyſicum. Nam pereunt umbræ, Solis adventu.

ÆNEAS, QVO DEINDE RVIS? Ordo eſt. Æneas deinde, quo ruis?

QVEM FVGIS? Quaſi ignorans rationem, qua fugeret.

CANÆ. Aut antiquæ, aut propter ignis favillas.

PRIMVM. Principem.

FARRE PIO. Vel quia exinde ſacrificabant: vel quia mos fuit apud majores, ut divinum ignem farre ſervarent: qui ſi duraſſet in alterum diem, eum aptum agendis rebus ſignificabant. Far autem frumenti certa ſpecis eſt, ſicut adoreum. Horatius, *Non ſumptuoſa blandior hoſtia, Mollibit averſos Penates Farre pio & ſaliente mica:* Et Tibullus, *Farre pio placant & ſaliente ſale.*

HAVD MORA. Hoc eſt quod ait, & *conjunge volentem.* NEC IVSSA. Voluntatem, ut ſupra, *Infandum regina jubes renovare dolorem.* Aut certe quæ Iuppiter juſſerat.

VARIORVM.

NIGRARVM PECVDVM. Hom Odyſſ ν. οἴνοπι βόε dicit. HART.

ET ME SÆVVS EQVIS ORIENS &c. Adventante die, diſcedit ab Ænea Anchiſes: noctu enim ſolent dii, in quorum numero manes ponuntur, inviſere terras, interdiu relinquere. Hinc illud adjunctum *ſævus*; quia Sol, ſeu lux umbris iſtis inimica. TVRNEB. lib 14. cap. 4.

CANÆ PENETRALIA VESTÆ. Hoc epitheto Maro Veſtam & Fidem proſequutus eſt, tum propter vellus album, quo brachia ad digitos pene ſacrifici utriuſque ſexus rite involvebant; tum quod Veſtæ ſacræ virgines albo, à primo, puriſſimo, ſynceriſſimoque colore amictu uterentur: unde & Propert: lib. 4. *Vel cui commiſſos cum Veſta repoſceret ignes, Exhibuit vivos carbaſus alba focos.* Alii epitheton ad canitiem & annos referunt, probitatem & integritatem priſci ſæculi reſpicientes. GERMAN.

PLENA VENERATVR ACERRA. *Acerra* ara, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur. Alii dicunt arculam eſſe thurariam, ſcilicet ubi thus reponebant. Sic Feſtus. vide & Tiraquell. in Alexand. lib. 2. cap. 7. BRISSON. Formul. lib. 1. pag. 26.

EXTEMPLO SOCIOS. Magna brevitas narrationis. Vocavit Aceſten & ſocios, quid Iupiter Anchiſe nuntio & interprete præcepiſſet, indicavit, quod Homerus totum iiſdem verbis reperiviſſet. Quid ſibi placeret adjecit. Invenit Aceſten admodum promptum ac volentem. DONATVS.

Transcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque, rudentesque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos: hoc, Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet. gaudet regno Trojanus Acestes:
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos,
Et lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata novem gens omnis, & aris
Factus honos: placidi straverunt æquora venti;
Creber & aspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per littora fletus:
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, & non tolerabile numen,

SERVII.

TRANSCRIBVNT VRBI MATRES. Romani moris verbum est. Transcripti enim in colonias deducebantur. VRBI. Ad urbem.

DEPONVNT. Quasi de navibus. Aut Æneas deponit eos, qui nulla gloriæ cupiditate tangebantur. aut hi qui erant transcripti, id est matres & volentium multitudo deponunt animos, id est submittunt inertiæ.

ROBORA NAVIGIIS. Melius hic distinguitur.

EXIGVI NVMERO: SED BELLO VIVIDA VIRTVS: Transiit ad rem à numero.

VRBEM DESIGNAT ARATRO. Quem Cato in originibus dicit morem fuisse. Condituri enim civitates, taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: & cincti ritu Sabino, id est togæ parte capitis velati, parte succincti tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca designabant murorum, aratrum suspendentes circa loca portarum. Vnde & territorium dictum est quasi tritorium, tritum bubus & aratro.

REGNO TROIANVS ACESTES. Sub nomine enim ejus fuerat civitas appellata.

INDICITQVE FORVM. Id est tempus & locum distinguendorum negotiorum definit, qui conventus vocatur. INDICIT autem verbum juris est, & per hoc potentem vult significare civitatem.

ET PATRIBVS DAT IVRA VOCATIS. Dat condendi juris potestatem his quos appellaverat patres: aut certe vocatis patribus jura distribuit. Hi autem, ut Salustius dicit, *Vel ætate vel cura similitudine patres appellati sunt.* Senatores autem alii à senecta ætate: alii à sinendo dictos accipiunt. Ipsi agendi facultatem dabant per senatusconsultum.

ERYCINO IN VERTICE. Eryx mons Siciliæ supra Drepanum, ubi fuit templum Veneris Erycinæ.

IDALIÆ. Cypriæ. SACERDOS. Alii ad tumulum, alii verso ordine ad templum referunt: ut lucus tantum tumulo detur Anchisæ: ut in Bucolicis, *Inducite fontibus umbras Pastores.* Nemora enim aptabant sepulchris.

VISA MARIS FACIES. Vt alibi, *Mene salis placidi vultum.* Vult autem istos aspectum quoque maris horrere.

DONATI.

PATRIBVS DAT IVRA VOCATIS. Hoc ad Æneam refertur, ad quem redit post expletam Acestæ benevolentiam.

VARIORVM.

TRASIBVNT VRBI MATRES. De pecunia tractus est sermo. nam *scribi* est dare. Proprie vero *Transcribi* Iureconsultis dicuntur; quorum jus in alium transit. Sic & Trojani hi pulchre dicuntur *transcribi*, quasi omne jus suum Acestæ cesserint, ejusque imperio obnoxii degere velint. HASC.

DEPONVNT ANIMOS. Metaph. explicat Turneb. lib. 14. cap. 4.

EXIGVI NVMERO. Cælius lib. 4. cap. 5. Lect. Antiq.

VRBEM DESIGNAT ARATRO. Alexander lib. 6. cap. 14. Cælius lib 26. cap. 5. HART.

INDICITQVE FORVM. Sic indicere Senatum.

Digitized by Google

Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lachrymans commendat Acestæ.
Treis Eryci vitulos, & tempestatibus agnam
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funes.
Ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora, pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira & inexsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omneis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla:
Nec Iovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Vrbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem
Relliquias Trojæ: cineres atque ossa perempta

SERVII.

FVGÆ. Profectionis.

ERYCI ET TEMPESTATIBVS. Bene junxit. Procellæ enim aut de fluminibus, aut de montibus fiunt, quas ἀξεστοὶ dicunt, vulgo *perspenas* appellant.

SOLVIQVE EX ORDINE FVNES. Ordo est, jubet cædere ex ordine, id est rite peragi sacrificium: & sic solvi funem ut in septimo, *Phrygiamque ex ordine matrem Invocat.* id est rite. Vel....* quo naves ad terram ligantur.

TONSÆ OLIVÆ. Comptæ minutis frondibus.

PROCVL IN PRORA. In parte extrema.

EFFVNDIT PECTORE. Voces. Hoc est cum dolore: ut ait, *Funditque preces rex pectore ab imo.*

PRECES DESCENDERE AD OMNES. Si quid invidiæ est in humillimis precibus, imputandum non est per omnia Iunoni. Nam *omnes* dicendo, etiam humiles significat: unde ait etiam *descendere.*

QVAM NEC LONGA DIES. Longum tempus: de quo licet melius fœminino genere dicamus, tamen & masculino dicimus. Nam de certo die, masculino tantum utendum est. Vt natalis meus dies est. PIETAS NEC MITIGAT. Aut Trojanorum, quia pii sunt: aut certe propter illud, *Iunoni Argivæ jussos adolemus honores*: quasi quæ nec sacrificiis placaretur.

INFRACTA. Valde fracta: ut, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.*

MEDIA DE GENTE. Id est totius gentis potentem. EXEDISSE. Muliebriter dictum. Nam inde est quod sequitur, CINERES ATQVE OSSA PEREMPTÆ. Sane EDO habet & rectam, sed antiquam declinationem, ut edo edis edit: & anomalam, ut edoes, est. Quarum secunda & tertia, personæ longæ sunt, propter differentiam, Sum es est. EDIT autem in præterito producit E, Edi, edisti, edit: ut legit.

DONATI.

IVNONIS GRAVIS. Magnum artificium: nam in ipso principio & suam personam commendat, & adversariæ deturpat. & incipit à nomine, & addit, *gravis ira.* & exaggerat, quod pectus ejus dicat insaturabile. Quam autem crudelis in Trojanis sit, ipsius Neptuni testimonio probat.

VARIORVM.

TEMPESTATIBVS AGNAM. Ritum explicat Turneb. lib. 14. cap. 4.

EX ORDINE. Rite. Quid si, *Ex ordine*, id est absque mora exponas? ut sit sensus. jubet fieri sacra; quibus peractis, deinde absque mora, nullo intermisso tempore solvi funes. NASCIMB.

STANS PROCVL IN PRORA, &c. Æneas jubet alios tempestati agnam cædere. ipse vero Princeps exta illius in mare porricit, & unum fundit. Hoc enim sacrificio putabant mare tranquillum fieri. NASC.

PORRICIT IN FLVCTVS. Macr. lib. 3. c. 2. Saturn. Morem explicat Turneb. lib. 26. c. 17. Muret. lib. 14. cap. 2. Variar.

Digitized by Google

Insequitur. caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis, tu testis, in undis
Quam molem subito excierit. maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis:
In regnis hoc ausa tuis.
Proh scelus: ecce etiam Trojanis matribus actis,
Exussit fœde puppes, & classe subegit
Amissa, socios ignota linquere terra.
Quod superest, oro; liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne est Cytherea meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. merui quoque: sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris (Xanthum, Simoëntaque testor)
Æneæ mihi cura tui: cum Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemerentque repleti
Amnes: nec reperire viam, atque evolvere posset

SERVII.

CAVSAS TANTI SCIAT ILLA FVRORIS. Bene supprimit. Contra ipsam enim sunt quæ Iuno in decimo exsequitur, *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.*

QVAM MOLEM. ut, *Tantas audetis tollere moles.*

NEQVICQVAM. Aut sine causa, id est, nulla extante ratione: aut *Nequicquam*, quantum ad ejus pertinet mentem. Vnam enim navem vertit ex omnibus. Vnde ait Iuno. *Quæ potui infœlix, quæ memet in omnia verti Vincor ab Ænea.*

IN REGNIS HOC AVSA TVIS. Vt alibi, *Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem.* ACTIS. Furore compulsis: ut, *Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.*

IGNOTÆ. Ignobili. IIII. Georg. *Nam sæpe favos ignotus adedit Stellio.* Et dixit IGNOTAM, Italiæ comparatione. Nam ignota non erant ad quam bis Trojani venerant.

VELA TIBI. Id est per regnum tuum.

SI CONCESSA PETO. Siquidem. Nam modo SI confirmantis est. Agit autem à possibili.

FAS OMNE EST. Fas te est: hoc est, possibile est. MEIS REGNIS FIDERE. Fido, dativum tantum regit.

VNDE GENVS DVCIS. Vt diximus supra, quia feliciter est navigaturus Æneas, Venerem dicit à mari procreatam: & ut fert fabula, Celus pater fuit Saturni: cui cum iratus filius falce virilia amputasset, lapsa in mare sunt; de quorum cruore & maris spuma nata dicitur Venus. Vnde & ἀφροδίτη dicitur, ἀπὸ τῆ ἀφρῦ, id est spuma. Sed hoc habet ratio, Omnes vires usu venerio debilitantur: qui sine corporis damno non agitur. Vnde fingitur Venus nata per damnum: de mari autem ideo, quia dicunt Physici sudorem salsum esse; quem semper elicit coitus. Vnde etiam myrtus ei consecrata est, quæ littoribus gaudet: ut ait, *littora myrtetis lætissima.* Ideo autem diximus Cœlus pater, ut deus significaretur. Nullus enim deus generis neutri est. Nam *Celum* genere neutro elementum significat. MERVI QVOQVE. Etiam præstiti: ut, *Nec te regina negabo Promeritam.* Alii dicunt militavi: ut, *Ære merent parvo.*

RABIEM TANTAM COELIQVE MARISQVE. Vt in primo legimus.

IN TERRIS. Etiam in terris: Nam augmentum est.

VARIORVM.

MARIA OMNIA CÆLO MISCVIT. Proverbialis hyperbole, *mare cælo miscere*, pro eo, quod est omnia perturbare, nihilque non facere. Livius, *Quid tandem est, cur cælum ac terras misceant.*

IN REGNIS HOC AVSA TVIS. Illius superbiam notat: quæ cum suis se finibus continere debuisset, nimis superbe aliena occupavit. NASC.

VNDE GENVS DVCIS. Id est, Ex spuma maris nata Venus: & ob id ἀφροδίτη. Cælium vide, lib. 29. cap. 15. HART.

In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam: nec diis, nec viribus æquis,
Nube cava eripui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timores:
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quæret:
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta deæ permulsit pectora dictis,
Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omneis effundit habenas.
Cæruleo per summa levis volat æquora curru.
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies: immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

SERVII.

IN MARE SE XANTHUS. Omnia hæc Homeri sunt.

NEC DIIS, NEC VIRIBUS ÆQUIS. Id est diis iniquis, hoc est adversis. Liptotes figura. Aut *non æquis*, non æquali favore. Plures enim Græcis favebant. De matribus autem, id est Thetyde & Venere intelligere non possumus: quia Thetyde melior Venus est, & ei præsenti derogare nollet.

CUPEREM CUM VERTERE AB IMO. Quod proprium ejus est: ut, *Magnoque emota tridente Fundamenta quatit*. Hinc & ut supra dicimus, ἐνοσίχθων dictus est. fecit autem augmentum, cum se præstitisse dixit iratum.

PORTUS ACCEDET. Hic distinguendum, ne sit contrarium Veneris petitioni, quæ ait, *Liceat Laurentem attingere Tybrim*. AMISSUM QUEM GURGITE QUÆRET. Misenum dicit: de quo legimus, *Inter saxa virum spumosa immerserat unda*.

UNUM PRO MULTIS DABITUR CAPUT. Hic Palinurum significat Nam falsum erit, si unum voluerimus accipere: duo enim constat occisos, Misenum & Palinurum.

LÆTA PERMULSIT. Et læta fecit, ut, *Animumque labentem Impulit*. Aut certe perpetuum est epitheton Veneris.

SPUMANTIA FRÆNA. Spumas vomentia. FERIS. Equis: ut, *Inque feri curvam compagibus alvum Contorsit*.

VARIÆ COMITUM FACIES. Aut beluas dicit marinas secundum naturam: aut poëtice deos marinos. IMMANIA CETE, Græca declinatio τὸ κῆτος κήτη, ut, βέλος βέλη. Nam Latine sic declinari non potest. Nullum enim apud nos animal generis neutri est, nisi forte hic cetus, hujus ceti dicamus: quod nusquam lectum est. Nam dicuntur canes marini.

ET SENIOR GLAUCI CHORUS. Glaucus Anthedonius piscator fuit: qui cum captos pisces supra herbam abjecisset, & eos vidisset recepisse quam amiserant animam: intellecta herbarum potentia, decerptam herbam gustavit, & se præcipitavit in maria, & in deum marinum commutatus est: cujus chorum ideo senem dicit, quia ipse senex fuerat. Aut certe propter spumarum colorem: sicut pene omnes dii finguntur esse maris. INOUSQUE PALÆMON. Melicerta Inous filius. Et notandum patronymicum à matre in authore idoneo.

PHORCIQUE EXERCITUS OMNIS. Dii qui sub Phorco agunt. Hic autem Phorcus dicitur Thoosæ nymphæ & Neptuni filius. Ut autem Varro dicit, rex fuit Corsicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege, navali certamine cum magna exercitus parte fuisset obrutus, finxerunt socii ejus, cum in deum marinum esse conversum.

VARIORUM.

IUNGIT EQUOS CURRU GENITOR: Equus Neptuno consecratus erat, vel tanquam creatori, vel domitori. Unde & Consualia ludi Neptuno instituti, qui ἱπποκράτια Græcis: per quorum religionem & procurationem omne veterinum genus laboris immune feriabatur. GERMAN.

IN MARE SE XANTHUS. Ex Homero est, Iliad. φ. [illegible], καὶ νίκης, &c. Et in υ. HARF.

PERJURÆ MOENIA TROJÆ. Propter L[illegible]medonta. Vide Ovid. lib. 11. Et Homerum φ. Iliad. πὰρ Διὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτὸν μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ, &c. Λαομέδων ἔκπαγλος ἀπηλείσας ἀπέπεμπε.

Læva tenent Thetys & Melite, Panopeaque virgo,
Nisæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Vna omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros solvêre sinus: una ardua torquent
Cornua, detorquentque: ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii cursum contendere jussi.
Iamque fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat, placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ:
Cum levis æthereis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum, & dispulit umbras;
Te Palinure petens: tibi tristia somnia portans

SERVII.

LÆVA TENENT THETYS. Satis prudenter sexum debiliorem sinistræ adplicat parti.

NISÆE. Media diphthongus est.

VICISSIM. Quia reliquerat quidem socios, sed feliciter petebat Italiam.

PERTENTANT. Sollicitant.

ATTOLLI MALOS. Id est vela per malorum volubilitatem levari. Nam cum navigaret, non dubium quod olim erexerat arbores.

FECERE PEDEM. Id est Podium, hoc est funem quo tenditur velum. SINISTROS, NVNC DEXTROS. Pro auræ mutabilitate.

CORNVA. Antemnarum extremitates. SVA FLAMINA. Prospera, à puppi venientia.

PRINCEPS ANTE OMNES. Vnum verbum vacat.

MEDIAM COELI METAM. Perite loquutus est. Nam medium cœlum meta est *ἀναβιβάζοντος* circuli: qui medius est inter ortum & occasum. A medio autem cælo & finitur ortus, & occasus incipit sydenum. alter est horizontis, qui segregat aspectum hujus cœli, ab alio invisibili nobis.

SVB REMIS FVSI PER DVRA SEDILIA NAVTÆ. Id est requierant paululum, sic remos tenentes.

LEVIS. Vel adventu, vel discessu. Nam in utroque est levis. DISPVLIT VMBRAS. Nam semper deos ambit nimbus.

TE PALINVRE PETENS. Fastiose aggrediens, adpetens. Et sciendum in majus celebrari Palinuri mortem more poëtico, quem dormientem in undas constat missum. SOMNIA. Soporem. Bene autem discernit ista Virgilius, ut Somnum ipsum deum dicat: Somnium, quod dormimus: Insomnium, quod videmus in somnis: ut, *Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.*

VARIORVM.

INTENDI BRACHIA VELIS. Antennas volunt intelligi, quibus expansa carbasorum cornua, brachiorum speciem habent. At Nascimbæn. de brachiis nautarum intelligendum censet. TAVBMAN.

VNA OMNES FECERE PEDEM. ibi Servius *id est podium, hoc est funem quo tenditur velum.* ita legendum, non *podiam*, *τὸ πόδιον.* nunc dextri porro nunc sinistri solvebantur velorum sinus, pro venti mutabilitate, & pro ut dextera aut sinistra adflaret. pedes ergo proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Isidorus *propedem* vocat *τὸν πρόποδα*, & funem interpretatur, quo pes veli alligatur. unde & pro velo poëtæ plerumque sumunt; quibus in navi vertendorum velorum munus incumbebat, *pedem tenere* dicebantur. Turneb. lib. 20. cap. 4. & lib. 25. c. 21. SALMASIVS.

PEDEM. Pes, Græcè *πούς.* Hic funis est, quo velum tenditur. Homer. Odyss. *ε κάλως τε πόδας τ' ἐνέδησαν ἐν αὐτῇ.* Euripides in Oreste; & Lazarus Baysius, libro de re navali primo. HART.

PRINCEPS ANTE OMNES. Non vacat unum horum, *Princeps ante omnes*, sed alterum est dignitatis, alterum ordinis. Tale illud 2. Æneid. *Primus ibi ante omnes magno. &c.* NASCIMB.

AD HVNC CVRSVM CONTENDERE IVSSI. Cursum navigationis Cicero ad rempublicam transtulit, pro Sextio: *Quid est igitur propositum his reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quo dirigere cursum debeant?* Et idem de Oratore. lib. 1. *Eum vitæ cursum tenere potuerunt.* Vnde & *honorum decursus.* GERMAN.

AERA TENEBROSVM. Hom. Iliad. ξ. *ἔνθ' ὕπνος μὲν μακροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν.* HARTVNG.

In-

Insonti: puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas;
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem:
Æquatæ spirant auræ; datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori:
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Æneam credam quid enim fallacibus Austris,
Et cœli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus, & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat:
Ecce, deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora: cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus;
Et super incumbens, cum puppis parte revulsa,
Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.

SERVII.

IASIDE. Fili Iasi. IPSA ÆQVORA CLASSEM. Id est & æstu & aura nostris utimur.

ÆQVATÆ SPIRANT AVRÆ. Prosperæ: ut, *Æquatis classem procedere velis.*

PONE CAPVT. Bene particulatim ad id venit, quod aperte dictum refutaretur. LABORIS. Ex intuendis syderibus. PAVLISPER. Hoc est paululum dum tu quiescis.

VIX ATTOLLENS LVMINA. Aut à syderibus removens. aut certe numinis præsentia prægravatus: quod est melius. Nam & sequens ejus oratio turbata est: quod & semiplenæ indicant elocutiones.

VVLTVM. Mutabilitatem, quæ fit pro qualitate ventorum.

IVBES. Vis: ut, *Infandum regina jubes renovare dolorem.* MENE HVIC CONFIDERE MONSTRO? Subaudis vis, jubes.

ÆNEAM CREDAM. Per contrarium dicit. Cur Æneam committam cœlo, & auris fallacibus, qui sum totiens serenitatis fraude deceptus? QVID ENIM. Quid ni? cur non?

FRAVDE SERENI. Serenitatis: ut, *Servantissimus æqui.* Alii legunt deceptus fraude cœli sereni.

VIQVE SOPORATVM STYGIA. Morte plenum.

VTRAQVE TEMPORA. Per utrunque tempus. CVNCTANTI. Quasi reluctanti. NATANTIA. Errantia somni vicinitate.

CVM PVPPIS PARTE. Prooeconomia: ut triduo natare potuerit.

VARIORVM.

CVI VIX ATTOLLENS LVMINA. Egregie naturam, moremque semisopiti hominis expressit: cui adeo sunt graves oculi, ut eos vix attollat. N.

MENE SALIS PLACIDI? &c. MENE HVIC, &c. Ideo ἐμφατικῶς, MENE, ait: qui fallacem, ementitamque illius placiditatem, sæpe cum magno meo periculo expertus sum. MENE HVIC, &c. Verbi & sententiæ repetitio acriorem reddit orationem. NASCIMB.

CLAVVMQVE AFFIXVS. Homerus Odyss. ε. αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως. HART.

LETHÆO RORE MADENTEM. *Lethæo rore* autem dixisse videtur, ut supra, *Inferias Orphei lethæa papavera mittes*: & Georg. 1. *Lethæo perfusa papavera somno*: ut quibus vis insit à frigiditate somnifica. Ros à veteribus pro humore & aqua usurpatur sæpissime, quod observatu dignum. Ita rorem lachrymarum dixit Naso, & Horat. maris rorem, pro aqua marina. PONTAN. GERMAN.

VIQVE SOPORATVM STYGIA. Usus hujus vocis observandus videtur: neque enim ex vi directa verbi *soporo* omnino accipi debet, nec hoc loco, nec lib. 6. ubi de offa melle soporata agit poëta: neque enim *soporata* pro sopita potest intelligi, sed quæ melle soporifero, vique somnifica imbuta, & macerata sit; ramus hic *soporatus*, soporifero, ὑπνωτικῷ φαρμάκῳ imbutus. Turneb. lib. 9. c. 26. & lib. 21. cap. 4. GERMAN.

Currit

Currit iter tutum non secius æquore classis:
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant:
Cum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit: & ipse ratem nocturnis rexit in undis;
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium cœlo & pelago confise sereno,
Nudus in ignota Palinure jacebis arena.

SERVII.

CVRRIT ITER. Vt Cicero, *Ite viam, redite viam.* TVTVM. Præsidio Neptuni.

SIRENVM. Sirenes secundum fabulam parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filiæ. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat: & primo juxta Pelorum, post in Caphareis insulis habitaverunt, quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam eos ducebant ad egestatem, his ficta sunt inferre naufragia: has Vlysses contemnendo deduxit ad mortem. Sirenum autem genitivus est, veniens ab hac Sirene.

TVM RAVCA. Ac si diceret, antehac delectabili voce resonabant, tunc fluctibus solis, & bene imitatus est maris stridorem. SALE SAXA SONABANT: *Cum pater amisso fluitantem errare magistro Sensit.* Naturale enim est ut fluctuet navis, sine gubernatore.

NOCTVRNIS REXIT IN VNDIS. Dat ei hoc & in decimo, ut, *Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat.*

MVLTA GEMENS. Nomen pro adverbio. Hoc est multum & satis gemens. CASV AMICI. Propter ruinam: allusit ad nomen.

PELAGO CONFISE. Hoc est quod supra Palinurus excusat.

NVDVS. Insepultus, mortuus. ut, *Et freta destituent nudos in littore pisces.* IGNOTA. Peregrina, ante non visa. Nam in sexto dicturus est, *Paulatim adnabam terræ, jamque arva tenebam.* Sciendum sane Tuccam & Varrum hunc finem quinti esse voluisse. Nam à Virgilio, duo versus sequentes huic juncti fuerunt: unde in nonnullis antiquis codicibus sexti initium est, *Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci.*

VARIORVM.

IAMQVE ADEO SCOPVLIS SIRENVM. Capreatum insulam intelligit, quæ est in ora Campaniæ contra Neapolim. De Sirenibus Homerus Odyss. μ. & Ovid. lib. 5. Metamorph. aliique plurimi. TAVBMAN.

SALE SAXA SONABANT, Pulcherrima alliteratione, hoc est συγκρότησιν saxorum sonitum imitando expressit. Scalig lib. 4. cap. 48.

RATEM NOCTVRNIS REXIT IN VNDIS. Temporibus heroicis, ut nandi inscitia probro erat, ita & Heroës αὐτόχειρες gubernandæ navis peritia valebant; ut non solum ab hac facultate Vlyssem commendaverit Homerus, & siderum scientia, sed & ab opificio & fabrili artecompingendæ formandæque navis, ut videre est, Odyss. ε. GERMAN.

PELAGO CONFISE SERENO. Proverbialis versiculus. HART.

NVDVS IN IGNOTA. Versus Heroice incomptus. Macrob. lib. 5. cap. 14. Saturnal. Martialis ad nomen alludit. Turneb. lib. 13. cap. 19.

IN IGNOTA ARENA. Locus commiserationis, ex circumstantiis: quod nudus, quod in ignoto loco, quod in arena insepultus, atque indefletus jaceat. NASCIMB.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER SEXTUS.

SIC fatur lachrymans: classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naveis: & littora curva
Prætexunt puppes. juvenum manus emicat ardens

SERVII.

TOtus quidem Virgilius scientia plenus est: in qua hic liber possidet principatum: cujus ex Homero pars major est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum, Theologicorum Ægyptiorum: adeo ut plerique de his singulis hujus libri integram scripserint pragmaticam. Sane sciendum, licet primos duos versus, Probus & alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos. Nam & conjunctio poëmatis melior est, & Homerus etiam sic inchoavit, ὡς φάτο δακρυχέων.

CLASSIQVE IMMITTIT HABENAS. Navibus suis, sive navi quæ *classis* dicitur: vel quod fiat de fustibus. *Calas* enim dicebant majores nostri fustes quos portabant servi sequentes dominos ad prælium: unde etiam *Calones* dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, & vallum: *vallum* autem dicebant calam: sic Lucilius, *Scinde calam ut caleas*, id est, ô puer, frange fustes & fac focum. Inde ergo *classem* dictam dicunt. Alii *classem* hinc magis dictam volunt: apud majores nostros stipendium prælio terrestri miles pedester dabat: equites vero dabant in navali certamine. nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde jam quod ab equitibus debetur stipendium, tractum est: ut diceretur *classis*. Proprie enim *classes* equitum dicimus. CLASSIQVE. Aut suæ navi, quæ classis, ut in primo diximus, dicta est, ἀπὸ τῶν ξύλων, id est à lignis. Vnde Horatius, *Me vel extremos Numidarum in agros classe releget*. Aut omnium quæ ejus cursum sequuntur. Palinuri enim implet officium, de quo supra ait, *Ad hunc alii cursum contendere jussi*. IMMITTIT HABENAS. Aut funes per metaphoram dixit: aut Homerum secutus est, qui ait ἠρτύναντο δ' ἐρετμὰ τροποῖς ἐν δερματίνοισιν. Et alibi, ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσιν, id est loris tortis. his enim utebantur antiqui.

ET TANDEM. Ad Æneæ desiderium retulit, olim ad Italiam venire cupientis. Cæterum mora non congruit, de Capreis Cumas usque in tanta vicinitate longam fuisse navigationem, præsertim accedente favore Neptuni. An *tandem* ad consuetudinem navigantium, quibus nulla non longa navigatio videtur? an *tandem*, ad idem tempus refertur, ex quo Troja navigatum est? EVBOICIS ORIS. A Colonia Cumas appellavit. Nam Euboea insula est, in qua Calchis civitas est, de qua venerunt qui condiderunt civitatem in Campania, quam *Cumas* vocarunt: vel ἀπὸ τῶν κυμάτων: vel à gravidæ mulieris augurio, quæ Græce ἔγκυος dicitur. ALLABITVR. Venit celeriter: ut, *Labere nympha polo*. PELAGO. In pelagus, sic dictum est, ut, *It clamor cælo*. Bene autem OBVERTVNT. non obvertit, ut non Æneæ, sed sociis vilia & nautica dentur officia. Ars gubernandi vero soli tribuitur Æneæ. DENTE TENACI. Vnde in primo, *Vnco non alligat ancora morsu*. Ancora (ut diximus) in Græco aspirationem non habet: nam ἄγκυρα dicitur. Inde apud majores sine aspiratione proferebatur. Contra thus & orchus veteres dicebant & lurcho, id est vorax: quibus sequens ætas detraxit aspirationem.

IVVENVM MANVS. Post conditam in Sicilia civitatem, senum aut nulla aut rara fit mentio. ARDENS. Festinans: ut, *Instant ardentes Tyrii*.

VARIORVM.

Anteponendus est hic liber cæteris sine controversia, in quo splendor revera omnigenæ doctrinæ, eruditionisque mirum in modum elucet: & in iis, quæ ad rhetoricam, dicendique facultatem pertinent, si in reliquis libris copiosus est & gravis, in hoc certe est admirandus. Neque septem Homeri, neque omnis Græcia, si in unum vires omnes suas conferat, sextum librum Æneidos unquam adæquaverit. MASCIM. MODICIVS.

Hunc librum explicat Turnebus toto cap. 21. l. 13. & lib. 19. cap. 17. & lib. 22. c. 1. & lib. 28. c. 44 & 46. Allegoricus sensus hujus libri explicatur à Cælio lib. 7. c. 1. Lect. antiq. In quibus hoc libro Homerum æmuletur, Macrob. lib. 5. cap. 2. Saturnal.

ANCHORA FVNDABAT NAVES. Ita sentiendum est dici, quod stabiliat navigia, eisque pro quodam firmamento subjecta sit, ut fundamenta esse solent deorsum jacta. Vel FVNDABAT, id est, sistebat, quod enim in fundo est, non movetur, Anchora enim fundo committit navès. Vide & adagium. *Sacra anchora* TVRN. l. 13. c. 21. & l. 29. c. 24. SCAL

Digitized by Google

Littus in Hesperium: quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis: pars densa ferarum
Tecta rapit, sylvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Iam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.

SERVII.

LITTVS IN HESPERIVM. Hic ostenditur esse minorem, & omnem Italiam Hesperiam dictam (ut supra diximus) vel à rege, vel à stella. SEMINA FLAMMÆ. σπέρμα πυρὸς Homerus dicit, id est semen ignis.

ABSTRVSA IN VENIS SILICIS. In Georg. *Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.* Abstrudere enim est, de industria celare. FERARVM TECTA. Epexegesis sylvæ.

FLVMINA MONSTRAT. Quæcunque fluenta. Et sciendum monstrari Æneæ, ad expiandum se. Nam funestatus fuerat morte Palinuri: non quod eum viderat, sed quod funus agnoverat, id est doluerat. In eo enim est pollutio quod ait, *Casuque animum concussus amici.* Nam ipsa impiant quæ agnoscimus. Vnde in Livio habemus, Horatium Pulvillum, cum Capitolium dedicare vellet, audisse ab inimico mortuum filium: & ne pollutus dedicare non posset, respondisse, *cadaver sit.* Hanc autem purgationem Æneæ dat ubique Virgilius, ut paulo post, *Corpusque recenti Spargit aqua.*

AT PIVS ÆNEAS. Opportune hoc loco, quippe ad templa festinans. ARCES QVIBVS ALTVS APOLLO. Cum ubique arx Iovi detur, apud Cumas in arce Apollinis templum est: *altus* autem vel magnus: ut, *Iacet altus Orodes.* Et de ipso Apolline, *Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo.* Vel ad simulacri magnitudinem retulit, quod fuisse constat altissimum. Cælius enim de Cumano Apolline ait, *Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes xv.* Cujus meminisse putatur Virgilius.

QVIBVS PRÆSIDET. Quibus præest, quas defendit. HORRENDÆ. Venerandæ: ut, *Horrendum sylvis & relligione parentum.* PROCVL. Haud longe. procul enim est & quod præ oculis est: & quod porro ab oculis. Vnde duplicem habet significationem.

ANTRVM IMMANE PETIT. Epexegesis domus Sibyllæ. MENTEM ANIMVMQVE. Petissologia est. Nam secundum Lucretium unum est, mens & animus.

DELIVS INSPIRAT VATES. Apollo fatidicus. & sic ait *Delius*, ut, *Nunc Lyciæ sortes*, id est Apollineæ. Bene autem Sibylla quid sit, expressit, *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* Nam ut diximus, *Sibylla* dicta est quasi σιῶ βουλὴ, id est dei sententia. Æolici enim σιὼς deos dicunt.

TRIVIÆ LVCOS. Congrue Apollini, Dianæ juncta sunt templa: ut & paulo post, *Phœbi, Triviæque sacerdos.* Et bene fit Lucorum Dianæ commemoratio: quia petiturus est inferos. AVREA TECTA. Apollinis scilicet.

VARIORVM.

LITTVS IN HESPERIVM. Non otiose, nec ab re: sed ἐμφατικῶς ad augendam Trojanorum virtutem splendoremque, hoc dictum esse videtur. Quasi innuere velit, tales in littore Italico sese Trojanos prætulisse, ut non solum Italis, viris bellicosissimis splendore virtutis æquari, verumetiam anteferri posse viderentur. HASCIME.

QVÆRIT PARS SEMINA FLAMMÆ. Quibus verbis, quid aliud innuit, nisi formam ignis in silice, vi ac potestate latere? deinde in actum educi, non ab extrinseca idea procreari. HASCIME.

SEMINA FLAMMÆ. Homericum est. Macrobius lib. 5. cap. 12. Homer. Odyss. ε. σπέρμα πυρὸς HART.

QVÆRIT PARS SEMINA FLAMMÆ. *Semina flammæ*, vocat Maro scintillas, quæ excutiuntur, & fomentis exceptæ & cremiis, flammam excitant, ut merito ejus semina dici debeant. TVRNEB. libro 13. cap. 21. Brodæus libro 5. Miscell. cap. 36.

INVENTAQVE FLVMINA MONSTRAT. Æneæ, ut inquit Servius, ad se expiandum, qui morte Palinuri funestatus fuerat. arguta sane interpretatio. Sed monstrat hic alter alteri non absq; lætitiæ signo, cum locum nacti fuerint valde opportunum, regionemque beneficio naturæ sibi apprime commodam, rebusque necessariis abundantem, idque ex more militari dictum arbitror: nam militibus præcipua cura est, & esse debet, ut aquandi liberius facultatem habeant. HASCIME.

MAGNAM MENTEM, ANIMVMQVE. Non hic idem *mens*, quod *animus*: nec περισσολογία est ulla: sed *mens*, pars animi est: ut apud Catull: *Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.* Lactant. lib. 7. *Non idem est*, inquit, *Mens & animus. aliud enim est quo vivimus: aliud quo cogitamus. Nam dormientium Mens, non animus sopitur: & in furiosis Mens extinguitur, Animus manet.* Certe *Amentes* dicuntur & *dementes*, consilii expertes, quod *Mens* pro sapientia & intellectu capiatur: *Animus* vero pro vitæ ac voluntatis fundamento. Hinc illud in Terent. *Mala mens, malus animus.* Turneb. lib. 28. cap. 44. Victorius lib. 39. cap. 6.

Dæda-

Digitized by Google

Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,
Inſuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem ſuperaſtitit arce.
Redditus his primum terris tibi Phœbe ſacravit

SERVII.

DÆDALUS (UT FAMA EST) FUGIENS MINOIA REGNA. Vbique de incertis dubitat, ut, *Fama eſt Enceladi.* Sane fabula de hoc talis eſt. Indicato à Sole adulterio Martis & Veneris, Vulcanus minutiſſimis catenis lectulum cinxit: quibus Mars & Venus ignorantes implicati ſunt, & cum ingenti turpitudine reſoluti ſub teſtimonio cunctorum deorum. quod factum Venus vehementer dolens, ſtirpem omnem Solis perſequi infandis amoribus cœpit. Igitur Paſiphaë Solis filia, Minois regis Cretæ uxor, Tauri amore flagravit: & arte Dædali incluſa intra vaccam ligneam, ſeptam corio juvencæ pulcherrimæ, cum tauro concubuit. Vnde natus eſt Minotaurus: qui intra Labyrinthum incluſus humanis carnibus veſcebatur. Sed Minos de Paſiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phedram: Sed Androgeus cum eſſet athleta fortiſſimus, & ſuperaret in agonibus cunctos, apud Athenas ab Athenienſibus & vicinis Megarenſibus conjuratis occiſus eſt. Quod Minos dolens, collectis navibus bella commovit: & victis Athenienſibus pœnam hanc ſtatuit, ut ſingulis quibuſque annis ſeptem de filiis ſuis edendos Minotauro mitterent. Alii dicunt à Minoë in vindicta filii occiſi ſicut dictum eſt, Phœbum rogatum, qui cum Athenienſibus peſtilentiam miſiſſet præceptum oraculo eſt de ſeptenis filiis annuis ad Minotauri paſtum dirigendis. Sed tertio anno Ægei filius Theſeus miſſus eſt, potens tam virtute quam forma. qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuiſſet, ex Dædali conſilio labyrinthi iter filo rexit: & necato Minotauro cum rapta Ariadne victor aufugit. Quæ cum omnia factione Dædali Minos repperiſſet effecta, eum cum Icaro filio ſervandum in Labyrinthum truſit. ſed Dædalus corruptis cuſtodibus, vel ut quidam tradunt ab amicis ſub faciendi muneris ſpecie, quo ſimulabat ſe regem placare poſſe, ceram & linum accepit & pennas, unde tam ſibi quam filio alis impoſitis evolavit per ſummam *ædis* partem quæ apud veteres ſine tecto erat, cum filio volavit, ipſe juxta terram volans. Icarus altiora petens, dum cupit cœli portionem cognoſcere, pennis Solis calore reſolutis, mari in quod cecidit nomen Icarium dedit. Dædalus vero primo Sardiniam, ut dicit Saluſtius, poſt delatus eſt Cumas: & templo Apollini condito ſacratiſque ei alis, in foribus hæc univerſa depinxit. Dicendo autem Virgilius, ut fama eſt, oſtendit requirendam eſſe veritatem. Nam Taurus notarius Minois fuit: quem Paſiphaë amavit, cum quo in domo Dædali concubuit: & quia geminos peperit, unum de Minoë, alium de Tauro, enixa eſſe Minotaurum dicitur: quod & ipſe paulo poſt oſtendit dicens, *Mixtumque genus.* Sed incluſum Dædalum corruptis relaxavit regina cuſtodibus: quia miſſo in mari filio, navi delatus eſt Cumas: quod & ipſum tangit dicens, REMIGIUM ALARUM. Alæ enim & volucrum ſunt, & navium. ut *Velorum pandimus alas.* Panoticos deliacon * Dædalum propter ſupradictas cauſas fugientem navem conſcendiſſe, & cum imminerent qui eum ſequebantur, intendiſſe pallium ad adjuvandum ventos, & ſic evaſiſſe. Illos vero qui inſequebantur reverſos nuntiaſſe, pinnis illum evaſiſſe. Menecrates Dædalum occiſo Patruele fratre Cretam petiſſe dicit, Icarum filium ejus ab Atticis pulſum, dum patrem petit naufragio periſſe, unde mari nomen.

Quidam hunc Dædalum Eupalami filium arte fabrili nobilem, occiſo Perdice ſororis ſuæ filio, quem ſolum habere metuebat æmulum artis ſuæ, nam ab illo & uſum ſerræ de oſſe interiore piſcis, & circinum propter nomen ſuum. * Nam aliquibus circinus putatus eſt appellatus, vel ut quidam organum inventum tradunt, fugientem invidiam ad Minoëm delatum Cretam, Paſiphaës uxoris ejus nefandi ſtupri dolum fabricaſſe. MINOIA REGNA. Cretam ſcilicet, id eſt à Minois ſævitia *.

PRÆPETIBUS PENNIS. Vel velocibus, vel felicibus. *Præpetes* autem dictæ vel quod priora petant, vel ſummi volatus, vel qui præ petit volatum, vel quæ ſecundum auſpicium facit, & quidam *præpetes* tradunt, non tantum aves dici quæ proſperius prævolant, ſed etiam locos quos capiunt, quod idonei feliceſque ſunt, unde bene Dædali pinnas *præpetes*, quia de locis in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit, *præpetes* enim ſunt aves boni augurii, quod huic dat quia pervenit. AUSUS SE CREDERE COELO. Quaſi alienis rebus. Horatius, *Expertus vacuum Dædalus aera pennis non homini datis.* INSUETUM. Hominibus ſcilicet.

ENAVIT AD ARCTOS. Bene miſcet utrunque. *Nare* enim & de navibus dicimus: ut *Natat uncta carina.* Item, *Et terris adnare neceſſe eſt.* Et de volatu: ut, *Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen.* Ad Arctos autem, ſi ad fabulam, contra Septentrionem, ut quidam volunt propter fervorem Solis & ceratas pinnas: ſi ad veritatem, ad Septentrionis obſervationem quod navigantibus convenit.

CHALCIDICAQUE. Quam civitatem Chalcidenſes condiderunt, & ſupra de inſula, nunc à civitate dedit epitheton.

REDDITUS HIS PRIMUM TERRIS. Quaſi de alieno elemento in ſuum. Horatius, *Finibus Atticis reddas incolumem precor.*

VARIORUM.

DÆDALUS, UT FAMA EST. Gellius lib. 6. cap. 6. HARTUNG.

CHALCIDICAQUE LEVIS. Gellius lib. 10. cap. 16.

Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus, lethum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi (miserum) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Cnosia tellus.
Hic crudelis amor Tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mistumque genus, prolesque biformis,
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit;
Cæca regens filo vestigia. tu quoque magnam
Partem opere in tanto (sineret dolor) Icare haberes.

SERVII.

REMIGIVM ALARVM. Artem volandi. Et iterum miscet dicendo *remigium*, quod est navis. POSVIT. Exædificavit.

LETHVM ANDROGEO, Secundum Atticam linguam genitivus singularis Græcus est: cum ipse alibi, *Androgei galeam*, quidam tamen hic subaudiunt *posuit*, id est, pinxit: ut Horatius, *Qualis Parrhasius prodidit aut Scopas solers, nunc hominem ponere nunc deum: hic saxo, liquidis ille coloribus.* Sane nonnulli hunc *Androgeum* non ita quemadmodum supradictum est, insidiis occisum; sed à Marathonio tauro, qui flammas vomere dicebatur, conflagratum tradunt.

CECROPIDÆ IVSSI. Athenienses à rege Cecrope. PENDERE autem, solvere: quod ut supra diximus, tractum est à pecuniaria damnatione. MISERVM. Dolentis interjectio: ac si diceret *nefas*. Et quid est *miserum* subjunxit dicens: SEPTENA QVOTANNIS CORPORA NATORVM. Septena quotannis, quidam septem pueros & septem puellas accipi volunt, quod & Plato dicit in Fædone, & Saffo in Lyricis, & Bacchilides in Dithyrambis, & Euripides in Hercule, quos liberavit secum Theseus, quorum hæc nomina feruntur: Hipposorbas & libi, idest * Arcadis, Antimachus Euandri, Mnesteus Sunniani, Fidocus Ramnutis, Demolion Cydani, Puriesion Celei: Puellæ, Hæcperibea Alcatini * Medippe Pyrii, Iesione Celei, Andromache Eurymedontis, Eurymedusa Polixeni, Europe Laodicis, Milita Triaconi. *

CORPORA NATORVM. Bene CORPORA, quæ adempta vita consumebantur. Vt super orbitatem parentibus ne sepelire quidem liberos licuisset, magna ergo periphrasi dicta est. STAT. Aut horret: ut, *Stant lumina flammis.* Aut plena est, ut, *pulvere cælum Stare vident.* Aut re vera *stat*, post ductas sortes; aut certe ad picturam respexit. Nam volvi in pictura non poterat urna. Et licet non poterat, & non sit urnæ stare, de pictura tamen bene dictum est. Sed si STAT, horret acceperimus: DVCTIS SORTIBVS. intelligimus de qua ducebantur: ut, *Et qua vectus Abas.* Nam à passivo (ut sæpe diximus) inveniri non potest participium præsens. Proprie autem *ductis sortibus*: Sallustius, *Sorte ductos fusti necat.*

ELATA MARI. Petite dixit, eminens est enim, & bene situm expressit: ut enim Salustius dicit, *Creta altior est qua parte spectat orientem.* RESPONDET. Aspicitur. Nam contra Athenas est posita.

SVPPOSTAQVE FVRTO. Hoc est furtim inclusa in vaccam ligneam, quæ erat operta ejus vaccæ corio, quam maxime taurus adpetebat: aut *furto* adulterio, ut *Vulcani, Martisque dolos & dulcia furta*; potest autem sicut dictum est, & ad vaccam referri, cujus specie tauro furata sit coitum.

MIXTVMQVE GENVS. Secundum veritatem. PROLESQVE BIFORMIS. Secundum fabulam.

VENERIS MONVMENTA NEFANDÆ. Aut memoria turpissimi coitus, aut ultio Veneris à Sole proditæ. Significat autem Minotaurum.

INEXTRICABILIS ERROR. Insolubilis, indeprehensibilis. Horatius, *Si pugnat extricata densis cerva plagis.* SI EXTRICATA, est soluta: INEXTRICATA, insoluta sine dubio.

REGINÆ. Regis filiæ Ariadnes.

OPERE IN TANTO. In foribus adfabre factis.

VARIORVM.

REMIGIVM ALARVM. A Græcis ductum esse ostendit. Pet: Victorius lib. 25. cap. 23. Variar.

POSVITQVE IMMANIA TEMPLA. De conditore Dædalo. Turn. lib. 19. cap. 17.

ANDROGEO CECROPIDÆ. Genitivus est Atticus. Ovidius lib. 8. De eadem re lege Floridum, lib. 2. cap. 23. succisivarum lect. Est enim (*Miserum*) hic interjectio dolentis. HART.

HIC LABOR ILLE DOMVS. Cælius lib. 9. cap. 34. lect: antiq.

REGINÆ MISERATVS AMOREM. Dædalum, administrum & interpretem muliebrium amorum fuisse, poëtæ multi consentiunt. Vnde & *γυναικείων ἐρώτων ὑπουργὸν* cum vocat Eustathius. GERM.

Bis

Digitized by Google

Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni jam præmissus Achates
Afforet; atque una Phœbi, Triviæque sacerdos
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam (nec sacra morantur
Jussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum;
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

SERVII.

BIS PATRIÆ CECIDERE MANVS. Ideo. Quia Patriæ. QVIN PROTINVS OMNEM. Ostendit plura fuisse quam dixit depicta.

PERLEGERENT. Perspectarent. Scilicet picturam. Nec incongrue dictum legerent: nam Græce γράψαι, scribere significat & pingere. Hoc est quod ait Horatius in arte poëtica, *Et nova fictaque nuper habebunt Verba fidem, si Græco fonte cadant parce detorta.* PRÆMISSVS ACHATES. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus *secundum*, id est secundum taciturnitatem.

DEIPHOBE GLAVCI. Subaudis FILIA, & est proprium nomen Sibyllæ. Multæ autem fuerant, ut supra diximus, quas omnes Varro commemorat: & requirit à qua sint fata Romana conscripta: & multi sequentes Virgilium, ob hoc Cumanam dicunt: ut quæ licet longæva legatur, tamen non valde congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos. Ducitur tamen Varro ut Erythræam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum in quo fuerant, apud Erythram insulam, in Asia ipsa inventa sunt carmina.

NON HOC ISTA SIBI TEMPVS SPECTACVLA POSCIT. Vt supra diximus Apollinem sex mensibus apud Lycios, & sex apud Delum dedisse responsa. Item lectum est deos aliquotiens tantum calendis, aliquotiens tantum idibus vaticinari: nonnunquam diei vel prima, vel media, vel postrema parte. Vnde est in jure *fissus dies*, id est non totus religiosus: quem nunc ostendit dicens non oportere Æneam, religiosam diei partem perdere, id est oraculis congruam. Sane sciendum POSCIT lectionem esse meliorem. Tempus enim poscit spectacula, non à spectaculis poscitur.

NVNC GREGE DE INTACTO. Gregem pro armento posuit. Nam de juvencis dicturus est, sed hæc per poëticam licentiam sæpe confundit. Illo loco proprie posuit, *Quinque greges illi balantum quina redibant Armenta.* INTACTO autem, indomito: ut, *Intacta totidem cervice juvencas.*

LECTAS DE MORE BIDENTES. DE MORE, antiquo scilicet quem prætermisit: quasi tunc omnibus notum, id est ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram: per quod docet aliud esse intactum, aliud lectum. BIDENTES autem, ut diximus supra, oves sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores: quæ erant aptæ sacrificiis.

EVBOICÆ RVPIS LATVS. Deest *est*, hoc est montis Cumani, quem Euboici habitaverunt. Est autem Acyrologia. Coloniæ enim epitheton rei dedit immobili. IN ANTRVM. In antri similitudinem, ut *Portus ab Eoo fluctus curvatus in arcum.*

QVO LATI DVCVNT ADITVS CENTVM. Non sine caussa & aditus & ostia. Nam Vitruvius qui architectonica scripsit, *ostium* dicit per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab ostiando dictum: *aditum* ab adeundo per quem ingredimur. OSTIA CENTVM. Finitus numerus pro infinito: licet & possit rationabiliter dictum esse. Responsa enim Sibyllæ in hoc loco plus minus centum sermonum sunt. Inveniuntur tamen Apollinis elogia, & viginti quinque & trium sermonum. Vnde & melius est finitum pro infinito accipi.

TOTIDEM VOCES. Ac si diceret tot sermones.

VARIORVM.

QVIN PROTINVS OMNIA, &c. Cælius l. 14. cap. 34. lect. antiq.

NI IAM PRÆMISSVS ACHATES. Pet. Crinitus lib. 22 cap. 2.

NVNC GREGE DE INTACTO. Turnebus. lib. 13. cap. 21. & lib. 18. cap. 2. admonet, de hostiis injugibus accipi à Macrobio, quod nefarium videretur juvencum aratorem, immolare, ut Theon Arati interpres scribit: qua impietate non videri obstringi, qui juvencum nondum domitum, nec laboris socium, nec in dominum beneficum mactabat. Idem quoque vult, esse qui jam domitas pecudes sacris non puras censent, ut hominum manu & labore rustico contaminatas. GERMAN.

RVPIS IN ANTRVM. Id est in formam antri. Turneb. lib. 24. cap. 40.

Ventum erat ad limen, cum virgo, Poscere fata
Tempus ait: deus ecce, deus. Cui talia fanti,
Ante fores subito, non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota, precesque,
Tros (ait) Ænea? cessas? nec enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus. & talia fata
Conticuit, gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, fuditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Æacidæ: magnas obeuntia terras

SERVII.

DEVS ECCE DEVS. Vicinitate templi jam adflata est numine. Nam furentis verba sunt deum velle ostendere, qui ipsi tantum videtur. Sane cauti satis esse debemus, quando plena sit numine, & quando deum deponat. De Miseno enim post vaticinationem dictura est.

NON COLOR VNVS. Idem Lucanus, *Stat nunquam facies.*

COMPTÆ COMÆ. Antehac scilicet. Nam propter sacra resolutæ sunt: ut, *Vittasque resolvit Sacratæ capitis.*

MAIORQVE VIDERI. Videbatur, sicut solebat in vaticinatione apparere per numinis præsentiam: quod humanis inludebat aspectibus. Vnde ait, *Majorque videri.* Non enim erat re vera.

NEC MORTALE SONANS. Alia enim vox numinis est: ut, *Nec vox hominem sonat.* item. *Vocisve sonus, vel gressus euntis.* ADFLATA EST NVMINE. Nondum deo plena: sed adflata vicinitate numinis. QVANDO. Siquidem: nam conjunctio est, nec dubium adverbium.

CESSAS IN VOTA. Tardus es ad vota facienda. Nam si dixerit *Cessas in votis*: hoc significat, tardus es dum vota facis. Aliud est cessas in illam rem, aliud cessas in illa re: tardus es ad faciendam rem, & tardus es in facienda re. Figurate autem dixit, *cessas* circa promittenda vota numinibus.

TROS. Principale pro derivativo, pro Troïus. ANTE DEHISCENT. Trahit hoc de Matris deum templo: quod non manu, sed precibus aperiebatur.

ATTONITÆ. Stupendæ, non stupentis. Ergo ATTONITÆ, facientis attonitos: ut, *Mors pallida, Tristis senectus.* ORA DOMVS. Quia supra ait, *Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.*

PER DVRA CVCVRRIT OSSA TREMOR. Religionis est non divinæ & reverentiæ. Alibi, *Ipse manum multo suspensum numine ducit.*

PECTORE AB IMO. Mentis intimo, nec immerito: nam illa re divinitas flectitur, quæ est nobis cum divinitate communis, id est sensu.

PHOEBE GRAVES TROIÆ SEMPER MISERATE LABORES. Secundum Homerum, qui eum dicit semper Trojæ propugnatorem fuisse. & bene ait, MISERATE, quia Troja defendi non potuit. Ideo non dixit qui defendisti: sed misertus es.

DARDANA QVI PARIDIS. Achilles à matre tinctus in Stygè palude, toto corpore invulnerabilis fuit, excepta parte qua tentus est: qui cum amatam Polyxenam, ut in templo acciperet, statuisset; insidiis Paridis post simulachrum latentis occisus est. Vnde fingitur quod tenente Apolline, Paris direxerit tela: & bene ait *direxit*, quasi ad solum vulnerabilem locum. *Dardana* autem ideo, ut non adultero, sed genti præstitisse videatur. TELA MANVSQVE. Vel quia aliud sine alio esse non potest. vel hoc dicit, Et artem per tela nosse, & ut nosset quid feriret: & virtutem per manus dedisti, ut ejus vota compleres.

MAGNAS OBEVNTIA TERRAS TOT MARIA INTRAVI. Terras cingentia: Oceanus quidem ambit omnes terras: & licet iste per ea maria navigaverit, quæ terris cinguntur: tamen non dixit improprie, si de Oceano ista nascantur.

VARIORVM.

NON VVLTVS, NON COLOR VNVS. Movet affectum ex habitu personæ. Macrob. lib. 4. cap. 1. Saturn.

NON COLOR VNVS. Budæus, in prioribus Annotat. in Pandect. facit mentionem hujus loci. H.

ATTONITÆ MAGNA ORA DOMVS. Græcis ἐμβρόντητον. Turneb. lib. 28. cap. 44.

MAGNA ORA DOMVS. *Attonitum*, ἐμβρόντητον reddit Turnebus, quod hic accipit dictum de æde fatidica & vaticinante, oraculum habente, quod furore concitatos, præsagos futuri reddat. GERMAN.

Digitized by

Tot maria intravi, duce te, penituſque repoſtas
Maſſylum gentes, prætentaque Syrtibus arva:
Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſecuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas eſt parcere genti,
Diique, deæque omnes, quibus obſtitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ: tuque ô ſanctiſſima vates
Præſcia venturi, da, (non indebita poſco
Regna meis fatis) Latio conſidere Teucros,
Erranteſque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo & Triviæ ſolido de marmore templa
Inſtituam, feſtoſque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.

SERVII.

TOT MARIA. Dicendo MARIA, partes eum maris navigaſſe ſignificat, non totum mare. Mare enim elementum eſt totum. Maria vero, partes ſunt: ſicut & terræ, partes ſunt: terra vero totum elementum eſt. PENITVSQVE REPOSTAS. Longe remotas, avias.

MASSYLVM GENTES. Maſſyli ſunt Mauri. Vnde ſpeciem pro genere poſuit. Nam Æneas ad Africam venit: cujus partem conſtat eſſe Maſſyliam. Mediterranea enim eſt pars Mauritaniæ. Vnde à parte totum accipere debemus. PRÆTENTAQVE SYRTIBVS ARVA. Circumfuſa. Incerta enim illic ſunt maria & terræ. Vnde ait Lucanus, *Æquora fracta vadu, abruptaque terra profundo.*

PRENDIMVS. Quippe fugientem Italiam.

HAC TROIANA TENVS. Id eſt hactenus, huc uſque: id eſt, hic ſit finis. Nam TENVS proprie eſt extrema pars arcus, ut Plautus oſtendit, unde tractum eſt, ut *hactenus*, hucuſque ſignificet. TROIANA autem fortuna. Ideo à præjudicio, id eſt mala, adverſa: & dicit iniquum eſſe, ut Trojanam fortunam patiantur in Italia.

FAS EST PARCERE GENTI. Quæ ſe victam fatetur.

QVIBVS OBSTITIT ILIVM. Ganymedes enim Hebæ obfuit: Paris Minervæ, & Iunoni. Cur autem cum dixerit, *Diique deæque omneis*, dearum tantum reperiamus exempla? non mirum eſt, cum ſupra dixerimus [illegible] eſſe omnes deos. Poſſumus ergo & per unam rem utrunque intelligere, licet dicatur etiam Neptuno obfuiſſe Troja ex denegata mercede. Novimus præterea eſſe morem poëticum, ut duabus prӕpoſitis rebus uni reſpondeant: ut, *Navita cum ſtellis numeros, & nomina fecit Pleiadas, Hyadas: claramque Lycaonis Arcton.* Nam ſupreſſo numero dixit nomina.

PRÆSCIA VENTVRI. Abſolutum eſt, rerum venturarum. DA. Dic, ut *Quis ſit, da Tityre nobis.* Vnde eſt è contra, *Accipe nunc Danaum inſidias.* Non enim aliquid præſtare poterat, ſed indicare futura. NON INDEBITA POSCO REGNA MEIS FATIS. Deeſt SI. Eſt autem εἱρμὸς, id eſt longiſſimum Hyperbaton, Phœbe, & Vos dii deæque tuque ô vates *da*, id eſt dic Latio Teucros conſidere, ſi non poſco regna meis fatis indebita. *Dic* autem *conſidere*, id eſt utrum poſſimus conſidere. Et verecunde ait, *Non poſco indebita*, cum certum conſtet regna deberi.

ERRANTESQVE DEOS. ut, *Diis ſedem exiguam patriis.* AGITATAQVE NVMINA TROIÆ. Aut mecum vexata: aut ſigna ξόανα dicit, id eſt ſimulacra brevia, quæ portabantur in lecticis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem: quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenſes.

TVM PHOEBO ET TRIVIÆ. Vt ſolet, miſcet hiſtoriam. Nam hoc templum in palatio ab Auguſto factum eſt: ſed quia Auguſtus cohæret Iulio, qui ab Ænea ducebat originem, vult ergo Auguſtum parentum vota ſolviſſe.

FESTOSQVE DIES DE NOMINE PHOEBI. Ludos Apollinares dicit, qui ſecundum quoſdam bello Punico ſecundo inſtituti ſunt: ſecundum alios tempore Sillano ex reſponſo Martiorum fratrum, quorum extabant, ut Sibyllina reſponſa.

TE QVOQVE MAGNA MANENT NOSTRIS PENETRALIA REGNIS. Id eſt coleris ut numen: *Manent* autem expectant. PENETRALIA. Secreta templorum.

VARIORVM.

TVQVE O SANCTISSIMA VATES. Macrob. lib. 3. cap. 3. Saturn. Ald. Manut. de quæſitis per Epiſt. Epiſtola. 10.

SOLIDO DE MARMOR. Hoc eſt, de uno ſolo lapide, ut Tuſanus accipit: quemadmodum & μονολίθους in Epigr. interpretatur, ut & ſupra, *ſolidoque adamante columnæ*: & *ſolido elephanto.* Hoc vero templum Auguſtus, ut ex veterum monumentis conſtat, tanquam avitis nominibus obnoxius, & Æneæ voti reus, in Palatio poſuit & perfecit, GERM.

Hic

Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam: lectosque sacrabo
Alma viros. foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro. finem dedit ore loquendi.
At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:

SERVII.

TVAS SORTES. Sibyllina responsa: (de quibus supra diximus) incertum est cujus Sibyllæ fuerint: quanquam Cumanam Virgilius dicat, Varro Erythræam esse. Constat autem regnante Tarquinio quandam mulierem, quæ se *Malteam* diceret, obtulisse ei novem libros, in quibus diceret fata & remedia Romana: & pro his poposcisse trecentos philippeos, qui aurei tunc pretiosi erant. Quæ contempta, alia de tribus incensis, cum sex reversa est. Et trecentos poposcit, ac denuo contempta est: item tertio aliis tribus incensis, cum tribus tantum reversa est: & accepit quantum poposcerat, hac ipsa re commoto rege quod pretium non minuebat, tunc mulierem subito non apparuisse. Qui libri in templo Apollinis servabantur: nec ipsi tantum, sed & Marciorum, & Bigois Nymphæ, quæ artem scripserat fulguritarum apud Tuscos. Inde addidit modo *Tuas sortes, arcanaque fata*: & hoc trahit poëta. Æneam tamen inducit quasi de præsenti dicentem oraculo.

LECTOSQVE SACRABO ALMA VIROS. Quia nisi patricii non fiebant. Sciendum tamen primum duos librorum fuisse custodes, inde decem, inde quindecim usque ad tempora Syllana, postea crevit numerus. Nam & sexaginta fuerunt, sed remansit in his quindecim virorum vocabulum.

FOLIIS TANTVM NE CARMINA MANDA. Vt Varro dicit, *In foliis palmæ interdum notis, interdum scribebant sermonibus*: ut diximus supra.

IPSA. Pro TV. & posuit pronomen ejus personæ de qua loquitur pro illius cum qua loquimur. est autem Græcum, nam dicunt *αὐτὴ εἶπε*, id est tu dic.

FINEM DEDIT ORE LOQVENDI. Hoc est definivit ei ut ore loqueretur, nec in foliis scriberet.

NONDVM PATIENS. Quæ nondum posset implere oraculorum sermones. aut DVM vacat: & est impatiens.

PHOEBI BACCHATVR VATES. Bene BACCHATVR. Idem enim est Apollo qui Liber pater, qui Sol. Vnde ait Lucanus, *Cui numine mixto Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.* Vnde in eorum sacris erat Phœbadum Baccharumque conventus.

EXCVSSISSE DEVM. *Excuti* proprie de equis dicimus. quod inde traxit, quia Phœbus (id est Sol) equis utitur. Et nunc Sibyllam quasi equum: Apollinem, quasi equitem inducit: & in ea permanens translatione, *excussisse ait*, ut *Excussus Aconteus*. Item. *Fera corda domans*: quod est equorum proprium, frenos pati & stimulos. Vt, *Ea frena furenti Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.* Quod autem dicit, MAGNVM DEVM, non re vera ait: sed furentis ad effectum, id est colentis, ut, *Summe deûm sancti custos Soractis Apollo.* Vnicuique enim deus quem colit, magnus videtur. EXCVSSISSE VERO DEVM. Pro excutere: tempus est pro tempore. Est autem Attica figura, qua nos uti non convenit: quia hac licenter utuntur poëtæ.

FINGITQVE PREMENDO. Componit: ut, *Et corpora fingere lingua.* Componit autem ad moderationem certam dicendi. Diximus enim supra, omnia quidem vident: sed non omnia indicant sacerdotes.

OSTIA IAMQVE DOMVS PATVERE. Precibus scilicet, & quæ antea ostia erant patefacta, aditus esse cœperunt.

FERANT RESPONSA. Quia ut supra ait. *Ora domus patuere.*

VARIORVM.

LECTOSQVE SACRABO ALMA VIROS. Alludit ad sacerdotes & sodales lectos & nuncupatos Sibyllæ ab Augusto, qui tanta cura & cautione ejus carmina rimatus est, ut notioni & excussioni ea subjecerit discernenda, scilicet germana à falsis & suppositis, quod multi sub Sibyllæ celebritate nominis vana multa & commentitia carmina evulgassent, ut constat ex Tacito, lib. 5. Annal. GERMAN.

FOLIIS TANTVM, NEC CARMINA. Proverb. *Sibyllæ folium.* HART.

IPSA CANAS, ORO. Pro cantes. Ioach. Camerar. Probl. 10 Dec. 5.

AT PHOEBI NONDVM PATIENS. Egregie vaticinantium morem Poëta ob oculos ponit: nam oracula edituræ Phœbades, fatidico numine primum repleri credebantur, quod illis grave inprimis & molestum erat, nitebanturque pro viribus, illud è pectore ejicere: ubi vero vi numinis resistere non licebat, tum demum deo plenæ, atque illius voluntati cedentes, in mentis stuporem abibant, oraculaque edebant. NASCIMB.

O tan-

Digitized by Google

O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terra graviora manent. in regna Lavini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & veniſſe volent: bella, horrida bella,
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint. alius Latio jam partus Achilles,
Natus & ipſe dea. nec Teucris addita Iuno
Vſquam aberit, cum tu ſupplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes?
Cauſſa mali tanti conjux iterum hoſpita Teucris,
Externique iterum thalami.
TVNE CEDE *malis, ſed contra audentior ito,*
Quam tua te fortuna ſinet. via prima ſalutis,
(Quod minime reris) Graja pandetur ab urbe.

SERVII.

PELAGI DEFVNCTE PERICLIS. Non liberate pelago, ſed marinis periculis. Nam adhuc navigaturus eſt: ſed ſine ullo diſcrimine. *Defuncte* autem liberate. Nam dicimus functos officio, qui officia debita complerunt. Vnde eſt & honoribus functi: hinc & *Defunctos*, mortuos dicimus, qui compleverunt vitæ officia. Vnde eſt, *Et nil jam cœleſtibus ullis Debentem.*

SED TERRÆ. Legitur & *terra*. Vnum tamen eſt. IN REGNA LAVINI. Alii LATINI legunt, cujus tunc erant: ſed quia divina loquitur futura, præoccupat. Poſtea enim Lavinium dicitur, licet poſſit ad Lavinum Latini fratrem referri, qui illic ante regnavit.

HORRIDA BELLA. Quæ contra hoſpitem cognatumque ſuſcepta ſunt: ut Latinus dicturus eſt, *Arma impia ſumpſi, Promiſſam eripui.*

SPVMANTEM SANGVINE CERNO. Quaſi non ſolum præſciat, ſed prævideat, quod facturus eſt Turnus, ut *Recalent Tyberina fluenta Sanguine adhuc.*

NON SIMOIS TIBI, NEC XANTHVS. Tyberinus & Numicus in quem cecidit. NEC DORICA CASTRA. Græca. & re vera: nam Turnus Græcus fuit: ut, *Et Turno ſi prima domus repetatur origo, Inachus Acriſiuſque patres mediæque Mycenæ.*

PARTVS ACHILLES. Turnum ſignificat. & ſic hoc dictum eſt ut in Bucolicis, *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo Delectos Heroas.* & hoc eſt quod dicit, *Obſcuris vera involvens.* Nam licet vera ſint, latent. Vnde Apollo λοξίας dicitur, id eſt obliquus.

NATVS ET IPSE DEA. De Venilia ſorore Amatæ: ut, *Cui diva Venilia mater.* Nec debet mirum eſſe Amatam fuiſſe mortalem, cum etiam Turnus Iuturnæ frater mortalis fuerit. Nam hæc fuerunt divina beneficia. ADDITA IVNO. Inimica. Eſt autem verbum Lucilii, & antiquorum: ut Plautus, *Argus quem quondam Ioni Iuno cuſtodem addidit.*

IN REBVS EGENIS. Per tranſitum oſtendit famem futuram.

CONIVX ITERVM HOSPITA. Nam & Paris ab Helena fuerat ſuſceptus hoſpitio. *Hoſpita* autem more ſuo dixit. Et bene, ne aliquid imputetur Æneæ, quaſi fatorum hoc eſſe prædicit.

TV NE CEDE. Ne cedas: ſed eſto audentior quam tua te fortuna permittit. Et bene adverſam fortunam docet virtute, aut vitari, aut minui, aut patienter ſuſtineri. VIA. Ratio, opportunitas.

GRAIA PANDETVR AB VRBE. Propter Euandrum, qui eum in Tuſciam miſſurus ad Tarchontem eſt.

VARIORVM.

O TANDEM MAGNIS. Apollinis vaticinium eſt. orditur per commiſerationem: quam movet à præteritis, & amplificat à futuris Trojanorum calamitatibus. huic loco contrarius eſt locus ex 1 Æneid.

O paſſi graviora: dabit Deus his quoque finem.

Ibi enim de præteritis queritur, & de futuro conſolationem adfert; hic vero futura etiam prædicit mala, quanquam in fine ipſum conſoletur. NASCIMB.

MAGNIS DEFVNCTE PERICLIS. Defungi, inquit, Budæus in Pandect. eſt explicari negotio aliquo aut moleſtia, & finem ei imponere. Propterea *defuncti* abſolute dicuntur, qui mortem obierunt, quaſi ærumnis ſæculi liberatos & exemptos ſignificemus. PONTAN.

NEC TEVCRIS ADDITA IVNO. *Addita* vero hic poſitum eſt pro affixa, & per hoc infeſta atque inimica, & eſt ex Lucilio ſumptum, ita enim ait:

Si mihi non prætor ſiet additus, atque agitet me.

Macrob. lib. 6. cap. 4.

TV NE CEDE MALIS. Proverb. *Palmam ferre.* Ab hoc non multum abludit illud, Iliad. μ. μάλις ἐπίσταν πεχάφθω, &c. HART.

Digitized by Google

Talibus ex adyto dictis, Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit;
Obscuris vera involvens. ea frena furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.
Vt primum cessit furor, & rabida ora quierunt;
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies, inopinave surgit:
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.
Vnum oro (quando hic inferni janua regis

SERVII.

EX ADYTO. Locum vaticinationis ostendit.

CVMÆA SIBYLLA. Bene addidit propter discretionem.

ANTROQVE REMVGIT. Quia in antro est, ut, *Pulsati colles clamore resultant.*

OBSCVRIS VERA INVOLVENS. Vera & obscura confundens. est autem Hypallage veris obscura inserens.

CESSIT FVROR. Non penitus recessit, sed paulatim cœpit imminui. Nam paulo post de Miseni morte dictura est: quod non procedit, si nec numen recessit.

NON VLLA LABORVM. Pro nulla, ut *nullus aratro Cessit honos.* O VIRGO. O, licet sit naturaliter brevis in Latinis sermonibus, apud Virgilium tamen pro longa habetur, ut hoc loco, *O virgo.* Item alibi, *Quis te magne Cato tacitum.* Exceptis ego: ut, *Ast ego quæ divum.* & duo, ut, *Si duo præterea.* & scio, ut, *Nunc scio quid sit amor*: & nescio, ut, *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.* Apud alios o, nisi in Græcis nominibus non producitur: quod & nunc sequi debemus. Dicunt tamen quidam quod o tunc producitur in nominativo quando & in genitivo producta fuerit: quod falsum est. Nam & Virgilius produxit virgo, cum virginis faciat, & Lucanus Cato corripuit: ut, *Nos Cato da veniam*: cum Catonis faciat. Item Iuno cum producat Virgilius, Statius corripuit. Sane sciendum adlocutionem hanc esse suasoriam cum partibus suis. Nam honestum est quod dicit se patrem requirere: utile, ut ab eo patriæ originem discat: necessarium, quia jusserat pater: ut, *Ditis tamen ante Infernas accede domos*: possibile, quia ait, *Quando hic inferni janua regis Dicitur.* Item, *Potes namque omnia*: si omnia, etiam hoc.

NOVA MI FACIES. Id est species. Sciendum tamen MIHI pronomen nunquam in Synæresim venire, ne incipiat esse blandientis adverbium: & licet quidam hujus loci nitantur exemplo, non procedit: vel quia unum est exemplum, vel quia potest esse etiam blandientis adverbium, nihil vero pro metri necessitate cogitur. Nam si pars sequens orationis à vocali inchoet, NIHIL dicimus, ut *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.* Si autem à consonanti inchoet, NIL ponimus, ut Iuvenalis, *Nil tale expectes: emit sibi multa, videmus.* INOPINAVE SVRGIT. Nomen est, non participium. Nam inopinatam diceret quod non procedit. *Opinatus* enim venit ab eo quod est opinor. sed quia inopinor non dicimus: ideo nec inopinatus facit. sicut & nocens participium est, quia invenimus noceo verbum: innocens vero nomen, quia innoceo non dicimus, esse participium non potest. Nullum est enim participium quod & à verbo non trahitur: licet à sui verbi forma non veniat, ut placita, licet placeor non dicamus, tamen placeo invenimus. Item regnata, triumphata. Vnde galeatus & tunicatus & togatus nomina comprobantur. Nullum enim verbum horum originis reperitur.

OMNIA PRÆCEPI, ATQVE ANIMO MECVM ANTE PEREGI. *Præcepi*, ante cognovi ab Heleno, vel à patre qui ait, *Gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est.* Dicit autem se futura partim audisse, partim mente præcepisse. Sed occurrit, Si novit omnia, quid consulit numen? Sed nosse se dicit omnia quantum ad labores pertinet: & concedit totam petitionem, ut ad illud veniat quo possit patrem videre. Nam quod dicit *unum oro*: non solum dicit, sed præcipuum, ut, *Vnam posthabita coluisse Samo.*

QVANDO. Siquidem: & est conjunctio.

VARIORVM.

OBSCVRIS VERA INVOLVENS. Vnde oracula & vaticinia omnia ambigua sunt. Hinc etiam Apollinis nomen Λοξίας: de quo Macrobius lib. 1. cap. 7.

EA FRENA. Quibus mentem vatis pro arbitrio versat, temperatque: translatio à brutis ad hominem: sicut STIMVLOS, Metaphoricôs vim divinam, quę animum Sibyllę & impetum fatidici spiritus excitavit: à re corporea ad incorpoream. HORTENS.

NON VLLA LABORVM, O VIRGO. Æneæ petitoria oratio est; omnibusque deliberativi generis, ad quod dirigitur, partibus constat: honesto, jucundo, utili, facili, possibili & necessario. Principio Sibyllæ benevolentiam colligit à persona sua: nam modeste & absque jactantia prudentiam suam Stoicè commendat: qui quæ futura sunt, sive commoda, sive incommoda, tanquam ex specula multo ante se providisse demonstrat: Stoici enim sapientem sic animo excubare oportet ajunt, ut nihil ei improvisum accidere possit, vel inopinatum. Cic. in Tusculan. NASCIMB.

OMNIA PERCEPI. Ex Æschylo expressum: Muret. lib. 5. cap. 12.

Dici-

Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refusa)
Ire ad conspectum chari genitoris, & ora
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas, & mille sequentia tela,
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas, cœlique ferebat
Invalidus, vires ultra, sortemque senectæ.
Quin, ut te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat, natique patrisque,
Alma, precor miserere: potes namque omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.

SERVII.

ET TENEBROSA PALUS ACHERONTE REFUSO. Paludem pro lacu posuit. Nam Avernum significat: quem vult nasci de Acherontis æstuariis. *Palus* autem, bene iste produxit LUS: quia palus paludis facit, quod supra plenius diximus. Horatius corripuit: ut *Sterilisque diu palus aptaque remis.* *Tenebrosa* autem, nigra, per quod altam significat: ut, *Nigra fugit sub nube columbam*, id est alta. ACHERONTE REFUSO. Acheron fluvius dicitur inferorum, quasi sine gaudio: sed constat locum esse haud longe à Baiis undique montibus septum: adeo ut nec orientem, nec occidentem Solem possit aspicere: sed tantum medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, hæc ratio est: omnia vicina illic loca calidis & sulphuratis aquis scatent. Sine gaudio autem ideo ille dicitur locus, quod necromantia vel sciomantia, ut dicunt, non nisi ibi poterat fieri: quæ sine hominis occisione non fiebat. Nam & Æneas illic occiso Miseno sacra ista complevit, & Vlysses occiso Elpenore: quanquam fingatur in extrema Oceani parte Vlysses fuisse: quod ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum quæ commemorat ex tempore navigationis. Dicit enim eum circa unam noctem navigasse: & ad locum venisse, ubi sacra perfecit. Quod de Oceano, non procedit: de Campania, manifestissimum est. Præterea à Bajo socio ejus illic mortuo, Bajas constat esse nominatas. Dicit etiam vidisse Herculem: ideo quia illic sunt Bauliæ, locus Herculis dictus quasi Boaulia: quod illic habuit animalia, quæ Geryoni detracta ex Hispania adduxerat.

IRE CONTINGAT. Vt minus est, Vt ire contingat: ut iter doceas.

SACRA OSTIA PANDAS. Aut venerabilia, aut execranda: sicut de Tartaro dicturus est, *Sacræ panduntur portæ.*

ILLUM EGO PER FLAMMAS. Meritum approbat patris, ut justum videatur esse desiderium. SEQUENTIA TELA. Vt, *Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.*

EX HOSTE RECEPI. Liberavi, ut, *Frugesque receptas.* Ex hoste autem, plus est quam si ex hostibus diceret, ut diximus supra. *Ex hoste* enim generaliter dicitur: *ex hostibus* partem ostendit. sicut dicendo *terram*, significamus elementum. *terras* vero singulas partes, ut Africæ, Italiæ.

MEUM COMITATUS ITER. Non spe salutis, sed mei caussa: ut, *Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.*

COELIQUE FEREBAT. Vt ante morte præventus sit quam ferre desierit. Et mire imperfecto usus est tempore, ac si diceret, adhuc si viveret ferret.

VIRES ULTRA, SORTEMQUE SENECTÆ. Quia senectæ sors, est quies & otium: sicut pueritiæ, ludus: amor, adolescentiæ: ambitus, juvenilis ætatis. Ergo aliud ferebat pater, quam sors exigebat senectæ.

ORANS MANDATA DABAT. Sic dictum est, ut, *Et supplex tua numina posco.* Major enim ad impetrandum vis est eum rogare, qui possit jubere. MANDATA DABAT. ut, *Huc casta Sibylla Nigrarum multo pecudum te sanguine duces.*

LUCIS HECATE PRÆFECIT AVERNIS. Hecate trium potestatum nomen est. Ipsa est enim Luna, Diana, Proserpina. sed solam Proserpinam dicere non potuit, propter lucos qui Dianæ sunt. Item Dianam, quia AVERNIS ait. Vnde elegit nomen in quo utrunque constabat. Vnde Lucanus de Proserpina ait, *Hecate pars ultima nostra.*

VARIORUM.

SACRA OSTIA PANDAS. Quod vero *sacra ostia* dicat, non mirum est: nam & inferorum loca antiquis sacra fuerunt. NASC.

INVALIDUS, VIRES ULTRA. Hæ omnes circumstantiæ, vim movendæ atque augendæ commiserationis habent.

SORTEMQUE SENECTÆ. Præter munus senectutis: id est, præter quod senectus ferre potest.

IDEM ORANS MANDATA DABAT. Ostendit mandatum patris non fuisse violentum, sed ut ita dicam obsecratorium: nam ait ORANS: unde occulta colligi potest Æneæ commendatio ab officio & pietate erga patrem: qui etsi in hac re liber erat, idq; facere & non facere poterat, tamen ob nimiam erga patrem suum charitatem, omnia patris verba jussa sibi esse putat & tanquam necessaria. NASCIMB.

Si potuit Manes arcessere conjugis Orpheus,
Threïcia fretus cithara, fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit;
Itque, reditque viam toties. quid Thesea; magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Iove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat:
Tum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divûm
Tros Anchisiade, FACILIS descensus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. pauci, quos æquus amavit

SERVII.

SI POTVIT MANES. Nititur exemplis, quæ inferiora sunt per comparationem: ut ipse videatur justius velle descendere. Nam Orpheus revocare est conatus uxorem: hic vult tantum patrem videre. Orpheus autem voluit quibusdam carminibus reducere animam conjugis: quod quia implere non potuit, à poëtis fingitur receptam jam conjugem perdidisse, dura lege Plutonis. quod etiam Virgilius ostendit, dicendo ARCESSERE: quod evocantis est proprie.

FIDIBVSQVE CANORIS. Bene sonantibus chordis. *Fidibus* autem est à nominativo hæc fidis, ut sit pyrrhichius. Nam *fides*, jambus est.

SI FRATREM POLLVX ALTERNA MORTE REDEMIT. Vt diximus supra, Helena & Pollux de Iove nati immortales fuerunt. Nam Castor Tyndarei filius fuit: cujus mortem suo interitu faterna pietas redemit. Quod ideo fingitur, quia horum stellæ ita se habent, ut occidente una oriatur altera. & iterum exemplum per comparationem: quod quia pium est, se ad frequentiam contulit dicendo, ITQVE REDITQVE VIAM TOTIENS. QVID THESEA. Durum exemplum. Vnde nec immoratus est in eo. Dicit autem inferos debere patêre pietati, qui patuerunt infanda cupienti. Nam hic ad capiendam Proserpinam ierat cum Pyrithoo; & illic retentus luit pœnas; ut, *Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus.*

MAGNVM QVID MEMOREM ALCIDEN? Melius sic distinguitur: licet quidam legant, *Quid Thesea magnum*: ut epitheton ei dent qui per se non est magnus. Nam Herculem etiam sine epitheto magnum intelligimus. Sed melius est MAGNVM dare Herculi, quam sacrilego. ET MI GENVS AB IOVE SVMMO. Occurrit tacitæ quæstioni tanquam Sibylla dixerit, Sed ii enim qui descenderant, à diis ducebant originem.

ARASQVE TENEBAT. Rogabant enim deos ararum ansas tenentes.

SATE SANGVINE DIVVM. Vnde Æneas desiit, inde hæc sumpsit exordium.

FACILIS DESCENSVS AVERNI. Legitur & AVERNO: id est ad Avernum: sed si AVERNI, inferorum significat: & lacum pro inferis ponit.

NOCTES ATQVE DIES PATET ATRI IANVA DITIS. Id est omni tempore homines in fata concedunt: & hoc poëtice. Nam Lucretius ex majore parte, & alii integre docent inferorum regna nec esse quidem posse. Nam locum ipsorum quem possumus dicere, cum sub terris esse dicantur Antipodes? In media vero terra eos esse, nec soliditas patitur, nec centrum terræ. quæ si in medio mundi est: tanta ejus esse profunditas non potest, ut medio sui habeat inferos, in quibus esse dicitur tartarus, de quo legitur, *Bis patet in preceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum.* Ergo hanc terram in qua vivimus esse inferos voluerunt, quia est omnium circulorum infima: planetarum scilicet septem, Saturni, Iovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunę: & duorum magnorum. Hinc est quod habemus, *Et novies Styx interfusa coercet.* Nam novem circulis cingitur terra, Ergo omnia quæ de inferis finguntur, suis locis hic esse comprobabimus. Quod autem dicit, PATET ATRI IANVA DITIS, &c. Aut poëtice dictum est, aut secundum philosophorum altam scientiam: qui deprehenderunt bene viventium animas ad superiores circulos, id est ad originem suam redire, quod dat Lucanus Pompejo, *Vt vidit quanta sub nocte jaceret Nostra dies.* Male viventium vero diutius in his permorari corporibus permutatione diversa, & esse apud inferos semper.

PAVCI QVOS ÆQVVS AMAVIT IVPPITER. Tria genera hominum dicit ad superos posse remeare: quos diligit Iuppiter, id est hos quos in ortu benignus syderum aspectus irradiat. Iuvenalis, *Distat enim quæ Sydera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus quos prudens sublevat.*

VARIORVM.

SI POTVIT MANES ARC. Pathos ab exemplo: Nam indignum videtur, negari sibi, quod aliis indultum est. Macrob. lib. 4. cap. 5. Saturn.

QVID MEMOREM ALCIDEN. Aul. Gellius lib. 10. c. 16. HART.

FACILIS DESCENSVS AVERNI. Inferi an sint, & de inferorum pœnis. Cælius lib. 6. c. 9. &c. lect. antiq.

Iuppi-

Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti, potuere. tenent media omnia sylvæ,
Cocytusque sinu labens circumfluit atro.
Quod si tantus amor menti; si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & insano juvat indulgere labori;
Accipe quæ peragenda prius. latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,

SERVII.

Nam hoc est, QVOS ARDENS EVEXIT AD ÆTHERA VIRTVS. Item religiosos quos à diis genitos dixit. Consequens enim est, ut deorum soboles religionibus vacet. DIIS autem GENITI, quia corporibus se infundebant potestates supernæ. Vnde Heroes procreabantur.

TENENT MEDIA OMNIA SYLVÆ. Causam reddit cur non facilis sit animarum regressus, quia omnia polluta & inquinata sunt. Nam per sylvas, tenebras & lustra significat, in quibus feritas & libido dominatur.

COCYTVSQVE SINV LABENS CIRCVMFLVIT ATRO. Fluvius inferorum, dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id est lugere. Nam Homerus sic posuit. Est autem locus vicinus Acheronti: de quo diximus supra. Qui ideo luctuosi esse finguntur, quia, ut exposuimus in primis partibus libri, hæc sacra, morte hominis faciebant.

BIS STYGIOS INNARE LACVS. Modo, & post mortem. Quod autem dicit Ovidius, Æneam inter deos relatum, non mirum est. Nam ut supra etiam diximus, necesse est etiam relatorum inter deos apud inferos esse simulacra: ut Herculis, Liberi patris, Castoris & Pollucis. Multi hoc non videntes, ad Sibyllam referunt, ut dicat, Vis me bis inferos cernere: modo: *& cum me lucis Hecate præfecit Avernis*: quod est paulo post dictura. quod si est: non bis hæc, sed tertio inferos cernet. Nam quandoque etiam ipsa morietur. Item hi supradictam non videntes rationem, dicunt de se Sibyllam dicere. Nam si de Ænea dicat, non eum prævidet deum futurum. quod si est, caruit numine, & quemadmodum de Miseno, vaticinatur. Vnde referre nos debemus ad id, ut dicamus etiam post apotheosim apud inferos remanere simulacra. STYGIOS LACVS. Styx palus quædam apud inferos dicitur: de qua legimus, *Dii cujus jurare timent, & fallere numen*. Quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Gigantum Iovi favisse: pro cujus remuneratione Iuppiter tribuit, ut dii jurantes per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem hæc est, *Styx* mœrorem significat: unde ἀπὸ τοῦ στυγεῖν, id est à tristitia Styx dicta est. Dii autem læti sunt semper. unde etiam immortales. Quia ἄφθαρτοι καὶ μακάριοι, id est sine morte beati. Hi ergo quia mœrorem non sentiunt, jurant per rem suæ naturæ contrariam, id est tristitiam, quæ est æternitati contraria. Ideo jusjurandum per execrationem habent.

TARTARA. Locus inferorum profundus: de quo Lucanus ad inferos dicit, *Cujus vos estis superi.* INSANO. Magno.

ACCIPE QVÆ PERAGENDA PRIVS. Si vis, inquit, reverti, audi observationis præcepta. Et sub imagine fabularum docet rectissimam vitam, per quam animabus ad superos datur regressus. LATET ARBORE OPACA AVREVS. Licet de hoc ramo, hi qui de sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quiddam esse mysticum affirment: publica tamen opinione hoc habet. Orestes post occisum regem Thoantem in regione Taurica cum sorore Iphigenia (ut supradiximus) fugit: & Dianæ simulacrum inde sublatum, haud longe ab Aritia collocavit. In hujus templo post mutatum ritum sacrificiorum, fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret. Nam fugitivus illic erat sacerdos, ad pristinæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificii reparationem. Nunc ergo istum inde sumpsit colorem. Ramus enim necesse erat ut & unius causa esset interitus. unde & statim mortem subjungit Miseni, & ad sacra Proserpinæ accedere, nisi sublato ramo, non poterat. Inferos autem subire, hoc dicit sacra celebrare Proserpinæ. De reditu autem animæ hoc est, Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum y literæ, scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit. Bivium autem y literæ à juventute incipere: quo tempore homines aut vitia, id est partem sinistram: aut virtutes, id est dextram partem sequuntur. Vnde ait Persius, *Traducit trepidas ramosa in compita mentes.* Ergo per *ramum* virtutes esse sectandas, qui est y literæ imitatio. Quem ideo in sylvis dicit latere: quia re vera in hujus vitæ confusione, & majori parte vitiorum, virtus & integritas latent. Alii dicunt ideo ramo aureo inferos peti, quod divitiis facile mortales intereunt, Tiberianus, *Aurum quo pretio reserantur limina Ditis.*

LENTO VIMINE. Flexili, ut, *Lenta quibus torno facili superaddita vitis.* Alias gravi.

VARIORVM.

RAMVS AVREVS. Virtutis simulachrum. Ille aureus ramus est in abdito abstrusus, paucisque obvius & parabilis. Vide Copias Eras. de exemplo fabuloso, lib. 2. HART.

AVREVS ET FOLIIS. Pet. Crin. l. 10. c. 6. De hon. Disc.

Iunoni infernæ dictus sacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur, telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, & rite repertum
Carpe manu. namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes:
Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

SERVII.

IVNONI INFERNÆ. Proserpinæ: ut, *Sacra Jovi Stygio*. DICTVS. Dicatus.

ET OBSCVRIS CLAVDVNT CONVALLIBVS VMBRÆ. Re vera nemus Aricinum densum est.

SED NON ANTE DATVR. Sive justis sive injustis. sic intelligentes removebimus quæstionem. Hinc enim dicit, *Longo post tempore visum*. Ex eo enim quod dicit descendisse aliquos, ramum quoque depositum esse significat. TELLVRIS OPERTA. Secundum eos qui dicunt inferos in medio esse terrarum: quos Iuvenalis dicit putari esse sub terris: ut, *Esse aliquos manes & subterranea regna*.

PVLCHRA. Quæ rapi meruit. SVVM. Sibi charum.

NON DEFICIT ALTER. Ne diceretur, ab iis qui primo descenderunt esse sublatum.

FRONDESCIT. In naturam redit: & honeste locutus est dicens, *Habet frondes sui metalli*.

ALTE VESTIGA OCVLIS. Require omni intentione. RITE REPERTVM CARPE. Rite carpe, id est cum observatione, non rite repertum.

SI TE FATA VOCANT. Hoc est si quem fata vocant, facile sequetur.

POTERIS. Poterit quis. Tertiæ enim personæ significationem ad secundam transtulit, & generaliter loquitur. Nam ut de Ænea dicat, non procedit. Si enim dubitat, caret deo: nec potest de Miseno vaticinari. DVRO FERRO. Et genus esse potest & species.

PRÆTEREA. Ac si diceret, est & alia opportunitas descendendi ad inferos, id est Proserpinæ sacra peragendi. Duo autem horum sacrorum genera fuisse dicuntur. Vnum Necyomantiæ, quod Lucanus exequitur: & aliud Sciomantiæ, quod in Homero, quem Virgilius sequitur, lectum est. Sed secundum Lucanum, in Necyomantia ad levandum cadaver sanguis est necessarius: ut; *Pectora tunc primum ferventi sanguine supplent*. In Sciomantia vero, quia umbræ tantum est vocatio, sufficit solus interitus. Vnde Misenus in fluctibus occisus esse inducitur. TIBI. Ideo addidit *tibi*, ne AMICI posset etiam ad Sibyllam referri.

INCÆSTAT. Polluit, & incæstus est quæcunque pollutio.

PENDES. Sollicitus es: ut, *Ipse manu multo suspensum numine ducit*. Et proprie *pendere* est desyderare aliquid audire: ut, *Pendetque iterum narrantis ab ore*.

SEDIBVS HVNC REFER ANTE SVIS. Apud majores (ut supra diximus) omnes in suis domibus sepeliebantur. Vnde etiam umbras, larvas vocamus. Nam Dii penates alii sunt. Inde est quod etiam Dido cenotaphium domi fecit marito. Ergo aut secundum istum locutus est morem, quamvis adhuc Trojani domos non habuerint. Aut dicit, Refer hunc naturalibus sedibus, id est terræ: nam in aqua perierat. Verum tamen illud est, ut intelligamus eam dicere *Sepeli eum*. Nam Sepulchrum sedes vocatur. Horatius, *Nulla certior tamen rapacis orci fine destinata divitem manebat herum*. Virgilius, *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen*. Persuadet autem sepulturam, ut possit recentis cadaveris uti anima: ut ait Lucanus, *Non in tartareo latitantem poscimus antro, Assuetamque diu tenebris: modo luce fugata Descendentem animam primo pallentis hiatu Hæret adhuc orci*.

VARIORVM.

IVNONI INFERNÆ. Pro Proserpina, ex Homeri Interprete. Turneb. lib. 28. cap. 44.

SED NON ANTE DATVR. Muret. lib. 14. c. 2.

AVRICOMOS. Homericum epitheton. Macrob. lib. 5. cap. 14. Sat.

TOTAMQVE INCESTAT FVNERE. Quemadmodum domus, ubi aliquis extinctus jaceret, tota polluta esse credebatur: ideoque ramus cyparissinus præ foribus affigebatur, ne forte flamen Dialis per imprudentiam ingressus pollueretur: sic tota etiam classis, tanquam unum corpus & una domus incestata putabatur. NASCIMB.

Digitized by Google

Duc nigras pecudes; ea prima placula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis
Aſpicies. dixit, preſſoque obmutuit ore.
Æneas mæſto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum, cæcoſque volutat
Eventus animo ſecum: cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant,
Quem ſocium exanimum vates, quod corpus humandum
Diceret. atque illi Miſenum in littore ſicco,
Vt venêre, vident indigna morte peremptum:
Miſenum Æoliden; quo non præſtantior alter
Ære ciêre viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum

SERVII.

PRIMA PIACVLA SVNTO. Ad expiationem pollutionis, quæ fuerat nata morte Miſeni.

SIC DEMVM. Ad poſtremum; hoc eſt noviſſime. Et hæc particula tam apud Virgilium, quam apud omnes idoneos authores hoc ſignificat, licet in aliis diverſa ſignificet.

LVCOS STYGIOS, REGNA INVIA VIVIS ASPICIES. Seneca ſcripſit de ritu & de ſacris Ægyptiorum. hic dicit circa Sienem extremam Ægypti partem eſſe locum, quem Philas, hoc eſt amicas vocant: ideo quod illic eſt placata ab Ægyptiis Iſis: quibus iraſcebatur quod membra mariti Oſiridis, non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inventa poſtea cum ſepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutiſſimum locum, quem tranſitu conſtat eſſe difficilem. limoſa enim eſt & papyris referta & alta. Vltra hanc eſt brevis inſula inaceſſa hominibus. Vnde ἄβατος appellata eſt. Lucanus, *Hinc Abatos, quam noſtra vocat veneranda vetuſtas.* Hæc palus Styx vocatur, quod triſtitiam tranſeuntibus gignit Sane ad illam inſulam ab his qui ſacris imbuti ſunt, certis tranſitur diebus. Lectum eſt etiam quod vicini populi cadavera ſuorum ad alteram regionem transferunt: ſed ſi quis forte in fluvio pereat, nec ejus inveniatur cadaver, poſt centum ei annos ultima perſolvuntur officia. Hinc eſt tractum, *Centum errant annos, volitantque hæc littora circum.* ET REGNA INVIA. Quæ contra naturam fiunt, non afferunt præjudicium generalitati. Vnde ait, *Invia regna.* licet Hercules & alii tranſierint: & ſit tranſiturus Æneas. Sic dictum eſt illud: *Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.*

MOESTO VVLTV. Propter mortem amici, & rami inquiſitionem. DEFIXVS LVMINA. Defixa lumina habens: per quod triſtitia mentis oſtenditur.

INGREDITVR. Pro graditur: vacat præpoſitio: ut, *Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.*

PARIBVS CVRIS VESTIGIA FIGIT. Aut ſimili ſolicitudine detentus incedit: aut *figit veſtigia*, id eſt ſtat ſubito: quod cogitantes facere conſueverunt.

MVLTA INTER SESE VARIO SERMONE SEREBANT. Hic proprie dictus eſt ſermo, qui inter utrunque ſeritur.

INDIGNA MORTE. Miſerabili: non congrua ejus meritis: vel propter animæ etiam extinctionem, elementi contrarietate.

MARTEMQVE ACCENDERE CANTV. Hemiſtichium hoc dicitur addidiſſe dum recitat.

DONATI.

INDIGNA MORTE. Quæ non convenit viro forti: ergo non tantus dolor fuiſſet, ſi in bello cecidiſſet.

ÆRE CIERE VIROS. Enumerat quæ in tali viro eſſent dolenda: primo, quia Æolides, id eſt, nobili genere. ſecundo, quod ſummus artifex in ſono tubæ. VIROS. Homines fortes, quia imbelles nullis exhortationibus citari poſſunt.

HECTORIS HIC COMES. Maxima laus, quod nunquam niſi præcipuis comes eſſet.

VARIORVM.

QVOD CORPVS HVMAND. Cælius lib. 9. cap. 44. & ſeq.

MISENVM AEOLIDEM. Digreſſio eſt, qua Miſenum deſcribit, ad movendam commiſerationem de illius interitu. HART.

QVO NON PRÆSTANTIOR. Περιφερὴς eſt liricinis, ſive tibicinis. Quintilian. lib. 8. cap. 4. Summum autem hoc eſt, *Quo non præſtantior alter.* HARTVNG.

ÆRE CIERE VIROS. Æneatores generatim vocat Suetonius in Iulio, qui claſſicum canunt, ſive id tuba, ſive cornu faciant: neque enim tubam à cornu materia, ſed forma diſtinguebat. TORRENT.

Et

Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.
Postquam illum victor vita spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum forte cava dum personat æquora concha
Demens, & cantu vocat in certamina divos;
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Æneas. tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes; aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.

SERVII.

VITA SPOLIAVIT. Ad bellum retulit: in quo victis tolluntur exuviæ.

NON INFERIORA SECUTUS. Vbique Æneam Hectori comparat, ut, *Ambo animis: ambo insignes præstantibus armis.*

CAVÂ DUM PERSONAT ÆQUORA CONCHA. Aut personare facit: aut Hysterologia est, dum per cava æquora sonat.

DEMENS. Improvidus, qui non consideravit etiam deos in æmulationem posse descendere.

ÆMULUS. Modo ejusdem rei studiosus: alias inimicus invenitur. EXCEPTUM. Oppressum insidiis. quo sermone ostendit eum tantæ fuisse virtutis, ut ne à numine quidem nisi insidiis opprimeretur. TRITON. Penultima accentum habet. nam Tritonis facit. Si enim ultima habet, Tritontis facit. quod non procedit: ut, Demophoon Demophoontis. Ergo quia talis perierat; aut quia sic fuerat interemptus.

PRÆCIPUE PIUS ÆNEAS. Æneam supra cæteros inducit, mortem cujuslibet dolere: ut, *Nunc Amyci casum gemit.* Item. *Casuque animum concussus amici.* Hinc ei dat circa sepulturam etiam sordida officia, quæ in aliis denegat locis. Qui enim de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Vnde cum pontificibus nefas esset cadaver videre, tamen magis nefas fuerat si visum insepultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturæ injectio pulveris. Vnde est, *Aut tu mihi terram Injice (namque potes.)* Horatius, *Non est mora longa, licebit injecto ter pulvere curras*

ARAMQUE SEPULCHRI. Pyram dicit, quæ in modum aræ construi lignis solebat. Nam & sequitur, *Congerere arboribus, cœloque educere certant.* Et aram quæ ante sepulchrum fieri consuevit, intelligere non possumus: ut, *Stant manibus aræ*: cum nondum facta sit funeratio, quæ præcedit sepulchrum. Probus tamen & cæteri commentatores, de hoc loco requirendum esse dixerunt.

COELOQUE EDUCERE CERTANT. Vt hoc faciant, mente pertractant. Nam adhuc ituri ad sylvam sunt.

DONATI.

ET LITUO PUGNAS ET HASTA. Non solum tuba alios accendere poterat, sed & ipse pugnabat.

SI CREDERE DIGNUM EST. Quasi incredibile sit, quod homo Deum provocaverit.

EXCEPTUM. Vt venabulo feram, quæ dum suæ feritate plurimum posse credat, incauta ruens in ferrum, temeritatis pœnas dat.

VARIORUM.

SED TUM FORTE CAVA. Prosecutis obiter Miseni laudibus, ad ejus mortis causam exponendam delabitur. NASCIMB.

SED TUM FORTE CAVA. Ante tubam, concha usos veteres. TURNEB. lib. 28. cap. 44.

ÆMULUS EXCEPTUM. *Exceptam* dixit, ut feram venabulo. (est enim verbum venatorium) quæ dum feritate sua plurimum se posse arbitrabatur, sic incauta ruit in ferrum, & pœnam suæ temeritatis expendit. Ostendit autem Poëta his verbis, *si credere dignum est*; se dubitare, utrum homo tantæ extiterit audaciæ, qui Deos in certamen provocaret. Alludit autem ad proverbium, *Noli cum diis pugnare.* DONATUS.

ERGO OMNES MAGNUM. Revertitur à digressione illa. Vide Scalig. libro quinto capite tertio. HART.

ARAM SEPULCRI CONGERERE. *Aram* autem *sepulcri* dixit, quod non solum secundum ipsa sepulcra, sed & in ipsis sepulcris aras antiqui struerent, in quibus. D D. Manibus sacra oportunius fierent. Forsan ergo ex mente Homeri intelligit Poëta, aram, basinque sepulcri cumulatam, congestam & aggeratam arboribus ad rogum pyramque destinatis: nam quamvis ex ordine & œconomia poëmatis, pyra consumpta Poëta Æneam narret imposuisse ingenti mole sepulcrum: nihil tamen vetat, etiamsi aliter sentire videatur Servius, quin præstructo præparatoque jam sepulcri aggere aut fundamento, velut epistylion & coronidem demum Æneas rite imposuerit. GERMAN.

Itur

Digitized by Google

Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineæque trabes: cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Æneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribuſque accingitur armis.
Atque hæc ipſe ſuo triſti tum corde volutat,
Aſpectans ſylvam immenſam, & ſic ore precatur;
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates Miſene locuta eſt.
Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venêre volantes:
Et viridi ſedêre ſolo. tum maximus heros

SERVII.

ITVR: Eo, e brevis eſt: itur, i longa invenitur. Ergo quia hoc verbum breve eſt in origine, & in declinatione fit longum, ideo certa ejus natura, nec in temporibus, nec in participiis invenitur. Nam cum ITVR longa ſit, iturus brevis invenitur: ut, *Superumque in lumen ituras.* Multi tamen tentant dicentes ITVR propter EO, quæ prima verbi origo eſt, per diphthongum ſcribi debere: quod non procedit, quia diphthongus ſemper longa eſt. I autem & produci poteſt & corripi. Hinc eſt quod FORTVITVS & producit, & corripit. Iuvenalis. *Non quaſi fortuitu nec ventorum rabie: ſed Iratus cadat in terras & vindicet ignis.* Contra Horatius, *Nec fortuitum ſpernere ceſpitem leges ſinebant.* Hic enim niſi i litera longa ſit, non ſtat verſus. Et hoc protulimus exemplum unius ſermonis, ne quis dicat iturus & itur, ideo variam habere naturam, propter temporum varietatem. Vnde melius eſt (ut diximus) originis conſiderare rationem. Sane *fortuitus ab* eundo eſt, & à fortuna compoſitum.

PROCVMBVNT PICEÆ. Picea ſecundum Plinium in naturali hiſtoria, quinta ſpecies cedri eſt. Nam cædria dicta eſt quaſi [illegible] δρυὸς ὄζειν, id eſt arboris humor ardentis.

NECNON ÆNEAS. Bona œconomia venitur ad ramum.

ACCINGITVR ARMIS. Inſtruitur officiis.

FORTE PRECATVR. Vacat FORTE: & eſt verſus de his qui tibicines vocantur: quibus additur aliquid ad ſolam metri ſuſtentationem: ut, *Nunc dextra, nunc ille ſiniſtra.* Nec enim poſſumus intelligere eum fortuitu rogaſſe. SI. Adverbium rogantis & optantis eſt per ſe plenum: ſicut & o; licet Neoterici hæc jungant, & pro uno ponant. Perſius, *O ſi Ebullit patrui præclarum funus.*

QVANDO. Siquidem. & NIMIVM vere cum ingenti dixit effatu: quaſi mors prædicta falſa eſſe debuerit.

CVM FORTE COLVMBÆ. Auguria aut oblativa ſunt, quæ non poſcuntur: aut impetrativa, quæ optata veniunt. Hoc ergo quia oblativum eſt: ideo dixit FORTE. Bene autem à columbis Æneæ datur augurium, & Veneris filio & regi. Nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam ſolæ ſunt, ſicut nec reges quidem.

IPSA SVB ORA. Perite: ne ſi longius volarent, non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, ut captantes auguria, certa ſibi ſpatia deſignarent, quibus volebant videnda ad ſe pertinere.

DONATI.

ANTIQVA. In qua eſſent arbores multis ſæculis auctæ.

STABVLA FERARVM. Ergo majores feræ ibi ſtare conſueverant: quarum metus arcebat homines, ne irent cæſum ligna. Laus Trojanorum, qui non ſunt deterriti ſtabulis ferarum, ubi multarum eſſet congeries & magnarum: nam de minoribus cubilia diceret.

TRISTI. Quamvis de morte amici triſtis eſſet, non omittebat curam rami inveſtigandi.

PRECATVR. Nam auxilio divino ſciebat opus eſſe, ut in tanta ſylva ramus inveniretur.

VARIORVM.

ITVR IN ANTIQVAM SYLVAM. Homer. Iliad. ψ. Macrob. lib. 6. cap. 2. Sat. HARTVNG.

PROCVMBVNT PICEÆ. Cur piceæ dictæ. Turneb. lib. 13. cap. 21.

ADVOLVVNT INGENTES ORNOS. Turneb. lib. 13. cap. 21.

QVANDO OMNIA VERE. Vaticinii Sibyllæ commendatio eſt: & dicit, utinam ita vere mihi ſeſe oſtendat ramus aureus, uti vera cætera fuerunt, quæ mihi prædixit Sibylla. NASCIMB.

GEMINÆ CVM FORTE COLVMBÆ. Cælius lib. 9. cap. 40. lect. antiq. Gerop. Becanus in Saxonicis.

Maternas agnoscit aves, lætusque precatur:
Este duces, ô si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. tuque ô dubiis ne defice rebus
Diva parens. Sic effatus, vestigia pressit:
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant:
Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venêre ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres: liquidumque per aëra lapsæ,
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt:
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

SERVII.

MATERNAS. Veneri consecratas propter fœtum frequentem & coitum.

SI QVA VIA EST. Si est ratio. & jam ex hoc loco esse incipit imperativum, quod fuerat oblativum. CVRSVMQVE PER AVRAS. *Cursum* vocavit impetum, & eundi officium. Nam & navium cursum dicimus.

NE DEFICE REBVS. Ne desere in rebus incertis. Et bene in sylvis invocat matrem, quam jam scit sibi visam esse habitu venatricis: ut in primo legimus.

SIC EFFATVS. Proprie effata sunt augurum preces. Vnde ager post pomeria, ubi captabantur auguria, dicebatur *effatus*. VESTIGIA PRESSIT. Quia ad captanda auguria post preces, immobiles vel sedere, vel stare consuerant.

OBSERVANS QVÆ SIGNA FERANT. Observare enim & de cœlo & de avibus verbo augurum dicitur. QVO TENDERE PERGANT, PASCENTES. Hic jam optimum significatur augurium, quod pascebant. Nam Romani moris fuit, & in comitiis agendis & in bellis gerendis pullaria captare auguria. Vnde est in Livio, Quod cum quidam cupidus belli gerendi à tribuno plebis arceretur ne iret, pullos jussit afferri: qui cum missi non ederent fruges, irridens consul augurium: ait, *Vel bibant*: & eos in Tyberim præcipitavit: inde navibus victor revertens ad Africam in mari cum omnibus quos ducebat extinctus est. Multi PASCENTES distinguunt, & absolutus est sensus. Alii dicunt pascentes volando: & referunt ad naturam columbarum, quæ exilientes pascere consueverunt. Alii VOLANDO, ambulando dicunt. Vola enim dicitur media pars pedis sive manus.

PRODIRE. Prodibant: infinitus pro indicativo.

GRAVEOLENTIS AVERNI. Male olentis. Alibi bene olentis: ut, *Et graviter spirantis copia tymbræ Floreat.*

LIQVIDVMQVE PER AERA LAPSÆ. Non est aëris perpetuum epitheton: sed purum ait, Averni comparatione. Dicit autem eas alte volasse ad vitandum Averni odorem.

SVPER ARBORE SIDVNT. Secundum antiquam licentiam.

AVRI AVRA. Splendor auri. Horatius, *Tua ne retardet aura maritos*, id est splendor. Hinc & aurum dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & aurati dicti, quorum favor splendidos reddit.

DONATI.

O. Posuit cum loqueretur cum columbis: O, cum preces torsisset ad matrem. illic enim ponitur, ubi simplex hortatio est & blanda.

VESTIGIA PRESSIT. Observabat diligentius: quia sciebat posse illas præter adventum suum, aliquid propriis motibus nunciare.

PRODIRE VOLANDO. Prodire pedum est, volare alarum: sed quomodo ambulabant & volabant? sed intellige volam esse mediam partem plantæ manus. Ergo *volabant*, id est, ambulabant per volam. Vnde involare dicimus, cum aliquid furtim volæ manus subtrahimus. Item *involare* cum violenter manus in aliquem diriguntur. Terent. *In faciem involem venefico*. ergo hic ambulare intelligit: nam cum alarum motum exprimere voluit, dixit: *Cælo venere volantes*: cum autem demonstrasset ambulationem in eo, quod est prodire volando: & deinde volatum exprimere vellet, dixit: *Tollunt se celeres liquidumq; per aëra lapsæ.* ergo usque ad avernum ambulaverant.

DISCOLOR. Nam per arborem viridem fulsit color aureus.

VARIORVM.

MATERNAS AGNOSCIT AVES. Certe Poëtæ non temere eas videntur Veneri nuncupasse, quod columbarum inter volatilia salacissimum genus sit, vel auctore Arist. lib. de hist. animal. ζ. qui eas testetur ab osculis mutuis Venerem inchoare: quin & per maris absentiam, fœminas sese invicem salire. GERMAN.

MATERNAS AVES. Id est, columbas; quæ Veneri sacræ. dicuntur enim à colendis lumbis. HARTVNG.

Quale

Quale ſolet ſylvis brumali frigore viſcum
Fronde virêre nova, quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos:
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice; ſic leni crepitabat bractea vento.
Corripit extemplo Æneas, avidusque refringit
Cunctantem, & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tedis & robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices & ahena undantia flammis

SERVII.

BRUMALI FRIGORE VISCUM. Bene BRUMALI addidit. Tunc enim maturum eſt: & auri imitatur colorem. Nam nova fronde viret: quod ut ait Plinius in naturali hiſtoria de fimo turdelarum, in certis arboribus naſcitur. Vnde Plautus, *Ipſa ſibi avis mortem creat.*

TERETES TRUNCOS. Teres eſt rotundum aliquid cum proceritate: ut, *Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.* Horatius, *Brachia & vultum tereteſque ſuras Integer laudo.*

EXTEMPLO. Bene verbo uſus eſt augurum, ut diximus ſupra.

CUNCTANTEM. Aliud pendet ex alio. *Cunctantem*, quia avidus, ut oſtendat tantam fuiſſe avellendi cupiditatem, ut nulla ei celeritas ſatisfacere poſſet. Nam tardantem dicere non poſſumus eum, qui fataliter ſequebatur. Alii CUNCTANTEM ad auri naturam referunt, id eſt mollem. quia paulatim frangitur, id eſt lenteſcit. Alii CUNCTANTEM gravem dicunt, ut, *glebas cunctantes, craſſaque terga Expecta.*

NEC MINUS. Nihilominus ille deflebatur. INTEREA. Dum itur ad ſylvas.

INGRATO. Triſti: ut gratum, lætum aliquid dicimus. Alii *ingrato* dicunt gratiam non ſentienti.

PINGUEM. Aut de Græco tranſtulit λιπαρὴν magnam. aut Hypallage eſt de pinguibus tedis.

FRONDIBUS ATRIS. Aptis ad funera.

ANTE CUPRESSOS CONSTITUUNT. Cupreſſus adhibetur ad funera, vel quod cæſa non repullulat: vel quod per eam funeſtata oſtenditur domus, ſicut lætam frondes indicant feſtæ. Varro tamen dicit pyras ideo cupreſſo circundari propter gravem uſtrinæ odorem: ne offendatur populi circumſtantis corona, quæ tandiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, id eſt principis planctuum, quamdiu conſumpto cadavere, & collectis cineribus diceretur noviſſimum verbum ILICET, quod ire licet ſignificat. Vnde eſt, *Dixitque noviſſima verba.*

PARS CALIDOS LATICES. Plinius in naturali hiſtoria dicit hanc eſſe cauſam ut mortui & calida abluantur, & per intervalla conclamentur: quod ſolet plerunque vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere. Denique refert quendam ſuppoſitum pyræ, adhibitis ignibus erectum eſſe, nec potuiſſe liberari. Vnde & ſervabantur cadavera octo diebus, & calida abluebantur: & poſt ultimam conclamationem comburebantur: unde traxit Terentius, *Deſine, jam conclamatum eſt.*

AHENA UNDANTIA FLAMMIS. Hoc eſt per flammas. Alibi: *Nec ſe jam capit unda: volat vapor ater ad auras.*

DONATI.

CORRIPIT. Ne prolixor eſſet narratio, non dixit quomodo ad ipſam arborem Æneas venerit, ſed per aliam viam intellige pervenit.

CINERI. Nondum cinis erat, ſed mox combuſto cadavere erat futurus.

PRINCIPIO PINGUEM. Ea adhibuerunt quæ non ſolum pyram inſtruerent, ſed etiam facile incenderent.

ARMIS. Nam virorum fortium arma, & cætera quæ chariſſima haberent, cum ipſis conſumebant.

VARIORUM.

BRUMALI FRIGORE VISCUM. Id eſt, brumali tempore, tunc enim maturum eſt viſcum, & imitatur auri colorem: nam nova fronde viret. Naſcitur autem de fimo palumbium & turdorum in certis arboribus. Plin. lib. 16. cap. 44.

LENI CREPITABANT BRACTEA. Bractea tenuiſſima lamina, ἀπὸ τ̃ βραχεῖν quod ex ἠχεῖν à crepitando. Iſid. lib. 16 *Crepitabat tanquam bractea* Nam ejus folia ea ſubtilitate natura pró duxerat, ut aura ſpirante, quaſi bractea crepitarent. N.

PRINCIPIO PINGUEM TEDIS. Ex Homero Macrob. lib. 7. cap. 7 Saturnal.

PARS CALIDOS, &c. Turn. lib. 28. cap. 44.

Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.
Fit gemitus: tum membra thoro defleta reponunt.
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Conjiciunt: pars ingenti subiere pheretro,
Triste ministerium, & subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno,
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:

SERVII.

LAVANT FRIGENTIS ET VNGVNT. Versus Ennii qui ait, *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.*

DEFLETA. Participium ab eo quod est fleor. si tamen inveniatur: alias sine verbi origine esse dicemus.

PVRPVREAS. Ad imitationem sanguinis in quo est anima: ut diximus supra: ut, *Purpuream vomit ille animam.*

VELAMINA NOTA. Vel ipsi chara, vel animæ. Ex notitia enim gignitur charitas:, *Hic inter flumina nota.*

PHERETRO. Græce dixit. Nam capulus dicitur à capiendo. Vnde ait Plautus, *Capularis senex*, id est capulo vicinus. SVBIERE PHERETRO. Vt *Subeunt muro.*

MORE PARENTVM. Propinquioribus enim virilis sexus hoc dabatur officium.

FACEM. De fune, ut Varro dicit: unde & funus dictum est. Per noctem autem urebantur: unde permansit ut mortuos faces antecedant.

FVSO CRATERES OLIVO. Diis superis tantum libabant: inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant, unde ait *Crateres*: quod etiam Statius in Archemori sepultura commemorat. OLIVVM. autem ab oliva dixit. Nam oleum ab olea dicitur.

FLAMMA QVIEVIT. Pyræ ingentis: quia ut in quarto diximus, pro qualitate personæ pyræ fiebant: sepulchra etiam vel minora, vel magna faciebant.

OSSAQVE LECTA. Aut collecta, aut lecta ideo quia ut supra diximus, nobiles nunquam soli comburebantur: sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo.

TER SOCIOS. Aut sæpius, aut re vera *ter*. Licet enim à funere contraxerit pollutionem, tamen omnis purgatio ad superos pertinet: unde & ait *Imparem numerum.* aut quia hoc ratio exigit lustrationis. CIRCVMTVLIT. Purgavit. Antiquum verbum est. Plautus, *Pro larvato te circumferam*, id est purgabo. Nam lustratio à circumlatione dicta est vel tedæ, vel sulphuris. Iuvenalis, *Si qua darentur Sulphura cum tedis.*

SPARGENS. Quia res infernæ aguntur. In secundo Æneas deos portaturus ait, *Donec me flumine vivo Abluero.* Hic enim erat mos, ut diximus supra. FELICIS OLIVÆ. Arboris festæ. sed moris fuerat, ut de lauro fieret. Sane dicit Donatus quod hoc propter Augustum mutavit. Nam nata erat laurus in palatio eo die quo natus est Augustus: unde triumphantes coronari consueverant: propter quam rem noluit laurum dicere ad officium lugubre pertinere.

DONATI.

PVRPVREAS. Ex precio vestium meritum mortui vult ostendere. Has vestes illum amasse, ex eo demonstrat, quia frequenter illis usus est: & propterea multis erant notæ.

THVREA DONA CONGESTA. Meritum viri ostendit ex multitudine specierum: & cum non dicat quanta, etiam plura intelliguntur. CONGESTA. Copiose tradita.

FVSO CRATERES. Non paulatim, sed semel cecidit.

LECTA. Ex cineribus lignorum.

RELLIQVIAS. Ossa quæ restabant ex cadavere combusto.

VARIORVM.

CORPVSQVE LAVANT. Franc. Robertellus, Annotat. lib. 2. c. 5. Turneb. lib. 28. cap. 44.

PVRPVREASQVE SVPER VESTES. De usu purpuræ in funeribus, meminit Suetonius in Cæsare, cap 84. *Intra lectum eburneum auro & purpura stratum.* Lege totum caput Alex. ab Alexandr. 7. lib. 3.

PARS INGENTI SVBIERE PHERETRO. Alludit ad Romanorum in clarorum virorum funeratione consuetudinem, quæ invaluerat, ut etiam pheretrum imperatorii honoris humeris subiretur, primi nominis militum, atque adeo equestris & patriæ dignitatis. GERMAN.

RELLIQVIAS VINO. Ex Homero. Turneb lib. 28. c. 44.

CIRCVMTVLIT VNDA. Pro unda purgavit. Turneb. lib 9. c. 10. & lib. 13. cap. 21. Macrob. lib. 3. c. 1. Saturnal.

RAMO FELICIS OLIVÆ. Ald. è ramo. Non placet Turneb. lib. 13. c. 21.

Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.
At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per ſæcula nomen.
His actis, propere exequitur præcepta Sibyllæ:
Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat.
Unde locum Graji dixerunt, nomine Aornon.
Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos;

SERVII.

NOVISSIMA VERBA. Id eſt ILICET. Nam VALE dicebatur poſt tumuli quoque peracta ſolennia.

SUAQUE ARMA VIRO. Ipſi chara ſculpſit in ſaxo. Nam ſupra ea jam legimus concremata. REMUMQUE TUBAMQUE. Quia & bellator & remex fuerat. licet poſſimus etiam ſolam tubam accipere. *Remus* enim dicitur lorum, quod continet tubam.

MONTE SUB AERIO. In aërio. Nam ſupra eſt poſitus. *Aërium* autem alii altum dicunt: alii nomen montis antiquum volunt. Unde eſt *Qui nunc Miſenus ab illo Dicitur.*

PRÆCEPTA SIBYLLÆ. ut, *Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.*

SPELUNCA ALTA FUIT. Qua ad inferos deſcendebatur: non ubi fuerat Sibylla vaticinata.

SCRUPEA, Lapilloſa. Nam *ſcrupus* proprie eſt lapillus brevis, qui preſſus ſolicitudinem creat. Unde etiam ſcrupulus dictus eſt. LACU NIGRO. Aut alto: aut vere nigro inferorum vicinitate. TUTA autem, quia hinc lacu, hinc cingitur ſylvis. Dicit autem locum quem nunc *Doliola* vocant.

VOLANTES. Volucres, participium pro nomine poſuit: ut, *Plurimus Alburnum volitans cui nomen Aſylo eſt.* licet illic ſit etiam altera figura. Sane ſciendum Lucretium & alios Phyſicos dicere aërem corporeum eſſe, unde aves ſuſtinet: ſed hunc cedere vapori ſulphureo. Unde aves in illis locis deſertæ aëre, quo portari ſolent, concidunt, non odore, ſed pondere. Quod poteſt eſſe veriſimile; quia altius in eodem loco poſſunt volare: ut, *Tollunt ſe celeres: liquidumque per aëra lapſæ.*

AD CONVEXA. Cœli curvitatem.

INVERGIT VINA SACERDOS. In quarto ait, *Media inter cornua fundit.* Et *fundere* eſt ſupina manu libare: quod fit in ſacris ſupernis. *Vergere* autem eſt converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in infernis ſacris fit. Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem: ut ſi non ſtupuerint, aptæ probentur.

DONATI.

LUSTRAVIT VIROS. Quia totius claſſis pollutionem poſuerat, iccirco omnes hic luſtrat.

AT PIUS ÆNEAS. Superiora cæteri compleverant: ſepulchrum vero iccirco curavit Æneas, ut magna mole fieret: quia contemplabatur ejus maximum meritum. Arma etiam poſuit, ut quibus in vita floruit, illis in morte ornaretur.

AERIO. Hoc nomen monti illi apud priſcos fuerat. Ergo mira brevitate & vetus & novum ponit nomen. *Æternum per ſecula*: & propter meritum defuncti, & propter authoritatem Æneæ, qui hoc voluit. Neque placet quod *Aerium* non ſit nomen proprium, ſed ſignificet altum. nam quod vetuſtum illud nomen fuerit, oſtendit Maro, cum de Miſeno dicat, qui nunc quaſi inferat: dicitur nunc Miſenus, qui olim dictus eſt Aërius.

TUTA LACU. Hoc facit natura loci, & non humanum artificium quod tuta ſit.

TALIS HALITUS. Refert cauſam cur non poſſent volare, ſcilicet propter vim vaporis inde ſurgentis, quo ſtatim necabantur.

QUATUOR. Procurabat Sibylla remedium ad tranſitum nam ſi aves per altitudinem cæli citæ tranſire non poterant, quid homo efficeret per teterrimum locum & tenebras tranſiturus tardo greſſu? Numerus autem & color & reliqua quæ adhibentur, pertinent ad rationem ſacrificii.

VARIORUM.

LUSTRAVITQUE VIROS. Donatus Domos legit. Vulgatum tuetur Turneb. lib. 13. cap. 21.

AT PIUS ÆNEAS. Ex Homero. Macrob l. 5. cap. 7. Saturn.

REMUMQUE TUBAMQUE. Franc. Floridus Subſec. lib 2. cap. 16.

FRONTIQUE INVERGIT VINA SACERD. De ſitu, ex Plutarcho. Turneb. lib. 13. cap. 21.

Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cœloque, Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris: ipse atri velleris agnam
Æneas, matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.
Ecce autem primi sub lumina Solis & ortus,

SERVII.

VOCE VOCANS. Non verbis, sed quibusdam mysticis sonis. Nam ut in Lucano legimus, varia numina invocabantur: ut, *Latratus habet illa canum, gemitusque luporum: Quod strident ululantque feræ, quod sibilat anguis Exprimit: & planctus fractæque tonitrua nubes: Tot rerum vox una fuit.* CŒLOQVE EREBOQVE POTENTEM. Hoc est quod ait Hecaten, ut plenum numen ostenderet.

SVPPONVNT CVLTROS. Id est victimas exdunt. Fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabantur. Hinc est quod & macte dicebatur, quod magis augere significet. Dicimus autem hic culter cultri. Nam cultellus diminutivum est; cultellum penitus latinum non est.

SVCCIPIVNT. Antique. Nam modo SVSCIPIVNT dicimus.

MATRI EVMENIDVM. Id est Nocti: ut, *Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem.* Et Eumenides dicuntur per Antiphrasim, cum sint immites. MAGNÆQVE SORORI. Id est terræ. Nam ut supra diximus, nihil est aliud nox nisi umbra terrarum. ENSE FERIT. Vt eum contra umbras haberet consecratum. hinc est quod ei dicit Sibylla, *Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum.* Item, *Strictamque aciem venientibus offert.* Hoc autem etiam Homerus dicit:

STERILEMQVE TIBI PROSERPINA VACCAM. Deæ congruam, nunquam enitenti.

NOCTVRNAS ARAS. Quæ tota nocte ardebant. INCHOAT *autem perficit*. Et est verbum sacrorum.

SOLIDA IMPONIT TAVRORVM VISCERA FLAMMIS, Non exta dicit: sed carnes. Nam VISCERA sunt, quicquid inter ossa & cutem est. Vnde etiam visceratio dicitur, ut diximus supra. Ergo SOLIDA *viscera*, holocaustum significat: quod detractis extis aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur: unde infert, FVNDENS ARDENTIBVS EXTIS. Quanquam alii pro parte totum velint: ut per *exta* totum animal intelligatur.

PRIMI SVB LVMINA SOLIS ET ORTVS. Atqui hæc sacra per noctem fiebant: sed locutus est secundum Romanum ritum, quo dies creditur à medio noctis incipere. Illo autem loco quo dicit, *Nox ruit Ænea*: non VENIT, sed FINITVR significat. Quanquam alii dicunt sacra hæc à media die incipere: & perduci usque ad mediam noctem. Quod si est NOX RVIT, potest VENIT significare.

DONATI.

SVCCIPIVNT. Ne jam sacratus in terram cadat. IPSE ATRI. Omnia nigra inferis mactat, & sterilem vaccam, quia nihil ab inferis nascitur. demonstrat quatuor, colorem; genus animalis, cum primo vellere intactum: ergo non attonsum, & Veneris immune.

NOCTVRNAS. Nam & tempus tenebrosum inferis convenit.

OLEVM. Vt validius urerentur, oleum infundit. Ostendit igitur quo more, vel quibus, & qualibus, & quantis animalibus cæsis inferorum numinum favor acquiritur. ECCE. Vbicunque ponitur *ecce*, necessario sequitur aliquid, quod metum afferat vel admirationem. ORTVS. Ne incertum esset quid sit, *sub lumina solis*, addidit, *ortus*.

VARIORVM.

SVMMAS CARPENS MEDIA. Etiam Græcis [illegible]. Turneb. lib. 13. cap. 21. & lib. 19. c. 17.

SVPPONVNT ALII CVLTROS. Ritum explicat & form. Turneb. lib. 15. cap. 12. & lib. 13. cap. 21. Brissoni Formul. lib. 1.

ÆNEAS MATRI EVMENID. Heroicum ritum ex Homero expressit. Turneb. lib. 15. cap. 12.

STERILEMQVE TIBI PROSERPINA VACCAM. Hic Maro Homerum secutus Diis Manibus vaccam sterilem dicavit, ut & Apollonius. [illegible] dicuntur ex pecudibus castrati mares, qui inferis sacrificantur ut infœcundi, quales sunt verveces, quorum capita in terram prona inciduntur; cum contra, quæ cœlestibus immolantur, resupinatis capitibus mactari soleant, ut notavit ejusdem Apollonii interpres. GERMAN.

NOCTVRNAS INCHOAT ARAS. Nocturnas intelligit Turnebus lib. 21. c. 44. in quibus res divina noctu fieret, non interdiu. Valerius de Plutonis & Proserpinæ sacris: Hostias nigras, quæ antiquis furvæ dicebantur, Tarenti immolavit, ludosque & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit: GERMAN.

Sub

Digitized by Google

Sub pedibus mugire ſolum, & juga cœpta moveri
Sylvarum, viſæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul, ô procul eſte profani,
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco.
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:
Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro ſe immiſit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus æquat.
Dii quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia late;
Sit mihi fas audita loqui; ſit numine veſtro
Pandere res alta terra & caligine merſas.
Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras,

SERVII.

VISÆQVE CANES VLVLARE. Ita numinis oſtendebatur adventus. CANES autem, furias dicit Lucanus, *Stygiaſque canes in luce ſuperna Deſtituam.* Sicut etiam diximus ſupra. VLVLARE autem & furiarum eſt.

ADVENTANTE DEA. Ipſa ſcilicet Proſerpina. PROPHANI. Qui non eſtis initiati.

TOTOQVE ABSISTITE LVCO. Hoc eſt, non tantum à ſpelunca; ſed ab omni luci vicinitate diſcedite.

INVADE VIAM. Ingredere. FVRENS. Deo plena: aut certe ſimilis furenti.

DII QVIBVS IMPERIVM EST ANIMARVM. Plenus locus alta ſapientia: de qua varie diſſerunt Philoſophi. Nam dicunt per alios animas ad inferos duci: ut, *Hac animas ille evocat orco Pallentes: alias ſub tartara triſtia mittit.* Item per alios transferri: ut, *Navita ſed triſtis.* Per alios purgari, ut, *Aliæ panduntur inanes Suſpenſæ ad ventos.* Per alios vero ad ſumma revocari: ut, *Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno.* Sciens ergo de deorum imperio varias eſſe opiniones, prudentiſſime tenuit generalitatem. Ex majore autem parte Syronem, id eſt magiſtrum ſuum Epicureum ſequitur. Hujus autem ſectæ homines novimus ſuperficiem rerum tractare, nunquam altiora diſquirere. VMBRÆQ. SILENTES. Secreta inferorum ſemper ſilentia. Nam hominum umbræ loquuntur. Hinc eſt, *Quæ ſacra ſilentia norunt.* Invocat autem ſummum bonum quod in ſilentio conſtare manifeſtum eſt.

ET CHAOS, ET PHLEGETHON. Elementorum confuſio. Invocat autem rerum primordia, quæ in elementorum fuerant confuſione. Per *Phlegethonta* inferorum fluvium, ignem ſignificat. Nam φλὸξ Græce, Latine ignis eſt, unde ſecundum Heracletum cuncta procreantur: & re vera ſine calore nihil naſcitur: adeo ut de Septentrione dicat, *Sterili non quicquam frigore gignit.* LOCA NOCTE SILENTIA LATE. Aut hoc eſt quod ſupra ait, *Vmbræque ſilentes*: aut vult oſtendere eſſe partem mundi, in qua perpetuæ ſunt tenebræ. Cum enim probatum ſit quod legimus, *Et minima contentos nocte Britannos*, ſphæræ exigit ratio ut è contrario ſit regio noctibus vacans.

SIT MIHI FAS AVDITA LOQVI. De alta dicturus prudentia miſcet poëticam licentiam.

SIT NVMINE VESTRO. Concedatur à veſtro numine.

ALTA TERRA, ET CALIGINE MERSVS. Bene junxit. Ex terris enim caligo procreatur, id eſt umbra.

OBSCVRI SOLA SVB NOCTE. aut Hypallage eſt. *Sub obſcura nocte ſoli ibant*, aut *Sub ſola nocte*, id eſt ubi nihil aliud eſt præter noctem. DOMOS VACVAS. Noſtri mundi comparatione. Simulachra enim illic ſunt quæ inania eſſe non dubium eſt.

NOX. Sola nox eſt cui nulla lux ſuccedit.

DONATI.

PER VMBRAM. Ad omnia pertinet, quæ deſcripſit.

TOTO LVCO. Vt penitus lucum relinquatis.

APERTO. Id eſt, quod ſemper patebat.

VADENTEM PASSIBVS ÆQVAT. Magnam fiduciam Æneæ oſtendit.

DII QVIBVS IMPERIVM. Dicturus quales eſſe ſedes inferni afferantur, & quæ illic gerantur, quæ ſunt incognita viventibus, ne temerarius videatur, veniam à diis petit: aſſerens non ſe authore, ſed aliis proferentibus illa dicere, ne ſibi incognita, & in vulgus non proferenda videatur retegere.

VARIORVM.

VISÆQVE CANES VLVLARE. Dianæ ceu Hecatæ tribui docet Turneb. lib. 13. cap. 12. & lib. 15. cap. 8. & lib. 16. cap. 4. & lib. 28. c. 44. Bern. Realinus Annotat. cap. 13.

PROCVL ESTE PROFANI. Sacra reſpexit, quæ ἀβέβηλα dicebantur, oppoſita τοῖς βεβήλοις, ad quæ profanis acceſſio erat. GERMAN.

PROCVL, O PROCVL ESTE PROFANI. Pet. Crinitus lib 6. cap 3. de Honeſt. diſc. Cælius lib. 1. cap. 29. Lect. Antiq. Briſſonius lib. 1. de Form.

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis, ubi cœlum condidit umbra
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Luctus, & ultrices posuere cubilia Curæ:
Pallentesque habitant morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas;
Terribiles visu formæ, Lethumque, Laborque:

SERVII.

INANIA REGNA. Inanium: per quod ostenduntur vacua.

INCEPTAM. Alii INCERTAM legunt; illic tamen recurrit. Nam *incertum*, incipientem, id est minorem significat. LVCE MALIGNA. Obscura. Nam malignum est proprie angustum: ut, *Aditusque maligni*, id est minores, obscuri. Sane sciendum Lunæ, licet minoris commemoratione, ostendere eum, fuisse illic aliquid lucis. Nam aliter omnia quæ dicturus est, videre non poterant.

VBI. Quando. Nam non est loci: sed temporis.

NOX ABSTVLIT ATRA COLOREM. Hoc & videmus, & tractatur ab Epicureis, rebus tollere noctem colorum varietatem. Vnde & apud inferos omnia nigra esse dicuntur. Contra hos Academici una repugnant. Nam squamas piscium lucere per noctem comprobatur.

VESTIBVLVM. Vt Varro dicit, Etymologiæ non habet proprietatem: sed fit pro captu ingenii. Nam VESTIBVLVM, ut supra diximus, dictum ab eo quod januam vestiat. Alii dicunt à Vesta dictum per imminutionem. Nam Vestæ limen est consecratum. Alii dicunt ab eo quod nullus illic stet. In limine enim solus est transitus: quomodo vesanus dicitur non sanus: sic vestibulum, quasi non stabulum.

FAVCIBVS ORCI. Deum posuit pro loco: ut Iovem dicimus, & aërem significamus. Horatius, *Manet sub Iove frigido venator. Orcum* autem Plutonem dicit. Nec enim per Charonta possumus intelligere inferos dictos, quia minor potestas pro imperio nunquam ponitur, sed illa quæ tenet imperium. Ergo alter est Charon. Nam *Orcus* idem est Pluton, ut in Verrinis indicat Cicero dicens, *Vt alter Orcus venisse Ætnam: & non Proserpinam, sed ipsam Cererem rapuisse videatur.* alibi ait, *Quia Ditem patrem emersisse ab inferis putant.* Dicimus autem & hic Dis: & hic Ditis.

LVCTVS ET VLTRICES POSVERE CVBILIA CVRÆ. Ea dicit esse in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti: aut quæ post mortem creantur: aut quæ in morte sunt, ut pallorem. Luctus enim post mortem est. CVRÆ. Conscientiæ: quæ puniunt semper nocentes.

TRISTIS. Severa, quæ gignit severitatem. Cicero, *Iudex tristis & integer.*

TVRPIS EGESTAS. Quæ turpes facit, & quasi harum rerum imagines facit, quas dicit esse apud inferos. Ideo quia in quem ista concurrent, sit mortalis necesse est. Vnde deos immortales dicunt: quia ista non sentiunt, quibus mors creatur.

TERRIBILES VISV FORMÆ. Omnes scilicet quas supradixit.

DONATI.

VACVAS. In quibus nihil videri potest, neque illic occurri.

INCERTAM. In ipsis initiis positam.

IN SYLVIS. Quæ etiam illud exiguum lucis sua densitate possunt eripere.

VESTIBVLVM ANTE IPSVM. In hoc erant omnia quæ cruciant vivos, aut defunctos affligunt.

LVCTVS. Quorum sordidus & miserabilis cultus est. CVRÆQVE. Quæcunque possident, torquent.

TRISTISQVE SENECTVS. Et quia nostros contrahit vultus, & morti vicinos facit.

FAMES. Non solum quæ egestatem affert victus, sed quæ cupiditatem rapiendi affert.

TVRPIS EGESTAS. Nam & macie deturpat faciem, & necessitate sordidum relinquit victum & vestitum.

VARIORVM.

PERQVE DOMOS DITIS. Turnebus lib. 9. cap 27.

VESTIBVLVM ANTE IPSVM, PRIMISQVE IN FAVCIBVS. Fauces enim Orci vestibulum sequuntur, & significant limen ipsum, atque adeo aditum, qui vestibulum excipit, ubi arctatur ad ipsas fores, ex quibus initium habet. Itaque Virgilius, recto ordine, *vestibulum* prius nominavit; tum locavi: *primas Orci fauces*; neque tam ipsas *fauces*, quam faucium principium. Nec ideo *primis in faucibus* dixit, quasi aliæ posteriores fauces sequerentur: sed earum initium & primas oras designare voluit: qua ratione Latini dicunt, *primoribus labris, &c.* Nec quem moveat, quod Virgilius dixerit, *Vestibulum ante ipsum*; nam, *ante vestibulum*, non notat locum ipso priorem vestibulo; sed est in ipso vestibulo, quod ante Orcum est. BEHOTIVS.

VESTIBVLVM ANTE IPSVM. Macrobius lib. 6. cap. 8. Saturnal. Florid. lib. 2. cap. 22. lecti subsec.

PALLENTESQVE HABITANT MORBI. Florid. Subsec. lib. 2. cap. 12.

Tum

Tum consanguineus Lethi Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum.
Ferreique Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Vlmus opaca, ingens; quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum:
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,

SERVII.

CONSANGVINEVS LETHI SOPOR. Secundum Homerum, juxta illud, *Dulcis & alta quies placidæque simillima morti.*

MALA MENTIS GAVDIA. Generaliter omnium scelerum dicit: ac si diceret *mala mentis gaudia*. Vt cum male fecerunt gaudeant.

MORTIFERVMQVE ADVERSO IN LIMINE BELLVM. Mire cum omnia in vestibulo, bellum vero in limine ipso posuit, quoniam nulla major est mortis causa quam bellum: & est familiare epitheton.

EVMENIDVM THALAMI. Furiæ nunquam nupserunt. Vnde thalamos accipiamus habitationum loca, in quibus natæ sunt. Alii *thalamos* dicunt, qui facti sunt authoribus furiis: sed non procedit, quia ait, *Terribiles visu formæ*, ut non videatur esse contrarium: quia furias paulo post alibi dicit esse. Nam possunt hic natæ esse, & alibi manere, & alibi officium exercere pœnarum.

VITTIS INNEXA. Vt, *Scissa comam, & Oculos suffusa.*

IN MEDIO. Aut vestibulo: aut absolutum est, & intelligimus hanc esse eburneam portam per quam exiturus est, quæ res, hæc omnia indicat esse simulata, si & ingressus & exitus simulatus est & falsus.

VLMVS OPACA INGENS. Distinguenda sunt ista propter duo epitheta. PANDIT. Non aperit, sed expandit, id est, extendit, & dicunt quidam *pandit* ab eo quod est aperit venire, nam quod apertum, est latius diffusum: hinc est, *Patulæ recubans sub tegmine fagi.* VVLGO. Passim, catervatim, an vulgo ferunt?

VANA TENERE. Verum ἀμφίβολος, an quæ ex his vana sunt, & duo somniorum genera putantur, unum de cœlo ut, *Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis Anchisæ*, quod est verum: aliud ab inferis, quod est vanum. FOLIISQVE SVB OMNIBVS. Qui de somniis scripserunt, dicunt quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: quod per transitum tetigit. *Vana* autem ideo, quia ab inferis. nam vera mittunt superi. Homerus, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός, somnium de Iove.

CENTAVRI IN FORIBVS STABVLANT. Bene in foribus: quia ea quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt. STABVLANT autem, habitant: & usurpative dixit, ut populat, luctat; nam stabulor dicimus. Et bene allusit: quia ex parte equi sunt. *Centauri* autem Ixionis & Nubis filii sunt. Ixion enim amatam Iunonem de stupro interpellavit. Illa confessa Iovi est: & ejus voluntate Nubem in suam formam conversam obtulit, unde feruntur nati esse Centauri. SCYLLÆQVE BIFORMES. Bene plurali usus est numero Nam Scylla filia Nisi, secundum alios in avem conversa est secundum alios in piscem. Ergo etiam ipsa biformis fuit: sicut hæc in Siciliæ freto. Dictum autem est per poëtæ licentiam. Quidam pluralem numerum pro singulari positum volunt, nam quæ in avem conversa est, nihil terroris habet: Harum sane fabulæ in Bucolicis plenius narratæ sunt.

DONATI.

MALA GAVDIA MENTIS. Hæc sunt quæ in scelera ducunt. Adulter enim & latro cum luctu de sceleribus voluptatem capiunt. *mala* ergo, quia apud inferos puniuntur.

DISCORDIA DEMENS. In quam ex dementia incidimus. neque injuria dat sanguinem & serpentes.

IN MEDIO RAMOS. Post vestibulum ponit interiorem partem, quæ non esset sub tecto. Posuit ulmum annosam: & quia non omnes annosæ sunt mentes, & opacæ frondibus, idcirco hæc addit: VANA SOMNIA. Vult hæc esse errores, qui pro necessariis inaniter occurrunt.

VARIORVM.

TVM CONSANGVINEVS LETHI, &c. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 7. Laturn. lib. 28. c. 43. & 44. Parrhasius pag. 844. Tom. 1. Lampad. Critic.

FERREIQVE EVMENIDVM THALAMI. *Thalami* improprie pro sedibus positi sunt. Et scite de domiciliis meminit Furiarum, non de Furiis, quia huc illuc mittuntur Furiæ: & si forte apud inferos morantur, non nisi raro in vestibulo domus Plutonis, licet illic sedes habeant, sed in tartaro frequentius diversantur, ut sceleratos suis flagellis crucient. NASCIMB.

VLMVS OPACA, INGENS. Cælius lib. 6. cap. 9. Lect. antiq.

CENTAVRI IN FORIB. STAB. H. Magius lib. 1. cap. 20. STABVLANT ergo non simpliciter accipiendum, pro habitant. Sed rationem habuit personarum: quibus natura est belluina magis, quam humana: nam ex parte, ut est in fabulis, equi sunt, & *stabulare* de pecoribus proprie dicitur. N.

Digitized by Google

Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ;
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra;
Gorgones, Harpyiæque, & forma tricorporis umbræ.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert.
Et, ni docta comes tenueis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:

SERVII.

CENTUMGEMINUS BRIAREUS. Centies duplex: secundum fabulas ipse etiam dictus est Ægæon. Qui, ut nonnulli tradunt, pro diis adversus Gigantes bella gessit; ut vero alii adfirmant, contra deos pugnavit, eo maxime tempore quo inter Iovem & Saturnum de cœlesti regno certamen fuit, unde eum à Iove fulmine ad inferos tradunt esse trusum. Alii dicunt cum Iuno & Minerva & Neptunus, cæterique dii Iovem ligare vellent, à Thetide Briareum adhibitum, Iovem vinculis exemisse.

AC BELLUA LERNÆ. Hydram dicit serpentem inmanis magnitudinis, quæ fuit in Lerna Argivorum palude: sed Latine *Excetra* dicitur, quod uno cæso tria capita excrescebant. Cum sæpe amputata triplarentur ammoto ab Hercule incendio consumpta narratur, cujus felle Hercules sagittas suas tinxisse dicitur. Sed constat *Hydram* locum fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem: in quo uno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit: quibus siccis clausit meatus. Nam Hydra ab aqua dicta est, id est ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Potuisse autem hoc fieri ille indicat locus, ubi dicit, *Omne per ignem Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor.* Et utrum hic distinctio plena sit, an *horrendum stridens* inferioribus jungendum sit, stridere enim bene Chimeræ datur, quæ & serpentes habet & flammas.

HORRENDUM STRIDENS. Pro horrende, adverbium qualitatis derivatum in nomen. FLAMMISQUE ARMATA CHIMÆRA. Titonis & Cheldriæ filia, ore leo; postremis partibus, draco: media, capra secundum fabulas fuit. Re vera autem mons est Siciliæ: cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod sunt leones: media autem pars hujus pascua habet quæ capreis abundant; ima vero montis serpentibus plena sunt. Hunc Bellerophontes habitabilem fecit, unde Chimæram dicitur occidisse.

GORGONES. Hæ Gorgones Forci filiæ tres fuisse dicuntur, extrema Africa circa Atlantem montem, quæ omnes unum oculum habebant, quo invicem utebantur: quarum nomina hæc fuerunt Stheno, Euryale, Medusa: sed Medusa erecta favore Neptuni, ausa est crines suos Minervæ capillis præferre, qua re indignata dea: crines quibus amatori maxime placuerat, in serpentes vertit, eamque excidi à Perseo fecit luminibus orbatam, fecitque ut quisque caput ejus vidisset verteretur in saxum; sed Perseus, Iovis, & Danaës filius, cum ad eam occidendam volaret, præ se scutum ferens speculi candore perlucidum, sic Minerva monstraverat, in umbra ejus vidit caput Gorgonæ, & ita aversus accedens id amputavit, quod cum ad Polydioten regem pertulisset, isque negaret id ejus virtute confectum, conspicuum id regi fecit, cujus conspectu ille in saxum mutatus est, quod in Serifo insula hodieque ostenditur: Serenus tamen Poëta dicit Gorgonas puellas fuisse unius pulchritudinis, quas cum vidissent adolescentes, stupore torpebant: unde fingitur quod si quis eas vidisset, vertebatur in lapidem. Sane quidam dicunt versus alios hos à Poëta hoc loco relictos, qui ab ejus emendatoribus sublati sunt,

Gorgonis in medio portentum immane Medusa,
Vipereæ circum ora comæ, cui sibila torquent,
Infamesque rigent oculi, meritoque sub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

HARPYIÆQUE. Aut jam mortuas intellige: aut secundum Platonem, & alios simulachra licet vivarum, illic fuisse Nam dicunt esse omnium rerum ideas quasdam, id est imagines: ad quarum similitudinem procreantur universa. Hinc est quod in Statio Amfiaraus Plutoni dicit, *Omnibus finitor rerum videris: mihi vero & fator.* Harum autem simulachra bene apud inferos sunt: quia esse dicuntur & furiæ. TRICORPORIS UMBRÆ. Erili & Geryonis.

OFFERT. Non ad feriendum, sed ad repellendas umbras. Unde *offert* dixit: sacerdos autem ferire prohibet.

TARTAREI QUÆ FERT ACHERONTIS AD UNDAS. Sequitur illud Pythagoricum dicens, tenuisse eos viam post errorem sylvarum; quæ vel ad vitia vel ad virtutes, ut diximus, ducit. TARTAREI ACHERONTIS. Acheronta vult quasi de imo nasci Tartaro: hujus æstuaria Stygem creare. De Styge autem nasci Cocyton: & hæc est mythologia. Nam Physiologia hoc habet, Quia qui caret gaudio, sine dubio tristis est. Tristitia autem vicina luctui est, qui procreatur ex morte. Unde hæc esse apud inferos dicit.

VARIORUM.

GORGONÆ, HARPYIÆQUE. Gorgones tres fuere sorores, vide Gyrald. Syntag. 5. Natal. lib. 7. cap. 12.

ET FORMA TRICORPORIS UMBRÆ. Geryon, rex Hispaniæ triplici corpore. Natalis lib. 7. cap. 1. Gyrald. in Hercule.

VOLITARE CAVA SUB IMAG. Pro inani. Turn. lib. 12. cap. 5. Ex Non. Marcello. Iac. Nic. Loënsis. lib. 6. cap. 3.

Tur-

Digitized by Google

Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squallore Charon: cui plurima mento
Canicies inculta jacet: stant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior: sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm Heroum, pueri, innuptaque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quam multa in sylvis Autumni frigore primo

SERVII.

COCYTO ERUCTAT ARENAM. In Cocytum: scilicet per Strygem.

HAS HORRENDUS AQUAS. Propter tria flumina. PORTITOR. Proprie qui portat: abusive etiam qui portatur *portitor* dicitur, sicut vector.

TERRIBILI SQUALLORE. Id est terribilis squalloris. CHARON. κατ' Antiphrasin, quasi Acharon.

CANICIES INCULTA IACET. Veteres enim non solum comam ornabant, sed etiam barbam, ut nonnullas videmus statuas. Ideo dixit *Inculta mento canicies.* STANT. Horrent. Et est polysemus, hoc est multiplicatio sermonum, ut diximus supra.

SUBIGIT. Subagit, sursum agit, regit. Et est polysemus sermo. Nam ACUIT significat: ut, *Subiguntque in cote secures.* Et COMPELLIT: ut, *Subigitque fateri.* VELISQUE MINISTRAT. Aut pro vela: & est septimus. Aut velis obsequitur: & est dativus.

FERRUGINEA. Nigra, tristi. Nam lugubrem ostendit dicens, *Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.* CORPORA CYMBA. Omne quod potest videri, corpus dicitur. unde paulo post discretionem fecit, dicens, *Corpora viva nefas Stygia vectare carina.*

IAM SENIOR. Aut pro positivo posuit: aut ut diximus, *senior* est virens senex: ut *junior*, intra juvenem est: quam rem à Varron e tractatam confirmat etiam Plinius. CRUDA DEO, VIRIDISQUE SENECTUS. τὸ ἀκμαῖον: Ideo cruda & viridis, quia in deo: & bene viridis *

AUTUMNI FRIGORE PRIMO. Extremitatem vult ostendere: quod ait Iuvenalis, *Iam lethifero cedente pruinis Autumno.* Nam ejus prima pars fervet: ut, *Totoque Autumni incandust æstu.* Sane sciendum secundum Plinium, folia Autumnali tempore ideo cadere, quia omnis tunc in arboribus humor æstatis calore invenitur exhaustus. ERGO CADUNT, non quia tunc siccari incipiant: sed quia tunc eis jam deest humor,

DONATI.

TURBIDUS HIC COENO. Pro qualitate inferni fuit natura aquæ turbida, cœnosa', odoris pessimi: utpote quæ ructaretur à cœno.

PORTITOR. Is proprie est qui portum observat, ut nullus ejus injussu in alienas regiones transeat. His igitur aquis tam male olentibus, tam horridis aspectu erat par custos, nec dissimilis loco & regioni.

STANT LUMINA FLAMMA. Inflexibiles oculi, quasi flammam emittebant.

SORDIDUS AMICTUS. Sordidum erat velamen, neque tantum ut totum tegeret corpus: & non fibula, sed nodo nectebatur.

IPSE RATEM. Non agendi potestatem, sed pœnam habebat: quia multa simul officia implebat. nam dabat vela, vectabat corpora. SUBIGEBAT. Id est, non sine labore agebat.

VIRIDIS. Non propter colorem, sed quæ adhuc non parum de pristinis temporibus retineret. *Cruda & viridis*: quia nondum tendebat ad maturitatem.

IUVENES. Qui adhuc suis commodis inservire patriæ potuissent. PUERI ET VIRGINES. Quos in spem posteritatis servandæ, convenerat in longum senium perduci. Distinguit sexus & ætates, ut ostendat mortem omnibus esse communem, nec moriendi esse ordinem.

QUAM MULTA. Ex hac comparatione, quanta fuerit turba ostenditur.

VARIORUM.

STANT LUMINA FLAMMA. Pleni flamma sunt oculi. Turneb. lib. 20. c. 22. Sic alibi STARE, quod explicat Iac. Durantius lib. 2. Var. cap. 4.

FERRUGINEA. Pro atra & nigra. Turnebus lib. 14. cap. 4.

IAM SENIOR. De Charontis senio. Turneb. lib. 22. cap. 18.

Digitized by Google

Lapsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans Pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes, primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.
Navita sed tristis, nunc hos, nunc accipit illos:
Ast alios longe summotos arcet arena.
Æneas (miratus enim, motusque tumultu)
Dic, ait, ô virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos:
Anchisa generate, deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dii cujus jurare timent, & fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba est:

SERVII.

GLOMERANTUR AVES. Bene rebus volitantibus animas comparavit, quæ & ipsæ volant.

IMMITTIT APRICIS. Quasi *ἄνευ φρίκης*, id est sine frigore, ut diximus supra. Vnde nonnulli & Africam dictam volunt.

PRIMI TRANSMITTERE. Figura Græca est: ut primi transirent.

TRISTIS. Asper, & miserabilis, severus.

ÆNEAS. Ordo est Æneas ait, dic ô virgo. cætera per parenthesim dicta sunt, id est per suppositionem.

QVO DISCRIMINE. Qua differentia. RIPAS HÆ LINQVVNT. Repulsæ scilicet, non transeuntes.

VADA LIVIDA. Nigra. Et lividum, non nisi apud neotericos invenimus. Lucanus, *Livor edax tibi cuncta negat, gentesque subactas.*

LONGÆVA SACERDOS. Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poscendi quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus: & tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit posse fieri, si Erythræam (in qua habitabat) insulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quod cum cives ejus cognovissent, sive invidia, sive miseratione commoti, ei epistolam miserunt creta antiquo more signatam: qua visa quia erat de ejus insula, in mortem soluta est. Vnde nonnulli hanc esse dicunt, quæ Romana fata conscripsit, quod incenso Apollinis templo, inde Romam allati sunt libri, unde hæc fuerat.

DEVM CERTISSIMA PROLES. Ex eo quod subire inferos potuit. Ideo autem CERTISSIMA, quia multi ad gloriam generis simulant se numinum filios: ut Romulus ex Marte, Alexander ex Iove Hammone. Hoc ergo excludit. Sic alibi de Hercule, *Salve vera Iovis proles.*

ET FALLERE NVMEN. Vt supra diximus, sive propter Victoriæ favorem Stygis filiæ. Nam dicitur statuisse Iupiter, ut si quis fefellisset ejus numen, uno anno & novem diebus ab Ambrosio & Nectare prohiberetur. Ratio autem est quam supra diximus. Ideo per Stygem dii jurant, quia tristitia contraria est æternitati.

INOPS INHVMATAQVE TVRBA EST. Duo dicit, id est nec legitimam sepulturam habet, neque imaginariam. Inopem enim dicit sine pulveris jactu (nam OPS terra est) id est sine humatione. Vult autem ostendere tantum valere inanem, quantum plenam sepulturam. Nam & Deiphobi umbra transvecta est, cui Æneas cenotaphium fecit: ut, *Hunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem Constitui.* Bene autem *sepultos*, id est fletos, Nam sine fletu sepultura non est. Vnde legimus, *Inhumata, infletaque turba.* Facit supradicta flumina transire, quibus luctus nomen imposuit.

DONATI.

TRISTIS. Dirus, nunquam affabilis. NVNC HOS. Nam omnes simul non poterat.

BREVITER. Ne qua fieret rebus necessariis mora.

CERTISSIMA PROLES. Natus ex homine, non immerito paves, sed nihil debes metuere: quia à diis principium ducis.

COCYTI STAGNA. Non auget moram: quia respondet ad id quod non interrogat, sed minuit: nam curat ne postea interroget. Stagnum igitur inquit, Cocyti nomen: palus vero, quæ ex superfusione aquæ efficitur, Styx appellatur. Nec indiget probatione, quod insepulti non transportentur: quoniam cernit ibi quos sepelire non potuit.

VARIORVM.

DII CVIVS IVRARE TIMENT. Cælius l. 14. cap. 18. Lect. Antiq.

Portior

Digitized by Google

Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:
Tum demum admiſſi, ſtagna exoptata reviſunt.
Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit,
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.
Cernit ibi mœſtos, & mortis honore carentes,
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claſſis Orontem:
Quos ſimul à Troja ventoſa per æquora vectos,
Obruit Auſter, aqua involvens navemque viroſque.
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat;
Qui Libyco nuper curſu, dum ſydera ſervat,
Exciderat puppi, mediis effuſus in undis.
Hunc ubi vix multa mœſtum cognovit in umbra,

SERVII.

RAVCA FLVENTA. Aut rheumata dicit: aut bene pluraliter quia de tribus loquitur.

SEDIBVS OSSA QVIERVNT. Id eſt prius, quam corpus in naturam ſuam redeat, id eſt in terram.

CENTVM autem ANNOS ideo dicit, quia hi ſunt legitimi vitæ humanæ, quibus completis poteſt anima tranſire ripas, id eſt ad locum purgationis venire, ut redeat rurſus in corpora. Sane ſciendum, quia cum terram dicimus, hæc ops facit: ſi Nympham dicamus, hæc Opis: ſi divitias, hæ opes numero tantum plurali.

STAGNA EXOPTATA REVISVNT, Lethæi ſcilicet fluminis.

VESTIGIA PRESSIT. Scilicet cogitatione tardatus, & intentionem conſtantis oſtendit.

PVTANS. Reputans. SORTEMQVE ANIMO MISERATVS INIQVAM. Iniqua enim ſors eſt puniri propter alterius negligentiam. Nec enim quis culpa ſua caret ſepulchro. Bene autem ANIMOS: quaſi re præſaga. ut alibi, *Præſaga mali mens.* Ipſe enim Æneas inſepultus jacebit: ut, *Mediaque inhumatus arena.*

MORTIS HONORE. Sepultum: ut, *Quiſquis honos tumuli.*

DVCTOREM CLASSIS. Apertum exemplum *claſſem* dici etiam unam navem. Nam legimus, *Unam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem.*

AVSTER. Hic diſtinguendum.

SESE AGEBAT. Seſe agere, eſt ſine negotio incedere.

QVI LIBYCO NVPER CVRSV. Bene Libyco. Navigatio enim non à diverticulo: ſed ab intentione accepit nomen.

EFFVSVS IN VNDIS. Archaïſmos eſt: quanquam Donatus eſſe ordinem velit, *dum ſervat ſydera in undis medius.*

MVLTA MOESTVM COGNOVIT IN VMBRA. Prudentiores dicunt animas recedentes à corporibus, ſordidiores eſſe donec purgentur: quæ purgatæ incipiunt eſſe clariores. Unde ait paulo poſt, *Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Æthereum ſenſum: atque auraï ſimplicis ignem*, id eſt non urentis, ut eſt ſolis. Inde eſt quod aliæ animæ Lunarem circulum, aliæ ſolſtitialem retinere dicuntur pro modo purgationis: Bene ergo Palinurum obſcura umbra circumdata dicit: & vix agnitum, qui nec ad loca quidem pervenerat purgationis, ſicut etiam alibi de Didone dicturus eſt, *Agnovitque per umbram Obſcuram.*

DONATI.

QVOS SIMVL A TROIA. Revocat in memoriam legenti, qui iſti eſſent, & ubi, & quando, & qua vi periiſſent. Et ſimul, ne quis daret vitio Æneæ; quod ſuos non ſepeliſſet: quoniam ſepelire non potuit.

VARIORVM.

CENTVM ERRANT A. Ex Platonicorum myſteriis depromptum. Nam cum denarius numerus perfectus eſſe credatur, ſi decies ſumatur, naſcitur inde centenarius. Hos annos univerſos vocant, qui purgationi & emaculandis animis dedicantur, quibus vitiorum ſordes eluuntur, ut aliquando Elyſii felicitate fruantur. HORTENS.

CENTVM ERRANT ANNOS. Cælius lib. 12. cap. 14. Lect. Antiq.

MVLTA PVTANS. Ἀφαίρεσις, pro reputans. Terent. *Dum hæc puto, præterii imprudens villam.* Putamus enim inſtantia: reputamus præterita. DONATVS.

SESE PALINVRVS AGEBAT. Ægre ſe movebat: agere enim ſe tardi & triſtes dicuntur. Et fortaſſe à phyſica ratione tractus eſt ſermo; nam agitur corpus animi judicio. NASCIMB.

Sic prior alloquitur: Quis te Palinure deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age. namque mihi fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te Ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. en hæc promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans traxi mecum. maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Treis Notus hybernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab unda.
Paulatim adnabam terræ; & jam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,

S E R V I I.

QVIS TE PALINVRE DEORVM? Quis deus debuit dicere: sed Græce dixit τίς θεῶν.

ERIPVIT NOBIS? Bene nobis. Gubernator enim communi perit periculo. SVB ÆQVORE MERSIT? Melius est, Medio æquore summersit. DIC AGE. Hortantis adverbium est unde est & ave sta, & age facite. VENTVRVM AVSONIOS. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus.

CORTINA. *Cortina* dicta est, aut quod cor teneat; aut quod tripos septus erat corio serpentis, ut supra dicitur: aut certe secundum Græcam etymologiam [illegible], id est quod extendit puellam: ut, *Mavorque videris.* NEC ME. Hic distinguendum, ne sit contrarium. Nam eum somnus dejecit. Quanquam alii frustra dicant, quod credebat Phorbantem: cum extinctis divinandi sit concessa licentia: & nunc jam sciat somnum fuisse.

NAMQVE GVBERNACLVM. Ut sit verisimile, quod post triduum tetigit litus Italiæ.

PRÆCIPITANS. Dum præcipitaretur. MARIA ASPERA IVRO. Aut execratio est: ut, *Iliaci cineres.* Aut certe jurat, quasi navita, per maria.

SPOLIATA ARMIS. Propter amissionem gubernaculi. EXCVSSA MAGISTRO. Nove dixit, de qua fuerat magister excussus.

SVRGENTIBVS VNDIS. Non quia tempestas fuerit favente Neptuno: sed tumens fuisse significat. Nec de Æneæ peritia desperavit: sed propter perditum gubernaculum.

HYBERNAS. Asperas: & retulit ad affectum natantis.

ADNABAM. Et hic distingui potest, *paulatim adnabam*, ut sequentibus jungatur, *terræ jam tuta tenebam.*

D O N A T I.

IN VNDIS. Non *effusus in undis*, ne sit vitium in casu: sed effusus cum in undis esset.

MVLTA VMBRA. Hoc excusat, quod amicum non statim agnoverit.

QVI FORE TE PONTO. Nihil dixerat de Palinuro Apollo: sed tacendo de suis adversis, boni aliquid promisisse videtur.

DEVS. Cognovit vim illam esse divinam, sed quis Deus fuerit ignorat: quia nullum vidit nisi Phorbantem.

VI REVVLSVM. Ostendit pro viribus pugnasse, ut excuset factum.

V A R I O R V M.

NAMQVE MIHI FALLAX. Querelam ingreditur, quod fuerit ab Apolline delusus in vaticinio Palinuri; itaque occulte innuit Appollinis oraculum non semper verum esse; quod tamen veritatis commendatione mitigat, cum eum nunquam, nisi hoc responso, fallacem à se repertum fateatur. NASCIMB.

NEQVE TE CORTINA FEFELLIT. *Cortina* est tripus, seu vas aureum, tribus pedibus sustentatum, in quo sedentes Phœbades vaticinabantur. Et quia hujusmodi tripodes seu cortinæ Apollini Delphico dicari solebant, alio nomine Delphicæ nuncupatæ fuerunt. Plin. lib. 34. NASCIMB.

Prensan-

Digitized by Google

Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, prædamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in littore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli;
Eripe me his invicte malis: aut tu mihi terram
Injice (namque potes) portusque require Velinos.
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divûm
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem)
Da dextram misero, & tecum me tolle per undas;
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

SERVII.

GENS CRVDELIS. Lucanorum, Et dicit eum à Veliensibus interemptum: ut, *Portusque require Velinos.* Sane sciendum *Veliam* tempore quo Æneas ad Italiam venit nondum fuisse. Ergo anticipatio est, quæ ut supra diximus, si ex poëtæ persona fiat, tolerabilis est: si autem per alium, vitiosissima est, ut nunc de Palinuro ait: quanquam alii ad divinandi scientiam referant: quasi ab umbra dictum. *Velia* autem dicta est à paludibus quibus cingitur, quos Græci ἕλη dicunt. Fuit ergo Helia: sed accepit Digammon, & facta *Velia*, ut Enetus, Venetus.

MONTIS. Saxi: ut, *Fertur in abruptum magno mons improbus actu*: pro saxo. E contratio, *Saxi de vertice pastor*: pro montis. Nam sunt ista reciproca.

ME FLVCTVS HABET. Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est quod nobiscum perit. Anima enim generalitatis est: & adeo non est nostra, ut etiam in alia corpora plerunque transeat. Ergo ME, corpus meum: quod est hominis proprium. Est autem Homeri, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

COELI IVCVNDVM LVMEN. Bene IVCVNDVM addidit. Est enim etiam apud inferos, sed non jucundum.

HIS INVICTE MALIS. Qui inferos subire potuisti. *His* autem, ac si diceret quæ cernis.

TERRAM INIICE. Bene ante majus petiit, ut vel hoc imperraret. Terræ autem injectio secundum pontificalem ritum poterat fieri & circa cadaver, & circa absentium corpora quibusdam solennibus sacris. NAMQVE POTES. Quia ubique eum rerum divinarum inducit peritum.

SI QVA VIA EST. Si est ulla ratio. DIVA CREATRIX. Rerum omnium generaliter. INNARE. Navigare: more suo.

DA DEXTRAM. Præsta auxilium. Vmbra enim nunquam tenetur: ut, *Ter frustra comprensa manus effugit imago.*

SEDIBVS VT SALTEM. Vt saltem in morte requiescam sedibus placidis. Et bene: quia nautæ semper vagantur.

DONATI.

CAPITA ASPERA. Aspera saxorum, quæ ex montis radicibus, veluti capita in mare extant.

VERSANT IN LITTORE. Ne in profundo esse videretur.

PER IOCVNDVM. Quia apud inferos non est jocundum. Quasi dicat, per id ad quod cupis remeare.

PER GENITOREM. Cujus causa tot subis labores.

MALIS HIS. Captat hinc commiserationem. INIICE TERRAM. Ostendit facilitatem.

PORTVS REQVIRE VELINOS. Renova laborem quærendi.

AT TV SIQVA VIA EST. Ostendit illum posse, & quia tanto vir est corporis robore, & animi ingenio: quia natus ex diis, quia Venerem matrem habet, quia sibi majora dii concesserunt, quando viventi hunc descensum permiserunt.

VARIORVM.

PRENSANTEM VNCIS MANIBVS. Ad ἀκρωνυχίαν videtur Poëta alludere, quæ vel ἀπὸ τοῦ ὄνυχος, id est, jugo montis nomen habet; vel quod, qui scandunt & contendunt in supremos arduosque montes, vel ipsis unguibus ut uncis niti consueverint. GERMAN.

PER GENITOREM ORO. Formulam expl. Turneb. lib. 23. cap. 3.

ERIPE ME HIS MALIS. Gellius lib. 10. cap. 16. Cælius lib. 9. cap. 45. Lect. Antiq.

TV MIHI TERRAM INIICE. Turneb. lib. 16. cap. 12. & lib. 25. cap. 6. H. Magius lib. 2. Miscell. cap. 19.

TV MIHI TERRAM INIICE. Ad veterem Græcorum ritum refert. Nam & ille piaculum consciscebat, qui pulverem mortuo & insepulto non injecisset, postquam Buziges primum Athenis, Diris eum devovisset, qui cadaver insepultum præterisset. Qui vero insepultum cadaver præterisset, porca præcidanea contra scelus expiabat. GERMAN.

PORTVSQVE VELINOS. Defendit contra Gellium Turneb. lib. 22. cap. 1.

Talia

Digitized by Google

Talia fatus erat, cœpit cum talia vates:
Vnde hæc ô Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
Eumenidum aspicies? ripamve injussus abibis?
Desine fata deûm flecti sperare precando:
Sed cape dicta memor duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, & tumulo solennia mittent:
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ:
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age quid venias; jam istinc & comprime gressum.

SERVII.

TAM DIRA CVPIDO. Cupiditas ex deorum ira veniens, aut certe magna: ut, *An sua cuique deus fit dira cupido?*

SEVERVM. Tristem, & hæc reciproca sunt, ut contra judex tristis, & integer, id est severus.

EVMENIDVM autem, circa quem habitant Eumenides, per Antiphrasim dictæ. RIPAM VE INVISVS ABIBIS. Abeo intus eo, sicut supra diximus: quanquam alii ADIBIS legant.

DESINE FATA DEVM FLECTI SPERARE PRECANDO. Fata quæ semel decreverunt. & locutus est secundum Epicureos qui dicunt, *Nec bene pro meritis capitur, nectangitur ira.*

DVRI CASVS. Impossibilis ad mutationem.

LONGE LATEQVE PER VRBES. De historia hoc traxit. Lucanis enim pestilentia laborantibus, respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos. Ob quam rem non longe à Velia & lucum, & tumulum cenotaphion dederunt.

PRODIGIIS ACTI COELESTIBVS. Compendiose & pestilentiam ortam, & petitum significavit oraculum. PIABVNT. Placabunt, expiabunt.

ÆTERNVM. In æternum: & est adverbium. PALINVRI. Plus est quam si tuum diceret.

PARVMPER. Id est paulatim lætari cœpit. Spem enim solam non præsens acceperat beneficium. Vnde bene dictum est: quasi ab eo magna moderatione dolor recessit. Alii *parumper*, valde parum volunt.

GAVDET COGNOMINE TERRA. Nominis sui similitudine. Facit autem hic & hæc cognominis. Nam in Plauto lectum est, cum una de Bacchidibus diceret, *Illa mei cognominis fuit*, Quod autem communi genere in E misit ablativum, metri necessitas fecit.

NAVITA. Epenthesis: ut, Mavors. INDE VT STYGIA PROSPEXIT AB VNDA. Vt, *Siculo prospexit ab usque Pachynno.* Et hinc ostenditur quod diximus juncta esse hæc tria, Acheronta, Stygem, Cocytum. De his autem nascuntur alia: unde est, *Et novies Styx interfusa coërcet.*

PER TACITVM NEMVS. Aut solum: aut ipsi taciti, id est tacite.

AGGREDITVR DICTIS. Hoc sermone ostendit iratum.

QVISQVIS ES ARMATVS. Bene à proscriptione cœpit: ac si diceret, nihil pium molitur armatus.

QVID VENIAS. Curnam adverbium est. IAM ISTINC. A loco in quo es.

DONATI.

COEPIT CVM TALIA VATES. Respondet Sibylla, cui leges inferorum notiores essent.

FATA. Fatum dixit judicatum, cujus firmitas moveri non possit.

VARIORVM.

VNDE HÆC O PALINVRE. Objurgatio non absque indignatione, cum petat Palinurus, quæ nulla ratione assequi possit. NASC.

TV STYGIAS INHVMATVS AQVAS. Perstat in increpatione cum irrisione quadam, indicans fieri non posse, cum nisi prius sepulturæ mandetur, apud inferos posse quiescere. MASCIMB.

ERGO ITER INCEPT. Canterus. lib. 4. Novar. cap. 26.

Vmbra-

Digitized by Google

Vmbrarum hic locus eſt, Somni, Noctiſque ſoporæ:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu; nec Theſea, Pirithoumque,
Diis quanquam geniti, atque invicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit,
Ipſius à ſolio regis, traxitque trementem:
Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata eſt Amphryſia vates:
Nullæ hic inſidiæ tales: abſiſte moveri:

SERVII.

CORPORA VIVA. Quia ut ſupra diximus, ſunt corpora etiam mortuorum, quæ tantum videntur, id eſt umbræ.

ME SVM LÆTATVS EVNTEM. Lectum eſt & in Orpheo, quod quando Hercules ad inferos deſcendit, Charon territus eum ſtatim ſuſcepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo non lætatus, ſcilicet propter ſupplicium ſuum. Sane Alciden volunt quidam dictum ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id eſt à virtute, quod non procedit: quia à prima ætate hoc nomen habuit ab Alceo patre Amphitrionis. Et ſcimus agnomina ab accidentibus dari.

QVANQVAM. Ac ſi diceret, hoc in te nondum probavi, ſcilicet per ſimulationem. Nam noverat.

IN VINCLA PETIVIT. Hercules à prudentioribus, mente magis, quam corpore fortis inducitur, adeo ut duodecim ejus labores referri poſſint ad aliquid. Nam cum plura fecerit, duodecim tantum ei aſſignantur, propter agnita duodecim ſigna. Quod autem dicitur traxiſſe ab inferis Cerberum, hæc ratio eſt: quia omnes cupiditates & cuncta vitia terrena contempſit, & domuit. Nam Cerberus terra eſt, quæ eſt conſumptrix corporum. Vnde & Cerberus dictus eſt quaſi κρεοβόρος, id eſt carnem vorans. Vnde legitur *Oſſa ſuper recubans*. Nam oſſa citius terra conſumit.

IPSIVS A SOLIO REGIS. Atque Cerberus ſtatim poſt flumina eſt: ut, *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Perſonat*. Nam illic quaſi eſt aditus inferorum. Solium autem Plutonis interius eſt. Ergo aut ad naturam canum referendum eſt, qui territi ad dominos confugiunt: aut *ſolium* pro imperio accipiendum eſt. Vt alibi *arces* pro imperio poſuit: ut, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*: cum Indi uſque ad primos venerint fines, non uſque ad arces.

HI DOMINAM DITIS. Aut de Græco tractum eſt, quia uxorem δέσποιναν dicunt: aut Ditis thalamo, ut dominam Charon ad ſe retulerit.

AMPHRYSIA VATES. Apollinea: & eſt longe petitum epitheton. Nam Amphriſus fluvius eſt Theſſaliæ, circa quem Apollo ſpoliatus divinitate à Iove irato Admeti regis pavit armenta: ideo quia occiderat Cyclopas fabricatores fulminum, à quibus fulminibus Æſculapius extinctus eſt, Apollinis filius, quia Hippolytum ab inferis herbarum potentia revocaverat.

DONATI.

NEC VERO ALCIDEM. Dat exempla eorum, qui apud inferos illicita commiſiſſent ſub occaſione, quod deorum originem ducerent.

TARTAREVM. Vna injuria, privare omnes inferos ſuo cuſtode.

IPSIVS A SOLIO. Alia ipſius regis injuria. TREMENTEM. Injecit timorem Hercules illi, qui neminem timuit.

HI DOMINAM DITIS: Pejus conati ſunt quam ille. Quot hic loca ſunt accuſationis? Facere vim uxori alienæ. uxori regis & præſentis. ipſi quoque reginæ: & hæc à perſona. A loco vero, de ipſo thalamo, quem noſſe præter maritum nemini licuit. A facto, extrahi quem honeſte tangere non licuit.

BREVITER. Quia quæ juſta ſunt, longo ſermone non egent.

NVLLÆ INSIDIÆ. Loquitur ergo contra, ut dixit. Nam loquitur contra illa quæ ſuſpicabatur.

VARIORVM.

NEC VERO ALCIDEN, &c. προληπτικῶς quæſtioni occurrit, ſi nefas eſt vectare vivos cymba ſtygia, cur ipſe vexerit Herculem, Pirithoum, atque alios. nam diis genitos eſſe dicit, idque tamen cum animi moleſtia ſe feciſſe memorat. NASC.

HI DOMINAM DITIS. *Dominam Ditis* dixit honorifica appellatione, ut δάμαρ. Nonius ita vult vocari, quæ in manum viri conveniebant: Catull: *Ac domum dominam voca Conjugis cupidam novi*: Nimirum proceſſu temporis receptum fuit, ut non ſolum Romani Imperatores *domini* nominarentur, ſed etiam uxores *dominæ*. Poſterioris etiam ſæculi homines nova voce & Græcia donata δόμινοι vocarunt, & δόμιναι. GERMAN.

DOMINAM DITIS. Cælius lib. 14. cap. 17. Antiq. Vide Turneb. lib. 21. cap. 6.

AMPHRYSIA VATES. Sibylla vates Amphryſia à Marone vocatur, quod inſtinctu Apollinis afflaretur, qui aliquando apud Amphryſum flumen armentum Admeti paverat. Turneb. lib. 1. cap. 22. & lib. 28. cap. 44.

Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Æternum latrans exangues terreat umbras:
Casta licet patrui servet proserpina limen.
Trojus Æneas, pietate insignis & armis,
Ad genitorem, imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago;
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum;
Cæruleam advertit puppim, ripaque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros: simul accipit alveo
Ingentem Æneam. gemuit sub pondere cymba

S E R V I I.

NEC VIM TELA FERUNT. Ac si diceret, tantum repellunt. LICET. Fas est. & est concedentis adverbium, sicut *Esto*.

ÆTERNUM. Adverbium est, ut supra: & subauditur bis, & *æternum* latrans, & *æternum* terreat, id est semper latrans.

PATRUI. Quia Iovis est filia ex Cerere. SERVET. Obtineat, custodiat, inhabitet, ut, *Sola domum & tantas servabat filia sedes.*

TROIUS ÆNEAS. Id est à diis originem ducens. PIETATE INSIGNIS ET ARMIS. Propter illud, *Pauci quos æquus amavit Iuppiter: aut ardens evexit ad æthera virtus.* EREBI. Erebus proprie est pars inferorum, in qua hi qui bene vixerunt morantur. Nam ad Elysium non nisi purgati perveniunt: unde est, *pauci læta arva tenemus.* Hinc fit ut quæratur, an animæ de Elysio in corpora possint redire? & deprehensum est non redire, quia per purgationem carent cupiditate.

SI TE NULLA MOVET. Necessitate vult persuadere, quia scit manes nulla re flecti: ut, *Scirent si ignoscere manes.* PIETATIS IMAGO. Pietas per Periphrasim dicta, ut, *Vis Herculea*, id est Hercules.

APERIT. Nudat: ut, *Aperire procul montes ac volvere fumum.*

NEC PLURA HIS. Nec est aliquid ulterius dictum vel à Sibylla, vel à Charonte post ramum visum.

FATALIS VIRGÆ. Ut secutum est, *Si te fata vocant.* LONGO POST. Aut adverbium, aut præpositio antique posita. IUGA. Græce dixit. ζυγὰ enim dicunt quæ transtra nominamus.

LAXATQUE FOROS. Tabulata vacuat: ut supra, *Et campos iubet esse patentes.* Multitudine enim remota quasi laxantur spatia. ALVEO. Fluminis scilicet. & per Synæresim ALVO facit.

INGENTEM ÆNEAM. Bene hunc solum dicit, ut per transitum ostendat purgatioris animi homines etiam corpora habere leviora: quod de Sibylla vult accipi.

D O N A T I.

NEC VIM TELA FERUNT. Confutat, quod ille vehementer timebat. Fertur enim ferrum plerunque non ut inferatur, sed ut repellatur injuria.

PIETATE ET ARMIS Nam propter pietatem descendit ad patrem: propter vero fortitudinem non reformidavit pericula, quæ sunt apud inferos.

ALIAS ANIMAS. Quo facilius Æneam ferret.

INGENTEM. Aut quod revera esset magnus, aut comparatione exiguæ navis: quæ ad incorporeas animas vehendas inventa esset.

V A R I O R U M.

INGENS IANITOR ANTRO. Cerberum innuit, canem triformem. dictus autem quasi κρεοβόρος. Mortis symbolum. HART.

APERIT RAMUM. Profert aut detegit. De hoc artificio. Scalig. lib. 3. cap. 32.

VENERABILE DONUM FATALIS VIRGÆ. *Fatalem virgam* vocat, quoniam fato Æneæ debebatur: dixerat enim Sibylla supra, *namque ipse volens, facilisque sequetur Si te fata vocant* Hanc virgam ait Charontem admiratum, quippe post tot annos iterum visam: paucis enim donatur. PONT.

ACCIPIT ALVEO. P. Beroaldus in Servium parag. 28.

CYMBA SUTILIS. Turnebus vult novitatis aucupio à Marone confingi hic sutilem cymbam, quales fuisse Britannorum scribit Plinius. Tamen ego dubius hæreo, num affinitate elementorum s. & f, futilis potius cymba Charontis dicta sit à Marone, quæ & rimosa, & paludem accipere ab eo dicatur, ut carie & situ obsoleta fatiscens: in qua significatione *futilis* est Grammaticis, hoc est profluens, nec satis fideliter commissum liquorem continens: nisi si forte Maro ad veteramenta alludat, quæ crebris suturis interpolantur & renovantur, ut navigia tempestatibus annisque evicta, multis sæpe tabulatorum & fororum centonibus coassulatis resarciuntur. GERM.

GEMIT SUB PONDERE CYMBA. Expressum ex Homero. Muret. Varior. lib. 8. cap. 5.

Digitized by Google

Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque,
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat; adverſo recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns jam colla colubris,
Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam
Objicit: ille fame rabida tria guttura pandens,
Corripit objectam: atque immania terga reſolvit
Fuſus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum, cuſtode ſepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exſortes, & ab ubere raptos,

SERVII.

SVTILIS. Intexta, per quod fragilem oſtendit.

TANDEM. Aut propter pondus Æneæ, quod eſt melius: aut propter paludis magnitudinem: aut propter cœni denſitatem.

INFORMI LIMO. Magno, ſine forma. VLVA. Herba paluſtris.

PERSONAT. Aut perſonare facit: aut per regna ſonat: & quia de anima dicturus eſt, bene facit ante Cerberi commemorationem conſumptoris corporum. Lucanus, *Qui viſcera ſævo Spargis noſtra cani.* Tunc enim animæ locum ſuum recipiunt, cum fuerit corpus abſumptum.

HORRERE VIDENS IAM COLLA COLVBRIS. Fingit enim pro pilis habere ſerpentes: & eſt Hypallage. In collo ejus horrebant colubræ.

OFFAM. Hinc eſt & diminutio ofella: ſed F non geminat. In diminutione enim plerunque multa mutantur. Quod autem ait MELLE, alluſit ad corpora quæ plerunque cum melle obruuntur.

TOTOQVE INGENS EXTENDITVR ANTRO. Per hoc magnitudo ejus oſtenditur: ſicut ait in tertio de Polyphemo.

OCCVPAT ÆNEAS ADITVM. Raptim ingreditur. SEPVLTO. Dormiente ſine pulſu, id eſt motu.

EVADIT. Modo tranſit. IRREMEABILIS VNDÆ. Aut perpetuum eſt epitheton, ut diximus ſupra, ut ſit magnæ pietatis & meriti, quod ipſi conceſſum ſit reverti, aut ipſe etiam Æneæ irremeabilis. Nam per aliam egreſſus eſt portam: ut, *Portaque emittit eburna.*

CONTINVO AVDITÆ VOCES. Novem circulis inferi cincti eſſe dicuntur: quos nunc exequitur. Nam primum animas infantum tenere. Secundum, eorum qui ſibi per ſimplicitatem adeſſe nequiverunt. Tertium, eorum qui evitantes ærumnas ſe necarunt. Quartum, eorum qui amaverunt. Quintum, virorum fortium eſſe dicit. Sextum nocentes tenent, qui puniuntur à judicibus. In ſeptimo, animæ purgantur. In octavo, ſunt animæ ita purgatæ, ut redeant. In nono, ut jam non redeant, ſcilicet in campo Elyſio. VAGITVS ET INGENS. Fletus infantum.

ANIMÆ FLENTES. Poëtice dixit. Sane ploratus tantum lachrymarum eſt: planctus tantum vocum: fletus ad utrunque pertinet. quæ plerunque confundunt poëtæ. IN LIMINE PRIMO. Quia de prima ſubrepti ſunt vita.

EXSORTES. Expertes, quos Græci ἀκλήρους dicunt.

DONATI.

TANDEM. Aut mora fuit, quia navis præter ſolitum eſſet onuſta. vel ex affectu Æneæ, qui properabat ad patrem.

DVLCIS VITÆ EXORTES. Quos dulcis vita cito deſeruit & fecit *exortes*, id eſt extra ſortem vivendi majorem. AB VBERE. Ad augmentum miſerationis, quod inſontes à matris uberibus rapti, ante extinguerentur quam loqui cœpiſſent.

VARIORVM.

SVTILIS, ET MVLTAM. Fabulæ tradunt, cymbam Charontis è juncis eſſe contextam. Turnebus vult novitatis aucupio à Marone confingi hic *ſutilem cymbam*, TAVBM.

MELLE SOPORATAM. Explic. Victor. lib. 4. Var. Turnebus defendit contra Medicum, lib. 28. cap. 45. & lib. 9. cap. 10.

TOTOQ. INGENS EXTENDITVR ANTRO. Non poterat melius nec brevius Cerberi magnitudinem corporis explicare: nam quæ immanitas corporis illius judicari debet, qui extentus totum antrum occupat: ita quoque de Tityo inferius, *per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.* NASC

INFANTVMQVE ANIMÆ FLENTES Pathos ab infantia. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturn.

AB VBERE RAPTOS. Muret. l. 13. Variar. c. 2.

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Hos juxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes.
Quæsitor Minos urnam movet: ille Silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperêre manu, lucemque perosi
Projecêre animas. quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant, tristique palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.

SERVII.

ACERBO. Immaturo: à pomis translatio est.

SINE SORTE. Sine judicio. Traxit autem hoc ex more Romano. Non enim audiebantur caussæ, nisi per sortem ordinatæ. tempore enim quo caussæ audiebantur, conveniebant omnes. Vnde & CONCILIVM ait. Et ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem trigesimum suas caussas exequerentur. Vnde est, *Vrnam movet*. Iuvenalis, *Gratia fallacis pretoris vicerit urnam.*

QVÆSITOR. Quæsitores autem sunt qui exercendis quæstionibus præsunt. Et notandum quia Minoëm, quasi crudelem introducit: quod ei epitheton & Plato & Homerus dant. Nam Æacus & Rhadamanthus fratres mitiores sunt.

MOESTI LOCA. Ideo *mæsti*, quia ut diximus supra secundum Platonem, graviter puniuntur eorum animæ, qui sibi inferunt mortem.

LVCEMQVE PEROSI. Figuratè dixit. Nam perosus illius dicimus. Sane perosus & exosus de eo tantum qui odit dicitur.

PROIECERE ANIMAS. Quasi rem vilem.

ET DVROS PERFERRE LABORES. Homerus Achillis umbram introducit loquentem, & dicentem libentius se apud superos cuncta adversa tolerare, quam apud inferos imperare. Quod autem ait, ÆTHERE IN ALTO, poëtice dictum est. *Æther* enim superius est: sed nostrum habitaculum *ætherem* vocavit, inferorum comparatione.

FATA OBSTANT. Iura naturæ. TRISTIQVE. Tristi unda palus inamabilis: ne si *tristis* dicamus, duo sint epitheta.

NOVIES STYX INTERFVSA. Quia qui altius de mundi ratione quæsiverunt, dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes, in quibus & iracundiæ sunt & cupiditates: de quibus tristitia nascitur: id est Styx. Vnde dicit novem esse circulos Stygis, quæ inferos cingit, id est terram, ut diximus supra. Nam dicunt alias esse purgatiores extra hos circulos potestates.

DONATI.

QVÆSITOR MINOS. Et inquirendi & urnæ agitandæ habet potestatem.

INSONTES. Dicitur causa facti. nihil enim fit, nisi quod faciendi habet necessitatem.

VARIORVM.

ABSTVLIT ATRA DIES ET FVNERE. &c. Existimo eum ad consuetudinem & ad opinionem veterum respexisse, apud quos, qui juvenes immaturam, ut videbatur, mortem obierant, albescente cælo, ante Solis exortum à propinquis efferri solebant: quod nefas opinarentur, tanti mali, tantæque calamitatis spectatorem ac testem esse Solem. Atque eam ob causam dies ipsa eos auferre dicebatur; quod ut primum dies apparere ceperat, auferebantur. MVRET. lib. 13. cap. 2. ATRA DIES. Infausta: sic enim Macrob. docet lib. 1. Saturn. cap. 15. *atros dies* dici infaustos. Docent idem alii, qui de atris diebus loquuntur. Forsitan etiam respexit ad morem Cretensium, dies lætos albis calculis, infelices & adversos, nigris signantium. PONT.

FALSO DAMNATI CRIMINE MORTIS. Cur falso damnatis juxta infantes detur locus, caussam nullam reperio: nisi forte, quemadmodum infantes absque crimine sunt: sic hi falsi criminis expertes. NASCIMB.

NEC VERO HÆ SINE SORTE DATÆ. Budæus in comment. idem censet, dicas sortiri & causas. Sortes enim dicit, à Iudicibus educebantur, & quæ prima dica exierat, prima agebatur. Nannius tamen vult Ciceronem pro eodem habuisse, sortiri judices, sortiri dicas. GERMAN.

NEC VERO SINE SORTE D. Explicat Budæus pag. 23. commentar. ling. Græc. in dictione λαγχάνειν. Nannius Miscell. lib. 9. cap. 7.

QVÆSITOR MINOS VRNAM TENET. De variis sortiendi generibus, Had. Iunius lib. 2. Animadv. cap. 5.

PROIECERE ANIMAS. Videtur *projicere animas* dixisse Poëta, Græcorum imitatione, canente Homero Iliad. ι. αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παρβαλλόμενος πολεμίζειν, hoc est, discrimini intrepide me objiciens. GERMAN.

STYX INNABILIS VNDA. Vide Aul. Gell. lib. 2. cap. 6. Hom. Odyss. λ. ἀτέρπεα χῶρον. H.

ET NOVIES STYX INTERFVSA. Cælius lib. 12. cap. 8. Lect. Antiq. Vide German. notas.

Nec

Digitized by Google

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædram, Procrinque locis, mæstamque Eriphylen,
Crudelis nati monstrantem vulnera, cernit:
Euadnenque & Pasiphaën: his Laodamia
It comes, & juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rursus & in veterem fato revoluta figuram.

SERVII.

PARTEM FUSI MONSTRANTUR IN OMNEM. Plures vult ostendere eos in quibus libido dominatur.

LUGENTES CAMPI. Quasi lucis egentes: quod & amoribus congruit.

DURUS AMOR. Immitis, inexorabilis. TABE PEREDIT. Corpore defluente paulatim.

SECRETI CELANT CALLES. Amantibus congruit. MYRTEA SYLVA. Quæ est Veneri consecrata.

CURÆ NON IPSA IN MORTE RELINQUUNT. Hoc est, etiam illic amant, & habent peractorum imaginem criminum: sicut etiam de piis dicturus est, *Quæ gratia curruum Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.* Sane sciendum, ut diximus supra, loqui eum de amore generali: sicut etiam Plato in Symposio tractat. Nihil enim interest quid quis amet, dummodo amore teneatur. Notandum etiam (nam rarum est) quia cum masculino genere supra usus sit, ut, *Hic quos durus amor*: tantum fœminarum ponit exempla. Non quod desint viri: sed elegit sexum impatientem ad amandum. Tamen paulo post etiam Sichæi facturus est commemorationem.

HIS PHÆDRAM. Hæc filia fuit Minois & Pasiphaës uxor Thesei: quæ privignum Hippolytum amore capta de stupro interpellavit: & despecta apud maritum, eum falsi criminis detulit: qui iratus invocavit Ægeum patrem, ut Hippolyto currus agitanti immitteret Phocam: quo facto, & Hippolyto interempto, Phædra amoris impatientia laqueo vitam finivit. PROCRINQUE. Filia Iphidi, uxor Cephali fuit, qui cum venandi studio teneretur, labore fessus, ad locum quendam adire consueverat: & illic ad se recreandum Auroram vocare. Quod cum sæpe faceret, amorem in se movit Auroræ, quæ ei canem velocissimum Lælapam nomine donavit: & duo hastilia inevitabilia: eumque in amplexus rogavit. Ille respondit jusjurandum se habere cum conjuge mutuæ castitatis. Quo audito Aurora respondit, Ut probes igitur conjugis castitatem, muta te in mercatorem. quo facto ille it ad Procrin, & oblatis muneribus impetratoque coitu, confessus est maritum se esse: quod illa dolens, cum audisset à rustico quodam amare eum Auroram, quam invocate consueverat, ad sylvas profecta est, & in frutetis latuit ad deprehendendum maritum cum pellice. Qui cum more solito Auroram vocaret, Procris egredi cupiens fruteta commovit: sperans Cephalus feram, hastam inevitabilem jecit, & ignarus interemit uxorem. MOESTAMQ. ERIPHYLEN. Hæc Amphiaraí auguris Argivi uxor fuit: quæ latentem bello Thebano maritum Polynici prodidit, monili accepto quod ante uxori dederat: qui ductus ad prælium hiatu terræ periit. Cujus filius Alcmæon postea in vindictam patris matrem necavit: & est, ut Orestes furore correptus. Vituperatus sane Virgilius quod *mæstam* dixerit, quam *Stygeren* legit, id est nocentem. Nam *mæsta* est στυγερὴ.

EUADNENQUE. Uxor Capanei fuit, quæ se in ardentem mariti rogum præcipitavit. ET PASIPHAEN. Hæc ut diximus, tauri amore flagravit.

LAODAMIA. Uxor Protesilai fuit: quæ cum maritum in bello Trojano primum periisse cognovisset, optavit ut ejus umbram videret: qua re concessa non deserens eum, in amplexu ejus periit.

NUNC FOEMINA CÆNEUS. Cænis virgo fuit: quæ à Neptuno pro stupri pretio meruit sexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros, crebris ictibus fustium paulatim fixus in terra est: post mortem tamen in sexum rediit. Hoc autem dictum Platonicum illud ostendit, vel Aristotelicum, *Animas per μετεμψύχωσιν sexum plerunque mutare.*

DONATI.

FUSI IN OMNEM PARTEM. Quocunque oculos tendere poterant.

SECRETOS. Aut in abdito constitutos, aut separatos.

CURÆ NON IPSA IN MORTE RELINQUUNT. Tanta fuit vis amoris, ut post mortem ab iisdem curis non desererentur.

VARIORUM.

HIS PHÆDRAM. Homer. Odyss. λ. HART.

MOESTAMQUE ERIPHYLEN. Στυγερήν τ' Ἐριφύλην. Homer. Odyss. λ. HART.

COENEUS. *Cænei hasta*, Proverb. Ovid. lib. 12. Cæneum appellabant hominem mollem & qui muliebribus curis virilem animum exuisset. Qui memoratur in fabulis Cæneus, olim virgo fuerat. Virgilius hic iterum fœminam factum canit. CASAUBON. in Athenæum.

Digitized by Google

Inter quas Pbœnissa recens à vulnere Dido
Errabat sylva in magna; quam Troïus heros,
Vt primum juxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram; qualem primo qui surgere mense,
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam:
Demisit lachrymas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam.
Funeris heu tibi caussa fui. per sydera juro,
Per superos, & siqua fides tellure sub ima est,
Invitus regina tuo de littore cessi.
Sed me jussa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egêre suis. nec credere quivi,
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.

SERVII.

ERRABAT. Vagabatur. Et bene allusit: quia & amaverat, & se interemerat: ut quasi incertum esset quem circulum posset tenere.

OBSCVRAM. Recenti morte: ut diximus supra.

INFELIX DIDO. Veniali utitur: & excusat se per necessitatem, ne mortis caussa fuisse videatur.

VERVS MIHI NVNTIVS. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligendum, quod sit nuntiatus Didonis interitus. Alii ad ignem referunt visum. Alii ad Mercurium qui ait, *Certa mori.* Sed in neutro ejus [illegible] etiam mortis genus est significatum: & hinc dicit, *Ferroque extrema secutam.* Sane qui nuntiat, genere tantum dicitur masculino. Quod autem nuntiatur, licet neutro dicatur, tamen invenitur & masculini.

FVNERIS HEV TIBI CAVSSA FVI. Ac si diceret, qui fueram ante voluptatis.

SI QVA FIDES TELLVRE SVB IMA EST. Vbi promissa exitum non habent. Respexit autem ad Orpheum, qui receptam perdidit conjugem.

QVÆ NVNC HAS IRE PER VMBRAS. Argumentatur ex eo quod est inferos subire compulsus, invitum se reliquisse Carthaginem.

SENTA SITV. Squallida. Et est translatio à terra inculta. *Situs* autem proprie est lanugo quædam ex humore procreata. Et fit in locis Sole carentibus.

NEC CREDERE QVIVI. Argumentationem tetendit: ac si diceret, si credidissem, forte etiam deorum jussa contemnerem.

SISTE GRADVM. Discedere eam datur intelligi.

DONATI.

VMBRAM OBSCVRAM. Cum dicit *umbram obscuram*, habuit aliquid luminis. id enim est *Obscurum*, quod ostendat aliquam lucem, sed & maximas habet mixtas tenebras.

DEMISIT LACHRYMAS. Non cogitavit flere: nam dolor verus, repentinos fletus non coactos excludit.

INFELIX DIDO. Personarum & causarum ratio habetur. Dido fuit aspera propter recentis facti causam: cujus quantus dolor fuerit, ostendit exitus. Acerbitas etiam vulneris, & aspectus authoris, dolorem duplicabat. Æneas autem se reum agnoscit, & interposita purgatione factum fatetur. INFELIX DIDO. Ostendit dolorem quod miserabiliter ferat: & augetur quod ferro perierit.

PER SYDERA. Firmamentum ponit purgationis, quia apud illam fide carebat: & quia hominum testimonium adhiberi non poterat, adhibet deorum.

ET SI QVA FIDES. Quia nesciebat quod genus jurisjurandi apud inferos esset, posuit generalem jurationem.

INVITVS. Non te fugi, sed potiorum jussis cessi. DE TVO LITTORE. Quasi dicat, mutari locum, sed te in animo retinui.

NEC CREDERE QVIVI. Mendacio verisimili tutatur causam. Ipsa primo silendo, & se avertendo, & postremo fugiendo, ostendit iram.

VARIORVM.

INTER QVAS PHOENISSA. Macrob. lib. 5. cap. 2. Saturn.

QVALEM PRIMO QVI MENSE, &c. *Primo mense*, primos dies mensis intelligit, primo ortu, cum jam apparere plena incipit. idque græcæ gentis more, quæ à nova Luna eum auspicabatur. BRODÆVS, lib. 1. cap. 26.

PER SVPEROS, ET SI QVA FIDES. Turneb. lib. 23. cap. 3.

TEQVE ASPECTV. Vide Agell. lib. 4. c. 16. Indic. Erythræi Virgil.

Quem

Digitized by Google

Quem fugis? extremum fato quod te alloquor, hoc est.
Talibus Æneas ardentem, & torva tuentem
Lenibat dictis animum, lachrymasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.
Tandem proripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi pristinus illi
Respondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Æneas casu percussus iniquo,
Prosequitur lachrymans longe, & miseratus euntem est.
Inde datum molitur iter: jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis

SERVII.

EXTREMUM FATO QUOD TE ALLOQUOR, HOC EST. Aut quia deus futurus est: aut, quod melius est, quia post mortem tenebit alterum circulum, viris fortibus scilicet, non amantibus datum.

TORVA. Pro torve, id est terribiliter.

LENIBAT. Pro leniebat. & antique dixit: ut, *Squamis auroque polibant*, pro poliebant. Majores enim in omnibus conjugationibus imperativo *bam* addebant, & faciebant imperfectum ab indicativo: quod in tribus adhuc observatur: in quarta etiam e additur, ut nutri nutriebat. LACHRYMASQUE CIEBAT. Sibi non Didoni, vel profundebat, aut certe illud dicit, Sermo quidem ejus lachrymas exciebat: sed illa immobilis mansit. Tractum autem est hoc de Homero, qui inducit Ajacis umbram Ulyssis colloquia fugientem, quod ei fuerat caussa mortis. Nam *ciere* est proprie alteri fletum movere.

INCOEPTO SERMONE. A principio orationis.

DURA SILEX. Saxi est species: generalitas enim esse non potest sequente specialitate. Nam cautem Marpesiam, Parium lapidem dicit. Marpesos enim mons est Pariæ insulæ.

TANDEM. Quasi diu deliberaverit.

UMBRIFERUM. Umbrosum Frondosum. PRISTINUS. Prior: quod difficile invenitur. Nam de hoc sermone quærit & Probus & alii.

RESPONDET CURIS. Aut pari eam diligit affectione: quod in Ænea non fuit, qui plus amatus est, & amantem deseruit: ut expressio rei supradictæ sit. ÆQUATQUE SICHÆUS AMOREM. Aut certe respondet curis: par est mortis similitudine. Ferro enim uterque consumptus est.

PROSEQUITUR LACHRYMIS LONGE. Oculis eam sequebatur humentibus

DATUM MOLITUR ITER. Peragit. *Datum* autem dixit, aut ratione fati concessum: aut oblatum fortuito, quod τυχὸν dicunt, an injunctum? ARVA TENEBANT ULTIMA. Atqui multa adhuc supersunt: sed dixit quantum ad y pertinet literam. In his enim quæ dixit, mista sunt virtutibus vitia. In his autem quæ dicturus est, nocentum pœnas à piorum segregat meritis. Nam inferi (ut diximus supra) humanam continent vitam: hoc est animam in corpore constitutam. Hæc autem quæ dixit, mista esse manifestum est. Licet enim in viris fortibus laudetur virtus, est tamen vituperabile alienum imperium cædibus occupare. Item amare privignum, crimen est: virtus, maritum. Alii distinctione mutata dicunt, Tenebant arva, quæ ultima viri fortes frequentant, id est quæ possident ultima.

HIC ILLI OCCURRIT TYDEUS. Altheæ & OEnei filius, quem in bello Thebano Menalippus extinxit.

VARIORUM.

EXTREMUM FATO, &c. Hoc ait esse extremum verbum, quod eam in vita sua alloquatur: idque sibi fato concessum, ac proinde æquum putat se audiri. Post mortem vero suam tenebit alium circulum, viris fortibus, non amantibus assignatum. GERMAN.

TORVA TUENTEM. Macrob. lib. 5. cap. 2. Sic Odyss. λ. Ajax Ulyssem intuetur. HART.

NEC MAGIS INCEPTO. Movet affectum ex habitu personæ Macrob. principio lib. 4.

QUAM SI DURA SILEX. Proverb. *Obturbat frustra, velut unda.* Et *Incus maxima non metuit strepitus.* HART.

TANDEM PRORIPUIT SESE. Augmentum iræ suæ Æneam refugiendo testata est: & ut fuerat inimica, ita discessit. Dicitur ad quem locum, *in nemus umbriferum* seu frondosum ad Sichæum suum, qui unum cum ea gerebat animum, & amore mutuo, consimilique tenebatur. DONATUS.

PROSEQUITUR LACHRYMANS. Amoris affectus quantum valeat, hinc colligi potest, quod Æneas vir prudens, apud inferos vel umbram amicæ fugientis prosequitur. NASCIMB.

Par-

Digitized by Google

Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longe ordine cernens,
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Treis Antenoridas, Cererique sacrum Polybetem,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra, lævaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari,
Et conferre gradum, & veniendi discere caussas.
At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Vt videre virum, fulgentiaque arma per umbras;
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:

SERVII.

PARTHENOPÆVS. Hic Atalantæ & Martis, sive Melanionis filius rex Arcadiæ fuit, qui Thebana bella puer admodum petiit. ADRASTI PALLENTIS IMAGO. Rex Sicyonis Adrastus primo fuit, post Argivorum socer Tydei & Polynicis. Quod autem ait PALLENTIS; aut epitheton est umbræ: aut illud respexit, quia in bello Thebano consumptis sex ducibus solus aufugit. Fugæ autem comes semper est pallor.

HIC MVLTVM FLETI. Id est nobiles, quorum mortem magna sequitur lamentatio. AD. Pro apud. CADVCI. Qui bello ceciderint, id est mortui à cadendo. Vnde & cadavera dicta.

LONGO ORDINE. Ingenti multitudine, ut, *Pueri & pavidæ longo ordine matres*: non ad ordinem stantes. Sane IN minus est, In longo ordine, in ingenti multitudine.

TRIS ANTENORIDAS. Multi supradictos accipiunt: quod falsum esse Homerus docet, qui eos commemorat. CERERI SACRVM. Sacratum: nomen pro participio.

IDÆVMQVE. Quem aurigam legimus Priami.

ETIAM. Adhuc: ut, *Quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.*

VSQVE. Diu: & est adverbium.

TREPIDARE. Pro trepidabant.

CEV QVONDAM PETIERE RATES. Ostendit vitia nec morte finiri.

FRVSTRATVR HIANTES. Decipit clamare cupientes Nec nos moveat quod aliis umbris verba dat: his silentium. Timorem enim exprimit, qui vivis quoque adimit vocem: ut, *Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.*

DEIPHOBVM VIDIT. Qui Helenam duxerat, mortuo Paride. Ad cujus domum primum ire necesse erat, ubi fuerat caussa bellorum: ut, *Iam Deiphobi dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus.* LACERVM. Pro laceratum. Id est habentem ora dilacerata.

DONATI.

MVLTVM FLETI. Quia propter suas virtutes magnum reliquerant luctum.

SACRVM POLYBETEN. Ostendit numina suis in morte juvare non posse.

PROCERES. Non tantum ordine, sed meritis.

PHALANGES. Ac si tota Græcia ad inferos migrasse videretur. Ostendit igitur quanti Æneam hostes fecissent in bello: ostendit etiam non sine multa sua cæde vicisse Græcos.

VARIORVM.

PARTHENOPÆVS. Lege Phœnissas Euripids. HART.

ADRASTI PALLENTIS IMAGO. Sunt quos epitheton *palloris* induxerit ad credendum, hunc locum ad Adrastum referri debere, qui ab Homero meticulosus, supplex & ad genua hostis provolutus, ad deprecandam mortem describitur. Tamen mihi verius Adrasto Tydei socero convenire videtur; tum quod Tydei mentio est propinqua; tum quod pallor & metus ex fide historiæ & fuga merito ei attribuitur. GERMAN.

MEDONTAQVE. Medontis quidem mentio est apud Hom. 4. Sed quis hic Trojanus fuerit, fatentur interpretes se nescire. Itaque Nascimb. malit legi MYDONAQVE: qui Iliad. 21. ab Achille interficitur: cum præsertim & ibi jungatur cum Thersilocho. TAVBM.

ATQVE HIC PRIAMIDEM. Turneb. l. 28. cap. 46.

PRIAMIDEM LANIATVM. Rhetoricum exemplum copiæ, & partitionis. HART.

Ora

Digitized by Google

Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia: & notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto à sanguine Teucri,
Quis tam crudeleis optavit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? mihi fama suprema
Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Constitui, & magna Manes ter voce vocavi.
Nomen & arma locum servant: te amice nequivi
Conspicere, & patria decedens ponere terra.
Atque hic Priamides: Nihil ô tibi amice relictum est:
Omnia Deiphobo solvisti, & funeris umbris.
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersêre malis; illa hæc monumenta reliquit.

SERVII.

POPULATA. Vastata, id est deformia sublatis auribus. TRUNCAS. Truncatas.

INHONESTO. Fœdo, deformi, turpi, ut Terentius, *Illumne obsecro inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem mulierem?*

PAVITANTEM. Ne agnosceretur timentem. TEGENTEM. Tegere volentem. Nam truncatis manibus quid tegebat? *Tegere* autem est celare: ut è contra nudare est indicare: ut, *Trajectaque pectora ferro Nudavit.*

NOTIS VOCIBUS. Amicabilibus.

OPTAVIT SUMERE. Elegit ut sumeret. DE TE. Pro in te.

RHOETEO IN LITTORE. Vbi erat asylum Ajacis: sicut in Sigæo Achillis. Et bene illic, quasi ubi tutatus esse potueram. Sane Rhætejum dicitur: & facit Rhœteum. Cytherea, à Cythera.

ET ARMA. Depicta scilicet. SERVANT. Obtinent. TE, Pro tuum corpus: ut, *Nunc me fluctus habet.*

OMNIA SOLVISTI. Quia constituto tumulo manes vocavit. ET FUNERIS UMBRIS. Sepulturæ meæ umbris. Nam funus illic esse non potuit, ubi nec cadaver quidem fuerat.

FATA MEA, ET SCELUS EXITIALE LACÆNÆ. Secundum Mathematicos, qui dicunt etiam inimicitias ex fato descendere. Vnde ista conjunxit, *fatum* & *scelus* Helenæ, per quæ illi mors contigit.

MONUMENTA. Sermo medius, dictus ab eo quod moneat mentem. Vnde est hic de malis. Econtra in tertio, *Manuum tibi quæ monumenta mearum Sunt puer.*

DONATI.

TEGENTEM. Non quia posset manibus, sed quia toto se corpore subtrahere conabatur, aut totum evertere.

QUIS. Non tam interrogantis hæc sunt, quam admirantis & dolentis. Admiratur primo, cogitare quempiam potuisse tot adversa supplicia in viro tam forti: deinde quod ausus esset implere; deinde quod totum corpus supplicio insectatus esset.

FESSUM PROCUBUISSE SUPER ACERVUM. Magna laude afficit: non enim dixit occisum, sed procubuisse lassatum.

EGOMET. Quasi dicat, Non aliis commisi. INANEM. Quia inter hostes confusos jacens reperiri non potuisti.

TE AMICE. Feci quod potui, non quod volui: quia te reperire non potui.

VARIORUM.

AURIBUS ET TRUNCAS. Pathos à debilitate. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturn. Homer. Iliad. ψ.

PAVITANTEM AC DIRA TEG. SUPPLICIA. Præ pudore nolebat agnosci. per *supplicia*, intellige vulnera. Deiphobus autem nihil admiserat, ut suppliciis dignus esse videretur: sed occulte Græcis indignatur Poëta, qui hominem innocentem, ac strenue pro patria pugnantem tali supplicio crudeliter affecerint, quale ne scelestis quidem inferri solet. NASCIMB.

TER VOCE VOCAVI. Ex Ausonio illustrat Turneb. lib. 22. c. 10. Franc. Florid. Subsec. lib. 2. cap. 10.

FUNERIS UMBRIS. Adumbratione sepulturæ in inani sepulchro. Turneb. lib. 23. cap. 3.

Digitized by Google

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti: & nimium meminisse necesse est.
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa chorum simulans, evanteis Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoque gravatum
Infœlix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis & alta quies, placidaque simillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit:
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo: comes additur una
Hortator scelerum Æolides. Dii talia Grajis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,

SERVII.

EGERIMUS. *Ri* metri necessitate corripuit. MEMINISSE NECESSE EST. Cicero, cui placet, obliviscitur: cui dolet, meminit. Ergo quis dolet, meminerit necesse est.

FATALIS. Mortifer, ut, *Fatiferumque ensem.* SUPER ARDUA VENIT PERGAMA. Aut quod in arce est positus: aut quia dejectis muris supra tractus est. GRAVIS. Gravidus. ut, *Graves tentabunt pabula fœtas.* Supra autem dixerat, *Fœta armis.*

EVANTEIS. Evanteis Phrygias: aliter non stat versus. *Evanteis* autem Bachantes, à Libero qui *Evan* dicitur. Chorum autem ait multitudinem in sacra collectam.

CIRCUMDUCEBAT. Divisit in duos versus unam partem: sed ideo quia est composita. Lyrici vero etiam incompositam partem orationis in duos dividunt versus.

CONFECTUM CURIS. Atqui vacaverat gaudiis: sed illuc ostendit, quod ait Statius, *Stant veteres ante ora metus.* Nam curæ ferebantur suo impetu ex pristino bellorum tumultu. Alii hanc ipsam curam volunt: quod habebat conjugem perniciosam maritis. Unde sequitur, EGREGIA INTEREA CONJUX, per Ironiam.

VOCAT MENELAUM, & LIMINA PANDIT. Ante pandit, & sic vocat: ut, *Subeunt luco fluviumque relinquunt.*

ID MAGNUM SPERANS FORE MUNUS AMANTI. Putavit se vitia præterita præsentibus posse celare, quod etiam sequens indicat versus.

ÆOLIDES. Ulysses: qui ubique talis inducitur. Nam Anticliæ filius est, quæ ante Laërtæ nuptias clam cum Sisypho Æoli filio concubuit. Unde Ulysses natus est. Hoc ei & in Ovidio Ajax objicit, *Quid sanguine cretus Sisyphio.* Alii Isidem legunt, de quo nusquam legimus. SI. Siquidem. VICISSIM. Quia ipsa narraverat.

DONATI.

ILLA. Propter odium, nomen non posuit: sic supra Lacænæ dixit.

INFELIX THALAMUS. Vel quia in eo talem habui uxorem: vel quia ibi tot suppliciis sum affectus.

CONJUNX. Ex hoc nomine detestabilius scelus facit, quod violatum sit conjugium, quod sacrum esse oportet. CONJUNX. Non dixit mea, sed quæ multorum fuisset, neque se amaret.

DII TALIA GRAJIS. Pulchra apostrophe, & multa continens. Ostendit autem tanti sceleris solos deos ultores esse posse.

AGE FARE Quærit optime, Deiphobus: sed Poëta optimo consilio abscindit responsionem, ne dicta iterum dicenda sint.

VARIORUM.

FALSA INTER GAUDIA. Multis disputatur in Philebo Platonis, an gaudia falsa dici possint, ut & opiniones veræ & falsæ. In eam tamen sententiam fit discessio, ut statuatur & veras & falsas dici voluptates. GERMAN.

DII TALIA GRAIIS, &c. Hier. Magius, lib. 3. Miscell. cap. 5.

At-

Digitized by Google

Attulerint; pelagine venis erroribus actus?
An monitu divûm? an quæ te fortuna fatigat,
Vt triſteis ſine Sole domos, loca turbida adires?
Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
Iam medium ætherio curſu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla eſt:
Nox ruit Ænea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus eſt, parteis ubi ſe via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit,
Hac iter Elyſium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne ſævi magna ſacerdos:

SERVII.

PELAGINE VENIS ERRORIBVS ACTVS? Non ad inferos, ſed ad locum in quo inferorum deſcenſus eſt: id eſt ad Avernum, ſi intra terram ſunt inferi. Alii altius intelligunt, qui ſub terra eſſe inferos volunt ſecundum chorographos & geometras, qui dicunt terram σφαιροειδῆ eſſe, quę aqua & aëre ſuſtentatur: quod ſi eſt ad Antipodes poteſt navigatione perveniri: quia quantum ad nos ſpectat, inferi ſunt, ſicut nos illis. Hinc eſt quod terram eſſe inferos dicimus: quanquam illud ſit, quia novem cingitur circulis. Tiberianus etiam inducit epiſtolam vento allatam ab Antipodibus, quæ habet, *Superi inferis ſalutem.* qua occaſione tractat reciprocum hoc quod diximus ſupra. Nam prudentiores, etiam animas per μετεμψύχωσιν dicunt ad alterius climatis corpora tranſire: nec in eo orbe verſari in quo prius fuerint. Vnde ait Lucanus, *Regit idem ſpiritus artus, Orbe alio, longæ canicies ſi cognita vitæ.* Sciendum tamen Homericum eſſe. Nam & illic Elpenor ſimiliter Vlyſſem interrogat.

SINE SOLE DOMOS. Non eſt contrarium, *Solemque ſuum ſua ſydera norunt.* Illud enim de campis Elyſiis dicit.

HAC VICE SERMONVM. Hæc ſacra, ut diximus ſupra, præter unius diei ſpatium non tenebant. Vnde veretur Sibylla ne inanibus fabulis datum, id eſt ſtatutum & legitimum tempus teratur. Quod autem dicit *Aurora medium axem trajecerat:* illud oſtendit, quod ſecundum Tuſcos diei ortus eſt à ſexta diei hora. Ortus enim diei habet Auroram. Donatus tamen dicit auroram cum quadrigis poſitam, Solem ſignificare.

BREVITERQVE. Quod congruit moram objurganti.

NOX RVIT. Si per diem ſacra celebrantur, RVIT eſt IMMINET: ſi per noctem, *finitur.* FLENDO. Proprie. nam & lachrymæ & gemitus fuerant. FINDIT IN AMBAS. Compendioſius, quam ſi *duas* diceret. Poteramus enim etiam tertiam ſperare. Sic Saluſtius, *Inter ſecundum atquē ultimum bellum Carthaginenſe*, non ait tertium.

ITER ELYSIVM. Ad Elyſium: de quo ſupra diximus. MALORVM. Impiorum: ut *Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.*

IMPIA TARTARA. Vbi puniuntur impii.

NE SÆVI. Ne iraſcere. Terentius, *Ne ſævi tantopere*, & antique dictum eſt. Nam nunc ne ſævias dicimus, nec imperativum jungimus adverbio imperantis.

DONATI.

SED COMES. Quæ illi propterea juncta fuit, ut omnibus inſtrueret ignorantem. BREVITER. Ne longitudine ſermonis tempus tereret, cum ipſa brevitatis admoneret.

IN AMBAS. Honeſta locutio, in *ambas* potius quam in duas. intellige enim quod ambas vias dixerit, quæ eſſent natæ ex una.

VARIORVM.

TRISTES SINE SOLE DOMVS. Id eſt, obſcuras. Alluditur ad ἀίδης, Plutonis nomen. Euripides in Alceſtide: HART.

HAC VICE SERMONVM. His verbis, ultro citroque habitis: nam homines ita per vices loqui, ut negotia agere dicuntur. unde & pugnare & cantare per vices, ſeu viciſſim & loquendi & pugnandi ſervare vices dicimus. NASC.

IAM MEDIVM ÆTHERIO. Hinc colligunt interpretes noctem civilem à meridie, ſicut diem à media nocte, Romano more inchoare. adeas Gellium lib. 3. cap. 2. & Macrob. lib. 2. Saturn.

TRAIECERAT. Macrobius libro 1. capite tertio, Saturnalium. HART.

NOX RVIT ÆNEA. Verba Sibyllæ admonentis Æneam, ne ſtatutum ſibi tempus conterat, quia breve eſt, nec ultra noctis ſpatium, quod jam dimidium præteriit, extenditur, ideo ait, *nox ruit.* NASCIMB.

HIC LOCVS EST, PARTES. Crinitus, lib. 5. cap. 11. de Honeſt. diſcipl.

ELYSIVM. Homerus Odyſſ. δ. Crinitus lib. 5. HABEVNG.

Digitized by Google

Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i nostrum: melioribus utere fatis.
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.
Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro.
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ:
Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant, stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare

SERVII.

EXPLEBO NVMERVM. Vt diximus supra, *Explebo* est, minuam. Nam ait Ennius, *Navibus explebant sese, terrasque replebant.* quem Caper secutus cum de præpositione EX tractaret, hoc exemplum posuit. Sensus ergo est, Minuam vestrum numerum, & reddar tenebris. Nam circa Æneam & Sibyllam aliquid lucis fuisse intelligimus: quippe circa vivos. Vnde paulo post, *Respicit Æneas subito.* Et reliqua. Alii EXPLEBO, male putant complebo esse, umbrarum scilicet, à quibus discesserat, numerum. Alii *explebo numerum*, dicunt esse finitum tempus staturum purgationi & in corpus recurram: ut hoc sit, REDDARQVE TENEBRIS. Nam legimus *Clausæ tenebris & carcere cæco*: ut sit sensus, Irasceris mihi quasi homo: nonne & ego homo futurus sum? Alii dicunt cur irasceris? in locis his sum, quandiu vitæ per vim ereptæ expleam tempus: post *tenebris*, id est meis sedibus reddar. Sed hæc omnia, congrua loco non esse manifestum est. Non enim intelligere possumus, Sibylla aliud volente, scilicet ut abscederet; Deiphobum ad aliud respondisse.

I DECVS NOSTRVM. Aut I decus nostrum, utere melioribus fatis, inferorum scilicet hac comparatione: quia ait supra, *An quæ te fortuna fatigat, Vt tristes sine Sole domos, loca turbida adires?* Aut certe, I decus, & fatis utere nostrum melioribus: id est quam aut ego aut tu habuimus.

MOENIA LATA VIDET. Tartarum dicit, quem vult esse carcerem inferorum. Quod autem ait LATA, nocentum exprimit multitudinem. TRIPLICI CIRCVNDATA MVRO. Valde munitum indicat locum.

TORQVET. Trahit, volvit.

PORTA ADVERSA INGENS. Distinctione excludendum est vitium de duobus epithetis. SOLIDOQVE ADAMANTE. Lapis est durissimus: & tantæ soliditatis, ut nec ferro possit infringi, quem hircino sanguine frangi dicunt.

VIS VT NVLLA VIRVM. *Virum* non ad sexum retulit, sed ad virtutem: hoc est, virorum fortium. ut Cicero, *Virum res illa quærebat.* cum de viro forti diceret. Per hoc autem ostendit nullum de tartaro ad superos posse remeare, ne numinum quidem favore.

STAT. Eminet. AVRAS autem inferis congruas intelligamus. Statius de Mercurio ait, *Pigræ auræ ejus impediebant volatum.* De illo enim loco multi quærunt, *Quis tantus plangor ad auras?* Et Pollio dicit Æneæ & Sibyllæ, quas illi secum traxerant: cum constet esse etiam illic auras.

EXAVDIRI. Exaudiebantur.

DONATI.

MELIORIBVS VTERE FATIS. Placavit Sibyllam, & Æneæ felicia ominatus est.

MOENIA LATA VIDET. Locum describit idoneum coërcendis reis. Primo triplici muro clauditur, ne facile evadere possint. Portæ ita sunt robustæ, ut neque vi divina, neque humana possint frangi. Postremo omnia fluvius claudit, qui & saxis & flammis transitum prohibet.

VARIORVM.

EXPLEBO NVMERVM, REDDARQVE TENEBRIS. ὕστερον πρότερον hic videtur in sensu. Nam illud posterius dictum fuit, quod prius dicendum fuerat: nam prius tenebris reddatur, quam numerum annorum compleat necesse est. Sit igitur sensus: à vobis discedam in tenebras, ibique annos purgationis meæ explebo. Vel explebo annorum numerum, quo expleto reddar tenebris id est rursus humanum corpus occupabo. Nam anima humano corpori inclusa, tanquam in carcere deterrimo, densissimisque in tenebris versari videtur. NASCIMB.

EXPLEBO NVMERVM. Parrhasius in Servium P. 28.

RESPICIT ÆNEAS SVBITO. Crinitus lib. 5. cap. 11. de Hon. Discipl.

MOENIA LATA VIDET. Petrus Crinitus lib. 5. cap. 11. HART.

TISIPHONEQVE SEDENS. Turneb. lib. 28. cap. 46.

Ver-

Digitized by Google

Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit:
Quæ scelerum facies? ô virgo effare, quibusve
Vrgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclyte Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Sed me cum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius hæc Radamanthus habet durissima regna:
Castigatque, auditque dolos: subigitque fateri.
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sonteis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angueis, vocat agmina sæva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ

SERVII.

TRACTÆQVE CATENÆ. Et genitivus singularis potest esse, & nominativus pluralis.

STREPITVMQVE EXTERRITVS HAVSIT. Hoc est, Hausit & exterritus est, & Hypallage est.

SCELERVM FACIES. Species: ut supra, *Visa marus facies, & non tolerabile numen.*

NVLLI FAS CASTO. Pio. Et hæc responsio ostendit Æneam quidem voluisse ingredi: sed quasi pium prohibitum. INSISTERE LIMEN. Insisto illam rem dicimus, non illi rei: quod qui dicunt, decipiuntur propter, *Insto illi rei.*

SED ME. Quia occurrebat, Vnde ipsa cognovisti?

DEVM POENAS DOCVIT. Aut quas dii nocentibus statuerunt: aut Titanum, quos legimus deos ex terra progenitos. Aut re vera dicit pœnas deorum. Fertur namque ab Orpheo, quod dii pejerantes per Stygem paludem, novem annorum spatio puniuntur in Tartaro. Vnde ait Statius, *Et Styx perjuria divum Arguit.*

RADAMANTHVS. Radamanthus, Minos, & Æacus filii Iovis & Europæ fuerunt: qui postea facti sunt apud Inferos judices.

SVBIGITQVE FATERI. Compellit ad confessionem.

FVRTO LÆTATVS INANI. Latebra non valde profutura: quippe quæ fuerant publicanda post mortem.

DISTVLIT IN SERAM. Gravem: ut Salustius. *Serum bellum in angustiis futurum.* PIACVLA COMMISSA. Propter quæ expiatio debetur.

ACCINCTA FLAGELLO. Aut hoc dixit quod videmus: quia qui longo flagello utitur, ut id post ictum in se revolvat necesse est. Aut ACCINCTA, dixit instructa ad verbera scilicet, id est nocentes flagello quatit ipsa præparata.

AGMINA SÆVA SORORVM. Aut impetum ut de Harpyiis dixit: aut serpentum agmina, quos pro comis habent.

TVM DEMVM HORRISONO STRIDENTES CARDINE SACRÆ PANDVNTVR PORTÆ. Mittuntur inquit post verbera ad æternum supplicium. Et est secutus ordinem juris antiquum. Nam post habitam quæstionem, in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur. Alii hoc à poëta dictum volunt, ut illa loquente intelligamus portam esse patefactam. Alii continuant narrationem. SACRÆ. Execrabiles.

DONATI.

DVX INCLYTE. Magna Poëtæ copia. quoties enim Sibyllam loquentem inducit cum Ænea, toties principia cum ejus laude variavit.

DISTVLIT. Nam quamvis homines scelerati tacuerint, non tamen pœnas evaserunt, sed in aliud tempus distulerunt.

VARIORVM.

SCELERATVM INSISTERE LIMEN. *Limen* ideo *sceleratum* dixit, quia furiarum sedes est in limine: ut lib. 4. *Vltricesque sedent in limine diræ.* GERMAN.

FVRTO LÆTATVR INANI. Furtum hic non accipit, pro ablatione rei alienæ, invito domino: sed pro omni noxa mala, furtim & in operto perpetrata. HORTENS.

COMMISSA PIACVLA MORTEM. Commissum piaculum est, inquit Turnebus, cum id factum est, cujus causa piaculum dandum, & facienda sacra piacularia: ut cum fraus commissa est, vel facinus, eo modo quo à Iurisconsultis commissa dicitur stipulatio & pœna. GERMAN.

Digitized by Google

Panduntur portæ. cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem. tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic & Aloïdas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere cælum
Aggressi, superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis, & lampada quassans,

SERVII.

CERNIS CVSTODIA QVALIS. Custodia est quæ custodit, non quæ custoditur. Vsurpatum est autem sicut hospita, sicut neptis. Nam hic & hæc custos facit. Ea enim quæ in *o* exeunt, ut fullo: in *os*, ut nepos: in *es* ut hospes, fœminina ex se non faciunt. quæ autem invenimus, usurpata sunt. Vnde & dissimilia inveniuntur. Nam custos custodia facit: & nepos neptis: hospes, hospita.

VESTIBVLO SEDEAT? Megæram significat.

QVINQVAGINTA. Hoc autem dicit, Cernis hanc quam sæva sit? est intus alta. IMMANIS ATRIS HIATIBVS. Quæ est sævior quam Hydra fuit. Multi ipsam Hydram volunt, quod non procedit. Nam eam in aditu legimus inferorum: ut, *Ac bellua Lernæ*:: quam alii tria volunt habuisse capita: alii novem: Simonides quinquaginta dicit.

TARTARVS. Vel quia omnia illic turbata sunt, ἀπὸ τῆ ταραχῆς: aut quod est melius, ἀπὸ τῆ ταρταρίζειν, id est à tremore frigoris. Sole enim caret.

BIS PATET IN PRÆCEPS. Ideo *in præceps* addidit: quia potest quid etiam sursum patere. Videtur autem hoc prudentioribus ideo dictum: quia secundum rationem Sphæræ Sol cum in unam concesserit partem, duæ quasi Tartarum faciunt: una à qua discessit: & altera ad quam nunquam accedit. quod melius sphæræ indicat ratio. Hoc autem dicit, Tartarus ipse bis tantum in præceps patet, & tendit sub umbras.

QVANTVS EST SVSPECTVS. id est altitudo ad olympum ætherium: & deest EST.

HIC GENVS ANTIQVVM TERRÆ. Id est primum. Titanas enim contra Saturnum genuit: Gigantes postea contra Iovem. Et ferunt fabulæ, Titanas ab irata contra deos Terra, ad ejus ultionem creatos: Vnde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆ τίσεως, id est ab ultione. De his autem solus Sol abstinuisse narratur ab injuria numinum: unde & cœlum meruit.

ALOÏDAS GEMINOS. Aloëus Iphimediam uxorem habuit: quæ compressa à Neptuno, duos peperit, Othum & Ephialtem: qui digitis novem per singulos menses crescebant. Freti itaque altitudine, cœlum voluere subvertere: sed confixi sunt Dianæ & Apollinis telis. Aloidas autem sic dixit, ut de Hercule Amphitryoniades dicimus. GEMINOS. Sui similes.

CRVDELEIS POENAS. Sævas, nimias. Nam non dicit indignas ferentem, qui sacrilegus fuit.

SALMONEA. Salmoneus Æoli filius fuit, non regis ventorum, sed cujusdam apud Elidem ubi regnavit: qui fabricato ponte æreo, super eum agitabat currus ad imitanda tonitrua: & in quem fuisset jaculatus facem, eum jubebat occidi. hic postea verum fulmen expertus est.

DONATI.

CVSTODIA QVALIS. Non expressit quæ esset, ut quicquid tetrum, horrendum, ac detestabile esset, contuens colligeret æstimatio. Ergo suppressit specialitatem, ne sola putaretur quæ forte posuisset.

SEDEAT. Vt ostendat assiduitatem & continuationem facti.

BIS PATET IN PRÆCEPS. Vt si cæli altitudo sit centum, profunditas inferni sit ducenta. ne Aloidæ, qui manibus cælum tangerent, ex infimo inferno fastigium possent tangere, & inde abire.

VARIORVM.

BIS PATET IN PRÆCEPS. Hom. Iliad. θ. H.

DANTEM SALMONEA, &c. De Salmoneo, Turneb. lib. 9. Cap. 9. Hieron. Magius lib. 1. Misc. cap. 1. Tom. 2. Lampad.

DVM FLAMMAS IOVIS. Crinitus lib. 2. c. 10. de Honest. Discip. Volaterranus lib. 30. cap. de Machinis bellicis in Philo.

Per

Per Grajûm populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, divûmque ſibi poſcebat honorem:
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Ære & cornipedum curſu ſimularat equorum.
At pater omnipotens denſa inter nubila telum
Contorſit (non ille faces, nec fumea tedis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non & Tityon Terræ omniparentis alumnum
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos ſuper atra ſilex jamjam lapſura, cadentique

SERVII.

MEDIÆQVE PER ELIDIS VRBEM IBAT OVANS. Hinc eſt indignatio, quod in ea civitate Iovem imitabatur, in qua ſpecialiter Iuppiter colitur.

DENSA INTER NVBILA TELVM CONTORSIT. Oſtendit fulminis cauſſam & originem.

FVMEA LVMINA. Id eſt terrena. Nam æthereus ignis caret fumo: ſolo enim ſplendore viget.

NEC NON ET TITYON. Tityus ſecundum alios filius Terræ fuit: ſecundum alios à Terra nutritus. Vnde elegit ſermonem quo utrunque ſignificaret Nam *alumnum* dicit. Hic amavit Latonam: propter quod Apollinis confixus eſt ſagittis. Et damnatus hac lege apud inferos, ut ejus jecur vultur exedat. Quanquam Homerus viciſſim dicat duos vultures ſibi in ejus pœnam ſuccedere. Sane in uſu eſt VVLTVR: licet Cicero vulturius dixerit, quod quidem poteſt eſſe & derivativum. Ennius, *Vulturus in campo miſerum mandebat homenem.* Declinatur autem hic Tityos, hujus Tityi: ſicut Delos Deli.

PER TOTA NOVEM CVI IVGERA CORPVS PORRIGITVR. Quantum ad publicam faciem, magnitudinem oſtendit corporis: ſed illud ſignificat, quia de amatore loquitur, libidinem late patere, ut ait ſupra. *Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem Lugentes campi.* Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius: & confirmat in noſtra vita eſſe omnia quæ finguntur de inferis. Dicit enim, Tityon amorem eſſe, hoc eſt libidinem: quæ ſecundum Phyſicos & Medicos in jecore eſt: ſicut riſus in ſplene, iracundia in felle. Vnde etiam exeſum à vulture dicitur in pœnam renaſci: etenim libidini non ſatis fit, re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper. Vnde ait Horatius, *Incontinentis aut Tityi iecur.* Ipſe etiam Lucretius dicit per eos, ſuper quos jamjam caſurus imminet lapis, ſuperſtitioſos ſignificari: qui inaniter ſemper verentur: & de diis & cœlo & locis ſuperioribus male opinantur. Nam religioſi ſunt qui per reverentiam timent. Per eos autem qui ſaxum volvunt, ambitum vult & repulſam ſignificari: quia ſemel repulſi, petitores ambire non deſinunt. Per *rotam* autem oſtendit negotiatores, qui ſemper tempeſtatibus turbinibuſque volvuntur.

FOECVNDAQVE POENIS. Fœcunda in pœnam.

RIMATVR. Paſcitur: ut, *Rimantur prata Caystri.* FIBRIS. Fibræ ſunt eminentiæ jecoris.

QVID MEMOREM LAPITHAS? Hi populi Theſſaliæ fuerunt, quibus imperabat Ixion amiciſſimus (ut diximus ſupra) Iovi, Phlegyæ filius: qui poſt nubis coitum fictæ in formam Iunonis, cum ſe de ejus ſtupro jactaret, ab irato Iove ad inferos truſus eſt, & illic religatus ad rotam circumfuſam ſerpentibus. PIRITHOVM. Et hic unus de Lapithis fuit, qui deſcendit cum Theſeo ad rapiendam Proſerpinam.

DONATI.

TITYON. Monoptoton declinatur. Nam Tityonem diceret, ſi per caſus variari potuiſſet.

QVID MEMOREM LAPYTHAS? Genus eſt tranſitus per omiſſionem: & ponitur ne continuatio narrationis horreſcat.

VARIORVM.

OMNIPARENTIS ALVMNVM. Hom. Odyſſ. λ. Macrob. lib. 5. cap. 7. HART.

IMMANIS VVLTVM. Macrob. lib. 4. cap. 4. HART.

ATRA SILEX. Proverb. *Tantali lapis.* Ovid. lib. 4. Transformationum eadem proſecutus. Macrob. lib. 4. c. 4. HART.

NEC NON TYTION. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 7. Saturn.

ROSTROQVE IMMANIS, &c. Pathos à modo Macrob. lib. 4. c. 4. Saturn.

Immi-

Imminet adsimilis: lucent Genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas;
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa [illegible]enti:
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quæ maxima turba est:

SERVII.

ADSIMILIS. Valde similis, *ad* enim vacat: & à majoribus ad ornatum adhibebatur, ut, Horatius *Qua populus adsita certis limitibus vicina refugit Iurgia.* LVCENT GENIALIBVS ALTIS. Aliud est: Tantalus rex Corinthiorum amicus numinibus fuit: qui cum frequenter eos susciperet: & quodam tempore defuissent epulæ: filium suum Pelopem occidit, & diis epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis, Ceres humerum ejus exedit, & cum eum dii per Mercurium revocare ad superos vellent, eburneus ei est humerus restitutus, sicut supra: *Humeroque Pelops insignis eburno.* Ideo autem sola Ceres dicitur comesse, quia ipsa ipsa est terra, quæ corpus resolvit. Per Mercurium autem ob hoc fingitur esse revocatus: quod ipse est deus prudentiæ, per quam Philosophi deprehenderunt παλιγγενεσίαν vel μετεμψύχωσιν. Tantalus autem hac lege apud inferos dicitur esse damnatus, ut in Eridano inferorum stans, nec undis præsentibus, nec vicinis ejus pomariis perfruatur. Per hæc autem avaritia significatur: ut etiam Horatius, *Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur.* GENIALIBVS. Veluti genialibus. Nam geniales propriè sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti à generandis liberis.

AVREA FVLCRA. Quibus fulcimur, id est sustinemur.

REGIFICO LVXV. Regali ambitu. FVRIARVM MAXIMA. Id est sævissima, hoc est fames. ut, *Vobis furiarum ego maxima pando.* Vnde & famem prænuntiat, ut hanc esse furiarum maximam doceat.

ET MANIBVS. Illorum scilicet, non suis.

FACEM ATTOLLENS. Injiciens ignem avaritiæ, ut abstineant.

QVIBVS INVISI FRATRES. Hæc quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen & ad speciem trahi: ut Ægystum & Danaum, Atreum & Thyesten, Eteoclem & Polynicem significare videatur. Bene autem dicendo INVISI, per id quod leve est, etiam majora complexus est.

PVLSATVSVE PARENS. Item quod levius est dixit, parricidii comparatione. Possumus autem OEdipum accipere Laii extinctorem. AVT FRAVS INNEXA CLIENTI. Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Si enim clientes quasi colentes sunt, Patroni quasi patres: tantundem est clientem, quantum filium fallere. Et hoc posse fieri ex Horatii dictis intelligimus: qui cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente, *Pellitur paternos in sinu ferens deos.* Vrbano tamen hoc displicet: & dicit rarum esse hoc, magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc *susceptos* vocamus.

NEC PARTEM POSVERE SVIS. Bene addidit SVIS, id est cognatis, affinibus. Hæc enim fuerat apud majores donandi ratio: non profusa passim. Nam hoc est velle inaniter perdere. Vnde Cicero ait in libris legum, *Septem prohibeo. nam auget superstitionem & exhaurit domos. Dignus igitur largiendum est.* Vnde Horatius, *Cur eget indignus quisquam te divite?* id est indignus paupertate.

VARIORVM.

LVCENT GENIALIBVS ALTIS: Beroaldus in Servium parag. 30.

EPVLÆQ. ANTE ORA PARATÆ. Quopacto locus iste de Tantalo Corinthiorum rege intelligi possit (ut sentiunt interpretes) non video. Sed de Phineo Arcadiæ rege intelligendum puto: qui cum filiis suis, uxoris secundæ impulsu, oculos eruisset, ira divina ipse etiam cæcus factus est: immissæque Harpyjæ, quæ cibos ei appositos auferrent atque fœdarent. quod etsi in vita ei contigerat, uti ex Apollonio 2. Argonaut. legere est, quis tamen prohibet, quin Poëta fingere possit, Phineum iisdemmet apud inferos cruciatibus affici? Nam Plato in decimo dial. repub scriptum reliquit, impios omnium, quæ in vita gesserunt, post tergum apud inferos signa deferre: ut pro qualitate delictorum sit etiam suppliciorum modus. Mihique hoc ideo fit verisimilius, quoniam hic de geniali: id est, de matrimoniali toro mentio habetur; ut sit allusio ad facinus, quod per matrimonium, id est uxoris impulsionem Phineus admisit. NASCIMB.

ET FRAVS INNEXA CLIENTI. Quando & à quo introducti sint patroni & clientes, quod utrorumque munus fuerit, docet Dionysius lib. 2. & Budæus in Pandect. pag. 270.

NEC PARTEM POSVERE SVIS. Hic etiam cruciantur, qui omnia more Epicureorum, suo commodo metiuntur, & aliena non curant; & quia istorum numerus est infinitus, subdit *quæ maxima turba est.* NASC.

Quid

Digitized by Google

Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras:
Inclusi pœnam expectant. Ne quære doceri,
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent: sedet, æternumque sedebit
Infœlix Theseus: Phlegyasque miserrimus omneis
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
DISCITE *justitiam moniti, & non temnere divos.*

SERVII.

OB ADVLTERIVM CÆSI. Si occisi, Ægystum significat Thyestæ filium. Si re vera cæsi Salustius, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suæ uxoris, quæ fuerat Fausti Syllæ filia. QVIQVE ARMA SECVTI IMPIA, NEC VERITI DOMINORVM FALLERE DEXTRAS. Hoc loco videtur blandiri Augusto: quia contra Cæsarem patrem ejus, multi quibus ignovit, arma susceperant. Est namque ejus dictum, *Dare quidem se veniam Pompejanis: sed ab ipsis quandoque esse periturum.* Vt arma impia, civilia dixerit bella: quæ moverunt Pompejani contra acceptæ veniæ fidem: sed non procedit. Nam si *arma impia* dixit bellum civile, tangit & Augustum & Cæsarem: qui & ipsi bella civilia tractarunt. Item si culpat eos qui contra fidem datæ veniæ dimicarunt, tangit Augustum. Nam transierunt ad eum ab Antonio duo millia equitum: per quos est victoriam consecutus. Horatius, *Adhuc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Cæsarem.* Fecit præterea injuriam Augusto vel Cæsari, si eos dominos dixit: quod apud majores invidiosum fuit. Nam patres patriæ dicebantur, non domini. Iuvenalis, *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Melius ergo est ut bellum à Sexto Pompejo Pompei filio in Siculo freto gestum accipiamus. Nam occiso patre Siciliam tenuit: & collectis inde servitiis vastavit sex annis ultro citroque Siciliam: postea victus est ab Augusto & Agrippa. Horatius, *Minatus urbi vincla quæ detraxerat Servis amicus perfidis.* Et hoc sensu tam *arma impia*, quam dominorum congruit commemoratio.

POENAM EXPECTANT. Quod gravius est. Nam in expectatione & præsens metus est & dolor futurus. In ipsa autem pœna, solus est dolor. FORMA VIROS. Regula. Singulis enim sceleribus statuta sunt supplicia ex more Romano, quem sequitur.

SAXVM INGENS VOLVVNT ALII. Sisyphum dicit, qui deorum consilia hominibus publicavit. RADIISQVE ROTARVM. Ixionem dixit, ut alibi ostendit, *Atque Ixionii vento rota constitit orbis.* Licet supra dixerit, *Quos super atra silex.* Nam de his fabulis variæ sunt in ipsis authoribus opiniones.

ÆTERNVMQVE SEDEBIT INFOELIX THESEVS. Contra opinionem. Nam fertur ab Hercule esse liberatus: quo tempore eum ita abstraxit, ut illic corporis ejus relinqueret partem. Frequenter enim variant fabulas poëtæ. Hippolitum Virgilius liberatum ab inferis dicit, Horatius contra, *Neque enim Diana pudicum liberat Hyppolitum.*

PHLEGYASQVE MISERRIMVS OMNEIS ADMONET. Si PHLEGYAS est nominativus singularis, hoc dicit, Phlegyas omnes admonet apud inferos ferentes. Si autem PHLEGYAS accusativus pluralis est, Theseum omnes Phlegyas admonentem debemus accipere. Hi namque secundum Euphorionem populi insulani fuerunt satis in deos impii & sacrilegi. Vnde iratus Neptunus percussit tridente eam partem insulæ, quam Phlegyæ tenebant: & omnes obruit. Phlegyas autem Ixionis pater habuit Coronidem filiam, quam Apollo vitiavit: unde suscepit Æsculapium. Quod pater dolens, incendit Apollinis templum & ejus sagittis est ad Inferos trusus. Statius, *Phlegyam subter cava saxa tacentem Æterno premit accubitu.*

DISCITE IVSTITIAM. Hoc est, vel nunc in pœnis locati.

VARIORVM.

QVIQVE OB ADVLTERIVM CÆSI. Quam acriter lex Iulia vindicarit adulterii crimen, liquet ex facta etiam extraneis accusandi potestate, & patri & marito, non ex æquo tamen, adulterum impune occidendi. GERMAN.

QVIQVE ARMA SECVTI IMPIA. Turneb. lib. 22. cap. 1.

ET DOMINORVM FALLERE DEXTRAS. Hunc locum, interpretes non satis assecuti sunt: quid enim est, *fallere dextras dominorum*, quam fidem dominis promissam fallere? nam dextra olim fidei consecrata fuit: unde *jungere dextram*, & *dextra dextram committere* apud Poetas sæpe reperies, pro pacisci & fœdus ferire. Ovid. in Epist. *Heus ubi pacta fides, commissaque dextera dextræ.* NASCIMB.

RADIISQVE ROTARVM. De hoc tormenti genere. Turneb. lib. 7. cap. 16. Budæus lib. 2. Misc. cap. 16. Titius 5. controv. cap. 8.

ÆTERNVMQVE SEDEBIT. Gellius lib. 10. c. 16. Cæl. lib. 4. c. 8.

INFELIX THESEVS. Cælius lib. 2. cap. 40 Lect. Antiq. An Thereus legendum, disputat Brodæus lib. 1. Miscell cap. 30. Delrius in Senec. Tragic. Titius aliter lib. 1. cap. 11. Bapt. Pius Annotat. Poster. cap. 9. Iac. Loëolis. lib. 1. cap. 3.

DISCITE IVSTITIAM. Explicat sententiam Ioach. Camerar. problem. 5. Dec. 1.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit; fixit leges pretio, atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque Hymenæos:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos,
Sed jam age carpe viam, & susceptum perfice munus:
Acceleremus, ait: Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio, atque adverso fornice portas;
Hic ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat: & pariter gressi per opaca viarum,

SERVII.

VENDIDIT HIC AVRO PATRIAM. Etiam hæc licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit: Curio Cæsari vigintiseptem millibus sestertiis Romam. De quo Lucanus, *Gallorum captus spoliis & Cæsaris auro.*

FIXIT LEGES PRECIO, ATQVE REFIXIT. Possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis. FIXIT autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis affigebantur.

HIC THALAMVM INVASIT NATÆ. Thyestes: unde Ægystus natus est, item Cinyras. Nam quod Donatus dicit, nefas est credi dictum esse de Tullio VETITOSQVE HYMENÆOS. Legibus scilicet. Nam dicendo VETITOS, ostendit fuisse, ut est apud Persas hodie. Vnde Donatus male ait, natura & legibus vetitos,

AVSI OMNES IMMANE NEFAS, AVSOQVE POTITI. Illic sunt & qui fecerunt & qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur, sed & voluntas.

NON MIHI SI LINGVÆ CENTVM SINT ORAQVE CENTVM, FERREA VOX. Lucretii versus sublatus de Homero: sed *Ærea vox* dixit.

SCELERVM COMPRENDERE FORMAS. Vt, *Aut quæ forma viros fortunave mersit.*

PERFICE MVNVS. Hoc est ramum redde. Nam supra ait, *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus Instituit.*

CYCLOPVM EDVCTA CAMINIS. Hoc est magna. Ita enim cujuslibet rei magnitudinem significant: adeo ut Statius Argivorum muros ab ipsis dicat esse perfectos.

FORNICE. Arcu. Cicero, *Vidit ad ipsum fornicem Fabianum.*

DONATI.

LEGES PRECIO REFIXIT. Omnia hæc scelera posuit Maro, ut viventes ad bonos mores metu pœnæ reduceret.

NON MIHI. Necessario generalitas injecta est, ne cuncta descripsisse videretur: quoniam fuit impossibile latitudinem tantam plene complecti: vel ne contemptui haberentur pœnæ propositæ ex quotidiana meditatione. Plus quam etiam metus injicitur, cum infinita formido est.

FORNICE. Ea enim est camera in arcum ducta.

VARIORVM.

DISCITE IVSTITIAM MONITI. Explicat sententiam Ioach. Camerarius problem. 5. Dec. 1.

LEGES FIXIT ATQVE REF. &c. Quia Tabulis æreis insculpebantur columnæ aut pilæ in loco publico adfigendis; quæ refigebantur, quum lex abrogabatur. Servius: *fixit autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis affigebantur.* In his tabulis æneis, leges, edicta, agrorum divisorum formæ, canones siderum astronomici, & alia vulgo incidebantur, & in locis publicis adfigebantur columnis aut parastatis. Inde dicta προγράμματα, quod affigerentur. SALMASIVS.

FIXIT LEGES PRETIO. Leges in æs incidebantur. Turn. lib. 25. c. 30. potest & hic locus de Antonio, Clodio & Verre intelligi; qui pecunia corrupti, leges à se promulgatas in æs incidi & parietibus affigi, rursusque illas antiquari & refigi jubebant. NASC.

HIC THALAMVM INVASIT NATÆ. De Cicerone scriptum à Poëta putat Donatus, reclamante Servio. Vide Quæsturam Corradi pag. Basil. 159. 160. &c.

NON MIHI SI LINGVÆ CENTVM. Macr. lib. 6. cap. 3. Saturnal.

OMNIA POENARVM NOMINA. Lucretius ea, uno fere versu lib. 3. comprehendit,

Carcer & horribilis de saxo jactus deorsum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.

Vide Alexand. ab Alex. lib. 3. Genial. cap. 5. Cæl. Rhodig. lib. 6. lect. antiq. cap. 5.

CYCLOPVM EDVCTA CAMINIS. Quod invenerint, & ferrum fabricare & oppida munire. Turneb. lib. 28. cap. 46.

Corri-

Digitized by Google

Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo, Solemque suum, sua sydera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris;
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos,

SERVII.

CORRIPIUNT SPATIUM. Raptim peragunt.

OCCUPAT ÆNEAS ADITUM. Ingreditur, sicut supra diximus. RECENTI. Semper fluenti. Dixit hoc propter paludem Stygem.

SPARGIT AQUA. Purgat se. Nam inquinatus fuerat, vel aspectu Tartari: vel auditu scelerum atque pœnarum: & SPARGIT, quasi se inferis purgat.

AMOENA VIRETA. Virentia: & est satis usurpatum. AMOENA autem, quæ solum amorem præstant: vel, ut supra diximus, quasi amunia, hoc est sine fructu, ut Varro & Carminius docent. Alludit autem ad insulas fortunatas. Nam & sequenti hoc indicat versu.

LARGIOR HIC CAMPOS ÆTHER ET LUMINE VESTIT PURPUREO. Non nostro largior: sed quam est in cætera inferorum parte. Aut revera LARGIOR, si Lunarem intelligis circulum. Nam ut supra diximus, campi Elysii aut apud inferos sunt, aut in insulis fortunatis, aut in Lunari circulo. Lucanus, *Illic postquam se lumine vivo Induit.* SOLEMQUE SUUM. Sibi congruum: ut, *Fessosque sopor suus occupat artus.*

PALÆSTRIS. Luctationibus. Græce dixit.

CONTENDUNT LUDO. Non odio. CHOREAS. *Re* corripuit propter metrum. Alibi ait secundum naturam: ut, *Iuvat indulgere choreis.* Ergo aut Systolen fecit, aut Antithesin I pro E ponens. Nam Græcum est nomen.

NECNON THREICIUS LONGA CUM VESTE SACERDOS. Orpheus Calliopes musæ, & OEagri fluminis filius fuit, qui primus Orgia instituit: primus etiam deprehendit harmoniam, id est circulorum mundanorum sonum, quos novem esse novimus: è quibus summus quem ἀναφο dicunt, sono caret. Item ultimus qui terrenus est. Reliqui septem sunt, quorum sonum deprehendit Orpheus. unde utique septem fingitur chordis. LONGAM autem VESTEM, aut cytharœdi habitum dicit, aut longam barbam. Nam à contrario imberbes, investes vocamus. SACERDOS autem, quia & Theologus fuit, & Orgia primus instituit. Ipse etiam homines de feris & duris composuit. Unde dicitur arbores & saxa movisse: ut Deus.

DONATI.

DEVENERE LOCOS LÆTOS. Ut metu pœnarum malos deterruit: ita bonos spe felicitatis ad virtutes hortatur. Primo ergo regionum bona prosequitur; deinde, quæ ex his locis capiantur commoda, & qui sint ii qui hujuscemodi bonis perfruantur.

LARGIOR. Hic ostendit nihil deesse ex iis, quæ sunt apud superos, adeo ut fortunati & beati appellari meruerint.

PARS IN GRAMINEIS. Ostendit quanta animi serenitate in voluptatibus honestis vivant.

NEC NON THREICIUS. Ostendit cytharam, inter honestas enumerari artes. Est enim musica.

VARIORUM.

CORRIPIUNT SPATIUM. Explic. phrasin Turneb. lib. 9. cap. 27.

OCCUPAT ÆNEAS ADITUM. Macrob. l. 3. cap. 1. Saturn.

LARGIOR HIC CAMPOS ÆTHER. Videri potest hic Poëta Anaxagoræ sententiam secutus, *ætherem* accepisse pro igne, & mundum ambiente corpore & complente, suffragante hemistichio sequenti, *lumine vestit Purpureo.* Sunt autem, qui hic *ætherem* pro aëre accipere malunt, ex illo sequenti, *Aëris in campis latis:* ut lumen hic purpureum referatur ad splendorem Solis & illustrationem Elysii. GERMAN.

PURPUREO, SOLEMQUE SUUM, &c. Turneb. lib. 28. cap. 28. & 46.

PARS IN GRAMINEIS. Contra Grammaticos explicat Turneb. lib. 28. cap. 46. Brodæus lib. 5. Miscell. cap. 25. ex Pindaro.

PARS PEDIBUS PLAUDUNT. Turneb. l. 28. cap. 46.

LONGA CUM VESTE SACERDOS. De hac este, cum syrmate è Tibullo. Turneb. lib. 18. c. 35. & lib. 28. cap. 46.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Iamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, & Trojæ Dardanus author.
Arma procul, currusque virûm miratur inanes.
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitenteis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne

SERVII.

OBLOQVITVR NVMERIS. Dicendo OBLOQVITVR, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis loquutas. *Obloqui* enim non est nisi contra loquentem loqui. NVMERIS. Rhythmis, sonis: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* SEPTEM DISCRIMINA. Quia omnes chordæ dissimiliter sonant.

IAM PECTINE PVLSAT EBVRNO. *Iam* nunc. Hoc autem pecten declinatur, ut lien, carmen.

HIC GENVS ANTIQVVM. Quod non omnes viros fortes in Elysio visos esse commemorat, hæc ratio est: quia isti divinos meruerant honores: quod Tydeo vel his quos supra memoravit non contingit. Nam ideo ANTIQVVM addidit: quasi & illis Elysii non contingerent campi, si eis annorum non derogasset vetustas.

NATI MELIORIBVS ANNIS. Plerumque enim virtus decoloratur temporis infelicitate. Cicero, *Vt [illegible] , temporum, non hominum fuisse videatur.*

ILVSQVE ASSARACVSQVE. Trojani reges fuerunt. TROIÆ DARDANVS AVTHOR. Hunc in septimo inter deos dicit relatum: ut, *Et numerum divorum altaribus auget.* Sed ut diximus supra, Homerum sequitur, qui inducit simulacrum Herculis apud inferos visum.

DEFIXÆ HASTÆ. Subaudis INANES. Item, *equos inanes.*

QVÆ GRATIA CVRRVM. Detraxit unum v, licentia, qua Latinitas Græcos secuta genitivo plurali syllabam aut addit, aut detrahit: hoc loco detraxit: sicut *Arma virum.* Contra addidit, *Alituum pecudumque genus*: pro alitum, sicut Græci *[illegible]*.

NITENTES. Pingues: ab eo quod sequitur, id quod præcedit intelligis. Per omnia autem quæ dicturus est intelligendum hoc, *Quæ gratia fuit vivis, eadem sequitur tellure repostos.*

PÆANA CANENTES. Proprie Apollinis laudes, quod nunc congruit propter lauri nemus: abusive omnium deorum. Sic Orgia proprie Liberi: abusive, omnium deorum sacra.

ODORATVM. Pro odorum: ut diximus supra.

VARIORVM.

OBLOQVITVR NVMERIS SEPTEM. Laus chordarum, quæ non sonare, sed verbis quasi loqui videbantur. Græci habent suum [illegible] & [illegible]. Alii, *obloquitur numeris*, interpretantur, *Cecinit modulis ac rythmis*: ut & fides increpuisse & simul voce cecinisse intelligatur. ἑπτάχορδος lyra, contra Fulgent. lib. 3. Mytholog. Turneb. lib. 19. cap. 30. & lib. 28. cap. 46.

SEPTEM DISCRIMINA. Quia cytharæ septem chordarum dissimiliter sonantium fuit ex Terpandri instituto. Plin. Plutarch. NASCIMB.

IAMQVE EADEM DIGITIS. Id est, intus & foris canit. Manus enim sinistra carpit chordas digitis, quod *intus canere* est: tacita quadam musica, nec foris audita, sed artifici tantum intellecta. At manus dextra Pectine chordas pulsat, *canitque foris*, id est canit, quod etiam alii audiant: nec enim tacita est ejus, ut sinistra musica, sed canora. Turneb. lib. 28. cap. 46. & lib. 14. c. 4.

NATI MELIORIBVS ANNIS. Declarat quod dixerat *antiquum*. nam ætas antiqua melior semper fuisse existimatur. hoc igitur ait; eos eo tempore natos, quo majori in honore virtus haberi solebat; ideoque divino honore dignos judicatos fuisse; quibus si hoc tempore nasci contigisset, ad tantum honoris fastigium minime evecti fuissent. alludit autem per commiserationem ad tempora Trojana, quibus meliori fortuna utebantur. NASCIMB.

STANT HASTÆ DEFIXÆ. De hastis præpilatis. Turn. lib. 13. cap. 16.

ARMORVMQVE FVIT. Cælius lib. 10. cap. 9. Macrob. in somnium Scipionis, lib. 1. c. 9. Odyss. 11. HARTVNG.

EADEM SEQVITVR TELLVRE, &c. Macr. lib. 1. cap. 9. Somn. Scip. Cælius lib. 6. cap. 9. Lect. Antiq.

Plu-

Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi;
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti;
Inventas aut qui vitam excoluere per artes;
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla:
Musæum ante omnes: medium nam plurima turba

SERVII.

VNDE SVPERNE PLVRIMVS ERIDANI PER SYLVAM VOLVITVR AMNIS. Eridanum Aratus in cœlo esse dixit, haud longe à ceto. Hic & in terris est, qui in Italia, id est in Venetia Padus vocatur: quem alii etiam ad Inferos volunt tendere, alii nasci apud Inferos, & exire in terras. Ideo autem ista finguntur, quia de Apennini parte oritur, quæ spectat inferum mare, & tendit usque ad superum. Ergo hic sensus est, Canebant in locis, unde superne, id est ad superos plurimus Eridani amnis per sylvam volvitur. Namque verisimile est: quoniam legimus de Aristeo, *Omnia sub magna labentia flumina terra Spectabat [illegible]sa locis.* Et congrue. nam omnis humor ex terr[illegible] nascitur venis. Alii Eridanum pro quocunque accipiunt, & dicunt κατ᾽ ἐξοχὴν dictum. Nam legimus *Fluviorum rex Eridanus.* & amant poëtæ, pro appellatione, ponere magnæ rei proprietatem: ut alibi: *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.* Melius tamen est si distinguamus, *Vnde superne plurimus*, Vnde ad superos plurimus, id est magnus amnis volvitur per sylvam Eridani, id est populos. Fabula namque hæc est, Eridanus Solis filius fuit: hic à patre impetratum currum agitare non potuit, & cum ejus errore mundus arderet, fulminatus, in Italiæ fluvium cecidit: & tunc à luce ardoris sui, Phaëton appellatus est, & pristinum nomen fluvio dedit. Vnde mixta hæc duo nomina inter Solis filium & fluvium invenimus. Postea ejus sorores flendo in populos versæ sunt: ut in decimo, *Populeas inter frondes umbramq; sororum.* Et hoc Virgilius. nam alii in alias arbores dicunt.

HIC MANVS OB PATRIAM PVGNANDO VVLNERA PASSI. Manus, id est multitudo eorum qui ob patriam passi sunt vulnera. & est figurate dictum. Sane animadvertendum quod ait Horatius in arte poëtica, *Et simul & jucunda & idonea dicere vitæ.* Nullam enim majores nostri artem esse voluerunt, quæ non aliquid reipublicæ commodaret. Vnde Virgilius hoc per transitum facit. Nam dicendo puniri patriæ venditores, contra præmia defensoribus solvi: nihil aliud nisi fugienda vitia & sectandas esse docet virtutes.

SACERDOTES CASTI DVM VITA MANEBAT. Quasi quis castus posset esse post mortem. sed aliud dicit; id est qui fuerunt casti dum in communione vitæ versarentur. Nam hi qui sacra maxima accipiebant, renuntiabant omnibus rebus: nec ulla in his numinum cura remanebat. Herbis etiam quibusdam emasculabantur: unde jam coire nec poterant. Dicit ergo eos sacerdotes qui casti fuerunt, etiam ante sacra suscepta.

PII VATES. Vaticinantes, non mendaces. PHOEBO DIGNA LOCVTI. Aut veridici, qui talia loquebantur, qualia decebant Apollinem. Multi enim mentiebantur: ut in Lucano Phœbas, ad quam Appius Claudius, *Et nobis dabis improba pœnas, Et superis quos fingis*, ait.

INVENTAS AVT QVI VITAM EXCOLVERE PER ARTES. Qui erudierunt & ornaverunt vitam per inventa artificia. Significat autem Philosophos: qui aliquid excogitaverunt unde vita coleretur.

QVIQVE SVI MEMORES ALIOS FECERE MERENDO. Et quia aliquos sui memores fecere præstando: ut, *Nunquam regina negabo Promeritam*, id est præstitisse. Terentius, *Ego Carme neutiquam officium liberi esse hominis puto: cum is nihil promereas, postulare id gratiæ apponi sibi.*

OMNIBVS HIS NIVEA CINGVNTVR TEMPORA VITTA. Per quod eos ostendit meruisse divinos honores: ut diximus supra.

MVSÆVM ANTE OMNES. Theologus fuit iste post Orpheum: & sunt variæ de hoc opiniones. Nam cum alii lunæ filium, alii Orphei volunt, cujus eum constat fuisse discipulum. Nam ad ipsum primum carmen scripsit, quod appellatur *Cratera*.

DONATI.

OMNIBVS HIS. Omnia commoda consequuntur honestatis cultores: locum, sydera, lucem, prata, nemora, cibos, delitias, studia artium, ut non privati vita, sed ad aliud vivendi genus transisse videantur.

VARIORVM.

PLVRIMVS ERIDANI, &c. Vt in cœlo consecrarunt Eridanum Astrologi, sic & in Elysiis ponit eum campis Maro, vel cælestis illius Eridani imitatione, vel patriæ commendatione inductus, cum sit in Italia fluviorum rex. TVRNEB. lib. 22. c. 1.

PLVRIMVS ERIDANI. Turneb. lib. 22. c. 1. cur fluvium hunc in Elysio ponat. Gorop. Becanus in Venet & Hyperbor.

MVSÆVM ANTE OMNES. Musæum cur laudet, sileatque Homerum mirantur Græci, ait Turn. lib. 2. cap. 46.

Digitized by Google

Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis.
Dicite felices animæ, tuque optime vates,
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergò
Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit Heros:
Nulli certa domus: lucis habitamus opacis,
Riparumque toros, & prata recentia rivis
Incolimus. sed vos (si fert ita corde voluntas)
Hoc superate jugum, & facili jam tramite sistam.
Dixit: & ante tulit gressum, camposque nitenteis
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens; omnemque suorum
Forte recensebat numerum, clarosque nepotes;
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit

SERVII.

HVMERIS EXTANTEM SVSPICIT ALTIS. Quasi Philosophum, ac si diceret Platonem. Alludit enim poëta. Nam Plato ab humerorum dictus est latitudine. Athleta enim fuit, qui post omnium victoriam se philosophiæ dedit.

TVQVE OPTIME VATES. Quia theologus fuit. Et sciendum hoc loco Sibyllam jam à numine derelictam. Vnde & interrogat, quod alias non faceret.

QVÆ REGIO ANCHISEN, QVIS HABET LOCVS? Bene & generalitatem requirit & speciem, quo possit facilius inveniri. Nam LOCVS in regione est. ILLIVS ERGO. Propter illum, vel caussa illius. *Ergo* autem conjunctio fuit, sed per accentus mutationem in adverbium transit: & est sola particula quæ habet in fine circumflexum. Multi male putant nomen esse indeclinabile: & dicunt positum esse pro caussa (Caussa autem, nomen est quod ponitur pro ratione) qui casus declinatione caret.

MAGNOS AMNES. Aut magna fluenta: aut quia novem sunt, quæ odiosum fuerat commemorare per singula.

NVLLI CERTA DOMVS. Id est habitatio, quam animæ tandiu certam habent, quandiu in corporibus sunt: post quorum solutionem vagantur pro vitæ merito in circulis. LVCIS HABITAMVS OPACIS. Varia dicit, quæ pro vitæ varietate contingunt. In his autem locis Heroum animæ coluntur.

RECENTIA RIVIS. Virentia: rivorum scilicet caussa.

IVGVM. Ita enim dividuntur montes, in radices, latera, juga, vertices, pro locorum qualitate.

DEHINC SVMMA CACVMINA LINQVVNT. Non linquit. hoc enim dicit Æneas & Sibylla, *Perducti ad summum, in plana descendunt.*

PENITVS CONVALLE VIRENTI. Valde virenti: ut, *Penitusque sonanteis Accessus scopulos.*

INCLVSAS ANIMAS. Non re vera inclusas: sed multitudine separatas, quo facilius agnoscerentur.

LVSTRABAT STVDIO RECOLENS. Circuibat, studiose tractabat. INCLVSAS autem, aut segregatas: aut secundum ritum antiquum. Multitudinem enim si numerare non poterant, eam in locum certum includebant per partes, & ex unius numero quanta esset videbant. Quod Xerxes de suo fecit exercitu.

CHAROSQVE NEPOTES. Posteros: sicut per nutus fœminas dicunt.

FATAQVE FORTVNASQVE VIRVM, MORESQVE, MANVSQVE. Felicitas enim aut fatalis est, aut fortuita, aut ex virtute descendens.

DONATI.

FELICES. Vtpote quæ post depositam vitam, talia loca ac delitias sint assecutæ.

LVSTRABAT. Oculis. RECOLENS. Animi intentione.

FATA, FORTVNAS, MORES, MANVS. Propositio est eorum quæ deinde prosequitur.

VARIORVM.

HVMERIS EXSTANTEM. Procera & pulchra corpora placent ubique Maroni. de hoc supra. HARTVNG.

ILLIVS ERGO. Pro causa, gratia: mihi videtur Græcum esse [illegible]. Ergo, Græcis ἕνεκα: nisi ab ἔργον magis placet. HART.

Ænean

Ænean, alacris palmas utraſque tetendit:
Effuſæque genis lachrymæ, & vox excidit ore:
Veniſti tandem, tuaque expectata parenti
Vicit iter durum pietas; datur ora tueri
Nate tua, & notas audire & reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura feſellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum nate periclis!
Quam metui ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: tua me genitor, tua triſtis imago
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant ſale Tyrrheno claſſes. da jungere dextram,
Da genitor: teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.
Sic memorans, largo fletu ſimul ora rigabat:
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago;
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

SERVII.

ALACRIS. Ipſe alacris. Et ſciendum antiquos & alacris & alacer, & acris & acer, tam de maſculino quam de fœminino genere dixiſſe. Nunc maſculino utrunque damus: de fœminino alacer & acer nunquam dicimus: licet Ennius dixerit: *Æſtatem Autumnus, poſt acer hyems fit.* Nam inde eſt alacer.

GENIS. Palpebris. Ennius de dormiente, *Imprimitque genæ genam.* EXCIDIT ORE. Quaſi ſeni: quod circa Anchiſen reſervat, ut, *Tantumque nefas patrio excidit ore.*

VENISTI TANDEM. Hoc ad effectum pertinet deſyderantis. Alias oritur quæſtio quod dicit, *Sic equidem ducebam animo.* EXPECTATA. Probata: ut, *Et rebus ſpectata juventus.* Hoc autem dicit, Tua pietas mihi ſemper probata, nunc etiam *iter durum* vicit, ſcilicet inferorum.

ET NOTAS AVDIRE ET REDDERE VOCES. Familiariter loqui.

REBARQVE FVTVRVM. Arbitrabar, rationabar eſſe venturum. Per quod intelligimus fataliter Æneam ad inferos deſcendiſſe. Non enim niſi fatalia deprehenduntur.

NEC ME MEA CVRA FEFELLIT. Nec decepit me dulciſſimus filius. Nam vocativus eſt *mea cura*, id eſt tu: & dictum eſt ſicut *Veneris juſtiſſima cura.*

QVAS EGO TE TERRAS, ET QVANTA PER ÆQVORA VECTVM. Patriæ ejus ingemit caſibus.

LIBYÆ TIBI REGNA NOCERENT. Aut quia de Iunone ait Venus: *Haud tanto ceſſabit cardine rerum.* Aut quod eſt melius, illud dicit, Timui ne dum apud regna Carthaginis voluptatibus vacabas, imperium fatale derelinqueres.

TRISTIS IMAGO. Severa, terribilis, ut ſupra, *Et turbida terret imago.*

SÆPIVS OCCVRRENS. *πολλὰ τὸ συνεχέστερον* ſæpius ei dictum intelligimus: aut certe, Egit me tua imago ad hæc tendere limina, quam ſæpe videre conſuevi.

STANT SALE TYRRHENO CLASSES. Affectionis eſt filii etiam ea indicare, de quibus non interrogatur.

LARGO FLETV. Nato ex gaudio.

TER FRVSTRA. Sæpius. finitus pro infinito.

VARIORVM.

EFFVSÆ GENIS LACHR. Quidam abſurdum putant, dare lachrymas Anchiſæ in beatorum jam numerum adſcito: ſed id finxit Poëta ad affectum paternæ pietatis oſtendendum. *Et vox excidit ore*, præ lætitia. NASC.

VICIT ITER DVRVM. Laus Æneæ ingens ex officio pietatis erga patrem, quem nec horror inferorum, nec itineris difficultas retinuit. NASC.

TEMPORA DINVMERANS. Fato currentia. per quod colligitur Æneam fato ad inferos deſcendiſſe.

NEC ME MEA CVRA FEFELLIT. Id eſt cogitatio, quæ abſque ejus animæ ſollicitatione eſſe non poterat. NASC.

TER CONATVS COLLO DARE. Homer. Odyſſ. Λ. Macrob. lib. 5. cap. 7. & 4. HART.

PAR LEVIBVS VENTIS. Verſiculus concitatus & orbicularis: ac forte alludit latenter ad etymon animæ, ab ἄνεμος, quod ventum ſignificat. H.

In-

Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, virgulta sonantia sylvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes, populique volabant:
Ac veluti in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam

SERVII.

INTERRA VIDET ÆNEAS. Hirmos est hoc loco, id est unus sensus protentus per multos versus: in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phædone positum est περὶ ψυχῆς, de quo in Georgicis strictim, hic latius loquitur. De qua re etiam Varro in primo divinarum plenissime tractavit. Hoc autem continet, Æneas dum per inferos pergeret, respexit fluvium quendam loci remotioris: ad quem innumera multitudo tendebat animarum. Interrogavit patrem quis esset fluvius, vel qua ratione ad eum pergerent animæ. Pater ait, Lethæus est: pergunt autem ut potantes oblivionem patiantur, & incipiant in corpora velle remeare. Stupefactus Æneas interrogat, Dic pater, animæ quæ per præteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum revertendi in corpora? Non est verisimile liberatas de corporis carcere ad ejus nexum reverti. Suscepta narratione hoc Anchises exequitur; primo debere fieri ut redeant, deinde posse, deinde velle. quæ quoniam obscura sunt, aliis divisionibus innotescunt. Quid est debere? Cuncta animalia à deo originem ducunt: quæ quia nasci cernimus, revertuntur sine dubio unde cuncta procreantur. Deinde posse sic probat: quia immortales sunt animæ, & sunt quæ possunt reverti. Tertium est utrum velint, quod dicit fieri per Lethæum fluvium. Et hoc est quod dicturus est. Sed incidentes quæstiones faciunt obscuritatem.

VIRGULTA SONANTIA SYLVÆ. Quæ est juxta prærupta fluminis.

DOMOS PLACIDAS. Campos Elysios. PRÆNATAT. Præterfluit, & contrarie dictum est. Nam non natant aquæ, sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est qui ait, *Fluctusque natantes.* Sane de hoc fluvio quæritur à prudentioribus, utrum de illis novem sit qui ambiunt inferos, an præter novem. & datur intelligi, quod ab illis novem qui ambiunt inferos separatus est. Namque volunt eum esse imaginem senectutis: nam animæ nostræ vigent & alacres sunt & plenæ memoria à pueritia usque ad virentem senectam, postea in nimia senectute omnis memoria labitur, qua lapsa mors intervenit, & animæ in aliud corpus revertuntur. Unde fingunt poëtæ animas Lethæo hausto in corpus redire. Ergo Lethæus est oblivio, morti semper vicina.

GENTES POPULIQUE. Innumerarum gentium & populorum animæ.

FLORIBUS INSIDUNT. Insido illi rei, ut, *Insidat quantus miseræ deus.* Insisto autem illam rem, ut, *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.*

CIRCUM LILIA FUNDUNTUR. Hoc est circumfunduntur: *Lilia* autem pro quibuslibet floribus, speciem pro genere posuit.

FLUMINA PORRO. Longe remota: & est Græcum adverbium. Bene autem Æneam longe à Lethæo facit: quia adhuc juvenis est.

AGMINE RIPAS. Cursu, impetu: per quod ostendit cito iri ad senectam: quia tota celeritate usus labitur vitæ.

ANIMÆ, QUIBUS ALTERA FATO CORPORA DEBENTUR. Sciendum non omnes animas ad corpora reverti. Aliquæ enim propter vitæ merita non redeunt: aliquæ redeunt propter malam vitam: aliquæ propter fati necessitatem.

LETHÆI AD FLUMINIS UNDAM. Si anima æterna est, & summi spiritus pars: qua ratione in corpore non totum videt, nec est tantæ prudentiæ tantæque vivacitatis, ut omnia possit agnoscere: quia cum cœperit in corpus descendere, potat stultitiam & oblivionem. Unde non potest implere vim numinis sui, post naturæ suæ oblivionem. Obliviscitur autem secundum poëtas præteritorum, secundum Philosophos futuri. Unde medium tenuit dicendo OBLIVIA.

DONATI.

TUM PATER ANCHISES. Interrogat Æneas quis fluvium, & quare animæ illum petant. Ad utrunque breviter respondet. Esse animas, quæ in alia corpora reverti volunt, & fluvium esse Lethæum.

VARIORUM.

IN VALLE REDUCTA. Lambinus, *vallem reductam* appellat, quæ sinus quosdam flexuosos & recessus habet, in quibus quis à ventis & injuria cæli tutus esse queat.

Secu-

Digitized by Google

Securos latices & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia tandem lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimeis animas? iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo.
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

SERVII.

SECVROS LATICES. Qui securos faciunt: ut morbos pallidos dicimus, quod pallidos faciunt.

OBLIVIA. Docent autem Philosophi, anima ad ima descendens quid per singulos circulos perdat. Vnde etiam Mathematici fingunt: quod singulorum numinum potestatibus corpus & anima nostra connexa sunt: ea ratione quia cum descendunt animæ, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurii lucri cupiditatem, Iovis regni desyderium: quæ res faciunt perturbationem animabus, ne possint uti vigore suo & viribus propriis.

IAMPRIDEM. Ex quo ait, *Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.*

O PATER. Nova brevitas. Nam dicendo PATER, qui loquatur, ostenditur. AD COELVM HINC IRE PVTANDVM EST. Miscet Philosophiæ figmenta poëtica: & ostendit tam quod est vulgare, quam quod continet veritas & ratio naturalis. Nam secundum poëtas hoc dicit, credendum est animas ab inferis reverti posse ad corpora, ut *cœlum* superos intelligamus, id est nostram vitam. Secundum Philosophos vero hoc dicit, credendum est animas corporis contagione pollutas ad cœlum reverti.

SVBLIMEIS ANIMAS? Non omnes, sed sublimium. AD TARDA REVERTI CORPORA? Animæ comparatione, qua velocius nihil est. Vno enim momento potest universa discurrere.

QVÆ LVCIS MISERIS TAM DIRA CVPIDO? Vt id desiderent, propter quod se sciunt pœnas dedisse, scilicet vitam.

SVSPENSVM. Sollicitum, incertum: ut. *Multo suspensum numine ducit.*

SVSCIPIT ANCHISES, ATQVE ORDINE SINGVLA PANDIT. Hystero proteron. Post hunc enim versum sequi debuit, *Dicam equidem: nec te suspensum nate tenebo.*

DONATI.

QVO MAGIS ITALIA. Ex hoc ostendit se magna dicturum.

O PATER ANNE. Non poterat non mirari, quod ad tanta incommoda vitæ redire vellent.

SVSCIPIT ANCHISES. Aggreditur Anchises relationem, & ordine suo singula prosequi cœpit. Occasione futuræ relationis, altior tractatus inducitur; ut ostendat poëta, ex quibus constet hominum genus, vel cæterorum animalium: & unde moveantur in gaudium; unde vertantur in metum; unde diversis cupiditatibus teneantur; unde animæ nutrimenta suscipiant.

VARIORVM.

ET LONGA OBLIVIA POTANT. Adeas Platonem in Phædro, ubi de hac animorum oblivione, & transmigratione pluribus disputatur.

HAS EQVIDEM MEMORARE TIBI. Hic ingentem Anchises cupiditatis suæ affectum ostendit: cujus etiam caussam assignat ex commodo & jucunditate Æneæ: unde est benevolentiæ locus ex significatione paterni amoris erga filium. NASC.

QVO MAGIS ITALIA. τὸ αἴτιον est. nam magis lætabitur se pervenisse ad Italiam, cum tot viros illustres ex suo genere propagandos, tantasque sanguini suo accessiones præparatas esse cognoverit. NASC.

O PATER, ANNE ALIQVAS. Æneæ interrogatio est, quæ πάθος habet ex ingenti admiratione: totus autem locus iste διαλογισμῶς tractatur: hoc est interrogationibus responsionibusque constat.

SVBLIMES ANIMAS. Nobiles ac illustres; & est honesta, rationique consentanea dubitatio, sive admiratio, ut anima viri illustris jam vinculis corporis exuta, iterum in mortale corpus revertatur. quasi innuere velit, viros illustres, & gloria virtutis insignes, hoc præmio dignos esse, ut carcere corporis soluti in numerum deorum referantur, ævoque sempiterno summa cum felicitate fruantur. NASCIMB.

AD TARDA. Perpulchra est in sensu antithesis, in his vocibus *sublimis*, *tarda*. Nam in sublimis levitas, in tardis gravitas est. leves sunt animæ; gravia, propter concretam materiam, corpora. NASC.

QVÆ LVCIS MISERIS TAM DIRA CVPIDO. Movet commiserationem ex præpostera illorum cupiditate; qui exuti corpore priorem tamen vitam appetunt, propter quam ingentia passi fuerunt supplicia. NASC.

ATQVE ORDINE SINGVLA PANDIT. Homericum est. Nam Tiresiæ consiliis, Anchisæ monita respondent: Macrobius libro 5. capite 2. Saturnal.

Digitized by Google

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquenteis,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus

SERVII.

PRINCIPIO COELVM AC TERRAS, CAMPOSQVE LIQVENTEIS. Interrogatus Anchiſes quare animæ velint reverti ad corpora, quaſi aliud dicit, tamen illuc recurrit: quod Græce τὸ πᾶν dicitur, id eſt omne quod eſt. Quatuor ſunt elementa: terra, aer, aqua, æther: & Deus. Præter hæc nihil eſt aliud: & hoc mundum non poſſumus dicere. Nam mundus non eſt totum. Ergo Deus eſt quidem ſpiritus divinus, qui per quatuor infuſus elementa gignit univerſa. Igitur ſi de elementis & Deo naſcuntur omnia, unam originem habent, & par eſt natura omnium. Sed videamus quid in nobis eſt à Deo: & quid a quatuor elementis. Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus, à Deo animam: quod ideo probatur, quia quod eſt in corpore, terra, humor, anhelitus, calor (quæ omnia videntur, ſicut etiam elementa) animus inviſibilis eſt: ſicut etiam Deus, unde originem ducit. Illa præterea irrationabilia ſunt ſicut corpus. contra Deus habet conſilium, ſic etiam animus. Deinde elementa mutari videmus, quorum perire mutari eſt, ſicut etiam corpus: quod inde originem ducit. contra, Deum non perire manifeſtum eſt, ergo nec animus perit, qui inde originem ducit. Nam pars ſemper ſequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem ſuam, ut animos immortales diceret. Sed occurrit illud, Si immortales ſunt, & unum habent principium: qua ratione non omnia animalia ſentiunt ſimiliter? Et dicit non eſſe in animis diſſimilitudinem, ſed corporibus, quæ prout fuerint vel vivacia, vel torpentia, ita & animos faciunt. quod poteſt etiam in uno eodemque corpore probari. In ſano enim corpore alia eſt vivacitas mentis, in ægro pigrior, inſanis invalida & ratione carens, ut in phreneticis cernimus, adeo cum ad corpus venerit, non natura ſua utitur, ſed ex ejus qualitate mutatur. Inde Afros verſipelles, Græcos leves, Gallos pigrioris videmus ingenii: quod natura climatum facit, ſicut Ptolemæus deprehendit, qui dicit tranſlatum ad aliud clima hominem naturam ex parte mutare. De toto enim non poteſt: quia in principio accepit ſortem corporis ſui. Ergo anima pro qualitate eſt corporis. Et qua ratione res melior eſt in poteſtate deterioris? Atqui divinus animus debuit corpus habere in poteſtate, non mortale corpus naturam animi corrumpere. Sed hoc ideo fit, quia plus eſt quod continet, quam quod continetur: ut ſi leonem includas in caveam, impeditus vim ſuam non perdit: ſed exercere non poteſt. ita animus non tranſit in vitia corporis, ſed ex ejus conjunctione impeditus, nec exercet vim ſuam. Occurrit illud, Omne quod corrumpitur, æternum non eſt. ſi animus inſanit, iraſcitur, deſyderat, timet, caret æternitate, cui ſunt iſta contraria. Nam paſſio æternitatem ſolvit. Quod ideo falſum eſſe dicimus, quia animus nihil per ſe patitur. ſed laborat ex corporis conjunctione. Et aliud eſt per ſuam naturam corrumpi: aliud per contrarium rei alterius. Videmus enim tale aliquid ut in lucerna, quæ per ſe clara eſt: & locum in quo eſt ſine dubio illuminat: ſed ſi qua re tecta fuerit & incluſa, non perdit ſplendorem proprium qui in ea eſt (remoto namque impedimento apparet) nec tamen quia impeditus eſt ejus vigor, ideo etiam corruptus. Ita ergo & animus quandiu eſt in corpore, patitur ejus contagionem, ſimul atque depoſuerit corpus, recipit ſuum vigorem, & natura utitur propria. Si ergo recipit naturam ſuam, quare pœnas apud inferos patitur? Ideo quia res quæ ſimul diu fuit, non poteſt depoſita ipſa re ſtatim ad ſuum nitorem reverti. ut ſi ſpeciem candidam miſſam in lutum polluas, & eam ſtatim auferas, non ideirco ſordibus caret, ſed abſolutionem requirit, ut in priſtinum nitorem poſſit redire. Sic anima ex eo quod datur corpori, inquinata, etiam ſi corpus deponat, neceſſe habet purgari. Si ergo purgantur & recipiunt naturam ſuam, cur volunt reverti? Quia potant (inquit) oblivia. Eſt etiam illud ambiguum, Aut ut præteritarum obliviſcantur pœnarum; aut certe ut ignaræ futuri, habeant redeundi deſyderium in corpora, quod ſine paſſione non fit. Nam animus in quo eſt paſſio, meretur reverti. COELVM. Pro aere, & æthere poſuit: ut, *Iam cœlum terramque.* CAMPOSQVE LIQVENTEIS. Id eſt maria.

LVCENTEMQVE GLOBVM LVNÆ. Ideo uſus eſt participio, ut oſtendat eam ſuum lumen non habere. Nam lucens, eſt quod aliunde illuminatur. Lucibile, quod per ſe lucet, ut patulum & patens. Patulum eſt quod ſemper patet: Patens quod & aperitur & clauditur, ut oculus. GLOBVM autem, ideo quia dicitur luna σφαιροειδὴς eſſe. TITANIAQVE ASTRA. Aut ſtellas dicit: aut Solem quem ſupra unum fuiſſe de Titanibus diximus.

SPIRITVS. Divinus ſcilicet: & unum eſt ſive mentem dicat, ſive animum, ſive ſpiritum. INTVS ALIT. Vegetat, & in æternitatem cuſtodit: quia miſtus eſt, & nulla pars eſt elementi ſine Deo. PER ARTVS. Per elementa quæ membra ſunt mundi. Corporalia namque ſunt quæ poſſunt videri.

VARIORVM.

PRINCIPIO CÆLVM. Per. Crinitus lib. 6. cap. 12. de Honeſt. Diſcipl. Macrob. lib. 1. cap. 14. Somn. Scip.

TITANIAQVE ASTRA. Titanem exiſtimat Pauſanias virum ſolertem fuiſſe, temporum obſervatorem: unde eum Solis fratrem vulgo dictum. Atque hinc non obſcura conjectura naſcitur, cur aſtra Titania hic poëta nominarit. HORTENS.

TITANIAQVE ASTRA. Beroaldus in Servium. cap. 31.

SPIRITVS INTVS ALIT. Anima ſcilicet, in medio rerum poſita res ipſas vivificat: ex Platone in Timæo. Macrob. lib. 1. c. 13. Somn. Scipion.

Mens

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.
Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo
Seminibus; quantum non noxia corpora tardant,
Terreniquè hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque: nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco.
Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes

SERVII.

MENS AGITAT MOLEM. Magnitudinem mundi mens agitat: & ſi, ut Cicero dicit in Tuſculanis, *æternum eſt quicquid in æterno motu eſt*: ſine dubio etiam animus æternus eſt. Semper enim in motu eſt, adeo ut ne nobis quidem quieſcentibus conquieſcat. MAGNO SE CORPORE MISCET. Aut Antiptoſis eſt, pro corpori: ut, *Hæret pede pes, denſuſque viro vir*: quod potius credendum eſt. Aut certe ſecundum eos locutus eſt, qui dicunt corporalem eſſe: & eum ita diffiniunt πῦρ νοερὸν, id eſt ignem ſenſualem. Quod ſi verum eſt, corpus eſt: nec per Antiptoſim dixit, ſed per diffinitionem *magno corpore*, id eſt non communi.

INDE HOMINUM PECUDUMQUE GENUS. De quatuor elementis & Deo.

ET COELESTIS ORIGO SEMINIBUS, QUANTUM NON NOXIA CORPORA TARDANT. Quod ſupra diximus, In tantum, inquit, in omnibus viget pars divinitatis, in quantum ſinit corporum qualitas.

TERRENIQUE HEBETANT ARTUS. Inquantum non hebetant artus. MORIBUNDAQUE MEMBRA. Morienti ſimilia, hoc eſt ſemper morientia. Nunquam enim in eodem ſtatu ſunt: ſed aut minuuntur, aut creſcunt. Ergo animus idem eſt: ſed uti viribus ſuis non poteſt propter conjunctionem.

HINC METUUNT, CUPIUNTQUE, DOLENT, GAUDENTQUE. Ex corporis conjunctione, & hebetudine. Varro & omnes Philoſophi dicunt quatuor eſſe paſſiones: duas à bonis, duas à malis opinatis rebus. Nam dolere & timere, duæ opiniones malæ ſunt: una præſentis, alia futuri. Item gaudere, & cupere, opiniones bonæ ſunt: una præſentis, altera futuri. Hæc ergo naſcuntur ex ipſa conjunctione. Nam neque animi ſunt, neque corporis propria. Pereunt enim facta ſegregatione.

NEQUE AURAS RESPICIUNT. Nam quia cohærent corpori, obliviſcuntur naturæ ſuæ, quam *auras* vocavit. CLAUSÆ TENEBRIS, ET CARCERE COECO: Diffinitiones ſunt corporis.

QUIN ET SUPREMO CUM LUMINE VITA RELIQUIT. Quia ut diximus, occurrit debere eas ſtatim poſt corpus depoſitum redire in ſuum vigorem: & dicit non poſſe. Quæ enim diu conjuncta ſunt, invicem ſe tenent, & trahunt reliquias ſordium antiquarum.

NON TAMEN OMNE MALUM. Cedit quidem, ſed non omne. Nam remanet: quod ut purgetur, neceſſe eſt. Inde eſt quod dicit, *Eadem ſequitur tellure repoſtos*. Bene autem MISERIS, quæ etiam poſt corpus habent corporis damna. Unde eſt, *Nec funditus omnes Corporeæ excedunt peſtes.*

DIU CONCRETA. Conjuncta & conglutinata.

INOLESCERE. Creſcere, ut, *Udoque docent inoleſcere libro.*

ERGO EXERCENTUR POENIS. Quia depoſito corpore ſordes ſuperſunt. Pœnas autem minime perferunt animæ: ſed illius conjunctionis reliquiæ, quæ fuit inter animam & corpus. Nam licet iſta duo per ſe pœnas perferre non poſſint: homo tamen perfert, qui de his duobus eſt factus.

SUPPLICIA EXPENDUNT. Ideo agunt ſupplicia, non ut animas puniant, ſed ut eas peccatis exuant priſtinis.

VARIORUM.

MAGNO SE CORPORE MISCET. Macrob. lib. 1. cap. 17. Somn. Scip.

IGNEUS EST OLLIS VIGOR. Inde & heroes ex diſciplina Homeri in aquis mortem perhorreſcebant, quod igneam animam extingui aqua crederent. Tum forte & hæreſin Stoicorum reſpexit, qui animum corpore ſolutum ſub lunam ad ignis ſubvolare regionem ponebant: ut illis adſtipulatus Cicero Tuſcul. 1. Et Tertull. lib. 1. de anima: *Itaque apud illum in ætherem ſublimantur animæ ſapientes, apud Arium in aërem, apud Stoicos ſub Lunam.* GERM.

HINC METUUNT, &c. Affectus quatuor, hoc unico verſiculo expreſſit. Cælius lib. 3. cap. 24. Lect. Antiq.

Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
QVISQVE *suos patimur Manes. exinde per amplum*
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omneis, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

SERVII.

ALIÆ PANDVNTVR INANES SVSPENSÆ AD VENTOS. Loquitur quidem poëtice de purgatione animarum: tangit tamen quod & Philosophi dicunt. Nam triplex est omnis purgatio. Aut enim in terra purgantur, quæ nimis oppressæ sordibus fuerint, deditæ scilicet corporalibus blandimentis, id est transeunt in corpora terrena: & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra est quo exuruntur omnia. Nam cœlestis nihil perurit. Aut in aqua, id est transeunt in corpora marina, si paulo melius vixerint. Aut certe in aëre, transeundo scilicet in aëria corpora, si satis bene vixerint: quod in Statio legimus, ubi de auguriis tractat. unde etiam in sacris omnibus tres sunt istæ purgationes. Nam aut teda purgantur & sulphure; aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hoc est enim quod dicit in secundo Georg. *Tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.* Nam genus erat purgationis: & in ipsis purgationibus bonum meritorum secutus est ordinem, ut ante aëriam, inde aquæ, post ignis diceret purgationem.

QVISQVE SVOS PATIMVR MANES. Supplicia quæ sunt apud manes: ut si quis dicat judicium patimur, & significet ea quæ in judicio continentur. Est & aliud verius. Nam cum nascimur, duos Genios sortimur. Vnus est qui hortatur ad bona: alter qui depravat ad mala. quibus assistentibus post mortem, aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo MANES, Genios dicit: quos cum vita sortimur. EXINDE. Vna pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet; licet penultima longa sit. Quod ideo factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis, ne præpositio jungeretur adverbio, quod vitiosum esse non dubium est.

PAVCI LÆTA ARVA TENEMVS. Non omnes. Qui enim minus purgantur, statim redeunt ad corpora.

DONEC LONGA DIES PERFECTO TEMPORIS ORBE. Quia etiam post purgationem opus est tempore, ut perseveret in purgatione: & sic redeat. Et quæritur utrum animæ per Apotheosin (de quibus ait, *Pauci læta arva tenemus*) possint mereri perpetuam purgationem, quod non potest fieri. *Merentur* enim temporis multi, non perpetuitatis: & quæ male vixerunt, statim redeunt: quæ melius, tardius: quæ optime diutissimo tempore sunt cum numinibus. Paucæ tamen sunt quæ & ipsæ exigente ratione, licet tarde, coguntur reverti. PERFECTO TEMPORIS ORBE. Finito legitimo tempore.

CONCRETAM. Affixam & inhærentem. ÆTHERIVM SENSVM. Syderum πῦρ νοερόν. IGNEM. Sensualem: id est Deum, per quod quid sit anima, ostendit. AVRAI SIMPLICIS IGNEM. Non urentis. *Simplicis* autem, nostri comparatione: qui constat de ligno & aëre. Ille enim per se plenus est & æternus, quia simplex. Omnia enim σύνθετα, id est composita, exitum sortiuntur. Vnde & atomos, perpetuas dicunt, quia simplices sunt, nec recipiunt sectionem.

HAS OMNES. Ac si diceret etiam has omnes. Nam supra non omnes dixit: sed *Animæ quibus altera fato Corpora debentur.* ROTAM VOLVERE PER ANNOS. Exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. Est autem sermo Ennii.

DEVS EVOCAT. Non dicit quis, sicut supra, *Dii quibus imperium est animarum.* sed alii Mercurium volunt propter hoc, *Animas ille evocat Orco Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit.* Et est ratio. nam νοῦς dicitur, id est sensus: quo Philosophiam, quæ hæc indicat, intelligimus: quia ipse etiam invenit literas. AGMINE MAGNO. Impetu: & dictum est imperative [illegible]. Non enim blanditiis inductæ redeunt: sed necessitate quadam coguntur, ut potantes velint reverti.

IMMEMORES. Vel præteritorum, vel futurorum.

DONATI.

QVISQVE SVOS PATIMVR MAN. Nam si bonus ad inferos venit, bonos patitur manes: si malus, malos. EXINDE. Post exanimationem. AMPLVM. Vt ostendat non illis paucis paratam esse latitudinem hanc, sed pluribus, modo ita vivant, ut illuc venire mereantur: sed quia pauci mereantur, pauci diffusam latitudinem merentur.

LONGA DIES. Longo tempore est opus, ut fiat talis purgatio, qualis fuit, antequam in corpus perveniret.

QVISQ. SVOS, &c. Expl. Turn l.22.c.1.& l.28.c.46.

Dixe-

Digitized by Google

Dixerat Anchises: natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque sonantem;
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit
Adversos legere, & venientum discere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria: qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustreis animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget,
Sylvius, Albanum nomen, tua posthuma proles.

SERVII.

DIXERAT ANCHISES. Antedicta de reversione animarum probatio huc retendit, ut celebret Romanos, & præcipue Augustum. Namque qui bene considerant, inveniunt omnem Romanam historiam ab Æneæ adventu, usque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium. Quod ideo latet: quia confusus est ordo. Nam eversio Ilii, & Æneæ errores, adventus, bellumque manifesta sunt: Albanos reges, Romanos etiam consules, Brutos, Catonem, Cæsarem, Augustum, & multa ad historiam Romanam pertinentia hic indicat locus. Cætera quæ hic intermissa sunt, in ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ commemorat. Vnde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non Æneidem, sed gesta populi Romani. Quod ideo mutatum est, quia nomen non à parte, sed à toto debet dari.

TVRBAMQVE SONANTEM. Aut quæ tunc propter festinationem sonabat, aut *turbæ* perpetuum est epitheton.

LONGO ORDINE Non quo nati sunt: sed quo apud Inferos stabant. Non enim eo, quo regnarunt, dicturus est ordine.

ADVERSOS LEGERE. Considerare, relegere.

DARDANIAM PROLEM. Albanos reges, qui tredecim fuerunt de Æneæ & Laviniæ genere. Vnde ait, *Itala de gente.*

ILLVSTREIS. Hoc nomen notitiæ fuit, non meriti. Vnde etiam in meretricibus invenitur. Nam & nobiles & illustres vocantur. IN NOMEN ITVRAS. In gentem, ut Statius, *Nomen Echionium matrisque genus Peridiæ.*

ILLE (VIDES) PVRA IVVENIS QVI NITITVR HASTA. Æneas, ut Cato dicit simul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem: propter quod Turnus iratus, tam in Latinum, quam in Æneam bella suscepit, à Mezentio impetratis auxiliis. Quod & ipse ostendit dicens, *Se satis ambobus, Teucrisque venire Latinisque.* Sed ut supra diximus, primo bello periit Latinus. Secundo pariter Turnus & Æneas. Postea Mezentium interemit Ascanius, & Laurolavinium tenuit. cujus Lavinia timens insidias, gravida confugit ad sylvas: & latuit in casa pastoris Tyri. Ad quod alludens ait, *Tyrusque pater, cui regia parent Armenta.* Et illic enixa est Sylvium. Sed cum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam, & ei concessit Laurolavinium: sibi vero Albam constituit. qui quoniam sine liberis periit, Sylvio, qui & ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. Vnde apud Livium est error qui Ascanius Albam condidit * Postea Albani omnes reges, dicti Sylvii sunt ab hujus nomine: sicut hodieque Romani imperatores, Augusti vocantur: Ægypti, Ptolemæi: Persæ, Arsacidæ: Latini, Murrani: ut, *Murranum hic atavos & avorum antiqua sonantem Nomina, per regesque actum genus omne Latinum.* PVRA IVVENIS QVI NITITVR HASTA. Id est sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio: sicut ait Varro in libris de gente pop. Rom.

SYLVIVS, ALBANVM NOMEN. Quia omnes Sylvii dicti sunt. TVA POSTHVMA PROLES. Posthumus est post humationem parentis creatus. Per hoc autem Æneam cito ostendit esse periturum, & statim infert consolationem dicens,

DONATI.

NVNC AGE. Proponit se dicturum prolem Trojanam, & nepotes: inde ex Italo sanguine commixtos: & fata sua: ergo exequitur specialiter quos generaliter in primo libro tetigit.

PVRA. Sine ferro: quod sit signum pacis, & non belli.

VARIORVM.

CONVENTVS TRAHIT IN MEDIOS. Stridere etiam animas Homerus dixit. Turneb. lib. 28. cap. 46.

PVRA NITITVR HASTA. Id est incruenta: vel *hasta pura*, quæ sine ferro est: sicut & locus purus, non ædificatus, ut area. Et infra, *puro ut possent concurrere campo*, hoc est, non impedito. Antiquis pura hasta & parma alba, insignia indiciaque erant tyronum. Turneb. lib. 29. cap. 1. GERMAN.

TVA POSTHVMA PROLES. Per sequentia explic. Turneb. lib. 28. cap. 1. *Nomen albanum*, pro homine. Aul. Gellius, lib. 2. cap. 16. Noct. Attic. Canterus lib. 1. c. 10. Novar. Franc. Luisinus, lib. 1. cap. 4. Ian. Parrhasius Epist. 34. Tom. 1. Lampad.

Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumque parentem:
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille, Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddet,
Sylvius Æneas: pariter pietate, vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, aspice, vires.
At qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum & Gabios, Vrbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pometios, Castrumque Inuï, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin & avo comitem sese Mavortius addet

SERVII.

QVEM TIBI LONGÆVO. Id est Deo. *Ævum* enim proprie æternitatis est: quæ non nisi in deos venit. Ennius, *Romulus in cœlo cum diis genitalibus ævum Degit.* Male autem vindicavit usus: per quem dixit, *Longævosque senes.*

VNDE. A quo: ut, *Genus unde Latinum.* Nam posteri ejus fuerunt: qui postea apud Albam regnaverunt civitatem.

PROXIMVS ILLE PROCAS. Standi ordine, non nascendi. Nam sextus est rex Albanorum. Item Numitor tertiusdecimus fuit.

SI VNQVAM REGNANDAM ACCEPERIT ALBAM. Æneas scilicet Sylvius. Et hic ostendit omnes Albanos reges, Sylvios dictos. Recepit autem à tutore, qui ejus invasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiæ per transitum tetigit.

CIVILI TEMPORA QVERCV. Civica debuit dicere: sed mutavit. At econtra Horatius, *Motum ex Metello consule civicum*, pro civilem. Querceam autem coronam accipiebant, qui in bello civem liberassent: ideo quia ante caussa vitæ in hac arbore hominibus fuit, qui glandibus vescebantur. Aliæ enim erant murales: aliæ agonales, id est lemniscatæ. Muralis dabatur ei, qui prior murum ascendisset.

HI TIBI NOMENTVM, ET GABIOS. Hæ civitates sunt priscorum Latinorum ab Albanis regibus constitutæ: quanquam Collatiam Tarquinius constituisse dicatur: qui ut erat superbus, eam ex collata pecunia constituit. Vnde & Collatia dicta est. Potest tamen fieri ut ab Albanis fundata sit, aucta à Tarquinio, sicut supra de Tarento diximus, quod Taras fecit, auxit Phalantus. Romam etiam Romulus fecisse dicitur, quam ante Euander condidit: ut, *Tunc pater Euandrus Romanæ conditor arcis.* VRBEMQVE FIDENAM. Fidenæ dicuntur, ut Thebæ: sed dixit ut Iuvenalis, *Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.* Nam varietati studet. Vnde etiam ait *Pometios*, cum dicatur numero singulari Pometia.

CASTRVMQVE INVI. Vna est in Italia civitas: *Castrum novum* dicitur. De hac autem ait, Castrum Inui, id est Panos, qui illic colitur. Inus autem Latine appellatur, Græce πὰν. Item ἐφιάλτης Græce, Latine incubo. Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inus ab ineundo passim cum omnibus animalibus. Vnde & Incubo dicitur. CASTRVM autem civitas est. Nam castra numero plurali dicimus: licet legerimus in Plauto, *Castrum pœnarum*: quod etiam diminutio ostendit. Nam castellum dicimus. NVNC SVNT SINE NOMINE TERRÆ. Atqui in Catalogo hinc est dicturus aliquas civitates: sed ex persona sua præoccupat.

QVIN ET AVO COMITEM SESE MAVORTIVS ADDET ROMVLVS. Amulius, & Numitor fratres fuerunt, sed Numitorem regno Amulius pepulit: & Iliam ejus filiam, sacerdotem Vestæ fecit. De hac & Marte, nati sunt Remus & Romulus; qui cum adolevissent, occiso Amulio, Avum Numitorem in regnum revocarunt: & cum eo uno anno regnaverunt. Postea propter angustias imperii, Romam captatis auguriis condiderunt. Ergo avo se addet comitem: aut avito se junget imperio, aut certe secundum Ennium, refertur inter deos cum Ænea. Dicit namque Iliam fuisse filiam Æneæ quod si est, Æneas avus est Romuli. Vnde etiam addidit,

DONATI.

CIVILI TEMPORA QVERCV *Civilem* dixit ,estam, pacificam, ut est laurus & oliva.

VARIORVM.

AT QVI VMBRATA GERVNT CIVILI TEMPORA QVERCV. Vide Gellium lib. 5. c. 6. Alex. ab Alexandr. lib. 4. cap. 18. Lips. de Milit. Rom. lib. 5. dialog. 17.

Romu-

Romulus; Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet: viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperum jam ſignat honore?
En hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo:
Septemque una ſibi muro circumdabit arces:
Felix prole virûm: qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omneis cœlicolas, omneis ſupera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc aſpice gentem,
Romanoſque tuos: hic Cæſar, & omnis Iüli
Progenies, magnum cœli ventura ſub axem.

SERVII.

ASSARACI. Nam hoc epitheton non ſine cauſſa eſt introductum: quod eſt proprium Æneæ. Nam Aſſaracus pater eſt Capyos, Capys Anchiſæ, Anchiſes Æneæ.

VIDEN.' DEN naturaliter longa eſt. Brevem tamen eam poſuit ſecutus Ennium: & adeo ejus eſt immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. GEMINÆ STANT VERTICE CRISTÆ. Omnino in omnibus hoc egit Romulus, ut cum fratre regnare videretur, ne ſe reum parricidii judicaret. Vnde omnia duplicia habuit quaſi cum fratre communia. Etenim ad captanda auguria montem Palatinum Romulus tenuit: Aventinum Remus, qui prior ſex vultures vidit: poſtea Romulus duodecim. Et cum ille tempore, ille numero de condenda urbe certarent, orta contentione de urbis nomine inter exercitum, à Romuli militibus Remus occiſus eſt. Fabuloſum enim eſt, quod à fratre propter muros dicitur interemptus.

ET PATER, IPSE SVO SVPERVM IAM SIGNAT HONORE? Merito virtutis Mars Romulum deum eſſe ſignificat. Superum enim accuſativus eſt ſingularis, ab eo quod eſt ſuperus ſuperi. ILLA. Quam tibi ſæpe fata promiſerunt. INCLYTA. Græcum eſt. Nam κλυτὸν glorioſum dicunt.

IMPERIVM TERRIS. In quantum tenditur terra. ANIMOS ÆQVABIT OLYMPO. Magnanimitate æquabitur cœlo. De hoc autem loco & Trogus & Probus quærunt.

SEPTEMQVE VNA SIBI MVRO CIRCVNDABIT ARCES. Bene urbem Romam dicit ſeptem incluſiſſe montes, & medium tenuit. Nam grandis eſt inde dubitatio: & alii dicunt breves ſeptem colliculos à Romulo incluſos, qui tamen aliis nominibus appellabantur. Alii volunt hos ipſos, qui nunc ſunt, à Romulo incluſos, id eſt Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Cœlium, Viminalem, Æſquilinum, & Ianicularem. Alii vero volunt hos quidem fuiſſe, aliis tamen nominibus appellatos: quæ mutata ſunt poſtea, ut de omnibus tebus legimus fieri, ut de multis locis, & de fluminibus legimus: ut ſæpius, *Et nomen poſuit Saturnia tellus.*

PROLE VIRVM. Virorum fortium. QVALIS BERECYNTHIA MATER. Phrygia. Nam Berecynthos, caſtellum eſt Phrygiæ juxta Sangarium fluvium: ubi mater deûm colitur. Per hanc autem comparationem nihil aliud oſtendit, niſi Romanos duces inter deos eſſe referendos.

TVRRITA. Vel quia ipſa eſt terra, quæ urbes ſuſtinet.

HVC GEMINAS NVNC FLECTE ACIES. Totum viſum tuum huc dirige, & huc ſpecialiter intuere, ſic Aſper.

HIC CÆSAR, ET OMNIS IVLI PROGENIES. Vt, *Iulius à magno demiſſum nomen Iulo.*

COELI VENTVRA SVB AXEM. Nam cum Auguſtus patri Cæſari ludos funebres exhiberet: ſtella per diem apparuit, quam perſuaſione Auguſti, Cæſaris eſſe populus credidit. Hinc eſt, *Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.* SVB AXEM ergo, id eſt ad divinos honores.

DONATI.

VIR. Vir hic ad ſimilitudinem Saturni regnabit? ex quo illud videtur aſtruere, quod felicitas regnandi generi ejus attributa videatur.

VARIORVM.

ÆQVABIT OLYMPO. Prov. *Quinto vix cælo capi poſſit.* HART.

SEPTEM CIRCVNDABIT ARCES. Ab aliis colles, aut montes dicti, qui circuitu civitatis continentur, unde *ſepticollis* Roma vocatur. Laus ergo eſt à ſitu & amplitudine loci: non enim civitas non fortis eſſe poteſt, quæ ſeptem arces habet. NASC.

FELIX PROLE VIRVM, QVALIS BEREC. Hic non dubie Maro Berecynthiæ Romam aſſimilat, tanquam Deam Deæ, Romæ ſcilicet conſecrationem & apotheoſin reſpiciens, quæ & delubrum habebat, & pro Dea colebatur. GERMAN.

Huc

Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, divûm genus: aurea condet
Secula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam: super & Garamantas & Indos
Proferet imperium. jacet extra sydera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Hujus in adventu jam nunc & Caspia regna
Responsis horrent divûm, & Mæotica tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Placârit nemora, & Lernam tremefecerit arcu:
Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

SERVII.

HIC VIR, HIC EST. C litera pro duplici, non nisi in monosyllabis habetur: ut, *Hoc erat alma parens.* Per eorum scilicet privilegium. Vnde falsum est quod Terentianus dicit, eam pro metri ratione vel duplicem haberi vel simplicem. Nam si hoc esset, etiam in dissyllabis, pro duabus haberi debuerat, quod nusquam invenimus. Literæ enim naturam servari, & in polysyllabis convenit.

DIVVM GENVS. Cæsaris, qui factus est deus. Genus autem dicit non solum jure adoptionis, sed consanguinitatis. Nam Octaviæ filius fuit, quæ erat soror Cæsaris. Hic autem, Augustus Cæsar, hoc nomen accepit à patre adoptivo. Nam ante Octavianus dictus est à patre Octavio.

SECVLA QVI RVRSVS LATIO. Sub Saturno dicit aurea secula fuisse in orbe terrarum, sub Augusto tantum in Italia.

GARAMANTHAS. Populi inter Libyam & Africam juxta κεκαυμένην. INDOS. Populi orientis extremi.

IACET EXTRA SYDERA TELLVS. Nulla terra est quæ non subjaceat syderibus. Vnde perite addidit, EXTRA ANNI SOLISQVE VIAS: ut ostenderet duodecim signa, in quibus est circulus Solis. Significat autem Maurorum Æthiopiam, ubi est Atlas: de qua ait Lucanus, *Æthiopumque solum: quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, nisi poplite lapso Vltima curvati procederet ungula tauri.*

TORQVET. Sustinet. APTVM. Vicinum, ut diximus supra.

IAM NVNC ET CASPIA REGNA. Fines Assyriorum, in quibus sunt πύλαι Caspiæ. Quod autem dicit verum est. Nam & Suetonius ait in vita Cæsaris, responsa esse data per totum orbem nasci invictum imperatorem:

MOEOTICA TELLVS. Scythica, cujus palus est Mæotis.

TVRBANT. Turbantur. SEPTEM GEMINI autem, septem fluvii.

FIXERIT ÆRIPEDEM CERVAM. Pro æripedem. Vicit autem Cerinitim cervam dictam à loco. FIXERIT autem *statuerit.*

ERYMANTHI PLACARIT NEMORA. Mons Arcadiæ ubi aper ferocissimus fuit.

LERNAM TREMEFECERIT ARCV. Pro Hydra paludem ipsam posuit; & intelligamus ante eam sagittis fuisse confixam: post exsectam & adustam.

NYSÆ DE VERTICE. Mons est Indiæ de quo loquitur. Cæterum est & Nysa civitas, in qua Liber colitur. Vnde Nyseus dictus est.

DONATI.

SVPER & GARAMANTHAS & INDOS. Faciet id, quod Saturnus in Italia: atque insuper pacabit ipsum orbem.

ANNI & SOLIS. *Annum* pro nocte, *Solem* pro luce posuit. Vult ergo aliquid ulterius etiam esse Poëta, quod Sol nesciat, & mundus excludat. Ergo melius Cæsar, qui ad tantum spatium, imperium proferet quam Saturnus, qui in sola regnavit Italia.

NEC VERO ALCIDES. Nunc comparat illum Herculi, deinde Libero patri, qui ambo plurima loca superarunt. Laudat ergo alios, ut potiorem Cæsarem faciat. Sic assentator ille Terentianus Gnato, cum dictum esset: *Magnas vero gratias Thais.* *Mihine?* respondit, *ingentes*: ut æstimationem audentius assentatione etiam superaret. nam si *magnas* respondisset, non promerebatur patrocinium.

VARIORVM.

ARCEM HVMERO TORQVET. Ex Ennio, Macrob. lib. 6. c. 1. Saturn.

FIXERIT ÆRIPEDEM. Pro Aëripidem. Brodæus lib. 2. c. 29. Misc.

Et

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani: primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Missus in imperium magnum. cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & Tarquinios reges, animamque superbam

SERVII.

ET DVBITAMVS. Pro dubitas. Miscuit personam suam. Est autem sensus, Cum tibi sit tanta præparata posteritas, dubitas virtutem factis extendere, id est gloriam?

AVT METVS. Est aliquis timor, qui te regnis Italiæ revocet?

QVIS PROCVL ILLE AVTEM. Nunc redit ad Romanos reges, qui septem fuerunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. Mira autem utitur phantasia: ut quasi ostendat se non agnoscere eum qui de gente Romana non fuerat. Romulo enim mortuo cum anno senatus regnasset per decurias: tædiosum visum est, & quæsitus est rex. Sed cum in urbe nullus idoneus esset inventus, orta est bona Pompilii fama, quod esset apud Cures civitatem Sabinorum. Rogatus itaque per legatos accepit imperium: qui ferociam populi à bellis ad sacra contulit. Vnde etiam Numa dictus est ἀπὸ τῶν νόμων ab inventione & constitutione legis. Nam proprium nomen Pompilius habuit. Hic etiam canus fuit à prima ætate: ad quod alludens ait, *Incanaque menta*. Item propter sacerdotium, *Ramis insignis olivæ*.

OCIA QVI RVMPET PATRIÆ. De hoc Livius, *Inde Tullum qui ferocior Romulo fuit, quam Numæ similis*. RESIDES. Pigros, ociosos, nimium sedentes.

DESVETA TRIVMPHIS. A consuetudine triumphandi dissuescentia.

IACTANTIOR ANCVS. Amans populi favorem. hic Ostiam fecit. ANCVS autem dictus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est à cubito, quem incurvum habuisse dicitur.

AVRIS Favoribus. Vnde & aurarii dicuntur favitores.

VIS ET TARQVINIOS REGES, ANIMAMQVE SVPERBAM. Vnus enim de Tarquiniis fuit superbus.

DONATI.

ET DVBITAMVS. Fuit ornamenti, quo impelleret filium, ne frangeretur tarditate veniendi

QVIS PROCVL ILLE VIRVM? Multa dat signa, ut cognoscatur in multitudine. Magna autem laus, ut per modicas vires ad magnum tendat imperium.

IACTANTIOR. Iactat se, quisquis plurimum sibi arrogat.

POPVLARIBVS AVRIS. Hi sunt favores populi, quos non quærunt sapientes.

VARIORVM.

ET DVBITAMVS ADHVC VIRTVTEM EXTENDERE F. Ecphonesis, qua exhortatur Æneam ad virtutem, spe & exspectatione tantæ posteritatis, ne bellorum tumultibus perculsus, animum abiiciat: sed tanti imperii præsenti fortuna erectus, ferro Italiæ possessionem sibi vendicet. Hortatur autem eum ad virtutem, à fortuna, exspectatione amplissimi imperii & loci nobilitate. Iam vero & interrogationibus inest negationis vis: Nemo dubitet virtute ad gloriam grassari: nec ullus metus te à capessenda Italia absterreat. Estque clausula laudum Cæsaris Augusti. HORTENS.

QVIS PROCVL ILLE A. Crinitus lib. 4. c. 15. & lib. 22. c. 3. de Honest. discipl.

RAMIS INSIGNIS OLIVÆ. Quia bella non gessit, sed religioni intentus, sacra, ceremoniasque multas instituit, ideo & ait *sacra ferens*. Livius, Plutarch. & alii. NASCIMB.

NOSCO CRINES, INCANAQVE MENTA. Numa canus ab ætate prima, quo respexit Virgilius. Strabo auctor gravissimus Tarquinium refert à pueritia fuisse canescentem. Crinit lib. 4. cap. 15. vel *incana menta*, id est valde cana, quia octuaginta natus annos decessit. Cælius lib. 24. cap. 5.

PRIMVS QVI LEGIBVS. Ald. Manut. de Quæsit. per Epist. lib. 1. Epist. lib. 1. Ep. 1

CVRIBVS PARVIS. Oppido Sabinorum, ubi natus erat Pompilius. adeas Dionysium & Livium. NASCIMB.

OCIA QVI RVMPET PATRIÆ. Nam otium sub Numa Pompil. rege, animos Romanorum effœminarat, cum bella non gererent. NASC.

Digitized by Google

Vltoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus, sævasque secures
Accipiet: natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,
Infœlix. utcunque ferent ea fata minores:
Vincet amor patriæ laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

SERVII.

VLTORIS BRVTI, FASCESQVE VIDERE RECEPTOS? Vis videre etiam ultoris Bruti fasces receptos? Historia autem hoc habet, Tarquinius ob multa quidem, Superbus est dictus: præcipue tamen ob hanc caussam: Mandavit aliquando cuidam satelliti, ut cujusdam oppidi omnes principes interimeret. Profectus ille grandem multitudinem reperit. Quod cum ei renuntiasset deambulanti cum virga in hortis: detractans ille responsioni, capita decussit papaverum, ut satelles quid fieri vellet, agnosceret. Hujus filius vitiavit nobilissimam matronam Lucretiam. Quod illa dolens, se interemit. Tunc ejus avunculus Brutus rapto ex ejus corpore gladio processit ad populum: & de hac re concionatus est. Quo facto omnibus placuit, ne reciperetur rex, qui tunc Ardeam expugnabat. Propter quod se Tarquinius cum liberis ad Porsennam regem Tusciæ contulit: & bellum gessit gravissimum contra populum Romanum. Tunc duo creati sunt consules, Brutus & Tricipitinus pater Lucretiæ, qui & Tarquinius dicebatur: ob quod solum est urbe depulsus: & in ejus locum subrogatus est Valerius Publicola: quo mortuo item alter est factus: & alter similiter. Quod cernens tædiosum esse Virgilius Brutum solum posuit, qui annum solus implevit. Sed Bruti filii amici erant filiis Tarquinii: cum quibus cum iniissent consilium, ut eos per noctem intromitterent, proditi sunt à servo Vindicio: & à patre interempti sunt. Ideo ergo *ultoris*, scilicet & libertatis publicæ, & Lucretiæ pudoris.

SÆVASQVE SECVRES. Quæ sævierant etjam contra liberos.

PVLCHRA PRO LIBERTATE. Ingenti arte loquitur consyderatione personarum. Factum enim laudat dicens, *pulchra pro libertate*: personam vituperat.

VTCVNQVE FERENT EA FACTA MINORES. Etiamsi lauderis à posteris, non extorquere vim naturæ debet amor patriæ.

QVIN DECIOS. Quinimo Decios respice. Hi duo fuerunt qui Mures dicti sunt: pater & filius. Horum alter se bello Gallico, alter Samnitico vovit pro republica, cum terra & mari universum bello vellent exercitum perdere. DRVSOSQVE PROCVL. Et hi duo fuerunt. Horum prior vicit Hasdrubalem. Alter est filius Iuliæ sororis Augusti.

SÆVVMQVE SECVRI ASPICE TORQVATVM. Hic Gallum quendam in ponte Anienis, singulari certamine superavit, & ejus sibi torquem imposuit: unde nomen accepit. Hic ad urbem pergens, præcepit filio ut tantum castra metaretur: ille provocatus ab hostibus nacta occasione victoriam consecutus est. Reversus postea pater laudavit fortunam populi Romani: sed filium, ut dicit Livius, *Fustuario supplicio necavit*. Ergo *sævum securi*, sævum jure occidendi, non ferri genere. Nam securi non animadvertit in filium.

REFERENTEM SIGNA CAMILLVM. Brenno duce, Galli apud Alliam fluvium deletis legionibus everterunt urbem Romam absque Capitolio: pro quo immensam pecuniam acceperant. Tunc Camillus absens Dictator est factus: cum diu esset apud Ardeam in exilio propter Vejentanam prædam non æquo jure divisam: & Gallos jam abeuntes secutus est. quibus interemptis aurum omne recepit & signa. Quod cum illic appendisset, civitati nomen dedit. Nam Pisaurum dicitur, quod illic aurum pensatum est. Post hoc tamen factum rediit in exilium. Vnde rogatus, reversus est.

FVLGERE. Ab eo quod est fulgo fulgis.

DONATI.

SÆVASQVE SECVRES, INFELIX. Quamvis ob commodum publicum te laudent, tamen infelix eris propter natos cæsos.

VARIORVM.

AD POENAM PVLCHRA PRO LIBERTATE. V. I. Bruti factum occulte commendat, quia pro libertate fit: personam perstringit, quia pater est. denique movet commiserationem per locum communem à fortuna, quod in eam calamitatem pater inciderit, ut liberos suos necare, coactus fuerit. NASCIMB.

INFELIX: VTCVNQVE FERENT. Tanta fuit priscis patribus in liberos potestas, ut in eos citra judicium capitaliter constituere possent. Vide Valer. lib. 5. cap. 8. Eam tamen effusam potestatem revocatam constat lege *Inauditum*. ff. *ad lex. Cornel. de sicar.* nec id temere, cum & in servos crudum immaneque dominorum imperium coërcitum humanitate legum fuerit. GERMAN.

VTCVNQVE FERENT EA FATA MINORES. Alii FACTA legunt. Quia factum Bruti, non æque ab omnibus acceptum fuerat, attamen major pars ei annuebat; quia etsi severe, tamen juste ac utiliter pro patriæ libertate fecerat: unde & gloriam reportabat. NASCIMB.

Illæ

Digitized by Google

Illæ autem paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis:
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas:
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achillei,
Vltus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.

SERVII.

ET DVM NOCTE PREMVNTVR: Bene allusit. Nam concordiam in humilitate tenuerunt: cum nobilitate vero in bella venerunt.

AGGERIBVS SOCER ALPINIS. A munimentis Alpium Hæc enim Italiæ murorum exhibent vicem. Socer vero quia Pompeius habuit Iuliam filiam Cæsaris, quæ in partu periit. Vnde etiam isti inter se facile dimicare potuerunt. ARCE MONŒCI. De Liguria ubi est portus Monœci Herculis. Dictus autem μόνοικος, vel quod pulsis omnibus illic solus habitavit: vel quod in ejus templo nunquam aliquis deorum simul colitur: sicut in Iovis, Minerva & Iuno: in Veneris, Cupido.

ADVERSIS INSTRVCTVS EOIS. Orientis enim auxiliis est usus.

ASSVESCITE BELLA. Mire dictum. Ab ipsis enim quasi consuetudinem fecit populus Romanus bellorum civilium. Septies enim gesta sunt à Cæsare contra Pompeium in Thessalia. Item contra ejus filium magnum in Hispania. Item contra Iubam & Catonem in Africa. Mortuo Cæsare ab Augusto contra Cassium & Brutum in Philippis civitate Thessaliæ. Contra Lucium Antonium in Perusia Tusciæ civitate. Contra sextum Pompeium in Sicilia: Antonium & Cleopatram in Epiro.

TVQVE PRIOR, TV PARCE. Cæsari dicit, quem clementem circa Pompejanos legimus: cui vult tunc hoc esse mandatum.

ILLE TRIVMPHATA CAPITOLIA AD ALTA CORINTHO. Mummium significat.

IPSVMQVE ÆACIDEN. Necesse est ut ILLE subaudiamus. Pyrrhum enim quem Æaciden dicit, Curius & Fabricius vicerunt ferentem Tarentinis auxilium. Hic postea fugit in Græciam, & illic est occisus in templo. Argos vero & Mycenas alii vicerunt.

VLTVS AVOS. Aut hic distinguendum: ut sit, Trojæ Minervæ, pro Trojanæ: principale pro derivativo. Aut certe *avos Trojæ*: non quos Troja habuit avos: sed qui de Troja fuerunt, id est avos Trojanorum.

DONATI.

PVERI. Nam quisque cum nascitur, puer est. Tanquam autem optimus pater, recte consulit posteris, eosque sapienter admonet.

VLTVS AVOS TROIÆ. Vehementer reficit animum filii, interitum Græciæ & ultionem Trojæ promittens.

VARIORVM.

PARIBVS QVAS FVLGERE CERNIS, &c. Transit ad Cæsarem & Pompejum, quorum facta, id est bella civilia circumstantiis exaggerat, personis, loco, magnitudine factorum, cum ingenti miserationis affectu. *Paribus* autem *armis* dixit, quia ambo Romani, & amborum paria armorum insignia erant, ut Lucan. 1. *Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.* Iam illud, *dum nocte premuntur*, non simpliciter dictum est, sed alludit Poëta ad utriusque fortunæ obscuritatem. Nam dum Cæsar & Pompejus humiles extiterunt, concordi inter se voluntate fuerunt: ubi vero rerum gestarum gloria clarere ceperunt, tunc maxime animos attollere, & tyrannidem affectare ceperunt. NASCIMB.

FVLGERE. Enallage conjugationis: ut supra, Fervere. HART.

SI LVMINA VITÆ ATTIGERINT. Sunt tamen qui hic *limina vitæ* malint, cum Lucretio: *vitæ cum limen iniret*: & *limen vitæ*. *Decurrere* enim *limen* transfertur elegantius à spatio & curriculo hippodromi, ut partem pro toto accipiamus. GERMAN.

AGAMEMNONIASQVE MYCENAS. Aul. Gell. lib. 10. cap. 16. HART.

Quis te, magne Cato, tacitum aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ parvoque potentem
Fabricium? vel te sulco Serrane serentem?
Quo fessum rapitis Fabii? tu Maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt caussas melius; cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem;
Parcere subjectis, & debellare superbos.

SERVII.

MAGNE CATO. Censorium dicit, qui scripsit historias: multa etiam bella confecit. Nam Vticensem præsente Augusto, contra quem pater ejus & dimicavit, & Anticatones scripsit, laudare non poterat. Supra autem Minervæ templa temerata per stuprum Cassandræ dicit. COSSE RELINQVAT? Cossus tribunus militum consulari potestate fuit. Hic regem Tuscorum Lartem Tolumnium à loco dictum, occidit: & secunda post Romulum opima spolia revocavit. Erit autem nominativus hic Lar, hujus Lartis.

QVIS GRACCHI GENVS? Gracchos seditiosos constat fuisse, Nobiles tamen genere. Namque per Corneliam, nepotes Scipionis Africani fuerunt. Vnde Iuvenalis ad eam. *Tolle tuum precor Hannibalem.* Ergo Scipiones dicit per Gracchi genus. Duo autem fuerunt: major Africanus, Æmilianus minor, qui obsidione Carthaginis ab Italia revocavit Hannibalem.

SCIPIADAS. Hi gemini fratres fuerunt: qui cum fortissime dimicarent in Hispania apud Carthaginem novam, quæ Spartaria dicitur, insidiis interempti sunt. CLADEM LIBYÆ. Scipiones.

FABRICIVM. Paupertate gloriosum. Hic est qui respondit legatis Samnitum aurum sibi offerentibus, Romanos non aurum habere velle, sed aurum habentibus imperare. SERRANE SERENTEM. Attilius quidam senator fuit, qui cum agrum coleret, evocatus propter virtutem meruit dictaturam. Serranus autem, à serendo dictus est.

QVO FESSVM RAPITIS FABII? Cur me ò Fabii fessum ad vestram trahitis narrationem? Aut certe *fessum* tristem: ut, *Ter fessus valle resedit*, scilicet propter eorum mortem. Nam trecenti sex fuerunt de una familia: qui conjurati cum servis & clientibus suis contra Veientes dimicarunt, & insidiis apud Cremeram fluvium interempti sunt. Vnus tantum superfuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in civitate remanserat. Hic postea cum Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit, & ad Campaniam traxit. Vbi deliciis Carthaginensium virtus obtorpuit. Notandum est de secunda persona dictum. Ille autem est, de quo ait Ennius, *Vnus qui nobis cunctando restituit rem.* Sciens enim Virgilius quasi pro exemplo hunc versum posuit.

EXCVDENS. Alii cudendo efficient: & est rhetoricus locus. SPIRANTIA. Animata. Horatius, *Et molles imitabitur ære capillos.*

VIVOS VVLTVS. Hoc est quod dixit *spirantia.* Et per æs, Corinthios indicat: per marmor, Parios: per actionem caussarum, Athenienses: per Astronomiam, Ægyptios & Chaldæos.

PACIS MOREM. Leges pacis.

VARIORVM.

DVO FVLMINA BELLI SC. Ex Lucretio, Macrob. lib. 6. c. 1. Saturn.

VEL TE SVLCO SERRANE. *Sulcos* legi vult Turn. lib. 19. cap. 17.

VNVS QVI NOBIS CVNCTANDO. Proverb. *Romanus sedendo vincit.* HART.

VNVS QVI NOBIS. Ex Ennio. Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn.

SPIRANTIA MOLLIVS ÆRA. Turneb. lib. 22. cap. 1.

VIVOS DE MARMORE VVLTVS. Turneb. lib. 14. cap. xi.

ORABVNT CAVSAS MELIVS. Athenienses designat. TAVBMAN.

HÆ TIBI ERVNT ARTES, PACISQ. &c. Nimirum civilis scientiæ totius potissimæ partes belli administrandi, pacisque tenendæ & utendæ ratione & solertia contineri videntur; cum bellum non alium finem quam sibi oppositam pacem spectare videatur, nec motus omnes bellici alio, quam in quietem desinere possint: unde non tantum voluit Poëta Romanum belli artibus præ cæteris gentibus, sed & pacis studiis & more excellere, ut assuetudine & institutione paci colendæ se dederet & consecraret. GERM.

PARCERE SVBIECTIS, &c. Typus veri principis. HART.

Sic

Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omneis.
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumque rebellem:
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Æneas (una namque ire videbat
Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis:
Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu)
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lachrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum.

SERVII.

SPOLIIS MARCELLUS OPIMIS. Hic Gallos & Pœnos equestri certamine superavit. Viridomatum etiam Gallorum ducem manu propria interemit, & opima retulit spolia, quæ dux detraxerat duci: sicut Cossus Larti Tolumnio.

SUPEREMINET OMNES. Virtutis scilicet genere. REM ROMANAM. Statum reipublicæ.

TURBANTE TUMULTU. Ideo tumultu, quia res in Italia adversus Gallos geritur.

SISTET. Confirmabit, corroborabit.

TERTIAQUE ARMA PATRI. Capta hic tertia, opima spolia suspendet patri, id est Iovi. CAPTA QUIRINO. Qualia & Quirinus ceperat, id est Romulus de Acrone rege Ceninensium: & ea Iovi suspenderat. Possumus, & quod est melius, secundum legem Numæ hunc locum accipere, qui præcepit prima opima spolia Iovi Pheretrio debere suspendi. quod jam Romulus fecerat. Secunda Marti, quod Cossus fecit. Tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Quirinus autem est Mars, qui præest paci: & intra civitatem colitur. Nam belli Mars extra civitatem templum habuit. Ergo aut suspendet patri, id est Iovi: aut suspendet patri Quirino. Varie de hoc loco tractant commentatores, Numæ legis immemores: cujus facit mentionem & Livius.

EGREGIUM FORMA JUVENEM ET FULGENTIBUS ARMIS. Tria sunt secundum Carminium: pulchritudo, ætas, virtus. Significat autem Marcellum filium Octaviæ sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem: & periit decimo octavo in Bajano cum ædilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit. Nam & affabilis fuit: & Augusti filius. Ad funeris hujus honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem jussit. hoc enim apud majores gloriosum fuerat. Etiam dabatur pro qualitate fortunæ. Nam Sylla sex millia habuit. Igitur cum ingenti pompa relatus, & in campo Martio est sepultus. Ergo modo in Augusti adulationem, quasi epitaphion ei dicit. Et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto & Octaviæ esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium: nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc ære gravi donatus est, id est massis. Nam sic & Livius argentum grave dicit, id est massas.

SED FRONS LÆTA PARUM. Omen est mortis futuræ. Ex contrario alibi, *Incipe parve puer risu cognoscere matrem.*

VIRUM QUI SIC COMITATUR EUNTEM. Marcellum, cui similis est.

QUIS STREPITUS. Propter ædilitatem. INSTAR: Similitudo: & est nomen quod non recipit præpositionem. Ad instar enim non dicimus, quod Probus declarat,

DONATI.

ATQUE HÆC MIRANTIBUS ADDIT. Transitus quidam, ne una & continua narratio tædiosa sit. Hinc enim generibus varietas nascitur, & quasi nova initia aliarum narrationum fiunt.

QUIS PATER ILLE VIRUM? Interrogat Æneas, cum admiretur formam juvenis & tristitiam in fronte, quis sit.

VARIORUM.

ASPICE UT INSIGNIS. Redit ad suorum nomenclaturam, & M. Marcellum imprimis extollit à præstantia rei militaris & à felicitate victoriæ, cujus etiam egregia facta breviter memorat, Hic Marcellus est, qui Romanorum ensis dictus est, qui primus Annibalem terga ostendere, & ex obsidione Nolæ turpiter recedere coëgit. NASCIMB.

MARCELLUS OPIMIS. Floridus lib. 2. de Cæsaris præstantia. HART.

Digitized by Google

Ostendent terris hunc tantum fata; neque ultra
Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ Tyberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabère recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos; nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera: non illi quisquam se impune tulisset
Obvius armato; seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere. sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.

SERVII.

OSTENDENT TERRIS HVNC TANTVM FATA. Parum illucescet: quia mox peribit.

VISA POTENS SVPERI. Cum indignatione dicit, Invidistis & gloriæ Romanæ, & vestris muneribus. Nam felicitas vestra sunt munera. PROPRIA. Perpetua: ut, *Propriamque dicabo.*

MAVORTIVS CAMPVS. In quo est sepultus.

FVNERA CVM TVMVLVM PRÆTERLABERE RECENTEM. Propter sexcentos lectulos.

IN TANTVM SPE TOLLET AVOS. Eriget generis antiquitatem. Et rhetorice spem laudat in puero, quia facta non invenit. Est autem Ciceronis in dialogo, *Fannii, causa difficilis laudare puerum. Non enim res laudanda, sed spes est.* NEC ROMVLA QVONDAM. Pro Romulea: ut, *Quos Africa terra triumphis Dives alit.* QVONDAM autem, potest & præteriti esse & futuri.

FODERET CALCARIBVS ARMOS. Species pro genere. *Equi armos* pro equo posuit. Non enim possunt *armi* calcaribus fodi.

FATA ASPERA RVMPAS. Posse aliqua ratione fata disrumpi, per transitum docet.

TV MARCELLVS ERIS. Talis qualis fuit Marcellus.

PVRPVREOS FLORES. Vt sæpe diximus, propter sanguinis similitudinem: quia aut anima, aut animæ est sedes. NEPOTIS. Posteri. Non enim re vera nepos fuit.

INANI MVNERE. Secundum Epicureos, non profuturo. SIC. Ista noscentes.

AERIS IN CAMPIS. Collisionem fecit. Locutus est autem secundum eos, qui putant Elysium lunarem esse circulum.

DONATI.

MANIBVS DATE LILIA. Affectum dolentis expressit dicendo, *date*: cum non essent præsto qui darent. MANIBVS PLENIS. Plena officia significat.

SIC TOTA PASSIM REGIONE VAGANTVR. Non complevit omnia quæ apud inferos agebantur. esset enim vitium si totum vellet suo carmine complecti, quia & longum & impossibile.

VARIORVM.

PROPRIA HÆC SI DONA. Nannius lib. 4. cap. 8. Iof. Castalio cap. 42. Variar.

NEC PVER ILIACA QVISQVAM DE GENTE. ὑπερβολικῶς Marcellum, omnibus qui futuri sunt de stirpe Romana pueris præfert. NASC.

IACTABIT ALVMNO. Iof. Castalio. pag. 603. Tom. 4. Lampad.

OBVIVS ARMATO. Illi cognatum, quod apud Homer. Odyss. 9. HART.

MANIBVS DATE LILIA PLENIS. Alludit, credo, Maro Marcellum lugens ad Græcorum morem, qui conspergere floribus sepulcra ante diem morte immatura interceptorum solebant, referentes ad momentanei vigoris & ævi brevitatem. Quamvis non inconsiderate alii ἄωρον τάφον sepulcrum exoletum, sentum & cariosum accipiant, ut quod renovare, interpolare, & floribus veluti fucare antiqui solebant. GERMAN.

AERIS IN CAMPIS L. Pro per inane. Turn. l. xi. c. 19.

Quæ

Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda;
Laurentesque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera, candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit.
Tum se ad Cajetæ recto fert littore portum.
Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.

SERVII.

INCENDITQUE ANIMUM. Nam supra ait, *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* EXIN. Deinde. Confert autem in compendium narrationis prolixitatem. Sic Terentius propter longum dictum ait, *Intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.*

SUNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ. Pro somniorum. Est autem in hoc loco Homerum secutus. Hoc tantum differt, quod ille per utramque portam somnia exire dicit: hic umbras veras, per quas somnia indicat vera, & poëtice apertus est sensus. Vult autem intelligi falsa esse omnia quæ dixit. Physiologia vero hoc habet. Per portam corneam oculi significantur, qui & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris, nam frigus non sentiunt: sicut etiam Cicero dicit in libris de natura deorum. Per eburneam vero portam os significatur à dentibus. Et scimus quia quæ loquimur, falsa esse possunt: ea vero quæ videmus, sine dubio vera sunt. Ideo Æneas per eburneam emittitur portam. Est & alter sensus, somnum novimus cum cornu pingi: & qui de somnis scripserunt, dicunt ea quæ secundum fortunam & personæ possibilitatem videntur, habere effectum: & hæc vicina sunt cornu. Unde cornea vera fingitur porta. Ea vero quæ supra fortunam sunt: & habent nimium ornatum, unaque jactantiam, dicunt falsa esse. Unde eburnea, quasi ornatior porta fingitur falsa.

FALSA INSOMNIA. Id est somnia. SECAT. Tenet. Unde sectas dicimus ab eo quod propositum non tenent.

AD CAIETÆ PORTUM. A persona poëtæ, Prolepsis. Nam Cajeta nondum dicebatur.

DONATI.

EXIN BELLA. Narravit primo læta, tristia prætermisit, præterquam de Marcello. deinde docuit quomodo quædam æquo animo ferre posset.

VIAM SECAT. Quid enim prius facere debuit, quam suos viseret?

RECTO LITTORE. Atqui nullum littus rectum: sed dicimus rectam vitam agere, quando nihil aliud agimus nisi iter continuum, & nullo alio actu illud rumpimus. nam cupida suorum mens, nihil aliud agere debuit. CAIETÆ. Ex persona Poëtæ loquitur. nam adhuc non erat Cajeta.

VARIORUM.

EXIN BELLA VIRO MEMORAT, &c. Longinquitatem narrationis in compendium confert: nimis enim longum fuisset, si omnia separatim recensere voluisset. NASC.

SUNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ. Ex Homero. Turneb. lib. 4. cap. 14. Muret. lib. xi. cap. 7. Pierius, lib. 59. Servium de cornu somni explic. Turneb. lib. 9. cap. 26. Vide Floridum lib. 2. Subsec. cap. 24. Macrob. lib. 1. cap. 3. Somn. Scip.

SUNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ. Macrob. lib. 1. cap. 3. Proverb. *Non quodvis contingit, quod ontáru.* Et Proverb. *Pluris valet oculatus unus testis.* Homerus Odyss. 19. Floridus lib. 2. cap. 24. de hac re.

ILLE VIAM SECAT AD NAVES. Expressit Euripidem in Phœnissis. Turneb. lib. 19. cap. 17.

ANCHORA DE PRORA JACITUR. Hom. Odyss. 1. ἐκ δ' εὐνὰς ἔβαλον. HAET.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

Tu quoque littoribus nostris Æneïa nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dedisti:
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.
At pius exequiis Æneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem: nec candida cursum

SERVII.

TU QUOQUE LITTORIBUS NOSTRIS ÆNEIA NUTRIX. Ut & in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est. Nam primi sex ad imaginem Odysseæ dicti sunt: quos personarum & allocutionum varietate constat esse graviores. Hi autem sex ad imaginem Iliadis dicti sunt, qui in negotiis validiores sunt. Nam & ipse hoc dicit, *Majus opus moveo.* & re vera tragicum opus est, ubi tantum bella tractantur. TU QUOQUE. Sicut Misenus, Palinurus etiam. NOSTRIS. Hoc est Italicis: ut, *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Non ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabilibus. ÆNEIA NUTRIX. Hanc alii Æneæ, alii Creusæ, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Trojanorum casu concrematam. Unde Cajeta dicta est, ἀπὸ τοῦ καίειν.

SERVAT. Tenet, possidet: ut, *Servantem ripas, alta non vidit in herba.* HESPERIA IN MAGNA. Propter Hispaniæ discretionem.

SI QUA EST EA GLORIA. Secundum Epicureos. Bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit: sicut interfuit ante quam descenderet, ut medium actum ostenderet.

QUIERUNT. Hebrus QUIERANT legit.

TENDIT ITER VELIS. Quia prout vela extensa fuerint, ita etiam cursus extenditur, in quo navis est iter. Nam ait supra, *Flecte viam velis.* Et aliud est iter velis tendere: aliud per vela iter. Et multi dicunt improprie dictum, multi nimium proprie. Constat tamen secundum illud dictum quod ait, *Flecte viam velis.* Quod si dicimus, bene procedit, Et, *tende viam velis*: ut in ipsis velis ratio sit vitæ.

ASPIRANT AURÆ IN NOCTEM. Quia ut diximus, temporum mutatione, ventus vel minuitur vel augetur. IN NOCTEM autem, circa noctem Et quotiens tempus exprimitur, accusativum regit ista præpositio.

DONATI.

TU QUOQUE Viderat apud inferos, quam necessarium esset defunctis sepulchrum. ergo ut pius nutrici illud instituit. Meruerat enim ipsa: quia tam pium, religiosum Romani imperii principem, prudentem, fortemque virum nutrierit. *Tu quoque* repete: inde & optime conjunge. *At pius Æneas ingenti mole sepulchrum Imposuit, suaque arma viro remumque tubamque*: deinde remotis iis quæ de inferis narrantur, sequere. *Tu quoque littoribus nostris, & cætera.* TU QUOQUE. Quæ admirandæ memoriæ videris supremo officio conjungi meruisti. NOSTRIS. Italis. ergo ibi est sepulta, ubi ipse cum suis esset regnaturus. Honoratur ergo à loco.

ÆTERNAM MORIENS, Argumentum à contrario. nam crevit fama, cum deberet morte minui.

NUNC. Etiam his temporibus, quo hæc scribuntur.

SI QUA EST GLORIA. Sciebat nihil sentire mortuos, sed satis faceret religioni.

VARIORUM.

Turnebus hunc librum explicat lib. 26. cap. 28. & lib 30. cap. 5.

TU QUOQUE LITTORIBUS NOSTRIS. Strabo tamen Cajetam vult dici, non à nomine proprio nutricis Æneæ, sed à curvitate, quod Lacones curva, cajeta appellant. GERMAN.

OSSAQUE NOMEN SIGNAT. Id est, tumulo tuo, ô Cajeta, nomen tuum incisum est ad perennem tui memoriam. Nomen indicat, cujus ossa ibi sint deposita. Memorabile fuisse sepulchrum Cajetæ. Turneb. lib. 21. cap. 22.

HESPERIA IN MAGNA. Id est Italia. nam minor Hesperia dicitur Hispania. TAUBM.

AGGERE COMPOSITO TUMULI. Turn. lib. 4. c. 14. & lib. 19. cap. 29. & lib. 30. cap. 38.

NEC CANDIDA CURSUM. Argenteus color Lunæ, ut Soli aureus tribuitur. Ioach. Camerarius problem. 5. Dec. xi.

Digitized by Google

Luna negat: splendet tremulo sub lumine Pontus.
Proxima Circææ raduntur littora terræ;
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu: tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës,
Delati in portus, neu littora dira subirent;

SERVII.

LVNA NEGAT. Liptotes. Nam dicit, large præstat: ut, *Munera nec sperno.* TREMVLO SVB LVMINE. Ita enim mobilitas aquæ facit videri.

CIRCÆÆ RADVNTVR LITTORA TERRÆ. Vt diximus supra, mons iste antehac insula fuit. Paludibus enim à continenti segregabatur: quas exclusit limus de Albanis montibus fluens. Et dicebatur Ææus ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras. In hoc summo oppidum fuit, quod & Circæum dictum & Circæi. Nam utrumque Livius dicit.

DIVES. Non addidit cujus rei, cum soleat: ut, *Dives equum, dives pictai vestis et auri.* INACCESSOS. Inaccessibiles, inaccedendos. Nam Vlysses illuc venit. Ergo *inaccessos*, ad quos nullus debeat accedere: ut, *Aut illaudati nescit Busyridis aras:* hoc est illaudabilis. Nam ab Isocrate constat esse laudatum.

RESONAT CANTV. Resonare facit. SVPERBIS. Nobilibus, proper antiquam magnitudinem.

ODORATAM. Pro odoriferam. Et hoc ideo, quia usus olei apud majores non fuit, præcipue in Italia.

ARGVTO PECTINE. Garrulo, stridulo, sonanti: ut, *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.* PERCVRRENS PECTINE TELAS. Aut manu percurrens: aut ictu pectinis, ut videmus. aut quia apud majores stantes texebant: ut hodie linteones videmus. Est autem Homeri, qui ait, *ἱστὸν ἐποιχομένη.*

GEMITVS IRÆQVE Gemitus irascentium leonum: *ἐν ὀργῇ ὄντων.*

SERA SVB NOCTE. Quasi eo tempore quo naturali libertate uti consueverunt. *Sub sera nocte*, per noctem seram. RVDENTVM. Naturaliter RV longa est. Persius, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Systolem ergo fecit. Ruditus autem proprie est asinorum clamor: ut grunnitus, porcorum: ranarum, coax: quæ nomina à sono vocis constat esse composita.

PRÆSEPIBVS. Caveis ubi aluntur. Non enim re vera præsepia habent.

DEA SÆVA. Aut per se, aut herbis potentibus sæva. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit: & nihil est Sole clarius. Hæc libidine sua, & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat: ut libidini & voluptatibus operam darent. Vnde datus est locus fabulæ apertæ. Horatius, *Sub domina meretrice fuisset turpis & excors.*

IN VVLTVS AC TERGA FERARVM. Corrumpebatur in illis sensus. Animus namque idem manebat.

οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε τρίχας τε
καὶ δέμας· αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.

PII PATERENTVR TROES. Ergo impii qui pertulerunt. Impii autem propter occisa Solis armenta.

DONATI.

VRIT ODORATAM. Vigilans & voce & odorato lumine, ad se incautos attrahere nitebatur. CEDRVM Vt Cedrus tanquam oleo madens, incendia semper insidiis nutrit, ita & voce, id est cantu insidiatur.

VARIORVM.

SPLENDET TREMVLO SVB LVMINE. Cur tremorem attribuit? Turneb. lib. 6. cap. 6. Ignis siquidem, cui *ἰσοφυῆ* astra putarunt Platonici, tremulas esse flammas levitate & calore constat. GER.

VRIT ODORATAM. Hoc ex antiquorum consuetudine dictum videtur, quod ex Homero sumptum est. Ignitabulum enim, vel focum in mediis ædibus habebant, in quo tædas urebant luminis caussa. Ritum explicat Turneb. lib. 4. cap. 14. Ptol. Flavius Conjectaneor: cap. 74. Tom. 1. Lampad.

HINC EXAVDIRI GEMITVS. Ex Homero Macrob. lib. 5. c. 8. Saturn.

Digitized by Google

Neptunus ventis implevit vela secundis:
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Iamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. hunc inter fluvio Tyberinus amœno,
Verticibus rapidis & multa flavus arena
In mare prorumpit: variæ circumque supraque
Assuetæ ripis volucres & fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Imperat: & lætus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu diva mone. dicam horrida bella:

SERVII.

NEPTVNVS VENTIS IMPLEVIT VELA S. Physice autem locutus est. Motu enim aquæ ventus creatur, ut videmus in bombis organorum.

PRÆTER VADA FERVIDA. Periculosa navigantibus, & est Tmesis.

IN ROSEIS FVLGEBAT LVTEA BIGIS. Lutea est crocei coloris, ut: *Croceo mutabit vellera luto.* Unde multi jungunt IN ROSEIS, id est non rubicundis, ne sit contrarium. Tamen secundum Homerum dictum est, qui interdum ῥοδοδάκτυλον, id est rosei coloris digitos habentem, interdum κροκόπεπλον dicit Auroram: id est crocei coloris veste circundatam.

CVM VENTI POSVERE. Cum ortu diei quievere. *Posuere* enim, quievere est: sicut contra, FERRE, flare dicimus ut, *Fieret vento mora nequa ferenti,* id est flanti. OMNISQVE REPENTE RESEDIT FLATVS. Omnis, id est & qui ripæ est, & qui pelagi, qui altanus vocatur.

TONSÆ. Remi dicti à decutiendis fluctibus: sicut tonsores à tondendis & decutiendis capillis.

LVCVM PROSPICIT. In quo erat fluminis nomen. Diximus enim nunquam sine religione esse lucum à Virgilio positum.

HVNC INTER. Per hunc. Terentius, *Dum rus eo, cœpi egomet mecum inter vias.* Est autem crebra Frontonis elocutio. AMOENO. Umbroso, sylvis circundato.

MVLTA FLAVVS ARENA. Epitheton proprium. Et sciendum exitum Tyberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostiam, ubi prima Æneas castra constituit. Nam aliter non procedit quod ait: *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem: nam dextra cingitur amni.* Postea enim in Laurolavinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur. ASSVETÆ RIPIS VOLVCRES. Bono compendio usus est.

ÆTHERA MVLCEBANT CANTV. Leniebant. Corporalia enim sunt elementa, ut diximus supra. Non enim mulcetur, nisi quod corporale est. Supra enim ait, *Totamque infusa per artus.*

NVNC AGE. Hic est sequentis operis initium. Antedicta enim ex superioribus pendent. ERATO. Vel pro Calliope, vel pro qualicunque Musa posuit sane. QVÆ TEMPORA RERVM. Quia ut diximus supra, secundum Lucretium, tempora nisi ex rebus colligantur, per se nulla sunt.

LATIO ANTIQVO. Quia duo sunt, vetus & novum; sicut & in jure lectum est.

EXORDIA PVGNÆ. Cervi interitum.

VARIORVM.

LENTO LVCTANTVR MARMORE. De lento, Floridus lib. 3. cap 18.

ATQVE HIC ÆNEAS ING. &c. Sic autem lætus fuit Æneæ adventantis in Italiam ingressus, ut elementa ipsa obsequi, & aves gratulari viderentur. DONATVS.

FLVVIO TYBERINVS AMOENO. Macrob. lib. 3. cap. 1. Saturnal.

MVLTA FLAVVS ARENA. Græcis ξανθός. Turneb. lib. 22. cap. 7.

Dicam

Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. major rerum mihi nascitur ordo:
Majus opus moveo. Rex arva Latinus, & urbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te Saturne refert: tu sanguinis ultimus author.
Filius huic, fato divûm, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum & tantas servabat filia sedes,
Iam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio, totaque petebant

SERVII.

ACTOS. Aut collectos, aut re vera compulsos: quod est verisimile, propter illud, *Longa placidas in pace regebat.*

TOTAMQVE SVB ARMA COACTAM. Collectam: ut, *Tityre coge pecus.* Totam autem Hyperbolicos dixit.

HVNC FAVNO, ET NYMPHA GENITVM LAVRENTE MARICA ACCIPIMVS. Quidam deus est Fatuellus; hujus uxor est Fatua. Idem Faunus, & eadem Fauna. Dicti autem sunt Faunus & Fauna à vaticinando, id est fando. Vnde & fatuos dicimus inconsiderate loquentes. Ergo Faunæ & Fatuæ nomen quasi asperum fugit poëta: & Maricam dicit uxorem fuisse Fauni. Est autem Marica dea Littoris Minturnensium juxta Lirim fluvium. Horatius, *Et innantem Maricæ littoribus tenuisse Lirim.* Quod si voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit. Dii enim Topici, id est locales, ad alias regiones nunquam transeunt. Sed potest dictum esse per poëticam licentiam, *Laurente Marica*: cum sit Minturnensis. Dicunt alii per Maricam, Venerem intelligi debere; cujus fuit sacellum juxta Maricam; in quo erat scriptum ΝΑΟΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Sane Hesiodus Latinum Circes & Vlyssis filium dicit: quod & Virgilius tangit dicendo, *Solis avi speciem.* Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum est Iginii, qui ait Latinos plures fuisse, ut intelligamus poëtam abuti (ut solet) nominum similitudine.

ACCIPIMVS. Propter varias opiniones hoc adjecit: ut Salustius, *Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere in initio Troiani.*

VLTIMVS AVTHOR. Primus: ut supremum, summum dicimus, *Pro supreme Iupiter.*

PRIMAQVE ORIENS EREPTA IVVENTA EST. Per transitum tangitur historia. Amata enim duos filios voluntate patris Æneæ spondentes Laviniam sororem, factione interemit. Vnde & EREPTA dixit, quasi per vim: hos alii cœcatos à matre tradunt, postquam amisso Turno Lavinia Æneæ juncta est. FATO autem dicit voluntate. Nam dii id fantur quod sentiunt, non ut homines de quibus lectum est, Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.

IAM MATVRA VIRO, IAM PLENIS NVBILIS ANNIS. Non est iteratum, sed secundum jus dictum: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur. Primum ergo ad habitum: secundum ad annos pertinet.

LATIO. Latium pars est Ausoniæ. Vnde dixit primo quod minus est: sic intulit, *Totaque Ausonia.*

DONATI.

VLTIMVS AVTHOR. Quia primus fuit Latinus, à quo factum est initium narrandi. ergo iste *ultimus.* Vt in scalis, si descendas primus est summus, ultimus qui est imus: si ascendas contra fiet. Sic Cicero in rhetoricis inquit: *Ab ultimo principio hujus preceptionis.* Hinc de Latino ipsum dicere sequentia indicant: quamvis posset credi de Saturno.

PRIMAQVE ORIENS. Non nascendo, sed moriendo extincta est: & quod magis dolendum, in ea ætate extincta est, unde spes cœperat.

MVLTI. Et quia unica esset, & quia senis filia, ex quo regnum pro dote veniret.

VARIORVM.

ACTOS FVNERA REGES. In sua, inquit, Donatus, non in Trojanorum funera. Quum enim animis ferocitate exagitatis, in alienum exitium ruerent, ipsi, Trojanis è diverso certantibus, ceciderunt. PONT.

MAIOR RERVM NASCITVR ORDO. Attentio à difficultate, atque operis gravitate. Ostendit in prioribus vel minus fuisse difficultatis, vel laboris, quam in sequentibus sit futurum. HORTENS.

REX ARVA LATINVS. Narratio. HART.

HVNC FAVNO QVONDAM Parrhasius legatur HART.

LAVRENTE MARICA. Id est Circe, ut explicat è Lactantio Turneb. lib. 21. cap. 22. Ian. Parrhasius pag. 845. Tom. 1. Lampad.

IAM MATVRA VIRO. Explicat contra Servium, Hieron. Magius lib. 1. Miscell. cap. 2.

Digitized by Google

Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus; avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus:
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densa (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum: & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.
Præterea castis adolet dum altaria tedis,
Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,

SERVII.

PETIT ANTE ALIOS PVLCHERRIMVS. Aut ante alios petit: aut pulcher ante alios. MIRO AMORE. Nova intemperantia.

SED VARIIS. Propter apes & incendium & oraculum Fauni. PORTENTA. Signa, quæ sunt media: à portendendo. Nam & bona & mala sunt portenta.

LAVRVS ERAT. Latinus post mortem fratris Lavini, cum Lavinium amplificaret: ab inventa lauro, Laurolavinium id appellavit. IN PENETRALIBVS. Penetrale est omnis interior pars domus, licet sit intecta. Vnde laurum in penetralibus fuisse non est mirum.

METV. Religione, quæ nascitur per timorem.

PRIMAS CVM CONDERET ARCES. *Primas*, circa laurum supple. Nam jam civitas fuerat.

TRANS ÆTHERA. Ætherem pro aëre posuit.

OBSEDERE APICEM. Verbum oppugnationis est *obsedere*, quo usus signate propter bellum futurum. PER MVTVA. Invicem: & est absolutum. Melisus qui de apibus scripsit ait: *Duobus pedibus se tenent: & duobus aliis sustinent.*

VATES. Divinus, per quam autem artem non dixit, nec nomen ejus: sed datur intelligi conjecturis eum quibusdam futura dixisse.

PARTES PETERE AGMEN EASDEM. Intelligimus ab inferiori mari apes venisse, unde & Trojani. Partes autem easdem summitates rerum petere dicit, sicut apes apicem lauri per quam advenarum victoria prænuntiatur.

CASTIS. Piis: sciendum Latinum sacrificasse astante Lavinia.

DONATI.

ANTE OMNES. Subaudi pulcherrimus: non autem ante omnes petiit. Omnia autem supradicta in laude sunt Æneæ, ne ignobilem, aut sibi imparem ducere videatur: quoniam illam vicini sprevissent. Vterque à Saturno est. Ab illo enim Iupiter: ab Iove Venus, à Venere Æneas. Sic à Saturno Picus, à Pico Faunus, à Fauno Latinus, à Latino hæc. ergo par sanguis, sed virtus in Ænea major.

LAVRVS. Ponit portenta, quibus connubium Turni prohibebantur.

VIRVM. Non dixit cernimus virum veluti præsentem, sed cernimus virum externum adventare.

VARIORVM.

TVRNVS AVIS, ATAVISQVE POTENS. Describit Turnum à formæ decore, & majorum claris imaginibus. Festinat ad belli materiam præcipuam, quæ Lavinia fuit, Turno desponsa. Erat autem Turnus Rutulorum rex, cui ante adventum Æneæ connubium Laviniæ pactum fuerat. Ferebat ille ægre, hominem advenam sibi in amore prælatum iri: quamobrem publicam pacem init extemplo perturbatum. HORTENS.

LAVRENTISQVE AB EA NOMEN. Libenter legerem *Laurentes*, ut sit quasi illud Livii lib. 1. *cui parentes Ascanium dixere nomen.* Et nostri, lib. 3. Æneid. *Æneadasque meo de nomine fingo* Alioqui sensus est, ab ea lauro posuit nomen colonis, id est incolis, ut Laurentes dicerentur, & urbs Laurentum. PORTAN.

STRIDORE INGENTI. Apum ille stridor proprie bombus dicitur, [illegible]

Visa

Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri.
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea; nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitin.
Hinc Italæ gentes, omnisque OEnotria tellus,
In dubiis responsa petunt: huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

SERVII.

NEFAS. Absoluta parenthesis, est autem Hypallage. COMPRENDERE CRINIBUS IGNEM. Cum ignis crines comprehendat.

FUMIDA. In fumo est causa lachrymarum & belli.

VULCANUM SPARGERE. Incendium bellicum significat. His enim duobus hoc ab augurio distat Ascanii: fumo, & aspersione flammarum.

FAUNI. Faunus ἀπὸ τῆς φωνῆς dictus, quod voce, non signis ostendit futura.

LUCOSQUE. In lucis.

SUB ALBUNEA. In Albunea.

ALTA. Quia est in Tyburtinis altissimis montibus. Et Albunea dicta est ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte est. Unde etiam nonnulli ipsam Leucotheam volunt. Sciendum sane unum nomen esse fontis & sylvæ.

SACRO FONTE. Nullus enim fons non sacer. MEPHITIN. Mephitis proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis: & est in nemoribus gravior ex densitate sylvarum. Alii *Mephitin* deum volunt Leucotheæ connexum: sicut est Veneri Adonis. Dianæ Virbius. Alii *Mephitin* Iunonem volunt, quam aërem esse constat. Novimus autem putorem non nisi ex corruptione aëris nasci: sicut etiam bonum odorem de aëre incorrupto: ut sit *Mephitis* dea odoris gravissimi, id est grave olentis.

HINC ITALÆ GENTES. Commendatio oraculi ipsius. OENOTRIA TELLUS. Proprie Sabinorum tractus. INCUBUIT. Incubare dicuntur proprie hi qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est, *ille incubat Iovi*, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.

SUB NOCTE SILENTI. Per noctem silentem.

VARIAS AUDIT VOCES. Scilicet propter multa simulachra. FRUITUR. Pascitur: quod de rebus tantum bonis dicimus. ACHERONTA AFFATUR AVERNIS. Potestates quæ sunt in Acheronte, ad quem per Avernum venitur. Hoc autem ideo, quia Faunus infernus dicitur deus: & congrue. nam nihil est terra inferius, in qua habitat. Hinc est, quod eum Horatius inducit nocentem, dicens: *Lenis incedas, abeasque parvis Aequus alumnis.*

DONATI.

AT REX. Non dixit virginis pater: nam publicus status quam filiæ potior fuit.

ITALÆ GENTES. Ergo omnes.

IN DUBIIS. Ergo majoris meriti erat oraculum. HUC DONA. Ponit morem petendi oraculi.

VARIORUM.

ALBUNEA. In veteri lexico Λευκοθέα Matuta. Turnebus autem ex Suida, qui Sibyllam quandam Tiburtinam Albuneam vocatam refert, non temere existimare videtur & fontem vocatum, & Deam indigitatam fuisse, de nomine illius Sibyllæ. GERM.

PELLIBUS INCUBUIT STRATIS. Brodeus 3. Miscell. cap. 31. Cælius lib. 14. cap. 46. Lect. Antiq.

ACHERONTA AFFATUR. Pro inferis. Turneb. lib. 30. cap. 5.

Digitized by Google

Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes:
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis nec crede paratis.
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam fama per urbes
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, & pulcher Iülus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (sic Iuppiter ipse monebat)
Et cereale solum pomis agrestibus augent.

SERVII.

PATER IPSE. Aut honoris est, aut re vera pater Laviniæ.

CENTVM. Aut pro qualitate fortunæ: unde & RITE dixit. Aut finitum pro infinito posuit.

TERGO. Pro tergoribus, id est coriis.

THALAMIS NEV CREDE PARATIS. Propter Turnum.

VENIENT. Melius VENIVNT, ut jam eos venire significet. GENERI. Plurali usus est pro singulari.

A STIRPE. Stirpem cum de genere dicimus, tantum fœmininum est: cum de arbore, & masculini generis & fœminini invenitur: ut, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum*. Contra Horatius, *Stirpesque raptas, & pecus, & domos.*

SVB PEDIBVS. Sub imperio suo ac potestate.

MONITVSQVE. Alibi monita dixit. Ut, *Carmentis Nymphæ monita, & deus author Apollo.* NON IPSE SVO PREMIT ORE LATINVS. Quo à se repelleret generos.

SED CIRCVM LATE VOLITANS. Tmesis est circumvolitans.

ADOREA LIBA. Ador proprie est genus farris. Liba autem, sunt placentæ de farre, melle & oleo, sacris aptæ.

SVBIICIVNT EPVLIS. Subponunt in epularum locum. IPSE. Qui per Harpyjam vaticinatus est: ut; *Quæ Phœbo pater omnipotens.*

ET CEREALE SOLVM. Solum omne dicitur quod aliquid sustinet. Unde de mari supra ait, *Subtrahiturque solum.* Sic nunc panicias mensas, id est epularum sustentaculum, *solum* vocavit.

DONATI.

IPSE PATER. Ergo non misit alterum, sed ipse perrexit, ut & patris & regis diligens adhiberet officium: pro mollibus plumis & ornatu regio, non recusavit pelliceum stratum.

VOX SVBITO. Propter meritum petentis.

CIRCVM. Cum eo quod est, *tulerat*, jungendum est, ut sit circumtulerat.

VARIORVM.

QVA SOL VTRVNQVE RECVRRENS. Mare Eoum & Occiduum. Turneb. lib. 30. cap. 5.

ADOREA LIBA. Pro mensis. Turneb. lib. 30. cap. 5. *Adorea* quoque substantivum, genere fœminino laudem & gloriam veteribus significabat: quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret. Plin. lib. 18. cap. 3. Gloriam denique ipsam à farris honore *adoream* appellabant. Notat Scalig. in Festum, vocem *adorea* pro laude capi ceptam esse, postquam præmium militibus frumentum erat, parta victoria. PONTAN.

SIC IVPPITER IPSE MONEBAT. *Ille* Iovi adjungi solitum, observat Turneb. lib. 30. cap. 5.

CEREALE SOLVM. Mensas intellige, Turneb. ibid.

Con-

Digitized by Google

Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi:
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam mensas consumimus; inquit Iülus.
Nec plura adludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, salve fatis mihi debita tellus,
Vosque, ait, ô fidi Trojæ salvete penates:
Hic domus, hæc patria est. genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te nate fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu, molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant,
Exitiis positura modum.
Quare agite, & primo læti cum lumine Solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,

SERVII.

FORTE ALIIS. Abundat FORTE.

FATALIS CRVSTI. Ad negotium respexit Æneæ, cui hic erat finis laborum. *Crustum* autem & *crusta* neutraliter dicimus de his quæ comedi possunt. Horatius, *Vt pueris olim dant crustula blandi Doctores.* Iuvenalis, *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.* Fœminino autem genere fragmenta dicimus, quæ comesse non possumus: ut, *Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.* QVADRIS. Aut mensis: & est Antonomasia. Nam supra orbem dixit, Aut *quadris*, fragmentis accipimus: ut, Juvenalis, *Vt bona summa putes aliena vivere quadra.*

ADLVDENS. Aut vacat AD: & ludentem significat. Aut certe ADLVDENS, ad responsi fidem verba componens,

LABORVM FINEM. Scilicet maritimorum. Nam in terra multa passurus est: ut ait Sibylla, *Sed terræ graviora manent.* PRIMAMQVE LOQVENTIS AB ORE ERIPVIT PATER. Hoc est, Adhuc loquente Ascanio, intellexit famem, quam fata prædixerant.

NVMINE PRESSIT. Oraculi fide ab Heleno & Anchisa prædicti. *Pressit* autem vocem Ascanii: quo posset ipse numina deprecari.

FATIS MIHI DEBITA TELLVS. Bona Periphrasis est, ne fatalis diceret: quod est medium, & in precibus nihil ambiguum esse debet.

O FIDI TROIÆ SALVETE PENATES. Æneæ scilicet, non Trojæ: quam nequivere servare.

HIC DOMVS. Aut familia: ut, *Da propriam Tymbrae domum.* Aut ordo est, Hic est patria, hic domus. Ante enim patria est, sic domus.

ACCISIS Vndique concisis vel consumptis: & hoc est apud nos AC, quod apud Græcos ἀμφί. Hinc est, *Amsancti valles*, id est undique sancti.

HÆC ERAT ILLA FAMES. Ac si diceret, Hoc fuerat timendum periculum: quod pericula determinat.

HABEANT. Habitent. Hoc enim frequentativum est, ab eo quod est habeo. VBI MOENIA GENTIS. Laurolavinium dicit.

VARIORVM.

NEC PLVRA ALLVDENS. Pro ludens. Turneb. lib. 30. cap. 5.

ERIPVIT PATER. ἀρπάζειν φήμην, Hom. Aviditatem notat imponendi finem tot exspectationibus. Quasi eam vocem è faucibus ei rapuerit, nec exspectarit, ut totam eloqueretur: ita protinus se eam vocem agnoscere dixit, & omen accipere. *Omen* enim est quod ab hominis ore excipitur, quod hic Æneas, qui esset Pontifex & sciens auguriorum facit. Scalig lib. 3. cap. 15. Turneb. lib. 50. cap. 5.

ACCISIS COGET. Servius *ancisis* legisse videtur. Turneb. lib. 30 cap. 5.

CONSVMERE MENSAS. Quæ fiebant ἐκ τῶν σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων ut ait Didymus, id est è durioribus panis partibus compactum frustum. Vide Cælium lib. 7. cap. 12.

Vesti-

Vestigemus, & à portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci, primamque deorum,
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum noctem, noctisque orientia signa,
Idæumque Iovem, Phrygiamque ex ordine matrem
Invocat, & duplices cœloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis & auro,
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.
Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies; urbem, & fines, & littora gentis
Diversi explorant: hæc fontis stagna Numici:
Hunc Tybrim fluvium: hic fortes habitare Latinos.

SERVII.

NVNC PATERAS LIBATE IOVI. Ab eo quod continet, id quod continetur,

ANCHISEN GENITOREM. Bene Iovem & Anchisen: qui caussa oraculi fuerunt. REPONITE MENSIS. Aut timore verborum Ascanii interrupta renovate: aut REPONITE, frequenter ponite, id est crebro libate, bibite.

TEMPORA RAMO IMPLICAT. Diebus festis ita epulabantur, coronati.

GENIVMQVE LOCI. Apollinem vult intelligi. In tutela enim ejus tota fuerat regio: ut, *Quæ pater inventam primus cum conderet arces, Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus.* Aliter iniquum est, si cum omnes invocet, Apollinem prætermittat: præsertim cum Helenus dixerit, *Aderitque vocatus Apollo.* PRIMAMQVE DEORVM. Quia ipsa est mater deorum.

NYMPHASQVE, ET ADHVC IGNOTA PRECATVR FLVMINA. Bonum ordinem sequitur. Sic alibi, *Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus unde est.*

NOCTEM, NOCTISQVE ORIENTIA SIGNA. Quæ noctem sequuntur: ut Nymphas flumina. Invocat enim sibi conjuncta.

PHRYGIAMQVE EX ORDINE MATREM. Aut contigue, quia Idæum dixerat Iovem: aut certe rite, id est more solenni.

DVPLICES. Duos. COELO autem, Venerem: EREBO, Anchisen.

COELO CLARVS AB ALTO. In serenitate, quod est augurii. Nam si cœlo nubilo fuerit, caussa est.

RADIIS, ET AVRO. Radiis aureis. ARDENTEM NVBEM. Alii fulmen, nubem ardentem dicunt, ut Lucanus, *Atque ardens aëre solo*, quos hoc loco secutus est. Alii fulmen dicunt aëris scissione ardentem rimam. quos alibi sequitur dicens, *Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.*

CERTATIM INSTAVRANT EPVLAS. Id est, *Et vina reponite mensis.*

VINA CORONANT. Pro pateris. MAGNO autem OMINE, cœlesti dicit. Alibi, *Nam te majoribus ire per altum, Auspiciis manifesta fides.*

HÆC FONTIS STAGNA NVMICI. Ista jam ab incolis discuntur. Quod autem ait *stagna*, verum est. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit: in quo repertum est cadaver Æneæ & consecratum. post paulatim decrescens, in fontem redactus est: qui & ipse siccatus est sacris interceptis. Vestæ enim libari non nisi de hoc fluvio licebat.

VARIORVM.

VINA REPONITE MENSIS. *Reponere* verbum esse convivale constat: unde & infra lib. 8. *Iubet sublata reponi pocula.* Hinc fit, ut quidam existimarint repotia dicta, quasi repostia, hoc est, τὴν μεθέορτον ἡμέραν, qua apud maritum novum instaurabatur, & veluti reficiebatur potatio. GERM.

TROIANA PER AGMINA RVMOR. Turneb. lib. 25. cap. 30.

Tum

Tum satus Anchisa, delectos ordine ab omni
Centum oratores Augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus: ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum; primasque in littore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus; aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

SERVII.

ORDINE AB OMNI. Ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda, hodieque servatur.

AVGVSTA AD MOENIA. Augurio consecrata. Hinc paulo post illud est, *Tectum augustum, ingens*. Et nisi in augusto loco consilium senatus habere non poterat. Vnde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus: ubi erant virgines. Nam hæc fuerat regia Numæ Pompilii. Ad atrium sane Vestæ conveniebatur, quod fuerat à templo remotum.

FOSSA. Sulco: & sunt ista reciproca. Nam & *Sulcum* ponit pro fossa: ut, *Ausim vel tenui vitem committere sulco*, id est fossa.

MOLITVRQVE LOCVM. Præparat. PRIMASQ. IN LITTORE SEDES. Ideo PRIMAS, quia imperium, Lavinium translaturus est. Et sciendum civitatem, quam primo fecit Æneas, Trojam dictam secundum Catonem & Livium: quod ipse dicit, *Nec te Troja capit*.

CASTRORVM IN MOREM. Brevem scilicet. PINNIS ATQVE AGGERE CINGIT. Muro, in quo pinnæ sunt. & est Synecdoche. AGGERE autem, Fossa.

IAMQVE ITER EMENSI, TVRRES AC TECTA LATINORVM. Hypermetrus versus.

MVROQVE SVBIBANT. Alibi per accusativum: ut, *Æneæ subiit mucronem, ipsumque morantem Sustinuit*. Et hoc secundum naturam est. Nam, it sub mucronem, dicimus. Nam per dativum figuratum est.

PVERI ET PRIMÆVO FLORE IVVENTVS. Bene Romanæ militiæ exprimit morem. Nam post pubertatem armis exercebantur: & sexto decimo anno militabant. Quo etiam solo sub custodibus agebant. Nec est contrarium, *Longa populos in pace regebat*. Nam licet in pace essent, exercitium tamen vigebat armorum.

DOMITANTQVE IN PVLVERE CVRRVS. Equos sub curribus.

ACRES ARCVS. Fortes: & est κατάχρησις. Nam acrimonia mentis est. LENTA. Mollia. ICTV. Iaculatione.

DONATI.

TVM SATVS ANCHISA. Quamvis fatis fideret, tamen humanitatis officium putavit ad regem legatos mittere, ne ob superbiam alienos fines invadere videretur: interim non expectato de pace responso urbem designat, tantum spei in fatis reposuerat.

TVRRES & TECTA. Primo enim altiora ædificia, deinde cum propinquius acceditur, humiliora cernuntur.

IN PVLVERE. Quia ibi melius animalia domantur, ubi difficilior tractus est.

ICTV. Non ut sese ferirent invicem, sed ut destinata percuterent.

VARIORVM.

CENTVM ORATORES. *Orare* antiqui dixerunt pro agere: unde & *Oratores* causarum actores; & Oratores, qui nunc legati, quod reipublicæ mandata peragerent. FESTVS.

RAMIS VELATOS PALLADIS. Græci ἱκετηρίαν ramum olivæ à supplicando vocant. Locos de more isto, cum ramo oleagino supplicandi, cumulat, Tiraquell. in Alex. cap. 19. lib. 2.

PALLADIS OMNES RAMOS. Cælius lib. 12. cap. 19. Alexand. lib. 5. cap. 15. Infra lib 11. *Velati ramos oleæ, veniamque rogantes*. HART.

ANTE VRBEM PVERI ET PRIMÆVO FLORE, &c. Exponit diligenter Virgilius instituta priscorum Latinorum, & qua disciplina imbuere pueros suos illi solerent, commemorat. Finem autem illa omnis habebat fortitudinem militarem, & scientiam rerum bellicarum. VICTORIVS lib. 30. c. 6. Ex Isidoro explanat Turneb. lib. 26. c. 22.

Digitized by Google

Cum provectus equo longævi regis ad aures
Nuntius, ingenteis ignota in veste reportat
Advenisse viros: ille intra tecta vocari
Imperat, & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens; centum sublime columnis,
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum:
Hæ sacris sedes epulis; hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quinetiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem:

SERVII.

INGENTEIS. Ex stupore nuntii laus ostenditur Trojanorum. Et bene novitatis ostendit opinionem. Ingenteis enim esse, quos primum vidimus, opinamur. REPORTAT. Aut RE vacat: aut RE pro AD posuit, ut sit adportat.

INTRA TECTA VOCARI. Dissentit hoc loco à Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus requirebatur: post ad eos egrediebantur magistratus minores: & tunc demum senatus extra urbem postulata noscebat, & ita si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit. Latinum namque memorem vult esse responsi: & avidum facit ad externos videndos: per quos promittebatur felicitas.

SOLIO MEDIVS CONSEDIT. Vt supra diximus, *Solium* est veluti armarium de uno ligno ad regum tutelam factum. Secundum alios, à soliditate dictum. Secundum Asperum per Antistichon, quod solum unum capit: quasi sodium à sedendo. Nam & sella, quasi Sedda dicta est.

TECTVM AVGVSTVM, INGENS. Domum, quam in palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat: & quasi in Laurolavinio fuisse commemorat.

HORRENDVM. Venerandum: non quod horroris sit.

HINC SCEPTRA ACCIPERE. Hoc in palatio fiebat.

CVRIA TEMPLVM. Quia ut diximus supra, curia non est nisi in augurato loco.

ARIETE CÆSO. Hoc sacrificium in janua palatii fiebat festis diebus.

PERPETVIS MENSIS. Longis, ad ordinem exæquatis sedentum. Majores enim nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus: ut Varro docet in libris de gente populi Romani: in quibus dicit quid à quaque traxerint gente per imitationem.

EX ORDINE. Prout sibi successerant. Sane intelligendum est, ita ut nati fuerant, sic eorum imagines fuisse compositas.

EX CEDRO. Quod lignum non facile consumitur vetustate. Hoc genus ligni tinea nescit: corruptionemque ex antiquitate non sentit. Vnde est cedria quæ chartam reservat. Hinc est illud. *Et cedro digna locuti.* Aut *Cedria perunctæ*, quoniam ligna custodita conservat.

VITISATOR. Non inventor vitis: sed qui genus vitis demonstravit Italis populis.

SVB IMAGINE FALCEM. Aut statuæ exprimit gestum, ut dicat, Ita tenebat falcem, ut eam sub vultu haberet: aut *Sub imagine*, sub theca dicit, quæ falcis est similis.

DONATI.

VIROS INGENTES IGNOTA VESTE. Nam ex impræmeditata re, & perturbato animo, putavit se vidisse illos ultra humanam formam. Extollit autem regiam Latini à pulchritudine ædificii, & ab ornatu triumphali, non à pictura fabularum.

AVGVSTVM. Vel quia domus fuit regum, vel quia reges ipsi sibi regnandi auspicia sortiebantur; illic enim potestatem sumebant & fasces erigebant.

EX ORDINE. Ita ut nati fuerant.

CEDRO. Ex Cedro factæ, quia hoc lignum cariem non sentit: vel Cedria unctæ, quæ ligna conservat.

VARIORVM.

VRBE FVIT SVMMA. ἀμφίβολον intelligit Turneb lib. 30. cap. 5.

PRIMOS ATTOLLERE FASCES. Cui contrarium, *fasces summittere* Alludit autem ad Capitolium, moremque Romanorum, apud quos Magistratus omnes fascibus insigniri soliti, fasces ex Capitolio, ritu & more majorum desumebant. GERM.

HÆ SACRIS SEDES EPVLIS. In templis epulum Deorum dabatur. Turneb. lib 35. cap. 5.

VITISATOR CVRVAM, &c. Hoc epitheton ex Actio est. Macrob. lib. 6. cap. 5. Saturnal.

Satur-

Digitized by Google

Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma:
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat

SERVII.

SATVRNVSQVE SENEX. Antiqui reges nomina sibi plerunque vendicabant deorum. Ergo Saturnus rex fuit Italiæ. Nam & supra ait, *Veterum effigies ex ordine avorum.* Iterum infert, ALIIQVE AB ORIGINE REGES. Hinc est quod apud Cretam esse dicitur Iovis sepulchrum. Gabalus etiam Romanus imperator Solem se dici voluit. Nam Heliogabalus dictus est.

AB ORIGINE. Pro Aboriginum reges: sed est metro prohibitus.

PVGNANDO VVLNERA PASSI. Pugnando quasi reges.

SACRIS IN POSTIBVS. Vbi spolia consecrabantur.

CAPTIVI. Pro captivorum: nota figura est.

CRISTÆ. Galeæ. A parte totum posuit.

EREPTAQVE ROSTRA CARINIS. Bene de omni genere præliorum, spolia illic demonstrat fuisse.

QVIRINALI LITVO. Lituus est incurvum augurum baculum: quo utebantur ad designanda cœli spatia. Nam manu non licebat. *Quirinalem* autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit. Nam tunc adhuc non fuerat Romulus. Vel *lituum*, id est regium baculum: in quo potestas esset dirimendarum litium.

SVCCINCTVS TRABEA. Toga est augurum, de cocco & purpura. ANCILE. Scutum breve. Regnante Numa cœlo hujusmodi scutum lapsum est: & data responsa sunt illic fore summam imperii, ubi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mamurium fabrum multa similia fecerunt: cui & diem consecrarunt, quo pellem virgis feriunt ad artis similitudinem. Dicimus autem hoc ancile, & hæc ancilia. Anciliorum vero usurpavit Horatius, *Anciliorum & nominis & togæ oblitus.* Septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenent: Acus matris deûm, Quadriga fictilis Vejorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia.

DONATI.

ALII AB ORIGINE REGES. Refert se à specialitate ad generalitatem, ut & compendio uteretur, & numerum augeret. in generalitate enim infinita æstimatio est, & plus intelligitur quam veritas habet.

VVLNERA PASSI. Vt gloriam ex defensione libertatis ostenderet.

IN POSTIBVS ARMA. Indicia hæc sunt virtutis.

CVRVÆQVE SECVRES. Omnia sine numero posuit, ut plus arbitraremur.

INGENTIA. Vt ostendat quanto labore retracta sint.

CARINIS. Vt appareat etiam navali bello illos vicisse.

LITVVM. Id est, regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium. PARVA. Vel quia trabeæ non extant, aut non magni precii sunt: quia veteres non erant ambitiosi cultus.

VARIORVM.

IANIQVE BIFRONTIS IMAGO. Cur Ianus διμέτωπος, videatur Athenæus lib. 15 pag. 692. Edit. Casaub. inprimis Vicent. Carthatius de Imaginibus Deorum. Idem etiam *Quadrifrons* alicubi exhibetur; à quatuor anni temporibus: quemadmodum *Biceps* à solertia præteritorum & futurorum. Cæterum antiqui reges nomina sibi plerunque vendicabant deorum. Ita Gabalus Imper. Romanus, *Solem* se dici voluit, nam *Heliogabalus* dictus est. TAVBM.

SACRIS IN POSTIBVS ARMA. Spolia postibus appensa, docet Turneb. lib. 14. cap. 11. Vide Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 24. & Lipsium de Militia Rom. lib. 5. dialog. 17.

IPSE QVIRINALI LITVO. Macrob. lib. 6. cap. 8. Saturnal. Gellius lib. 5. cap. 8. Illustrat Turnebus lib. 9. cap. 10. & lib. 30. cap. 5 pro habenti Quirinalem lituum.

SVCCINCTVS TRABEA. Trabeam vestem liquet olim regum fuisse, post equitum in transvectione, postea Consulum. Docet Turnebus sic dictam, quod trabes pannorum haberet. quod sic accipio, quod ut trabes ligna dicuntur, quæ compage & commissura duorum tignorum coalescunt, sic & trabeam contextu fimbriato ex pannis & limbis constare: sicut Palmata dicebatur item, quæ palmam intextam haberet, triumphantibus usu ordinario conciliata Aliam tamen fuisse à palmata & picta veste, docet Turneb. lib. 28. cap. 23 GERMAN.

TRABEA. Bayfius in lib. de Vestimentaria re, cap. 10. Cæl. lib. 12. cap. 8. *Parvam* autem vocat, aut vere talem: aut non magni pretii, pro sæculi frugalitate. HART.

ANCILE. Cæl. lib. 21. cap. 18. quid sit, consulatur. HART.

Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit:
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
Dicite Dardanidae (neque enim nescimus & urbem,
Et genus: auditique advertitis aequore cursus)
Quid petitis? quae causa rates, aut cujus egentes
Littus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa, mari nautae patiuntur in alto,)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis.
Ne fugite hospitium: neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua, veterisque dei se more tenentem.

SERVII.

AVREA CONIVX. Nam aliter non stat versus. Et *aurea* per Ironiam dixit. *Conjux* vero, non quae erat; sed quae esse cupiebat: ut, *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos.* Fabula talis est, Picum amavit Pomona dea pomorum, & ejus volentis est sortita conjugium. Postea Circe cum eum amaret, & sperneretur, irata eum in avem picum Martium convertit: nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit: & domi habuit picum, per quem futura noscebat: quod pontificales indicant libri. Bene autem huic supra *lituum* dedit: quod est augurum proprium. Nam ancile & trabea communia sunt cum Diali, vel Martiali sacerdotibus.

PLACIDO PRIOR EDIDIT ORE. Bene *placido.* Legatorum enim fuerat, ut ipsi ante loquerentur. Sic in secundo, *Vltro flens ipse videbat.*

DICITE DARDANIDAE. Aut ex veste eos Trojanos esse cognoscit, quae erat proprie gentium singularum. Aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus famam: quae eos venire nuntiaverat, eandem etiam Trojanos esse dixisse. Vnde infert, AVDITIQVE ADVERTITIS AEQVORE CVRSVS. Dardanidae autem, ac si diceret cognati.

ERRORE VIAE, SEV TEMPESTATIBVS ACTI. Duo quaerit. Si voluntate venistis, quid petitis? Si necessitate, tempestas vos an error adduxit?

VADA CAERVLA. Caerulum est viride cum nigro, ut est mare.

QVALIA MVLTA. Ad duo respexit: errorem & necessitatem.

PORTVQVE SEDETIS. Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis.

NE FVGITE. Ne fugiatis, ne ignoretis.

SATVRNI GENTEM. Laus generis.

SPONTE SVA, VETERISQVE DEI SE MORE TENENTEM. Xenocratis est: qui cum primus Philosophiae scholam aperuisset (quod antea in porticibus Philosophi tractarent) & interrogatus esset quid praestare posset discipulis: Respondit, *ut id voluntate faciant, quod alii jure coguntur.* VETERIS. Antiqui: ac si diceret, aurei seculi imagine vivimus.

DONATI.

AVREA. Ironice, quasi intelligat pessima, & indignationem citat, quod talem virum ita tractasset.

DICITE DARDANIDAE. Primus verba facit, ut facilitatem suam & benevolentiam in eos demonstret. Potuit autem ex veste Latinus, qui multa experientia esset, Trojanos cognoscere: quod non poterant per teneram aetatem illi, qui erant extra portas.

ERRORE VIAE. Quia in obscuro caelo, in quo via est navigantibus, ab illa errare possunt: vel vi tempestatis inde abstrahi.

NE FVGITE HOSPITIVM. Non modo concedit quod sua authoritate jam sumpserant, quod ripas intrarant, sed ultra id hospitium offertur: Ex cognatione autem, quae Trojanis cum Italis est, ostendit eos posse capere omnem fiduciam.

VARIORVM.

TALI INTVS TEMPLO DIVVM, &c. Vt audirent in fanis legatos, antiqua fuit consuetudo, non solum Latinorum, verum etiam Graecorum: cui quod Aeschines minime paruisset, hoc ei Demosthenes ut culpam crimenque objicit. BROD. lib. 4. cap. 17.

TALI TEMPLO MENS. Revertitur à digressione. Porro Graecismus est, *Intus*, pro *In.* *ἀντιμερεία*, adverbium pro praepositione. Graecis frequentior, quam Latinis, loquendi modus. HARS.

QVID PETITIS? QVAE CAVSA, &c. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 8.

Atque

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes: his ortus ut agris
Dardanus, Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corithi Tyrrhena ab sede profectum,
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, & numerum divorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris:
Nec sydus regione viæ, littusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis: Iove Dardana pubes
Gaudet avo. rex ipse Iovis de gente suprema
Trojus Æneas tua nos ad limina misit.

SERVII.

FAMA EST OBSCURIOR ANNIS. Ac si diceret, nisi esset, jam vos sciretis.

AVRVNCOS ITA FERRE SENES. Apud veteres historiæ hoc genus fuit, ut majores natu antea acta posteris indicarent: quod hic indicat locus. Lucanus apertius, cum esset de Antæo narraturus ait, *Cognita per multos docuit rudis incola patres.* Quia adhuc nec annales erant, nec historiæ. *Aurunci* vero, Italiæ populi antiquissimi fuerunt. FERRE autem, quasi cum ostentatione jactare.

DARDANVS. Iuppiter cum Electra Atlantis filia, Corithi regis Italiæ uxore, concubuit. Sed ex Iovis semine natus est Dardanus: ex Corithi Iasius. Dardanus profectus ad Phrygiam, Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, ubi est Samos: quam hic Samothraciam nominavit. Nam Iunonis alia est Samos insula. Quanquam civitas Thraciæ quæ est Cephalenia, Samos dicatur. Vnde postea cum responsum esset, *Antiquam exquirite matrem:* & Æneas Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos sustulit, & pertulit secum propter originem matris, quod superius plenius dictum est. IDÆAS PHRYGIÆ PENETRAVIT AD VRBES. Quia erant Idæ & Cretæ, addidit *Phrygiæ* ad discretionem.

CORITHI. Oppidum & mons dicti à rege Corintho, ut putatur à quibusdam, patre Dardani, his sepulto dicti.

ADDIT. Auget, adjectione scilicet nominis sui.

VOCE SECVTVS. Plerunque enim consentimus & taciti.

REX. Conciliatio ab honore, inde à genere.

SVCCEDERE TERRIS. Vt, *Succedoque oneri.*

NEC SYDVS. Aspectus sydeum. Nam tempestatem supra dixit: nec est bis idem positum.

VRBEM AFFERIMVR. Ad urbem ferimur.

EXTREMO VENIENS. Id est primo. Nam alias REDIENS diceret, non VENIENS.

DARDANA PVBES GAVDET AVO. Generis origine. Nam avus non est Trojanorum Iuppiter: sed Æneæ solius per Venerem.

DONATI.

DARDANVS. Iam explicat quod proposuerat, cum dixit: Dicite Dardanidæ.

REX GENVS EGREG. Cum se benevolum ostendisset Latinus, non multum laboravit in texendo exordio Ilioneus nec tamen penitus omisit. FAVNI. Vnde hoc cognovit Ilioneus? nempe ex simulachris, quæ erant in vestibulo. Brevissime autem amplectitur quæcunque dixit Latinus, nec potuit in tanta brevitate magis extollere genus Trojanum.

AB IOVE PRINCIPIVM. Plus dixit quam Latinus. Ille enim Dardanum ex Italia venisse, hinc utrique generi à Iove principium esse demonstrat: & confirmandæ rei causa rem sæpius repetit.

SVPREMA. Vt enumeratione majorum ipse videatur finis, propinquior causa ostenditur Æneas: quia nepos erat Iovis.

VARIORVM.

AVRVNCOS ITA FERRE. Fabricius legendum pertendit ARVNCOS. Cum *Arunci* & *Aurunci* populi sint diversi: atque infra loco & duce exercitus separati. *Arunci*, sunt Latii Rutulis vicini, quorum dux Turnus: sed *Aurunci*, Campaniæ Calenis & Suessanis finitimi, quorum dux Halesus, Turni socius, 10. Æneid. TAVRM.

Digitized by Google

Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Diis sedem exiguam patriis, litusque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis, tantique abolescet gratia facti:
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.

SERVII.

QVANTA PER IDÆOS. Ad illud respondit: *Auditque advertitis æquore cursum*, Id est, non mirum est hæc te audisse, quæ universus orbis agnovit.

TEMPESTAS. Vis bellorum. ACTVS. Conlisus. FATIS. Per transitum & Trojanos eximit culpa: & Græcorum deterit laudem.

TELLVS EXTREMA. Vt est Britanniæ & omnium insularum Oceani. REFVSO autem, refluo, ut Lucanus indicat. & est hoc Homeri, αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον ὠκεανοῖο Νηῦς. ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.

ET SI QVEM EXTENTA PLAGARVM QVATTVOR. Audierunt etiam illi qui separantur Zona ea quæ est in medio quatuor, id est fervens. Significat autem Antipodas.

INIQVI. Intemperati vel ardentis.

DILVVIO EX ILLO. Ex illa vastitate. Alii distinguunt, & mutant sensum: ut sit Quos dirimit plaga Solis ardentis: ex quo mundus est constitutus: hoc est, ex quo chaos esse desiit. TOT. Pro multa.

DIIS SEDEM EXIGVAM PATRIIS. Pia & verecunda petitio. LITTVSQVE ROGAMVS INNOCVVM. Non quod nulli noceat: sed cui vindicato nullus possit nocere. Aliter serpentes innocuos dicimus.

CVNCTIS VNDAMQVE AVRAMQVE PATENTEM. Ista enim communia sunt.

INDECORES. Decus decoris, pecus pecoris, nemus nemoris, *o* in genitivo correptum est: omnia enim in Vs exeuntia neutra, in genitivo singulari penultimam corripiunt, excepto pelagus, quod Græcum est; unde & ulceris dicitur secundum regulam, licet de hoc nomine aliud auctoritati placuerit. Decor vero decoris facit penultimam in genitivo productam: omnia enim in *or* exeuntia in genitivo producuntur, exceptis v. arbor, marmor, memor, immemor, æquor: unde quæritur *Indecores* à quo sit nominativo, ab eo quod est indecus non potest venire, quia lectum non est, & quia decus neutrum regit genus non masculinum, restat ut dicatur ab eo quod est indecor venire Indecores, nam & lectum est. Sed decor decoris facit producta penultima, quam Virgilius corripuit. Ergo aut systole est, aut certe dicendum hujus nominis nominativum non inveniri, sicut in multis nominibus fit. quod & melius est, nam systole sine exemplo fieri non debet. Verecunde autem hoc dicit, sua conjunctione etiam ornari Italos.

ABOLESCET. Abolebitur: & usus est inchoativa forma, cum opus non esset.

TROIAM. est Trojanos.

DONATI.

QVANTA. Vt commiserationem concitaret narrandæ erant calamitates, sed removendæ erant moræ, ut quamprimum legationem exponeret. ergo breviter illa tangit.

DILVVIO. Non bello: nam ex bello aliquid remanet, ex diluvio vero nihil: nam omnia tollit. TOT VASTA. Post calamitatem belli, durior casus nos excepit.

DIIS SEDEM EXIGVAM. Facilem & honestam petitionem ostendit. Ex commemoratione autem deorum, etiam hominibus petere videtur: Namque numinibus præbentur sedes cultore neglecto. LITTVS. Vt demonstret quod ad homines pertinet, nec difficile nec onerosum.

NON ERIMVS INDECORES. Noluit dicere ornabimus regnum, ne sit arrogans.

LEVIS. Nec pro levi dicimus, quicquid præstiteris.

VARIORVM.

EVROPÆ ATQVE ASIÆ ORBIS. Sic à Marcellino, orbis Eous & Occiduus. Turneb. lib. 30. cap. 5.

EXTREMA REFVSO. Pro refluente. Turneb. lib. 30. cap. 5. Britanniam dicit, easque insulas Oceani, ubi septenis horis, reciproco cursu fluit, refluitque mare ac refunditur. HORT.

LITTVSQVE ROGAMVS Insignis locus est, & politicus. sunt enim ista communia jure naturali. HARTVNG.

NON ERIMVS REGNO. Proverbialis versiculus, atque eximie elegans. HART.

Fata

Fata per Ænea juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis;
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantum)
Et petiere sibi, & voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. hinc Dardanus ortus
Huc repetit: jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera; relliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis; sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor, vestes.
Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora; soloque immobilis hæret;
Intentos volvens oculos. nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,

SERVII.

FATA PER ÆNEÆ IVRO. Quem jam novit Latinus, oraculo scilicet Fauni: per quod audivit, *Externi venient generi.*

SIVE FIDE, SEV QVIS BELLO EST EXPERTVS, ET ARMIS. In his enim dextera comprobatur fide & virtute.

VITTAS. Quæ pendebant in ramo religatæ. Alibi, *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.*

HVC REPETIT. Scilicet Dardanus, id est Æneas, qui & Dardanus, ut diximus supra, vocabatur. Et bene non PETIT, sed REPETIT, quasi ad sua. INGENTIBVS. Deliis, quæ magna constat fuisse.

FORTVNÆ PARVA PRIORIS. Bene medium tenuit. Nam ne laudare videretur, ait PARVA. ne deformare (nam durum est aliquid ab infelicibus accipere) ait, *Fortunæ prioris.*

HOC PATER ANCHISES AVRO LIBABAT AD ARAS. Pateram significat.

HOC PRIAMI GESTAMEN ERAT. Diadema dicit. Nam sceptrum dicturus est.

SACERQVE TIARAS. Pileum Phrygium dicit. Et sciendum hic *tiaras* per usurpationem dictum. Nam hæc tiara dicitur. Melius ergo Iuvenalis: *Et Phrygia vestitur bucca tiara.*

OBTVTV TENET ORA. Ordo est. Latinus defixa tenet ora: & *obtutu*, id est intuitu solo hæret immobilis.

INTENTOS VOLVENS OCVLOS. Cogitantis est gestus: sic de Boccho Salustius, *Vultu & oculis pariter atque animo varius.*

REGEM PICTA MOVET. Quippe regem, & in purpura Iliadum labor.

DONATI.

FIDE. Laudat fidem, quæ necessaria est in societate regni.

DAT PRÆTEREA. Quomodo *preterea*, cum nihil prius dederit? sed sic conjunge: misit nos ad te Æneas & *preterea*, id est, ultra, ad id quod misit dat munera, parva respectu prioris fortunæ.

HOC PATER. Nam & si per se non sint, magna sunt tamen, quia talium virorum fuerant.

TIARAS. Pileus est quo Phryges utuntur, cum celebrant sacra: unde *sacrum* dixit.

INTENTOS OCVLOS. Quod est capientis consilium. nam oculi per diversa vagantes, secum animum trahunt, & à fixa cogitatione abstrahunt. Sed si *intentos*, quomodo *volvens*? quia tacitarum cogitationum est, movere oculos cum animi æstus per diversa rapiunt: ita quo ierit redieritque animus oculorum signis ostendit.

VARIORVM.

PRÆFERIMVS MANIBVS VITTAS. Ritum exponit Turneb. lib. 4. cap. 15. & lib. 5. cap. 7. & lib. 8. cap. 16.

HINC DARDANVS ORTVS. Explicat. Turn. lib. 30. cap. 5.

DEFIXA LATINIS. Macrob. initio lib. 4 Saturnal.

TIARAS. Baysius c. 20. de re vestimentaria. H.

Quan-

Quantum in connubio natæ thalamoque moratur,
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa à sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis: hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dii nostra incepta secundent,
Auguriumque suum: dabitur Trojane quod optas.
Munera nec sperno: non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari)
Adveniat, vultus neve exhorrescat amicos:
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,

SERVII.

PORTENDI. Porro tendi, prædici, significari.

PARIBVS AVSPICIIS. Pari potestate. & tractum est ex comitiis, ut diximus in quarto.

DII NOSTRA INCEPTA SECVNDENT. Secundum priscam consuetudinem locuturus de publica utilitate, id est pace, & de regiis nuptiis, facit ante deorum commemorationem, sicut in Catonis orationibus legimus. Hinc est in divinatione Ciceronis, *Si quid ex aliqua vetere oratione, Iovem ego optimum & maximum.* Ipse etiam Virgilius alibi, *Præfatus divos solio rex infit ab alto.*

AVGVRIVM. Propter quæ dicta sunt supra. QVOD OPTAS. Id est pax.

NEC SPERNO. Quia dixerat, *Fortunæ parva prioris Munera.* Et est Liptotes, id est, Libenter accipio.

VBER AGRI. Vbertas. Alibi, *Pecorique & vitibus almis Aptius uber erit.* Et est major petitione promissio. Nam illi tantum littus petierant.

PACIS ERIT. Fœderis: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. TYRANNI. Græce dixit, id est regis. Nam apud eos tyranni & regis nulla discretio est: licet apud nos incubator imperii, tyranus dicatur: Sane apud Græcos hic & hæc tyrannus declinatur.

EST MIHI NATA. Male multi arguunt Virgilium, quod Latinum induxit ultro filiam pollicentem. Nec oraculum considerantes, quia Italo dari non poterat, nec Æneæ meritum quem dicebat rogari. Nam antiquis mos fuit meliores generos rogare. Sic Terentius, *Hac fama impulsus Chremes, ultro ad me venit, unicam gnatam suam.* Hesiodus etiam περὶ γυναικῶν, inducit multas Heroidas optasse nuptias virorum fortium.

SORTES. Modo abusive pro oraculis posuit. Nam non proprie dicuntur *sortes.* hic autem à Fauno oraculum, non *sortes* acceperat.

PLVRIMA COELO MONSTRA SINVNT. Aut per augmentum dixit: aut & alia visa intelligamus. Nam duo, plurima non sunt.

DONATI.

TANDEM. Post diuturnam cogitationem. LÆTVS. Quia reperierat felices exitus. VESTRA INCEPTA. Quod magnopere desideramus, compleri optamus. hoc optatum pertinet ad nuptias filiæ, de quibus diutius cogitaverat.

QVOD OPTAS. Brevis, sed plenissima promissio. TROIANE. Nam nomen Ilionei ignorabat.

TYRANNI. Hoc nomen posterioribus sæculis infamatum est: nam reges quoque tyranni dicebantur.

EST MIHI NATA. Verecunda oblatio & adversus omnem exprobrationem munita: ne forte illud dici posset Terentianum: *Aliquid monstri alunt, & quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.*

VARIORVM.

VOLVIT SVB PECTORE SORTEM. *Sortem* hic usurpavit, ut Græci κλῆρον & κλήρους, pro fato, effato, responsis. Alibi enim *Lycias sortes* dixit. Et Lucret. lib. 4. *Nequidquam divum numen, sortesque fatigant,* consulentes oraculum scilicet. GERM.

DII NOSTRA INCEPTA S. Ab euphemia ductum principium responsi, ut dii benevertant quod ipse ex Fauni sortibus; Æneas è divorum responsis accepisset. HORT.

(Hoc Latio restare canunt) qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. hunc illum poscere fata
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum, geminosque jugales,
Semine ab æthereo, spiranteis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.

SERVII.

HOC LATIO RESTARE CANUNT. Hoc Italiam manere significant. Nam si dicimus, hoc mihi restat, id est manet me illa res.

MENS AVGVRAT. *Auguro* dicimus secundum Plinium, cum præsagio mentis futura colligimus. *Auguror* vero tunc, cum futura veris captamus auguriis.

NVMERO OMNI. Utrum equorum numero, an legatorum? Sed si de equis trecentis dixit, perite locutus est: nam in legione non nisi trecenti equites erant, quæ tamen legio habebat sex millia virorum. Per quod ostendit unam habuisse legionem Latinum. Item alio loco, *Tercentum scutati omnes Volscente magistro.*

IN PRÆSEPIBVS ALTIS. Multa non propter se, sed propter aliud dicuntur. Nam per *præsepia alta*, equorum magnitudo monstratur. Homerus βαθύπεπλος ἑλκεσ. id est longas vestes habens

ORDINE. Pro merito singulorum.

TAPETIS. Tertio declinatur hoc nomen tapetum tapeti: ut templum templi. Unde est his tapetis: ut templum templi. Unde est his tapetis hoc loco. Item, hoc tapete hujus tapetis, ut sedile, sedilis. Unde est, *Qui forte tapetibus altis Extructus.* Declinatur & Græce ὁ τάπης τάπητος. Unde est, *Pulchrosque tapetas* τοὺς τάπητας.

DEMISSA MONILIA PENDENT. Suspendenda pronuntiatio est: & ambitus major est. Nam *monilia* non nisi hominum dicimus: quæ nunc ad laudem pro phaleris posuit.

PATRI QVOS DÆDALA CIRCE. Ingeniosa: & hoc fingit eam fecisse. Tractum autem est de Homero, qui tales equos habuisse inducit Anchisen. Et bene est compositum ad illud quod supra ait, *Troiæve opulentia deerit.* Ut Trojanis nihil de prisca rerum copia abesse videretur. GENTEM autem abusive dixit de equis, cum gens hominum sit.

NOTHOS. Materno ignobiles genere. Est autem hoc nomen Græcum, Nam in latinitate deficit.

DONIS, DICTISQVE LATINI. Equis: & pacis nuptiarumque promissione.

DONATI.

OPTO. Ad laudem Æneæ.

INSTRATOS OSTRO. Stratis purpureis ornatos.

MONILIA. Ornati in formam mulierum. mirum autem benevolentiæ in Trojanos signum. Nam qui pedites venerant, non debebant ad futurum generum nisi equites redire. Æneæ vero mittit bigas, honoris virtutisque causa. *Honoris*, ut curru vectus, ad socerum cum dignitate veniret. *Virtutis*, quia currus & equi instrumenta bellorum sunt: & ne ad generum, potentissimus rex, leve donum mittere videretur, equos mirifice laudat.

DÆDALA, Vivacissimo ingenio, ut Dædalus fuit.

DONIS. Propter equos. DICTIS. Nam pacem reportant.

VARIORVM.

TERCENTVM NITIDI. Amplificatione numeri, regias opes declarat. Et in donis servat decorum. Regum enim est, equos & currus quibus vehantur donare. Equis addit paris dignitatis ornamenta. HORTENS.

AVREA PECTORIBVS. Illustrat Victor. lib: 33. cap 12.
Ald. Manut. de Quæsitis per epist. de Phaleris.

DÆDALA CIRCE. Ex Lucret. Macrob. lib. 6. cap. 4. Saturn. Circen enim Dædalam ob id vocat, quod novis artibus homines verteret in feras. Vide proverb. *Dædali opera.* HORTENS.

SVPPOSITA DE MATRE NOTHOS. Matrem hic suppositam dixit nove, cum subjectos partus dicamus τὰ νόθα καὶ ὑποβαλλόμενα βρέφη. GERM.

Ecce autem, Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Iovis conjux, aurasque invecta tenebat,
Et lætum Æneam, classemque ex æthere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ;
Deseruisse rates. stetit acri fixa dolore:
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygûm! num Sigæis occumbere campis?
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per igneis
Invenêre viam? at, credo, mea numina tandem
Fessa jacent: odiis aut exsaturata quievi.
Quinetiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, & profugis toto me opponere Ponto.
Absumtæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis

SERVII.

INACHIIS SESE REFERREBAT AB ARGIS. Bene Inachiis. Non enim una est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit: quæ primo Argi, post Argyrippa post Arpi dicta est. Fuit & in Thessalia. Lucanus, *Vbi nobile quondam, Nunc super Argos erat.* Fuit & haud longe ab Athenis, quod à siti Argos Dipsion dictum est: apud quos magna erat societas inter eos qui uno puteo utebantur. Vnde & fratrias dixerunt ἀπὸ τ φρέατος, quas tribus vocamus. Et notandum quod ubi bonus sequitur eventus Trojanos, Iuno removetur: & congrue quasi numen inimicum, quod præsens posset nocere.

AVRASQVE INVECTA TENEBAT. Per elementum suum ibat.

AB VSQVE. *Ab usque* autem & *ad usque* usurpative dicimus. Præpositio enim nec adverbio jungitur, nec præpositioni. *Vsque* autem, aut præpositio est, aut adverbium.

IAM FIDERE TERRÆ. Per dativum jungendum, aliter non procedit. Vt, *Fidere nocti.*

STETIT. Quod solet esse cogitantum, id est stare.

FATIS. Voluntatibus.

CAPTI POTVERE CAPI? Cum felle dictum est. Nam si hoc removeas, erit oxymorum. Dicit autem omnia quæ contigerunt, non videri contigisse, quia non obfuerunt. CAPTI autem CAPI sic dixit, ut Cicero, *Vt in uberrima Siciliæ parte, Siciliam quæreremus.*

AT CREDO MEA NVMINA TANDEM. Nec fatigata destiti: nec satiata requievi.

PATRIA EXCVSSOS. Satis signate locutus est.

ME OPPONERE PONTO. Plus est, quam si diceret tempestates. ME autem per Perissologiam imbres, tonitrua, tempestates.

AVT SCYLLA MIHI. Bene MIHI: ac si diceret, Etiam quæ per suam naturam solent nocere, me rogante non potuerunt obesse Trojanis.

DONATI.

FATIS CONTRARIA. Qui contrariis fatis nascuntur, immortales inter se inimicitias exercent: confirmat etiam deos fatis agi. dolet igitur Iuno quod debuissent timere fata sua Trojani, & non timuerint: dolet quod superiores semper evaserint: & quicquid excogitare potuerit, vicerint.

MEDIAS ACIES. Per gladios & per ignes non extremos, sed medios, quibus nulla possunt esse graviora pericula.

AT CREDO MEA NVMINA. Nec fessa sum odiis, nec quievi saturata.

VARIORVM.

ECCE AVTEM. Transitio ad consilium Iunonis, quo occasio sternitur ad turbandum confundendumque fœdus inter Latinum & Trojanos, ut belli materia quæratur. HORTENS.

ECCE AVTEM INACHIIS. Non satis apte Virgilium fecisse initium belli inter Trojanos & Latinos, Macrob. ait. lib. 5. cap. 17. Saturnal.

QVASSANS CAPVT. Notatio ex gestis iratorum. HART.

HEV STIRPEM INVISAM. Hujus orationis artificium explicatur eleganter à Macrob. lib. 4. c. 2. Saturnal.

QVIN PATRIA EXCVSSOS. Mirabiliter positum: quicquid enim excutitur, vim testatur, quam ferre non potuit: & ad hoc excutitur, ut cum sua pernicie cadat. DONATVS.

Digitized by Google

Profuit? optato conduntur Tybridis alveo,
Securi pelagi, atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
Ast ego magna Iovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. quod si mea numina non sunt
Magna satis; dubitem haud equidem implorare quod usquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener, atque socer coëant mercede suorum:
Sanguine Trojano & Rutulo dotabere virgo:
Et Bellona manet te pronuba. nec face tantum

SERVII.

CONDVNTVR TYBRIDIS ALVEO. Condi proprie dicuntur, qui sibi statuunt civitatem. *Conduntur* ergo, sedem stabilem locant. Salustius, *Parte conditor orbis terrarum*. Et sunt propria verba quæ nulla ratione mutantur: nam ut sacerdotes creari, virgines capi dicimus.

PELAGI. Propter illud, *Sed terra graviora manent*. MARS PERDERE GENTEM. Bene belli & vastationis quærit exempla in rebus hujusmodi: sicut in primo, naufragii. Pirithous Lapitharum rex cum uxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, & deos omnes excepto Marte, ad convivium convocavit. Vnde iratum numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithæ in bella venerunt.

ANTIQVAM GENITOR CALYDONA DIANÆ. OEneus Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificavit excepta Diana: quæ irata aprum immisit: qui cuncta vastabat, donec à Meleagro occideretur. CONCESSIT autem ideo dixit, ut ostenderet minora numina, nisi impetraverint, nocere non posse. Statius de Venere, *Infandum nata concessit honorem*.

QVOD SCELVS AVT LAPITHIS TANTVM, AVT CALYDONE MERENTE? Hæc est vera lectio: sic & sensus procedit, ut uterque ablativus sit. Nam si Calydona legas, vitium erit, nec sensus procedet. SCELVS autem pro pœna posuit: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Vt, *Et scelus expendisse merentem*.

QVÆ POTVI INFELIX. Id est nocens, irata: ut contra, *Sis felix*, id est propitia: sicut diximus supra.

IMPLORARE QVOD VSQVAM EST. Ac si diceret, etiam humilia. Quod autem Iuno ubique, alieno uti introducitur auxilio: physicum est. Natura enim aëris per se nihil facit, nisi aliena conjunctione, ventorum scilicet, qui creant nubes & pluvias.

ATQVE MORAS TANTIS LICET ADDERE REBVS. Ostendit deos retardare posse fata: non penitus tollere. Vt, *Decemque alios Priamum superesse per annos*. Quæ autem dicit, etiam à Creusa dicta sunt, ut, *Regnumque & regia conjux Parta tibi*.

SANGVINE TROIANO, ET RVTVLO DOTABERE VIRGO. Ambitiosæ execrationes.

NEC FACE TANTVM. Tantummodo.

DONATI.

MARS PERDERE GENTEM. Ab exemplis iras suas accendit, & ostendit minores deos ad plenum se defendisse. Comparat causas, delicta, & personas.

VINCOR AB ÆNEA. Nomen proprium pro convitio posuit. quasi dicat ab uno, eodemque vitiosissimo.

AT LICET AMBORVM. Magnum factiosæ inimicitiæ consilium, ut dissiparet populos, cum regum concordiam non posset rumpere. Convertitur autem ad virginem, veluti ipsa cum Ænea aliquid egisset.

VARIORVM.

NIL LINQVERE INAVSUM. Guil. Canterus lib. 2. cap. 2. Novar.

ET BELLONA MANET TE PRONVBA *Pronubas* dici, ait, Donatus, quæ in obsequio nubentis sunt, quæ scilicet nubentes domum mariti deducunt & comitantur.

NEC FACE TANTVM. De *Face* à Cassandra prædicta in Paride fratre, explicat Vict. lib. 29. c. 5.

Cisseïs prægnans igneis enixa jugales:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestaque iterum recidiva in Pergama tedæ.
Hæc ubi dicta dedit; terras horrenda petivit:
Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris; cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem,
Hanc operam; ne noster honos, infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimeis armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,

SERVII.

CISSEIS. Regina Hecuba secundum Euripidem filia Cissei, quem Ennius, Pacuvius & Virgilius sequuntur. Secundum Homerum filia Dimantis fuit. Hæc se facem parere vidit, & Parin creavit qui causa fuit incendii. Ergo nunc hoc dicit, *Talis erit Veneri partus suus.* Nam sicut per Parin Troja incensa est, sic per Æneam reliquiæ Trojanorum. Comparatio autem injuriosa. Nam Veneri Hecubam, Parin Æneæ, Helenam Laviniæ comparavit. IUGALES. Conjugales, matrimonio & sanguine conceptos.

IDEM. Talis, similis.

FUNESTAQUE ITERUM RECIDIVA IN PERGAMA TEDÆ. Sic tedæ recidivæ.

LUCTIFICAM ALECTO. Græcus accusativus est. Hujus autem declinationis tres tantum casus usurpamus, genitivum ut Alectus, nominativum, & accusativum, ut Alecto.

ODIT ET IPSE PATER PLUTON. Venerationis est ipse pater. Nam furiæ Acherontis & Noctis sunt filiæ.

HIS ACUIT VERBIS. Irritavit & instigavit ejus insaniam.

PROPRIUM. Aut tibi aptum: aut certe perpetuum, indefessum, usque ad finem perducendum. Et sciendum ideo Furiæ nihil pro præmio dari, quia præstatur hoc ipsum Furiæ, ut bella commoveat: & ut dicatur defendisse Iunonem.

INFRACTA. Aut valde fracta: aut quæ fuit antehac semper infracta. Ut, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.*

CEDAT FAMA LOCO. Vincatur. Cicero, *Loco ille motus est, cum est ex urbe depulsus.* AMBIRE LATINUM. Amplecti circum, retinere: & dictum est non ab ambitu. Nam ambio ad illum dicimus, non ambio illum.

TU POTES UNANIMEIS. A majore ad minus.

VERSARE. Vertere. & usus est frequentativo ad vim augendam.

TIBI NOMINA MILLE. Facies: ut, *Et sine nomine corpus.* Mille autem secundum Euripidem: in cujus tragœdia dicit Furias non esse unius potestatis, sed se fortunam, se Nemesin, se fatum, se esse necessitatem. Ita dicit etiam Asper.

DONATI.

HORRENDA. Ex causa magnæ iracundiæ vehementer commota. Descriptio autem Alectos ostendit eam esse aptam tanto negotio.

PROPRIUM. Ergo non laborabis, quia nihil peto alienum à te. DA. Non precatur, sed imperat: ut sit ratio personarum.

NOMINA. Per nomina formas ostendit, in quas conversa mutabat, quod poterat vocitari.

VARIORUM.

ET PARIS ALTER. Confert Euripid. Troadibus Vict. lib. 28. cap. 7.

LUCTIFICAM ALECTO. Quæ nihil aliud præter luctus posset efficere, aut quæ faceret luctus. Multa deinde congerit, ut ostendat exquisitum malum, & quo pejus non esset, sibi Iunonem adhibuisse. DONAT.

IRÆQUE INSIDIÆQUE. Iac. Loensis Epiph. lib. 6 cap. XI.

TIBI NOMINA MILLE. Numeris cur dignitas indicata. Turneb. lib. XI. cap. 19.

Digitized by Google

Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ.
Quam super adventu Teucrûm, Turnique Hymenæis,
Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes, & levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam. fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longa tænia vittæ,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem:

SERVII.

FOECVNDVM CONCVTE PECTVS. Plenum pectus malitiæ efficacia.

COMPOSITAM PACEM. Quam Latinus dederat. CRIMINA BELLI. Caussas. Vt, *Crimen, amor vestrum.*

EXIN. Statim, & est adverbium ordinis. GORGONEIS autem pessimis, sævis: à Gorgone.

TACITVM. Pro tacite, bene autem OBSEDIT, quasi quæ insidiabatur.

CVRÆQVE, IRÆQVE COQVEBANT. Perverso ordine respondit. Nam ira in Trojanos est: cura vero de nuptiis, & primo adventu Teucrorum. COQVEBANT vero, macerabant.

HVIC DEA. Figura perturbata. Namque talis est ordo, Huic dea unum anguem in sinum conjicit, & usque ad intima subdit præcordia, quæ sunt loca cordi vicina. quibus sensus percipitur. ANGVEM autem injecit partem sui, id est furoris.

LEVIA. Pulchra.

ATTACTV NVLLO. Sine morsu, sine sensu. FALLITQVE FVRENTEM. Injicit furorem sine accipientis sensu. *Furentem* autem, quod furore teneatur. Nam nondum furebat.

TÆNIA VITTA. Tænia est vittarum extremitas.

VDO SVBLAPSA VENENO. Hypallage sensus, venenum enim *udum* dixit, quod est de udo corpore. Namque serpentum uda sunt corpora, adeo ut qua eunt, viam humore designent.

DONATI.

FOECVNDVM. Nocendi artibus redundans. Sollicita autem in causa sua, sæpius rem commendat. Ordinatum autem consilium est. primo enim fœdus vertendum fuit, ut via pateret ad bellum.

SERE. Vt ex satis alia rursus fœcundè pullularent.

VELIT. Plus velle est quam cogi. *velit* primo, deinde poscat, & si non detur, rapiat. nam capit qui sine jubentis authoritate invadit.

EXIN. Ex eo momento. GORGONEIS. Fuit ea forma, qua fingitur Gorgone.

TACITVM. Sine strepitu, quoniam in mœrore jacebat, cum audiret filiam dandam Æneæ: vel ipsa tacita, ut facilius nescienti obtemperet.

VNVM. Quia unum ad perditionem præsentium arbitrata est satis esse.

SINVM. Sinus dicitur, qui potest aliquid excipere & tenere.

VIPEREAM ANIMAM. Pulsa scilicet humana.

TÆNIA. Id est, vitta.

VARIORVM.

ARMA VELIT, POSCAT, &c. Iuventus optat interdum arma, sed non audet à principibus petere. Et ut etiam maxime poscat, tamen non ita statim conceduntur. Itaque inquit, *rapiat.* Id est, tanta bellandi cupido juventuti immittatur, ut sua sponte, contempto duce ad arma prosiliant. HORTENS.

OBSEDIT LIMEN AMATÆ. Reginæ. Prona enim fœmina est ad rixas & bella serenda, & miscenda omnia.

PRÆCORDIA. Sunt loca cordi vicina, in quibus affectus humani, & perturbationes sitæ sunt. HORT.

VIPEREAM INSPIRANS. Ex Homero desumptum ait Pet. Vict. lib. 38. cap. 6 Variar.

Digitized by Google

Nec dum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius & solito matrum de more locuta est:
Multa super nata lachrymans, Phrygiisque Hymenaeis.
Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque, tuique?
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine praedo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledaeamque Helenam Trojanas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum?
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
Dissidet, externam reor: & sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum

SERVII.

SOLITO MATRVM DE MORE LOCVTA EST. Nondum ad plenum furebat. Vnde per muliebrem iracundiam mista asperitate loquebatur. Nam hoc est *matrum de more*. Paulo post enim furore quatietur.

EXVLIBVSNE DATVR? Propter dissuasionem figurate loquitur, *exules* vocans eos qui propria regna repetebant. DVCENDA. Abducenda. PRAEDO. Quasi piratam dicit hominem diu in mare morantem.

AT NON SIC PHRYGIVS. Legitur & AN NON, sed hoc absolutum est. Si autem AT legeris copulativa particula est, ad ornatum solum pertinens. Horatius, *At ò deorum quicquid in caelo regit terras, & humanum genus.*

QVID CONSANGVINEO. Filius enim est Veniliae sororis Amatae.

SI GENER EXTERNA PETITVR DE GENTE LATINIS. De qualitate transit ad finem. Nam vult Turnum extraneum esse diffinire per callidam argumentationem, quia imperio Latini non subjacet: cum oraculum de Latinis omnibus caverit. Postea etiam huic argumento alia subvenit argumentatione, Turnum Graecum esse ab Acrisio commemorans, per quod duas res agit latenter. Nam dicendo originem considerandam, docet & Turnum esse ab Inacho Acrisio: & Aeneam Latinum esse à Dardano.

PREMVNT TE IVSSA. Vrgent, in hoc loco compellunt.

INACHVS ACRISIVSQVE PATRES. Danaë Acrisii regis Argivorum filia, postquam est à Iove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare. quae delata ad Italiam, inventa est à piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, & oblata regi, qui eam sibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, à quibus Turnum vult originem ducere.

DONATI.

EXVLIB. DATVR. Non fuit utendum principio. nam nec benevolus reddendus erat, qui esset pater; nec attentus, qui de re esset sollicitus: nec docilis, cum causam sciret. Incipit ergo à quaestionibus deformans negotium: & ita agit cum marito, quem revereri oportuit, ut suadere potius quam reprehendere videatur. Sunt ergo argumenta: Nullus postulat. Pater ingerit. Erit in navi thalamus filiae, quando datur ei qui perpetuis erroribus damnatus est. Omnis vita ducetur in fluctibus. Nulla conjugis gratia, nullum decus uxoris, quam pater non tradidit, sed abjecit non amplius visuram. Ergo non propagatio sanguinis, sed orbatio est, & domus nostrae solitudo perpetua. Antea autem gesta exempla sunt perfidiae ipsorum. Est autem maximum scelus rumpere fidem Turno. Responsa deorum sunt cum maxima cautela consideranda, quia implicita sunt & involuta.

VARIORVM.

EXVLIBVSNE DATVR. Eleganter ex contemptu Aeneae auget injuriam suam. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturnal.

SI GENER EXTERNA. Explic. Victor. lib. 36. cap. 5.

Contra

Digitized by Google

Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. non cursu segnior illo
Per medias urbeis agitur, populosque feroces.
Quinetiam in sylvas, simulato nomine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, & natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tedasque moretur:
Evoe Bacche, fremens: solum te virgine dignum
Vociferans: etenim molleis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla, comasque.
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.

SERVII.

SINE MORE FURIT. Sine exemplo: & hoc jam contra decus est regium. LYMPHATA. Percussa furore lympharum, sicut Cenitos à Cerere dicimus.

TURBO. Catullus hoc turben dicit, ut hoc carmen. Hic turbo, unde turbinis facit. Nam si Turbonis sit, erit à proprio nomine genitivus: ut Horatius, *Turbonis in armis.*

IMPUBISQUE MANUS. Aut multitudo puerorum: aut à parte totum posuit, ut pro manu puerum ipsum intelligas.

SIMULATO NOMINE BACCHI. Talem patiebatur furorem, ut speraret se Liberi sacra celebrare. Non enim ipsa simulabat, quod est sanorum. Nam & paulo post dicturus est, *Alecto stimulis agit undique Bacchi.* QUO. Ut.

EVOHE BACCHE. Bacchantis vox est.

TIBI SUMERE THYRSOS. Sumebant: infinitivi sunt pro indicativis.

PAMPINEAS HASTAS. Pampinis tectas. INCINCTÆ PELLIBUS. Nebridarum scilicet.

VARIORUM.

INGENTIBUS EXCITA MONSTRIS. Monstra credo accipienda, quæ animo ejus objicerentur imagines, quæque ipsa sibi insano dolore percita fingebat. PONT.

ERIPUIT TEUCRIS. Alluditur ad Proverb. *Bolum è faucibus præripere.* HART.

CEU QUONDAM TORTO. Vide Iac. Loensem lib. 7. Epiphyll. cap. ultimo. Castalion cap. 39. Var.

CEU QUONDAM. A simili, ut insanientis speciem oculis subjiciat: trocho à pueris flagellis circumacto eam comparat; quo more solent Bacchades in Liberi patris Orgiis lymphatæ per urbes montesque discursare. HORTENS.

SIMULATO NOMINE. More Bacchantium fœminarum, ut cum numinis impetu ageretur, aut certe agi videretur, reliquæ ad exemplum concitarentur, Dei quodammodo religione ictæ. HORT.

MAIUS NEFAS. Bacchanalia *nefas* vocat, propter Rom. leges postea contra Bacchanalia latas. HORT.

SACRUM TIBI PASCERE CRINEM. De ritu comam Baccho dedicandi, Turneb. lib. 7. cap. 14.

PAMPINEASQUE GERUNT. De Bacchi sacris & ritu. Turneb. lib. 29. cap. 32.

INCINCTÆ PELLIBUS. Alexander lib. 6. c. 9. Cal liv. 7. cap. 15. HART.

Ipsa

Digitized by Google

Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit Hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: torvumque repente
Clamat, Iò matres audite ubi quæque Latinæ.
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet:
Solvite crinales vittas, capite Orgia mecum.
Talem inter sylvas, inter deserta ferarum
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque, omnemque domum vertisse Latini;
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis,
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto. locus Ardea quondam
Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen,
Sed fortuna fuit: tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem:
Alecto torvam faciem, & furialia membra
Exuit, in vultus sese transformat aniles,

S E R V I I.

PINVM SVSTINET. Facem pineam, sicut in Liberalibus fit.

NATÆ TVRNIQVE CANIT HYMENÆOS. Hic aperte expressit dementiam. Nam cum consecraverit filiam Libero, hymenæum canit ejus & Turni. HYMENÆVS autem, nunc carmen nuptiale dicitur.

TORVVM. Pro torve. IO. Vox clamantis: & est tragicus sermo.

PIIS ANIMIS. Id est maternis.

CRINALES VITTAS. Quæ solarum matronarum erant. Nam meretricibus non dabantur.

ACVISSE FVRORES. Vt supra, *Quam Iuno his acuit verbis.*

CONSILIVMQVE OMNEMQVE DOMVM VERTISSE LATINI. Quod habuerat: ut filiam dando Æneæ, bella removeret quæ significaverat fumus augurii.

ACRISIONEIS DANAE. Patronymicum est. Nam male putant Acrisioneis colonis. Sola enim venerat, non cum colonis.

PRÆCIPITI DELATA NOTO. Intra arcam, ut diximus supra, & ut à plurimis dicitur.

MAGNVM TENET ARDEA NOMEN. Bene allusit. Nam ARDEA, quasi ardua dicta est, id est magna & nobilis: licet Iginus in Italicis urbibus ab augurio avis, *Ardeam* dictam velit. Illud namque Ovidii in Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Hannibale *Ardeam*, in hanc avem esse conversam. Sciendum tamen *Ardeam* per Antiphrasin dictam, quod brevitate pennarum altius non volat. Lucanus, *Quoque ausa volare, Ardea sublimis pennæ confisa natanti.*

MEMBRA EXVIT. Bene EXVIT. Nam dii cum volunt videri, induunt se corporibus propter mortalium oculos. Nam incorporei sunt.

V A R I O R V M.

SOLVITE CRINALES. Capitum diademata. Solutis enim crinibus hæc sacra celebrari solebant: & clamoribus & ululatibus ita fœminis mixti mares per urbes vagabantur. Verba sunt Amatæ, muliercularum turbam hortantis ad consimilem amentiam. HORT.

PROTINVS HVNC FVSCIS &c. Transitio ad secundam belli occasionem: hoc est ad Turnum, quem & ipsum furore implet, & ad arma concitat. HORT.

ACRISIONEIS COLONIS. *Acrisioneis* vult Servius referri ad *Danae*, non ad *colonis*. Sed pace Servii ad *colonos* referendum est: Nam patronymicum fœmininum, pro Acrisii filia, esset Acrisione, vel Acrisis, non Acrisionæus. Sed dicas forte, Danaen cum Argolicis colonis non venisse, quibuscum urbes condere potuisset. Fateor: atqui advena ipsa atque Acrisione, id est, Acrisii filia, cur in Italia assumptos colonos de suo nomine Acrisioneos dicere non potuerit, haud video. PONTAN.

Digitized by Google

Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit olivæ.
Fit Calybe Iunonis anus, templique sacerdos:
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores?
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium & quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres.
I nunc ingratis offer te irrise periclis:
Tyrrhenas i sterne acies: tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida cum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, & armari pubem, portisque moveri
Lætus in arma para: & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre duces, pictasque exure carinas.

SERVII.

ALBOS CVM VITTA. Id est etiam vittas albas.

RAMVM INNECTIT OLIVÆ. Aut coronam accipit: aut ramum illigat vittis. Quod aperte in octavo ostendit, *Et vitta comptos voluit prætendere ramos*. Supra etiam, *Præferimus manibus vittas.*

IVNONIS ANVS, TEMPLIQVE SACERDOS. Ordo, ut Iunónis templi anus sacerdos.

FVSOS PATIERE LABORES? Probus de temporum connexione libellum composuit, in quo docet quod cui debeat accommodari: ex quo intelligimus hanc, quam fecit, arduam esse connexionem. Nam PATIERE futuri temporis est. FVSVS vero participium est præteritum. Est autem sensus, Patieris ut tot tui labores fundantur in cassum, id est, in irritum cadant. ET INCASSVM tractum est à retibus quæ casses vocantur.

TRANSCRIBI. Tradi. Sermo autem hic tractus est de pecunia. Nam scribi est dari. Horatius, *Scribe decem Nerio, non est satis, adde Cicutæ.* Rescribi, reddi. Horatius, *Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.*

QVÆRITVR HÆRES. De jure traxit. Vt non generum, sed hæredem diceret. Nam per coemptionem facto matrimonio sibi invicem succedebant.

TYRRHENAS I STERNE ACIES. Vt, *I sequere Italiam ventis.* Sane notum est bello multum potuisse Tyrrhenos: & fuisse præcipue infestos Latinis. Vt, *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.*

HÆC ADEO TIBI ME. Addidit authoritatem, quia scit anui credi difficile. ADEO autem, valde scilicet jussit: ut Terent. *Adolescentem adeo nobilem.*

LÆTVS. Alacer, festinus. Nam lætari non poterat, qui perdebat uxorem. Sic supra in primo, *Vela dabant læti.* FLVMINE PVLCHRO. Vt, supra, *Fluvio Tyberinus amœno.*

DONATI.

INDVIT. Bene Iunonis sacerdotis personam sumit, ut majore authoritate loqueretur. Pulchre autem dixit, *exuit* & *induit*, veluti cum vestitus permutationem facimus. Exuimus enim nostrum, & induimus alienum.

ABNEGAT. Cum tantis periculis & uxorem & dotem quæsieris. EXTERNVSQVE IN REGNVM. Dicit omnia quæ hominem fortem ad prælium, propter regnum, movere possint. dat præterea vincendi fiduciam, asserendo Iunonem affuturam, cui causa displicebat. Addidit metum, ne si cunctaretur, firmatos arctiore fœderis vinculo, superare non posset.

IPSA PALAM FARI. Habet emphasin *Ipsa*, quasi dicat, quæ omnia potest, tuæ causæ favet. TIBI. Contra meritum laborum irrisio. *Tibi*, qui male gesta, possis tua propria fortitudine corrigere. *Tibi*, suscepto jam genero. ME. Sacerdotem suam, templi custodem, cujus fidem nosset.

PHRYGIOS. Quasi dicat imbelles & inertes.

PICTAS. Nam luxuriosos hæc pictura denotat.

VARIORVM.

ET TVA DARDANIIS TRANSCRIBI, &c. Imperiumne jam tuis meritis debitum, ad indignos & advenas sine labore transferetur? Bis itaque intelligendum est, *sceptra transcribi.* Quod autem ait, *tot labores*, à qualitate adjecit pondus dictioni: quod ait *tua*, laudis loco accipiendum; *Dardaniis* vero convitio: utpote qui sua perdidissent, & invadere cuperent aliena. DONATVS.

I NVNC INGRATIS. Ironia, qua exprobrat ei sua merita in Latinum, ut irritet magis, exacerbetque odium in regem, ob ingratitudinem & inconstantiam. HORTENS.

QVARE AGE. Epilogus constat exhortatione ad arma, & exurendam classem Trojanorum. HORT.

Cælestûm vis magna jubet: rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium, & dicto parère fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Tybridis undam,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Iuno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ, verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divûm effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus:
Diriguêre oculi: tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit: tum flammea torquens
Lumina, cunctantem & quærentem dicere plura

SERVII.

COELESTVM VIS MAGNA IVBET. Aut per diffinitionem, ipsa Iuno est vis deorum: aut per augmentum, suasit primo per se, deinde per Iunonem: postremo per omnium vim deorum.

TVRNVM EXPERIATVR IN ARMIS. Id est probet contra se, quem pro se laborantem non probavit.

HIC IVVENIS VATEM IRRIDENS. Caluit, quia juvenis. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus juventa consule Planco.*

VICTA SITV SENECTVS. Temporis longinquitate, ex qua nascitur situs. VERIQVE EFFOETA. Cassa veritatis.

O MATER. Irrisio est, non honor.

FALSA VATEM, FORMIDINE LVDIT. Quia *vatem*. Nam eam defendebant à bellis, si non ætas, saltem religio sacerdotis.

EXARSIT IN IRAS. Communis sermo habet, ardeo illa re. sed figuratius, ardeo in illam rem dicimus: & est specialis Cornelii elocutio.

ORANTI. Loquenti. Vnde etiam oratores dicimus. TREMOR OCCVPAT ARTVS. Vicinitate senii et furiæ. Nam tremor furoris est.

TANTAQVE SE FACIES APERIT. Remoto anili vultu quem finxerat, & quo se induerat. Sic supra de Venere, *Et vera incessu patuit dea.*

O MATER. Irrisio est aperta.

DONATI.

CÆLESTVM VIS. Ergo debet audacius fieri. REX IPSE. Qui te fefellit, cujus imperium tua defensione servasti.

IVVENIS. Non mirum, si juvenis mulierem & anum, in re bellica contempsit.

VARIORVM.

VERIQVE EFFOETA SENECTVS. Cassa veritatis, exponit Servius. Sed hoc obscurum est. Puto Poëtam insinuare, senectutem esse deliram, & senes delirare plerumque, ut neque quid agant, neque quid, aut quamobrem dicant, satis sciant. GERMAN.

CLASSES INVECTAS TYBR. Primum respondet ad id, quod ad classes, quæ in Tyberi stabant: cætera sunt irrisionis plena: quorum summa est, non videri verisimile à Latino quicquam de connubii pactis mutari: quare anum senio delirare. HORT.

O MATER. *Mater* hic ad invidiam & contemptum: ut docet Eustathius, [illegible] Græcis nonnunquam ad venerationem: nonnunquam ad miserationem, ad contumeliam nonnunquam usurpari. Homero γέροντες dicuntur simpliciter honore digni viri, etiamsi ætatem senectam non attigerint, ut Romanis patres interdum. GERMAN.

CVRA TIBI, &c. Clausula constat jocosa exhortatione ad officium. HORT.

BELLA VIRI PACEMQVE GERANT. Proverbium Græcorum, [illegible], Gladium ne tolle mulier; in eos, qui sese immiscent rei, cui minime sunt idonei Et in eum, cui negotium mandatur, cui parum est idoneus. Senarius extat, στρατηγεῖ, καὶ γυνὴ στρατεύεται, Fœmina exercitum ducit, & fœmina militat. PONTAN.

QVEIS BELLA GERENDA. Proverb. *Bellum Cononi curæ fuerit.* HART.

Rep-

Digitized by Google

Reppulit, & geminos erexit crinibus angueis,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit.
Respice ad hæc: adsum Dirarum ab sede sororum
Bella manu, lethumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine fumanteis fixit sub pectore tedas.
Olli somnum ingens rupit pavor, ossaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.
Sævit amor ferri, & scelerata insania belli:
Ira super magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultantque æstu latices, furit intus aquai vis,
Fumidus, atque alte spumis exuberat amnis:
Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras.

SERVII.

GEMINOS EREXIT CRINIBVS ANGVES. Similes. Nam omnes eam dixit erexisse, non duos.

VERBERAQVE INSONVIT. Pro verberibus insonuit. Id est per verbera. RABIDO ORE. Habitum futuræ orationis ostendit.

RESPICE. Multi hic distinguunt, & superioribus jungunt, ut sit sensus, Respice eam, quam dicis falsa deludi formidine. AD HÆC, ADSVM. Id est ad regum arma, & ad bella. Quomodo ergo dicis, quod superflue his inferat rebus, ad quas venit? Alii RESPICE AD HÆC legunt, ut sit quasi demonstrantis, *Respice, bella & lethum gero.*

FACEM IVVENI CONIECIT. Satis considerate facem juveni conjecit, quæ cito exardescit & desinit. Supra vero, Amatæ serpentem injecit: quod in mulieribus semper viget venenum.

ATRO LVMINE FVMANTES CONIECIT TEDAS. Atri luminis: Vt, *Et pulchra faciat te prole parentem.* Atro autem lumine, furiali, inferno, alias ratione caret. SVB PECTORE, ubi fellis locus est, id est iracundiæ.

FREMIT. Cum clamore deposcit. Bene autem AMENS, quia in thoro requirebat.

SCELERATA INSANIA BELLI. Nihil enim tam insanum, quam desiderare id per quod possis perire.

VIRGEA. De virgis facta: unde est flamma validior. COSTIS autem, lateribus. Et bene antiquum respexit morem nam ollas non suspendebant: sed positis circum circa ignem adhibebant. *Costis* autem id est lateribus: ut, *Tardi costas agitator aselli.* FVRIT INTVS AQVAI FVMIDVS ATQVE AMNIS. Nec immerito. Nam potest esse & alterius rei amnis. Vt, *Fluvios videt ille cruoris.* Hanc autem Diæresim Tucca & Varus fecerunt. Nam Virgilius sic reliquerat, *Furit intus aquæ amnis*, & exuberat ut aqua amnis: quod satis asperum fuit. Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diæreses: hoc loco, & in tertio: ut, *Aulai in medio libabant pocula Bacchi*, & in VI. ut *Aurai simplicis ignem*, & in IX. *Dives pictai vestis & auri.*

NEC IAM SE CAPIT VNDA. Melius quam si diceret, *Nec jam vas undam capit.*

DONATI.

EN EGO VICTA SITV. Pejus non potuit objurgare metuentem, quam in illum regerere quæ protulerat.

BELLA MANV, LETHVMQVE. Contra illud, *bella viri pacemque gerant.*

MAGNO VELVTI. Ornatus Poëticus in parabolis, similitudinibusque maxime consistit.

VARIORVM.

ATRO LVMINE. Explicat Victor. lib. 26. c. 12.

SÆVIT AMOR FERRI Quomodo hi versus apud eruditos legantur, Pet. Crinitus lib 19. cap. 2. de honest. discipl. Cælius lib. 14. cap. 39. Lect. antiq.

MAGNO VELVTI CVM FLAMMA SONORE. Ex Homero ita transtulit, ut ei superior videatur. Macrob. lib. 5. cap 11. Saturn.

FVRIT INTVS AQVAI &c. Vide Henric. Stephan. de delectu lection. Virgilii.

NEC IAM SE CAPIT VNDA. Sic & exuberantes cyathos Græci ὑπερφιάλους vocant, qui infusam humoris nimiam copiam rejectant & respuunt, quam capere & continere nequeant. GERMAN.

VOLAT VAPOR ATER. Illustrat Victor. lib. 26 Variar. cap. 13.

Digitized by Google

Ergo iter ad regem, polluta pace, Latinum
Indicit primis juvenum, jubet arma parari:
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ:
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis:
Arte nova speculata locum, quo littore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iülus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, & noto nares contingit odore,
Vt cervum ardentes agerent: quæ prima malorum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma præstanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, & late custodia credita campi.

SERVII.

ERGO. Id est, quia sic incensus est. POLLVTA PACE. Vel sua vel Trojanorum.

INDICIT. Figurate verbum bellicum posuit.

IN VOTA VOCAVIT. Quia nuncupatis votis bella sumebant.

HVNC DECVS EGREGIVM FORMÆ MOVET. Turni scilicet decus. Nam hoc dicit, alios pulchritudo Turni, alios nobilitas, alios virtus movebat ad bellum. Nam hoc est, ANIMIS AVDACIBVS IMPLET. Id est fortibus. Quidam hæc ad singulos qui se in arma hortabantur referri volunt.

ARTE NOVA. Dolo. SPECVLATA LOCVM, QVO LITTORE. Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus. Vnde novè inter duo nomina, unum pronomen posuit. nam recte *quo loco* diceret. & hoc semel tantum fecit.

INSIDIIS CVRSVQVE. Cursu agitabat. Nam si *insidiis* circumvenimus, non agitamus.

CANIBVS RABIEM. Studium mutavit in rabiem.

NOTO ODORE. Cervino. Solent enim ita institui. Horatius, *Venaticus ex quo Cervinam catulus pellem latravit in aula.*

MAIORVM CAVSSA FVIT. Hoc est, *Et primæ revocabo exordia pugnæ.*

ANIMOS ACCENDIT AGRESTES. Plus quam si diceret, *agrestium animos.*

CORNIBVS INGENS. *Ingens* & ad præstantem formam pertinet, & ad magnitudinem cornuum.

TYRRHIDÆ PVERI. Tyrrhi filii: & ut diximus supra, alludit ad nomen. Nam Tyrrhus dictus est pastor, apud quem Lavinia peperit.

CVI REGIA PARENT ARMENTA. Magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium. Nam hoc est, *Et late custodia credita campi.* Magister autem est pecoris, ad quem omnia pertinent animalia. Cicero, *Nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat.*

DONATI.

POLLVTA PACE. Aliter enim adversus socerum moveri non debuit. Præterea impellebatur à Furia.

PRIMIS. Ductoribus, ut causam scirent.

CERTATIM. Amor maximus, & favor in Turnum ostenditur.

ANIMOS AGRESTES. Excitavit eos primum, qui facilius excitari potuerunt, propter imperitiam & feritatem.

VARIORVM.

CERVVS ERAT FORMA, &c. Hanc tanti belli caussam, ut nimis levem, vellicat Macrob. lib. 5. cap. 17. Qua tamen magis opportuna, magisque artificiosa nullam excogitari potuisse contra istum accuratissime docuit Ios. Iovian. Pontanus in Antonio. TAVBMAN.

Assue-

Digitized by Google

Assuetum imperiis soror omni Sylvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis:
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manûm patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis, rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iüli
Commovêre canes, fluvio cum forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius, curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus abfuit: actaque multo
Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis; questuque, cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne replevit.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.

SERVII.

SYLVIA. Bonum puellæ rusticæ nomen formavit.

PECTEBATQUE FERUM. Quadrupedem. Ut, *In latus inque feri curvam compagibus alvum*: sic dictæ, quod velocitate pedum ferantur.

MANUM PATIENS. Patiens illius rei dicimus. Unde apparet unum *u* caussa metri esse detractum. MENSÆ HERILI. Nove dixit. Nam herum non nisi dominum dicimus: nisi forte ideo dixit, quia dat ei humanum sensum. Nam ait paulo post, *Imploranti similis.*

ERRABAT SYLVIS. Pascebat, ut, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* IPSE. Id est sua sponte.

SECUNDO DEFLUERET. Secundo, id est cum aqua. Unde & adverso dicimus, contra aquam. Nam ideo DEFLUERET dixit: & SECUNDO ideo, quia cursus fluminis post natantem videtur.

DEUS ABFUIT. Alecto deum dicit: sicut de Venere, *Descendo, ac ducente deo.* Nam ut diximus: numina utriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, & quod volunt assumunt corpus. Ut autem deum dicamus pro dea, non aperte ponitur, sed in subauditione, ERRANTI. Licet enim certum esset feriturum, tamen bene *errantem* dixit, quia non usquequaque semper certus est ictus. Horatius, *Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.*

PERQUE ILIA. Hoc ile & hæc ilia facit. Hinc & Iuvenalis, *Vis frater ab ipsis Ilibus?* Nam quod Marullus Mimographus dixit, *Tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis*: cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen. Nam ab *ilis* debuit dicere. Bene autem ea loca vulnerata dicit, quæ statim mortem afferre non possent, ut domum rediret, & esset caussa bellorum. Nam si statim periret, aut ipse, aut vulneris auctor lateret.

SYLVIA PRIMA SOROR. Bene puellæ dat doloris impatientiam.

DUROS CONCLAMAT AGRESTES. Aut qui semper duri sunt: aut *duros*, qui cervi interitum non dolebant.

DONATI.

ERRANTEM. His versibus ponit excusationem Ascanii.

DEUS. Id est, eventus, qui humanos actus aut implet, aut deserit.

NOTA. Quorum humanitatem diu comprobasset.

VARIORUM.

ERRABAT SYLVIS: RURSUSQUE AD LIMINA NOTA &c. Significat ipsum fuisse ἀφετον. Ita enim Græci appellant belluas, quæ sine custode ullo libere vagantur, emissæ ab hominibus, in quorum manum potestatemque venerint: quæ tamen domum postea cum pastæ sunt, revertantur. VICTORIUS lib 28. cap 24.

HUNC PROCUL ERRANTEM RAPIDÆ, &c. A natura cervorum, qui gregatim errantes pascunt. HORTENS.

NEC DEXTRÆ ERRANTI DEUS. Bapt. Pius Annot. post. cap. 70.

ERRANTI DEUS ABFUIT. *Numina utriusque sexus videri, ait Servius, quia incorporea sunt, & quod volunt, assumunt corpus.* Sed non credo, eo respexisse Poëtam; sed Græcos imitatum esse, quibus θεὸς utriusque est generis. VOSSIUS.

Olli (pestis enim tacitis latet aspera sylvis)
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis. quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At sæva è speculis tempus dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
Contremuit nemus, & sylvæ intonuere profundæ.
Audiit & Triviæ longe lacus: audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:
Et trepidæ matres pressêre ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ; nec non & Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.

SERVII.

PESTIS. Furiæ. TORRE. Hic torris facit, ut hic fustis.

GRAVIDI. Gravis, propter nodos scilicet.

QVADRIFIDAM. Quæ findi partes posset in quatuor..

CVNEIS COACTIS. Satis signate *coactis* dixit. Exprimit autem antiquum morem: ut, *Sed primi cuneis scindebant fissile lignum.*

DE CVLMINE SVMMO. Proprie, quia de tectis agrestium loquitur.

TARTAREAM Aut terribilem, aut fortem.

TRIVIÆ LONGE LACVS. Est nemus haud longe ab Aricia, in quo lacus est qui Speculum Dianæ dicitur. Et notandum quia vocem ejus paulatim facit procedere: quod locorum indicat commemoratio.

SVLFVREA NAR ALBVS AQVA. In via Flaminia est civitas Narnia in montibus posita, quibus subest Nar fluvius, qui Tyberino conjungitur. Ideo dicit SVLFVREA NAR ALBVS AQVA. Quia dum currit est sulfurei coloris, dum hauritur albi: & Sabini lingua sua Nar dicunt sulfur. Ergo hunc fluvium ideo dicunt esse Nar appellatum, quod odore sulfureo nares contingat: sive quod in modum narium geminos habeat exitus.

FONTESQVE VELINI. Vltra amnem sunt: Vt diximus, vox *furiæ* paulatim procedit.

PRESSERE AD PECTORA NATOS. Statius, *Pressitque Palæmona mater.* Item econtra, *Nec natos ausæ deponere matres.*

AD VOCEM. Buccinæ. Vt, *Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.* Nam quicunque sonus dici vox potest.

AVXILIVM CASTRIS EFFVNDIT APERTIS. Id est, ipsa in auxilium effunditur.

DONATI.

TRIVIÆ LONGE LACVS. Id est, Avernos, qui à Latini stabulis esset remotissimus.

PRESSERE AD PECTORA. Ostendit maternum affectum.

TVM VERO AD VOCEM. Primo dixit: Sylvia auxilium vocat, postea dixit: Vocat agmina Tyrrhus, & venisse aliquos. Tertio furia bellum finitimis tuba canit, & plurimi venere.

AVXILIVM CASTRIS EFFVNDIT. Nam in periculo regii pueri non paulatim processum est, nec partibus, sed simul omnes. Tuetur autem Trojanos ab invidia, ut non ferant, sed ut defendant injuriam.

VARIORVM.

HIC TORRE ARMATVS. [illegible] servatque decorum in armando rusticos, ut quæque tela se illis obvia dabant. HORT.

SPIRANS IMMANE. A natura desudantis laborando. Et *immane* hic supra modum. Est alioqui admirantis vox. HORT.

ET TRIVIÆ LONGE LACVS. Quibus de caussis *Trivia* nominetur Diana, consulendus Gyrald. Syntag. 12. Natalis. lib. 3. cap. 27.

SVLPHVREA NAR ALBVS. Floridus lib 2. Subsec. cap. 18. Ald. Manut. de quæsitis per Epist. Epist. 1. lib. 1.

ET TREPIDÆ. Confert cum Euripide in Troadibus, Victor. lib 29 Variar: cap. 19.

INDOMITI AGRICOLÆ. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturnal.

Di-

Digitized by Google

Direxère acies. non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis:
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus; æraque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila jactant.
Fluctus uti primo cœpit cum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, & altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almon
Sternitur. hæsit enim sub gutture vulnus, & udæ
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa; seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert, justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis.
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum

SERVII.

DIREXERE ACIES. Ordinarunt in latitudine. PRÆUSTIS. PRÆ brevis fit propter sequentem vocalem: quod in una parte orationis factum tolerabile est, quia compositus est sermo.

FERRO ANCIPITI. Utrinque noxio. Dicit autem aut gladios aut bipennes.

SEGES. Terra modo: ut, *Quid faciat lætas segetes.* Per ATRA vero, fertilem significat, ut in Georgicis ostenditur.

SOLE LACESSITA. Naturale enim est, ut metallorum splendor plus fulgeat alia luce percussus.

PAULATIM SESE TOLLIT MARE. Sic bella dixit surrexisse paulatim, sicut ventis flantibus sensim mare turgescit.

HIC JUVENIS. Et puerum & juvenem nonnunquam indiscrete ponit Virgilius, ut hoc loco. Nam Almonem, quem modo juvenem dicit, paulo post ait puerum. Movet autem miserationem ab ætate, cum dicit JUVENIS: à virtute, quod dicit, *Primam ante aciem*: vulneris etiam crudelitate.

ALMON. Bene rustici nomen usurpavit ex fluvio.

HÆSIT ENIM SUB GUTTURE VULNUS. Id est sagitta. Ut, *Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus.* UDÆ VOCIS ITER. Hoc est udum iter vocis. Non enim vox uda est, sed per udam arteriam labitur viam. Unde in febrientibus deficit.

CORPORA MULTA VIRUM CIRCA. Constrata sunt. Rhetorice viles tradit in medium: nobiles vero primo & ultimo commemorat loco.

DUM PACI MEDIUM SE OFFERT. Reddit causam cur senex bellis interesat.

DITISSIMUS ARVIS. Secundum antiquum morem. Horatius, *Dives antiquo censu.*

QUINA REDIBANT ARMENTA. Pro quinque, sicut bina.

ET TERRAM CENTUM VERTEBAT ARATRIS. Duo dixit à Catone memorata, qui interrogatus qui esset paterfamilias, respondit eum, qui bene pascit, & bene arat.

ÆQUO DUM MARTE. Aperta contentione, bello manifesto, nam sic dicimus. Æquum autem pro æquali non possumus dicere, cum soli interempti sint Itali.

PROMISSI DEA FACTA POTENS. Honesta elocutio *Potens promissi.* Promisisse autem eam consensione intelligimus. Nam non promisit.

DONATI.

HIC JUVENIS. Post cædem cervi, tulit sors ut maximus natorum Tyrrhi occideretur. Movet autem pathos, & quod Tyrrhi filius, & quod maximus natu, & quod juvenis.

SENIORQUE GALESUS. Pathos ab ætate: item à causa, quod pacis medius. Cupiditas pacis ostenditur ex divitiis, quas in bello perdere erat anxius.

VARIORUM.

FERRO ANCIPITI DECERNUNT. Est enim *vitam cernere*, dimicare & pugnare, Græcis [illegible] dicitur. *Cernit vitam*, qui eam constituit in dimicationem. Turneb. lib. 25. cap. 12.

ALBESCERE VENTO. Mare vento agitatum albescit. Turneb. lib. 26. cap. 28.

DITISSIMUS ARVIS. Pathos à fortuna. Macrob. lib. 4. cap. 3. Sat.

Imbuit

Imbuit, & prima commisit funera pugna:
Deserit Hesperiam, & cœli convexa per auras,
Iunonem victrix affatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coëant, & fœdera jungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbes:
Accendamque animos insani Martis amore,
Vndique ut auxilio veniant, spargam arma per agros.
Tum contra Iuno: Terrorum & fraudis abunde est:
Stant belli caussæ: pugnatur cominus armis:
Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos,
Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras,

SERVII.

IMBVIT. Initiavit. Et bene SANGVINE. Nam potest bellum & à discordia & à dissensione inchoare.

ET COELI CONVEXA PER AVRAS. Potest tamen esse Epexegesis *per auras*, id est cœli convexa. Nec enim aliud sunt *auræ*. Dicit etiam quidam Commentarius CONVECTA legendum, ut sit ipsa convecta, quod difficile in exemplaribus invenitur.

VICTRIX. Voti compos. AFFATVR. Iam cum superbia. Bene autem ei in principio denegavit orationem, quasi ad scelera festinanti: quam modo tribuit post bella jam cœpta.

BELLO DISCORDIA TRISTI. Iuno enim belli poposcerat semina. Hæc ipsa etiam bella perfecit.

DIC IN AMICITIAM COEANT. Ac si dicat, Ita bella commovi, ut ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. Et hoc est *Affatur voce superba*. Alii dicunt, Ego inter hos bella commisi: tu vicinos populos fœderibus junge, & partibus favere compelle: quod tamen si vis, ego faciam. ut hinc sit, *Ego si qua super fortuna laborum est, Ipsa regam.*

CERTA VOLVNTAS. Si tua in hoc consentit auctoritas.

INSANI MARTIS AMORE. Homeri epitheton.

SPARGAM ARMA PER AGROS. Meminit sui. Nam supra dixit, *Sere crimina belli.*

TERRORVM ET FRAVDIS. Terror ex morte tot hominum: fraus vero ex cervi vulneratione.

STANT BELLI CAVSSÆ. Manifestæ sunt: vel placent, ut, *Stat conferre manum.*

EGREGIVM VENERIS GENVS. Ironicῶs dictum est: ut alibi, *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis.* IPSE LATINVS. Ac si diceret, quem Æneæ caussa cogor odisse. Vnde & Amatæ nulla fit mentio, quæ est Trojanis inimica. Vrbanus tamen totum hunc locum per interrogationem vult accipi, *Terrorum & fraudis abunde est? Stant belli caussæ?* Vt quasi per gratulationem non credat, sicut Terentii illud, *Quia plus cupio, minus credo.*

SVPER ÆTHERIAS. Quia dixerat, *Cœli convexa per auras.*

DONATI.

PERFECTA DISCORDIA. Habuit rationem personarum: nam laus est in Furia, quod in aliis est vituperatio.

HOC ETIAM HIS ADDAM. Non solum gloriatur de eo quod fecit, sed promisit plura facturam.

VARIORVM.

IMBVIT. *Imbuere*, proprie inchoare & initiari est: deinde & perfundere. Atque hic utrumque significari potest. *Imbuere* etiam de igni dixit. Lucret. lib.6. TAVBMAN.

CÆLI CONVEXA PER AVRAS. Id est *convecta*. Turn. lib.26. cap.28. Alii *peragrans*, pro per auras; alii pererrans. Guil. Canterus lib. 7. Novar. cap.18.

ACCENDAMQVE ANIMOS INSANI MARTIS AMORE. Alludere videtur ad lanistas, magistros sc. & præpositos gladiatorum, qui eos de propinquo adhortabantur & accendebant, dictataque illis suggerebant: ideoque & cum gladiatoribus producebantur, ut pugnaturis adsisterent, & ad fortiter faciendum incitarent. Accendones seu ἐρεθιστὰς ab accendendo seu irritando dicti. SALMASIVS.

STANT BELLI CAVSÆ. Manifestæ sunt. placent, ut, *Stat conferre manum*; Idonea belli fundamenta constructa sunt. DONAT.

Haud

Digitized by Google

Haud pater ipse velit, summi regnator Olympi.
Cede locis: ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Taleis dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, super ardua linquens.
Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles. densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis & toto vertice torrens.
Hic specus horrendum, & sævi spiracula Ditis
Monstrantur: ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: queis condita Erinnys,
Invisum numen, terras, cœlumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus: cæsosque reportant,

SERVII.

ATTOLLIT STRIDENTES ANGUIBUS ALAS. Honesta volantis periphrasis.

EST LOCUS ITALIÆ IN MEDIO. Hunc locum umbilicum Italiæ cosmographi dicunt. Est autem in latere Campaniæ & Apuliæ, ubi Hirpini sunt, & habet aquas sulphureas: ideo graviores, quia ambiuntur sylvis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quod gravis odor juxta accedentes necat: adeo ut victimæ circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat genus litationis. Sciendum sane Varronem enumerare quot loca in Italia sint hujusmodi. Unde etiam Donatus dicit Lucaniæ esse, qui describitur locus circa fluvium, qui Calor vocatur. quod ideo non procedit. quia ait, *Italiæ medio sub montibus altis.* Hoc nisi ad totam Italiam referas, non procedit: ut sit, Est in vallibus Italiæ montuosæ. Nam in hoc loco montes penitus non sunt.

NOBILIS. Notus, quod & sequentia indicant.

AMSANCTI VALLES. Loci amsancti, id est omni parte sancti: quem dicit & sylvis cinctum, & fragosum torrente fluvio.

HIC SPECUS HORRENDUM. Hoc nomen apud majores trium generum fuit. Ennius fœminino posuit: Horatius masculino, *Quæ nemora, aut quos agor in specus?* Virgilius neutro, quod hodie in numero singulari tribus tantum utimur casibus. Hoc specus, hujus specus, ô specus. Nam pluralem tantum à genere masculino habemus in omnibus casibus. Hinc est, *Ipse in defessu specubus.* Quanquam antiqui codices habeant, *Hic specus horrendus.* SPIRACULA DITIS. Aditus, à spirando, quod ibi hostiæ admotæ concidant & moriantur. Antiqui codices *piracula* habent: quæ dicta sunt ἀπὸ τῶν περάτων: hoc est à finibus inferorum.

VORAGO. Acherontis exæstuatio.

CONDITA ERINNYS. Recepta: alii CONDIT legunt, & *se* subaudiunt.

COELUMQUE LEVABAT. Relevabat, recreabat.

EXTREMAM SATURNIA BELLO IMPONIT REGINA MANUM. Quod superest, perficit. Et est translatio à pictura quam manus complet, atque ornat extrema.

DONATI.

DAT SONITUM. Compendiosa descriptio, in qua amnem & partem ex qua funditur, & sonum cadentis aquæ, & causam soni ostendit.

NEC MINUS INTEREA. Id est, interea non minus. EXTREMAM MANUM. Nam in artib. extrema manus est, cum amplius manus non reponitur, quia opus est perfectum.

VARIORUM.

SUPER FORTUNA LABORUM. Τμῆσις, pro, superest fortuna. HART.

MEMORATUS IN ORIS. Floridus Subsec. lib. 2. cap. 18. Ald. Manut. de Quæsitis per Epist. lib. 1. Epist. 1.

AMSANCTI VALLES. Plin. lib. 2. cap. 93. de hoc loco. Floridus lib. 2. cap. 18. succisivarum lectionum. HART.

SPIRACULA DITIS. Plutonium & Charonium sic describi à Strabone, auctor est Turneb. lib. 5. cap. 22.

ACHERONTE VORAGO. Ex Homero. Turneb. lib. 26. cap. 28.

TERRAS COELUMQ. LEVABAT. Quippe quæ terræ ac cælo sua præsentia fuisset onerosa. Et cui bella non sunt gravia. HORT.

SSss Almo-

Digitized by Google

Almonem puerum, fœdatique ora Galesi:
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine, cædis & ignis
Terrorem ingeminat: Teucrosque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno venìente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus undis,
Molle tenet: scopuli nequicquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

SERVII.

FOEDATI. Cruentati. IMPLORANTQUE DEOS. Ad auxilium & ultionem.

OBTESTANTURQUE LATINUM. Propter cædem factam testem adhibent: & dicunt, authores rupti fœderis esse Trojanos, cum ipsi pacis jura temerarint.

ET IGNIS. In ipsis scilicet seditionis incendio.

TEUCROS IN REGNA VOCARI. Subaudis DICIT. Et *Teucros* injuriose, ac si diceret exules & perfidos.

ATTONITÆ BACCHO. Veluti Baccho. furia enim agebantur. Et sic est dictum ut; *At medias inter cædes exultat Amazon.* NEMORA AVIA. Per nemora.

THIASIS. Choreis. NEQUE ENIM LEVE NOMEN AMATÆ. Iuvenalis, *Quæ non faciet quod principis uxor.*

MARTEMQUE FATIGANT. Prælium cum clamore deposcunt.

CONTRA OMINA FATA. Superius de Lavinia. FATA DEUM. Propter Fauni oraculum. PERVERSO NUMINE. Irato,

VELUT PELAGI RUPES. Cum Cicero seditionem fluctibus comparaverit: bene Virgilius eum qui resistit seditioni, rupem vocavit.

MOLLE TENET. Hic distinguendum: ut SCOPULI nominativus pluralis sit,

DONATI.

OBTESTANTUR. Invidiosis vocibus lacerant: quod omnia mala per Trojanorum fœdus evenerant.

TEUCROS ET STIRPEM PHRYG. Pro convicio posuit, quasi dicat, indignos ad maximas dignitates vocari.

CONTRA OMINA. Propter apes & incendium.

CONTRA FATA. Id est, sententias deorum & Fauni responsa.

CIRCUMSTANT. Obliti regalis reverentiæ.

VARIORUM.

TURNUS ADEST. Ne tumultus ad summum perducatur, Turnum supervenientem facit, & expostulantem cum Rege de facti injuria. HORT.

STIRPEM ADMISCERI PHRYGIAM. Injuriose omnia [illegible]si dicat, Exules & perfidos. Ex Græcorum mo[illegible] desumptum, quorum legibus cum peregrinis & hospitibus contracta matrimonia incesta & illegitima habebantur: unde & μιξέλληνες è tali prognati contubernio, ut Romanis Hybridæ. GERMAN.

INSULTANT THIASIS. Thiasus generatim pro quovis cœtu saltantium, reique divinæ vacantium; tum ut testis est Athenæus lib. 8. pro turba hominum, Bacchicas choreas agitante, usurpatur. Thiasos autem alii ἀπὸ τῦ τὰ θεῖα ᾄδειν, id est, à sacris carminibus: alii vero ἀπὸ τῦ θύειν, id est, à currendo volunt esse nuncupatos. GERMAN.

CONTRA OMINA BELL: Sic Canterus lib. 1. cap 8. Novar.

ILLE VELUT PELAGI RUPES IMMOTA. Comparatione constantiam Latini amplificat. Estque exemplum studii pacis in Latino. Et ipsa repetitio comparationis mire festiva est & elegans. Eodem modo & Cicero seditionem populi fluctibus comparavit. unde Virgilius recte eum vocat *rupem*, qui seditioni resistit. TAUBMAN.

VELUT PELAGI RUPES. Homer. Iliad ρ. [illegible] HART.

LATRANTIBUS UNDIS. Homer. Odyss. μ. [illegible] &c.

Verum

Verum ubi nulla datur cæcum exuperare potestas
Consilium, & sæva nutu Iunonis eunt res:
Multa deos, aurasque pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella.
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri. te Turne nefas, te triste manebit
Supplicium: votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Funere felici spolior. nec plura locutus,
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in prælia Martem:
Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum,

SERVII.

COECVM CONSILIVM. Fremitus populi bene tale nomen imposuit.

FRANGIMVR. Permansit in rupis translatione.

SACRILEGO SANGVINE. Quia bellum sumebant contra voluntatem deorum.

VOTISQVE DEOS VENERABERE SERIS. Quia religio rigida dicit, semel male commissa nulla ratione revocari, Horatius, *Dira detestatio nulla expiatur victima.*

PARTA QVIES. Scilicet vicinæ mortis beneficio. IN LIMINE PORTVS. Securitas omnis in promptu est.

FVNERE FELICI SPOLIOR. Exequiis tantum regalibus careo.

MOS ERAT. Varro vult morem, communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem facit. HESPERIO IN LATIO. Hoc est in antiquo. Nam ut in primo diximus, duo Latia fuerunt. Vnde non frustra *Hesperio* addidit. Quod autem dicit hanc consuetudinem antiquam fuisse, falsum est. Nam à Numa Pompilio primo instituta est: sed carmini suo ut solet, miscet historiam. Notandum sane inconnexum esse hunc locum, si quis totius libri consideret textum. Nam supra ait, *Longas placidas in pace regebat.* Item dicturus est, *Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante.* & nunc dicit, *Mos erat Hesperio in Latio.* Supra etiam, *Captivi pendent currus.* Item, *Tyrrhenas sterne acies.* Quæ ne sint contraria, accipiamus Italiam primo caluisse bellis, medio tempore quievisse: & ad antiquum studium nunc reverti, sicut Romani bello flagravere sub Romulo, quievere sub Numa, sub Tullo Hostilio pristina studia repetiverunt. Hinc est quod & ipse Virgilius ait, *Longa placidas in pace regebat*: non perpetua. Item, *Desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.* Nam RETRACTARE, est repetere quod omiserat. Tale aliquid dicit de genere Syllano, Salustius. Nam volens ostendere antiquos majores ejus consulares fuisse, vicinos vero ignavissimos, Syllam vero florentissimum ait, *Igitur Sylla patritiæ gentis fuit, familia iam extincta majorum ignavia.* QVEM PROTINVS. Iugiter, deinde. nam nunc temporis est adverbium. alibi loci: ut, *Cum protinus utraque tellus Vna foret.*

MAXIMA RERVM ROMA. Imperii potita.

MOVENT IN PRÆLIA MARTEM. Nam moris fuerat indicto bello, in Martis sacrario ancilia commovere. Vnde est in octavo, *utque impulit arma.*

LACHRYMABILE BELLVM. Getarum fera gens etiam apud majores fuit. Nam ipsi sunt Mysii, quos Salustius à Lucullo dicit esse superatos.

DONATI.

DEOS ET AVRAS. Nam omnibus contra stantibus, quem alium suæ sententiæ potuit adhibere testem.

FRANGIMVR. Franguntur commoda nostri imperii: & ponit signata verba in translatione: nam frangitur navis, & fluctibus instantib. interit.

MISEROS. Dolet errore peccantium. Nullus enim sciens cadit in foveam scelerum.

MOS. Observationes, aut legibus, aut assensibus hominum sunt. *Mos* longo tempore custoditus legem facit, quæ etiam ad posteros transit, ut hic patet.

SACRVM. Quia non pro levi duxerunt, quasi putarent sacrilegium committi, nisi esset observatus.

ROMA. Magna laus moris cum à principe terrarum populo servetur.

VARIORVM.

VOTISQVE DEOS VENERABERE SERIS. Respexit ad Proverb. *Post factum stultus sapit. Sero sapiunt Phryges.* HORT.

MOS ERAT HESPERIO IN LAT. Macrob. lib. 3. cap. 8. Saturn.

SIVE GETIS INFERRE MANV. Illustrat historiam ex Horat. Turneb. lib. 9. cap. 13.

Hircanisve, Arabisve parant; seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ & sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Ianus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino

SERVII.

HYRCANISVE Gens est dicta à sylva Hyrcania, ubi sunt tigres. ARABISVE PARANT, SEV TENDERE AD INDOS. Venit ab eo quod est hic Arabus: nam ab eo quod est hic Arabs, ab hoc Arabe Arabibus facit: sicut Hiberus. Vnde est in Lucano, *Occurrit Hiberis alter*, & Hiber. Nam Horatius dicit, *Vt discet Hiber, Rhodanique potor.* Item lectum est Æthiopus, sed tantum Æthiops dicimus.

AVRORAMQVE SEQVI. Ingenti ambitu dixit ipsum ortum diei pro populis. PARTHOSQVE REPOSCERE SIGNA. Hoc in honorem Augusti posuit: quo imperante à Parthis repetita sunt signa, quæ Crassus triumvir perdiderat. Qui cum aviditate sua contra auspicia bellum suscepisset, interdicentibus tribunis plebis, captus cum filio est: & necatus infuso in os auro, cujus amore pugnaverat. SVNT GEMINÆ BELLI PORTÆ. Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli: quod fuit in duobus brevissimis templis. Duobus autem propter Ianum bifrontem. Postea captis Phaleris civitate Tusciæ inventum est simulacrum Iani cum frontibus quatuor. Propter quod in foro transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere Ianum sane apud aliquos quadrifrontem esse non mirum est. Nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus est & occasus. Horatius, *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Alii anni totius, quem in quatuor tempora constat esse divisum. Anni autem esse deum illa res probat: quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam ab Iano Ianuarius dicitur.

RELLIGIONE SACRÆ. Tremendæ, execrabiles. Nam & paulo post dicturus est, *Tristesque recludere portas.*

FERRI ROBORA. Bene addidit FERRI. Nam omne quod forte est, robur vocamus.

IANVS. Quidam Ianum Eanum dicunt ab eundo, eumque esse Martem & quod apud Romanos plurimum potest, ideo primum in veneratione nominari. Alii Ianum aërem credunt, & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces nostras ad deos perferendas. Alii *Ianum* mundum accipiunt, cujus caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum ut pateant. * Nam quasi mundo ei duas facies dederunt, Orientis & Occidentis, quod jam supra dictum est: alii quatuor, secundum quatuor partes mundi. Alii Clusivium dicunt, alii Patulcum, quod patendarum portarum habeat potestatem. Idem Iunonius, inde pulchre Iuno portas aperire inducitur. Idem Quirinus, unde trabeatum Consulem aperire portas dicunt, eo habitu quo Quirinus fuit.

IPSE QVIRINALI TRABEA. Aut regali, aut qua usus est Romulus intellige: Horatius, *Trabeati jura Quirini.* Suetonius in libro de genere vestium, dicit tria esse genera trabearum. Vnum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum: habet tamen album aliquid. Tertium, Augurale de purpura & cocco. *Quirinali* ergo regali. CINCTVQVE GABINO. Gabinus cinctus est toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres Latini cum necdum arma haberent præcinctis togis bellabant, unde etiam milites in procinctu esse dicuntur. Hoc rursus utebatur consul bella indicturus, ideo cum Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur*, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris sunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper utebantur in bellis. Vnde hic ortus est mos.

DONATI.

CENTVM ÆREI. Numerus, & materiæ qualitas, dat vim.

IANVS. Additur ad robur portarum Deus, qui bifrons omnia circumspiciat, ne furorum & scelerum insania portæ temere aperiantur.

SEDET PATRIBVS. Firma est omnium sententia.

VARIORVM.

PARTHOSQVE REPOSC. SIGNA. Illustrat Turneb. lib. 26. cap. 33.

GEMINÆ BELLI PORTÆ. Alexand. lib. 1. cap. 15. HART.

IPSE QVIRINALI TRABEA. Ritum explicat Turneb. lib. 22. cap. 19 & 20. Et lib. 28. cap. 45.

QVIRINALI TRABEA. Cælius lib. 12. cap. 8. Alexand. lib. 5. cap. 18. HART.

CINCTVQVE GABINO. Observavimus Romanos magistratus & Pontifices eo cinctu uti solitos, cum belli causa operabantur sacris, se devovebant pro exercitu, portas Iani aperiebant, aut amburbia faciebant: denique cum rei sacræ operam dabant, belli caussa, & cerimonia quadam sacra defungebantur. Livius lib. 8. de Consule Decio, qui se devovebat. *Ipse incinctus cinctu Gabinio, armatus in equum insiluit.* PONT.

Inst.

Insignis, reserat stridentia limina consul:
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristeisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit umbris.
Tum regina deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante.
Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars leveis clypeos & spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tyburque superbum,

SERVII.

INSIGNIS, RESERAT STRIDENTIA LIMINA CONSVL. Is qui prior creatus est: licet similem habeant potestatem.

IPSE VOCAT PVGNAS. Tria sunt, ut diximus supra, militiæ genera. Sacramentum, in quo jurat unusquisque miles se non recedere nisi præcepto consulis post completa stipendia, Id est militiæ tempora. Conjuratio, quæ fit in tumultu, id est Italico bello & Gallico, quando vicinum urbis periculum singulos jurare non patitur: sicut de Fabiis legimus. Evocatio: quod genus nunc tangit. nam ad subitum bellum evocabantur. Vnde etiam consul solebat dicere: *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.*

CONSPIRANT CORNVA RAVCO. Nam & tubæ simul inflabantur.

FOEDA MINISTERIA. Cruenta: more suo. MORANTES Bella differentes.

RVMPIS SATVRNIA POSTES. Acyrologiam fecit commutando Ennii versum. Nam ille ait, *Belli ferratos postes, portasque refregit.*

IMMOBILIS ANTE. Non semper, sed antehac. Potest tamen & immobilis à furia. Nam ante gessit bella, sed jure indicta per feciales, per patrem patratum.

TERGENT. Ab eo quod est tergeo venit: & tergunt, à tergo tergis, quod de usu iam recessit.

ARVINA. Secundum Suetonium in libro de vitiis corporalibus, *Arvina est pingue durum, quod est inter cutem & viscus.* Alii arvinæ nomine laridum dicunt.

ADEO MAGNÆ. Valde magnæ, ut Terentius, *Adulescentem adeo nobilem.*

ATINA POTENS. Civitas hæc est juxta Pontinas paludes: dicta Atina à morbis, qui Græce ἄτη dicuntur, quos paludis vicinitas creat. TYBVRQVE SVPERBVM. Aut nobile: aut per transitum terigit, illud, quod cum aliquando à senatu auxilia poscerent Tyburtes sub commemoratione beneficiorum: hoc tantum à senatu responsum acceperunt, *Superbi estis.* CRVSTVMERIQVE. Mutavit. Nam Crustumerium dicitur. Cassius Hemina tradit Siculum quendam nomine uxoris suæ Clytemestræ condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. Alii volunt à crustula panis quam Trojani coacti fame exedisse dicuntur, appellatam.

DONATI.

VOCAT PVGNAS. Dat pugnandi potestatem.

IVNO IMPVLIT. Quod non decebat. ergo ostenditur pertinax inimicitia. Neque aperuit solum, sed evertit postes à cardine.

ARDET INEXCITA. Ecce quantum potuit factio Iunonis.

VARIORVM.

RESERAT STRIDENTIA LIMINA. Explicat Turneb. lib. 5. cap. 27.

PVLVERVLENTVS EQVIS. Ex Ennio. Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn.

CLYPEOS, ET SPICVLA LVCIDA TERGENT. Turnebus lib. 17. cap. 21. vult Samiatios dici, qui cetera Samia arma, ferramenta, spicula prætorianorum & satellitum imperatoris ad nitorem fricabant tergebantque atque exasperabant gladiorum & jaculorum aciem & cuspides: unde & Samiata ferramenta. GERMAN.

Ardea, Crustumerique, & turrigera Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Vmbonum crates: alii thoracas ahenos,
Aut leveis ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica jamque sonant: it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementeis
Ad juga cogit equos, clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Complerint campos acies, quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim divæ, & memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

SERVII.

TVRRIGERÆ ANTEMNÆ. Bene muratæ. *Antemnæ* autem dictæ sunt, quod eas amnis præterfluit, quasi ante amnem positæ.

SALIGNAS VMBONVM CRATES. Vt dicit Salustius de Lucanis, *Qui de vimine facta scuta, recentibus detractis coriis, quasi glutino adolescebant.*

THORACAS AHENOS. Quia apud majores loricæ tantum pectora tegebant. ut Statius, *Triplices servantur pectora ferro.* Pectora: nam tergo nullus metus.

LENTO DVCVNT ARGENTO. Flexili argento ducunt, id est extendunt. Est autem spondaicus & reciprocus versus.

CLASSICA IAMQVE SONANT. Bene posuit amphibologiam. Nam *classicum* dicimus, & tubam ipsam & sonum. *Classicum* autem est flexilis tuba. TESSERA SIGNVM. Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: scilicet propter confusionem, ut fuit in exercitu Marii, Bar deus: in Syllæ, Apollo Delphicus: in Cæsaris, Venus genitrix.

TREPIDVS. Festinus: more suo.

LORICAM INDVITVR. Dicimus & induor illa re, & illam rem.

HELICONA DEÆ. Parnassus mons Thessaliæ dividitur in Citheronem Liberi, & Heliconem Apollinis, cujus sunt Musæ. Est autem Homeri versus,

> ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
> ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα
> ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν
> οἵ τινες ἡγεμόνες Δαναῶν καὶ κοίρανοι ἦσαν.

MOVETE. Legitur & monete.

QVIBVS ARSERIT ARMIS. Aut splenduerit: aut amore flagraverit.

DONATI.

QVINQVE ADEO. Numerum & magnitudinem exprimit.

VOMERIS. Ecce qualis amentia universorum agrestium fuit, ut instrumenta vitæ profutura in perniciem vitæ verterent.

TESSERA. Significat nuncium gerendum significantem bellum.

PANDITE NVNC. Relaturus antiquitatis memoriam invocat Musas: ne sive vera, sive falsa referat, culpam habeat: & invocando proponit quid sit narraturus.

VARIORVM.

FLECTVNT SALIGNAS CRATES. Scutis è vimine contextis usi sunt Siculi & Syracusii, item Persæ & Parthi: quod genus γέῤῥαι & γέῤῥα Græcis appellatur. Vide Lips. de Milit. Rom. lib. 3. Dial. 2. & Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 22.

LENTO DVCVNT ARGENTO. *Lentos*, usitate vocamus tardos & segnes: opponique id nomen tum prompto ac celeri videtur. Interdum *lentum* aliter accipimus: ut cum lentum vimen dicimus & *Lentum argentum*. Lentum enim tunc idem valet, quod molle, cedens. quodque quocunque velis, facile trahi, ducive possit. PONTAN.

RECOQVVNT PATRIOS. Illustrat hunc locum Xylander loco Horat. Oda 35. lib 1.

IT BELLO TESSERA SIGNVM. *Tessera* symbolum bellicum, quo socii milites dignoscebantur ab hostibus. Vide Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 2. Lipsius de Milit. Rom. lib 5. Dial. 9.

CLYPEVMQVE AVROQVE TRILICEM. De trilicibus loricis, Turneb. lib. 29. cap. 35.

QVI BELLO EXCITI REGES. Macrob. lib. 5. cap. 15. & 16. Saturn.

Pri-

Digitized by Google

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos
Mille viros: dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clypeoque, insigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.
Collis Aventini sylva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit auras,
Mista deo mulier: postquam Laurentia victor

SERVII.

PRIMVS INIT BELLVM. Non mirum si sacrilegus & contemptor Divum contra piam gentem prior arma susceperit. Et scienda est poëtæ affectatio: Nam abiepsiam nefas est dicere. Hic enim aliquos commemorat, quos bello non invenis. Item in sequentibus aliquos invenimus, quorum hic nullam fecit commemorationem.

TYRRHENIS ASPER AB ORIS. Oriundo Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum à civibus constat.

AGMINAQVE ARMAT. Aut eorum qui eum secuti fuerant: sicut ejus filium. Nec enim credibile est solum fugisse. Nam & Statius dicit, *Vel quos movet exul & hæsit Tristibus aucta fides.* Aut certe eorum quos Turnus dederat. Vt Adrastus Polynici in Statio, qui ait, *Ne parva movens inglorius arma Iret.*

AGILLINA EX VRBE. De Cerete oppido. NEQVICQVAM. Quia in prælio periit, nec patrium recepit imperium. PATRIIS QVI LÆTIOR ESSET IMPERIIS. Dignus qui habere: imperatorem potius, quam exulem patrem.

PVLCHRO. Forti: ut diximus supra.

PVLCHER AVENTINVS. Aventinus mons urbis Romæ est: quem constat ab avibus esse nominatum: quæ de Tyberi ascendentes illic sedebant, ut in octavo legimus, *Dirarum nidis domus opportuna volucrum.* Quidam etiam rex Aboriginum Aventinus nomine, illic & occisus & sepultus est: sicut etiam Albanorum rex Aventinus: cui successit Procas. Varro tamen dicit in gente populi Romani, *Sabinos à Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciæ suæ appellaverunt Aventinum.* Constat tamen has varias opiniones postea secutas. Nam à principio Aventinus dictus est ab Avibus: vel à rege Aboriginum. Vnde hunc Herculis filium constat nomen à monte accepisse, non ei præstitisse.

INSIGNE PATERNVM. Absolute dixit.

CENTVM ANGVES. Secundum Simonidem ut diximus supra: nam alii dicunt IX. fuisse.

COLLIS AVENTINI SYLVA. In sylva collis Aventini. Et dicendo AVENTINI, ostendit antea id esse nominatum. RHEA SACERDOS. Alludit ad nomen matris Romuli, quæ dicta est Ilia, Rhea, Sylvia.

FVRTIVVM. Illicite conceptum: quippe à sacerdote. Sic ait alibi, *Et dulcia furta.*

MISTA. μιγεῖσα Græce dixit. MVLIER. Compendiose mortalem dixit. Consequens namque fuerat, ut diceret *Mista deo mortalis.* LAVRENTIA ARVA, Laurentum civitas plurimum potuit. Nam omnia vicina loca, ejus imperio subjacuerunt. Vnde nunc ait *arva Laurentia*: cum juxta Tyberim armenta Hercules paverit. Secundum antiquum situm ante Albam & Romam, Tyberis Laurentini territorii fuit.

DONATI.

PRIMVS. *Primus*, Quia asper: *primus*, quia contemptor eorum deorum, quibus authorib. Æneas ad Italiam venit: & conjugium Laviniæ factum est.

LAVSVS EQVVM. Laudat Lausum à fortitudine, quæ in pulchro corpore rara solet esse.

CENTVM ANGVES. Gloriæ causa hydram gestabat: sed ludibrium matris ex hoc apparebat.

VARIORVM.

ET MEMINISTIS ENIM. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 13. Sat.

PRIMVS INIT. Exponit sive enumerat copias Italicas. De hoc catalogo, lib. 5. cap. 5. Macrob. legatur. HART.

CONTEMPTOR DIVVM. macrob. lib. 3. cap. 5. HART.

CLYPEOQVE INSIGNE PATERNVM. De Insignibus Ios. Castalio, cap. 4 Var.

Digitized by Google

Geryone extincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu sævosque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.
Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur;
Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen, Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.

SERVII.

GERYONE. Geryones rex fuit Hispaniæ: qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adjacent Hispaniæ, Balearicæ minori, & majori, & Ebusæ. Fingitur etiam bicipitem canem habuisse: quia & terrestri & navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla ærea transvectus, quod habuit navem fortem, & ære munitam. Hunc Geryonem alii Tartessiorum regem dicunt fuisse, & habuisse armenta pulcherrima, quæ Hercules occiso eo abduxit; de cujus sanguine dicitur arbor nata, quæ vergiliarum tempore poma in modum cerasi sine ossibus ferat. Sane sciendum declinari hic Geryones hujus Geryonæ. Vnde est, *Tergemini nece Geryone*: ut Anchises Anchisæ. Vnde usurpavit Salustius: *Geryonis* dicens. Veniens autem Hercules, in quadam Campaniæ civitate pompam triumphi sui exhibuit: unde Pompei dicitur civitas. Postea juxta Bajas, caulas bubus fecit, & eas sepsit: qui locus Boaulia dictus. Nam hodie Bauliæ vocantur. TYRINTHIVS. A Tyrinthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est Hercules.

TYRRHENOQVE BOVES IN FLVMINE LAVIT IBERAS. Admiratio, locorum longinquitate.

PILA MANV. Pilum proprie est hasta Romana: ut gesa Gallorum, sarissæ Macedonum. DOLONES. Dolo est flagellum, intra cujus virgam latet pugio. Aut secundum Varronem, *Ingens contus cum ferro brevissimo.* Dolones autem à fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, cum speciem præferant ligni. Et multi volunt per teretes mucrones, dolones dici: per veru Sabellum, pila significari.

IPSE PEDES Ad genus respicit. Nam & Hercules pedes semper incessit, cum equos habuerit nobilissimos. TORQVENS. Sustinens. Vt, *Axem humero torquet.*

HORRIDVS. Tremendus: non revera horribilis.

TYBVRTIA MOENIA LINQVVNT. De Græcia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes unam fecere civitatem; & eam de fratris majoris nomine Tybur appellaverunt: licet & alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit duos ad bella venisse, dimisso in civitate ad custodiam Tyburno vel Tyburte.

CATILLVS. Vnde mons Catilli, quem Catelli dicunt per corruptionem, juxta Tibur. CORAS. A cujus nomine est civitas in Italia.

DESCENDVNT CENTAVRI. Ex hâc comparatione equites eos fuisse intelligimus. Quod tamen dicturus est postea, *Nec non celeresque Latinis Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ.* HOMOLEN, OTHRYNQVE NIVALEM. Montes Thessaliæ.

INGENS SYLVA LOCVM, ET MAGNO CEDVNT VIRGVLTA FRAGORE. Cedit sylva, cedunt & virgulta. FRAGORE. Cum utique à minore ad majus venire debuerit.

DONATI.

TERGVM LEONIS. Præter hydram etiam leonis pellem, aliud insigne paternum gestabat.

TVM GEMINI. Geminos dicit vel simul natos, vel duos, ut a libi: *Geminus à Tenedo.*

VARIORVM.

PILA MANV. De Pilo agit disertissime Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. dial. 4.

TYBVRTIA MOENIA. Alias *Tiburna* legi posse docet è Servio Turneb. xi. cap. 26. & lib. 22. cap. 3.

Nec

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt: quos dives Anagnia pascit,
Quos Amasene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei, currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat

SERVII.

NEC PRÆNESTINÆ FVNDATOR DEFVIT VRBIS. De civitatibus totius orbis multi quidem scripserunt: ad plenum tamen Ptolomæus Græce, Latine Plinius. De Italicis etiam urbibus Iginus plenissime scripsit, & Cato in originibus. Apud omnes tamen si diligenter advertas, de authoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut ne urbis quidem Romæ origo possit diligenter agnosci. Nam Salustius dicit, *Vrbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, & cum his Aborigines*. Alii dicunt ab Euandro: secundum quos Virgilius, *Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis*. Alii à Romulo, ut, *En hujus nate auspiciis illa inclyta Roma*. Si igitur tantæ civitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Vnde nec historicos, nec commentatores varia dicentes, imperitiæ condemnare debemus. Nam antiquitas ipsa creavit errorem: & plerique fundant, plerique augent, & ad se transferunt nomina: quam rem etiam non parvum errorem afferre manifestum est. Vt ecce Laurentum à Pico factum est: ut, *Laurentis regia Pici*. Item à Lavinio Latini fratre & Lavinium dictum. Item à Latino Laurentum. Item à Lavinia Laurolavinium. NEC PRÆNESTINÆ FVNDATOR DEFVIT VRBIS. Præneste locus est haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων id est ab ilicibus, quæ illic abundant. Ibi erant Pontifices & dii Indigetes, sicut etiam Romæ. Erant etiam duo fratres qui divi appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla, ejus uterum percussit: inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Iovis abjecit: quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum sustulerunt: qui haud longe à fonte erat. Vnde Vulcani dictus est filius.

CÆCVLVS autem, ideo quia oculis minoribus fuit: quam rem frequenter efficit fumus. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Prænestinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, cœpit eos hortari ut secum habitarent, & pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod cum illi non crederent, invocato Vulcano ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circundatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt, & Vulcani filium esse crediderunt. Hinc est, OMNIS QVEM CREDIDIT ÆTAS. Quasi post dubitationem: & quia sine dubio ætas varia in spectaculis fuit.

ALTVM PRÆNESTE. Cato dicit, *Quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit*. Ergo *altum* quia in montibus locatum. Dicimus autem & hoc Præneste: *Quique altum Præneste viri*. Et hæc Prænestis, unde est, *Cum primam aciem Præneste sub ipsa Stravi*. QVIQVE ARVA GABINÆ IVNONIS. Gabii diu in agris morati, tandem Gabios condiderunt. Vnde perite *arva* dixit, non mœnia. Sane Iuno illic religiosissime colitur. Est autem locus haud longe ab Vrbe

GELIDVMQVE ANIENEM. Anio fluvius haud longe ab Vrbe est: sed hic Euphoniam secutus est. Nam Ennius Anionem dixit juxta regulam.

HERNICA SAXA COLVNT. Sabinorum lingua, saxa *Hernæ* vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit, & habitare secum fecit saxosis in montibus. Vnde dicta sunt Hernica loca, & populi Hernici. DIVES ANAGNIA. Aut fertilis: aut alludit ad historiam. Nam Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit feriri.

QVOS AMASENE PATER. Aut pascis: ut sit Antiptosis. Nam Amasenus est fluvius, qui Anagnienses agros inrigat. ARMA. Scuta.

NEC CLYPEI. Scuta majora: dicta ab eo quod celent corpus, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν.

DONATI.

LIVENTIS PLVMBI. Plumbeis massulis pugnabant.

VARIORVM.

LATE LEGIO COMITATVR. A. Infinitum in modum diffusam fuisse multitudinem significat. DONAT.

QVOS AMASENE PATER. Macrob. lib. 5. cap 18 Saturnal.

NEC CLYPEI. Clypeus unde dictus, Manutius de Quæsit per epist. de Parma, Clypeoque.

GLANDES LIVENTIS PLVMBI. Sphærulæ bombardicæ sunt. Ovid. lib 7. *Contorto verbere glandes*. Olim, ante usum bombardarum, apparet missas fuisse fundis. HARTVNG.

Digitized by Google

Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis; crudus tegit altera pero.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Iampridem resides populos, desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros

SERVII.

FVLVOSQVE LVPI DE PELLE GALEROS. Galerus genus est pilei, quod Fronto genere neutro dicit, hoc galerum.

VESTIGIA NVDA SINISTRI INSTITVERE PEDIS. Atqui ipse est in pugnantibus primus: sed bene nudus est, quia tegitur scuto: Dextrum autem tectum conveniebat esse, quasi ab armis remotum.

PERO autem rusticum calceamenti fuerat genus.

AT MESSAPVS EQVVM DOMITOR N. P. Hic per mare ad Italiam venit. Vnde Neptuni dictus est filius: quem invulnerabilem ideo dicit, qui nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, quia aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere: unde nunc & cantantes inducit ejus socios: & eos comparat cycnis. Domitor autem equorum, quasi animalium quæ pater invenerat.

HI FESCENNINAS ACIES. Fescenninum oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina. Hi autem populi ab Atheniensibus ducunt originem. ÆQVOSQVE FALISCOS. Faliscos Haliscus condidit. Hi autem immutato *H* in *F*, Falisci dicti sunt: sicut febris dicitur, quæ ante hebris dicebatur: Formicæ, quæ Hormiæ fuerunt, ἀπὸ τῦ ὁρμᾶς. Nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. *Æquos* autem dicit, id est justos, quia populus Romanus missis decem viris, ab ipsis jura fecialia, & nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit: quas ab Atheniensibus habuerant.

HI SORACTIS HABENT ARCES. Soracte, qui est mons apud Irpinos haud longe à Flaminia: de quo Horatius, *Vides ut alta Stet nive candidum Soracte.* FLAVINIAQVE ARVA. Locus est in Italia Flavinium nomine.

ET CIMINI CVM MONTE LACVM. Et lacus, & mons hoc nomine appellantur. Sane hoc fabula habet: Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum à singulis provocaretur ad ostendendam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum quo exercebatur: qui cum terræ esset affixus, & à nullo potuisset auferri, cum rogatus sustulit. Vnde immensa vis aquæ secuta est, quæ Ciminum lacum fecit. LVCOSQVE CAPENOS. Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. Vnde & porta Capena, quæ juxta Capenos est, nomen accepit.

ÆQVATI NVMERO. Digesti in ordinem. Hinc *sæpenumero* scripsi. Hoc est ordine, congruenter, sicut decebat, rationabiliter.

LIQVIDA INTER NVBILA. Pura: sed nihil tam contrarium nubibus. Nam liquidæ non sunt, ut in quinto diximus, ubi est, *Liquidis in nubibus arsit arundo.* Vnde *nubes* pro aëre accipiamus positas.

ET LONGA CANOROS DANT PER COLLA MODOS. Secundum Plinium qui ait in naturali historia, *cycnos ideo suavius canere, quia colla longa & inflexa habent: & necesse est eluctante voce per longum & flexuosum varias reddere modulationes.*

DONATI.

CEV QVONDAM. Harum avium comparatione ostendit hos inertes & deliciosos.

VARIORVM.

VESTIGIA NVDA SINISTRI. Brodæus lib. 3. Miscell cap. 8. Macrob. lib. 5. cap. 18.

CRVDVS TEGIT ALTERA. Tangit morem eundi in bellum, uno pede calceato, altero nudo. Sumptum ex Meleagro Euripidis. Cælius lib. 20. cap. 21. Ravardus tamen lib. 1. cap. 8. Var. per *perones* intelligit non rusticos, cum Servio: sed cum Tertulliano, *puros calceos*, quibus per nives, glacies, imbresque usi sunt: immo & *perones* magistratuum, gemmis insignitos legi annotat. TAVBMAN. HART.

DESVETAQVE BELLO AGMINA IN ARMA VOCAT. Ad *evocatos* respexit. Hi ex civibus, è sociis; ex equite & pedite sumebantur: sed rogatione & precibus, ideo *Evocati* dicti. Vide Lips. lib. 1 de Milit. Rom. dial. 8.

CVM SESE E PASTV REF. Ex Hom. Macr. lib. 5. cap. 8. Sat.

Dant.

Digitized by Google

Dant per colla modos ; sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aratas acies ex agmine tanto
Misceri putet ; aëriam sed gurgite ab alto
Vrgeri volucrum raucarum ad littora nubem.
Ecce Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Vna ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ:

SERVII.

SONAT AMNIS ET ASIA. Caistrum dicit, qui cohæret Asiæ paludi : quam cum significamus, A longa est : cum sit brevis si provinciam significare voluerimus, quod significatur in Georgicis, ut, *Atque Asia circum Dulcibus in pratis rimantur prata Caistri.* nam cum Asiam de provincia dicimus *a* brevis est, ut, *Postquam res Asiæ.*

VOLVCRVM RAVCARVM. Raucum [illegible] est, sicut *grave olens.* Nam legimus, *Graviter spirantis copia Tymbræ.* Sciendum tamen Virgilium secundum morem provinciæ suæ locutum : in qua bene canentes cycni rauciores vocantur.

ECCE SABINORVM PRISCO DE SANGVINE. Vsurpat hoc. Nam Clausus Sabinorum dux post exactos reges cum quinque millibus clientum & amicorum Romam venit : & susceptus habitandam partem urbis accepit : ex quo Claudia & tribus est & familia nominata. PRISCO DE SANGVINE. De antiquis Sabinis.

MAGNVM AGMEN. Propter quinque millia clientum.

PARTEM DATA ROMA SABINIS. Hoc de alia traxit historia. Nam post Sabinarum raptum, &c. factum inter Romulum & Titum Tatium fœdus, recepti in urbem Sabini sunt : sed hac lege ut in omnibus essent cives Romani, excepta suffragii latione. Nam magistratus non creabant.

AMITERNA COHORS. De Amiterno oppido. PRISCIQVE QVIRITES. Id est Sabini. *Prisci* autem ideo, quia post fœdus Tatii & Romuli placuit ut quasi unus de duobus fieret populus. Vnde & Romani Quirites dicti sunt, quod nomen Sabinorum fuerat à civitate Curibus : & Sabini à Romulo Romani dicti sunt.

ERETI MANVS OMNIS. Oppidum est dictum à Junone, id est ἥρας, quæ illic colitur. OLIVIFERÆQVE MVTVSCÆ. Hæc Trebia postea dicta est, quam modo Tribulam dicunt : apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus, *Cannarum fuimus Trebiæque juventus.* QVI NOMENTVM VRBEM. Hoc ex sua persona dicit poëta. Nam adhuc civitas Nomentana non fuerat, ut in sexto ait, *Hi tibi Nomentum & Gabios.* Item, *Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.*

ROSEA RVRA VELINI. Velinus lacus est circa Reate juxta agrum qui Rosulanus vocatur. Varro tamen dicit lacum hunc à quodam consule, in Narran vel Narren fluvium (nam utrunque dicitur) esse diffusum : post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum : quinetiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. Quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, dicens, *Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.*

TETRICÆ HORRENTEIS RVPES. Tetricus mons in Piceno asperrimus. Vnde tristes homines, *tetricos* dicimus. MONTEMQVE SEVERVM. Proprium nomen montis est : sicut agri, Roseus.

CASPERIAMQVE COLVNT. Casperia Foruli & civitates sunt. FLVMEN HYMELLÆ. Hymella fluvius est : & sic dixit Hymellæ flumen, ut Butroti urbem.

VARIORVM.

ASIA LONGE PVLSA PALVS. Turneb. lib. 28. cap. 21.

ASIA. De Asia vide Homer. in 2. Iliad. ἀσίῳ ἐν λειμῶνι. Apollo. lib. 4. Supra Georg. lib. 1. HART.

NVBEM. Græcismus eodem nam apud Græcos frequentissimum est. *Nubem*, pro agmine & vi usurpari. Euripides Phœnissis. Iliad ρ.

ECCE SABINORVM. De Sabina gente Ald. Manut. de Quæsitis per Epist. lib. 1. Epist. 1.

AMITERNA COHORS. Quid Legio, quid cohors, Vid. Lipsium de Milit. Rom. lib. 2. dial. 4.

QVI ROSEA RVRA VELINI. De lacu Velino Ald. Manut. ibid.

Digitized by Google

Qui Tyberim, Fabarimque bibunt; quos frigida misit
Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hybernis conditur undis,
Vel cum Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi Campo, aut Lyciæ flaventibus arvis:
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora; quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper

SERVII.

QVI TYBERIM FABARIMQVE BIBVNT. Bene *bibunt*, nam Tyberis in Tuscia oritur: sed transit etiam per Sabinos. Vnde BIBVNT, non POSSIDENT dixit. Et sciendum Turno dari auxilium à tractu Piceni, Samnii, Campaniæ, & pro parte Apuliæ: omnis vero Tuscia superior & Venetia Æneæ præstat auxilium. *Fabarim* autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit, & Farfarus dicitur. Plautus, *Dissipabo te tanquam folia Farfari.* Ovidius, *Et amœnæ Farfarus umbræ.*

FRIGIDA MISIT NVRSIA. Piceni civitas. Frigida autem, aut re vera, aut certe venenosa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus suis *Nursinos* sceleratos appellaverunt: & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere.

HORTINÆ CLASSES. Hortini equites, qui *classes* dicuntur. Vnde & eorum tubas classica dicimus: & partes populi *classes* vocamus, quas quinque fuisse legimus. POPVLIQVE LATINI. Qui intererant Albani montis viscerationi.

INFAVSTVM INTERLVIT ALLIA NOMEN. Allia fluvius haud longe ab urbe est: juxta quem Galli, Brenno duce, decimoquinto calendarum Augustarum die deleto exercitu, post triduum etiam urbem vastaverunt excepto Capitolio. Sane *Alia* dicitur, cui propter metri necessitatem unum *L* addidit, ut *Allia* diceret, sicut reliquias & relliquias, unde apparet bene dixisse Lucanum: *Quos Aliæ Clades.* MARMORE. Mari.

VEL CVM SOLE NOVO TORRENTVR ARISTÆ, Prima æstatis parte. Nam proprie Sol novus est octavo calendas Ianuarias: sed tunc non sunt aristæ, quas ab ariditate dictas esse constat.

HERMI CAMPO. Hermus Lydiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Vnde arenas aureas fingitur trahere. LYCIÆ FLAVENTIBVS ARVIS. Fertilis frugum provincia.

HINC AGAMEMNONIVS TROIANI NOMINIS HOSTIS. Hunc Agamemnonis plerique comitem, plerique nothum filium volunt: qui cum venisset ad Italiam audito adventu Æneæ in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquæ. Vnde ait, *Trojani nominis hostis.*

RAPIT POPVLOS. Raptim adducit. Etiam Campaniæ loca commemorat. Nam Massicus mons est vitibus plenus. Massica autem dixit, ut Menela.

AVRVNCI MISERE PATRES. Isti Græce Ausones nominantur. SIDICINAQVE IVXTA ÆQVORA. Ab oppido quod Sidicinum dicitur.

CALES LINQVVNT. Civitas est Campaniæ. Nam in Flaminia est, Quæ Cale dicitur. Est & in Gallia hoc nomine, quam Salustius captam à Perpenna commemorat. AMNISQVE VADOSI ACCOLA VVLTVRNI. Fluvius juxta Cumas cadit in mare.

SATICVLVS ASPER. Populus Campaniæ asper moribus.

VARIORVM.

QVI TYBERIM FABARIMQVE BIBVNT. Poëtæ sæpius gentes indicant per fluvios, ad quos habitant. *Bibunt* mallem de ipsa regione & agris intelligere, quam de hominibus. FONT.

VEL CVM SOLE NOVO DENSÆ &c. SERVIVS, NOVO. *Prima æstatis parte. Etiam Sol novus est.* VIII. *Kal. Ianuarii die.* Nescio an locus Gellii lib. XVIII. cap I. *æstate novi anni*, ita accipiendus sit. Sed & Romani novum Solem vocabant Kal. Ianuariis, propter novos fasces Consulum. Statius in XVII Consulatum Domitiani,

Insignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum Sole novo.

SCALIGER De Emendat. tempor lib. 5.

IVNGIT HALESVS EQVOS. Faliscorum conditor fuit. Turneb. lib. 21. cap. 3.

Osco.

Digitized by Google

Oscorumque manus. teretes sunt aclides illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.
Lævas cetra tegit, falcati cominus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis
OEbale; quem generasse Telon, Sebethide Nympha
Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret
Iam senior: patriis sed non & filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrasteis populos, & quæ rigat æquora Sarnus:
Quique rufas Batulumque tenent, atque arva Celennæ:
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu soliti torquere catejas:
Tegmina queis capitum raptus de subere cortex:
Ærataque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,
Vfens, insignem fama & felicibus armis.

SERVII.

OSCORVMQVE MANVS. Capuenses dicit, qui ante Osci appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes. ACLIDES ILLIS TELA. Aclides sunt tela quædam antiqua, adeo ut nec usquam commemorentur in bello. Legitur tamen quod sint clavæ cubito semis factæ, eminentibns hinc & hinc acuminibus quibusdam; quæ ita in hostem jaciuntur religatæ loro vel lino; ut peractis vulneribus possint redire. Putatur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum jaci potest.

LÆVAS CETRA TEGIT. Scutum loreum quo utuntur Afri & Hispani. FALCATI COMINVS ENSES. Affectavit varietatem. Nam consequens fuerat, *Dextras armant gladii falcati*. Falcatus autem ensis est harpe, qua usus est Lucanus, *Harpen alterius monstri iam cæde rubentem*.

OEBALE. OEbalus filius est Telonis & Nymphæ Sebethidis. Hæc autem est juxta Neapolim. Sed Telon diu regnavit apud Capreas insulam contra Neapolim sitam. Filius vero ejus patriis non contentus imperiis, transiit ad Campaniam: & multis populis subiugatis suum dilatavit imperium.

TELEBOVM CAPREAS CVM REGNA TENERET. Cum teneret Capreas regna Teleboum. Nam Teleboæ Caprearum sunt populi, quos Telon suo regebat imperio: quidam dicunt Capreas à Capreo, qui in illis regionibus potens fuit, nominatas.

SARRASTEIS POPVLOS. Populi Campaniæ sunt à Sarno fluvio. Cònon in eo libro quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum anteà nomen fuerit, & flumini quem incolerent Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se Sarrastes appellasse: hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.

RVFAS BATVLVMQ. TENENT. Castella Campaniæ à Samnitibus condita. ARVA CELENNÆ. Iunonis locus Campaniæ est, Celemnæ locus sacer Iunoni.

ET QVOS MALIFERÆ DESPECTANT MOENIA BELLÆ. Multi Nolam volunt intelligi: & dicunt iratum Virgilium nomen ejus mutasse propter sibi negatum hospitium: & ita aperte noluisse dicere, sed ostendere per periphrasin. Nam illic Punica mala nascuntur, ut nunc *Bella* pro Nola posuerit. Alii volunt accipi, ut sit Synalœpha, & legatur mœnia Abellæ. Quidam hanc civitatem à rege Murano conditam Mœram nomine vocatam ferunt, sed Græcos primo eam incoluisse quæ ab nucibus abellanis Abella nomen accepit. Alii quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo Abellam appellatam. hujus cives cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interiisse, aliosque fugientes Mœranum abiisse], & ejus incolis servisse & quod imbelliores fuerint, Abellanos dictos.

CATEIAS. Tela Gallica. Vnde & Teutonicum ritum dixit. Catejam quidam asserunt teli genus esse tale quale aclides sunt, ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine], tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem jaculantes, lineis quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. Catejæ autem lingua Theothisca hastæ dicuntur.

RAPTVS DE SVBERE CORTEX. Bene RAPTVS, id est raptim sublatus: quia recens suberis cortex in quamvis formam tota flectitur facilitate.

MONTOSÆ NVRSÆ. Civitas in montibus posita.

INSIGNEM FAMA. Bene fama quia occidetur: ut, *Vfentemque, Gyas cadit, & Tolumnius augur.*

VARIORVM.

TERETES SVNT ACLIDES. De hoc telorum genere. Turneb. lib. 30. cap. 31.

FALCATI COMINVS ENSES. Curvi, quos Græci harpas vocant, Turneb. lib 26. cap. 28.

Digitized by Google

Horrida præcipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent; semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Vmbro:
Vipereo generi & graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, & morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit: neque eum juvère in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello,

SERVII.

HORRIDA PRÆCIPVE CVI GENS. Æquicolam gentem dicit, & morum & vitæ qualitate præduram. Sane aliud pendet ex alio. Ideo erant horridi, quia venabantur, quia habebant duras glebas, id est infertiles. Nam molles, feraces sunt: ut in Georgicis docet, *Et cui putre solum, namque hoc imitatur arando.*

QVIN ET MARRVBIA VENIT DE GENTE SACERDOS. Medea quando relictis Colchis Iasonem secuta est, dicitur ad Italiam pervenisse: & populos quosdam circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, quasi circa mare habitantes, propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra serpentes. Quanquam alii Marrubios à rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam Angitiam nominaverunt ab eo quod ejus carminibus serpentes angerent. Ab his nunc Vmbronem venisse dicit non regem, sed ducem. Sunt autem isti Marsorum populi.

FRONDE SVPER GALEAM, ET FELICI COMPTVS OLIVA. Frondibus comptus feræ olivæ.

VIPEREO GENERI. Terrenis serpentibus. GRAVITER SPIRANTIBVS HYDRIS. Aquæ serpentibus * *Graviter* autem *spirantibus*, solo nocentibus flatu. Lucanus, *Ante venena nocent*. SPARGERE. Conficere, ut, Cicero, *Et spargere venena didicerunt*.

ARTE LEVABAT. Leviores esse faciebat, ut, *Nostrumque leves quæcunque laborem.* Medicor illam rem & illi rei: sicut modulor.

LIQVIDI FLEVERE LACVS. Etiam alii.

IBAT ET HYPPOLITI PROLES PVLCHERRIMA BELLO VIRBIVS. Theseus mortua Hippolyte Phædram Minois & Pasiphaë filiam superduxit Hippolyto. Qui cum illam de stupro interpellantem contempsisset, falso delatus ad patrem est, quod ei vim voluisset inferre. Ille Ægeum patrem rogavit, ut se ulcisceretur: qui agitanti currus Hippolyto, immisit focam: qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana ejus castitate commota, revocavit eum in vitam per Æsculapium filium Apollinis & Coronidis, qui natus erat exsecto matris ventre, ideo quod cum Apollo audisset à Corvo ejus custode eam adulterium committere, iratus Coronidem, maturo jam partu, confixit sagittis. Corvum vero nigrum fecit ex albo: & exsecto ventre Coronidis produxit Æsculapium, qui factus est medicinæ peritus. Hunc postea Iuppiter propter revocatum Hippolytum interemit. Vnde Apollo iratus Cyclopas fabricatores fulminum confixit sagittis. ob quam rem à Iove jussus est Admeti regis novem annis apud Amfrisum armenta pascere divinitate deposita. Sed Diana Hippolytum revocatum ab inferis in Aritia Nymphæ commendavit Ægeriæ: & eum Virbium, quasi bis virum jussit vocari: cujus nunc filium cognominem dicit in bellum venire: adeo omnia ista fabulosa sunt. Nam cum castus ubique inductus sit, & qui semper solus habitaverit, habuisse tamen fingitur filium. Re vera autem, & ut supra diximus, Virbius est numen conjunctum Dianæ, ut matri deum Attis. Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.

VARIORVM.

QVIN ET MARRVBIA. Poëtæ coronati & infulati. Turneb. lib. 19. cap 3. Cælius lib. 6. cap. 16.

SPARGERE QVI SOMNOS. In veneficiis vincula adhiberi solita. CANTVQ. MANVQ. Nam in veneficiis non tantum est carmini locus, sed etiam manui, id est iis quæ fiunt manus opera. Turneb. lib. 4. cap. 15.

TE NEMVS ANGITIÆ. Pathos nascitur ex repetitione. Macrob. lib. 4 cap. ult. Saturn. Quintilian. lib. 9. de Figuris.

Vir-

Virbius: insignem quem mater Aritia misit,
Eductum Egeriæ lucis, Hymettia circum
Littora: pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sydera rursus
Ætheria & superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ, nemorique relegat;
Solus ubi in sylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Vnde etiam Triviæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod littore currum

SERVII.

QVEM MATER ARITIA MISIT. Civitas juxta Albam. Mater autem propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre progenitus: ac si diceret, quæ tanti auctor est generis.

ÆGERIÆ LVCIS. Nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa esse fingebat, ad firmandam legum suarum auctoritatem.

PINGVIS VBI ET PLACABILIS ARA DIANÆ. Pinguis frequenti sacrificio: placabilis autem, ac si diceret, non qualis ante fuit, vel illic vel apud Tauros humano gaudens cruore: quam historiam plene in secundo invenies, cum Iphigeniæ incidit commemoratio.

ARTE NOVERCÆ OCCIDERIT. Bene vim sceleris expressit sola novercæ commemoratione.

PÆONIIS REVOCATVM HERBIS. Aut medicinalibus: à Pæone medico deorum, qui Pæan secundum Doricos dicitur: secundum rationem, Pæon. Aut re vera herbam Pæoniam dicit, cujus Creta ferax est. ET AMORE DIANÆ. Amore, id est cura.

MEDICINÆ TALIS ET ARTIS. Quæ etiam fata dissolveret.

PÆNIGENAM. Matre Pœna genitum. Alii PHOEBIGENAM legunt, ut Probus.

RELEGAT. Commendat ab aliis segregatum.

SOLVS. In solis locis. Nam solus quomodo, qui filium dicitur suscepisse? IGNOBILIS. Non vilis, sed ignotus. quanquam possit etiam ad illud referri, quod dicunt quibusdam artibus hominum vitam ultra fata protendi: ita tamen ut solam habeant vitæ imaginationem. videntur enim omnia facere, nec faciunt. ÆVVM. *Ævum* est ætas perpetua, cujus neque initium, neque extremum nascitur, sed hoc modo *ævum* ætatem Hippolyti posuit. Veteres *ævum* etiam deorum vitam dicebant, nam & VIRBIVS inter deos colitur. Virbium autem quidam Solem putant esse, cujus simulachrum non est fas attingere, propter quod nec Sol tangitur.

VERSOQVE VBI NOMINE. De re facto: ut, *OEstrum Graii vertêre vocantes.*

VNDE ETIAM TRIVIÆ TEMPLO. Exponit τὸ αἴτιον. Nam Callimachus scripsit αἴτια: in quibus etiam hoc commemorat.

ARCENTVR EQVI. Quoniam apud quasdam gentes ad aram equo sedere permittebatur.

VARIORVM.

VIRBIVS. Nomen ab etymologia Hippolytus ita dictus. Vide Rod. Agric. libr. HART.

EDVCTVM ÆGERIÆ LVCIS. Flavius Ptolom. Conject. cap. 16. Tom. 1. Lampad.

HYMETTIA CIRCVM. Germanus notat, hanc lectionem nulla ratione defendi posse; nisi Hyppolytum prætexamus Atticæ suæ memorem Atheniense quoque nomen Hymetti montis, novo & mutato solo dedisse: Mavult itaque cum Giphanio, *Humentia* legere. GERM.

PLACABILIS ARA DIANÆ. Forsan non amplius humano sanguine gaudentis: aut eo loco sacrificia & humanas victimas non poscentis? GERMAN.

REPERTOREM PHOEBIGENAM. Æsculapium Apollinis filium, cujus Medicis herbis revixerat. HORT.

NEMORIQVE RELEGAT. Respicit Poëta exilii speciem, quæ Iurisconsultis *relegatio* dicitur: cujus meminit Iurisconsultus passim, & in l. Capitalium. §. Incendiarii. ff. De pœn. GERMAN.

Et

Digitized by Google

Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.
Filius ardenteis haut secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet; Ætneos efflantem faucibus igneis:
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densantur campis, Argivaque pubes,

SERVII.

HAVD SECIVS. Non segnius patre. Dicit autem tantæ eum fuisse audaciæ, ut nec paternæ mortis terreretur exemplo.

VERTITVR. Id est agit. ET TOTO VERTICE SVPRA EST. Statius, *Et toto despectat corpore bellum.*

ÆTNÆOS EFFLANTEM FAVCIBVS IGNEIS. Nimios: quantos habet Ætna.

TAM MAGIS ILLA FREMENS, ET TRISTIBVS EFFERA FLAMMIS, QVAM MAGIS EFFVSO CRVDESCVNT SANGVINE PVGNÆ. Legitur in arte, quod tam, magis, maxime, minus, minime, positivo tantum jungantur: quod tamen tunc observatur, si ponantur ad augmentum istæ particulæ: tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. Cæterum si ad exæquationem positæ sint, possunt vel comparativo, vel superlativo, vel pro his gradibus ipsæ inter se jungi. Hinc ergo est, TAM MAGIS ILLA FREMENS ET TRISTIBVS EFFERA FLAMMIS, QVAM MAGIS EFFVSO CRVDESCVNT SANGVINE PVGNÆ. Non enim ad prælationem positæ sunt, sed ad exæquationem. Majores enim nostri vitia non in dicto, sed in significatione esse voluerunt. Hinc est in Sallustio, *Ita quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Nam & hic exæquatio est, non comparatio.

IO AVRO INSIGNIBAT. Hæc Inachi filia Argivorum fluminis fuit. Hanc amavit Iupiter: & dum cum ea esset, Iuno supervenit. Timens ille ne deprehenderetur, Ionem mutavit in vaccam: & eam poscenti dedit Iunoni, ne pellicem confiteretur: cui Iuno Argum oculatum omnibus membris Aristonidis filium custodem apposuit. Quem cum Iupiter per Mercurium interemisset, Iuno eum in pavonem mutavit: Ioni vero immisit œstrum, quo diu exagitata ad Ægyptum venit, & Iovis voluntate in Isin mutata colique cœpta est. INSIGNIBAT. Signo suo clarum esse faciebat, sua pictura insignem faciebat.

ARGVMENTVM INGENS. Aut fabula, ut Cicero, *Argumenta erant in valvis.* Aut re vera argumentum quo se Græcum probare cupiebat. Hoc enim etiam Amata superius dixit, *Inachus Acrisiusque patres, mediaque Micenæ.* CVSTOS. Ne reverti posset in formam priorem.

PATER INACHVS. Pater non tantum ipsius Iovis: sed author originis Turni.

TOTIS AGMINA DENSENTVR CAMPIS. Qui oculis poterant subjacere. DENSENTVR autem, denseo denses dicimus, aliter non. ARGIVAQVE PVBES. Et hoc ad generis, ut supra diximus, pertinet probationem: quod eum sequebantur Argivi.

VARIORVM.

CVI TRIPLICI CRINITA IVBA. Triplex crista hæc, est Græcis τριλοφία, sive τριφάλεια, cujus certatim Poëtæ meminerunt. Turneb. lib 28. cap. 16. Lipsius de milit. Rom. lib. 3. Dial. Macrob. lib. 5. cap. 13. Saturn. Plutarch. in Mario, galeas equitum Cimbrorum & plumis & horridis hiantium animalium formis insignes describit. E re militari haud dubie mos, quo etiamnum hodie insignia familiarum exornata atque distincta videmus, cum galeis insident leones, aquilæ, dracones & aliarum bestiarum sive capita, sive cornua. Origo moris tam antiqui ab Ægyptiis descendit. Ab Ægyptiis porro mutuatos hoc Græcos, & ab his Romanos, ut multa alia, quæ ad disciplinam militarem pertineat: Lacedæmoniis certe galeæ inventionem tribuit Plinius libro septimo, capite decimo sexto. Cristas autem galeis illigasse Cares primos, itemque in scutis simulacra finxisse scribit Herodot. libro primo. STEVECHIVS, libro primo cap. 20. in Vegetium.

Ar-

Digitized by Google

Auruncæque manus, Rutuli veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus Tyberine tuos sacrumque Numici
Littus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum; queis Iuppiter Anxurus arvis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florenteis ære catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo

SERVII.

VETERESQVE SICANI. Bene VETERES: nam ubi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani: quos postea pepulerunt Aborigines. SACRANÆ ACIES. Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam & tenuisse loca quæ nunc vicina sunt. Ex eo populos ducentes originem, *Sacranos* appellatos. Nam sacrati sunt Matri deûm Corybantes. Alii *Sacranas* acies Ardearum volunt, qui aliquando cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt. Vnde *Sacrani* dicti sunt. PICTI SCVTA LABICI. Glaucus Minois filius venit ad Italiam: & cum sibi imperium posceret, nec acciperet: ideo quod nihil præstabat, sicut ejus pater præstiterat: Zonam eis transmittendo, cum antehac discincti essent, ostendit scutum, à quo & ipse Labicus dictus est: & ex eo populi, ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam latine ansam vocamus. PICTI AVTEM SCVTA, id est in bello frequenter probati. Nam apud majores virorum fortium picta erant scuta: econtra inertium & tyronum pura erant. Vnde est, *Parmaque inglorius alba*, id est non picta.

QVI SALTVS TYBERINE TVOS. Non originem, ut diximus supra. SACRVMQVE NVMICI LITTVS ARANT. Aut jam tunc *sacrum*, aut Prolepsis est. Nam consecratus est Numicus postquam inventum est illic cadaver Æneæ.

LITTVS ARANT. Littus fluminis: ut, *Viridique in littore conspicitur sus.*

CIRCÆVMQVE IVGVM. Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est sine novacula: quia barbam nunquam rasisset. & Iuno virgo quæ Feronia dicebatur. Est autem fons in Campania juxta Terracinam, quæ aliquando Anxiris est dicta.

ET VIRIDI GAVDENS FERONIA LVCO. Non vacat quod addidit VIRIDI. Nam cum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio; & vellent incolæ exinde transferre simulacra, subito revixit.

QVA SATVRÆ IACET ATRA PALVS. Secundum hanc lectionem revera saturam paludem intelligimus. sed alii ASTVRÆ legunt: quod si est, paludem pro flumine posuit. Nam haud longe à Terracina oppidum est Aufura, & ejusdem cognominis fluvius.

QVÆRIT ITER VALLES. Satis figuratis verbis expressit flumen angustum. Contra de Tyberino ait, *In mare prorumpit.*

HOS SVPER ADVENIT VOLSCA DE GENTE CAMILLA. Prudenter post impletam commemorationem virorum, transit ad fœminas. Ita enim & de Trojanis legitur, qui ultimum Amazonum auxilium postulaverunt. Quæ res ab Homero prætermissa est. Sane jam præsagium est infelicitatis futuræ, quod inter ipsa principia armantur & fœminæ. VOLSCA DE GENTE. De Priverno Volscorum oppido, ut, *Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe.*

FLORENTEIS ÆRE CATERVAS. Ennius & Lucretius *florens* dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius. Aliter Acyrologia est. Lucretius, *Florebat navibus pontus.*

CALATHISVE MINERVÆ. Minerva & artorum dea est, & lanificii: sed Camilla animum ad arma sola contulit.

VARIORVM.

IVPPITER ANXVRVS. *Anxur*, ait Festus, vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur, Volscæ gentis. In veteri editione est *Axur*. Nam certissimum est ex Servio, veteres ita dixisse ob Iovem imberbem, sive ἄξυρον, qui ibi colebatur. Et in nummo argenteo Pansæ: ab uno latere, Iovis. AXVR. VIBIVS. C. F. C. N. ab altero, PANSA. Scalig. in Festum. PONT.

NON ILLA COLO CALATHISVE MINERVÆ. Lanificium significari arbitror, ut illo libro VIII. *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva.* Turneb. lib. XI. cap. 22. Lanificium Romanis, inquit Lipsius Elect. lib. I. cap. 17. Impensæ curæ. Docent nuptiæ, in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat e lana. postes velati lana, omnia videlicet signa & indicia matronis operæ futuræ. PONTAN.

Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos leveis humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

SERVII.

CVRSVQVE PEDVM. Bene PEDVM adjecit, ne per equum ejus gloria minueretur: quod ei obiicitur. *Quid tam egregium, si fœmina forti Fidit equo?*

ARISTAS. Aristæ autem sunt primæ spicæ partes, ab eo quod primæ arescant dictæ.

TINGERET. Mergeret: ut, *Tingat equos.*

IVVENTVS TVRBAQVE MIRATVR MATRVM. Ante, ornatum ejus: post, arma dicturus est. Vnde hysteroproteron in respondendo esse voluerunt: ut, *Ornatum matres, viri vero arma mirentur.* Sed melior sensus est, si sicut dictum est, accipiamus. Ea enim sexus uterque miratur, quæ sunt posita contra opinionem, ut mirentur fœminæ arma in muliere, viri ornatum in bellatrice.

INHIANS. Stupore quodam in ore patefacto.

LYCIAM PHARETRAM. Quasi Lyciam. Vt legimus, *Cretenses sagittas.*

PASTORALEM PRÆFIXA CVSPIDE MYRTVM. Quia hoc pugnare pastores solent. MYRTVM. Non hastam myrteam, sed ipsam myrtum. Statius, *Lernæam jacit ille trabem.*

VARIORVM.

CVRSVQ. PEDVM PRÆVERTERE VENTOS. Achillem toties Homerus πόδας ὠκὺν, ποδάρκη appellat. Et Ladas quidam Alexandri Magni cursor, tanta pedum velocitate memoratur, ut vestigia ejus in arena non apparerent. Porro de cursoribus admiranda collegit. Lipsius Epist. Centur. ad Italos & Hispanos LIX. Alexand. ab Alex. lib.2. cap.21. & ibidem Tiraquell.

ILLA VEL INTACTÆ SEGETIS. Ex Homero Macrob. lib.5. cap.8. Saturnal.

FLVCTV SVSPENSA TVMENTI. Quid sit hic *suspensa fluctu*, declarant sequentia, *celeres nec tingeret æquore plantas.* Suspensis ergo est, non graviter impressis, sed sublevatis. PONT.

ATTONITIS INHIANS ANIMIS. Absolute accipitur hoc loco *inhians*, uti apud Lucret. lib. 1. *Pascit amore avidus inhians in te dea visus.* Alias prædæ & prædam inhiare dicimus. PONTAN.

VT REGIVS OSTRO VELET. Ante ornatum ejus, post arma dicit. PONTAN.

CVSPIDE MYRTVM. Myrto jacula fiebant. Turneb. lib 23. cap.22.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER OCTAVUS.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Utque acreis concussit equos, utque impulit arma:
Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium: sævitque juventus
Effera. ductores primi, Messapus, & Ufens,

SERVII.

VT BELLI SIGNUM LAURENTI TURNUS AB ARCE EXTULIT. Apud majores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia, aut conjuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli jurabant pro republica se esse facturos: nec discedere nisi completis stipendiis, id est militiæ temporibus, & sacramentum vocabatur, ut Æn. 2 *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.* Aut certe si esset tumultus, id est bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus: quia singulos interrogare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quod pedites evocabat, & unum ceruleum quod erat equitum (nam ceruleus color maris est, à cujus deo equum constat inventum) dicebat, *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* & qui convenissent, simul jurabant, & dicebatur ista militia conjuratio. Alii album & roseum vexilla tradunt, & roseum bellorum, album comitiorum signum fuisse. Fiebat etiam evocatio. Nam ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus. Modo ergo duo sunt genera militiæ, conjuratio & evocatio, quippe in tumultu. Sane incongruum non est quod signum belli, id est, vexilli elevationem Turno dat, aut quia de rege Latino dixerat supra, *Rerumque reliquit habenas.* Aut quia Turnus furore succensus maluit ipse efficere quam jubere, ut omnes abrumpat moras: Aut quia sicut dictum est, Latinus, cui soli imperandi hoc jus erat, abstinuerat, & nemo illo abstinente parebat. Turnus ergo ideo hujusmodi officium arripuit, quia etsi ipse non imperabat, tamen prohiberi non poterat. Belli autem signum generaliter dixit (nam multa sunt) sed vexillum significat, quod est tractum à veli diminutione, ut velum vexillum. AB ARCE. Quoniam vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus.

STREPUERUNT CORNUA. Quæ simul sonabant: ut, *Æreaque adsensu conspirant cornua rauco.*

UTQUE ACRES CONCUSSIT EQUOS. Hoc ad equites pertinet. Et utrum hoc epitheton equorum perpetuum est, an dum concutiuntur? UTQUE IMPULIT ARMA. Hoc ad pedites. Est autem sacrorum. nam is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius dicens, *Mars vigila.* Quidam sane suos equos & sua arma, de Turno tradunt: scilicet ut cæteris esset exemplum.

EXTEMPLO. Aut subito, aut re vera ex ipso templo: id est post divina arma commota. TUMULTU TREPIDO. Festino: more suo. Non enim timere poterant qui pericula vincebant.

CONIURAT. Notandum de re bona conjurationem dici posse. Ergo con juratio ꝑ *plurimo* est. IUVENTUS EFFERA. Efferata per furiam; ut, *arma velit poscatque simul.*

PRIMI. Utrum ordine, an dignitate? MESSAPUS ET UFENS. Bona electio personarum ad delectum habendum: unus eques bonus, id est Mesapus mittitur: alter pedes egregius.

DONATI.

SIMUL. *Simul & omne* dicit: id est uno tempore, omnibus in unum coëuntibus.

CONIURAT. Conjuratio autem totius Latii: & tumultus: id est timor multus. & concitatio tot populorum ad laudes Æneæ pertinent. Inservit etiam Æneæ hic tumultus: ne peregrinus in hospites, & socius in fœderatos impius videatur, si primus bellum moveat.

COGUNT. Non congregant, sed vi cogunt timidiores. In qua re etiam ipsi duces timorem suum ostendunt.

VARIORUM.

Explicat hunc librum toto cap. 8. lib. 13. Turneb. & lib. 26. cap. 29.

ET BELLI SIGNUM. Explicat Turneb. lib. 14. cap. 16.

RAUCO STREPUERUNT CORNUA CANTU. De usu tubarum, cornuum, lituorum in re militari, Vide Alex. Neapol. cum Tiraquell. lib. 4. c. 2.

EXTEMPLO TURBATI ANIMI. Turneb. lib. 26. cap. 29.

Contemptorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros.
Advectum Æneam classi, victosque penates
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat; multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, & late Latio increbrescere nomen:
Quid struat his cœptis, quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros

SERVII.

CONTEMPTORQVE DEVM MEZENTIVS. Quis enim justius quam sacrilegus contra pios & præpararet bellum & gereret?

VASTANT CVLTORIBVS, Abducendo cultores, vastos & desertos efficiunt. Salustius in Iugurtha, *Vastus ab natura & humano cultu.* alibi, *Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus*, hoc est hominibus deserta.

MITTITVR ET MAGNI VENVLVS DIOMEDIS AD VRBEM. Diomedes postquam reperit ira Veneris à se vulneratæ, uxorem apud Argos cum Cillabaro ut Lucilius, vel Cometa ut plerique tradunt, turpiter vivere, noluit reverti ad patriam, vel ut dicitur ab adulteris proturbatus, sed tenuit partes Apuliæ: & edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitates plurimas condidit. Nam & Beneventum & Æquumtuticum ipse condidit, & Arpos quæ & Argiripa dicitur, ad quam nunc Venulus mittitur: non Arpinum, quam constat esse Campaniæ: unde Cicero Arpinas. Sane sciendum Apuliam uno dictam vocabulo: sed hujus partem quam Diomedes tenuit, Messapiam & Peucetiam à duobus fratribus dictam, qui illic imperarent. Item, Dauniam à Dauno rege Apuliæ. A quo hunc Diomedem quidam hospitio receptum dicunt. Sane artificiose ad Diomedem mittitur, movenda est enim indignatio & metus Diomedi ut subveniat Latinis contra Trojanos, vel ut eum quasi civis citius posset adducere. VENVLVS. Hunc fuisse constat Argivum. Nam Tybur est, ut ille indicat locus, *Prædam Tyburti ex agmine raptam, Portat ovans.* Hunc alii Lavini imperasse olim tradunt.

CONSISTERE. Iam esse conditos, id est fundasse civitatem. Plus est enim consistere, quam venisse.

INFERRE. Hic invidiam facit: ut. *Inferretque deos Latio*, proprie enim inferuntur penates. REGEM SE DICERE POSCI. Vnde illud est, *Expectate solo Laurentum.* Et dicendo POSCI, agit subtiliter. Nam si non venit errore, sed fato: omnem sibi utique est vendicaturus Italiam, sine dubio & Diomedis imperium. VICTOSQVE PENATES. Vt major sit indignatio, & amat Poëta quotiens adversum Trojanos poscuntur auxilia, penatibus victorum crimen adscribere, ut apud Æolum, *Ilium in Italiam portans victosque penates.*

VIRO SE ADIVNGERE GENTES DARDANIO. Hic metum injicit, & bene non Æneæ dixit, sed *viro Dardanio*: ut non sit mirum si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum. Vt, *Hinc Dardanus ortus Huc repetit.*

QVID STRVAT HIS COEPTIS. Cum hæc etiam cœperit. Et participialiter dixit, ab eo quod est incipio, cœptus facit, Hinc est cœptis. QVEM SI FORTVNA SEQVATVR. Eventum pugnæ cupiat. Si eum fortuna comitetur, quem finem suæ velit esse victoriæ, ipsum melius nosse qui jam antiquus est hostis. Ergo *quem* acutè pronunciandum, ut sit ordo, quem eventum pugnæ cupiat fortuna sequatur.

MANIFESTIVS IPSI. Vult autem intelligi Æneam etiam contra Diomedem bella gesturum; non tantum propter præsens imperium, sed & caussa hostilitatis antiquæ.

TALIA PER LATIVM, *Gerebantur* subaudis, & est formosa Eclipsis.

DONATI.

CONTEMPTOR DEVM MEZENT. Magna laus Æneæ, ut Mezentius contemtor divum aliquando invenerit, quem timeret.

MITTITVR ET MAGNI. Magnum signum timoris, ut etiam ab externis auxilium petant.

ADVECTVM ÆNEAM. Quasi quem antea vicerat, ne desperet de victoria.

REGEM SE POSCI. Quasi dicat, mentitur in hac re.

MVLTOS. Adjungit hæc vera, ut etiam falsa credantur. Vult igitur inferre timorem Diomedi, ut vel sua causa pellat Æneam: sed non tantum terrorem ut desperet de victoria, si properabit. Est autem in singulis repetendum, *edoceat.*

LAOMEDONTIVS HEROS. Virtute & calliditate Laomedonti respondens.

Cuncta

Digitized by Google

Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aqua tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, & terras animalia fessa per omneis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit: seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tyberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus: eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines umbrosa tegebat arundo.

SERVII.

CVNCTA VIDENS. Mente pertractans. Nam non videbat. CVRARVM FLVCTVAT ÆSTV. His verbis futuram præoccupat comparationem, quæ est Apollonii de verbo ad verbum. FLVCTVAT ÆSTV. Vtrumque verbum de mari est.

ATQVE ANIMVM NVNC HVC CELEREM, NVNC DIVIDIT ILLVC. Vel quod suis copiis bellum Itali adversus eum parabant, vel quod à Diomede vetere hoste suo auxilia postulabant. CELEREM autem ad corporis comparationem quod tardum est, ut, *Iterumque ad tarda reverti corpora.*

SOLE REPERCVSSVM. Aut vacat RE, aut bene *repercussum*: quia primo aquam ferit, inde postea tendit ad tecta. RADIANTIS IMAGINE LVNÆ. Negant omnes Physici lumen lunæ aliud ex se reddere: & vituperatur hoc dicto Virgilius. quod tamen tolerabile est: quia non lunam, sed imaginem dixit lunæ, quam à Sole lumen accipere manifestum est. An ideo *radiantis*, ut quoniam Luna lumen de Sole mutuatur, idem videatur etiam ipsa efficere quæ de Sole procedit.

LAQVEARIA. Multi *lacunaria* legunt: nam lacus dicitur. Vnde est in Horatio, *Nec mea renidet in domo lacunar.* Non enim à laqueis dicitur, sed ab eo quod sunt lacus.

ALITVVM. Pro alitum: sed metri caussa, ut diximus supra, addidit syllabam.

SVB ÆTHERIS AXE. Id est sub aëre.

SERAMQVE DEDIT PER MEMBRA QVIETEM. Tardam: quippe in bellicis curis. *Seram* autem pro sero adverbium temporis in nomen deflexum. DEDIT autem mire dixit, hoc est indulsit quietem corpori suo.

HVIC DEVS IPSE LOCI. Cum ipse fluvius Tyberinus sit, quid ita intulit deus fluvio? Tyberinus enim deus genius loci. TYBERINVS. Bene *Tyberinus*, quia supra dixerat deus. Nam in sacris Tyberinus, in Cœnolexia Tyberis, in poëmate Tybris vocatur.

TENVIS GLAVCA VELABAT AMICTV CARBASVS, ET CRINES VMBROSA TEGEBAT ARVNDO. Fluvialem aquam purificationi aptam latenter ostendit in tantum, ut etiam harundinibus, quæ fluminum germina esse non dubium est, purificatio rite celebretur. Ideo inventa occasione poëta ab harundinibus tectum fluvium inducit, ut doceat hoc etiam harundinibus in purificatione quod per aquam impleri posse, sicut in sacris traditur. Ideo & ubique fluminibus harundinem dat, ut lib. x. *Velatus harundine glauca Mincius*, & lib. II. Georg. *Ripis fluvialis harundo*: Quod autem ait, *tenuis glauco velabat amictu Carbasus*, docet quædam sacra pure à linteatis debere fieri. Carbasus autem genus lini est: Linum vero, ut ait Plinius, *Melius irrigatione fluminum quam pluvia nascitur.* Ideo & vestis linea fluminibus tanquam propria datur. SENIOR. Atqui ubique eum flavum dixit: sed *senior*, aut propter spumas dictum est: aut ad reverentiam pertinet. Sic Lucanus urbe Roma adhuc florente, *Turrigero canos effundens vertice crines.*

DONATI.

CVNCTA VIDENS. Id est, nihil ex iis quæ hostes agerent illum latuit.

ÆSTV CVRARVM. Propter exiguas copias suas, & tantos hostiles apparatus.

VARIORUM.

ANIMVM NVNC HVC CELEREM N. D. I. Græcis proprie διχάζειν, cum vacillans animus huc & illuc impellitur. GERMAN.

QVVM PATER. *Pater*, dignitatis nomen Turn. l. 13. c. 8.

GLAVCO VELABAT AMICTV. Cur hic color fluviis detur, Turneb. lib. 8. c. 15. & lib. 24. c. 40.

Tum sic affari, & curas his demere dictis:
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Expectate solo Laurenti, arvisque Latinis:
Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) penates:
Neu belli terrere minis. tumor omnis, & iræ
Concessêre deûm.
Iamque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.

SERVII.

TVM SIC ADFARI. Subaudis visus. CVRAS HIS DEMERE DICTIS. Habitum futuræ orationis ostendit.

O SATE GENTE DEVM. Alibi, *Deum certissima proles, & sate sanguine deum.* Sane interdum hæc epitheta non vacant, sed vim hortandi obtinent. VRBEM QVI REVEHIS NOBIS. Vt, *Ilium in Italiam portans*: VRBEM ergo pro civibus posuit. REVEHIS autem propter Dardanum,

ÆTERNAQVE PERGAMA SERVAS. Pro servas & æterna facis, id est efficis ut æterna sint.

EXSPECTATE SOLO LAVRENTI. Dat adfectum etiam locis. Vt, *Ipsa te Tityre pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.*

HIC TIBI CERTA DOMVS. Quod superius ab Apolline poposcerat, hoc nunc indicat Tyberis. ut, *Da propriam Tymbraee domum, da mœnia fessis.*

TVMOR OMNIS ET IRÆ CONCESSERE DEVM. Quidam *concessere*, pro discessere accipiunt. Alii ita tradunt qui nondum concesserunt, sed utiliter dissimulant, sed aliqua hemistichia in Virgilio, tam sunt sensu imminuta, quam verbis; ut ecce hoc loco. Namque non possumus intelligere quievisse omnem tumorem & iram deorum, cum & adhuc inimica sit Iuno: & ad Trojanorum perniciem addantur alia numina, ut Furia, aut Iuturna. Vnde mire quidam conclusit hunc versum dicens, *Concessere deum profugis nova mœnia Teucris.* Concessere ergo indulserunt vel cesserunt, id est permiserunt, ut, *Nec si muneribus certes concedat Iolas*, id est permittat, indulgeat, & *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Quod si ita acceperimus, ut dicat Teucros constituere civitatem, nec ea numina quæ irata sunt vetant: nihil erit contrarium. Nam & ipsa Iuno hoc dicit: *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lavinia conjux.* Hic autem sensus etiamsi detrahas subauditionem, potest accipi à superioribus: ut sit, *Tumor omnis, & ira, Concessere deum*, ut, *Hic tibi certa domus, certique penates.*

LITTOREIS INGENS. Licet possimus etiam de fluvio littus dicere: ponit tamen discretionem, ut hic, *Sub ilicibus.* Paulo post, *Viridique in littore conspicitur sus.* Hanc autem porcam, ut diximus supra, secum habuere Trojani, quam amissam in Campania invenerunt cum fœtu circa Laurentem agrum: quam ideo Æneas immolavit Iunoni, quia ipsa dicitur Terra. Vt est, *conjugis in gremium lætæ descendit.* Scimus autem hoc animal inimicum esse frugibus: ut caprum vitibus, qui Libero immolatur. Alii de ea sue dicunt, habuisse eam Trojanos, & ubi primum generasset, ibi certam spem sedis concepisse. Alii in littore Laurenti inventam, quam secutos Trojanos in eum montem pervenisse, ubi postea Alba à colore porcæ, longa à positione, sit condita. Sane & *littoreis* & *littoralibus* dicitur.

ENIXA IACEBIT. Participio utens tangit historiam.

SOLO RECVBANS. SOLO videtur abundare.

EX QVO. Qua ratiocinatione. QVOD INSTAT. Quod solum ex laboribus restat. Cura enim Æneæ præsentis fuerat necessitatis.

DONATI.

NE VANA PVTES. Quia solent multi in somnis decipi, dat signum quo cognoscat hoc somnium verum esse.

VARIORVM.

IAMQVE TIBI, NE VANA. Explicat Gorop. Becan. In Venet. &c.

TRIGINTA CAPITVM. Hæc supra lib. 3. Ænead. ab Heleno prædicta. HAKT.

Arca-

Digitized by Google

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comitès, qui signa secuti,
Delegère locum, & posuere in montibus urbem;
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, & fœdera junge.
Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem:
Surge age nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces, irasque minasque
Supplicibus supera votis. mihi victor honorem

SERVII.

ARCADES HIS ORIS, GENUS A PALLANTE PROFECTUM. Euander Arcas fuit, nepos Pallantis regis Arcadiæ. Hic patrem suum occidit suadente matre Nicostrata (quæ etiam Carmentis dicta est, quia carminibus vaticinabatur.) Alii ipsam Nicostratam matrem Euandri cum esset centum decem annorum à filio peremptam tradunt. Constat autem Arcadas plurimum vixisse, intantum, ut quidam usque ad trecentos annos vivendo pervenerint. Ipse autem Euander dimissa provincia sua exilio non sponte, compulsus venit ad Italiam, & pulsis Aboriginibus tenuit loca in quibus nunc Roma est, & modicum oppidum fundavit in monte Pallatino, sicut ait Varro, *Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro?* Hic autem mons Pallatinus secundum Virgilium à Pallante avo Euandri est dictus: secundum Varronem & alios, à filia Euandri Pallantia ab Hercule vitiata, & postea illic sepulta. Alii à Pallante qui de filia Euandri natus, & ibi sepultus est immaturæ ætatis. Alii à filio Euandri, qui post mortem patris seditione occisus est. Alii à ballatu Ballanteum volunt dictum. Et exinde per Antistoichon id est mutata littera Pallanteum dictum. Sed si à balatu hoc nomen venerit, *pa* longa est: sicut eam Martialis ponit plerumque. Si autem à Pallante, *pa* brevis est, ut eam ponit ubique Virgilius secundum suam opinionem. GENUS A PALLANTE PROFECTUM. Profectum ad has oras genus à Pallante, non à Pallante profectum.

QUI REGEM EVANDRUM, QUI SIGNA. Id est, qui regis Euandri signa secuti; ut, *Sanguine placastis ventos & virgine cæsa*, pro sanguine virginis cæsæ.

IN MONTIBUS. Ut diximus supra, est in minoribus istis collibus. An pro monte, an inter montes?

PALLANTIS PROAVI. Confundit nomina ut plerumque solet. Nam avus fuit: sic & illud dixit, *Luco tunc forte parentis Pilumni Turnus*. Et alibi, *Pilumnusque illi quartus pater* A quibusdam tamen hic Pallas auctor Euandrii generis Egeii filius fuisse dicitur, qui à fratre Theseo Athenis regno pulsus, ad Arcadiam venit, & ibi regnum tenuit, & hoc poëta quasi Romanis dicit, nam ad Æneam non pertinet.

HI BELLUM ASSIDUE DUCUNT CUM GENTE LATINA. *Ducunt*, aut gerunt, aut in longum trahunt. Et bene præstandorum auxiliorum exprimit caussam: ne magis Turno, quasi Græco favere credantur.

FOEDERA IUNGE. Legitur & *Fœdere junge*.

RECTO FLUMINE DUCAM. Non ad naturam alvei referendum est, nam ait, & *longos superant flexus*, sed recto fluminis itinere, quia non sunt erraturi: & sic dixit, ut, *Tunc se ad Cajetæ recto fert littore portum*. Hoc est à littore non recedens. Sic ergo & nunc DUCAM, à littore fluvii non recedentem significat. Est & alia expositio, ut *recto flumine*, edomito, frenato, & in tranquillitatem redacto intelligamus: quod etiam fecit; ut, *Mitis ut in morem stagni placidæque paludis*. Ut sit RECTO Præteriti temporis participium ab eo quod est rego.

PRIMIS. Proprium cadentibus astris, cum primum nox occiderit, & dictum juxta vulgarem opinionem, tanquam oriente die occidant astra.

IUNONI FER RITE PRECES. Sicut etiam Helenus monuit. Et sic fer preces, quemadmodum sacra ferri dicimus.

VICTOR HONOREM PERSOLVES. Bene ei adimit bellicam curam, promittendo voti fore compotem.

DONATI.

ARCADES. Brevitate utitur, ne tædio afficiat Æneam. Genus enim dicit & nomen & urbem, & spem dat auxilii ab iis, qui & ipsi hostes sint & peregrini, quos jure oderint Latini.

IPSE EGO. Pollicetur homini ignaro viam se ostensurum.

IUNONI. Matutinum tempus congruum sacrificiis ostendit. Docet potentum iras, supplicando potius, quam repugnando superari.

VARIORUM.

HI BELLUM ASSIDUE DUCUNT. *Ducunt*, non *gerunt* dixit, ut ostendat belli continentiam, & usitatum exercitium belli cum vicina gente, ut Græci ἄγειν πόλεμον & ἄγειν, hoc est, πολεμοτροφεῖν. GERMAN.

PRIMISQUE CADENTIBUS ASTRIS. Quæ astra cadere dicantur, Turneb. lib. 6. c. 21.

Strin-

Persolves: ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens: nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac taleis effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est:
Tuque ô Tybri tuo; genitor cum flumine sancto,

SERVII.

STRINGENTEM RIPAS. Radentem, imminuentem. nam hoc est Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi ripas ruminans & exedens. in sacris etiam *Serra* dicebatur. Vnde ait nunc, *Et pinguia culta secantem*: in aliqua etiam urbis parte Terentum dicitur, eo quod ripas terat. Alii STRINGENTEM juxta veterem morem dictum intelligunt. Stringere enim significare dicunt, tactu modico præterire: ut ipse ait in x. *Magno strinxit de corpore Turni.*

CÆRVLEVS TYBRIS. Altus, profundus. COELO GRATISSIMVS. Pro his qui in cœlo sunt.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Scilicet circa exitum suum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tyberini esse domicilium, hinc dixisse *magnam domum.* Alii ostia dicunt ab hoc, quod nos, cum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare. Alii *domum*, non Romam significare quæ adhuc non erat, sed regionem illam ut ostendat sibi eam demum electam, quæ ad totam gloriam perventura sit.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. De Tuscia, quam illis multum constet floruisse temporibus. Nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiæ superaverat partem.

LACV FLVVIVS. Abutitur lacus nomine ut mox, *Quo te cunque lacus*, fluvius autem hic ipse scilicet deus alvei.

NOX ÆNEAM SOMNVSQVE RELIQVIT. Vt, *Fessos cum sole reliquit*, & cito, ORIENTIA SOLIS LVMINA. Pro orientis solis lumina.

VNDAM DE FVLMINE PALMIS SVSTVLI. Quia dicitur nox etiam solo somno polluere. Vnde est, *Et noctem flumine purgat.*

NYMPHÆ. Hic distinguendum, ut generalitatem sequatur specialitas, ut in Georgicis, *Mater Cyrene mater.* Nam vitiosum est post speciem genus inferre. GENVS AMNIBVS VNDE EST. Quidam hic hypallagen putant, ut sit Nymphæ quæ ab amnibus genus habetis. Sane cum VNDE hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus & ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus fœmininum & pluralem numerum posuit, cum alibi masculinum & singularem posuerit, *genus unde Latinum*, quod plenius in initio primi libri Æneidos dictum est.

TVQVE O GENITOR CVM FLVMINE. Sic enim vocatur in precibus, *Adesto Tyberine cum tuis undis.* Tyberim vero alii à rege Aboriginum dictum volunt, qui juxta dimicans interemptus est. Alii ab eo rege, quem Glaucus Minois filius in Italia interemit. Alii, inter quos & Livius, ab Albanorum rege qui in eum cecidit.

DONATI.

EGO SVM Non arroganter, sed necessario laudat suum officium.

NYMPHÆ, potest sic distingui. Nymphæ Laurentes, quoniam ipsæ in tempore fuerant necessariæ: deinde pone, Nymphæ genus amnibus unde est. Possumus etiam intelligere esse duplicationem. Tertia distinctio est: ut dicas *Nymphæ*, ut generaliter proferatur. deinde ad speciem redeat & dicat *Laurentes Nymphæ*, quæ erant præferendæ.

GENITOR. Honoris causa, vel quia subit, quod ut pater consuluerat.

VARIORVM.

STRINGENTEM RIPAS. Politianus Misc. 58.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Hoc modo versus est exponendus. *Hic*, id est, non longe ab exitu meo & ostio, quo in mare ingredior, *magna domus mihi exit*, id est, oriri incipit. *Celsis caput urbibus*, id est, quæ futura aliarum magnarum urbium caput & princeps. Vide Lambin. in Od. 1. lib. 1. PONT.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. Capita fontium amnes sunt. Turneb. lib. 24. cap. 40.

CAVIS VNDAM DE FLVMINE PALMIS. Non sacrificaturi modo, sed precaturi, manus prius abluebant. Et Ovid. 4. Fast. Claudiam precaturam, puram fluminis aquam manibus hausisse narrat, Brisson. Formul. Bem. lib. 1.

TVQVE O TYBRI TVO. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn. contra Macrob. de Tyberino, Turneb. lib. 13. cap. 8.

Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.
Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum;
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus;

SERVII.

ARCETE PERICLIS. Hypallage, pro à me prohibete pericula.

QVO TE CVNQVE LACVS TENET. Lacus est quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum: & dictus lacus quasi lacuna: ex qua erumpens aqua efficit fontem; qui cum fluere cœpit, alveum facit. Vnde tria ista dixit: lacum, fontem, alveum. Hoc enim est, QVOCVNQVE SOLO PVLCHERRIMVS EXIS. Quanquam multi hoc versu superfusionem ejus velint significari. ideo autem hoc dixit Æneas, quia audierat, *Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit.*

SEMPER HONORE MEO. Amphiboliam facit. Satis autem pie Æneas pollicetur, cum Tyberis verecunde popoicerit. Ait namque, *Mihi victor honorem Persolves.*

CORNIGER. Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: sive quod plerunque in cornuum similitudine curvatas cernimus ripas. HESPERIDVM REGNATOR AQVARVM. Bene addidit HESPERIDVM, id est Italicarum. Nam Eridanus rex est fluminum Hesperiæ, ut, *Fluviorum rex Eridanus.* FLVVIVS vero, vocativus antiquus est, quia apud majores in omni forma similis erat nominativo. Sed modo aliter est in secunda tantum forma. namque si proprium fuerit nomen, & i ante Vs habuerit, Vs perdita facit vocativum: ut Terentius, Terenti: nullo excepto. si autem appellativum sit, in E mittit vocativum, ut pius pie, fluvius fluvie: excepto filius, nam fili facit. Plerumque tamen poëtæ Euphoniæ caussa antiquitatem sequuntur.

ET PROPIVS. Legitur & PROPRIVS. Et si *proprius*, familiarius: stabilius significat: ut, *Et propius res aspice nostras.* Si autem *propius*, citius significat. Cicero in Verrinis, *Nec eo quicquam est propius factum, quam ut illud exemplum de Adriano Syracusas referretur.* Et hoc est melius. nam statim est porca conspecta, & Æneas non dubitavit de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. TVA NVMINA. Tua oracula & promissa.

GEMINAS. Pro duas. REMIGIOQVE APTAT. id est ad remigium officium remigantium, alibi pro turba remigantium: ut, *Remigium supplet.*

MONSTRVM. Quia & subito & cum triginta porcellis est visa.

FOETV CONCOLOR ALBO. Expedita locutio. VIRIDIQVE IN LITTORE. Fluviali scilicet.

CONSPICITVR SVS. Horatius, *Et amica luto sus.* Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Vt, *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium.

DONATI.

EXIS SEMPER. Quocunque lacu & quocunque fonte. Alterum ad ejus originem: alterum ad exitum pertinet. Fons est aquæ initium. Lacus ubi fontis aqua colligitur.

REGNATOR. Vt ostendat omnibus fluminibus potiorem.

MONSTRVM. Id est, quod est contra rationem naturæ.

VARIORVM.

QVO TE CVNQVE LACVS. Hoc ergo numini spondet. Vbicunque te invenero, sive ex fonte nascentem, sive in stagno collectum, sive fluentem per liberos exitus; venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota. SEMPER duplicatum, plenam præstitorum memoriam significat. DONATVS.

CORNIGER HESPERIDVM. Fluvios ipsos cornigéros, vel ταυροκερῶτας, hoc est tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Sic & Ovid. Metamorph. *Et gemina auratus taurino cornua vultu.* Sic tauriformis Aufidus Horatio. Cur cornua attribuantur. Turneb. lib. 24. cap. 40.

TVA NVMINA FIRMES. Palmerius conjiciebat *omina*, Tom. IV. Lampad. p. 616.

GEMINASQVE BIREMES. Ad postera retulit tempora: nam Æneæ ætate nondum biremes, vel triremes erant. Turneb. lib. 24. cap. 40.

SOCIOS SIMVL INSTRVIT ARMIS. Socios appellat classiarios istos seu epibatas. PONT.

ECCE AVTEM SVBITVM. Gorop. Becan. in Venet. & Hyperbor.

Digitized by Google

Persolves: ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens: nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac taleis effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est:
Tuque ô Tybri tuo; genitor cum flumine sancto,

SERVII.

STRINGENTEM RIPAS. Radentem, imminuentem. nam hoc est Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi ripas ruminans & exedens. in sacris etiam *Serra* dicebatur. Vnde ait nunc, *Et pinguia culta secantem*: in aliqua etiam urbis parte Terentum dicitur, eo quod ripas terat. Alii STRINGENTEM juxta veterem morem dictum intelligunt. Stringere enim significare dicunt, tactu modico præterire: ut ipse ait in x. *Magno strinxit de corpore Turni.*

CÆRVLEVS TYBRIS. Altus, profundus. COELO GRATISSIMVS. Pro his qui in cœlo sunt.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Scilicet circa exitum suum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tyberini esse domicilium, hinc dixisse *magnam domum*. Alii ostia dicunt ab hoc, quod nos, cum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare. Alii *domum*. non Romam significare quæ adhuc non erat, sed regionem illam ut ostendat tibi eam demum electam, quæ ad totam gloriam perventura sit.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. De Tuscia, quam illis multum constat floruisse temporibus. Nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiæ superaverat partem.

LACV FLVVIVS. Abutitur lacus nomine ut mox, *Quo te cunque lacus*, fluvius autem hic ipse scilicet deus alvei.

NOX ÆNEAM SOMNVSQVE RELIQVIT. Vt, *Fessos cum sole reliquit*, & cito, ORIENTIA SOLIS LVMINA. Pro orientis solis lumina.

VNDAM DE FVLMINE PALMIS SVSTVLIT. Quia dicitur nox etiam solo somno polluere. Vnde est, *Et noctem flumine purgat.*

NYMPHÆ. Hic distinguendum, ut generalitatem sequatur specialitas. ut in Georgicis, *Mater Cyrene mater.* Nam vitiosum est post speciem genus inferre. GENVS AMNIBVS VNDE EST. Quidam hic hypallagen putant, ut sit Nymphæ quæ ab amnibus genus habetis. Sane cum VNDE hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus & ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus fœmininum & pluralem numerum posuit, cum alibi masculinum & singularem posuerit, *genus unde Latinum*, quod plenius in initio primi libri Æneidos dictum est.

TVQVE O GENITOR CVM FLVMINE. Sic enim vocatur in precibus, *Adesto Tyberine cum tuis undis.* Tyberim vero alii à rege Aboriginum dictum volunt, qui juxta dimicans interemptus est. Alii ab eo rege, quem Glaucus Minois filius in Italia interemit. Alii, inter quos & Livius, ab Albanorum rege qui in eum cecidit.

DONATI.

EGO SVM Non arroganter, sed necessario laudat suum officium.

NYMPHÆ, potest sic distingui. Nymphæ Laurentes, quoniam ipsæ in tempore fuerant necessariæ, deinde pone, Nymphæ genus amnibus unde est. Possumus etiam intelligere esse duplicationem. Tertia distinctio est: ut dicas *Nymphæ*: ut generaliter proferatur. deinde ad speciem redeat & dicat *Laurentes Nymphæ*, quæ erant præferendæ.

GENITOR. Honoris causa, vel quia subit, quod ut pater consuluerat.

VARIORVM.

STRINGENTEM RIPAS. Politianus Misc. 58.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Hoc modo versus est exponendus. *Hic*, id est, non longe ab exitu meo & ostio, quo in mare ingredior, *magna domus mihi exit*, id est, oriri incipit. *Celsis caput urbibus*, id est, quæ futura aliarum magnarum urbium caput & princeps. Vide Lambin. in Od. 1. lib. 1. PONT.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. Capita fontium amnes sunt. Turneb. lib. 24. cap. 40.

CAVIS VNDAM DE FLVMINE PALMIS. Non sacrificaturi modo, sed precaturi, manus prius abluebant. Et Ovid. 4. Fast. Claudiam precaturam, puram fluminis aquam manibus hausisse narrat, Brisson. Formul. Bem. lib. 1.

TVQVE O TYBRI TVO. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn. contra Macrob. de Tyberino, Turneb. lib. 13. cap. 8.

Acci-

Digitized by Google

Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.
Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum:
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus;

SERVII.

ARCETE PERICLIS. Hypallage, pro à me prohibete pericula.

QVO TE CVNQVE LACVS TENET. Lacus est quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum: & dictus lacus quasi lacuna: ex qua erumpens aqua efficit fontem: qui cum fluere cœpit, alveum facit. Vnde tria ista dixit: lacum, fontem, alveum. Hoc enim est, QVOCVNQVE SOLO PVLCHERRIMVS EXIS. Quanquam multi hoc versu superfusionem ejus velint significari. ideo autem hoc dixit Æneas, quia audierat, *Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit*.

SEMPER HONORE MEO. Amphiboliam facit. Satis autem pie Æneas pollicetur, cum Tyberis verecunde poposcerit. Ait namque, *Mihi victor honorem Persolves*.

CORNIGER. Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: sive quod plerunque in cornuum similitudine curvatas cernimus ripas. HESPERIDVM REGNATOR AQVARVM. Bene addidit HESPERIDVM, id est Italicarum. Nam Eridanus rex est fluminum Hesperiæ, ut, *Fluviorum rex Eridanus*. FLVVIVS vero, vocativus antiquus est, quia apud majores in omni forma similis erat nominativo. Sed modo aliter est in secunda tantum forma. namque si proprium fuerit nomen, & I ante VS habuerit, VS perdita facit vocativum: ut Terentius, Terenti: nullo excepto. si autem appellativum sit, in E mittit vocativum, ut pius pie, fluvius fluvie: excepto filius, nam fili facit. Plerumque tamen poëtæ Euphoniæ caussa antiquitatem sequuntur.

ET PROPIVS. Legitur & PROPRIVS. Et si *proprius*, familiarius: stabilius significat: ut, *Et propius res aspice nostras*. Si autem *propius*, citius significat. Cicero in Verrinis, *Nec eo quicquam est propius factum, quam ut illud exemplum de Adriano Syracusas referretur*. Et hoc est melius. nam statim est porca conspecta, & Æneas non dubitavit de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. TVA NVMINA. Tua oracula & promissa.

GEMINAS. Pro duas. REMIGIOQVE APTAT. id est ad remigium officium remigantium, alibi pro turba remigantium: ut, *Remigium supplet*.

MONSTRVM. Quia & subito & cum triginta porcellis est visa.

FOETV CONCOLOR ALBO. Expedita locutio. VIRIDIQVE IN LITTORE. Fluviali scilicet.

CONSPICITVR SVS. Horatius, *Et amica luto sus*. Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Vt, *Parturient montes, nascetur ridiculus mus*. Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium.

DONATI.

EXIS SEMPER. Quocunque lacu & quocunque fonte. Alterum ad ejus originem; alterum ad exitum pertinet. Fons est aquæ initium. Lacus ubi fontis aqua colligitur.

REGNATOR. Vt ostendat omnibus fluminibus potiorem.

MONSTRVM. Id est, quod est contra rationem naturæ.

VARIORVM.

QVO TE CVNQVE LACVS. Hoc ergo numini spondet. Vbicunque te invenero, sive ex fonte nascentem, sive in stagno collectum, sive fluentem per liberos exitus; venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota. SEMPER duplicatum, plenam præstitorum memoriam significat. DONATVS.

CORNIGER HESPERIDVM. Fluvios ipsos cornigeros, vel [illegible], hoc est tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Sic & Ovid. Metamorph. *Et gemina auratus taurino cornua vultu*. Sic tauriformis Aufidus Horatio. Cur cornua attribuantur. Turneb. lib. 24. cap. 40.

TVA NVMINA FIRMES. Palmerius conjiciebat *omina*, Tom. IV. Lampad. p. 616.

GEMINASQVE BIREMES. Ad postera retulit tempora: nam Æneæ ætate nondum biremes, vel triremes erant. Turneb. lib. 24. cap. 40.

SOCIOS SIMVL INSTRVIT ARMIS. Socios appellat classiarios istos seu epibatas. PONT.

ECCE AVTEM SVBITVM. Gorop. Becan. in Venet. & Hyperbor.

Digitized by Google

Persolves: ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens: nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac taleis effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est:
Tuque ô Tybri tuo; genitor cum flumine sancto,

SERVII.

STRINGENTEM RIPAS. Radentem, imminuentem. nam hoc est Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi ripas ruminans & exedens. in sacris etiam *Serra* dicebatur. Vnde ait nunc, *Et pinguia culta secantem*: in aliqua etiam urbis parte Terentum dicitur, eo quod ripas terat. Alii STRINGENTEM juxta veterem morem dictum intelligunt. Stringere enim significare dicunt, tactu modico præterire: ut ipse ait in x. *Magno strinxit de corpore Turni.*

CÆRVLEVS TYBRIS. Altus, profundus. COELO GRATISSIMVS. Pro his qui in cœlo sunt.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Scilicet circa exitum suum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tyberini esse domicilium, hinc dixisse *magnam domum.* Alii ostia dicunt ab hoc, quod nos, cum per diversa discurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus, ibique requiescimus; ut idem hic cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare. Alii *domum*, non Romam significare quæ adhuc non erat, sed regionem illam ut ostendat sibi eam demum electam, quæ ad totam gloriam perventura sit.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. De Tuscia, quam illis multum constat floruisse temporibus. Nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiæ superaverat partem.

LACV FLVVIVS. Abutitur lacus nomine ut mox, *Quo te cunque lacus*, fluvius autem hic ipse scilicet deus alvei.

NOX ÆNEAM SOMNVSQVE RELIQVIT. Vt, *Fessus cum sole reliquit*, & cito, ORIENTIA SOLIS LVMINA. Pro orientis solis lumina.

VNDAM DE FVLMINE PALMIS SVSTVLIT. Quia dicitur nox etiam solo somno polluere. Vnde est, *Et noctem flumine purgat.*

NYMPHÆ. Hic distinguendum, ut generalitatem sequatur specialitas. ut in Georgicis, *Mater Cyrene mater.* Nam vitiosum est post speciem genus inferre. GENVS AMNIBVS VNDE EST. Quidam hic hypallagen putant, ut sit Nymphæ quæ ab amnibus genus habetis. Sane cum VNDE hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus & ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus fœmininum & pluralem numerum posuit, cum alibi masculinum & singularem posuerit, *genus unde Latinum*, quod plenius in initio primi libri Æneidos dictum est.

TVQVE O GENITOR CVM FLVMINE. Sic enim vocatur in precibus, *Adesto Tyberine cum tuis undis.* Tyberim vero alii à rege Aboriginum dictum volunt, qui juxta dimicans interemptus est. Alii ab eo rege, quem Glaucus Minois filius in Italia interemit. Alii, inter quos & Livius, ab Albanorum rege qui in eum cecidit.

DONATI.

EGO SVM Non arroganter, sed necessario laudat suum officium.

NYMPHÆ, potest sic distingui. Nymphæ Laurentes, quoniam ipsæ in tempore fuerant necessariæ, deinde pone, Nymphæ genus amnibus unde est. Possumus etiam intelligere esse duplicationem. Tertia distinctio est: ut dicas *Nymphæ*: ut generaliter proferatur. deinde ad speciem redeat & dicat *Laurentes Nymphæ*, quæ erant præferendæ.

GENITOR. Honoris causa, vel quia subit, quod ut pater consuluerat.

VARIORVM.

STRINGENTEM RIPAS. Politianus Misc. 58.

HIC MIHI MAGNA DOMVS. Hoc modo versus est exponendus. *Hic*, id est, non longe ab exitu meo & ostio, quo in mare ingredior, *magna domus mihi exit*, id est, oriri incipit. *Celsis caput urbibus*, id est, quæ futura aliarum magnarum urbium caput & princeps. Vide Lambin. in Od. 1. lib. 1. PONT.

CELSIS CAPVT VRBIBVS EXIT. Capita fontium amnes sunt. Turneb. lib. 24 cap. 40.

CAVIS VNDAM DE FLVMINE PALMIS. Non sacrificaturi modo, sed precaturi, manus prius abluebant. Et Ovid. 4. Fast. Claudiam precaturam, puram fluminis aquam manibus hausisse narrat, Brisson. Formul. Bem. lib. 1.

TVQVE O TYBRI TVO. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn. contra Macrob. de Tyberino, Turneb. lib. 13. cap. 8.

Acci-

Digitized by Google

Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Adsis ò tandem, & propius tua numina firmes.
Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum;
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus;

SERVII.

ARCETE PERICLIS. Hypallage, pro à me prohibete pericula.

QVO TE CVNQVE LACVS TENET. Lacus est quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum: & dictus lacus quasi lacuna: ex qua erumpens aqua efficit fontem: qui cum fluere cœpit, alveum facit. Vnde tria ista dixit: lacum, fontem, alveum. Hoc enim est, QVOCVNQVE SOLO PVLCHERRIMVS EXIS. Quanquam multi hoc versu superfusionem ejus velint significari. ideo autem hoc dixit Æneas, quia audierat, *Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit.*

SEMPER HONORE MEO. Amphiboliam facit. Satis autem pie Æneas pollicetur, cum Tyberis verecunde popoicerit. Ait namque, *Mihi victor honorem Persolves.*

CORNIGER. Flumina ideo cum cornibus pinguntur, sive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: sive quod plerunque in cornuum similitudine curvatas cernimus ripas. HESPERIDVM REGNATOR AQVARVM. Bene addidit HESPERIDVM, id est Italicarum. Nam Eridanus rex est fluminum Hesperiæ, ut, *Fluviorum rex Eridanus.* FLVVIVS vero, vocativus antiquus est, quia apud majores in omni forma similis erat nominativo. Sed modo aliter est in secunda tantum forma. namque si proprium fuerit nomen, & I ante VS habuerit, VS perdita facit vocativum: ut Terentius, Terenti: nullo excepto. si autem appellativum sit, in E mittit vocativum, ut pius pie, fluvius fluvie: excepto filius, nam fili facit. Plerumque tamen poëtæ Euphoniæ caussa antiquitatem sequuntur.

ET PROPIVS. Legitur & PROPRIVS. Et si *proprius*, familiarius: stabilius significat: ut *Et propius res aspice nostras.* Si autem *propius*, citius significat. Cicero in Verrinis, *Nec eo quicquam est propius factum, quam ut illud exemplum de Adriano Syracusas referretur.* Et hoc est melius. nam statim est porca conspecta, & Æneas non dubitavit de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. TVA NVMINA. Tua oracula & promissa.

GEMINAS. Pro duas. REMIGIOQVE APTAT. id est ad remigium officium remigantium, alibi pro turba remigantium: ut, *Remigium supplet.*

MONSTRVM. Quia & subito & cum triginta porcellis est visa.

FOETV CONCOLOR ALBO. Expedita locutio. VIRIDIQVE IN LITTORE. Fluviali scilicet.

CONSPICITVR SVS. Horatius, *Et amica luto sus.* Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Vt, *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium.

DONATI.

EXIS SEMPER. Quocunque lacu & quocunque fonte. Alterum ad ejus originem; alterum ad exitum pertinet. Fons est aquæ initium. Lacus ubi fontis aqua colligitur.

REGNATOR. Vt ostendat omnibus fluminibus potiorem.

MONSTRVM. Id est, quod est contra rationem naturæ.

VARIORVM.

QVO TE CVNQVE LACVS. Hoc ergo numini spondet. Vbicunque te invenero, sive ex fonte nascentem, sive in stagno collectum, sive fluentem per liberos exitus; venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota. SEMPER duplicatum, plenam præstitorum memoriam significat. DONATVS.

CORNIGER HESPERIDVM. Fluvios ipsos cornigeros, vel ταυροκράνους, hoc est tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Sic & Ovid. Metamorph. *Et gemina auratus taurino cornua vultu.* Sic tauriformis Aufidus Horatio. Cur cornua attribuantur. Turneb. lib. 24. cap. 40.

TVA NVMINA FIRMES. Palmerius conjiciebat *omina*, Tom. IV. Lampad. p. 616.

GEMINASQVE BIREMES. Ad postera retulit tempora: nam Æneæ ætate nondum biremes, vel triremes erant. Turneb. lib. 24. cap. 40.

SOCIOS SIMVL INSTRVIT ARMIS. Socios appellat classiarios istos seu epibatas. PONT.

ECCE AVTEM SVBITVM. Gorop. Becan. in Venet. & Hyperbor.

Digitized by Google

Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.
Tybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
Labitur uncta vadis abies: mirantur & undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio, pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur

SERVII.

PIVS ÆNEAS. Oportunum epitheton, quoniam rem divinam facit. TIBI ENIM. Vacat ENIM, & tantum ad ornatum pertinet. integrum est ergo TIBI, ut ex iteratione crescat augmentum. Terentius, *O Mysis Mysis.* MAXIMA IVNO. Quæsitum est quæ sit Iuno maxima. Nam ut diximus, variæ sunt ejus potestates: ut Curetis, Lucina Matrona, Regina. & dicunt Theologi ipsam esse matrem deûm, quæ Terra dicitur. Vnde etiam porca ei sacrificatur. Ergo perite elegit epitheton, ut *maximam* diceret.

MACTAT SACRA. Mactatio post immolationem est: unde bono usus est compendio. Sane hysteroproteron est in hoc versu: Primum enim est, *Cum grege sistit ad aram*: & sic mactat, id est auget, perficit. Sed sciendum sacrum proprie esse quod ad deos pertinet, & hic breviter factum sacrificium dixit. CVM GREGE. Ambitiose Poëta triginta filios gregem dixit.

FLVVIVM. Hic fluvium ipsum aquæ cursu lenitum accipiendum est. QVAM LONGA EST NOCTE. In quantum longa est. Vt, *Nunc hyemem inter se luxu quam longa fovere.*

REFLVENS. Velut in alveum suum recurrens, ut Æneas contra undas pergens descendentis celeritate propemodum uteretur.

MITIS. Vel ad Tyberim, vel ad stagnum referes.

ÆQVOR AQVIS: Ipsius æqualitatem, nam & post ait, *Placido æquore.*

RVMORE SECVNDO. Hoc est bona fama, cum neminem læderent. Aut certe dicit ante eos venisse quam fama nuntiaret esse venturos. Aut RVMORE pro RVMONE posuit. Nam ut supra diximus, Rumon dictus est, unde & ficus ruminalis ad quam ejecti sunt Remus & Romulus: quæ fuit ubi nunc est Lupercal in circo, hac enim labebatur Tyberis, antequam Vertumnus factis sacrificiis averteretur. Quamvis ficum ruminalem alii à Romulo velint dictam, quasi Romularem. Alii à lacte infantibus dato. Nam pars gutturis ruma dicitur. Ergo si fuerit *Rumone secundo*, favente fluvio intelligimus.

LABITVR VNCTA VADIS ABIES. Descendentis celeritate prope conscendit. Statius de disco, *Similisque cadenti Crescit in adversum.* MIRANTVR ET VNDÆ. Laus Trojanorum per phantasiam quandam ex undarum vel nemoris admiratione veniens.

NOCTEMQVE DIEMQVE FATIGANT. Vt, *Sylvasque fatigant*, pro ipsi fatigantur. An deest SE, ut sit fatigant se: an *diem fatigant*, pro occupant & consumunt?

SVPERANT FLEXVS. *Superant*, transeunt, ut *Fontem superare Timavi.* Et hic ostendit non esse alveum fluminis rectum. Quia Tyberim libri Augurum colubrum locuntur, tanquam flexuosum. VARIISQVE TEGVNTVR ARBORIBVS. Hoc est, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.*

DONATI.

PLACIDVS. Et mente & flumine, propter navigationem.

MACTAT. Prius sistit, deinde mactat. Ergo ordo est, Quam Æneas tibi ad aras cum grege sistit, & cum grege mactat: ut intelligatur etiam fœtus mactasse.

VARIORVM.

TIBI ENIM MAXIMA IVNO. Macrob. lib. 3. cap. 1. Saturn. Turneb. lib. 24. cap. 40.

RVMORE SECVNDO. *Rumorem* hic, non tam pro studio & favore, ut Grammatici; & omine, ut Turnebus, quam pro aquæ murmure & stridore remis proscissæ, & palmulis & rostris verberatæ, accipiendum puto: Tum quod murmur & murmurare de aquis huic Poëtæ cæterisque satis familiare est; quodque ipse supra, *spumas salis ære ruebant*, dixit; ut si *rumor* à ruendo trahatur, pro sono facile & quovis strepitu usurpari possit. *Rumorem* vero *secundum*, non murmur editum à navigio & prono alveo labente, sed *secundum* prosperum intelligo, ut cui Tybris aspiraret & faveret. GERMAN.

LABITVR VNCTA VADIS ABIES. Macr. lib. 6. cap. 1. Saturn.

VNCTA. Forte idem apud Græcos *μέλαινα*, quod interpres Homer. Iliad. β. exponit, pice oblita, seu picata. HART.

Digitized by Google

Arboribus: viridesque secant placido æquore sylvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cum muros, arcemque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ocyus advertunt proras, ubique propinquant.
Forte die solemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno, divisque ferebat
Ante urbem in luco: Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus
Thura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas vidêre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis

SERVII.

SECANT PLACIDO ÆQUORE SYLVAS. Ostendit adeo perspicuam fuisse naturam fluminis, ut in eo apparerent imagines nemorum quas Trojanæ naves secabant. Terentianus, *Natura sic est fluminis, ut obvias imagines nemorum receptet in lucem suam.*

SOL MEDIUM COELI CONSCENDERAT IGNEUS ORBEM. Alterius scilicet diei.

CUM MUROS ARCEMQUE PROCUL. Palatinum vidit: nec situm præsentem considerare debemus. Tunc enim nullis obstantibus ædificiis & Tyberi per Lupercal (ut diximus) fluente, facile mons poterat videri Palatinus.

COELO ÆQUAVIT. Pro ad cœlum extulit.

FORTE DIE SOLENNEM ILLO. εὐσυμβόλως, id est bono omine victori deo Trojanis venientibus sacra celebrabantur. Bona etiam usus est œconomia.

AMPHITRYONIADÆ MAGNO DIVISQ. FEREBAT. Amphitryo rex Thebanorum fuit, cujus uxorem Alcmenam Iuppiter adamavit, & dum vir ejus OEcalios civitatem oppugnat de trinoctio facta una nocte cum ea concubuit, post duos edidit filios, unum de Iove, id est Herculem, alterum de marito qui Iphitus appellatus est. Ergo adsumpsit epitheton & satis perite ait, *divisque ferebat*. Nam cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari. DIVISQUE FEREBAT. Quidam sic intelligunt: Ergo & Hercules de divis est, ut est illud scema, *Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhœa, Et conjuratos cœlum rescindere fratres*: ergo & superiores tres conjurati, & *Niveamque Paron sparsasque per æquor Cycladas*, ergo & illa è Cycladis.

ANTE URBEM. Secundum antiquum situm. Tunc enim brevis civitas fuerat. PALLAS HUIC FILIUS. Pro, cum hoc.

IUVENUM PRIMI, PAUPERQUE SENATUS. Totam ostendit ætatem & præmisit *juvenis*: nam per *senatum*, seniores significavit. *Pauper* autem, aut ad numerum retulit (centum enim sub Romulo fuerunt (aut re vera PAUPER, per quod Romani imperii ostenditur parsimonia pro laude tunc habita. Et libri veterum tradunt à majoribus sacrificando parsimoniam observatam esse.

TEPIDUSQUE CRUOR. Frustra quidam cruorem pecorum, sanguinem hominum volunt. Nam Iuvenalis ait, *Sanguis iret, & à magno cervix ferienda magistro*. Virgilius, *Atque atros siccabat veste cruores*. THURA DABANT. *Dabant*, verbo sacrorum usus est. Nam dici solebat in sacris, *Da quod debes de manu dextra aris*.

CELSAS VIDERE RATES. Quia dixit, *Geminasque legit de classe biremes*.

INTER OPACUM ADLABI NEMUS. Hoc est, Per nemus: ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno*. Et est honesta elocutio, ut si dicas, Inter cœnam locuturus sum, id est per cœnam.

TACITIS INCUMBERE REMIS. Pro ipsi taciti, id est sine celeumate.

DONATI.

PAUPER SENATUS. Et numero & opibus intellige.

VARIORUM.

IGNEUS ORBEM. *Aureus axem* legisse videtur, Ioach. Camerarius problemat. 4. Dec. XI.

FORTE DIE SOLEMNEM ILLO, &c. Occasio ad narrationis historicæ telam de Hercule, de ejus rebus gestis & origine solemnium sacrorum, quibus operantibus supervenit Æneas. HORTENS.

PAUPERQUE SENATUS. Cui nondum erat census senatorius, de quo Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

THURA DABANT. Usus verbi *dare*, multus est in sacris. BRISSON. Form. lib. 1.

UT CELSAS VIDERE RATES. Proverb. *Senex secunda saltat*. HART.

Digitized by Google

Consurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse:
Et procul è tumulo, Iuvenes, quæ caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.
Trojugenas, ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus: ferte hæc, & dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.

SERVII.

CONSVRGVNT MENSIS. Quidam mensas proprie deorum tradunt, nam & ideo subjunctum, QVOS RVMPERE PALLAS SACRA VETAT. Ne interruptione sacrificii (*rumpere* enim pro interrumpere posuit) piaculum committeretur. Vnde etiam Helenus, *Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum, Hostilis facies occurrat, & omina turbet.* Denique cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam, urbi ingruere: omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea cum piaculum formidarent, invenerunt saltantem in circo senem quendam: qui cum interrogatus dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: *Salva res est, saltat senex.* AVDACEM autem dicit ubique Virgilius, quotiens vult ostendere virtutem sine fortuna. Vnde etiam Turnum audacem vocat.

IVVENES QVÆ CAVSSA SVBEGIT. Succincta & plena interrogatio: cui per singula respondit Æneas.

IGNOTAS TENTARE VIAS. Ideo ignotas, quia videt eos esse peregrinos, & bene breviter, sed frequentius interrogationibus eos urget, ut *State viri: quæ caussa viæ, quive estis, in armis?*

QVI GENVS? Quo genere, & bona elocutio. VNDE DOMO? De qua civitate? AN ARMA? Tropum fecit metri caussa. Nam consequens erat, ut cum dicit *pacem*, subjungat bellum.

PVPPI SIC FATVR AB ALTA. Sic intelligendum, ut simul dicat & faciat.

PACIFERÆQVE MANV RAMVM PRÆTENDIT OLIVÆ. Ne moram faceret in responsione, quoniam Pallas prius de pace quæsierat, & ideo mox signum pacis ostendit, ut cætera Pallas securus audiret.

TROIVGENAS AC TELA. Breviter singulis quæsitis respondit, & *Trojugenas*, ad *Qui genus* referendum. TELA VIDES INIMICA LATINIS. Bona conciliatio. Nam audierat, ut *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.* Ergo *tela inimica* ad illud pertinet, *Pacemne huc fertis, an arma?*

QVOS ILLI BELLO PROFVGOS. Sicut & vos. Et movet conciliationem etiam ex similitudine fortunæ. SVPERBO. Injusto.

EVANDRVM PETIMVS. Hoc ad *Quo tenditis*, pertinet. FERTE HÆC. Hoc ad ramum pertinet: DICITE, ad verba. Et *ferte* vobiscum, & *dicite* κατ' αὐτὸ.

SOCIA ARMA ROGANTES. Hoc ad illud pertinet, *quæ caussa subegit.* *Rogantes* autem ad id pertinet quod à Sibylla dictum fuerat, *Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes?*

DONATI.

AVDAX. Non temerarius, sed propria virtute confidens.

ET PROCVL. Cum assiduum bellum gererent cum gente Latina, non mirum si anxie cuncta exploraret. O IVVENES. Oratio, necessariis in tanto metu interrogationibus plena.

QVO TENDITIS. Quia ex deflexu videbat illos velle descendere.

SVPERBO. Quia injustum. PROFVGOS. Vt ostendat juxta peregrinos immites.

DICITE. Quia non solus in tanto tumultu venerat Pallas.

VARIORVM.

RVMPERE PALLAS SACRA, &c. Alludit ad religionem ritusque Romanorum, quibus piaculare erat, sacrificia, ludosque Diis institutos aut cœptos ulla interventus occasione interrumpere. Vnde & locum proverbio factum constat: *Salva res est, senex saltat:* qui quidem Pontificalis juris gnarus, cæteris ad arma, scena deserta concurrentibus, & ingruenti urbi Hannibali occurrentibus, piaculum continuata saltatione antevertit. GERMAN.

TVM PATER ÆNEAS. Turneb. lib. 13. c. 8.

PACIFERÆQVE MANV. Ioh. Hartung. Dec. 1. cap. 8.

QVOS ILLI PROFVGOS. Sicut & vos. Nam & Euander patria pulsus jam à Latinis bello vexabatur. TAVBM.

DICITE LECTOS DARDANIÆ VENISSE. Et ad meritum ejus pertinet, qui fuerat rogandus, & ad terrorem, si contrariis votis exciperentur. Et extolli debet *Dardaniæ*, quia loco laudis est positum. DONAT.

Obstu-

Digitized by Google

Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere ô quicunque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes:
Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos;

SERVII.

TANTO PERCVLSVS NOMINE. Dardani scilicet commemoratione. TANTO autem, id est magnitudine nominis.

QVICVNQVE ES. Hoc ad nomen Æneæ pertinet. Nam esse Trojanos audierat.

NOSTRIS SVCCEDE PENATIBVS HOSPES. Mire sine patris auctoritate nihil confirmat, & tamen *hospitem* appellat.

DEXTRAMQVE AMPLEXVS INHÆSIT. Ostendit virum & virtutis & hospitalitatis amatorem.

SVBEVNT LVCO FLVVIVMQVE RELINQVVNT. Hypallage in sensu: Et hic *subeunt* iuxta veteres dativo junxit, cum alibi juxta usum præsentem accusativo junxerit, ut *Æneæ subiit mucronem*, sicut & *succede* veteres dativo junxerunt, quod significat penitus ingredere, uti hoc loco, *Ac nostris succede penatibus hospes*. Salustius tamen ut dictum est, accusativo junxit.

OPTIME GRAIVGENVM. Quantum ad Æneam pertinet, Græci neque boni neque meliores sunt. Ergo *optime Grajugenûm* superlativus est pro positivo. Nam optimus malorum, non possumus dicere. Superlativus enim suo tantum jungitur generi. Sic ergo dixit ut Homerus, δικαιότατος κενταύρων, id est justissimus Centaurorum, pro justus. Et est rhetorica persuasio, nam principium ex utriusque persona sumpsit, *Optime Grajugenum* ad Euandrum pertinet. *Cui me fortuna precari*, ad Ænean qui se fatetur supplicem venire: Sed quia ignotus est, & ostendere vult quod impetrare debet, ait, *Dardanus Iliacæ primus pater urbis & author*: Contra quos auxilium petat, *Gens eadem quæ te.* Quid ipsi etiam sit utile à quo beneficium postulatur, *Nos si pellant nihil abfore credunt*: dicit enim nos pellimur, sed vos servietis postremi; ipsam proposuit *Accipe daque fidem.* ad ultimum possumus reddere beneficium: *Sunt nobis fortia bello pectora*, nam utrum posset is à quo petebatur omisit, quia manifestum erat posse, & ignotus à demonstratione personæ suæ incipere debebat. CVI ME FORTVNA PRECARI. Servavit τὸ πρέπον dicendo *fortuna*. ET CVI ME PRECARI, antiquum est: Nam modo, quem precari dicimus. Terentius, *Credo qui mihi sic oret.* Item, *Recte ut vobis decet.* Sallust. *Locum editiorem quam victoribus decebat.* & est Græcum, ut ἄρχειν ἀπ' ἄλλων. Sane veteres & precor illi, pro precor pro illo dicebant; Plautus in Amphitryone, *Noli pessimo precari*, hoc est pro pessimo noli precari: aut hyperbaton est hoc modo tibi me fortuna vitta comptos voluit prætendere ramos & precari.

VITTA COMPTOS RAMOS. Vt in pacis petitione ramus olivæ cum vittis offeratur, partim fabulæ, partim naturæ efficit ratio. Nam cum de nomine Athenarum Neptunus & Minerva contenderent: & jussisset Iupiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset hominibus: equum Neptunus, Minerva olivam protulit, & statim vicit. Vnde cum ejus ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud proverbium, *Herbam do*: id est cedo victoriam. Quod Varro in antiquarum libris ponit, *Cum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non cupit; & fatetur esse meliorem.* Vittas autem habet ramus olivæ ideo, ut inertiam & imbecillitatem offerentis ostendat. Scimus enim oves, unde lana è qua vittæ, egere alieno semper auxilio. Aut quia & lana in tutela Minervæ fit, quæ pacis bellique sit cultrix, aut quia mite & quietum animal est ovis, cujus quietem habere debent, qui in fœdus & amicitiam coëunt. Quæritur autem quid dixerit *comptos*, sed ut crines comi dicimus cum nectuntur, ita & hic etiam ramos comptos & illigatos intellige, ut ipse, *Tum ramum innectit oliva*: Ergo quod illic Innectit, hic *comptos* dixit. VOLVIT. Hinc eum laudat quod tantus eum vir rogare compellitur.

DONATI.

QVICVNQVE. Ad hominem non ad originem referas. CORAM PARENTEM ALLOQVI. Optime summum judicium servat parenti & regi.

VARIORVM.

EGREDERE O QVICVNQVE ES. Notetur summa civilitas, atque adeo humanitas Pallantis in ignotum. Summam etiam modestiam, bene nato, beneque instituto adolescenti attribuit Poëta; qui patri respondendi munus reliquit. Videatur Scalig. lib. 3. cap. 19. de Moribus. TAVBM.

DEXTRAMQVE AMPLEXVS INHÆSIT. Hæc enim fœdera fuerunt, seu nota fœderis apud antiquos. Canterus lib 6. cap. 16. Novar.

OPTIME GRAIVGENVM. Petitoria oratio generis suasorii, ut arma adversus Latinos conjungant. Exordium ductum ab occupatione: quod Trojanus, & quidem ipse non vereatur ad Græcum supplex venire, & auxilia adversus communes hostes implorare. HORTENS.

by Google

Non equidem extimui, Danaum quod ductor, & Arcas,
Quodque à stirpe fores geminis conjunctus Atridis:
Sed mea me virtus, & sancta oracula divûm,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus Iliacæ primus pater urbis & author,
Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.

SERVII.

DANAVM QVOD DVCTOR, ET ARCAS. Nec quod multitudinem haberes extimui: nec quod esses Arcas: ut illuc hoc tendat, *Geminis conjunctus Atridis*, id est Agamemnoni & Menelao cognatione conjunctus. Et hoc ad laudem Euandri pertinet: qui qualitate morum non timeri meruit. FORES. Pro fuisses. & notandum FORES de præterito.

GEMINIS CONIVNCTVS ATRIDIS. Geminos hic duos, aliter gemini uno partu editi. Quæritur sane unde Euander Atridis genere fuerit conjunctus, & quamvis Hesiodus dicat qualiter conjunctus sit Euander: tamen quidam ajunt Testii filias Ledam & Hypermestram fuisse, Ledæ & Tyndarei filias Clytemestram, Helenam & Tymandram fuisse, quam duxit uxorem Socenius* Arcas cujus filius Euander. Clytemestram & Helenam notum est Agamemnoni & Menelao junctas fuisse. Alii ita tradunt Steropes & Atlantis filios OEnomaum & Majam fuisse, OEnomai Ippodamiam filiam, unde Atreus natus, at Majæ filius Mercurius ex quo Arcades, de quibus Euander, quod Accius in Atreo plenius refert. Alii ita narrant, Atlas complures habuit filios, sed de Lino Pelopen genuit, is Atreum, Atreus Agamemnonem & Menelaum, Mercurius deinde est Nicostratæ pater, quæ fuit mater Euandri, Mercurium Maja filia Atlantis genuit: Sic Euander Atridis conjunctus est, Trojanis autem sic jungitur, ex Electra Atlantis filia, & Iove Dardanus nascitur, ejus filius Erichthonius, ex eo Assaracus, ex illo Capis, ex illo Anchises, ex illo Æneas.

MEA ME VIRTVS. Hæc arrogatio ad honorem Euandri pertinet, & sane paulo adrogantius videretur virtutem suam laudasse, nisi deorum oracula & facta conjungeret: deinde ut Euandro blandiretur; *Tua*, inquit, *terris dedita fama*, & ut in audientis mente remaneret, in ultimo addidit, *Et fatis egere volentem*, sed hic singula distinguenda, ut major sit enumeratio. SANCTA ORACVLA DIVVM. Tyberis scilicet, vel Apollinis, ut *Via prima salutis; Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.*

DEDITA FAMA. Divulgata: ut *Deditur hic subito Trojana per agmina rumor.* FATIS EGERE VOLENTEM Id est, quod voluntatis fuerat, egit necessitas fati.

DARDANVS ILIACÆ PRIMVS PATER, VRBIS ET AVTHOR. Dardanus ex Iove, & Electra Atlantis filia genitus, de Italia forte abire compulsus, agros Troicos petit, ibique Dardanum oppidum in regione Dardania collocavit. Sane hic reddit quod ait supra, *Cognatique patres*. Sed sciendum Atlantes tres fuisse. unum Maurum qui est maximus. Alterum Italum patrem Electræ: unde natus est Dardanus. Tertium Arcadicum patrem Majæ, unde natus est Mercurius. Sed nunc ex nominum similitudine facit errorem: & dicit Electram & Majam filias fuisse Atlantis maximi. Nec præter rationem ait, & *maximus*: & Atlas idem Atlas generat. nam & ipse habuit etiam horum nominum filias, id est Electram & Majam.

VT GRAII PERHIBENT. Id est, ut vestræ continent literæ: firmius enim est quod ipsorum testimonio infertur.

ADVEHITVR TEVCROS. Et homines & regionem significat. Sane prolepsis est, nam post Dardanum Teucri appellati sunt.

DONATI.

VT GRAII PERHIBENT. Ut hoc tuorum testimonio probem.

VARIORVM.

TVA TERRIS DIDITA FAMA. Propter terras, ut 7. Æneid. Turneb. lib. 25. cap. 30.

VT GRAII PERHIBENT. Ut vestris continetur litteris. Necessario posuit, ut Euander homo Græcus suis potius, quam Trojanis testibus crederet. Summa est, Trojanos genus ducere à Dardano, Arcadas à Mercurio: illum Electræ, hunc Majæ filiarum Atlantis fuisse filios, ita esse unius, ejusdemque avi materni, duarumque sororum velut nepotes & posteros hosce duos populos, ac propterea arcta cognatione devinctos.

ADVEHITVR TEVCROS. Nova locutio; pro eo quod est, vehitur ad Teucros, sive in Teucriam. At regio illa per id tempus eo nomine haudquaquam appellata fuit. Dardanus enim multo ante è Samothracia in Phrygiam venit, oppidumque Dardaniam condidit, atque ibi fato obiit. Sepulchrum ejus situm fuit circa Trojam, in ditione Dardaniæ. Postea Dardania, Ilium & Troja, in unam urbem coiverunt. HORTENS.

Vobis

Digitized by Google

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Majam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sydera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: meme ipse, meumque
Objeci caput, & supplex ad limina veni.

SERVII.

MERCURIUS PATER EST. Mercurius Iovis & Majæ, quæ est una de Plejadibus, filius, auctor eloquentiæ & liræ, internuntius deorum. Iste etiam palæstræ inventor, hoc modo esse narratur: Choricus rex quidam Arcadiæ filios habuit Plexippum & Enetum & Palestram filiam: Sed juvenes cum casu inter se haberent certamen, impressione & nisu corporum invenerunt luctamina, qui cum hoc patre præsente facerent, & illa re nova delectaretur, ex ea re ludus factus est, quam rem Palestra soror juvenum, Mercurio amanti se prodidit, qui cum rem novam vidisset, pleniorem de industria artem homines docuit: hoc seni juvenes à sorore proditum nuntiant, ille iratus est potius filiis, quod non tanquam furem Mercurium insequerentur, quem cum illi in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt: unde & ipse Cyllenius & mons dicuntur. Namque Græce κυλλοὺς, aliqua mutilatos parte corporis dicunt, unde etiam hermas vocamus, quosdam stimulos in modum signorum sine manibus: Mercurius vero Iovi conquestus Choricum eviseeratum in folliculum redigi fecit, amatam vero suam Palestram remuneratus, omne luctamen quod corpore conficitur palæstram vocari fecit. Alii Mercurium quasi medicurrium à Latinis dictum volunt, quod inter cœlum & inferos semper incurrat: hic etiam mercimonii deus est. Quidam hunc in petaso & in pedibus pinnas habere volunt propter orationis, cujus auctor est, velocitatem. Caduceum illi ideo adsignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat, quæ virga ideo serpentibus inligata est, ut sicut illi obliti veneni sui in se coëunt, ita hostes contemptis & depositis inimicitiis in amicitiam [illegible]tantur. CANDIDA MAIA. Splendidior enim est Maja inter Plejadas, quæ est una de Atlantibus, id est Plejadibus. Non ergo candida, pulcra, ut *candida Dido*. Meminit autem Majam Atlantidem esse, ut, *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur*, &, *multi ante occasum Maiæ cœpere*, cum vellet per Majam etiam cæteras Atlantis filias intelligi.

CYLLENE. Mons est Arcadiæ, ubi Maja Mercurium est enixa. FUDIT autem non injuriose dictum est. Ut in Pisonem, *Qui te belluam ex utero, non hominem fudit*. Sed celeritatem parientis ostendit: quod infantibus dicitur omen felicitatis adferre. Spectat etiam ad rationem physicam. Nam celer est ubique Mercurius, ut diximus supra. Ideo dicit eum etiam in ortu fuisse velocem.

GENUS AMBORUM. Aut meum aut tuum, aut Trojanorum & Arcadum: ergo *amborum*, potest utrorumque accipi.

NEQUE PRIMA PER ARTEM TENTAMENTA TUI PEPIGI. Cum nullo ante pactus sum, ut te aut per artem aliquam, aut per legatos probarem: sed intrepidum me tibi commisi.

TENTAMENTA PEPIGI. Experimenta pactus sum: Nam geminus est hic præteritus ab eo quod est paciscor: facit enim & pepigi & pactus sum, sicut placeo & placui & placitus sum. Pago enim, unde multi venire volunt pepigi, nusquam est lectum. Et altera est expositio, non tentavi te quibusdam pactionibus, quibus crederem tuto ad te venturum, ut hæc fuerit ars tentantis, aut non legatos, tale est quemadmodum in oratione ab alio in aliud initium transitur, ut, *Me me adsum qui feci*. Et non respondetur propositis, ergo illud refertur: Non legatos misi aut tale aliquid quod sententiam compleat.

DONATI.

IDEM ATLAS. Ne similitudine nominis falso id usurpare videretur.

OBJECI. Cum petiturus essem, quæ etiam tibi salutaria essent non expavi. Nam cum gente tibi inimica & crudeli bellum gero: & dicendo, *unam gentem*, extenuat timorem belli.

VARIORUM.

NEC PER ARTEM TENTAMENTA TUI PEPIGI. Credo allusisse Maronem ad bolidum demissiones aut specilla chirurgica, quibus artifices vulnera explorant; aut etiam ad instrumenta quibus putearii & aquileges terræ naturam periclitantur, eam figentes, & depactis præacutis ferreis, ferratisve obeliscis, qualitates ejus experiuntur: tuente hanc meam opinionem verbo ipso *pangere*, quod est πηγνύναι & figere: ita ut Æneas dicat, nulla se [illegible] uti voluisse, antequam in colloquium veniret cum Euandro, nec ulla ejus tentamenta, [illegible] pepigisse: id est, nullis eum specillis defigere; hoc est explorare voluisse, sed syncere & recta cum aggredi. Quamvis sint, qui *Pangere tentamenta* accipiant, pro componere & struere; ut pangere versus & vites. GERM.

NEQUE PRIMA PER ARTEM, &c. Nec sententiam tuam aliqua artis calliditate elicui. DONATUS.

Gens

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant;
Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem. sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, & rebus spectata juventus.
Dixerat Æneas: ille os, oculosque loquentis
Iamdudum, & totum lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert: ut te fortissime Teucrûm
Accipio, agnoscoque libens! ut verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni, vultumque recordor!
Nam memini Hesiones visentem regna sororis
Laomedontiadem Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos invisere fines.

SERVII.

GENS EADEM, QVÆ TE. Sic agit, ut & ipse præstare videatur. Nam & supra ait, *Socia arma rogantes*. Et argute inseruit EADEM, nec addidit NOS. DAVNIA. Rutula à Dauno. CRVDELI BELLO. Supra, *Bello profugos egere superbo*.

NIHIL ABFORE CREDVNT. Sibi obfuturum nihil arbitrantur.

QVIN OMNEM. Vt non omnem, & bene *omnem* ait, ne non solum Euandrum contemnere viderentur. PENITVS SVA SVB IVGA. Vtrum penitus sub juga mittant, an omnem penitus Hesperiam?

QVOD SVPRA TENEANT. Hadriaticum dicit. QVODQVE ALLVIT INFRA. Tyrrhenum dicit, omne enim mare quod à Sicilia usque ad Hispaniam tendit *inferum* appellatur, ideo quod Sol ibi ad inferiores cœli partes delapsus occidat.

ACCIPE DAQVE FIDEM. Ab utili agit. Et hoc est quod ait in decimo, *Humanis quæ sit fiducia rebus*.

SVNT NOBIS FORTIA BELLO PECTORA. Iterum sic laudat juventutem suam, quasi præstet auxilium.

REBVS SPECTATA IVVENTVS. Experimentis probata, decennali scilicet prælio. Et bene promissionem rebus confirmat & testimoniis, quæ est verbis invalida.

ILLE OS, OCVLOSQVE LOQVENTIS. Suffecerat ad recordationem Anchisæ vultum agnovisse; addidit, *Et totum lustrabat lumine corpus*, quod sine dubio non vacat. Nam quia Æneas in virtute sua, multa prædixerat, orationem ejus voluit æstimare de corpore, & postquam fides facta est, inde cœpit, *Vt te fortissime Teucrum accipio*

TOTVM LVSTRABAT LVMINE CORPVS. Paterna in eo lineamenta cognoscens. LVMINE. Pro luminibus: id est oculis. PAVCA REFERT. Non pauca, sed paucis: id est breviter. Hoc vult dicere, multa eum dixisse, sed paucis. VT TE. Quemadmodum: *Vt te fortissime Teucrum*. Ad *Optime Graiugenum*, reddidit, *Fortissime Teucrum*.

AGNOSCOQVE LIBENS. Postquam probavit ex habitu corporis vera esse quæ dicebat Æneas, per Anchisen eum laudat adulatione deposita. Sane inter agnosco & cognosco, superfluo quidam volunt facere discretionem, ut cognoscamus novos, agnoscamus antiquos: sed hæc à poëtis metri necessitate variantur. Nam *agnosco* propter Synalœpham dixit.

VOCEM ANCHISÆ MAGNI. Mire quod non fecit Ænean dicentem, qui scit Euandrum cognoscentem.

HESIONES VISENTEM REGNA SORORIS. Commemorationi necessitudinis reddit commemorationem hospitii. Sane fabula de Hesione & nota est, & aliquot locis exposita; quis enim nescit à Laomedonte mercedem Neptuno & Apollini ob muros Trojæ fabricatos negatam, cumque incursu maris civitas vexaretur, coactum Laomedontem filiam Hesionam ceto objicere, eamque ab Hercule liberatam, eversa Troja & occiso Laomedonte, propter negatum præmium, Telamoni in matrimonium datam, quæ caussa fecit, ut Priamus ad visenda sororis regna proficiscens cum Salamina tenderet, & iter per Arcadiam faceret, & tunc ab Euandro esset susceptus Anchises. VISENTEM REGNA. Videre cupientem.

PROTINVS. Vno eodemque tempore: hoc est dum pergit, vidit Arcadiam. Nam non possumus simul intelligere: Cum Salamina insula sit, Arcadia in continenti.

DONATI.

ACCIPE DAQ. FIDEM. Sume auxilium & da.

FORTIA PECTORA & ANIMI. Nam in bello animi fortitudo & corporis robur requiritur. SPECTATA. De qua jam factum est periculum.

VARIORVM.

ACCIPE DAQVE FIDEM. Macrob. lib. 6. c. 1. Saturnal.

Tum

Digitized by Google

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa:
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.
Accessi, & cupidus Pheneï sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas,
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo & quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra:
Et lux cum primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis.

SERVII.

MIRABARQVE DVCES TEVCROS. Hos laudat: quo melior sit ille quem præfert.

CVNCTIS ALTIOR. Non solum ad staturam, sed ad omnia.

IVVENILI ARDEBAT AMORE. Inest enim juvenibus strenuis, studium adquirendarum amicitiarum. Horatius, *Animusque virilis Quærit opes & amicitias.*

CVPIDVS. ἐπιθυμῶν. PHENEI SVB MOENIA. Oppidi Arcadiæ. Homerus οἵ Φενεόν τ' ἐνέμοντο, καὶ Ὀρχομενὸν πολύμηλον. Nec nos debet movere, quod cum Euander de Palanteo sic dixit, *Phenei sub mœnia*: cum sciamus poëtas vicinas omnes pro una habere civitates: sicut de Didone facit, quam nonnunquam Tyriam, aliquotiens Sidoniam vocat.

ILLE MIHI INSIGNEM PHARETRAM. Ius hospitii habet inter se remunerationem: sed verecunde tacet Euander de suis muneribus. LYCIASQVE SAGITTAS. Enumerando singula, efficit ne communia & ficta videantur.

AVRO DEDIT INTERTEXTAM. Legitur & INTERTEXTO. Et figurate dictum est, intertextum aurum habentem.

FRENAQVE BINA. Poëtice: Nam duo debuit dicere. Bina enim secundum Ciceronem non dicuntur, nisi de his quæ sunt numeri tantum pluralis. Nam Cicero per epistolam culpat filium dicens, male eum dixisse, *Direxi litteras duas*: cum literæ quotiens epistolam significant, numeri tantum pluralis sint. Contra, epistolas binas non dicimus, sed duas.

IVNCTA EST MIHI FOEDERE DEXTRA. Antiquis amicitiis per Anchisæ hospitium.

AVXILIO LÆTOS DIMITTAM. Hæc sunt pauca quibus auxilium pollicetur. OPIBVS. Id est militibus, *Opes* antiqui vocabant milites.

QVANDO HVC VEN. AM. Siquidem amici venistis. Extraneos enim ad sacra non licebat adhibere. Hos autem adhibet ad sacra, quasi antiquis junctos amicitiis. Vnde infert, *Et jam nunc sociorum assuescite mensis.*

ANNVA QVÆ DIFFERRE NEFAS. Anniversaria sacrificia id est solennia, ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. Solenne autem hoc esse ipse ait, *Forte die solennem illo rex Arcas honorem.* Nam calendaria si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti: nec piaculum eorum intermissione committitur. Sane hoc sacrum pollutum vocatur, quod populo annis singulis luitur. FAVENTES. Vt in sacris, *Favete linguis, favete vocibus.*

ET IAM NVNC. Ordo est, & jam sociorum.

DONATI.

INSIGNEM PHARETRAM. Mire munera exornat, ne videantur levia.

VARIORVM.

GENAS VESTIBAT. Hinc vestis pro pube. Vnde vesticeps, pubes; & investiceps, impubes. Investis quoque puer, imberbis Palladio. *lanuginem*, autem ipsam, *florem* Virgilius appellat. *Vestibat* vero pro vestiebat; nam Poëtæ metri gratia plerumque vocalem *e* abjiciunt. ERYTHRÆVS.

SED CVNCTIS ALTIOR IBAT. Imitatur Maro receptam inter mortales opinionem de Heroibus, quos non solum animi dotibus, sed & corporis magnitudine & præstantia cæteros homines superare, persuasit sibi jam olim, boni, simplicioisque sæculi sanctimonia; ut quæ ex illis insignibus, virtutibusque imperia, magistratusque decerneret, Indorum potissimum atque Æthiopum exemplo, qui proceritati corporis, liberalitatique & dignitati vultus, regna deferre solerent. GERMAN.

ALTIOR IBAT ANCHISES. Dignitatem personæ pulchritudo habet. HART.

Hæc ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Præcipuumque thoro, & villosi pelle leonis
Accipit Ænean, solioque invitat acerno.
Tunc lecti juvenes certatim araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non hæc solennia nobis,

SERVII.

DAPES. Epulæ deorum propriæ, ut Iovis cœna. SVBLATA REPONI POCVLA. Quoniam metu reliquerant mensas, ideo ait *reponi*. GRAMINEO. Hic de gramine facto: alibi *Gramineo*, pro graminoso, ut *Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.*

SEDILI. Bene *sedili*. Nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat. Quamvis apud veteres omnes sedentes vescerentur.

PRÆCIPVVM. Potest & præcipue accipi. VILLOSI PELLE LEONIS ACCIPIT ÆNEAM. Aut suscipit ad sedendum: aut pascit, ut, *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.* Torum autem herbarum super solium fuisse intelligamus, ne sit sedili contrarium. Congrue autem de leonis pelle dicitur coopertum, quia nihil oportunius in Herculis festo.

TVM LECTI IVVENES. Non vacat LECTI. In sacris enim Herculis nec servi intererant, nec liberti: adeo ut Appius qui sacra hæc transtulit in libertos, vel ut quidam volunt in servos publicos, & caruerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Pinariorum. INVITAT ET ACCIPIT. Verba hospitalia. CERTATIM. Id est studiose. ARÆQVE SACERDOS. Maximæ scilicet. Nondum enim templum Herculis fuerat: sed ara tantummodo, quam *maximam* dicit ex magnitudine fabricæ.

LABORATÆ CERERIS. Quæ eget laboris: ut; *Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos Esset rubigo.* Glandes enim sine ullo labore nascuntur.

PERPETVI TERGO BOVIS. Aut secundum Homerum intelligendum, qui dicit carnes dorsi apponi solitas honorabilioribus, ut sit sensus talis, Posuit ante eos magni bovis carnes eas, quæ apud majores in honore fuerunt. Aut revera *Perpetui*. nam de hoc bove immolato Herculi, carnes carius vendebantur caussa religionis: & inde alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur. TERGO autem potest à parte totum intelligi, quamvis alii dicant ideo *tergo bovis*, quod ad aram maximam aliquid servari de tauro nefas est * nam & corium illius mandunt. LVSTRALIBVS. Aut pinguibus. Moris enim fuerat completo lustro pingues victimas offerre Censores. Aut certe de quinquennali bove, id est perfectæ ætatis. Nam Homerus dicit, πενταέτηρον, aut quia per quinquennium ipsis victimis urbs lustrari solebat. Alii proprie *lustralia* dicunt, quæ duabus manibus accepta in aram Pontifex vel Censor imponit, quæ non prosecantur.

POSTQVAM EXEMPTA FAMES, ET AMOR COMPRESSVS EDENDI. Postquam & necessitati satis factum est, & voluptati.

REX EVANDRVS. Aut non servavit nominis declinationem, nam Euander facit sicut ipse alibi, *Pallas Euander in ipsis*, aut Græce declinavit, ὁ Εὔανδρος. NON HÆC SOLENNIA. Variat in uno pronomine. *Non hæc solennia nobis, Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram.*

DONATI.

SVBLATA. Aut metus causa, aut satietate interveniente.

SEDILI. Nam mos fuit non accumbendi, sed sedendi in his sacris. unde in 7. *Hæc sacris sedes epulis.*

LEONIS. Quod conveniebat Herculis sacris.

VISCERA. Nulla erat ambitio in escis: caro portabatur copiosa, sed bubula. Male autem acceptus fuisset si tollatur sacrorum religio.

POSTQVAM EXEMPTA FAMES. Non libenter audiuntur sermones, nisi venter satur sit.

VARIORVM.

HÆC VBI DICTA DAPES. Mirandam fuisse Virgilii circa hæc sacra doctrinam, Macrob. lib. 3. cap 6. Saturn.

ACCIPIT ÆNEAM. Homer. Illad. η. νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν. Proverb. *Tanquam heroës in clypeo excipere.* Cælius lib. 14. cap. 47. HARTVNG.

VESCITVR ÆNEAS. Macrob. lib. 5. cap. 8. Sat. ex Hom.

PERPETVI TERGO BOVIS. Quod est totius bovis. Turneb. lib. 24. cap. 40. & lib. 7. cap. 13. Macrob lib. 5. cap. 8.

POSTQVAM EXEMPTA FAMES. Proverb. *Non interpellandus famelicus.* HART.

LVSTRALIBVS EXTIS. Qualia sint exta, Turneb. lib. 7. cap. 5. & cap. 13. & lib. 15. cap. 7.

Has

Digitized by Google

Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio veterumve ignara deorum
Imposuit. sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus: meritosque novamus honores.
Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci: facies quam dira tegebat,
Solis inaccessam radiis, semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque dei. nam maximus ultor,

SERVII.

VANA SUPERSTITIO. Superstitio est timor superfluus & delirus. Aut ab aniculis dicta superstitio, quia multæ superstites per ætatem delirant, & stultæ sunt. Aut secundum Lucretium, *Superstitio est superstantium rerum*, id est cœlestium & divinarum, id est quæ super nos stant, inanis & superfluus timor. VETERUMVE IGNARA DEORUM. Duo dicit, Non ideo Herculem colimus aut quia omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat, & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones. Vnde & Socrates damnatus est: & Chaldæi vel Iudæi sunt urbe depulsi. Sane quidam veteres deos Novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem, Ergo ideo *vana*, quia superstitio ignara deorum.

NOVAMUS HONORES. Detraxit RE, nam *renovamus* debuit dicere. quam particulam alibi addit: ut, *Fata renarrabat divûm*. Aliter in quarto, *Tecta novantem*, dixit. Quidam intelligunt proprie esse *novare*, replicando vetera quandam facere novitatem, ac per hoc excludere vetustatis injuriam.

SUSPENSAM HANC ASPICE RUPEM. Cacus secundum fabulas, Vulcani filius fuit: ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum Philologos & historicos hoc habet, hunc fuisse Euandri nequissimum servum ac furem. Novimus autem malum à Græcis κακὸν dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant. postea translato accentu Cacus dictus est: ut Helene Helena. Ignem autem dictus est vomere, quod agros igne populabatur. Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit. Vnde etiam sacellum meruit, in quo ei pervigili igne sicut Vestæ sacrificabatur. SUSPENSAM RUPEM. Quasi jam jamque lapsuram.

RECESSU. A vestigiis scilicet hominum.

SEMIHOMINIS. Hoc est feritate corrupti. FACIES. Pro universus visus.

INACCESSAM. Participium sine verbi origine. Accedor enim non dicimus: sed tale est, ut placita, nupta, triumphata, regnata. Et quæritur quis hoc ante Virgilium dixerit. ORA VIRUM. Hoc est capita.

HUIC MONSTRO. Bene mutavit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret huic Caco.

ET NOBIS. Sicut multis, quibus Hercules profuit monstra purgando. ÆTAS. Beneficium temporis: ut, *Volvenda dies en attulit ultro*.

AUXILIUM ADVENTUMQUE DEI. Hysteroproteron. ante enim *adventum*, sic *auxilium* debuit dicere. MAXIMUS ULTOR. Non tantum noster: sed omnium terrarum.

DONATI.

HAS DAPES. Dum originem sacrorum narrat, epulas etiam excusat.

VARIORUM.

HANC TANTI NUMINIS ARAM. Maximam, sub divo. Estque egregia amplificatio narrationis institutæ ab historia & origine sacrorum Herculis. Reddit attentum Ænean ad narrationem, à singulari origine præsentium sacrorum ac propulsato periculo. Quare à Græcis ἀλεξίκακος Hercules fuit appellatus. HORTENS.

SERVATI FACIMUS. Verbum FACIMUS ad solemnia & dapes referendum est, hoc sensu: Ista solemnia & has dapes obimus, dum salutis adeptæ à latrone sævissimo anniversariam memoriam celebramus. Quid si exponamus *facimus*, sacrificamus, cum sequatur velut per ἐπεξήγησιν, *meritosque novamus honores*? PONTAN.

ORA VIRUM TRISTI. Attestatio rei visæ, pathos movet. Macrob. lib. 4. cap. 6. Saturn.

Digitized by Google

Tergemini nece Geryonis spolisque superbus
Alcides aderat: taurosque hàc victor agebat
Ingentes, vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum,
Aut intentatum, scelerisve dolive fuisset,
Quattuor à stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet;
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro

SERVII.

TERGEMINI NECE GERYONIS. Hæc fabula dicta est illo loco, *Postquam Laurentia victor Geryone extincto Tyrinthius attigit arva.* SPOLIISQVE SVPERBVS. Atqui boves abduxerat: sed *spolium* est quicquid de hostibus tollitur, ut, *Addit equos & tela quibus spoliaverat hostem.* Item, *Postquam illum vita victor spoliavit Achilles.* Sane aliter supra, *foribusque superbis.*

VICTOR. Perpetuo epitheto Herculis usus est, quia omnia animalia vicit, quod in sequentibus plenius dicetur. Sane de Caco interempto ab Hercule, tam Græci quam Romani consentiunt. Solus Verrius Flaccus dicit, Garanum fuisse pastorem magnarum virium qui Cacum adflixit, omnes autem magnarum virium apud veteres Hercules dictos.

AT FVRIS CACI MENS. Pro ingenti scelere, *furis* nomen posuit. Capitale enim crimen apud majores fuit ante pœnam quadrupli. Sed hic quidam ab Euandro tanquam in degeneris fraude *furem* appellatum volunt.

AVERTIT. Erat proprium ABEMIT: sed respexit, ad prædam quæ averti dicitur. ut, *Raptas ad littora avertere prædas.* ATQVE HOS. Quotiens masculinum & fœmininum junguntur, hæc disciplina est, ut etiam si posterius est fœmininum, masculino respondeamus. PEDIBVS RECTIS. Pro pedum rectorum, dativus pro genitivo.

VERSISQVE VIARVM INDICIIS. Hoc est vestigiis, quod aversi trahebantur: id est contra naturam iniicientibus errorem indiciis. Ipsa (inquit) decipiebant indicia, quæ indicare consueverunt. Nam indicium ab indicando nomen accepit.

SIGNA. Et hic signa pro vestigiis.

OMNE QVERELIS IMPLERI NEMVS. Non ut multi dicunt, quia consortes perdiderant: sed quia avellebantur à pascuis. Insita enim est bobus aviditas edendi. Vnde est, *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci*; vel certe propter stabulorum mutationem.

IMPLERI NEMVS. Pro impletur & relinquiquitur, Infinitum pro indicativo. ET COLLES CLAMORE RELINQVI. Cum clamore: ut, *Et templum clamore petebant*; & *Atque Ixionei vento rota constitit orbis*, id est cum vento. Et hoc est melius. Nam multi dicunt, Relinquebantur colles etiam à clamore: hoc est tantum recesserant à collibus boves, ut nec echo resultaret, scilicet ad colles jam clamore non perveniente. quod non procedit: quia hoc sensu illud excluditur, REDDIDIT VNA BOVM VOCEM. Si enim tam longe fuerunt, ut nulla ratione recedentium boum mugitus colles derelictos feriret: quemadmodum inclusi bovis est clamor auditus ab Hercule? Alii ita in quid imago vocis evadens, tanquam relictis collibus inauditur *

REDDIDIT. Quasi inclamata. VNA BOVM. Figura Græca, *μία τῶν βοῶν.*

DONATI.

DISCESSV MVGIRE BOVES. Nam & bruta quædam, familiaritatis affectum habent.

REDDIDIT VNA BOVM VOCEM. Nam & bruta sua voce affectum exprimunt: unde & in tertio dixit: *Qui volucrum linguas sentis.*

VARIORVM.

TERGEMINI NECE GERYONIS. Geryo, seu Geryones Chrysaoris Iberiæ regis filius; *trigeminus* & *triceps* ideo à Poëtis dictus est, quia tres fratres erant, viribus corporis præstantes. PONT.

FORMA SVPERANTE IVVENCAS. De proceritate vel fortitudine. Turneb. lib. 23. cap. 25.

Mu-

Digitized by Google

Mugiit, & Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor. rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur, & aërii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatumque oculis: fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Vt sese inclusit, ruptisque immane catenis
Dejecit saxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultosque emunit obice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans, huc ora ferebat & illuc;
Dentibus infrendens, ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.

SERVII.

MVGIIT. More suo, pro mugivit: ut, *Audiit & Triviæ longe lacus.* CVSTODITA FEFELLIT. Id est, dum custodiretur fefellit.

EXARSERAT. Pro exarsit. ATRO FELLE DOLOR. Quo irascimur secundum Physicos, ut splene ridemus. Persius, *Sed sum petulanti splene cachinno.*

RAPIT ARMA MANV, NODISQVE GRAVATVM ROBVR. Duo dixit, sagittas & clavam. & non vacat QVE. Nam si *armorum*, Epexegesis est: NODISQVE GRAVATVM ROBVR, *vacat* QVE. Gravatum autem, pro GRAVE posuit. Nam *grave* est per naturam ponderosum: *gravatum*, quod oneratur extrinsecus. Sed quidam melius gravatum, quam grave dictum volunt, quasi extrinsecus nodi sint additi.

TVM PRIMVM. Id est primo Herculis beneficio.

TVRBATVMQVE OCVLIS. Ea parte turbatum, quæ proditrix mentis est. *Alii* OCVLI legunt, & accipiunt à superioribus, videre turbatum oculi. ILICET. Potest *ilicet* accipi pro igitur, aut continuo.

ARTE PATERNA. Perseverat in fabula. Sane aliter ferro, aliter arte.

EMVNIIT. Ysteroproteron, fulsit ut muniti essent & aliter. Sicut *emunuit* & *mugiit*, pro mugivit & emunivit. OBICE POSTES. Hanc obicem dicimus, ut, *Ecce maris magna claudit nos obice pontus.* Dubitant enim nonnulli utrum masculinum sit.

TIRYNTHIVS. A Tirynthia ubi natus est civitate, ut diximus supra, & est versus hypermetrus.

DENTIBVS INFRENDENS. Proprie *infrendens* est inter se comprimens dentes, nam & *frendere* significat dentibus frangere, unde & nefrendes infantes, quia nondum habent dentes, & Varro frenos hinc putat dictos: *frendere* ergo quomodo frangere, Vt fresa faba, fracta.

AVENTINI MONTEM. Vt fontem Timavi, Buthroti urbem.

TER FESSVS VALLE RESEDIT. Egens consilii. Salustius, *Fessus in Pamphiliam se receperat.* Nam corpore fatigatum dicimus, animo vero fessum: quamvis hoc sæpe confundit auctoritas. Sane quidam sic distinguunt, *Ter saxea tentat limina*, & subjungunt, *nequicquam ter*, ac post, *fessus valle resedit*, ut semel sederit.

DONATI.

CVSTODITA. Nihil profuit custodia& astutia.

RAPIT. Et non cœpit: nec passibus, sed cursu magis injuriam quam damnum dolens:

TIMENTEM. Hoc tria signa ostendunt: Oculi, qui omnes animi motus indicant. Cursus celerior solito: & in speluncam, non in loca aperta se contulit.

RVPTIS. Nam celeritas solvere prohibuit.

VARIORVM.

EXARSERAT ATRO FELLE D. Ioach. Camerarius problem. 8. Dec. 2.

NODISQVE GRAVATVM ROBVR. Descriptio accidentalis clavæ. Theocritus in Heraclidis; βάκτρον αὐτόφλοιον. HART.

TVM PRIMVM NOSTRI CACVM VIDERE TIMENTEM. Subtiliter hic Poëta, in colloquio Regis Euandri cum Ænea, expositioneque fabulæ Herculis; cum feritatem Caci atque audaciam demonstrare vellet, deique illius impetum in maximum furem, cognita illius injuria, id tum contigisse dixit, quod nunquam antea visum fuerat, ut immanis scilicet illa bellua timeret, ac timoris sui certa etiam signa vultu ostenderet. VICTORIVS.

PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS. Erasmus hunc versiculum. Ovidio tribuit. D. Ioach. Camerarium vide, in erratis. HART.

Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avulsam solvit radicibus: inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbrosæ penitus patuere cavernæ:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida, diis invisa, superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit: omniaque arma
Advocat, & ramis, vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli est)

SERVII.

STABAT ACVTA SILEX. Pene omnes hunc silicem dixerunt. Nam & Varro & Lucretius ita dixerunt. Tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis etiam hanc silicem dici. DIRARVM VOLVCRVM. Modo *dirarum*, non mali ominis dicit, ut sunt bubones: sed quæ humanis cadaveribus vescebantur. Dixit enim, *Foribusque adfixa superbis Ora virum, tristi pendebant pallida tabo.*

DEXTER. Hoc est à dextra parte consistens. CONCVSSIT. Solvit, impulit. Satis signatis usus est verbis.

REFLVITQVE EXTERRITVS AMNIS. Rem naturæ vertit in fabulam, cum ruina rupis in se recurrere necesse sit impetum fluminis.

INGENS REGIA. Regia, sicut Cacus putabat: Sic est & illud dictum, *Illa se jactet in aula Æolus.*

PENITVS PATVERE. Admissum lumen est usque ad secreta speluncæ. Cavernas autem speluncæ per Tapinosim dixit. Sane veteres loca concava, vel si quid incurvum fuisset, *cavernas* appellabant.

SI QVA VI. Terræ hiatus non nisi ex terræ motu fit, qui quoniam aut motu aquæ inferioris nascitur, aut crebris tonitribus, aut de concavis terris erumpentibus ventis: ideo ait *Si qua vi.* Quod autem dicit, *Infernas reseret sedes*: notandum est etiam de impossibilibus fieri posse comparationem.

DIIS INVISA. Superis scilicet.

TREPIDENT IMMISSO LVMINE. Lucanus, *Et subito periere die.*

INSVETA RVDENT. Clamantem. Abusive dictum est, sicut supra de leonibus: *Et sera sub nocte rudentum.* Nam *rudere* proprie asinorum est. Persius, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Aut ideo *rudentem*, quia supra ait, semihominis Caci.

TELIS PREMIT. Omne quod jaci potest *telum* vocatur: dictum ἀπὸ τοῦ τηλόθεν. Unde addidit, *Omniaque arma Advocat.*

MOLARIBVS. Asperrimis saxis, non unde molæ fiunt. & secundum Homerum dixit: μεγάλοισι πέτροις. Aut certe magnis & molis convenientibus.

DONATI.

STABAT ACVTA SILEX. Non solum virtus, sed etiam prudentia Herculis ostenditur.

AT SPECVS. In hoc loco spelunca significat longitudinem & interiores recessus.

REGIA. Latitudinem. CAVERNÆ. Coarctas angustias. Fuit spelunca, sed pro qualitate personæ dicta est regia. *Cavernas* autem dixit patuisse, id est, non solum latas partes sed angustas. REGIA. Quia ibi tyrannidem agitaret.

VARIORVM.

STABAT ACVTA SILEX. Marlianus lib. 5. c. 3. de Vrb. R. antiq.

INFERNAS RESERAT SEDES. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturn.

SEDES ET REGNA RECLVDAT. Homer. Iliad. 20. Macrob. lib. 5. cap. 16.

Fau-

Digitized by Google

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis: glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis; seque ipse per ignem
Præcipiti jecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores

SERVII.

FAUCIBUS INGENTEM FUMUM (MIRABILE DICTU. Consuetudine sua usus est, ut cum aliquid contra naturam factum infert; prædicet unde incredibile videatur, ut *Nascenti cui tres animas Feronia mater, Horrendum dictu dederat.* Et *mirabile dictu*, Parenthesis.

FUMIFERAM NOCTEM. Non est noctis epitheton, sed quam Cacus fumum evomens faciebat. COMMIXTIS IGNE TENEBRIS. Utrumque enim evomebat.

NON TULIT. Non sustinuit. ANIMIS. Pro ira, unde iracundos dicimus animosos. PER IGNEM. Per eam rem, unde ille sperabat auxilium.

INCENDIA VANA. Vana quantum ad Herculem pertinet.

ANGIT INHÆRENS ELISOS OCULOS, ET SICCUM SANGUINE GUTTUR. *Angit guttur*, bene dicimus: angit oculos, non procedit. Ergo *angit* ad unam rem pertinet. ut, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis.* Nam fortuna non discitur. Unde multi ELIDENS legunt, & integer sensus est. Nam elisos solœcophanes est: ut sit ita, *Angit guttur, & elisos oculos facit.*

ET SICCUM SANGUINE GUTTUR. Per hoc jam exanime cadaver ostenditur.

ABJURATÆQUE RAPINÆ. *Abjurare* est rem creditam negare perjurio: sed hoc isti loco non congruit. Unde modo abjuratas rapinas contra jus retentas intelligamus. Alii *abjuratas*, abductas atque alieni juris factas, alii fraude & furto abductas tradunt.

INFORME CADAVER. *Informe*, magnum, cujus formam non sit facile complecti: & cadaver est corpus nondum sepultum; dictum cadaver, quod careat honore sepulturæ.

NEQUEUNT EXPLERI CORDA TUENDO TERRIBILES OCULOS. Non poterant homines videndo cadaver, sua corda satiare. *Tuendo* autem pro intuendo. SEMIFERI. Bene *semiferi*, cum supra semihominis.

LÆTIQUE MINORES. Nove & satis licenter MINORES dixit, cum ab ipso Euandro Herculem constet esse susceptum: & *minores* non dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, ut puta, filius, nepos, pronepos, abnepos. Ubi isti gradus defecerint, merito jam dicimus *minores*: sicut etiam *majores* dicimus post patris, avi, proavi, abavi, atavique vocabulum. Ergo *minores* accipimus pro deinceps, vel certe *minores*, cum quibus vivit, quia ipsum constat esse longævum, nam post ait, *O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.*

VARIORUM.

SEQUE IPSE PER IGNEM, &c. Tanto ad ultionem fervore properans, Caci contempsit incendia, nam intrepidus se per ea jecit, nec ipsam loci altitudinem metuens. DONAT.

CORRIPIT IN NODUM. Id est constrictum tenet. Turneb. lib. 19. cap. 29. Videri potest fortasse allusisse ad Herculanum nodum, qui & arctissimus erat, & ita nexus, ut ægre dissolvi posset; ita ut proverbio locum dederit. GERMAN.

PEDIBUSQ. INFORME CADAVER. Proverb. *Pedibus trahere.* Homer. Iliad. χ. H.

EXTINCTOS FAUCIBUS IGNES. Non contemplabantur extinctos ignes: sed cum terribiles oculos, trucem vultum intuerentur, etiam fauces illas mirabantur, è quibus paulo ante ignis prodierat. PONT.

LÆTIQUE MINORES. Alexand. lib. 2. c. 14. HARTUNG.

Ser-

Servavere diem; primusque Potitius author,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.
Quare agite, ô juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris:

SERVII.

PRIMVSQVE POTITIVS AVTHOR: ET DOMVS HERCVLEI CVSTOS PINARIA SACRI. Apud majores nostros raro advenæ suscipiebantur, nisi haberent jus hospitii. Incertum enim erat quo animo venirent. Vnde etiam Hercules primum ab Euandro non est susceptus: postea vero cum se & Iovis filium dixisset, & morte Caci virtutem suam probasset, & susceptus, & pro numine habitus est. Denique ara est ei maxima consecrata, quod Herculi Delphicus Apollo in Italia fore prædixerat. Cum ergo de suo armento ad sua sacrificia boves dedisset, inventi sunt duo senes, vel ut quidam tradunt ab Euandro dati Pinarius & Potitius: quibus qualiter se coli vellet, ostendit: scilicet ut mane & vespere ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea extis iam redditis. Vnde iratus Hercules, statuit ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis & complentibus sacra. Vnde & Pinarii dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης, id est à fame. Nam senem illum Pinarium constat alio nomine nuncupatum. Hinc est quod paulo post Potitii tantum facit commemorationem. Vt, *primusque Potitius ibat.* Quod autem dicit, DOMVS HERCVLEI CVSTOS. Hoc est ministra, ut in undecimo, *At Triviæ custos iam dudum in montibus Opis Alta sedet*, id est ministra. Alii *custos Pinaria sacri* dicunt, quod cum ara maxima vicino incendio conflagraret, à Pinariis liberata sit, & ideo *custos sacri*. Auctor vero Potitius quare? num quod sine familia Potitiorum sacra ista non fiebant, donec illos Appius Clodius corrupit pecunia, ut servos publicos hoc sacrum docerent, propter quod dicitur & ipse mox cæcus factus, & Potitiorum familia intra breve tempus extincta. Quidam tradunt ideo *custos*, quod Potitii sacra publica servis publicis prodiderint, & quamvis tradatur eos ideo ad sacra Herculis non admitti, quod serius venerint, & ideo *custos*, quoniam nec prodendi habuerint facultatem, & id quasi religiose dictum est, quod ignorantiæ eventus attulerat, tamen habent Ciceronem auctorem, qui in De domo sua, Pinarium Nattam appellans sic dicit, *Quem ego tamen credo sic est ortus ab illis, quos memoriæ proditum est ab ipso Hercule perfuncto laboribus sacra didicisse.* Quidam etiam tradunt ideo Potitiis ab Hercule sacra commissa, quod cum ipse Hercules rem divinam faciebat, ipsum Herculem fortuito invocasset Potitius, fertur tunc Herculem accepto omine divinitatis, rejecto Pinario, perpetuæ epulationis sacrum Potitio tradidisse, à quo videbatur consecratus, & Potitius dici, quod eorum auctor epulis sacris potitus sit; Pinarius quod eis, sicut dictum est, fames epularum sacrarum indicta sit, hoc enim eis Hercules dixisse dicitur ὑμεῖς δὲ πεινάσετε.

LVCO. Templum enim nondum habuerat Hercules: sed aram tantummodo, ut diximus supra. MAXIMA. Ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque post januas Circi maximi. Alii *maximam* ideo dicunt, quia illo tempore omnibus erat honore potior, quam sibi Hercules postquam se à matre Euandri Iovis filium esse & immortalem futurum cognovit, statuit.

ERIT QVÆ MAX. Repetitio verbi ad honorem & potestatem pertinet.

IN MVNERE. Non tam in officio, quam in honore hic accipiendum.

PORGITE DEXTRIS. Præbete invicem pocula: & est Homeri, τοὺς μὲν ἄρα χρυσέοισι κυπέλλοις οἱ δ' Ἀχαιῶν δειδέχατ' ἄλλοθεν ἄλλος. Id est propinate mutuo; An divisæ sunt personæ, ut, *Cingite fronde comas*, ad convivas referatur: *pocula porgite*, ad ministros.

VARIORVM.

ET DOMVS HERCVLEI CVSTOS, &c. Quidam enim aram maximam, cum vicino flagraret incendio, liberatam à Pinariis ferunt: & ideo *sacri custodem* domum Pinariam dixisse Virgilium. Asper τῶν Δημοσίων, inquit, Potitiorum, qui ab Appio Claudio præmio corrupti, sacra servis publicis prodiderunt. Sed Veratius Pontificalis, in eo libro, quem fecit *de Supplicationibus*, ita ait: Pinariis, qui novissimi comeso prandio venissent, cum jam manus pransores lavarent, præcepisse Herculem, ne quid postea ipsi, aut progenies ipsorum ex decima gustarent, sacranda sibi: sed ministrandi tantummodo caussa, non ad epulas convenirent. Quasi ministrantes ergo *sacri custodes* vocari: ut ipse Virgil. Æneid. 11. *At triviæ custos jam dudum in montibus Opis*, id est ministra. Nisi forte custodem dixit eam, quæ se prohibuerit & continuerit à sacris, ut ipse Georg. 4.

Et custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Hic utique custodem prohibitorem avium, furumque significat: Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 6. PONTANVS.

CVSTOS PINARIA SACRI. De ceremoniis hujus sacri lege Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 14. & Livium lib. 1.

QVARE AGITE, O IVVENES. Epilogus constat exhortatione brevi, & invitatione ad celebrandum diem festum summa hilaritate. HORTENS.

Com-

Digitized by Google

Communemque vocate deum, & date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer implevit dextram scyphus. ocyus omnes
In mensam læti libant, divosque precantur.
Devexo interea propior fit vesper Olympo:
Iamque sacerdotes, primusque Potitius, ibant,

SERVII.

COMMUNEM VOCATE DEUM. Aut quia Argivus est Hercules, ut supra dixit Æneas, tam Græcos quam Trojanos de uno sanguinis fonte descendere: aut *communem deum* dixit, inter deos atque homines. unde medius fidius dictus? Aut utriusque naturæ medium, id est inter mortalitatem & divinitatem. Sunt enim numina aliqua tantum cœlestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media; quos deos Apulejus Medioximos vocat, hoc est qui ex hominibus dii fiunt. Alii communem deum ideo dictum volunt, quia secundum pontificalem ritum idem est Hercules qui & Mars. Nam & stellam Chaldeis dicentibus unam habere dicuntur, & novimus Martem communem dici: Cicero, *Martemque communem.* Virgilius, *Et dis communibus aras.* Item paulo post, dat Salios Herculi, quos Martis esse non dubium est. Alii *communem*, humanum, beneficum, φιλάνθρωπον, unde & communes homines dicimus. Varro dicit *deos alios esse qui ab initio certi & sempiterni sunt, alios qui immortales ex hominibus facti sunt*, & de his ipsis alios esse privatos, alios communes: *privatos*, quos unaquæque gens colit, ut nos Faunum; Thebani Amfiaraum; Lacedæmonii Tindareum: *communes*, quos universi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem. DATE VINA. Quia tantum diis superis vina libari decebat.

HERCULEA POPULUS. Herculi consecrata, qui cum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore corona facta caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens, & capiti, abluit sudorem: pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit. Et honeste ait, *Pependit populus*, id est corona de populo. Atqui lauro coronari solebant qui apud aram maximam sacra faciebant, sed hoc post urbem conditam cœpit fieri, neque alia fronde circundat caput prætor Urbanus, qui Græco ritu sacrificat. Sed Poëta ad illud tempus retulit, quo Euander apud aram maximam sacra celebravit. Varro enim rerum humanarum docet in Aventino institutum Lauretum de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra, quamvis ipse dixerit, *Populus Alcidæ gratissima.*

SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. Legitur in libris antiquis Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum adtulisse, quo utebatur in sacris; quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur, cujus magnitudinem & religionem simul significat dicendo, *Implevit dextram sacer scyphus.* Scypho prætor in anno semel vino libabat, neque hoc sine, sacra fiebant. Possumus & illud accipere quod inter munera deorum etiam pocula sunt. Salustius, *Hi sunt secundum pocula & alias res aureas, diis sacrata instrumenta cum pino mercantur.*

IN MENSAM LÆTI LIBANT. Hoc est *date vina volentes.* Quæritur sane cur in mensam & non in aram libaverint? Sed apud antiquos inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur, unde bene ait, *In mensam læti libant*, quam constabat cum ara maxima dedicatam, ut alibi, *Mensæque deorum.*

DEVEXO OLYMPO. Inclinato in noctem cœlo.

DONATI.

COMMUNEM. Ut per conjunctionem fœderum se Trojanis commixtum ostendat. Vel quia Trojanis & Arcadis idem erat genus. SECUNDA. Prospera.

VARIORUM.

COMMUNEMQUE VOCATE DEUM. Quia supra ostendit Æneas, Trojæ & Arcadiæ populos iisdem parentibus genitos. DONAT.

DATE VINA VOLENTES. Vel quia obsequia non accipiuntur, nisi plena voluntate fuerint persoluta: vel quia inimicus aliquando Trojæ Hercules fuit. D.

HERCULEA BICOLOR CUM POPULUS. *Bicolor populus* quibusdam distincte accipienda videtur, ut δίχροος intelligatur, quod populi duæ sint separatæ species; hæc quidem quæ λεύκη, altera autem nigra, quæ αἴγειρος. Servius tamen de eadem arbore intelligit. GERMAN.

POPULUS BICOLOR. Cælius lib. 13. cap. 17. Theocr. in Pharmaceutria. Estque sacra Herculi, supra in Eclogis; *Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho*, HART.

ET SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. *Sacer* ideo posuit, quia quibus sacrorum cura est, habent dicata numinibus vasa, quibus obsequia divina perficiunt. DONATUS.

IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. De scypho Herculano vide quæ referat Macrobius Saturn. lib. 5. cap. 21.

IN MENSAM LÆTI LIBANT. Quid est in mensam libare? Nempe religionis caussa de patera, priusquam bibas in mensam, quæ opinione veterum sacra erat, & tanquam quædam ara, aliquid de vino effundere, quod Græci, λείβειν & σπένδειν dicunt. Turneb. lib. 24. cap. 40. Lipsius lib. antiq. lect. 3. cap. 1. Macrob. lib. 3. cap. 11.

Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt: ut prima noverca
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues:
Vt bello egregias idem disjecerit urbeis,

SERVII.

PELLIBVS IN MOREM CINCTI. Aut in morem Herculis: aut certe secundum morem sacerdotum: aut quia Pan Deus Arcadiæ pelleus sit, unde Euander.

ET MENSÆ GRATA SECVNDÆ DONA FERVNT. Quia ut dixi una carnis fuerat, altera pomorum, *mensæ* autem *secundæ* quæ sunt alioquin gratæ.

CVMVLANTQVE ONERATIS LANCIBVS ARAS. Id est reddunt exta.

SALII. Salii sunt, qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, post victoriam Tiburtinorum de Volscis. Sunt autem Salii Martis & Herculis, quoniam Caldei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur, & Tiburtes Salios etiam dicaverant. Quidam hos à saltu appellatos tradunt, quos alii à Numa institutos, ut arma ancilia portantes saltarent: Ergo bene à saltu appellati; horum numerum Hostilius addidit: nam duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini, & Quirinales à Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii & Pallorii instituti. habuerunt sane & Tusculani Salios ante Romanos. Alii dicunt Salium quendam Arcadem fuisse qui Trojanis junctus hunc ludum in sacris instituerit: nonnulli tamen hos à Dardano institutos volunt, qui Samotracibus diis sacra persolverent. Quidam etiam dicunt Salios à Morrio rege Vejentanorum institutos, ut Alesus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejusdem regis familiæ auctor ultimus fuit.

LAVDES HERCVLEAS, ET FACTA FERVNT. Senes tantum voce laudes Herculis exsequebantur; Iuvenes & gestu corporis ejus facta monstrabant. Vnde ibi immorandum est, *Hic juvenum chorus*; ut Salii juvenibus conveniunt, carmina ad senes pertinent. Et bene *Senes* facta Herculis canunt, quorum ætas scire & interesse gestis Herculis potuit, antequam hic ab hominibus transiret ad deos. Sane quæritur cur huic deo operto capite sacrum fiat. Legitur enim in libris antiquioribus his verbis, *Mihi detecto vertice cuncti Sacrificant.* Id facit observatio ne in æde Herculis ejus habitum imitaretur. Signum enim ejus operto capite est. Constat autem ante adventum Æneæ in Italiam, aram Herculi consecratam, ab Ænea vero morem operiendorum capitum inductum, sicut ait, *Purpureo adopertus amictu.* PRIMA NOVERCA MONSTRA. Bene. PRIMA. nam & alia omnia Iunonis insidiis pertulit. Fabula autem hoc habet, Hercules natus est cum Iphiclo Amphytrionis filio: sed cum Iuno duos serpentes immisisset Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapsus suo vagitu excitavit parentes: qui cum surrexissent, viderunt Herculem angentem manibus angues immissos ei novercalibus odiis.

ELISERIT. Præfocaverit. Et hunc versum junge, unum est enim, *monstra* & *angues*.

VARIORVM.

MENSÆ GRATA SECVNDÆ. Græci etiam δεύτερας, & ἐπιδορπίους τραπέζας secundas mensas vocant, quibus inferuntur bellaria & μελιδορπίσματα. GERMAN.

TVM SALII AD CANTVS. Omnes ludii & saltatores, qui ad cantum & tibiam in sacris ludunt, *Salii* & *Salisubuli* dicuntur. Itaque hic simpliciter *Salii* sunt ludii ad sacra Herculis saltantes. Qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχησιν doctore Ænea in Italia saltarunt, *Salii* dicti sunt, auctore Polemone vetere scriptore rerum Italicarum. Quare hic arguatur Macrobius lib. 13. cap. 12. dum quærit quare Salios Herculi attribuat Virgilius potius quam Marti; Quare recte ὑμνῳδὸς Salius vertitur, à vetere Glossario. Vnde Virgil. dixit *Salios ad cantum*, ut Propert. *pastor ad baculum.* κατ' ἐξοχὴν autem ludii Martis dicuntur Salii. Scalig. in Catull. E veteribus vero monumentis constat, Saliorum auctorem fuisse Salium Arcadem qui in Italiam cum Euandro venerat. Igitur cum ante Romam conditam, ad aram maximam instituta fuissent ab Euandro Herculi sacra, verisimile est Salium tum ei choros instituisse. Vrbe autem condita, ad gradivum Martem eos postea choros Numa, ut opinor, transtulit, Romanæ gentis auctorem. Turneb. lib. 13. cap. 8. De Saliis eorumque ornatu Gyrald. Syntag. 17. Plutarch. in Numa Pompilio.

QVI CARMINE LAVDES HERCVLEAS. Veteres *Axamenta* στίχους ἐπὶ θεῶν ἐγκωμίοις vocabant. Videtur autem hic Poeta alludere ad ritus & morem Lacedæmoniorum, apud quos diu Heraclidæ ab Hercule oriundi regnarunt. GERMAN.

FACTA FERVNT. Enumeratio rerum gestarum Herculis. HART.

GEMINOSQVE PREMENS ELISERIT. Theocr. in Heraclidis. Hom. Iliad. ε. Ἰλίου ἐξαλάπαξε πόλιν. HART.

Tro-

Trojamque, OEchaliamque: ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquæ,
Pertulerit. tu nubigenas invicte bimembres,
Hylæumque, Pholumque manu, tu Cressia mactas
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus: te janitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te ulla facies, non terruit ipse Typhæus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem

SERVII.

TROIAMQUE. Ut supra diximus, Trojam Hercules evertit propter negatos sibi à Laomedonte equos divino semine procreatos, & Esionæ nuptias, quam a ceto liberaverat, necato patre ejus Laomedonte. Sane Critici frustra culpant Virgilium, quod præsentibus Trojanis, Trojæ laudare introduxit excidium, non respicientes quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est. Alii magis hoc in solatium Æneæ cantatum posse accipi tradunt, nam quod Herculi datur, Græcis aufertur, & potest obliteratus dolor videri præteritus, quando ad fatalem terram perventum est, sicut alibi ait Æneas, *Illic fas regna resurgere Trojæ*, ut ibi jam dixerat, *Salve fatis mihi debita tellus*: quia expectatus venerat solo Laurenti arvisque Latinis.

OECHALIAMQUE. OEchalia civitas in Eubœa insula fuit, cujus Eurytus rex Iolem filiam Herculi denegavit, victori certamine sagittarum ante promissam, ideo quod eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megæram uxorem, & ex ea filios interemptos, quod factum fuerat Iunonis instinctu. Unde iratus Hercules propter nuptias sibi denegatas, eversa civitate interemit Eurytum & Iolem sustulit. MILLE. Pro multis.

REGE SUB EURYSTHEO. Hujus asperrima imperia sustinuerat Hercules voluntate Iunonis. Nam hoc est quod dicit, *Fatis Iunonis*, id est voluntate. vel certe responsis quæ Eurystheo in Herculem dederat: & quidam bono auspicio, FATIS Iunonis, positum volunt; hoc est, quam etiam Trojani gravem sustinent, ut dei jubentur exemplo qui tam multis ejus instinctu subjacuerit ærumnis: virtute tamen ad divinitatem pervenerit.

NUBIGENAS. De Ixione & Nube procreatos Centauros, ut superius diximus. Pindarus, Ipsum cum equas pasceret incestasse eas, inde Centauros natos dicit.

HYLÆUMQUE PHOLUMQUE. Hylæum Theseus occidit. Pholus vero Herculem suscepit hospitio eo tempore quo ad expugnandos Centauros esset profectus. Lucanus, *Hospes & Alcidæ magni Phole.* Unde apparet per poëticam licentiam nomina esse pro nominibus posita. Alii Pholum non abhorrere à vera historia tradunt, Pholus enim dum miratur sagittas Herculis quibus tot Centauros interfecerat, una ex illis in pedem ejus decidit, cujus vulnere sanari non potuit. CRESSIA MACTAS PRODIGIA. *Mactas*, bene ad leonem quem interemit refertur. Nam Cretensem taurum non mactavit: sed cum eum incolumem ad Eurystheum perduxisset, ille eum licet flammas vomuisse dictus sit, inlectus pulchritudine, in Atticam regionem reliquit: Qui cum Marathonem vastaret à Theseo postea occisus est. Uno tamen verbo utrumque sæpe concluditur, aliquotiens una pars: ut, *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis.* Alii *mactas*, ad Centauros sicut ad Leonem referri volunt.

NEMEÆ SUB RUPE. Nemea sylva est vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem, qui Lunæ filius & invulnerabilis dictus est. Nemeæ autem anapæstus est. Nam & NE, & ME breves sunt.

STYGII TREMUERE LACUS. Id est, Inferni, quo tempore descendit ad rapiendum Cerberum.

OSSA SUPER RECUBANS. Aut ad terrorem dictum est: aut certe illud est quod supra diximus Cerberum esse terram, quæ corpora sepulta consumit. Nam inde Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος. Alii pueriliter volunt à Cerbero Amphiarai ossa consumi, qui hiatu terræ secundum fabulas descendit ad inferos. SEMESA CRUENTO. Semensum non dicimus, sicut nec ensum: nam esum facit & comesum.

NEC TE ULLÆ FACIES. *Facies*, id est species, more suo, vel periculorum vices multæ, ut, *Nova mi facies*, &c. *Quæ scelerum facies*, subauditur tamen *terruêre*. IPSE TYPHOEUS ARDUUS, ARMA TENENS. Et hoc poëtice. Nam si interemit Centauros, quemadmodum etiam Gigantum interfuit prælio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur? Ergo NON TERRUIT, pro non terreret vel terruisset, ut sit, *Nec te Typhœus ipse terreret.*

NON TE RATIONIS EGENTEM. Liptotes figura. Nam minus dixit, & plus intelligimus. hoc enim dicit, Prudentissimum te non circunvenit.

VARIORUM.

UT DUROS MILLE LABORES. A qualitate, duros: à quantitate, *mille*. TAUBMAN.

NUBIGENAS INVICTE BIMEMB. Macrob. lib. 6. cap. 5. Saturnal.

SEMESA OSSA CRUENTO. Ab etymologia Cerberi alludit: κρεοβόρος. HART.

NON TE RATIONIS EGENTEM. Turneb. lib. 24. cap. 40.

Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salve vera Iovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt: ibat rex obsitus ævo:
Et comitem Æneam juxta, natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.

SERVII.

LERNÆVS ANGVIS. Id est Hydra. TVRBA CAPITVM. Et est talis figura, qualis *Munera nec sperno*, aliis amphibolia videtur.* Si non te Lernæus turba egentem capitum anguis remanet rationis egentem ordinaveris remanet Lernæus t. c. c. a. si est non eguisti ratione cum te Lernæus anguis circunstetit capitum turba* Præter hæc quæ Herculem hoc loco Poëta fecisse memoravit. Alia facta Herculis hæc sunt, Superatus aper Erymanthius, post cerva, item Stynfalides aves, quæ alumnæ Martis fuisse dicuntur, quæ hoc periculum regionibus irrogabant, quod cum essent plurimæ volantes, tantum plumarum de se emittebant, ut homines & animalia necarent, agros & semina omnia cooperirent. Inde ovilia Elidensium regis, quæ stercore animalium congesto, pestilentiam tam suis quam vicinis regionibus creaverant, immisso Alfeo flumine repurgavit, & regionibus salubritate reddita, ipsum regem negata sibi mercede interemit, inde equos Diomedis Thracis qui humanis carnibus vescebantur abduxit, inde ab Hippo Lytæ cingulum petendum perrexit, eamque ablato cingulo superavit. Ad Geryonem autem, sicut jam supra dictum est, navi ænea navigavit, tergo leonis velificans, ibique primum canem Echidnes filium peremit deinde Eurytiona pastorem Martis filium, novissime Gerionem, cujus abduxit armenta. Item ad Hesperidas perrexit & Anthæum filium terræ victum luctatione necavit. Inde in Ægypto Busiridem necavit, qui advenientes hospites immolare consueverat, post Prometheum Iovis imperio in Caucaso monte religatum occisa sagittis aquila liberavit. Acheloum etiam fluvium qui se propter Dejaniram OEnci filiam certando cum Hercule in formas varias commutabat, mutatum in taurum avulso ab illo cornu, victoriæ cedere compulit, post Lycum regem qui se apud inferos constituto Megæram uxorem ejus tentaverat, reversus peremit, propter cujus necem Iuno ei insaniam misit, & uxorem necavit ac filios, qui post receptam sanitatem cum expiationem parricidii ab Apolline petisset, nec ab eo responsa meruisset, ita concitus cortinam ipsam & tripodem Apollinis sustulit, ob quod iratus Iuppiter eum Omfalæ servire præcepit. Cujus finis humanitatis talis fuit, cum Dejaniram conjugem per fluvium in quo Nessus Centauros commeantes transvehebat etiam Hercules transvehere vellet, ausus est Nessus occulte Dejaniram de stupro interpellare, quod cum Hercules agnovisset Nessum peremit, sed Nessus moriens Dejaniram monuit, ut sanguinem suum exceptum servaret, & si quando advertisset Herculem altera fœmina delectari, sanguine ipso vestem inlitam marito daret, per quam vindicari possit. Sed Dejanira cum audisset maritum Iolen Euriti OEcaliensis amare filiam, vestem tinctam Nessi sanguine Lichæ servo dedit ad eam perferendam, qui cum Herculi in OEta occurrisset, munus uxoris tradidit, quam cum ille Iovi sacrificaturus induisset, tanto corporis ardore correptus est, ut non invento remedio pyram construi juberet, donatisque Philoctetæ sagittis, peteret ab eo ut cremaretur, quo facto inter deos relatus est.

SALVE. Hic *Salve* sic dictum est ut alibi, *Sis felix*, hic divus fidius solus dicitur, quod solus fidem fecit se Iovis filium. VERA IOVIS PROLES. Nullus enim humano sanguine procreatus tanta perficeret.

DEXTER ADI. Id est propitius. PEDE SECVNDO. Omine prospero.

SVPER OMNIA CACI. Id est hoc factum laudant ultra omnia. Et sic est dictum, ut est, *Et te super omnia dona Vnum oro*. Et bene quantum ad ipsos pertinet, rem majorem & sibi utiliorem servare post omnia: quia ita sæpe fit, ut ea quæ in præsente aguntur, fabulis omnibus postea addantur, & quæ experierant potiora videantur ignotis, & fides habeatur illis quæ audierant, & his quæ viderant.

OBSITVS ÆVO. Ætate involutus, ut Terentius ait, *Annis pannisque obsitus*. Nonnulli *obsitum*, quasi insitum & obsessum & possessum tradunt.

VARIORVM.

LERNÆVS TVRBA CAPITVM. Id est, non te consternavit. Turneb. lib. 24. cap. 26.

VERA IOVIS PROLES. Herculem Afri tanto cæteros heroas virtute superasse loquuntur, ut, qui bellica virtute claruerint, idem cognomen consciverint. GERMAN.

DEXTER ADI PEDE SACRA SECVNDO. Turneb. lib 29. cad. 35.

REX OBSITVS ÆVO. More veterum dixit, qui *obsitum* pro pleno usurpabant, Turneb. lib. 24. cap. 40.

Mira-

Digitized by Google

Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Æneas; capiturque locis, & singula latus
Exquiritque, auditque virûm monumenta priorum.
Tum rex Euandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis, & duro robore nata:
Queis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis

SERVII.

FACILESQUE OCULOS FERT OMNIA CIRCUM. Physici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri. Plautus, *Faciles oculos habet.* id est mobiles vino. Hoc etiam Mecænas in Symposio, ubi Virgilius & Horatius interfuerunt, cum ex persona Messalæ de vino loqueretur, aut id è m vino* ministrat faciles oculos, pulciora reddit omnia, & dulcis juventæ reducit bona.

CAPITURQUE LOCIS. Delectatur, id est uno loco diutius retinetur.

ROMANÆ CONDITOR ARCIS. Conditor Pallantei, ubi nunc palatium est: quod non est re vera arx, sed tenet omnium rerum principatum. Et hic subtiliter videtur significare, Romam initium ab Euandro ducere.

HÆC NEMORA INDIGENÆ FAUNI. Indigenæ, id est inde geniti, αὐτόχθονες. Et sciendum secundum Hesiodi theogoniam primo deos genitos, inde emitheos, post heroas, inde homines innocentes, ultimo sceleratos: quem & hic nunc ordinem servat. Sane sicut supra dictum est, Faunus Pici filius dicitur, qui à fando quod futura prædiceret, Faunus appellatus est, quorum etiam responsa ferebantur. Hic Faunus habuisse filiam dicitur Omam castitate & disciplinis omnibus eruditam, quam quidam quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam appellatam volunt. Hos Faunos etiam fatuos dicunt, quod per stuporem divina pronuntient: quidam Faunum appellatum volunt eum, quem nos propitium dicimus.

TRUNCIS, ET DURO ROBORE NATI. Hoc figmentum ortum est ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut in speluncis manebant: qui cum exinde egrederentur, aut suam educerent sobolem, dicti sunt inde procreati.

NEQUE CULTUS ERAT. Id est nullam sui curam habebant. Alii ad animum referunt, ut Salustius, *Indoctis incultisque.* Alii ad morem, hoc est qui neque legibus aut imperio cujusquam regebantur, quia mos est lex quædam vivendi, nullo vinculo adstricta, hoc est lex non scripta. Sed hic *cultum*, legem, imperium, dictum volunt: Alii mores pro legibus; veluti, *Moresque viris & mœnia ponet*, & *Veterisque dei se more tenentem.*

COMPONERE OPES. Reservare, ordinare.

PARCERE PARTO. De die, inquit, vivebant, nec inventa servabant.

RAMI ATQUE ASPER VICTU VENATUS ALEBAT. Cognato quodammodo victu alebantur aut venatu montium aut arborum ramis: hinc enim ali debent ex arboribus nati.

PRIMUS. Quasi & alius venerit è cœlo, sed primus in Italiam venit AB ÆTHERIO VENIT SATURNUS OLYMPO. Hoc dicit secundum poëticum morem. Nam Saturnus rex fuit Cretæ, quem Iupiter filius bello pepulit. Hic fugiens ab Iano rege, qui urbem habuit ubi nunc Ianiculum est, susceptus est, qui regnabat in Italia: quem cum docuisset usum vinearum & falcis, & humaniorem victum, in partem est admissus imperii, & sibi oppidum fecit, sub clivo Capitolino ubi nunc ejus ædes videtur, qui postea suum repetivit imperium. Ex hoc & Saturnalia, ut essent memorialia vitæ quam Saturnus docuerat, qua die simili & promiscuo victu uruntur servi & liberi. Ideo autem in æde ipsius ærarium Saturni, quod ibi potissimum pecunia servaretur, eo quod illi maxime credatur.

IS GENUS INDOCILE. Pro indoctum. Nam *indocile* est quod penitus non potest doceri: *indoctum*, quod nondum didicit. Hos autem dicit esse compositos: unde apparet quia INDOCILE dixit pro indoctum. Hoc autem est quod dicit Cicero in primo Rhetoricorum, *Feros adhuc homines magnus cujusdam viri oratione compositos.*

VARIORUM.

OCULOS FERT OMNIA CIRCUM. Cælius lib. 3. cap. 28. HART.

EXQUIRITQUE AUDITQUE VIRUM. Macrob. lib. 6. cap. 2. Saturn.

TUM REX EUANDRUS. Excursus in narrationem, de Latii antiquitate, incolis, regibus, & fluminis ratione. Marlianus lib. 1. c. 2. de Vrbe.

HÆC NEMORA INDIGENÆ. Cur indigenæ, Turneb. lib. 7. cap. 14. & lib. 13. cap. 8.

DURO ROBORE NATA. Proverb. *Ex quercubus nati.* Homer. Odyss. τ. HART.

Digitized by Google

Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Secula. sic placida populos in pace regebat:
Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.
Tunc manus Ausonia, & gentes venêre Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Tybris;
A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.

SERVII.

LEGESQVE DEDIT. Atqui dixit, *Haud vinclo, nec legibus æquam.* sed intelligimus Saturnum dedisse leges, quibus adeo obtemperaverunt, ut jam ita per naturam sine legibus viverent. Hunc sane Deum & leges recipere & legibus præesse docet antiquitas, nam ideo & acceptæ à populo leges in ærario claudebantur, quoniam ærarium Saturno dicatum erat, ut hodieque ærarium Saturni dicitur. LATIVMQVE VOCARI MALVIT. Bene MALVIT. Nam & Saturnia dicta est: ut, *Et nomen posuit Saturnia tellus.* Et Virgilius *Latium* vult dici, quod illic Saturnus latuit fugiens Iovem Fabula nota est quod Saturnus filios suos de Ope genitos voraverit, cum audisset à filio se regno esse pellendum, & quod ei uxor nato Iove lapidem pro infante obtulerit devorandum. Varro autem Latium dici putat, *quod latet Italia inter juga Alpium & Apennini.* Quidam ferunt à Latino dictum Latium, alii ipsum Latinum, à Latio.

SIC PLACIDA POPVLOS IN PACE REGEBAT. Vt merito aurea secula crederentur.

DECOLOR ÆTAS. Vitiosa, quæ decoloraret veteres mores. In omni enim vitioso corpore inest pessimus color. Et alludit ad naturam metallorum, quam cernimus discolorem: nec immerito, supra enim dixerat *Aurea secula*: ideo nunc dixit *Ætas decolor*, id est aurea & ferrea, sicuti Hesiodus dicit. Sane *decolor ætas*, quis ante hunc?

TVNC MANVS AVSONIÆ. Omnes terræ habitatores, aut indigenæ, aut advenæ, aut convenæ, aut incolæ sunt; indigenæ sunt inde geniti, ut idem de Faunis dixit: advenæ de uno loco venientes: ut Saturnus. convenæ de diversis, ut Ausones & Sicani, quamvis quidam Ausones cognominatos ab Ausone Vlyxis & Circes filio dicant. Sicani autem secundum nonnullos populi sunt Hispaniæ à fluvio Sicori dicti. Lucanus. *Hesperios inter Sicoris non ultimus amnis.* Hi duce Siculo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt: & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam vero à ducis nomine dixerunt: quanquam Thucydides dicat de Sicilia Italum regem venisse, & ab eo esse Italiam appellatam. Alii sic distinguunt Sicanæ, & subjungunt, *Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.* Semel enim Sicani ex Hispania in Italiam venisse dicuntur; at Italia plura nomina habuit, dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia.

IMMANI CORPORE TYBRIS. Hic Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit: & ei nomen imposuit, vel ut quidam volunt à Glauco Minois regis filio occisus est. Alii volunt istum ipsum regem latrocinatum esse circa hujus fluminis ripas: & transeuntibus crebras injurias intulisse. Vnde Tybris quasi ὕβρις dictus est, ἀπὸ τῆς ὕβρεως, id est ab injuria. Nam amabant majores, ubi aspiratio erat, *t* ponere. Alii Tyberim Iani & Camaseuæ filium ibi in bello periisse tradunt: Varro Tyberim à Tyberino quodam rege Latinorum, quod ibi interierit dictum tradit. Alii, ut supra diximus, volunt eos qui de Sicilia venerunt, Tybrin dixisse à similitudine fossæ Syracusanæ, quam fecerunt per injuriam Afri & Athenienses juxta civitatis murum. Nam quod Livius dicit, ab Albano rege Tyberino Tybrin dictum, non procedit: ideo quia etiam ante Albam Tybris dictus invenitur. Sed hic Alexandrum sequitur, qui dicit Tyberinum Capeti filium venantem, in hunc fluvium cecidisse, & fluvio nomen dedisse. Nam & à Pontificibus indigitari solet.

POST ITALI. Etiam Evander se Italum dicit.

ALBVLA NOMEN. Antiquum hoc nomen à colore habuit.

VARIORVM.

LATIVMQVE VOCARI. Ovid. lib. 1. Fast. *Dicta fuit Latium terra latente deo.* Carrion. lib. 2. Emend. cap. 18.

ET GENTES VENERE SICANÆ. De his alibi dictum. At Dionysius tradit, Arcades omnium Græcorum primos, Ionio emenso, in Italiam colonos misisse. Hinc ajunt OEnotrum cum Aboriginibus, XVII ætates ante excidium Iliense, cum Peucetio fratre, classe in Italiam transmisisse. Iunioris Lycaonis is fuit filius, quintus à Phoroneo, qui omnium primus in Peloponneso regnarit, ut quidam prodidere. HORT.

ET NOMEN POSVIT. Deposuit. Etenim, ut in primo dictum est, pro temporum & locorum diversis rationibus, à novis colonis aut regibus, à quibus invicem pulsi fuere, nomen mutatum fuit, Italia, OEnotria, Ausonia, Hesperia, Saturnia, &c. HORT.

Me

Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His posuere locis: matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & deus author Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus, monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer Asylum

SERVII.

ME PVLSVM PATRIA. Aut, ut diximus supra, propter patricidium: aut certe oraculorum necessitate compulsum.

PELAGIQVE EXTREMA. Id est, aut per extrema pelagi actum: aut, ut dicunt quidam, per pelagus extrema sequentem. ut PELAGI adverbium sit, aut pro in pelago, aut pelagi pericula.

FORTVNA OMNIPOTENS, ET INELVCTABILE FATVM. Secundum Stoicos locutus est, qui nasci & mori fatis dant: media omnia, fortunæ. Nam vitæ humanæ incerta sunt omnia. unde ET miscuit, ut quasi plenum ostenderet dogma. Nam nihil tam contrarium est fato quam casus: sed secundum Stoïcos dixit. Alii *fortuna omnipotens*, propter fugam & exilium; *Ineluctabile fatum*, aut idcirco ut se sceleris & parricidii crimine purgaret.

EGERE. Coëgerunt, ut quasi ostendat initium.

CARMENTIS NYMPHÆ MONITA. Matris Euandri quæ Nicostrate dicta est. Sed ideo *Carmentis* appellata à suis, quod divinatione fata caneret, nam antique vates *Carmentes* dicebantur, unde etiam librarios qui eorum dicta perscriberent *Carmentanos* nuncupatos. Alii hujus comites Porrimam & Postvotam tradunt, quia vatibus & præterita & futura sunt nota. Alii etiam Tyburtem dictam. Nymphæ autem, maritæ dicit. Nam Græce νύμφη Latine sponsa dicitur. hæc autem non vere Nympha fuit, sed vaticinatrix. Alii Nympham ideo dictam, quoniam qui res Arcadum scripserunt, tradunt sex fœminas ibi fuisse quæ Nymphæ vocarentur, in queis & *Carmentem*; Proprio ergo vocabulo non Epitheto poëtico usus est. AVTHOR. Scilicet oraculorum.

MONSTRAT ET ARAM. Aut quam Euander matri fecit extinctæ: aut *aram* pro monumento, aut ideo *aram* quia ibi sepulta est, & post excessum dea credita: Hæc ara juxta portam, quæ primo à Carmente Carmentalis dicta est: post Scelerata à Fabiis CCC. sex, qui per ipsam in bellum profecti, non sunt reversi. VATIS FATIDICÆ. Bene addidit FATIDICÆ: Nam vatem & poëtam possumus intelligere. Vt solum, plenum non erat. Ergo tale est, ut illud in Salustio, *In tugurio mulieris ancillæ.* Non quia mulieris, statim & ancillæ; si autem ancillæ, statim & mulieris.

QVÆ PRIMA. Quia postea etiam Sibylla dixit.

NOBILE PALLANTEVM. Futurum scilicet, sicut & Æneadas, ad sequens enim Romanorum retulit tempus.

ASYLVM RETVLIT. Postquam Hercules migravit è terris, nepotes ejus timentes insidias eorum quos avus adflixerat Athenis, sibi primi Asylum, hoc est templum misericordiæ conlocarunt, unde nullus posset abduci, quod etiam Statius dicit, ut, *Herculeos fama fundasse nepotes.* ideo ergo ait, *Quem Romulus acer Asylum.*

DONATI.

ME PVLSVM. Non sua culpa patria caruisse, sed fatorum, demonstrat, quæ ut ipse dicit, sunt insuperabilia.

MATRIS. Nam & mater & dea, quæ contra pietatis meritum movere filium non posset.

CECINIT QVÆ PRIMA. Magnum argumentum quod dea fuerit & fatidica. Cum prima cecinerit Æneadas futuros magnos, & Pallanteum futurum nobile.

LVCVM. Qui postea à Romulo asyli nomen accepit.

VARIORVM.

PELAGIQVE EXTREMA SEQVENTEM. Me navigationem in longinquas & ultimas terras procul domo parantem: ut *pelagi extrema* audiamus extremas & longissime remotas ejus partes. Turneb. lib. 24 cap. 40.

FORTVNA OMNIPOTENS. Disserit de hoc loco Ioach. Camerarius problem. 9. Dec. 3. Macrobius. Saturn. lib. 5. cap. 16. Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 13. & ibidem Tiraquell.

FORTVNA. Causas impulsivas reddit quibus in Italiam venerit: seditione pulsus iniquitate fortunæ, necessitate fatali, & monitis matris fatidicæ Carmentis, atque adeo etiam ipsius Apollinis jussu. HORTENS.

CARMENTALEM PORTAM. Alexand. lib. 4. cap. 16. HART.

ASYLVM. Primum Cadmus, dum Thebas conderet asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine servi, aut liberi, ab omni pœna tuti erant. Post asylum Athenienses, de quo Servius, fuit in Rhæteo, Ajacis asylum aperuerunt. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 20.

Ret-

Rettulit) & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec non & sacri monstrat nemus Argileti:
Testaturque locum, & lethum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,

SERVII.

RETTULIT. Hoc est fecit ad imitationem Atheniensis Asyli: quod ideo Romulus fecit, ut haberet advenas plures, quibus conderet Romam. Iuvenalis, *Et tamen ut longe repetam, longeque revolvam Nomen, ab infami gentem deducis Asylo.* Sane hoc non ad Euandri personam adplicatur quod ipse Ædes retulerit. GELIDA MONSTRAT SUB RUPE LUPERCAL. Sub monte Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: unde *Lupercal* dictum nonnulli putant. Alii quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alii (quod est verius) locum esse hunc sacratum Pani deo Arcadiæ. Cui etiam mons Lycæus in Arcadia est consecratus. Et dictus Lycæus, quod lupos non sinat in oves sævire. Ergo ideo & Euander deo gentis suæ sacravit locum, & nominavit Lupercal, quod præsidio ipsius numinis, lupi à pecudibus arcerentur. Sunt qui dicant hunc Panem: Alii deum bellicosum: Alii Liberum patrem, eo quod capro ei fit divina res, qui est hostia Liberi propria. In hujus similitudinem intecti cultores ejus, cui Lupercalia instituta sunt, quia Deus pastoralis est: Nam Remum & Romulum ante urbem conditam Lupercalia celebrasse, quod quodam tempore nuntiatum illis sit latrones pecus illorum abigere, illos togis positis cucurrisse: cæsisque obviis pecus recuperasse, id in morem versum ut hodieque nudi currant. Nonnulli propter sterilitatem hoc sacrum dicunt à Romulo constitutum, ideoque & puellæ de loro capri cæduntur, ut careant sterilitate & fœcundæ sint, nam pellem ipsam capri veteres februm vocabant.

PARRHASIO DICTUM PANOS DE MORE LYCÆI. Ordo est, Monstrat Lupercal Panos Lycæi dictum de more Parrhasio, id est ostendit Lupercal Panos Lycæi dicatum ex more Arcadico. Nam Parrhasia, Arcadia est. DICTUM. Dicatum, consecratum.

PANOS LYCÆI. Hujus Panos, genitivus est Græcus. & *Panos Lycæi* sic dictum est, ut Iovis Olympici, Apollinis Delfici. SACRI MONSTRAT NEMUS ARGILETI. *Sacri*, execrabilis. Sine Argiletum, quasi argilletum multi volunt à pingui terra: alii à fabula. Nam Euander Argum quendam suscepit hospitio, qui eum de ejus cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Euandro hoc non sciente socii intellexerunt, & Argum necarunt. Cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacravit: non quod ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem in hac re Euander immoratur, & docet caussas ne apud hospitem veniat in suspicionem. Ergo Argiletum ab Argo illic sacrato & sepulto. Alii Argum occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus: Alii Danaen cum duobus filiis Argo & Argeo quos de Fineo habuit venisse in Italiam, & locum ubi nunc Roma est tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse. Alii Argiletanam portam appellari, quod eam Cassius Argillus sive fecerit sive refecerit, quod ibi Cassius post Argillus bello Punico primo sit interfectus ob turbulentam & seditiosam naturam. Alii quod Argillus Senator post Cannense prælium suaserit à Pœnis pacem postulari, ideo in Senatu carptum, domumque ejus dirutam & locum Argiletum appellatum. Quidam dicunt cum Capitolii, ubi nunc est, fundamenta jacerentur, caput humanum quod Olli diceretur, inventum, quo omine sollicitatos conditores, misisse ad Tusciam ad aruspicem illius temporis nominatum, qui jam indicaverat Argo filio suo, tributum fataliter esse, ut is locus orbi imperaret, in quo illud caput esset inventum. Obvii igitur Argo hi qui missi erant, ubinam esset pater interrogaverunt, qui cognita causa itineris eorum, omne responsum patris prodidit, monuitque ut caverent, ne ab eo interrogatione deciperentur: Sed cum Legati ad eum pervenissent, & de significatione inventi capitis quærerent, volens ille dominatum orbis patriæ suæ potius adscribere, interrogavit anne hic, suum locum ostendens, invenissent: Illis negantibus, suspicatus proditum esse responsum, quæsivit an quenquam obvium fecissent, illis simpliciter confitentibus occurrisse sibi juvenem, tunc auspex consenso equo sequutus Argum occidit eo loco ubi nunc Roma est, à cujus cæde Argiletum: Quamvis hæc historia etiam de alio nomine sæpe celebrata sit.

TESTATUR LOCUM. Iurat non sua culpa jura hospitii esse violata; vel in testimonium ducit nomen loci, vel detestatur.

TARPEIAM SEDEM. Prolepsis, duo hæc enim nomina postea monti indita sunt.

DONATI.

LUPERCAL. Unde luperci & lupercalia dicuntur.

ARGI. Qui ex hospite factus est inimicus: unde non erat pudendum, si hospitem talem interemisset, qui hospitalis religionis oblitus fuisset.

DUCIT. Ostendendo, non autem ambulando. nam senex ardua non ascendisset vespertino tempore.

VARIORUM.

MONSTRAT SUB RUPE LUPERCAL. Sacra Lupercalia Euander instituit. His sacris, juvenes Romani nudi canem & capram immolabant. Vide Gyrald. Syntag. 17

LUPERCAL. Alexand. lib. 6. cap. 11. & lib. 4. cap. 12. HART.

ARGILETI Alexand. lib. 2. c. 18. HART.

Aurea

Digitized by Google

Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam, saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc (inquit) frondoso vertice collem,
(Quis deus, incertum est) habitat deus. Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant,

SERVII.

AUREA NUNC. NUNC ad utrumque pertinet, & ad *aurea* & ad *Tarpejam sedem*. Nam Tarpeja sedes dicta est à Tarpeja virgine. cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpejo cuidam dedisset arcem tuendam, filia ejus Tarpeja aquatum profecta in hostes incidit: quam cum hortarentur ad proditionem arcis, illa pro præmio poposcit ornatum manuum sinistrarum, id est armillas. Facta itaque arcis proditione, hostes ingeniosa morte, promissa solverunt. Nam scuta, id est sinistrarum manuum ornatum, super illam jacientes, eam vita privarunt; quæ illic sepulta, Tarpejæ sedi nomen imposuit.

RELLIGIO. Id est metus, ab eo quod mentem religet dicta religio.

DIRA. Magna, admirabilis: ut, *An sua cuique deus fit dira cupido?* SAXUM. Sic appellatur Capitolium.

HOC NEMUS. Bene ubique NEMUS dixit. nam tunc ædificia non erant.

QUIS DEUS. Dubitando *quis deus*, adfirmat deum esse.

IPSUM CREDUNT SE VIDISSE IOVEM. In hoc scilicet nemore. Sane ad illud alludit quod primi dicuntur Iovi templa & rem divinam fecisse: Æacus enim primus in Arcadia templum constituisse dicitur: nec enim longe sunt à monte Olympico, unde eos dicit Iovem vidisse: & quod ipsi sunt προσέληνοι, id est ante Lunam creati, ut ait Statius, *Arcades astris, Lunaque priores.* licet dicat Saluft. Cretenses primos invenisse religionem: unde apud eos natus fingitur Iupiter.

ÆGIDA CONCUTERET. Hic distinguendum. nam ægida, id est pellem Amaltheæ capræ, à qua nutritus est, in sinistra Iupiter tenet. Sane Græci poëtæ turbines & procellas καταιγίδας appellant, quod hæc mota faciat tempestates. Ergo NIGRANTEM tempestatem commoventem. DEXTRA, NIMBOSQUE CIERET. Et de dextra fulmina commoveret. nam modo *nimbos*, pro fulminibus posuit, quæ dextra jacit. Ægidis autem concussio commovet pluvias. Ergo CONCUTERET ÆGIDA, atque per eam nimbos moveret.

DISJECTIS OPPIDA MURIS. Unum Iani, aliud Saturni, jam tunc vetusta.

MONIMENTA VIRORUM. Hoc sermone ostendit etiam Saturnum virum fuisse.

IANUS PATER. Ianus in Ianiculo habitavit, qui quod una navi exul venit, in pecunia ejus ex una parte Iani caput, ex altera navis signata est

DICTIS. Dubium nomen sit *dictus*, an participium.

PASSIMQUE ARMENTA VIDEBANT. Quæ post mortem Caci passim nullo timore vagabantur.

DONATI.

AD TECTA. Ut jam appropinquasse ostendat, non autem tecta, ne ingredi viderentur

VARIORUM.

RELLIGIO DIRA. δεισιδαιμονία. Religio sæpissime est horror, qui nos quasi religatos tenet. Vide Herald. in Arnob.

PAVIDOS TERREBAT AGRESTES. Iam tum, hoc est, quum esset locus ille humilis atque desertus, jam habuit numen, eratque illic, quod terreret accedentes, & his incuteret horrorem, maxime rusticanis, qui pavore naturali omnia metuunt, & universa formidant. DONATUS.

ÆGIDA CONCUTERET DEXTRA. Quod hic Servius ægida diphtheræ & caprinæ pelli tribuit, non satis Homer. versibus Il. o. convenire videtur; qui, ut hic Maro *ægida concutere*, οἷον αἰγίδα dixerat, prioribus & præcedentibus versibus de scuto locutus apertissime, à Vulcano Iovi cuso. Sonat etiam αἰγὶς quandoque procellam & venti vertiginem, ut eo loco infra monuimus, *Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma*: unde liquet ægida Iovi, Palladi variisque numinibus à Poëtis dari. GERMAN.

HANC IANUS PATER. De ejus nomine & forma, Rhodigin lib. 2 cap. 23. & lib. 23. cap. 11. Gyrald. Syntag. 4. Macrob. lib. 1 c. 7.

Digitized by Google

Romanoque foro, & lautis mugire Carinis.
Vt ventum ad sedes. Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit & angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit, stratisque locavit,

SERVII.

ROMANOQVE FORO. Romanum forum est, ubi nunc rostra sunt. Sed & hic prolepsin fecit, nam postea sic dictum est. LAVTIS MVGIRE CARINIS. Carinæ sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant circa templum Telluris. LAVTAS autem dixit, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est in lautis carinis. Alii dicunt Carinas montem nominatum, quod ager suburbanus ante portas Cariis erat. Alii lautia loca legatorum, quæ in ea regione instructa accipere consueverant. Alii quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus invidere & carinare solebat. *Carinare* autem est obtrectare. Ennius, *Contra carinantes, verba atque obscœna profatus.* Alibi, *Neque me decet hanc carinantibus edere chartis.* Alii quod Romani Sabinis instantibus fugientes, eruptione aquæ ferventis & ipsi liberati, & hostes ab insequendo repressi. *quia calida aqua lavandis vulneribus apta fuit, locus lautulus appellatus est.

VICTOR ALCIDES SVBIIT. Virg. hic jus pontificale quibusdam videtur subtiliter tangere, domus enim in qua Pontifex habitat regia dicitur, quod in ea rex sacrificulus habitare consuesset, sicut flaminia domus in qua flamen habitat dicebatur, quod hic ostendit ex persona Euandri, quem facit orantem, ut Æneas suam ingrederetur domum, non utique profanam, sed sacratam, scilicet quæ fuerit hospitium Herculis, illis versibus, *Hæc inquit limina victor Alcides subiit hæc illum regia cæpit*, quem etiam honore divinæ dignationis sociat, adjiciens: *Aude hospes contemnere opes & te quoque dignum Finge deo*: hæc enim dicendo quid aliud agit, quam ut sacratæ religionis usum tribuat antisti * divina communia, utpote quem etiam Pontificali honore nuncupaverat, dicens: *Maxime Teucrorum ductor*, neque enim quia ductor eo maximus, sed quia maximus eo omnia * regiæ autem verius meminit dicendo; *Tecta subibant Pauperis Euandri, Romanoque foro*, quis enim ignorat regiam ubi Numa habitaverit in radicibus palatii, finibusque Romani fori esse? Victor autem Alcides Subiit εὐφημικῶς, id est bonum Æneæ omen ostenditur, Varro enim divinarum Lib. IV. victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium decies vicerit: Sed Romæ, victoris Herculis ædes duæ sunt, una ad portam trigeminam, altera ad forum boarium, cujus commenti causa hæc exponitur: Marcus Octavius Hersennus in prima adolescentia tibicen, postquam arti suæ diffisus est, mercaturam instituit, bene re gesta decimam Herculi dicavit, postea cum navigans hoc idem ageret à prædonibus circumventus fortissime pugnavit & victor recessit, quem insomnis Hercules docuit sua opera servatum, cui Octavius impetrato à magistratibus loco, ædem cum signo sacravit, & victorem incisis litteris appellavit. Ergo Virgilium non tantum ad victoriam præsentem victorem dixisse, sed occulte perpetuo ejus Epitheto usum debemus accipere, quippe quem Romæ sub hoc nomine sacratum coli videbat, nam supra ait, *Taurosque hac victor agebat*, cum de pugna ejus alia loqueretur. Sane hic SVBIIT juxta usum præsentem accusativo junxit, cum antiquo more alibi dativo junxerit, ut *Progressi subeunt luco.* CEPIT. Mire dixit, ut alibi, *Nec te Troja capit.*

AVDE HOSPES CONTEMNERE OPES. Bene AVDE, quasi rem arduam & difficilem, tanquam virtute opus sit animi & ad expellendum amorem divitiarum. DIGNVM FINGE DEO. Compone te & forma in similitudinem numinis: quod juxta sectam cynicam hospes Herculis suadet: Sane quidam DEO, pro immortalitate dictum volunt.

NON ASPER. Non aspernator, id est fastidiosus.

ANGVSTI SVBTER FASTIGIA TECTI INGENTEM ÆNEAM DVXIT. Ex contrarietate quæsitus ornatus, ait enim, *Angusti tecti subter fastigia ingentem Æneam duxit.*

DONATI.

REGIA. Quæcunque domus, modo à rege habitetur, regia jure dicitur.

AVDE HOSPES. Multum tribuit Æneæ, cum Herculi comparet.

REBVSQVE VENI NON ASPER EGENIS. Id est, ne aspere veni rebus egenus. Sum quidem pauper (cui & si copia desit, aliquantæ tamen substantiæ sunt) sed non sum egenis, ille enim in miseriis est & egestate. Ergo non bis repetendum.

VARIORVM.

ROMANOQVE FORO. De foris Romanis & externis, vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 12.

LIMINA VICTOR ALCIDES. Macrob. lib. 3. cap 6. Saturn.

AVDE HOSPES. In animum tuum quasi rem arduam fortiter inducito ac sustineto, ut ait Turneb. libro 28. capito 8. Nempe qui συμπλοκὴν & ἀπληστίαν virtutem constituerunt, partem quoque μεγαλοψυχίας in contemptu divitiarum posuerunt. GERMAN.

REBVSQVE VENI NON ASPER EGENIS. De antiquorum frugali & parco victu, multa Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Effultum foliis & pelle Libystidis ursæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur; thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum aspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita, casurasque inimicis ignibus arces;
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis, opisque tuæ: nec te, charissime conjux,
Incassumve tuos volui exercere labores.

SERVII.

EFFVLTVM. Sicut supra dictum est, apud veteres dicebatur super quod unusquisque jacuisset. PELLE LIBYSTIDIS VRSÆ. Species pro genere. nam cujuslibet feræ possumus accipere. Ideo dicit *Libystidis*, ut ex pretio bestiæ aliquid gratiæ potuisset ipsis stratis accedere.

EXTERRITA MATER. Ideo territa, quia mater. TVMVLTV. Gallicus tumultus.

DICTIS DIVINVM ASPIRAT AMOREM. Id est dictis suis addit venustatem, ut amabiliter ejus audiatur oratio. Sane Venus petitura pro filio de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit: quod etiam Vulcanus ipse testatur dicens, *quid caussas petis ex alto*? Non enim aperta est petitio ejus: sed longo prooemio perversum amorem arte circumvenit. Præsentem ergo quæstionem hanc, quæ nascitur ex petitione Veneris impudica, solvimus his modis: Primo quod Vulcanum amore circunvenit: nam & post completam orationem statim eum complectitur & molli amplexu fovet: Deinde nacta est ejus occasionem temporis, quo Marti arma faciebat, quem fuisse sciebat adulterum: per quod datur intelligi, Vulcanum jam omnem suspicionem & iram, quam habuit circa Venerem, deposuisse, adeo ut arma etiam ipsi fabricaret adultero. præterea Vulcanum uxorium fuisse testantur, & ipse Virgilius dicens, *Tunc pater æterno fatur devinctus amore.* Et Statius, ubi Martem Venus adloquitur; ut, *At non eadem Vulcania nobis Obsequia, & læsi servit tamen ira mariti.* Nam quod dicit Donatus potuisse fieri, ut cum Anchisa concumberet Venus ante quam Vulcano nuberet, non procedit. Constat enim à principio Venerem uxorem fuisse Vulcani. Sane divinum τὸ θεῖον debemus accipere.

DVM BELLO ARGOLICI. *Dum* postquam. Sane hæc oratio rhetorica suasio est, nam principium à verecundia sumpsit, dicendo enim nunquam se molestam antea fuisse, ostendit impetrare debere, præsertim ex eo quod non timuerit petere. NVNC IOVIS IMPERIO RVTVLORVM CONSTITIT ORIS: ERGO EADEM SVPPLEX VENIO. Hæc non tantum rogandi, sed etiam impetrandi vim habent, verso tamen ordine; nam primo arma petit, deinde adjuvat exemplo dicendo, *Te filia Nerei* &c. deinde causam, *Aspice qui coëant populi.* Ipsum enim POPVLI multitudinem significat, & quasi non impugnet, sed impugnetur Æneas, ita pathos fecit dicens, *In me excidiumque meorum*: nam quod à principio arma petit, hæc ratio est, quod rem nec magnam, nec difficilem Vulcano petebat, ideo & statim posuit, nam ubi majus aliquid est, ante causa dicenda est, ut præmollitis animis, tunc quod petitur, suggeratur.

DEBITA. Fataliter ad exitium destinata. CASVRASQVE INIMICIS IGNIBVS ARCES. Causa cur non petierit.

MISERIS. Atqui honestum est miseris subvenire: sed hoc dicit, cur te fatigarem pro hominibus fati necessitate perituris;

ARMA ROGAVI. Argute hic in principio *arma* nominat, ut jam intelligatur quid petitura sit.

ARTIS OPISQVE TVÆ. Duo duobus reddit, opis *arma*: aut certe idem valet *opus* quod *artis*, hinc opifices.

INCASSVMVE TVOS. Ordo est, tuosve labores incassum exercere volui.

DONATI.

LIBYSTIDIS VRSÆ. Vt ex precio bestiæ, aliquid gratiæ illi strato adderet.

VVLCANVM ALLOQVITVR. Tantum habens spei, quantum uxor de viro concipere debet: & tantum desperationis, quantum odium inter vitricum & privignum esse consuevit. Ergo illum fraude adoritur. THALAMO. Vt inter secreta lectuli extorqueret, quod ille nollet.

DIVINVM. Quem humanis pectoribus dono inserere consuevit. Nam amor, qui est ex voluntate nostra, humanus est.

VARIORVM.

NOX RVIT ET FVSCIS. Transitio à rebus humanis in colloquium Vulcani ac Veneris deorum. Imitatus hoc loco est Homerum Iliad. ξ. qui Iunonem inducit κεκοσμημένην, varioque ornatu & mundo muliebri instructam uxoriis illecebris mariti animum tentantem & periclitantem. GERM.

DVM BELLO ARGOLICI. Petitoria oratio generis deliberativi. HORT.

Quamvis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem,
Nunc Iovis imperio Rutulorum constitit oris,
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. te filia Nerei,
Te potuit lachrymis Tithonia flectere conjux.
Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum.
Dixerat, & niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet: ille repente
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor, & labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco

SERVII.

PRIAMI DEB. PLVR. NATIS. Scimus quod Paridi tantum debuit: sed hoc honestius ad aliarum commemorationem personarum adduci potest, ne ex turpi caussa Paridi debuisse videatur, & simul, ut quidam tradunt pulchritudinis suæ Vulcanum admoneret, hoc est formæ judicio Iovis conjugem vici.

ÆNEÆ FLEVISSEM SÆPE LABOREM. Bene post Pergama, post Trojanos, post Priami liberos, cum excusatione fit Æneæ commemoratio: Dicit enim se ejus infelicitate commotam, ut illud causas habeat, hoc miseratione consistat.

IOVIS IMPERIO. Id est nunc vero, & subdistingue, nunc autem Iovis imperio, ne videatur impudens, si aliena regna deposceret: & hoc latenter dicere videtur, Fave huic, cui etiam Iupiter favet.

EADEM. Quæ nunc scilicet silui, quæ nihil petii. SANCTVM MIHI NVMEN. Si sanctum simpliciter accipiatur, leve est numen, Ergo *sanctum*, ut leges sanctas dicimus, id est firmas à sanciendo.

ARMA ROGO. Hic distinguendum, ut cui petat, non dicat: sed relinquat intelligi, ne fœde apud maritum & amorem suum circa Anchisem memoret & susceptum de adulterio filium.

GENITRIX NATO TE FILIA NEREI. Hoc est soles hoc præstare matribus, & dicit Thetidem quæ Achilli arma impetravit. Et bonis utitur comparationibus dicendo *filia Nerei*, cum ipsa Iovis sit filia. Item uxor Tithonia, cum sit ipsa Vulcani. NERI. autem, pro Nerei. Omnia enim quæ in EVS exeunt hodie, apud majores in ES exibant: ut Nereus Neres: Tydeus Tydes: & genitivum in EIS mittebant, ut, Tydeis Nereis. Sed quia plerumque s supra in Latinitate detrahitur, remanebat EI. Hinc est filia Neri, Immitis Achilli. Item in Sallustio, *Ad bellum Persi Macedonicum.*

TITHONIA CONIVX. Aurora pro Memnone.

ASPICE QVI COEANT POPVLI. τὸ ἄικει. ut præsentem ostenderet necessitatem, dicendo autem *populi*, phantasiam fecit. CLAVSIS FERRVM ACVANT PORTIS. Vt ostenderet festinationem, dixit enim superius, *Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes Tela novant.* IN ME. Artificiosè arma petit etiam sibi profutura: Nisi enim subvenis, iterum vulnerabor. Nam à Græcis fuerat vulnerata. Vnde est, *Equidem credo mea vulnera restant.*

CVNCTANTEM. Scilicet de promissione, quam per amplexum suum immisso amore persolvit.

ACCEPIT SOLITAM FLAMMAM. Vel quasi maritus, vel alludit ad rem naturalem. Namque ideo Vulcanus maritus fingitur Veneris, quod Venerium officium non nisi calore consistit. Vnde est, *Frigidus in Venerem senior.*

LABEFACTA PER OSSA. Si ossa labefecit, quanto magis animum?

ATQVE OLIM. Fere ut solet. nam non est adverbium temporis.

DONATI.

PRIAMI NATIS. De Creusa maxime intelligit laborat autem ut verecunde videatur petere, ne mariti auxilium inaniter rogaret in rebus, quæ removeri non possent.

EADEM Quæ tacui.

GENITRIX NATO. Majorem miserationem movet nominibus necessitudinum, quam movisset nominibus propriis.

IN ME. Iunxit personam suam, ut magis moveret.

ACCEPIT SOLITAM FLAMMAM. Ostendit plus profuisse, loci temporis & personæ observationem quam verba.

VARIORVM.

ARMA ROGO. Propositio petitionis verecunda.

NON SECVS ATQVE OLIM. Comparatione ostendit, quo pacto calor amoris per ossa Vulcani serpsit. HORT.

CVM RVPTA CORVSCO. Credo autem circumscribi à Poëta ea fulgura, quæ à Lucretio, *micantia*, ut supra: vibratus ab æthere fulgor. GERMAN.

Ignea

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis, & formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore;
Quid causas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi diva mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro:
Quantum ignes animæque valent, absiste precando,

SERVII.

IGNEA RIMA MICANS. Id est fulmen, cujus naturam expressit. Namque nubes vento coactæ plerumque rumpuntur, & ex se fulmen emittunt. Quamvis philosophi fulgura & tonitrua simul exprimi dicant. Sed illud celerius videtur, quia clarum est, tonitrua autem ad aures tardius pervenire. Alii RIMA MICANS, Fulgetram dicunt, ex hoc ad velocitatem amoris, qui momento Vulcanum percussit.

FORMÆ CONSCIA CONIVX. Intellexit se sola pulchritudine pervertisse mentem mariti. Alii duabus rebus Venerem volunt maritum adgressum, dolis & pulchritudine; & volunt melius, *dolis & formæ conscia*, quam læta; & *formæ* melius dativo casu quam genitivo.

DEVINCTVS. Hoc sermone ostendit eum posse cuncta concedere.

EX ALTO. Mirum & hoc libenter, & olim de promittentis * & utitur argumentatione longe repetita. Est autem de usu dictum, Cicero primo libro ad Brutum, *Si Pompejus non ex alto peteret, & multis verbis me jam hortaretur.*

TVM QVOQVE. Sicut nunc, & tunc quoque bis audiendum. TEVCROS ARMARE FVISSET. Per *Teucros* Ænean debemus accipere, quia Venus ante ait, *Arma rogo*, & subjungendo *Genitrix nato*, per similitudinem significat Ænean. Ergo Poëta aliud dicendo, aliud dedit intelligi. Sane fuisset in proximo repetitum decorem addidit. *

NEC PATER OMNIPOTENS. Notandum quod hic Iovem à fatis separet, cum alibi jungat, ut, *Sic fata deûm rex Sortitur.* Sed hanc imminentium malorum dilationem Etrusci libri, primo loco à Iove dicunt posse impetrari, postea fatis, unde & hic sic ait, *Nec pater omnipotens, nec fata vetabant*, NEC FATA VETABANT STARE. Atqui supra ait, *debita.* Sed sciendum secundum aruspicinæ libros & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri. Ergo non est contrarium. nam fata differuntur tantum, nunquam penitus immutantur: Quod etiam Iuno dicit, ut, *Atque immota manet fatis Lavinia conjux, Atque trahere atque moram tantis licet addere rebus.*

SI BELLARE PARAS. Quia dixerat *In me excidiumque meorum.* Quidam hunc sensum illi jungunt, *absiste precando Viribus indubitare tuis*, cætera enim per parenthesin dicta sunt.

POSSVM PROMITTERE CVRÆ. Quicquid in me curæ est, id est, officii & sollicitudinis.

LIQVIDO ELECTRO. Aut liquefacto aut puro: & secundum Plinium in naturali historia, sunt tria electri genera: unum ex arboribus, quod succinum dicitur: aliud quod naturaliter invenitur: tertium quod fit de tribus partibus auri & una argenti; quas partes etiam si naturam resolvas, invenies. Vnde errant qui dicunt melius esse naturale. Electri autem natura probatur veneno, quo recepto & stridorem emittit, & varios ad similitudinem arcus cœlestis reddit colores. Et ad lumina in convivio clarius auro & argento lucent.

DONATI.

PATER. Qui loco patris Æneæ esset profuturus. QVID CAVSAS? Ita loquitur, quasi non ipse esset, qui paulo ante cunctabatur. EX ALTO. Longa circuitione verborum.

NEC PATER OMNIPOTENS. Non posse penitus subverti, sed posse differri fata, ostendit Poëta.

FERRO. Ad robur pertinet. ELECTRO. Ad pulchritudinem. Sed armorum splendor vehementer arcet hostes. ANIMÆ. Venti quibus ignis animatur.

VARIORVM.

ÆTERNO DEVINCTVS AMORE. Æternum pro magno, atque adeo immenso posuit Maro. Et Curtius lib 4. fere eodem modo scripsit: Ablue corpus illuvie, æternisque sordibus squalidum. Turneb. lib. 13. cap. 8.

LIQVIDOQVE POTEST ELECTRO. Turpissimum mendum in hoc versu inhæserat, nam cum legeretur ante POTESTVR, ex vetustissimo volumine bibliothecæ Vaticanæ Politian. Miscell. cap. 71. emendavit POTEST. Quæ etiam verior lectio vel inde probatur, quod electrum ubique in prima syllaba longum, tam apud Græcos ponitur, quam apud nostros. HENR. STEPHAN. de delectu Virgil. lection. & Ang. Politian. cap. 71. Miscell.

Viribus indubitare tuis. ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum: cum fœmina primum,
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes;
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos:

SERVII.

ANIMÆQVE VALENT. Fabrica Vulcani duobus constat, ventis, & flatu, hic ergo animæ pro spiritu quo fabriles folles inflari solent, id est venti, ἀπὸ τῶν ἀνέμων. Horatius, *Impellant animæ lintea Thraciæ.* Vnde anima dicitur, quæ secundum aliquos ventus est. ut, *Atque in ventos vita recessit.*

EA VERBA LOCVTVS. Quidam humiliter dictum accipiunt. PRECANDO VIRIBVS INDVBITARE TVIS. Id est dubitare. nam IN vacat, & hoc dicit, Precum nimietas, postulationis significat dubitationem. Sane *indubitare* quis ante hunc?

CONIVGIS INFVSVS GREMIO. Hoc est, ante concubuit, & sic quievit. Probus vero & Carminius propter sensum cacephaton, *infusum* legunt, ut sit sensus, Dormiit cum conjuge dormiente, id est, petiit soporem infusum, etiam conjugis è gremio. Alii *infusus* legunt, ut significetur coisse illos, & sic sopitos, & volunt esse emphasin coitus, nam *infusum gremio soporem* nihil esse dicunt: multi autem cacephaton accipiunt; ne duo epitheta videantur, *placidum* & *infusum*: Alii figurate accipiunt *placidum per membra*, pro eo quod est placidum membris. ET PER MEMBRA. Potest ambiguum videri, Vulcani an Veneris.

CVRRICVLO. Tempore modo: alias loco, alias officio. Cicero in oratore, pro loci spatio. *Hæc sunt curricula ac spatia multiplicium variorumque verborum*: Et multi sic distinguunt. *Inde ubi prima quies medio jam noctis abactæ Curriculo expulerat somnum, cum fœmina primam Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva impositum.* nam quies curriculo expulerat somnum cum pene nihil est: quid enim est quies, nisi somnus? aut ut sit aliquid, non est abstemia matrona illa dum surgit, quia est tiata* maxime, aut *tolerare colo vitam, tenuique Minerva Impositum*: Et hic distinguitur, quid enim est *Impositum cinerem?* cum illud sit pulchrius, cui castitas imposuit lanificio tolerare vitam, ut sequatur *Cinerem & sopitos suscitat ignes*, ut alibi, *Et sopitas ignibus aras Excitat.*

COLO. Hunc sequimur: nam hujus coli dicimus, non ut Statius, hujus colus. TENVIQVE MINERVA. Non filo tenui, id est subtili artificio, sed parvo pretio lanificii, id est tenuiter & exiliter victum præbente. Et alii hic distinguunt, & subaudiunt *mos est*, aut, *placet*: ut sit sensus, *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva mos est*, vel *placet*: & sic inferunt: *Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes.* Vt econtra Horatius, *Incedis per ignes suppositos cineri doloso.* Alii sic legunt, *Tenuique Minerva Impositum*: quasi fato datum, hoc est cui hæc est fataliter data necessitas.

NOCTEM ADDENS OPERI. Per transitum ostendit noctem esse partem diei.

EXERCET PENSO. Fatigat. Terentius, *Primo hæc vitam parce, ac duriter agebat.* Hinc ergo traxit Virgilius ut diceret, *Castum ut servare cubile Conjugis*, id est, ne cogatur propter paupertatem pudorem deserere.

DONATI.

GREMIO. Intelligimus *gremium*, non solum sedentis sinum, verum etiam quicquid homini ad requiem præstiterit locum. ita alibi. *Et fotum gremio dea tollit in altum.*

FAMVLAS. Pro manibus accipiamus, quibus vice famularum utuntur pauperiores, quibus ad comparandas famulas pecunia non est.

VARIORVM.

OPTATOS DEDIT AMPLEXVS. Notandum Virgilium, quem à Virginali verecundia non temere nomen sortitum dicunt; non modo αἰσχρουργίας inquinamenta procul à se habuisse; sed & vitandæ αἰσχρολογίας studiosissimum fuisse, resque inhonestas magna religione & pudore honeste semper extulisse. GERMAN.

CONIVGIS INFVSVS GREMIO. Iac. Nic. Loensis Epiphyll. 2. cap. 16.

CVI TOLERARE COLO. Pro lanificii arte non quæstuosa: Turneb. lib. 11. cap. 22. & lib. 26. cap 29. Alexand. lib 4. cap. 8.

CVI TOLERARE COLO VITAM. Notanda hujus verbi vis, quæ parcum victum, & plus inopiæ quam copiæ significat, qualis sæpe sub *tolerandi* vocabulo à Lucretio tenuitas, & parsimonia innuitur. Mulieres autem colo & manu victum quærentes Græci χερνῆτας vel χερνήτιδας vocant. Tolerandi autem verbo respondere videtur & illud Græcorum διαπονεῖν. GERMAN.

Hand

Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
415 *Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.*
Insula Sicanium juxta latus, Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
420 *Auditi referunt gemitum; striduntque cavernis*
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro;
425 *Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.*
His informatum manibus, jam parte polita

SERVII.

IGNIPOTENS. Vulcanus, ut diximus ignis est, & dictus Vulcanus quasi Volicanus, quod per aërem volet. Ignis enim è nubibus nascitur. Vnde etiam Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit: quod quia crebro in Lemnum Insulam jacitur; ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis. NEC TEMPORE SEGNIOR ILLO. Bene comparationis similitudini duo reddidit, festinationem & industriam. AD FABRILIA SURGIT. Dura & contrariis epithetis fecit ornatum, dicens, Mollibus è stratis surrexit ad opera fabrilia.

INSULA SICANIUM JUXTA LATUS, ÆOLIAMQUE ERIGITUR LIPAREM. Physiologia est cur Vulcanus in his locis officinam habere fingatur inter Ætnam & Liparen, scilicet propter ignem & ventos quæ apta sunt fabris. Æoliam autem Liparen ideo, quia una est de illis septem insulis, quibus Æolus imperavit.

EXESA CAMINIS. Exesa ad usum caminorum qui sunt Cyclopum, an *caminus exesa* pro ignibus exesa?

ANTRA ÆTNÆA TO. Magnitudinem ictuum ostendit, quibus etiam vicini montes resultabant: aut certe *Ætnea* quasi Ætnæ dixit.

AUDITI REFERUNT GE. Et hoc breviter significavit, id est referentes gemitus audiuntur non enim prius audiuntur, & postea referunt gemitus: potest & bis intelligi, audire eos primum cum eduntur, postea per Echo cum venerunt in eos locos, ex quibus repulsi vocis imaginem referunt.

STRICTURÆ CHALYBUM. Strictura est terra ferri in massam coacta. Chalybes autem proprie populi sunt, apud quos nascitur ferrum: ut ipse. *At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea.* unde modo Chalybum posuit stricturas, pro ferri massis.

HOC TUNC. Id est huc tum: & HOC pro HUC posuit secundum antiquum morem. Nam anteà HOC, adverbium loci fuit, quod nunc abolevit. Nam & illo in antiquis lectionibus invenitur sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens in adverbiis pro *u*, *o* plerunque majores ponere consuetos: & sic pro HUC, HOC veteres dicere solebant: sicut pro ILLUC, ILLO dicimus. Vnde etiam HOC, o longum esse apparet, sicut ILLO quod pro ILLUC ponitur.

FERRUM EXERCEBANT. Œconomia.

BRONTESQUE. Quid facturi sint ex nominibus docet. Nam BRONTES à tonitru dictus est, ἀπὸ τῆς βροντῆς. STEROPES. A fulgetra, ἀπὸ τῆς στεροπῆς. PYRACMON vero, qui nunquam à calenti incude discedit, ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ἄκμονος. Nam πῦρ ignis est, ἄκμων incus. NUDUS MEMBRA. Per hunc etiam cæteros nudos fuisse significat.

INFORMATUM. In quandam formam designatum & compositum. Dicit autem in fulmine partem non perfectam, partem jam politam fuisse. MANIBUS. Deest *In*, ut sit in manibus.

VARIORUM.

INSULA SICANIUM. Insula Hiera dicitur. Turn. 26. c. 29.

STRICTURÆ CHALYBUM. Pro massis & laminis ferri. Turneb. lib. 25. cap. 14.

HIS INFORMATUM MANIBUS. Non oportet hic (ut quidam faciunt) *informatum* accipere rude & omnino sine forma, quasi particula IN privandi vim haberet; sed ὑπογραφὴν ὑποτυπωτικὴν. Cum *informare* sit aut pictoriæ, aut statuariæ vocabulum, primam & rudem operi formam inductam significans. Scilicet & informatio σκιαγραφία, & per translationem imperfecta & rudis notio, à natura primum animo impressa, quam Cicero anticipationem & πρόληψιν vocat. GERMAN.

HIS INFORMATUM. Lepidum commentum ad subjiciendam fidem Vulcani, & præcipitantiam in cudendis armis. Et delectandi gratia, hypotyposi subjicit, quibus operibus fuerint intenti Vulcani ministri. HORTENS.

Ful-

Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras: pars imperfecta manebat.
Treis imbris torti radios, treis nubis aquosæ
Addiderant; Rutuli treis ignis, & alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant: quibus ille viros quibus excitat urbes:
Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,

SERVII.

TOT GENITOR QVÆ PLVRIMA COELO. Toto cœlo, id est ab omni parte cœli. Nam dicunt physici de sexdecim partibus cœli jaci fulmina. QVÆ autem, pro qualia: ut, *Hunc ego te Euryale aspicio,* id est talem. Ergo hoc dicit, Faciebant fulmen in eorum similitudinem, quæ Iupiter jacit toto cœlo, hoc est diversis partibus cœli, scilicet sexdecim.

DEIICIT. Quibusdam videtur humiliter dictum: alii *de*, pro valde accipiunt, sicut diximus deamo pro valde amo.

TREIS IMBRIS TORTI RADIOS. Constricti & coacti in grandinem. Statius, *Sicco quos asper hiatu Præsolidat Boreas.* Et sciendum hoc eum velle ostendere, toto anno jaci fulmen. nam per has periphrases, tempora ostendit anni totius, quæ & quatuor esse & ternos menses habere manifestum est. Vnde est, *Treis imbris torti radios*: hoc est grandinis, quæ abundat per hyemem. TREIS NVBIS AQVOSÆ. Hoc est veris, quo tempore nimiæ sunt pluviæ: ut, *Et ruit imbriferum ver.*

RVTVLI TREIS IGNIS. Hoc est æstatis. ET ALITIS AVSTRI. Id est Autumni, quo ventorum crebra sunt flamina. Et prudenter his omnibus naturam exprimit fulminis: quod necesse est ut per nubes nascatur & ventos. Nam alibi ait, *Fulminis adflavit ventis & contigit igni*, & bene in materiam fulminis ventis vehementer agitatæ sunt, sic incalescunt ut accendantur: Sane fulmen triplici præditum potestate est: Est ostentatorium, peremptorium, præsagum: *ostentatorium* est quo terror incutitur, ut, *Fulgores nunc horrificos, sonitumque metumque.* At cum dicit, *Flammisque sequacibus iras,* Peremptorium docet. Præsagi autem sic meminit, *Tertius ille hominum divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.* Nonnulli vero manubias fulminis, his numinibus, id est Iovi, Iunoni, Marti, & Austro vento adserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit, *Tris imbris torti radios*, Iovem significasse intelligitur; cum autem *Rutuli tris ignis*, Martem, & sic adjectum *Alitis* * austri ventis. Alii ideo ternorum radiorum volunt mentionem factam, quia fulmen ni* trisulcum est: aut enim gerebat incenditur, aut diselina * *& imbris torti radios*, pro tortos radios torti autem clementis, & hoc verbo frequenter utitur, quotiens vim aliquam vult exprimere, ut *Torquet aquosam hyemem*, & *An te genitor, cum fulmina torques.*

FVLGORES NVNC TERRIFICOS. Quas fulgetras dicunt. SONITVMQVE METVMQVE. Non quem habeant, sed quem inferant, & per SONITVM, tonitrua ostendit: per METVM, fulgetras. Et hunc ordinem sic posuit ut hominibus videtur. Nam revera prior est conlisio nubium, unde ignis emanat. Nos autem ideo prius fulgetras videmus quam tonitrua audimus quia velocior oculorum, quam aurium sensus.

SEQVACIBVS. Persecutricibus, quoniam rapax natura ignis est, & ordo est, *Irasque flammis sequacibus.*

CVRRVMQVE ROTASQVE. Nova locutio currum & rotas instabant: Nec nos moveat, quod in domo Vulcani Marti currus fabricatur, eo enim absente fabricabatur.

ÆGIDAQVE HORRIFERVM. *Ægis* proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, *Ægis* vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, *lorica* dicitur. TVRBATÆ. Vel concitatæ & iratæ, vel turbantis. Nam timuit Homœoteleuton, & fecit supinam significationem. Alii ab fabulam referunt, quia dicitur in bello Gigantum arma perdidisse turbata, ut quasi ipsa nunc reparet, cujus dicti nullus auctor invenitur idoneus.

SQVAMIS SERPENTVM AVROQVE POLIBANT. Ægida horriferam aureis squamis serpentum certatim polibant. Alii volunt revera de corio serpentum dicere eum arma esse levigata.

VARIORVM

FVLMEN, QVÆ PLVRIMA CÆLO. Non semper Poëtæ reddunt sequentia præcedentibus κατὰ λέξιν, neque antecedentibus relativa, aut numeros numeris, ad circinum canonemque Grammaticum, sed non tam verbis, quam sententiæ insistunt. Hæc enim vocum continentia *quæ plurima*, respondet illi Græcorum poëtarum, οἷά τε πολλὰ. GERHAN.

TRES IMBRIS TORTI. Trisulcum Iovis fulmen pingebatur. Turneb. lib. 26. cap. 29.

TVRBATÆ PALLADIS. Id est ad bella concitatæ. Turneb. lib. 26. cap. 29. contra Servium.

Con-

Digitized by Google

Connexosque angueis, ipsamque in pectore divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores
Ætnæi Cyclopes, & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra:
Præcipitate moras. nec plura effatus: at illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti. fluit æs rivis auríque metallum,
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum septenosque orbibus orbes
Impediunt. alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii stridentia tingunt

SERVII.

CONNEXOSQUE ANGUES. Gorgonis scillicet capiti. DESECTO VERTENTEM LUMINA COLLO. An sua lumina circunferentem, & mortis indignatione quærentem, quorum se interitu posset ulcisci. Aut certe intuentum lumina in saxa vertentem. Aut horrore suo aliorum oculos avertentem, ne cum periculo videretur. Hoc autem caput ideo Minerva fingitur habere in pectore, quod illic est omnis prudentia quæ confundit alios, & imperitos ac saxeos comprobat. IPSAMQUE IN PECTORE DIVÆ. Hoc est quæ in pectore ponatur.

DESECTO VERTENTEM. Quomodo *vertentem*? Id est secto collo non sua lumina vertentem, sed immutantem eorum faciem qui hanc vidissent: aut *vertentem* dixit, lumina adversa habentem, ut habuit cum secaretur ei collum, & quæreret aspectibus vindicari.

TOLLITE CUNCTA, INQUIT. Vile est quod plerique dicunt, propter arma Martis iratum esse Vulcanum, præsertim cum & arment Minervam & fabricent fulmina Cyclopes: & Vulcanus dixerit, *Cuncta tollite.* Ergo TOLLITE, aut differte est, aut celerius terminate. CŒPTOSQUE AUFERTE LABORES. Quia dixerat, *His informatum manibus jam parte polita Fulmen erat.*

ÆTNEI CYCLOPES. Ut *Ætneos fratres.*

NUNC VIRIBUS USUS. Hoc est, nunc est vestrarum virium exercitium, id est tempus est exercendæ virtutis circa arma viri fortis. Et sic dictum est, ut dicimus opus est viribus: & hoc quidam non ad difficultatem operis, sed ad celeritatem referunt.

RAPIDIS. Latis. ARTE MAGISTRA. Ambitiosius quam si dixisset *magistri*, & rem personæ in artem transtulit: ut si dicas, opus est peritia medicinæ, non medici.

PRÆCIPITATE MORAS. Præcipitanter, id est festinanter abjicite. NEC PLURA EFFATUS. Sicut festinantem decebat.

OCIUS INCUBUERE. Quam ille præceperat. PARITER. Pari modo dicitur, & pro similiter & pro simul.

SORTITI. Diviserunt inter se laboris officium: ut, *Sortiti remos.*

VULNIFICUSQUE CHALYBS. Populum apud quos nascitur, pro ferro posuit. Et LIQUESCIT dixit proprie. Nam ferrum non semper solvitur, sed mollescit.

INFORMANT, Designant. INGENTEM autem & magnitudine, & soliditate. Nam & CLYPEUM dixit, qui magnitudine corpus furatur. Unde & clypeus dictus est ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. & dicturus est, SEPTENOSQUE ORBIBUS ORBES IMPEDIUNT. Id est veluti septem scuta facta in unitatem connectunt.

VENTOSIS. Ventos gignentibus. aliter *Ventosa per æquora vectis*, qui ventis turbentur.

ACCIPIUNT REDDUNTQUE. Iungendum. uno enim eodemque tempore partim reddunt, partim ventos accipiunt. STRIDENTIA TINGUNT. Tingendo stridere faciunt.

DONATI.

TOLLITE. Magnum Æneæ meritum, quod cuncta superis necessaria tollerentur, ut arma illi fierent.

ACRI ARMA VIRO. Suppressit cujus caussa, ne nimis uxorius videretur. Nec nominat privignum, qui naturali malitia odiosus esse potest.

ILLI OCYUS. Iubentis authoritas ostenditur.

FLUIT. De auro & reliquis metallis: quæ ita solvuntur, ut currant tanquam effusa.

LIQUESCIT De ferro quod non ita solvitur.

OMNIA CONTRA TELA LAT. Ex persona Poëtæ: nam Cyclopes nesciebant cui fabricarent.

SEPTENIS. Quatuordecim circulis: sic clypei textura currebat ordinatis omnibus, ut se invicem nesterent.

VARIORUM.

SEPTENIS ORBIBUS ORBES. Hom. quinque plicas ponit, per quas quinque zonæ accipiendæ. Vide Heraclid. HART.

Digitized by Google

Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva panthera terga retorquens.
Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem, & secreta petebat,
Sermonum memor & promissi muneris heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates,

SERVII.

ÆRA LACV. Amat lacum, pro aqua ponere.

ILLI. Quidam pro alii accipiunt. IN NVMERVM. In ordinem: ut, *Tunc vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.*

FORCIPE. Forfices quibus incidimus: forcipes quibus aliquid formum tenemus, quasi formi capes. Nam formum est calidum. Vnde & formosos dicimus, quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat: has tamen forcipes in Medicinalibus Græci ἀκανθοβόλους appellant, quibus solent in bello vulneratis spicula extrahi.

DVM HÆC PROPERAT. Hoc est properanter facit: & est honesta elocutio. ÆOLIIS. Nam, ut diximus, Vulcania una est de septem Æoliis, in quibus Æolus regnavit. LEMNIVS. Quia in Lemnum insulam, ut diximus, cecidit: vel à Iunone propter deformitatem dejectus; quam aërem constat esse ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Iunonis fingitur natus, quod fulmina de imo aëre nascuntur: quod etiam Lucanus dicit, *Fulminibus terra propior succenditur aër, Pacem summa tenent.*

VOLVCRVM SVB CVLMINE. Potest & generaliter accipi *volucrum* quarumvis, quæ matutine sonant: potest & specialiter, ut hirundinum, potest & gallorum, quæ omnia propter sermonis humilitatem vitavit.

TYRRHENA VINCVLA. Tusca calceamenta. Et dicit crepidas quas primo habuere Senatores, post equites Romani, nunc milites. Alii calceos senatorios volunt, quia hoc genus calceamenti à Tuscis sumptum est.

TEGÆVM ENSEM. Arcadicum gladium.

DEMISSA AB LÆVA PANTHERÆ TERGA RETORQVENS. A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens & in dextram revocans partem se amiciebat.

GEMINI CVSTODES. Hoc & in Homero lectum est: & in historia Romana, quæ ait, *Syphax inter duas canes stans Scipionem appellavit.*

SERMONVM MEMOR. Scilicet promissi auxilii, ut *Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.* HEROS. Hoc nomen non tantum præsentis est virtutis: sed & præteritæ. Vnde est quod Euandrum Heroem dicit, cum sit virtutis emeritæ; plerumque heros & generis est.

MATVTINVS AGEBAT. Rem temporis ad personam transtulit.

DONATI.

IN NVMERVM. Ordinatis vicibus feriendi & versandi. Quod autem *incudibus* in plurali dixit, & massam & forcipem in singulari, intelligas singulis incudibus singulas massas & forcipes fuisse.

VARIORVM.

EVANDRVM EX HVMILI. Redit ab excursu ad intermissam narrationem: hoc est, ad res Euandri. Hæc descriptio sumpta est ex Homeri Iliad. secundo & ab Agamemnone surgere jusso, apte ad Euandrum translata. Macrob. lib. 5. cap. 8. Saturn. HORT.

IN NVMERVM In ordinem: ut, *Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.* A fabrorum in numerum incudem tundentium ictibus, Pythagoras proportionem Musicam invenisse dicitur. PONTAN.

ET TYRRHENA VINCVLA. Calceamenti genus, explicat Turneb. lib. 30. cap. 38. & lib. 26. cap. 29. H. Magius. l. 3. c. 3.

Con-

Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, & licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Trojæ victas, aut regna fatebor:
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos, opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat: fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinæ sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo

SERVII.

IUNGUNT DEXTRAS. Sic enim se antiqui salutabant.

LICITO TANDEM SERMONE. *Tandem*, quia amborum desyderio nox fecerat moram. Vel tandem dato secreto.

MAXIME TEUCRORUM. Dicendo *maxime*, subtiliter ostendit, eum Pontificis maximi & scientiam & potestatem habere.

NUNQUAM RES EQUIDEM TROIÆ VICTAS. Satis mature EQUIDEM dixit, id est ego equidem Trojam te vivo victam non arbitror, quantum est in opinione mea.

PRO NOMINE TANTO. Pro tui nominis gloria.

ET MURUM CIRCUMSONAT ARMIS. Et brevitatem sui ostendit imperii, & hostilem necessitatem: ob quam se penitus exarmare non poterat. AMNI autem CLAUDIMUR TUSCO, ideo dixit, quia ipse fuit Romani finis imperii. Iuvenalis, *Et quæ Imperii fines Tyberinum virgo natavit.*

HINC RUTULUS PREMIT. Hoc est, *Gens eadem quæ te crudeli Daunia bello Insequitur.*

SED TIBI EGO. Artificiose ait, ut etiam quæ monstrantur auxilia, ipsius esse videantur. INGENTES autem POPULOS, non sine caussa dixit. Nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est reges quibus unus præerat. Vnde est, *Gens illi triplex populi sub gente quaterni.*

QUAM FORS INOPINA. Hoc beneficium casus præstat, qui efficit ut eo tempore quæras auxilium, quo Tyrrheni ducem requirunt.

FATIS HUC TE POSCENTIBUS AFFERS. Perge illuc poscentibus fatis. Nam talis est sensus. Si legeris AUFERT, similiter jungit fortunam fato: ut supra ubi ait, *Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.* Si autem legeris AFFERS: sensus erit talis, Fati necessitate factum est ut venires: fortunæ beneficio ut illi ducem requirant. Legimus ergo & *adfert* & *adfers.*

HAUD PROCUL HINC. Vt ire ei facile persuadeat. SAXO COLITUR FUNDATA VETUSTO. Antiquo opere: ut, *Templa dei saxo venerabar structa vetusto.*

URBIS AGYLLINÆ SEDES. Quæ nunc Cære dicitur. LYDIA QUONDAM GENS. Quondam insedit, non quondam bello præclara, nam etiam tunc florebat. Sane etiam supra diximus, Mæoniam provinciam esse, cujus dum brevitas duos fratres Lydum & Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus est, & partem Italiæ tenuit, & Tyrrhenam nominavit. Hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortensio docet, cum captivos novis pœnis adfligerent, occisorum eos religantes cadaveribus: quod Virgilius dat Mezentio, sciens lectum esse de gente Tyrrhenorum. Sane illo tempore Tyrrheni dicti sunt: postea Tusci, ἀπὸ τῶ θύειν. Lydi autem à Lydo regis fratre qui in provincia remanserat: & Lydia provincia positivum, Lydia gens derivativum pro Lyda.* Sane hanc Agyllinam quidam à Pelasgo conditam dicunt, alii à Telegono, alii à Tyrrheno Telesi filio. *Insedit* autem secundum Sallustium, *Montem sacrum atque Aventinum insedit.*

VARIORUM.

MAXIME TEUCRORUM DUCTOR. Suasorii generis oratio, qua consulit Æneæ, ut à Tarchonte Hetruscorum duce auxilium petat. Suadet ab oportuno, ut spem injiciat firmiorum opum certissimam, adversus potentes hostes. Exordium ductum ab insinuatione. Ostendit enim vires suas tenuiores esse, quam quæ ad tantum bellum sufficiant: laudans simul Æneæ virtutem. HORT.

OPULENTAQUE REGNIS. Bene hoc addit. Nam pecunia nervus rerum gerendarum. TAUBM.

FORS INOPINA SALUTEM. Alludit ad oraculum Sibyllinum: *via prima salutis, Quod minime reris Graja pandetur ab urbe.* HORT.

Imperio, & sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes; quid facta tyranni
Effera? dii capiti ipsius generique reservent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie taboque fluenteis
Complexu in misero, longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsumque domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria justis.
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te Ænea ductorem millibus addam:
Toto namque fremunt condensæ littore puppes,
Signaque ferre jubent; retinet longævus aruspex,
Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:

SERVII.

SÆVIS TENVIT MEZENTIVS ARMIS. Vnde illi magis indigni injuriis quorum persona laudata, & hoc positum est ut ostendatur, an utile illis sit jungi Æneæ.

QVID MEMOREM INFANDAS CÆDES. Figura oratoria quæ Paralepsis vocatur. Cicero, *Nam illa nimis antiqua prætereo.*

EFFERA. Cruenta. DII CAPITI IPSIVS. Vt est, *Quod dii prius omen in ipsum Convertant.* Quando enim volumus exprimere indignitatem rei, quasi commoti avertimus orationem, ut *Dii talia Graiis.*

MORTVA QVINETIAM quod supradictum est, quod Cicero etiam in Ortensio de Tuscis dixit.

TORMENTI GENVS. Exclamatio est inventi supplicii, & detestatio. SANIE TABOQVE. Sanies, mortui est: tabo, viventis scilicet sanguinis.

AT FESSI. Cum essent fessi, tandem circumsistunt.

CONFVGERE. Confugiebat: ut diximus, historicus stilus est. DEFENDIER. Defendi, id est defendebatur. Et vertit historiam. Nam ut diximus, Turnus magis confugit ad Mezentium.

AD SVPPLICIVM. Bene, non ad bellum. PRÆSENTI MARTE REPOSCVNT. Sine aliqua dilatione.

HIS EGO TE ÆNEA DVCTOREM. Quasi grande incrementum. ADDAM. Aut dabo; aut revera addam habentibus Tarchontem. TOTO NAMQVE FREMVNT. Vel præterita narrat, vel conjectura est, utrum velint qui cessant.

LONGÆVVS ARVSPEX. Argumento ætatis vult doctum videri. Quibusdam sane displicet quod aruspicis nomen addiderit, cujus ætatem auctoritatemque designat.

FLOS VETERVM. Ennianum.

VARIORVM.

DII CAPITI IPSIVS. Macrob. lib. 4. cap. ultim. Saturnal. Turneb. lib. 9. cap. 12. Vide Adag. *Capiti suo luere.*

DII CAPITI IPSIVS. Proverb. *Si quid mali in Pyrrhum.* HART.

MORTVA QVIN ETIAM. P. Crinitus lib. 11. cap. 9. de Hon. disc. explicat. Pet. Victor. lib. 4. Var. cap 18. Val. Max. lib. 9. c. 2. Sigonius ad Ciceronis fragmenta in Hortensio.

TABOQVE FLVENTES. Horrendum tormenti genus. HART.

ERGO OMNIS FVRIIS. A consequentibus causas tyrannidis: secuta fuit seditio & magni motus, quibus regno fugatus Mezentius. Clausula narrationis quam confirmat conjecturis, ex aruspicum responsis sumptis. HORT.

FLOS VETERVM VIRTVSQ. Quod patrum sc. virtus liberorum generosorum propagatione reflorescere & reviviscere videatur. PONTAN.

Exter-

Digitized by Google

Externos optate duces. Tum Hetrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu, seclisque effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. tu, cujus & annis
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt,
Ingredere, ô Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes & solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.

SERVII.

EXTERNOS OPTATE DUCES. Votis scilicet. Vel certe *expectate*, legite.

HOC ACIES CAMPO. Quasi jam in bellum parati. SUBIUNGERE. Conjungendo subjungere.

REGNIQUE CORONAM. Insigne: non revera coronam quam Tusci reges nunquam habuerunt. ergo species est pro genere.

MANDATQUE INSIGNIA. Aut mittit insignia, id est omnia ornamenta regalia. Aut re vera ipse Tarchon oratores ad me misit, coronamque cum sceptro regni. MANDATQUE INSIGNIA, id est magna, ut Castris succedam & capessam regna Tyrrhena. Alii. *Insignia* pro fascibus qui ad Romanos à Tuscis translati sunt; aliud est enim *insigne*, singulari numero; aliud *insignia*, in quibus vestis & sella regia accipi potest, vel MANDAT trahit, ut dicimus mandari magistratum. Sallustius, *Ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.*

SED MIHI TARDA GELU. Occurrit tacitis quæstionibus, dicens se non isse propter senilem ætatem: filium propter mistum genus per originem matris. Unde Æneam dicit ire debere, cui & ætas & origo regna concedunt. SECLISQUE EFFOETA SENECTUS. Notandum dicta *secula*, etiam in uno homine, secundum eos qui dicunt *seculum* triginta annos habere. Nam alii centum & decem: alii mille annis putant *seculum* contineri.

INVIDET IMPERIUM. Bona locutio, ut, *Liber Pampineas invidit collibus umbras.*

MIXTUS MATRE SABELLA. Pro duplici genere natus.

PARTEM PATRIÆ TRAHERET. Sic dixit *traheret*, quomodo dicitur originem ducere.

ET ANNIS. Ad se retulit.

GENERI FATUM INDULGET. Ad Pallanta retulit. QUEM NUMINA POSCUNT. Ut, *Externos optate duces.*

ITALUM FORTISSIME DUCTOR. *Ἀνθυπαλλαγὴ* jam ductorem Italiæ vocat Æneam.

SPES, ET SOLATIA. *Spes*, quia multa sibi de ejus virtute promittebat pater: SOLATIA, quia amissa conjuge, unici filii utebatur solatio.

TOLERARE. Quasi rem asperam & difficilem. Et per hoc significat nondum eum sufficere, ut intelligatur quid nolit, nam & paternam sollicitudinem servat, & heroicam virtutem, & ideo non vult simpliciter dicere, nondum debere puerum pugnare, sed verecunde *Sub te tolerare magistro.*

MIRETUR. Imitetur. Lucanus, *Miratoremque Catonis*, Id est imitatorem. Optima enim ingenia necesse est, ut ea quæ mirantur imitentur.

SUO NOMINE. Bene in omnibus filii gratiam facit: maluit enim munus suum cum persona ejus dividere, quam suo nomine totum dare. Namque dicit, dat tibi Pallas milites ducentos suo nomine: ipse vero à me accipiat ducentos.

VARIORUM.

TARCHON. Boccatium lege. libro 12. cap. 76. HART.

SUB TE TOLERARE MAGISTRO. Hoc loco commendatur disciplina & educatio. Missis enim ad militiam adolescentibus Roman. primo anno custos, sub quo disciplinam ediscerent, & magister, sub cujus imperio, tyrunculi acuerentur, publice dabatur, ne expertes operum militarium arma tractarent. Huc ergo alludit Poëta, ut etiam lib. 5. *Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli Epytiden vocat.* PONT.

Digitized by Google

Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant
Æneas Anchisiades & fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant,
Ni signum cælo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem cœli in regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.
Obstupuere animis alii: sed Troius heros
Agnovit sonitum, & divæ promissa parentis.

SERVII.

DEFIXIQVE ORA TENEBANT. Aut tacebant: ut, *Tenuitque inhians tria Cerberus ora*: aut stupebant.

TRISTI CVM CORDE. Propter brevitatem auxiliorum. PVTABANT. Figura per tempora putabant, quasi putassent, nisi signum dedisset, aut certe *putabant*, cogitabant. Vnde & arbores putari dicuntur, quia diu deliberatur, quid eis adimi debeat, quid relinqui: *Putare* est & discernere, & in partes redigere, inde disputare.

COELO APERTO. Sereno, ut *Et aperta serena Prospicere*, in eo est enim quod aperti*

IMPROVISO. Nullum enim indicium præcesserat nubium. VIBRATVS. Proprium telorum ad fulgura transtulit. FVLGOR. Id est fulgetra. Et tria genera fulgoris esse dicuntur, unum *Consiliarium*, ubi quid cogitantibus nobis accidit quod vetat aut hortatur: alterum *auctoritatis*, quod evenit re gesta quod probet: tertium *status* est, ubi nec novi quicquam gessimus nec cogitamus, sed quietis nostris rebus fruimur: sed duo hæc quæ sequuntur ad locum hunc non pertinent. Primum sane apte videtur adnecti, ubi quod cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur, quod *consiliarium* dicitur. Nam & hic modo Æneas de brevitate auxilii cogitat, quia ait, *Multaque dura suo tristi cum corde putabant*: & sic fulgur factum est, quod cum hortetur ne de bellicis subsidiis desperet.

CVM SONITV. Tonitruum scilicet. Et ut diximus supra, ordinem tenuit qui nobis apparet, ut fulgetras dicat priores, cum sint ante tonitrua. RVERE OMNIA. Sic enim sonet ut videatur ruina: alibi, *Cœlique ruina*. Bene autem temperavit dicens, VISA. Id est ad opinionem animi: *Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor*. Tyrrhenum clangorem dixit: ideo quia apud Tuscos tubam constat inventam. Ergo *Tyrrhenus clangor*, sonus Tyrrhenarum tubarum. Et bene congruis ominibus arma nuntiantur per sonum tubarum. Et figurate per epitheti immutationem Tyrrhenæ tubæ: Varro de seculis auditum sonum tubæ de cœlo dicit. Videtur hic opportune *Tyrrhenæ tubæ* facta mentio, ut jam Tyrrhenorum castra vocare videatur Æneas.

FRAGOR INTONAT INGENS. *Fragor* est proprie armorum sonus. quod autem dicit INTONAT, illud spectat, *Fulminat Æneas armis*, quæ vult fragore tonitrua, splendore fulgetram imitari. Non autem mirum est à Venere adlatis armis inesse fulgorem. Nam & Homerus dicit à Thetide oblata arma habere motum quendam & spiritum: quæ duo in aqua esse manifestum est. Thetidem autem novimus Nympham esse.

INTER NVBEM. Per nubem, more suo. Et dicit in serena parte cœli fuisse nubem per quam arma portata sunt.

PER SVDVM. Sudum est quasi sub udum, serenum post pluviam, ut ver sudum. Alii *sudum* seminudum volunt dici, cum per nubes ad nos perveniat Solis ictus non integer. PVLSA TONARE. Recte arma, quæ hisdem ignibus, quibus fulmina facta sunt, ait tonare pulsa, & hic magis proprie quam Homerus, ille enim spirare ait & moveri: Hic vero armis Æneæ cœlestem sonitum dedit, unde veniebant.

AGNOVIT SONITVM. Hoc est quid sonitus significaret. DIVÆ PROMISSA PARENTIS. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligamus Venerem ei promisisse.

VARIORVM.

VIX EA FATVS ERAT. Ex Euandri responso non modice consternatus fuit Æneas, quod videret parum opis in eo situm esse. Quid enim quadringenti equites momenti allaturi erant, adversus tot millia, quorum catalogum supra recensuit. Sed hanc consternationem discussit præsens cæli fragor, omen præsentium armorum, quæ Venus genitrix filio promiserat. HORTENS.

CVM CORDE PVTABANT. Putamus instantia, reputamus præterita. *Putare* proprie purgare est, & arbores & vites dicimus putare: hinc *putare* est cogitare, quia cogitando superflua mente recidimus. Est etiam *putare* ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero, non putavit, lapsus est. DONATVS in Heautont.

TYRRHENVSQVE TVBÆ, &c. Tyrrhenis inventum tubæ tribuitur, quamvis sint, qui Palladi inventionem ejus acceptam referant. GERMAN.

Tum

Digitized by Google

Tum memorat: Ne vero hoſpes, ne quære profecto
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo:
Hoc ſignum cecinit miſſuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret, Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!
Quas pœnas mihi Turne dabis! quam multa ſub undas
Scuta virûm, galeaſque, & fortia corpora volves,
Tybri pater! poſcant acies, & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto:
Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat; heſternumque larem parvoſque Penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes.
Euandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Poſt hinc ad naveis graditur, ſocioſque reviſit:
Quorum de numero qui ſeſe in bella ſequuntur,
Præſtantes virtute legit: pars cætera prona

SERVII.

HOSPES. Et qui ſuſcipit, & qui ſuſcipitur, *hoſpes* vocatur, ut hoc loco Euander. Item ſupra, *Hoſpitis Æneæ ſedem.* NE QVÆRE PROFECTO. Hic *profecto* vetuſte pro expletiva conjunctione poſitum. Ambæ particulæ ad ornatum pertinent tantum.

PORTENTA. Modo bona omina. EGO POSCOR OLYMPO. Aut de Olympo poſcor, id eſt hæc ſigna mei cauſſa fiunt: aut certe in Olympum poſcor. Alii Olympo poſcor, alii Olympo ſequentibus jungunt.

DIVA CREATRIX. Rerum omnium generaliter.

HEV. Adeo de victoria fretus eſt, ut etiam hoſtium miſereatur. & hinc naſcitur ille ſenſus, *Non hæc ô Palla dederas promiſſa parenti.* Item Æneas, *Hi noſtri reditus, expectatique triumphi, Hæc mea magna fides.*

POSCANT ACIES. Quaſi eant nunc, & flagitent bellum. FOEDERA RVMPANT. Quæ ſe facturum Latinus promiſerat, non enim erant facta: aut certe *fœdera*, quod in ſeptimo legati cum muneribus miſſi.

HERCVLEIS SOPITAS IGNIBVS ARAS. Hypallage eſt, id eſt ſuſcitabat aras Herculeas, in quibus erant ignes ſopiti.

HESTERNVM autem LAREM, cui pridie ſacrificaverat, & eſt iteratio. nam male quidam EXTERNVM legunt, id eſt extraneum.

MACTAT LECTAS. De more lectas, an de more mactat?

EVANDRVS. Pro *Euander*, ſed vitavit ὁμοιοτέλευτον ſequentis verbi.

POST HINC AD NAVEIS GRADITVR. Vnum vacat, aut POST, aut HINC: ut, *poſt hinc digrediens jubeo frondentia capris Arbuta*: tale eſt & illud, *Primus ibi ante omnes.*

QVI SESE IN BELLA SEQVANTVR. In expeditionem & bellicam præparationem. nam ut ſupra dictum eſt, *bellum* eſt tempus omne quo vel præparatur aliquid pugnæ neceſſarium: vel quo pugna geritur. *Prælium* autem dicitur conflictus ipſe bellorum. Vnde modo bene dixit, *Qui ſeſe in bella ſequantur*, non ad prælium. nam auxilia petenda vadit, non ad pugnam. Quanquam etiam ſi ſic diceret, qui ſe in prælium ſequantur: non valde abs re eſſe videbatur. Hi enim equites cum à Tarchonte accepiſſet Æneas auxilium, cum aliis Hetruſcis equitibus per terram miſſi, obvios ſtatim habuere bellantes: & quaſi jam hinc recta pergere videntur in prælium. Vnde etiam à Cymodocea naviganti Æneæ dicitur, *Iam loca juſſa tenet forti permixtus Hetruſco Arcas eques.*

VARIORVM.

TVM MEMORAT. Interpretatur prodigium, ut Euandri & præſentium omnium animos confirmet & ſolicitudinem diſcutiat. HORT.

HEV QVANTÆ MISERIS, &c. Affectus ab exclamatione, in futuram cladem, quam inter hoſtes ſit editurus. HORT.

QVAS POENAS MIHI TVRNE DABIS. Pœnas dant qui pœnis digna perpetrarunt. Dicimus enim pendere, dependere, ſolvere, perſolvere, luere pœnas: & iſta quidem patientis ſunt. Agentis autem, exigere, poſcere, repetere, capere, infligere, irrogare pœnas. Delictum vero Turni, quod pœna ulciſcendum ſit eſt ruptio fœderis, quod à Latino cum Ænea factum. PONT.

TYBRI PATER. Turneb. lib. 13. cap. 8.

Fer-

Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocyus ire equites Tyrrheni ad littora regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.
Tum pater Euandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lachrymans, ac talia fatur:

SERVII.

SEGNIS. Sine remigio, id est cessans, nihil administrans. Et respexit ad descendentes, de quibus ait, *Remigio noctemque diemque fatigant*. Licet fuerit lenissimus fluvius. Epitheton ergo ad tempus, non enim ignavos dixit: aut *segnis* certe, quia meliores elegerat. DEFLUIT. Defertur.

RERUM. Quas gesserat. PATRIS. Ubi esset.

EXSORTEM ÆNEÆ. Per id quod non est factum, quod factum est indicatur. per *exortem* autem optimum & præcipuum significat. *Exsortem* autem, ut exlegem: & multi hoc loco reprehendunt Virgilium, qui cum Æneam ubique Pontificem ostendat, & Pontificibus non liceat equo vehi, sed curru, sicut in septimo à Latino ei currum missum dicit, cur equo eum usum faciat, dicens, *ducunt exortem Æneæ, quem fulva leonis Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis*. Et, *Iamque adeo exierat portis equitatus apertis Æneas inter primos*: cujus rei hæc redditur ratio: Æneam non tantum Pontificii juris, sed omnium sacrorum & peritum & primum fuisse: Virgilium autem inventa occasione ritum Romanarum ceremoniarum exponere: more etenim veteri sacrorum, neque Martialis, neque Quirinalis Flamen omnibus ceremoniis tenebatur, quibus Flamen Dialis, neque diurnis sacrificiis destinebantur, & abesse eis à finibus Italiæ licebat, neque semper prætextam, neque apicem, nisi tempore sacrificii gestare soliti erant: Ergo si ire eis in provinciam licebat, & equo sine religione vehi licuit, quod hic ostendit velut in Provinciam misso Æneæ, equum datum, nam Euander hoc ait, *Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis Iungere castra paro*, deinde infra de potestate obtinendæ provinciæ subtexuit, *Ipse oratores ad me regnique coronam Cum sceptro misit*. Tum excusatione interposita hortatur Æneam, ut Etruscis regem, & ducem desiderantibus præsit, ait enim, *Te, cujus & annis, & generi fatum indulget*. Incedere ergo & equo merito uti potuit, si ei ire in provinciam fas erat. Sciendum tamen poëtam contentum esse diversum Ius Pontificale, dum aliud narrat, attingere.

PELLIS OBIT TOTUM. Pellis ostenditur magnitudo in eo, quod dicit *totum obit*, id est circundat. UNGUIBUS AUREIS. Aut quia ungues ipsi cum aruerint, auri imitantur colorem. aut quia solent deaurari. Statius, *Auro m ansueverat ungues*.

SUBITO VULGATA. Cur subito? ipse dicit: quasi per parvam urbem.

OCYUS. Positivus antiquus est, id est celeriter. Nec enim potest esse comparativus ubi nulla est comparatio; tractum ex Græco ὠκέως.

VOTA METU DUPLICANT MATRES. Bene METU DUPLICANT, nam inest semper in matribus votum. PROPIUSQUE PERICLO IT TIMOR. *Periclo*, id est ad periculum vicinus: aut certe It timor propius periclo, *propius* pro propior: nam matres quod timent, hoc putant liberis posse contingere. Aut certe æquatur periculo timor, & per dativum extulit, ut *Propius stabulis armenta tenerent*; aut poëtice dixit timorem periculo comitem. IAM APPARET. Adhuc illis pergentibus jam prælium cogitabatur à matribus: Ergo ut solet imaginem ὑπὸ φαντασίας, ut est, *Et plurima mortis imago*: hanc Sallustius *Speciem* dicit, sicut ipse dicit speciem captæ urbis efficere discedentes.

PATER EVANDRUS. Cum dicit *Pater*, ostendit cujus. DEXTRAM COMPLEXUS EUNTIS. Filii scilicet, quia dixerat *pater*.

HÆRET INEXPLETUM. Multi hic distinguunt, ut sit, Inexpletus hæsit, & talia locutus est lachrymans. Alii legunt inexpletus lachrymis. Honestius tamen est inexpletum lachrymans, ut sit nomen pro adverbio, id est inexplebiliter.

VARIORUM.

DUCUNT EXSORTEM. Explicat Turneb. 13. cap. 8.

PRÆFULGENS UNGUIBUS AUREIS. Casaubonus in Capitolin.

PROPIUSQUE PERICLO IT TIMOR. Est enim acrior metus instantis periculi. Timor enim earum mulierum, facit ut periculum videatur ipsis esse propinquius, seu majus quam erat; unde sequitur, & *Major Martis jam apparet imago*. Quare? quia timetur plurimum. PONT.

TUM PATER EVANDER. Ex Homero Hen. Stephan. Schediasm. lib. 4. cap. 17.

Digitized by Google

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos:
Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi:
Naſcenti cui treis animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma movenda,
Ter letho ſternendus erat: cui tunc tamen omneis
Abſtulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer uſquam
Nate tuo: neque finitimus Mezentius unquam
Huic capiti inſultans, tot ferro ſæva dediſſet
Funera, tam multis viduaſſet civibus urbem.
At vos, ô ſuperi, & divûm tu maxime rector

SERVII.

O MIHI PRÆTERITOS REFERAT SI IVPPITER ANNOS. Et *ô* & *ſi* optantis ſunt: id eſt utinam quæ nunc junguntur. nam ſingula ante ponebantur. Vt, *Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus.* Ergo unum vacat quantum ad antiquitatem. & notandum votum de præterito fieri.

QVALIS ERAM, CVM PRIMAM ACIEM. Aut ut ſim talis, qualis tunc eram quando iſta perfeci. Aut certe laudantis eſt, *Qualis eram cum primam aciem Præneſte ſub ipſa Stravi.*
Et bonum principium parentis qui filium ad bella mittens cohortetur, ab ætate enim juvenum cœpit, cui facile eſſe debet hoſtem proſternere, ſimul & filium paternis exemplis admonuit, ut, *& pater Æneas & avunculus excitat Hector.* PRÆNESTE SVB IPSA. In ſeptimo neutro genere dixit: *Quique altum Præneſte viri.*

SCVTORVMQVE INCENDI VICTOR ACERVOS. Hoc traxit de hiſtoria. Tarquinius enim Priſcus victis Sabinis in honorem Vulcani, eorum arma ſuccendit, quem poſtea ſecuti ſunt cæteri.

CVI TREIS ANIMAS. Per tranſitum oſtendit illam Platonis & Ariſtotelis contentionem, qui dubitant utrum quatuor, an tres animæ ſint in homine, φυσικὴ, αἰσθητικὴ, νοητικὴ, remota κινητικῆ. Hoc autem loco per tres animas magnum & perfectum indicat virum. Nam quantum ad fabulam pertinet, tres animas per tria habuit corpora. Attendendum ſane hoc ſibi Euandrum vindicare, quod fuit in Hercule. Nam ut ille Geryonem extinxit, ita hic Erylum occidit. inde eſt quod paulo poſt ait, *Neque finitimo Mezentius unquam Huic capiti inſultans.* Herculis enim mos fuit, ut etiam non rogatus laborantibus ſubveniret. Tunc enim ſicut Varro dicit, *Omnes qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur.* Licet eos primo XLIII. enumeraverit. Hinc eſt quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyum. FERONIA MATER. Nympha Campaniæ, quam etiam ſupra diximus. hæc etiam libertorum dea eſt, in cujus templo raſo capite pileum accipiebant. Cujus rei etiam Plautus in Amphytrione facit mentionem, *Quod utinam ille faxit Iuppiter, ut raſo capite portem pileum.* In hujus templo Tarracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat: *Benemeriti ſervi ſedeant, ſurgent liberi.* Quam Varro libertatem deam dicit Feroniam, quaſi fidoniam.

HORRENDVM DICTV. Dictum eſt per Poëtam his quibus fides difficiliorem interponit adfectum, ut alibi, *Horreſco referens*, & *Horrendum dictu latices nigreſcere ſacros*, & hoc facit, ut probabilitas credendi naſcatur. TERNA ARMA MOVENDA. Figura poëtica, nam *trina* debuit dicere. *Arma* enim numeri ſunt tantum pluralis. *movenda* autem vel contra ipſum, vel ab ipſo.

FINITIMO. Aut in finitimo: aut finitimo capiti, id eſt vicino.

HVIC CAPITI INSVLTANS. Ad curam enim viri fortis, & viri boni pertinet, ne quid injurioſe fiat alicui homini: Ergo & hinc contumeliam ducit, quod finitimos à tyranni injuria non defenderit.

VIDVASSET CIVIBVS VRBEM. Scilicet viris fortibus peremptis. & proprie VIDVASSET dixit, quia urbs generis eſt fœminini. Horatius abuſive & ſatis incongrue in genere maſculino poſuit, dicens, *Viduus pharetra riſit Apollo.*

AT VOS O SVPERI. Iam hinc quaſi pater loquitur. diviſa enim eſt hæc adlocutio, & ultima pars ejus habet adfectum parentis, quod & ipſe oſtendit dicens, ET PATRIAS AVDITE PRECES. Prima vero viri fortis eſt: ut, *Qualis eram cum primam aciem Præneſte ſub ipſa Stravi.*

VARIORVM.

O MIHI PRÆTERITOS. Ex Hom. Macrob. lib. 5. cap. 8. Sat.

QVALIS ERAM CVM. Macrob. lib. 5. cap. 14. Saturn.

VIDVASSET CIVIBVS VRBEM. De voce viduus. Ioſ. Caſtalio cap. 34. Varior.

AT VOS, O SVPERI. Averſione precatur ſuperos, ut ſi per fata liceret, filium incolumem reſtituant: aut ſi id non detur, nunc ſibi mori in complexibus illius liceat. HORT.

Iuppiter, Arcadii quaeso miserescite regis:
Et patrias audite preces; si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant:
Si visurus eum vivo, & venturus in unum:
Vitam oro, patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum Fortuna minaris,
Nunc ô nunc liceat, crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, chare puer, mea sera & sola voluptas,
Complexus teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Haec genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis;
Æneas inter primos, & fidus Achates:
Inde alii Trojae proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis:
Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres, oculisque sequuntur

SERVII.

PATRIAS AVDITE PRECES. Poterat videri idem dixisse, nisi libenter voto suo immoraretur.

DVRARE LABOREM. Ipsius scilicet senectutis. Terentius, *Senectus ipsa morbus est. Durare* autem est sustinere. Horatius, *Ac sine funibus vix durare carinae Possunt imperiosius aequor.* INFANDVM CASVM. Parentis est nolle memorare quod formidat. CRVDELEM VITAM. Quae filio est superstes.

SOLA ET SERA. Quia & unus erat, & serius susceptus, id est à seniore: vel propter hoc vitam optat longiorem, quod brevem ex illo fructum consecutus sit, vel quod sera ex filiis voluptas est.

SVPREMO. Hoc ex persona Poëtae, quia periturus erat Pallas.

IAMQVE ADEO EXIERAT. *Adeo*, ad ornatum pertinet tantum.

INDE. Hic deinde significat, & e[illegible]lysemus sermo. IPSE AGMINE PALLAS IN MEDIO. Hic enim mos fuit ut tyrones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum. Aut certe honoris est, medium locum in exercitu tenere, ut ipse alibi, *Medio dux agmine Turnus.*

CONSPECTVS. Conspicuus, conspicabilis. Nam pro nomine, participium posuit: Sic est, *Et versis Arcades armis.*

QVALIS OCEANI. Homericum est.

ANTE ALIOS ASTRORVM DILIGIT IGNES. Venus in coelo habet unam propriam stellam, quae oriens Luciferum, occidens vesperum facit. Inde Statius, *Et alterno deprenditur Venus in ortu.* Habet etiam duas alias, unam in signo Tauri, & unam in Septentrione. Vnde etiam Taurus domus esse dicitur Veneris. Ideo dixit, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.*

SACRVM. Venerabile. TENEBRAS autem RESOLVIT propter jubar, quod sola possidens aliquod adfert lumen.

OCVLISQVE SEQVVNTVR. Mira brevitate hoc explicuit, id est quam longissime prospiciunt.

VARIORVM.

QVEMVIS DVRARE LABOREM. Al. *efferre.* Vnde Ian. Guilielm, *ecferre.* Plaut. quaest. cap. 4. in Captivis.

CRVDELEM ABRVMPERE VITAM. Quae filio est superstes. Quia in privatis & publicis calamitatibus vita acerba esse solet, videmus multos optasse ante emori, quam illas viderent, & beatos quoque à scriptoribus judicatos, quibus contigisset. PONTAN.

NVNTIVS AVRES VVLNERET. Vulnus aurium est, ingratus nuntius, cujus auditio est auribus tanquam vulnus. Sic & Arnobius, *vulneratis accipiunt auribus.* PONT.

QVALIS VBI OCEANI. Ex Homero, Macrob. lib. 5. cap. 8. Sat.

QVEM VENVS ANTE ALIOS. Franc. Flor. lib. 2. subsec. cap. 7.

Pul-

Pulveream nubem, & fulgenteis ære catervas
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum late ſacer: undique colles
Incluſere cavi, & nigra nemus abjete cingunt.
Sylvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos,
Arvorum pecoriſque deo, lucumque, diemque:
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Caſtra locis; celſoque omnis de colle videri

SERVII.

PVLVEREAM NVBEM. ὑστεροπρότερον,

QVA PROXIMA META VIARVM. Qua proximus circuitus eſt.

AGMINE FACTO. Agmen eſt proprie exercitus ambulans. quicquid fuerit aliud, abuſive dicitur.

PROPE CÆRITIS AMNEM. Agylla civitas eſt Tuſciæ, à conditore Agella appellata, cui ex inſcientia Romana aliud eſt inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tuſciam interrogarent Agyllinos quæ diceretur civitas, illi utpote Græci quid audirent ignorantes; & optimum ducentes ſi prius eos ſalutarent, dixerunt χαῖρε: quam ſalutationem, Romani nomen civitatis eſſe putaverunt, & detracta aſpiratione eam *Cære* nominaverunt, ut dixit Yginus de urbibus Italicis. AMNIS autem aut tacuit nomen, aut ut quidam volunt Minio dicitur: quia alibi dixit, *Qui Cerete domo, qui ſunt Minionis in arvis*. Alii certe montem putabant, ob hoc oppidum dictum. *

LATE SACER. Hoc eſt non ſolum colebatur à civibus, ſed etiam ab accolis. VNDIQVE. Deeſt *quem*, vel *eum*.

NIGRA. Vmbroſa: more ſuo.

VETERES SACRASSE PELASGOS. De his varia eſt opinio. Nam alii eos ab Athenienſibus, alii à Laconibus, alii à Theſſalis dicunt originem ducere, quod eſt propenſius. Nam multas in Theſſalia Pelaſgorum conſtat eſſe civitates. Hi primi Italiam tenuiſſe perhibentur. Filocorus ait, ideo nominatos Pelaſgos, quod velis & verno tempore advenire viſi ſunt, ut aves. Yginus dicit Pelaſgos eſſe qui Tyrrheni ſunt, hoc etiam Varro commemorat.

ARVORVM PECORISQVE DEO. Publica ceremoniarum opinio hoc habet, Pecorum & agrorum deum eſſe Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt eum eſſe ὑλικὸν θεὸν, hoc eſt deum τῆς ὕλης. Hyle autem eſt fex omnium elementorum, id eſt ignis ſordidior & aër, item aquæ & terræ ſordidiora, unde cuncta procreantur: quam ὕλην, Latini materiam appellaverunt, nec incongrue, cum materiæ ſylvarum ſint. Ergo quod Græci à toto, hoc Latini à parte dixerunt. LVCVMQVE, DIEMQVE. Hoc à Romanis traxit, apud quos nihil fuit tam ſolenne quam dies conſecrationis. Hinc eſt illud, *Noſtroſque huius meminiſſe minores*. Ecce & hic luco & numen, & conſecrationem dedit.

TARCHO ET TYRRHENI. Tarcho, ſic legitur, & eſt Latinus nominativus de Græco veniens, ab eo quod eſt Tarchon: perdita litera N, & ω in o mutata, ut Apollo Ἀπόλλων. aliter verſus non ſtat. TVTA TENEBANT CASTRA LOCIS. Hoc eſt induſtria & natura munitiſſima. Sed novimus caſtra per naturam munita eſſe non poſſe, niſi in collibus fuerint: quod ſi in montibus ſunt, quomodo procedit, *Latis tendebat in arvis?* Ne ſit ergo contrarium, intelligamus quod hodieque videmus & legimus, hanc collium fuiſſe naturam, ut planicies eſſet in ſummo, in qua inerant caſtra Tarchontis. Quanquam multi velint, *Celſoque omnis de colle videri Iam poterat legio*: ad Æneam referre, ut intelligamus venientes in collibus fuiſſe Trojanos: Caſtra vero Hetruſca in campis. Quod ſi velimus accipere, quemadmodum procedit, *Tuta tenebant Caſtra locis?* nam TVTA id eſt per naturam locorum.

DE COLLE VIDERI. Incertum utrum ipſa in colle agens, an ab his qui de colle proſpiciunt.

VARIORVM.

QVADRVPEDANTE PVTREM. Ex Ennio, Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn. Explicat Turneb. lib. 26. cap. 29.

EST INGENS GELIDVM. Macrob. lib. 3. c. 3. Saturnal. Gellius lib. 4. cap. 9. Topographia, à ſitu cognati loci, religione vetuſta, cui divo peculiariter conſecratus fuit. HORT.

SYLVANO FAMA EST. Macrob. lib. 3. cap. 3. Saturnal.

VETERES SACRASSE PELASGOS. Pelaſgi quinam fuerint, quomodo in Italiam venerint, quæ loca tenuerint, quopacto ſe Aboriginibus junxerint, tandemque deleti fuerint, omnia hæc perſequitur lib. primo antiq Dionyſ. PONT.

Iam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas, & bello lecta juventus
Succedunt, fessique & equos & corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Vt procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro:
En perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.
Dixit & amplexus nato Cytherea petivit:
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille deæ donis, & tanto letus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit:

SERVII.

TENDEBAT IN ARVIS. Vt, *Hic sævus tendebat Achilles.* Hoc est tentoria habet.

ET BELLO LECTA. Quia ait supra, *Qui sese in bella sequantur, Præstantes virtute legit.* Aut LECTA proprie, quia delectus militum est.

FESSIQVE ET EQVOS ET CORPORA CVRANT. Ingenti arte quod sequebatur omisit, rediturus in decimo. Namque si vellet dicere venisse Æneam, vidisse Tarchontem, petisse auxilia, satis longum fuerat, & peribat illud quod ait supra, *Toto namque fremunt condensæ littore puppes*: cum & Hetruscorum festinationi dicentis brevitas congruat. Verum hoc quod in isto loco prætermisit, reddidit in decimo, dicens, *Namque ut ab Euandro castris ingressus Hetruscis, Regem adit, & regi memorat nomenque, genusque.*

ÆTHERIOS NIMBOS. Per aërem numinum, scilicet purgatiorem, qui circa deos est. [illegible]

REDVCTA. Secreta.

EGELIDO SECRETVM FLVMINE VIDIT. Egelido, id est nimium gelido: & est una pars orationis, ut IIII. Georg. *Eduramque pirum*: id est valde duram, & sic dixit. *Secretum flumine egelido*, hoc est præsidio fluminis: ut dicimus, secretus est monte vel sylvis. Latenter autem ostendit, Æneam non nisi flumine ablutum, numen videre potuisse.

OBTVLIT VLTRO. Id est deam confessa, ut in secundo dixit, est autem ὕστερον πρότερον, & ordo est, Obtulit se, & locuta est.

PROMISSA κατὰ τὸ σιωπώμενον: ut supra, *Hoc signum cecinit missuram diva creatrix.*

LAVRENTEIS SVPERBOS. Vt, *Quos illi bello profugos egere superbo.*

ACREM TVRNVM. Fortem. & proprie apud nos *acer* est, qui apud Græcos ὀξύς dicitur. Nam fortem & vehementem ὀξύς, & asperum, & amarum potest significare. POSCERE. Provocare. Cicero, *Poscunt majoribus poculis*, id est provocant.

DEÆ DONIS. Propter arma. TANTO LÆTVS HONORE. Quod manifeste viderat matrem, & plenam numinis sui.

VARIORVM.

ET CORPORA CVRANT. Verbo *curandi* utebantur in rebus ad vitam, victumque spectantibus. *Cura te, mi Tyro*, apud Cic. Apud Horat. curare cutem, genium, pelliculam. Apud Terent. *Curasti te molliter.* Lucret. lib.2.

Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus jucunde corpora curant.

Livius & historici frequentissime. PONTAN.

AT VENVS ÆTHERIOS. Rursum omissa narratione de futuro fœdere ducum ad Venerem & ejus promissa redit: hoc est, ad traditionem armorum, idque exemplo Homerico. HORT.

VT PROCVL EGELIDO. In hoc verbo *egelidum*, vocali E, significatum nunc intendit, nunc remittit; sic, ut *egelidum* aliquando sit valde gelidum, seu prægelidum; quomodo nunc apud Maronem; aliquando parum gelidum, sive potius tepidum. Muretus Catulli illud Carmine 43. *Iam ver egelidos refert tepores*, interpretatur moderatos calores; exemplo illius Ovidii, 2. Amorum. 11. *Et gelidum Borean, egelidumque Notum.* De cujus versus tamen lectione, vide I. C. Scalig. Poët. lib.6.

EN PERFECTA MEI. *Ex* Homero. Macrob. lib.5. cap. 8. Saturn.

ILLE DEÆ DONIS. Macrob. lib. 5. cap. 8. & 9. Homer. 19. Iliad HAET.

EXPLERI NEQVIT. Si perpendas omnia; quod non expleatur; quod oculos in cuncta intendat; quod miretur & verset: magnum opus, magnum Ænean, magnum etiam Virgilium intelliges. SCALIG. lib. 5. cap. 3.

Mi-

Digitized by Google

Miraturque, interque manus & brachia verſat
Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cum cærula nubes
Solis inardeſcit radiis, longeque refulget.
Tum leveis ocreas, electro auroque recocto,
Haſtamque & clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus, venturique inſcius ævi,
Fecerat ignipotens. illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella
Fecerat: & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic ubera circum

SERVII.

INTERQUE MANUS ET BRACHIA VERSAT. Iungendum eſt, ut intelligas Ænean manibus minora, brachiis majora arma conſideraſſe, ut puta loricam vel ſcutum: hæc enim ſunt arma majora. minora vero, galeam, gladium, ocreas. VERSAT. conſiderat. Vt, *huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.*

FATIFERUMQUE ENSEM. Fatum ſæpe pro morte poſitum legitur, *fatiferum* ergo lethiferum. RIGENTEM, SANGUINEAM, INGENTEM. Diſtinguendum propter plura epitheta. *Sanguineam* autem velut cruentam, terribilem.

SOLIS INARDESCIT RADIIS. Item Phyſica ratione deſcribit, quæ fit cum aquoſam nubem ardor ſolis inradiat. Nec eſt incongrua hæc comparatio, cum lorica de diverſis metallis fieri plerumque conſueverat.

LEVEIS OCREAS. Id eſt nitida tibialia. RECOCTO. Sæpe purgato, quia quanto plus coquitur, melius fit; Ergo ad qualitatem & ad commendationem refertur.

NON ENARRABILE. Bene *non enarrabile*, cum enim in clypeo omnem hiſtoriam Romanam vellet eſſe deſcriptam, dicendo *Illic omne genus futuræ Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella*: carptim tamen pauca commemorat, ſicut in primo ait, *Videt Iliacas ex ordine pugnas.* nec tamen univerſa deſcribit. Sane intereſt inter hunc & Homeri Clypeum: Illic enim ſingula dum fiunt narrantur, hic vero perfecto opere noſcuntur; nam & hic arma prius accipit Æneas quam ſpectaret: ibi poſtquam omnia narrata ſunt, ſic à Thetide deferuntur ad Achillem; Opportune ergo Virgilius, quia non videtur ſimul & narrationis celeritas potuiſſe connecti, & opus tam velociter expediri, ut ad verbum poſſet occurrere.

HAUD VATUM IGNARUS. Liprotes figura, id eſt futurorum non inſcius. Et quibuſdam videtur hunc verſum omitti potuiſſe, VENTURIQUE INSCIUS ÆVI. Non *ævi*, ſed quæ in ævo erant futura.

STIRPIS AB ASCANIO. Uſque ad Auguſtum Cæſarem. PUGNATAQUE IN ORDINE BELLA. Et hic ſubaudiri poteſt de Aſcanio. Et bella bonorum quæ Romanorum in clypeo dicit *.

MAVORTIS IN ANTRO. Poteſt accipi, & fecerat lupam Mavortis, & Mavortis in antro. Fabius ſpeluncam Martis dixit. Dicendo autem ET, oſtendit multa alia eſſe depicta. Eſt autem elegans figura *Fecerat procubuiſſe*, ſane laus operis, ut tale videretur. FOETAM vero quæ peperit & nutrire potuiſſet.

PROCUBUISSE. Id eſt prima parte ſe inclinaſſe, quod Græci ἀποκύπτειν dicunt: ut inclinatione corporis ubera præberet infantibus. Nam ſi PROCUBUISSE, jacuiſſe accipias, contrarium eſt quod dicit, *Ludere pendentes pueros.* Quod ſi *procubuiſſe*, ut, *Cum fœtu concolor albo Procubuit*, acciperemus; intelligere debemus *pendentes*, deſiderio alimoniæ ſuſpenſos, vel intentos, ut, *Pendetque iterum narrantis ab ore.* Alii *Pendentes*, ceſſantes, ut *Pendent opera interrupta minæque Murorum ingentes.* Sciendum tamen voluiſſe eum geſtum proprie exprimere, quem in ipſius lupæ cernimus ſtatuis. GEMINOS HUIC. Modo revera geminos: alias ſimiles. Sane totus hic locus Ennianus eſt.

VARIORUM.

INTERQUE MANUS ET BRACHIA. Hypotypoſis geſtuum eorum, qui aliquid adnituntur. HART.

TERRIBILEM CRISTIS GALEAM. Macrob. lib. 5. cap. 13 Saturn.

SOLIS INARDESCIT. Homerus Iliad. 7. ἀστὴρ σέλας ἐξεφαάνθη. HART.

TUM LEVES OCREAS. Homerus Iliad. 18. τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο. HART.

ELECTRO, AUROQUE RECOCTO. Omni auro ineſt argentum, ſed vario pondere: alibi dena, alibi nona, alibi octava parte. Verum ubi quinta argenti portio eſt, *electrum* vocatur. Fit & cura electrum argento addito. HORT.

CLYPEI NON ENARRABILE TEXTUM. Sic expreſſit Achillis clypeum Homer. Iliad. ζ. Sed clypei hæc deſcriptio, multo apud nos aptior univerſo argumento Ioſ. Caſtalio. c. 49. Scalig. l. 5. c. 3. Poët.

Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitoque novum consurgere bellum

SERVII.

LVDERE. Moveri. Terentius, *Congrium istum paulisper in aqua sinito ludere*, id est moveri. LAMBERE MATREM. Quasi matrem, cujus affectum pueris exhibebat. Sane veteres etiam nutrices *matres* vocabant, ut eit Plautus in Menechmis, *Et mater non posset dignoscere que mammam dabat.*

TERETI CERVICE. Rotunda cum longitudine. Vt *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.*

MVLCERE ALTERNOS. Non quod in pictura erat dicit: sed id quod intelligimus factum fuisse. Vt, *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.* ET CORPORA FINGERE LINGVA. Id est tergere. Cicero in Sestiana, *Spongiis sanguis effingebatur*, id est tergebatur: *Fingere* tamen & formare aliquid & ad integram faciem arte perducere significat, inde *Fictores* dicuntur, qui imagines vel signa ex ære vel cera faciant.

NEC PROCVL HINC ROMAM. Congrue juxta proprios conditores. RAPTAS SINE MORE SABINAS. Raptæ spectaculo sine ullo exemplo. Aut sine ullo bono more: vel *raptas* stupratas, id est per vim: Historia autem talis est, Romulus cum turbam civium non haberet, asylum condidit, ad quem locum si quis confugisset eum exinde non liceret auferri, hic cum videret virorum multitudinem sine connubiis posse deperire, à vicinis civitatibus matrimonia postulavit, sed ab eis contemptus *celeres* se Neptuno Equestri deo, qui & Consus dicitur, editurum proposuit, ad quos *celeres* cum de vicinis civitatibus maxima multitudo cum omnibus fœminis convenisset, Romulus eas signo dato rapi de spectaculo fecit, ob quam rem à Sabinis bellum ei indictum est, in quo cum jam capto à Sabinis Capitolio in foro Romano pugnaretur, & ejus milites fugerent, Iovi Statori templum se facturum esse promisit, si ejus stetisset exercitus. Quo voto restituta pugna cum anceps esset, intervenientibus mulieribus Sabinorum quæ jam Romanis nuptæ erant, pugna sedata est, & icto fœdere Tatius Rex Sabinorum in partem urbis acceptus est, unde Romani à Curibus Quirites appellati sunt.

CONSESSV CAVEÆ. Cavea est ubi populus exspectat. vallis autem ipsa ubi Circenses editi sunt, ideo *murcia* dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt; alii quod fanum Veneris verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus è Murtetis fuisset inde mutata litera Murciam appellatam: alii Murciam à murco, quod est murcidum dictam volunt. Pars à dea Murcia, quæ cum ibi bacchanalia essent, furorem Sacri ipsius murcidum faceret.

MAGNIS CIRCENSIBVS ACTIS. Magnis quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus. Raptæ autem Sabinæ Consualibus, hoc est mense Martio. *Consus* autem est deus consiliorum: qui ideo templum sub Circo habet, ut ostendatur tectum debere esse consilium. inde est quod Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet & velata. Ideo autem dicato Consi simulachro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu consilium. Iste Consus & eques Neptunus dicitur unde etiam in ejus honorem Circenses celebrantur. Errant ergo qui dicunt magnis Circensibus, aut Megalesiacis aut Romanis quos constat fieri ante calendas Ianuarias. ACTIS autem, cum agerentur: quia non erat præsens à passivo participium. ut, *Et quos vectus Abas.* CIRCENSIBVS. *Circenses* dicti vel à circuitu, vel quod ubi nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur quos circumibant. dicti *Circenses* sine adjectione ludorum, cum ita dicamus ludos theatrales, ludos gladiatorios, ludos Circenses.

VARIORVM.

ET LAMBERE MATREM. Sic & Nonius, qui adducit hunc locum, addens *Matrem*, id est nutricem. Qui nam infantes à quibus bestiis nutriti fuerint, vide 1 Æneid *Inde lupæ Fulvo*, &c. PONT.

ET CORPORA FINGERE LINGVA. De inventis sub lupa his duobus infantibus Dionys. lib. 1. FINGERE, id est tergere. De ursa porro catulos lingua fingente Plutarch. lib. de amore parentum ergà liberos.

MORE SABINAS. Floridum lib. 2. cap. 12. succis. lect. petat qui volet: mihi ostendisse locum hic, ut alias, sat est. HART.

MAGNIS CIRCENSIBVS ACTIS. Ludis. Cum animum ad vim adjecisset, finitimis spectaculum indicere jussit Non erant illi ludi quidem Circenses, qui postea instituti fuerunt, sed eos ita appellat, quod circa Circum maximum, ubi ara Conso erat, exhiberentur. Spectaculum enim hoc Neptuno equestri sacrum instituit, Consualia id dixere. Quidam persuasum habuere, eundem genium & Neptunum equestrem fuisse & Consum Deum. Sed Dionysius diversos existimat, quod Neptuno nec apud Græcos, nec apud barbaros, ara erigeretur, cum juxta Circum maximum Conso ara subterranea consecrata Romæ esset. Arbitratur fieri potuisse, ut equorum cursus, diesque illi festi fuerint ab initio Neptuno: ac mox, quia occultum de rapiendis virginibus consilium ex sententia successit, Conso, qui arcanorum deus esset, aram positam fuisse. HORTENS.

MAGNIS CIRCENSIBVS ACTIS. Iac. Crucius Annot. 2. Tom. 1. Lamp.

Ro-

Digitized by Google

Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post iidem inter se posito certamine reges
Armati, Iovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & casa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

SERVII.

ROMVLIDIS. Hic dativus pluralis venit ab eo quod est hic Romulida. CVRIBVSQVE SEVERIS. Miro & merito dixit *severis*. Cum enim filias perdiderint Ceninenses, Antennates, Crustuminii, & Sabini, cæteris quiescentibus Sabini soli bella sumpserunt: sicut dictum est, intervenientibus postea triginta fœminis jam enixis de illis quæ raptæ erant, pax facta est: ex quarum nominibus Curiæ appellatæ sunt in communem etiam mulierum honorem Calendæ eis dictæ sunt Martiæ. Horatius, *Martiis cælebs quid agam calendis?* Iuvenalis, *Munera fœminea tractat secreta calendis.* Nec enim aliter congruit Martias calendas esse fœminarum, nisi quia (ut diximus) à fœminis bella sedata sunt. Sane sciendum omnes virgines raptas excepta Hersilia, quam sublatam à marito, sibi Romulus fecit uxorem. Aut SEVERIS disciplina, aut rem hoc verbo reconditam dixit, quia Sabini à Lacedæmoniis originem ducunt, ut Yginus ait de Origine Vrbium Italicarum, à Sabo qui de Perside Lacedæmonios transiens ad Italiam venit, & expulsis Siculis tenuit loca, quæ Sabini habent. Nam & partem Persarum nomine Caspiros appellare cœpisse, qui post corrupte Casperuli dicti sunt. Cato autem & Gellius à Sabo Lacedæmonio trahere eos originem referunt: Porro Lacedæmonios durissimos fuisse omnis lectio docet: Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum, idem Cato dicit: merito ergo *severis*, qui & à duris parentibus orti sunt, & quorum disciplinam victores Romani in multis secuti sunt.

POSITO CERTAMINE. Finito: ut, *Ante diem clauso componet vesper Olympo.*

IOVIS ANTE ARAM. Ante templum Iovis statoris, quod fecerat Romulus postquam orans clatis armis meruit ne suus exercitus fugaretur.

IVNGEBAT FOEDERA PORCA. *Fœdera*, ut diximus, dicta sunt à porca fœde & crudeliter occisa. Nam cum ante gladiis configeretur, à Fecialibus inventum, ut silice feriretur; ea causa quod antiquum Iovis signum lapidis siliceni putaverunt esse; Cicero *fœdera* à fide putat dicta sed hujus porcæ mors optabatur ei qui à pace resilisset: falso autem ait PORCA. Nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur, ergo aut usurpavit genus pro genere, ut, *Timidi venient ad pocula damæ*: cum has damas dicamus. Item supra lupam, cum artis sit hic & hæc lupus. Aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris fœminei generis plus valent victimæ. Denique si per marem litare non posset, succidanea dabatur fœmina. Si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Quidam porcam Euphoniæ gratia dictam volunt, hujus autem facti in sacra via signa stant: Romulus à parte palatii, Tatius venientibus à rostris. CITÆ METIVM IN DIVERSA QVADRIGÆ. Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens, CITÆ DIVISÆ: ut est in jure, *Ercto, non cito*: id est patrimonio vel hæreditate non divisa. Nam *Citus* cum divisus significat, ci longa est. Ergo *Citæ*, veloces intelligimus. Quod autem dicit Virgilius Metium: Metius Suffetius dictus est, quod nomen mutilavit caussa metri. Novimus autem nominum vel mutationem vel mutilationem concessam poëtis: sic pro Polluce, Castorem: pro Citheride, Lycoridem posuit: ut, *Sed quæ legat ipsa Lycoris.* Hic autem Metius Suffetius, cum apud Albanos summam rerum teneret, è Romanis in auxilium contra Fidenates vocatus, jure societatis venit quidem, sed in ipso prælio ad hostes defecit. Quod cernens Tullus Hostilius, ait voce maxima militibus suis, ita ut etiam hostis audiret, Ne trepidetis, meo concilio factum est, ut factiose Metius Suffetius ad hostes transiret. Quo consilio & suis pene amissas jam reddidit vires: & effecit ne hostes crederent Metio, quem post victoriam captum Tullus Hostilius religavit ad duas quadrigas, ita ut ab unis quadrigis traherentur manus, pedes vero ab alteris: quibus agitatis velociter, eum crudeli morte discerpsit. Videns itaque poëta Romano nomini incongruam esse vindictam, culpam criminis retorquet in auctorem, dicens ex sua persona ad ipsum Metium, AT TV DICTIS ALBANE MANERES. Ideo etiam MENDACIS infert, ut tacitæ quæstioni, & invidiæ crudelitatis occurrat. Sane constat post victoriam de Albanis Romanorum, quam per condicionem Horatiorum & Curiatiorum adepti sunt, hoc factum esse quod hoc loco poëta narravit, nam quemadmodum * Metius vel auxilium facile nisi jussus venisset? vel post cognitam fraudem acciri tam facile potuisset, nisi tanquam subjectus congratulatum victoriam ad Tullum Hostilium venisset.

VARIORVM.

TATIOQVE SENI, CVRIBVSQVE. Franc. Floridus Subsec. lib. 2. cap. 12. Ald. Manut. de Quæsit. per Epist. lib. 1. Epist. 1.

CÆSA PORCA Turneb. lib. 26. cap. 29.

HAVD PROCVL INDE CITÆ METIVM. Quintilian. lib. 9. cap. de Figuris. Turn. lib. 6. c. 24.

Nec-

Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

SERVII.

NECNON TARQVINIVM EIECTVM PORSENNA IVBEBAT. Tarquinius superbus habuit perditos filios, inter quos Aruntem: qui dum in castris esset, patre suo Ardeam obsidente: & ortus esset inter eum & Collatinum maritum Lucretiæ, de uxoribus sermo, eo usque processit contentio, ut ad probandos earum mores, arreptis equis statim domus suas simul proficiscerentur. Ingressi itaque civitatem Collatinam ubi Lucretiæ domus, invenerunt eam lanificio operam dantem, & tristem propter mariti absentiam. Inde ad Aruntis domum profecti cum uxorem ejus invenissent cantilenis & saltationibus indulgentem, reversi ad castra sunt. Quod Aruns dolens, cum de expugnanda Lucretiæ castitate cogitaret, mariti ejus nomine epistolam finxit, & dedit Lucretiæ: in qua hoc continebatur, ut Aruns susciperetur hospitio. Quo facto, per noctem stricto gladio ejus ingressus cubiculum cum Æthiope, hac arte egit ut secum coiret, dicens, Nisi mecum concubueris, Æthiopem tecum interimo, tanquam in adulterio deprehenderim. Timens itaque Lucretia ne famam castitatis amore deperderet (quippe quam sine purgatione futuram esse cernebat) invita turpibus imperiis paruit. Et altera die convocatis propinquis, marito Collatino, patre Tricipitino, Bruto avunculo, qui tribunus celerum fuerat, rem indicans, petiit ne violatus pudor, neve inultus ejus esset interitus: & ejecto gladio se interemit. quem Brutus de ejus corpore extractum tenens processit ad populum: & multa conquestus de Tarquinii superbia, & filiorum ejus turpitudine, egit ne in urbem reciperentur, auctoritate qua plurimum poterat. nam ut diximus, Brutus tribunus equitum fuerat. Sed cum non susciperetur Tarquinius, contulit se ad Porsennam regem Tusciæ: qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Ianiculo, & illic castris positis, Romam vehementer obsedit. Et cum per sublicium pontem, hoc est ligneum, qui modo lapideus dicitur, transire conaretur, solus Cocles hostilem impetum sustinuit, donec à tergo pons solveretur à sociis, quo soluto se cum armis præcipitavit in Tyberim, & licet læsus esset in coxa, tamen ejus fluenta superavit. Vnde est illud ab eo dictum, cum ei in comitiis coxæ vitium objiceretur, *Per singulos gradus admoneor triumphi mei.* In tantum autem obsidionis necessitatem populus venerat, ut etiam obsides daret. ex quibus Clœlia inventa occasione transnatavit Tyberim, & Romam reversa est. Redditaque rursus est, pacis lege eam Porsenna repetente: qui admiratus virtutem puellæ, dedit ei optionem, ut cum quibus vellet rediret. Illa elegit virgines quæ injuriæ poterant esse obnoxiæ: unde Porsenna hoc quoque miratus concessit; & rogavit per literas populum Romanum, ut ei aliquid virile decerneretur: cui data est statua equestris, quam in sacra via hodieque conspicimus. EIECTVM autem quare? aut quia facile poterat suscipi & occidi. Sed ideo non susceptus, quia occidi non poterat religione impediente. rex enim etiam sacrorum fuerat. Vnde etiam alii postea consules facti sunt, alii reges sacrorum. Sane PORSENNA. Vnum N addit metri causa: unde & penultimæ datus accentus est. Nam Porsena dictus est. Martialis, *Hanc spectare manum Porsena non potuit.*

ÆNEADÆ. Satis longe petitum epitheton. Et potest hoc loco historia de Mutio accipi.

ILLVM. Coclitem scilicet. Et modo Cocles in hoc loco de quo dicit, proprium est nomen. In aliis appellativum. nam luscos, coclites dixerunt antiqui. Vnde & Cyclopas, coclitas legimus dictos, quod unum oculum habuisse perhibentur. Quasi στρογγυλώπας à rotunditate.

VINCLIS INNARET CLOELIA RVPTIS. Aut quia obsides non ligantur: sed *vincla* pro custodiis accipimus; aut certe pro fœderibus; Aut certe ruptis vinclis pontis, id est ponte resoluto.

VARIORVM.

NEC NON TARQVINIVM. Tarquinium superbum dicit, quam Porsena Clusinorum rex in regnum restitututus, urbem arctissima obsidione cinxit. Atque in his castris Mutius Scævola pulcherrimum illud & memorabile apud omnem posteritatem facinus perpetravit. HORT.

ÆNEADÆ IN FERRVM PRO LIBERTATE. Sic & Romani ita libertatem amabant, ut nec dominorum potestati, nec tyrannorum imperio, nec magistratuum potentiæ, nec creditorum libidini, nec civium suorum gratiæ essent obnoxii. SIGON. antiq. jure civium Rom. lib. 1 cap. 6.

PONTEM AVDERET VELLERE COCLES. Horatius, Cocles cognomento dictus, ab uno oculo, amisso altero hostium telis in trajectu amnis.

VINCLIS INNARET CLOELIA RVPTIS. hac duce, vel ut alii, Valeria Publicolæ filia, deceptis custodibus Romanæ virgines Tiberim transnaverunt. Impetrarant hæ ab illis, quorum custodiæ creditæ erant, ut ad flumen liceret ire lotum, simulque rogarunt, ut tantisper oculos tenerent, dum positis vestibus fluviali se aquæ abluerent, ne nudæ conspicerentur: ac tum Clœliæ hortatu in ulteriorem ripam tranasse. Clœliæ equestris statua Romæ publice posita inde est. HORT.

CLOELIA. Paulum Orosium vide, lib. 2. cap. 4. & 5. HART.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla

SERVII.

IN SVMMO CVSTOS TARPEIÆ MANLIVS ARCIS. In summa clypei parte, nam postea ait, *In medio classes æratas.* Et bona ratione utitur in pictura, apta unicuique rei loca distribuens. Ideo enim in summa clypei parte dicit esse factum Capitolium, quia hoc arcem urbis esse manifestum est. Hæc historia autem talis est, Brenno duce Senones Galli venerunt ad Vrbem: circa Alliam fluvium occurrentem sibi omnem deleverunt exercitum populi Romani. Aliaque die cum vellent ingredi civitatem, primo cunctati sunt insidias timentes, quia & patentes portas, & nullum in muris videbant. Postea paulatim ingressi cuncta vastarunt, octo integris mensibus: adeo ut quæ incendere non poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio: ad quod cum utensilibus reliqui confugerant cives, qui tamen à Gallis obsidebantur, etiam id penetrare cupientibus: quos alii per dumeta & saxa aspera, alii per cuniculos dicunt conatos ascendere. Tunc Manlius custos Capitolii Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem privatus quidam dono Iunoni dederat. Namque secundum Plinium, nullum animal ita odorem hominis sentire dicitur. Qua causa postea eo die quo hoc factum est, canes qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur; anseres auro & purpura exornati in lecticis gestabantur. Sane hic Manlius post defensum Capitolium pro præmio singulis libris farris ob virtutem à populo donatus est. In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione, ut coriis madefactis & postea frictis vescerentur, cujus rei argumentum est, quod hodieque ara in Capitolio est Iovis Soteris, in qua liberati obsidione, coria & sola vetera concremaverunt: his tamen Manlius postmodum adductus in suspicionem regni appetiti, vel inimicorum oppressus factione, à populo damnatus est.

PRO TEMPLO. Pro defensione templi, hoc est in templo, nam ante templum, non procedit: cum obsessus intra templum esset. Sic in nono *Ipsi intus dextra ac læva pro turribus astant.* Terentius. *Nam nisi hæc ita essent pro illo haud stares Phædria.* TENEBAT. Defendebat, & est militare verbum, & etiam Salustius dicit. Vnde è contrario victos, loco motos dicimus. Cicero, *Loco ille motus est.*

HORREBAT REGIA CVLMO. Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo putem *Calabra*, quod cum incertæ essent Calendæ aut Idus, à Romulo constitutum est, ut ibi patres vel populus calarentur id est vocarentur, & scirent qua die Calendæ essent, vel etiam Idus. A Rege Sacrificulo idem fiebat: ut quoniam adhuc fasti non erant, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies.

ATQVE HIC. Hic in Capitolio scilicet satis prudenter argenteum anserem dixit. Nam quasi & epitheton est coloris, & significavit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus. AVRATIS PORTICIBVS. Hoc ad tempus retulit florentis Romanæ reipublicæ. Nam illo loco ubi dixit, *Horrebat regia culmo*: ideo addidit *Romuleo*, ut incipientis & pauperis adhuc imperii tempora designaret.

GALLOS. Senones, qui Senones dicti sunt, quod Liberum patrem hospitio recepissent. CANEBAT. Quasi præcanebat. Nam *canere*, & dicere, & divinare significat.

ARCEMQVE TENEBANT. Deest PENE. Nam prope tenuerunt.

DEFENSI TENEBRIS, ET DONO NOCTIS OPACÆ. Multi iterationem volunt. Alii dicunt TENEBRIS, propter cuniculos DONO NOCTIS. Somno Manlii. Nam somnus noctis est donum. CÆSARIES. Coma ideo quod cædi potest. AVREA VESTIS. Hoc est barba. Vnde contra investes dicimus imberbes: unde est, *Tunc mihi prima genas vestibat flore juventas.*

VIRGATIS LVCENT SAGVLIS. Quæ habebant in virgarum modum deductas vias. Et bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. *Virgatis* ergo, ac si diceret purpuratis. GÆSA. Hastas viriles. Nam etiam viros fortes Galli *gæsos* vocant.

VARIORVM.

VIRGATIS LVCENT SAGVLIS. Cælius lib. 9. cap. 7. Lect. antiq. Solet interdum in litteris nimia diligentia Grammaticos in errorem auferre. In hoc enim versu non acquiescunt, ut ea tantum intelligamus, quæ discoloribus tanquam currentibus regulis colorum & ductibus varia cernuntur: etiam ajunt ad Gallorum respectum esse linguam, quibus virga purpuram significet, ut virgata sint purpurea. Ego intellectu simplici & latino, virgatum ῥαβδωτὸν significare puto, quod virgas quasdam in longum aut latum varia serie & colore porrectas habet, ut in concharum genere sunt virgulatæ, id est, ῥαβδωταί. Turneb. lib. 2. cap. 14.

Auro innectuntur. duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices & lapsa ancilia cælo
Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus: hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarumque ora trementem:

S E R V I I.

SCVTIS LONGIS. Per hoc, corporum ostenditur magnitudo, ut supra, *Stabant tercentum nitidi in præsepibus alti*. Per quod equorum magnitudinem expressit.

HIC. In eodem scuto. Et congrue sacerdotes statim post templa commemorat. SALIOS. Qui sunt in tutela Iovis, Martis, Quirini. Dicti *Salii* ideo quod circa aras saliunt & tripudiant. Alii à Salio Æneæ comite dictos volunt. NVDOSQVE LVPERCOS. Cum in honorem Panos Lupercaliorum solemne celebraretur, pecora Romanorum subito à latronibus rapta sunt. Illi projectis vestibus insecuti sunt, his latronibus oppressis & receptis animalibus propter rem à nudis propere bene gestam, consuetudo permansit, ut nudi, Lupercalia celebrarent.

LANIGEROSQVE APICES. Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid. Quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat. Vnde à filo quo utebantur, flamines sunt dicti, quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito, pillea necesse erat accipere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur ad ostendendum eorum columen. Alii dicunt non propter eminentiam dignitatis hoc factum: sed quia cum sacrificarent apud Laurolavinium, & eis exta frequenter aves de vicinis venientes locis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit ut apud Laurolavinium ingentes haberent virgas, non breves ut in urbe. LAPSA ANCILIA COELO. Regnante Numa Pompilio scutum breve & rotundum cœlo lapsum est. Et cum aruspices respondissent illic fore orbis imperium ubi illud fuisset: diligentia Numæ, ne quandoque ab hostibus posset auferri, adhibito Mamurio fabro, multa similia facta sunt, & in templo Martis locata. Quod autem dicit *ancilia*, plurali utitur numero pro singulari. Nam unum lapsum est. *Ancile* autem dicitur, aut quasi undique circumcisum, aut quasi ἀμφίχειλον, id est, undique labrum habens.

EXTVDERAT. Studiose fecerat. DVCEBANT. Deducebant. Hæc enim fuerat consuetudo.

PILENTIS MATRES IN MOLLIBVS. Pilenta sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non ut nunc sunt russati, quibus nisi castæ matronæ uti non poterant, sicut nec vittis, unde addit *Castæ*. MOLLIBVS autem, pensilibus: ut *molle feretrum*, & oscilla mollia: contra, Plumas pensiles dicimus, & molles significamus: ut *mollibus*, molliter stratis: quidam pilenta læta occisa * sed vulgo dicta tradunt. HINC PROCVL. Bene à templis longe inferos facit. Et bene *Tartareas sedes*, ut nihil prætermissum videretur.

SCELERVM PŒNAS. Pro sceleratorum. Et bene ait *scelerum pœnas*, in crimina enim personæ incidunt, non ipsarum sunt proprie crimina. Vnde & sceleribus sunt statuta supplicia, quæ in se incidentes homines obnoxios faciunt. ET TE CATILINA MINACI PENDENTEM SCOPVLO. Hoc quasi in Ciceronis gratiam dictum videtur.

V A R I O R V M.

ALPINA CORVSCANT GÆSA MANV. Notant apud Græcos etiam τὸν γαῖσον, παρὰ τὸ χαίειν, contum & defensaculum significare. *Alpina* vero vocat, quasi præstantiora: cum montium siccior & aridior habitus, lignum magis duret & adstringat, ventisq; ibi ad soliditatem fundantur arbores. Hinc & Homer. ait hastam Achillis è vertice Pelii montis cæsam. TAVBM. Cur Alpina & montuosa. Turneb. lib. 23. cap. 3.

GÆSA MANV. Cælius lib. 21. cap. 18. HART.

SCVTIS PROTECTI. De clypeis, Turneb. lib. 11. cap. 27.

HIC EXVLTANTES SALIOS, NVDOSQVE LVPERCOS. Fuere Salii Martis sacerdotes. Alex. Neapolit. lib. 1. c. 26. & lib. 4. c. 12. Turneb. lib. 22. c. 11. De Lupercis vide Livium lib. 1. Dionys. lib. 2. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

LANIGEROSQVE APICES. Ritum Flaminum, filo caput obligantium, explicat Turneb. lib. 29. cap. 31.

DVCEBANT SACRA PER VRBEM. Quid *ducere sacra*, Turneb. lib. 2. cap. 14. & lib. 9. cap. 6.

PILENTIS MATRES IN MOLLIBVS. *Mater* dignitatis nomen, Turn. lib. 13. c. 8. & lib. 11. c. 6.

ET TE CATILINA MINACI. Turnebus lib. 23. cap. 5.

PENDENTEM SCOPVLO. Cur insepultus Catilina, Turneb. lib. 23. cap. 3.

Secre-

Secretosque pios, his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea: sed fluctu spumabant cærula cano,
Et circum argento clari Delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar

SERVII.

SECRETOSQVE PIOS. Aut in secreto morantes, aut participaliter ab illis secretos. HIS DANTEM IVRA CATONEM. Et significat, Vticensem, qui contra Cæsarem bella suscepit. Quomodo enim piis jura redderet, qui in se impius fuit? Et supergressus est hoc loco Homeri dispositionem. Siquidem ille Minoem Rhadamantum, Æacum de impiis judicare dicit, hic Romanum ducem innocentibus dare jura commemorat.

HÆC INTER. Bene inter inferos & superos marе factum dicit, quod ut supra diximus, nos ab Antipodis dividit, qui inferi sunt nostri comparatione.

IMAGO AVREA. Non est contrarium quod & cæruleam, & auream, & argenteam maris esse dicit imaginem: quam scimus pro ventorum qualitate mutari, & colores varios reddere, quod expressum in scuto fuisse significat. IBAT autem quidam pro *erat* accipiunt, ut, *Ast ego quæ divum incedo regina*. Sane ubique propositum est poëtæ Augusti gloriam prædicare; itaque majorem partem operis in hoc clypeo, Augustum adsignat*

CÆRVLA. Id est maria. FLVCTV CANO. Omnis enim spuma alba est.

IN ORBEM. In circuitu, in medio, utrum clypeo an mari?

ÆSTVMQVE SECABANT. Naturalem rem ostendit. Nam semper mare turbatur cum Delphini apparuerint.

CERNERE ERAT. Græca figura est.

FERVERE LEVCATEN. *Fervere* ab eo quod est fervo facit, nam ab eo quod est *ferveo* fervêre facit ut producta, sic effulgere. Alii dicunt antique per tertiam conjugationem correpta media syllaba positum, ut, *Lavit ater corpora sanguis*, pro lavat; de eo in tertio Georgicorum in ipso loco plenius dictum est. LEVCATEN. In promontorio Epiri est mons Leucata, quod quia saxa nuda in cacumine habuit, ex horum candore Leucates appellatus est. AVROQVE EFFVLGERE FLVCTVS. Non quod hic ex auro fluctus esse dicat, quos supra canos dixit, sed mare & ex auro expressum sit, fluctus per aurum effulgeant.

HINC AVGVSTVS AGENS ITALOS. Cum de statu reipublicæ esset longa contentio inter Augustum & Antonium & Lepidum, placuit ut totum Orientem teneret Antonius: Augustus Gallias & Hispanias cum Italia: Lepidus Africam, Siciliam, Sardiniam: & ad caussam majoris fidei Antonius sororem Augusti duxit uxorem. Profecti itaque sunt in provincias suas. Sed Antonius in prima ætate creatus Tribunus plebis, Cæsarianas partes cum Curione defendens, bellum civile inter Cæsarem Pompejumque commovit. Quæstor fuit, idemque Augur, quo Consule in senatu Cæsar occisus est, hic, sicut dictum est, cum divisa Repub. ad orientem isset; in Ægypto captus est amore Cleopatræ, non usquequaque adeo, ut ea dimissa, contra Parthos proficisceretur. quibus cum ante victor esset, post repulsus dum Cleopatræ cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit. Ipse tamen animalium cadaveribus pastus, cum paucis ad Ægyptum est reversus: ubi ei cœpit suadere Cleopatra ut se sortiretur uxorem, derelicta sorore Augusti. quo facto Augustus vehementer accensus, contra eum cæpit bella moliri. Antonius re comperta collectis Orientis viribus, prior cum uxore Cleopatra, venit ad bellum. Conflictum est navali certamine circa Actium Epiri promontorium, ubi victi sunt Antonius & Cleopatra, & in fugam coacti: postea occiso Antonio illa sibi serpentes abhibuit. Sed Antonius cum Alexandriam obsideri videret & in eo esse, ut capi posset, se ipsum occidit, Cleopatra vero cum ad Augustum esset adducta, & in custodia esse jussa esset, admotis sibi ut putatur serpentibus vitam finivit. Sed quia belli civilis triumphus turpis videtur, laborat poëta ut probet justum bellum fuisse, dicens Augustum esse cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis. Contra cum Antonio, auxilia peregrina & monstrosa Ægypti numina: & re vera in exercitu Antonii omnes Barbari fuerunt. quod & Virgilius dicit, *Ægyptum viresque Orientis, atque ultima secum Bactra vehit*. Vnde etiam de hoc bello egit triumphum. Nec enim civile putatum est, quod tantummodo Romano duce gestum est, qui & ipse Barbaræ serviebat uxori: adeo ut prætoria ei castra concederet. Quorum qui potiebatur imperio, ipse vocabat exercitum. Vnde est in loco de Cleopatra, *Patrio vocat agmina sistro*. Nam Antonius consulare sibi tantum detinuit imperium, in quo sola est potestas jubendi. Ille enim ducit exercitum, qui habet in potestate castra prætoria.

VARIORVM.

TOTVMQVE INSTRVCTO MARTE VIDERES. Eleganter Macrobius libro 5. capite 14. Saturn.

Digitized by Google

Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sydus.
Parte alia ventis, & diis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope Barbarica, variisque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis & littore rubro,

SERVII.

PENATIBVS ET MAGNIS DIIS. Alii id unum volunt esse: alii separant. Vt *magnos deos* accipias Iovem, Minervam, Mercurium, quos Æneas de Samothracia sustulit.

TEMPORA FLAMMAS LÆTA VOMVNT. Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur, adeo ut obtutum ejus nemo contra aspectare posset: denique quidam eques Romanus interrogatus ab eo cur se viso verteret faciem: dixerit, *quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum*, sicut ait Suetonius.

APERITVR VERTICE SYDVS. Apparet sydus in vertice, hoc est super galeam. Nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici & ludi funebres Cæsari exhiberentur, per triduum stella apparuit in Septentrione, quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus omnibus statuis, quas ob divinitatem Cæsaris statuit, hanc stellam adjecit. Ipse vero Augustus, in honorem patris stellam in galea cœpit habere depictam: Honorifice autem poëta unam stellam *sidus* dixit, cum sidus ex multis stellis constet.

PARTE ALIA. Non è contra: sed in alia parte aciei. VENTIS, ET DIIS AGRIPPA SECVNDIS. Agrippa dicitur ab ægro partu, id est qui hodie bis nascitur. Sed hic Agrippa non adeo claro genere ortus, viribus, & societate Augusti, ad summos honores pervenit, nam & Tribunus plebis quietissimus fuit, & post tertium Consul, & in multis bellis cum Augusto gestis victoriam Augusto sua virtute confecit; nam & Sextum Pompejum apud Mœlas ipse devicit, & apud Actium Antonium Cleopatram navali certamine prope ipse superavit, ob quod meruit etiam gener esse Augusto. *Secundis* ergo dixit Augusti comparatione. Nam hoc dicit Augustus, Nimio ventorum & numinum utebatur favore. AGRIPPA SECVNDIS. Hoc est, Ille habuit primum favorem, hic secundum. Hadrianus scribit Agrippam solitum tempestate orta milites cogere, naves in fluctus urgere, ut consuetudine discriminis, dempto metu, redderet eos adversum pericula fortiores: ergo [illegible] lævi maris, quod exercitatione militibus erat, ait diis & ventis secundis esse pugnatum, ut tempestatem quidem Agrippa non timuerit, sed favor divinus maria constraverit, nam & ipsa Actiaca pugna cum Aquilo ei esset adversus, eo exercitio quo milites adsueverat adversum fluctus naves agere, ad portum se fugere finxisse, quare cum hostes decepti insequi conati essent, conversis subito navigiis suis Alexandrinas naves incurrisse, & telis ac flammis in eas missis refragante hostibus fluctu, cum nihil ipsi tale facere possent, victoriam consecutum: merito ergo *Ventis secundis*.

INSIGNE SVPERBVM. Quasi principale decus.

NAVALI ROSTRATA CORONA. Sextus Pompeji filius in Sicilia piraticam exercuit, contra quem primo cum Agrippa dimicavit Augustus. Postea Agrippæ cura data est: qui eum delevit, ob quod ei Augustus rostratam dedit coronam, quia vicerat navali certamine.

HINC. A parte contraria. OPE BARBARICA. Crimen Antonii quod ope barbarica Romanus pugnet. VICTOR AB AVRORÆ POPVLIS. Quia primo vicerat Parthos, ut diximus: aut quia Antonium Parthi postea pepulerunt, sed videtur hoc ideo tacuisse, ne Augustus inbellem superasse videatur, ideo addidit victorem Orientis Antonium, ut majorem hostem Augustus vicisse videatur.

LITTORE RVBRO. Erythræo mari, quod est inter Ægyptum & Indiam.

VARIORVM.

CVM PATRIBVS POPVLOQ. PENAT, &c. Alludit ad Græcum σὺν θεοῖς. *Patribus* autem, ut notet nefarium & usurpatum injuria Antonii imperium, quod Senatus auctoritas, vel etiam prætextus tam grande secum momentum traheret, ut legitimum imperium earum partium diceretur, à quibus Senatus stetisset. GERMAN.

APERITVR VERTICE SIDVS. Id est erigitur, vel ostenditur super Galeam Augusti stella Cæsaris. Vide IX. Eclog.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Honorifice autem stellam unam *sidus* dixit. TAVBM.

ET DIIS AGRIPPA SECVNDIS. Octavius eo navali certamine dextrum regebat latus: M. Agrippa lævum. Cum jam in ipso pugnæ ardore res contis & tragulis gereretur, Agrippa lævum circumagente cornu, cogebatur Publicola latius se explicare: quo contigit ilico, ut Antonii classe abrupta, turbati fuerint ordines. HORT.

TEMPORA NAVALI. De bello Siculo, quod cum Pompejo gestum. De qua re sic Paterculus, l. 2. Insigne coronæ Classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Turneb. lib. 26. cap. 29.

Ægy-

Digitized by

Ægyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit: sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.
Vna omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur: arva nova Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.

SERVII.

ET VLTIMA SECVM BACTRA VEHIT. *Vltima*, non quantum ad fines pertinet orbis terrarum: sed ultima in imperio Antoniano. Constat enim Bactrianos post se habere gentes innumeras.

NEFAS. Exclamatio est: quasi *pro nefas!* aut per parenthesin dictum est, & *Nefas* non in eo tantum quod Ægyptiam Romanos duxerat sed etiam quod mulier castra sequebatur, quod in ingenti turpitudine apud majores fuit. Vnde bellaturus Pompejus in Lesbo reliquit uxorem.

RVERE. Ruebant: id est veniebant cum impetu. Et hoc verbo more suo ostendit velocitatem.

CREDAS. Pro credat quis.

CONCVRRERE MONTIBVS ALTOS. Alii ALTIS *legunt*, unum tamen est.

TVRRITIS PVPPIBVS INSTANT. Hoc de historia traxit. Nam Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improvisæ, in navigando essent occultæ.

TELISQVE VOLATILE. Cato. *Sub tela volantia.*

ARVA NEPTVNIA CÆDE RVBESCVNT. *Nova cæde*, magna, nimia. Nam non dicit re vera nova arva, sed *nova cæde*, Homerus ἐρυθαίνετο αἵματι γαῖα. sed non est hoc *rubescunt*.

PATRIO VOCAT AGMINA SISTRO. Cleopatra sibi tantum adsumpserat, ut se Isin vellet videri. Isis autem est genius Ægypti, qui per sistri motum quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat: per situlam quam sinistra manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum. Isis autem lingua Ægyptiorum est terra: quam Isim volunt esse. Hanc Isim & alios deos ideo Ægypti colunt, quia deos reges habuisse dicuntur: Ergo in opprobrium Alexandrini exercitus, pro classico sistrum posuit; quod autem ait VOCAT AGMINA: Hoc est quod superius dictum est, & Augustus in commemoratione vitæ suæ refert, *Antonium jussisse ut legiones suæ apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu & jussu parerent:* bene ergo *Vocat agmina*, quæ signum dabat.

A TERGO RESPICIT ANGVES. Hoc est nondum videbat mortem futuram. Traditur enim ne ad Triumphum Augusti adservaretur, admoto sibi aspide defecisse: tum geminos, cum unum sibi admoveretur.

VARIORVM.

ÆGYPTVM. Ægyptios, Arabes & Bactrianos. Bactra ipsa regio ultra fines Assyriorum, à Bactro amne Bactrum oppidum ante Zariaspe vocatum, regionis caput. Huic genti mos patrius erat, vivere rapto & semper esse in armis. Frumenti ubertas maxima, ut singula grana nostras spicas æquent. Alibi vitis & arbor largos mitesque fructus alit: præpingue solum crebris fontibus irrigatur. Mitius vero frumento conseritur; cætera armentorum pabulo servantur. HORT.

SEQVITVRQ. (NEFAS) ÆGYPTIA CONJVX. Acute videtur observatum à Servio, hoc ad leniendam invidiam acti triumphi ab Augusto de Antonio, cum Romæ insolens esset & inusitatus de civibus & patria triumphus, caussificante nimirum Cæsare à se non tam Antonium, quam Cleopatram subactam. Nam pie admodum videntur Romani civili abstinuisse triumpho, ne patriæ insultare viderentur. Respexit Poëta morem Romanorum, quorum per leges non licebat uxores in castris aut expeditione habere, derivata ea à Græcis consuetudine. GERM.

ROSTRISQVE TRIDENTIBVS ÆQVOR. Sic legit Turneb. lib. 26. c. 29. Erythræus eo etiam modo legit, defendens eam lectionem, antiqua rostrorum forma, quam ego sequi malo, quam eos, qui hic μείουρον versum esse volunt. GERM.

INNARE REVVLSAS CYCLADAS. Macrob. lib. 5. cap. 14. Saturn. Quintilian. lib. 8.

TELISQVE VOLATILE FERRVM. Macrobius lib. 6. cap. 5. Saturnal.

PATRIO SISTRO. Ex Plutarcho docet Turneb. lib 26. c. 33. sistrum, instrumentum Ægyptium, ab agitatione nomen cepisse (σείω est agito) quod concussum tinnitus argutos redderet, parte sui superiore rotundum, cælatumque. Tiraquel. in Alexand. lib. 3. cap. 2.

Digitized by Google

Omnigenumque deûm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors,
Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter, cædes pallentem morte futura,
Fecerat ignipotens, undis, & Iapyge, ferri.

SERVII.

DEVM MONSTRA. Ideo *monstra* dixit, quia sub Augusto necdum Romani Ægyptia sacra susceperant. Et admittebat locus pro laude Augusti aliquid etiam in deos inclementius dici, Varro indignatur Alexandrinos deos Romæ coli. LATRATOR ANVBIS. Quia capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium: ideo quia nihil est cane sagacius. Bello autem Gigantum plures deos ferarum formas accepisse traditur.

CONTRA NEPTVNVM. Homerum sequitur, qui deos dicit contra se pro diversis partibus habere certamen. Et quidam latenter illud tetigisse Virgilium volunt, quod Plinius Secundus in historia naturali dicit, quod Antonii navem piscis Echen retinuerit, qui piscis Latine *Remora* dicitur.

CÆLATVS FERRO. Aut in armis locatus: aut de ferro sculptus, scilicet metallo sibi congruo: aut sævit ferro. DIRÆ. Diræ proprie sunt ultrices deæ, & bene has interesse dicit prælio: aut à Iove missas ad terrorem Ægyptiis inferendum, aut puniendum Antonium, qui matrimonii læserat fidem.

SCISSA DISCORDIA PALLA. Vtrum *scissa palla* gaudens, an *scissa palla* vadit, & seorsum gaudens? Ideo autem *discordes*, quia unius civitatis & cives principes erant, & bene *Diram* discordia sequitur, quam Bellona comitatur. Nam per discordiam venitur ab bellum, in quo necesse est sanguinem fundi, ideo ait *sanguineo flagello*. Horatius, *Ira, truces inimicitias, & funebre bellum.*

ACTIVS HÆC CERNENS. Quem postea Actium nominavit Augustus.

VERTEBANT TERGA SABÆI. Omnes isti populi Orientis sunt.

IPSA VIDEBATVR VENTIS. Apud plures Cleopatram priorem fugisse, post insecutum Antonium.

IAM, IAMQVE. Scilicet aviditate fugiendi. Et bene *jam jamque* addidit, quia tempus operis in pictura declarare non poterat.

INTER CÆDES. Inter suorum cadavera. MORTE FVTVRA. Omine mortis futuræ.

IAPYGE FERRI. Vento qui de Apulia flans, optime ad Orientem ducit. Iapigia enim Apulia dicta est. Horatius, *Obstrictis aliis præter Iapiga.* Quem Varro de ora maritima Argesten dicit, qui de Occidente æstivo flat, hic in Apulia pestilens est.

VARIORVM.

ET LATRATOR ANVBIS. Filius Osiridis, qui canis specie cultus fuit, aut certe capite canino: cujus alterum filiorum Macedonem lupi simulachro venerabantur. Osirim Solem: Isidem terram credebant. Non recipiebant intra muros aut Saturni fanum, aut Serapis. His religiosum erat, pecudibus aut sanguine placare deos; precibus tantum & thure litabant. Fana extra pomæria posita erant. HORT.

SÆVIT MEDIO IN CERTAMINE MAVORS. Ex Hom. Turneb. lib. 23. cap. 4.

ET SCISSA GAVDENS. Pathos ab imagine. Macrob. lib. 4. cap. 5. Saturn.

CVM SANGVINEO BELLONA FLAGELLO. Sanguinea hasta bellum indicebatur. Turneb. lib 8. cap. 23. Nam & Bellonæ ministri, brachia sibi cruentare solebant; unde Horat *hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.* ex hoc autem loco & Plinio, apud Modestinum I. C. ad leg. Pompe'am, docet parricidas virgis sanguineis, non sagmineis verberari. GERMAN.

BELLENA: Bellona Latine: Græce ἐνυώ. Homerus Iliados ε. HART.

ACTIVS HÆC CERNENS. Apollo Leucatius. Turneb. lib. 21. cap. 9. Suspicor Poëtam *Actium Apollinem* dicere, tanquam ex littorali promontorio pro Augusto pugnarit. Vide Propert. *Vicit missa sagitta rates* Semper autem Apollinem Teucris Romanisque faventem Poëta inducit, & veluti Iuliæ familiæ præsidem, ut cujus insignia cultumque Augustus usurpavit, & cui hanc victoriam acceptam retulit, nuncupatis ei ludis Actiis, certamine hymnico, navali, equestri insignibus. GERMAN.

ÆGYPTVS ET INDI. Indos Orientales intelligit. Turneb. lib. 21. cap. 9.

Contra

Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina victos.
At Cæsar triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, diis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per urbem.
Lætitia, ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis & armis.

SERVII.

MAGNO CORPORE. Aut ita eum tanquam deum magno corpore formatum accipiendum est, aut *magno* septemfluo, & non corpore mœrentem, sed magno corpore pandentem sinus.

VOCANTEM CÆRULEUM IN GREMIUM. Hoc de historia est. nam legitur Cleopatram præsagio mortis futuræ oblitam esse recessus Ægypti petere: in quibus facile poterat bella reparare. De qua re se moriens dicitur increpasse. Bene ergo poëta adjicit hortatum fuisse Nilum ut interius fugeret, ideo *tota veste vocantem cæruleum in gremium.*

LATEBROSAQUE FLUMINA. Quia Nili origo nescitur: licet Plinius dicat haud longe ab Æthiopia Maurorum, post majorem Atlantem, lacum esse ex quo Nilus erumpit. Quod videtur esse verisimile ex belluarum similitudine.

TRIPLICI TRIUMPHO. Tres enim Augustus habuit triumphos. Nam primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali bello. Secundo qui Dalmatas vicerat. Tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho.

DIIS ITALIS VOTUM IMMORTALE SACRABAT. Videtur ædem Apollinis dixisse, quæ est in Palatio.

TERCENTUM. Hoc est pro multos.

LUDISQUE VIÆ, PLAUSUQUE FREMEBANT. Hoc est compitalitii ludi celebrati sunt. Et est Zeugma, nam & delubra fremebant.

CANDENTIS LIMINE PHOEBI. In templo Apollinis in palatio de solido marmore effecto, quod adlatum fuerat de portu lunæ, qui est in confinio Tusciæ & Liguriæ, ideo ait *candentis.*

DONA RECOGNOSCIT POPULORUM. Aurum coronarium dicit: quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter concessam vitam. Ideo ergo dicit DONA: Si hoc non esset, spolia diceret. APTATQ. SUPERBIS POSTIBUS. Porticum enim Augustus fecerat, in qua simulacra omnium gentium conlocaverat, quæ porticus appellabatur *Ad nationes.*

VARIORUM.

VOTUM IMMORTALE SACRABAT. Hoc est nuncupatis votis debitum consecrabat. GERM.

DONA RECOGNOSCIT POPUL. Aurum coronarium dicit. Id specie triumphorum vel oblatum, vel exactum. Origo fuit, ut socii & amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quasi gratulantes, & meritum ei caput cingentes, quæ ante ipsum in triumpho prælatæ, populo ostendebantur. Postea invaluit, ut pro iis pecunia & aurum in coronas offerretur, & hoc proprie *aurum coronarium.* Lipsius de magnit. Rom. lib. 2. cap. 9. Id auri Suetonius quoque scribit in Circo offerri solitum à populo. Et in Claud. vita: Nec ullo, inquit, spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos, prolataque sinistra, pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret. Eo allusisse videtur Iuvenalis,

— & cum se verterit annus,
Accipe victori populus quod postulat aurum.

Fragmenta auri & argenti donabantur, idque genus stips dicebatur collatitia, ut singuli tamen quid minimum præstarent. Id inde ad fabros deferebatur, in aliquod ornamenti genus conflandum. Hoc ab Alpheno Iurisconsulto, *argentum postulatum* dictum videtur. Martial. lib. 7 *nulla venit à me Argenti tibi libra postulati.* HORTENS.

VOTUM IMMORTALE SACRABAT. Hoc est nuncupatis votis debitum consecrabat. In quam sententiam & verba Valerius lib. 1. de Marcello. In quo cum Marcellus quintum consulatum gerens, templum Honori & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis votis debitum consecrare vellet, à collegio augurum impeditus est. GERMAN.

IN TEMPLIS MATRUM CHORUS. *Matrum* meminit signate, quoniam in precibus & supplicationibus, & omnino in colendis sancte cælestibus, præcipua solet esse laus mulierum: recteque D. Augustinus, devotum fœmineum sexum vocavit. PONTANUS.

Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros:
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat: Euphrates ibat jam mollior undis:
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dae, & pontem indignatus Araxes.
Talia per Clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero, famamque & fata nepotum.

S E R V I I.

HIC NOMADVM GENVS. Atqui Antonius Orientis habuit populos: sed intelligamus has gentes Africæ operas suas locasse: & simul cum Antonio ab Augusto esse superatas. DISCINCTOS. Vel habitum eorum ostendit: qui usque in talos fluebat. Quod Plautus ridet in Pœnulo dicens, *Quenam illæc avis est?* Cum Afrum vidisset vestem dimissam trahentem; neque enim utuntur hodieque zonis; Aut *discinctos* dixit, inhabiles militiæ. Omnes enim qui militant cincti sunt. Aut certe inefficaces: ut contra *præcinctos*, strenuos dicimus. Horatius, *Altius ac nos præcincti sunt.* Unde & Græce ἄζωνος appellatur: non qui bonam zonam habet, sed strenuus. MVLCIBER. Vulcanus: ab eo quod totum ignis permulcet: aut quod ipse mulcatus pedes sit, sicut quibusdam videtur, aut quod igni mulcatur.

LELEGAS. Thessalos. Lucanus de Thessalia, *Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.* CARASQVE. Caræ insulani populi fuerunt piratica famosi, victi à Minoe, ut Thucydides & Salustius dicunt. GELONOS. Populus Scythiæ.

EVPHRATES IBAT IAM MOLLIOR VNDIS. Sentiens quasi se esse superatum. Horatius, *Minores volvere vertices.*

MORINI. Populi in Galliæ finibus, qui Britanniam spectant proximi Oceano. RHENVS. Fluvius Galliæ, qui Germanos à Gallia dividit. BICORNIS autem, aut commune est omnibus fluviis, aut proprie de Rheno, quia per duos alveos fluit: per unum qua Romanum imperium est: per alterum qua interluit Barbaros. Ubi jam Vahal dicitur & facit insulam Batanorum.

INDOMITIQVE DAÆ. Scythiæ populi à parte Septentrionali juncti Persidi, unde Dani dicti. PONTEM INDIGNATVS ARAXES. Hic Armeniæ fluvius cui Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt, postea Augustus firmiore ponte eum ligavit, unde ad Augusti gloriam dixit *Pontem indignatus Araxes.*

PER CLYPEVM VVLCANI. Hic distinguendum, nam Vulcani parentis non procedit.

IMAGINE GAVDET. Ignarus erat veritatis, sed triumphorum imagine delectabatur.

ATTOLLENS HVMERO FAMAMQVE ET FACTA NEPOTVM. Si *fata* legeris, hoc est quod nepotes fataliter fecerunt. Hunc versum notant Critici, quasi superfluo & inutiliter additum, nec convenientem gravitati ejus, namque est ejus magis neotericus.

V A R I O R V M.

DISCINCTOS MVLCIBER AFROS. Simplex epitheton à veteribus tractum. Macrob. lib. 6. cap. 5. Sat. Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 20.

MVLCIBER. Vulcani epitheton, quod omnia mulceat ignis. Vide Macrob. lib. 6. cap. 5. HART.

EVPHRATES IBAT IAM MOLLIOR. Tanquam scilicet se submittens & Augusti dominatum agnoscens. Nimirum & huic fluvio vim futuri præsagam & fatidicam non solum accolæ, sed & advenæ persuasum habebant. GERMAN.

EVPHRATES. Quasi amnis senserit etiam Cæsaris victoriam. Euphratem & Araxem montes Armeniæ majoris fundunt, hunc in ortum, illum in occasum. HORTENS.

EXTREMIQVE HOMINVM MORINI. Iac. Loensis, lib. 6. cap. 21. Epiphyllid. Turneb. lib. 23. cap. 5.

RHENVSQVE BICORNIS. Turneb. ibid.

PONTEM INDIGNATVS ARAXES. De hac voce disputat Pet. Victorius lib. 36. cap. 10. Turneb. lib. 19. cap. 20.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER NONUS.

ATque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:

SERVII.

ATQUE EA DIVERSA PENITUS DUM PARTE GERUNTUR. In hoc libro mutatio est omnium rerum. Nam & aliæ personæ, & loca alia sunt, & aliud negotium incipitur. Ab Ænea enim transit ad Turnum, à Tuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum ad bellum; quem transitum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter junxisse superioribus negotiis sequentia, per illam particulam; *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.* Scilicet dum offeruntur arma, dum dantur auxilia. DUM enim cum sit conjunctio, hic tamen adverbii vim obtinet. Terentius, *Mea nihil refert dum potiar modo.* Sane formatus est iste liber ad illa Homeri, ubi dicit per noctem egressos esse Diomedem & Vlyxem cum capto Dolone castra penetrarunt. nam partem maximam & œconomiæ & negotiorum exinde habet. DIVERSA PENITUS. Valde diversa, id est longius remota, vel apud Pallanteum, vel in Etruria. unde paulo post dicit, *Nec satis, extremas Coriti penetravit ad urbes, Lydorumque manum.*

IRIM. Iris quasi ἔρις dicta est. nunquam enim ad concilationem mittitur sicut Mercurius, sed ad disturbationem. Et est ministra non tantum dearum, sed & deorum; nam præter Homerum & Virgilius hoc probat dicens, *Aeriam cœlo nam Iuppiter Irim Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem.*

AUDACEM AD TURNUM. Fortem, sine felicitate, sicut de Pallante diximus. & modo audaciæ laus opportuna, quia ad audendum exhortandus est.

PARENTIS PILUMNI. Pilumnus & Pithumnus fratres fuerunt, & dii. horum Pithumnus usum stercorandorum invenit agrorum: unde & Sterquilinius dictus est. Pilumnus vero pinsendi frumenti, unde & à pistoribus colitur. Ab ipso etiam *pilum* dictum est. Quidem Pilumnum & Pithumnum Castorem & Pollucem accipiunt. nonnulli laudum deos. Varro conjugales deos suspicatur. SACRATA VALLE. Ideo SACRATA, quia ut diximus supra, nunquam est lucus sine religione. SEDEBAT. Vt Asper dicit, erat, quæ clausula, antiqua est, & de usu remota. Secundum Plautum autem, *Sedere*, est consilium capere, qui inducit in Mostellaria servum dicentem, *Sine juxta aram sedeam & dabo meliora consilia.* Sed secundum augures, *sedere* est augurium captare: namque post designatas cœli partes à sedentibus captabantur auguria: quod & supra ipse ostendit latenter, inducens picum solum sedentem, ut, *Parvaque sedebat Succinctus trabea*: quod est augurum, cum alios stantes induxerit: Ergo *sedebat* aut erat, aut consilia capiebat, aut augurabatur. Vnde & hic locus vice ædis sacratę accipi debet, quod plenius illo loco dictum est, *Hoc illis curia templum.* Aut quia in locis sacris sedentes, consilia habituri erant curiam in templo haberent, quod Numa cum sciret, Vestæ ædiculam non templum statuit, ne ibi Senatus haberi posset, & ipsa necessitate vir introiret locum. Nam & ipsa consilia à sedendo quasi considia dicta sunt. Sedentium enim animi tranquilliores fiunt.

THAUMANTIAS. Secundum poëtica, Thaumantis filia. Cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus nascitur.

DONATI.

DIVERSA. A Trojanorum castris remota. Sic in Quinto: *Quo diversus abis*, id est, à me remotus?

AUDACEM. Inconsultum & temerarium. Iris vero hinc hortatur, illinc objurgat.

SEDEBAT. In ocio erat, & non tractibus necessariis vacabat, ut multi volunt. Vult enim Poëta illius inertia laudes Æneæ per comparationem extollere: & ut Æneam laudat à loco & frigore fluminis, sic hunc vituperat, quod in loco amœno ociaretur, cum Æneas per laborem subiisset nemora, & longinquas partes petiisset. Misit ergo Irim Iuno ut torpentem excitaret.

VARIORUM.

Explicat hunc librum Turnebus lib. 22. cap. 7. & cap. 15. per totum. & lib. 29. cap. 25.

LUCO TUM FORTE PARENTIS PILUMNI. Turneb. lib. 23. cap. 3. accipit de eo, qui mortuis feriatur; ut Pilumnus pro mortuo à Turno coleretur. Nescio tamen, an ad Pilumni ἀποθέωσιν potius Poëta respexerit, cum diis ex hominibus factis heroibus lucum sacrare antiquitati solenne esset. Ita ut verisimile sit Turnum tum in valle Pilumno sacra, tanquam in sacro & religioso loco consedisse, solitum quotannis divinos ei honores instaurare. GERM.

Ecce Turne,

Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.
Æneas, urbe, & sociis, & classe relicta,
Sceptra Palatini, sedemque petit Evandri:
Nec satis: extremas Coriti penetravit ad urbes:
Lydorumque manum, collectosque armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omneis, & turbata arripe castra.
Dixit, & in cœlum paribus se sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sydera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam

SERVII.

DIVVM PROMITTERE NEMO. *Nemo*, pro nullus posuit, & est Atyrologia. nam, *divum nemo*, non possumus dicere, cum proprie nemo sit nec homo.

AVDERET. Docet per transitum multa interdum temporum ratione provenire, quæ numina præstare non possunt: quod etiam paulo post in Matris deûm petitiore Iuppiter probat dicens, *Cui tanta deo permissa potestas.* VOLVENDA. Pro volubilis. ÆNEAS VRBE ET SOCIIS. Ab occasione, & ostendit quid illi expugnandum sit, quia caret defensore. VRBE. Vrbs ista quæ est rutam * *Ipse humili designat mœnia fossa*: hanc *castrum laurens* ait dici Varro, oppidum tacet. Sed ubi primum Æneas egressus sit, cum locum Trojam nuncupari traditur *

PALATINI. Prolepsis, est.

NEC SATIS. Quia occurrebat ab Euandro eum facile posse remeare. CORITHI PENETRAVIT. Vt totam Etruriam peragrasse videatur. CORITHI autem montis Tusciæ: qui, ut diximus, nomen accepit à Coritho rege, cum cujus uxore concubuit Iuppiter, unde natus est Dardanus. *Penetravit* autem bene, quia supra dixerat *penitus*.

LYDORVMQVE MANVM. Omnia hæc ad occasionem faciendi pertinent ex longinquitate, ut dictum est, regionis.

NVNC TEMPVS. Aitetu. ARMAT AGRESTES. Ne ei formidinem iniiciat, *agrestes* esse commemorat.

ET TVRBATA ARRIPE CASTRA. Aut *arripe* & *turba*: aut turbata invade, per absentiam Æneæ inordinata. aut certe turba & arripe.

PARIBVS ALIS. Id est æqualibus, & ostendit æqualem volatum.

FVGA. Pro veloci reditu, neque enim fugit. SECVIT SVB NVBIBVS ARCVM. Hoc est duxit. ut, *Ille viam secat ad naves.* Et re vera arcus ipse variis coloribus sectus est. Bene autem SVB NVBIBVS, quia sine nubis beneficio arcus non videtur.

AGNOVIT IVVENIS. Deest, *eam*, & Irim tantum agnovit, non & à quo missa sit, utrum à Iove an à Iunone. Hinc est quod dicit, *quis te mihi nubibus actam Detulit in terras?* Vnde apparet eum scisse nuntiam illam & Iovis & Iunonis esse.

DONATI.

TVRNE. Nomine excitat, & proponit occasionem utilem non omittendam.

ÆNEAS. Magnum pondus in nomine.

NVNC TEMPVS EQVOS. Monet quid faciendum, ne ille in consultando perdat tempus.

DIXIT. Nam objurgata est, terruit, instruxit, hortata est.

DECVS CÆLI. Quanta est laus ornare cœlum, & meritum & pulchritudo?

VARIORVM.

TVRNE. Exhortatoria oratio, ad invadenda castra hostium. Exordium à temporis expectati ratione ductum: locus ab oportuno.

VOLVENDA DIES, EN ATTVLIT VLTRO. *Volvenda*, præteriti temporis videtur. Turneb. lib. 30. c. 19. Nannius Miscell. cap. 2. lib. 5.

SCEPTRA PALATINI. Ang. Politianus Miscell. cap. 71.

SEDEMQVE PETIT EVANDRI. In Vaticano quodam volumine, pro *petivit*, legi *petit* dissyllabum, docet Politian. cap. 71. quod & metri jus cogit: alioqui prima syllaba vocis *Euandri*, contra omnem rationem vel consuetudinem brevis fieret. Est autem spondeus quinta sede & syllaba posterior in verbo *petit*, vel quia sit in fine, vel quia coaluerit una ex duabus jure producta est. PONTAN.

PARIBVS SE SVSTVLIT ALIS. Bene addidit *paribus alis*; nisi enim pari nixu præstare volatum non possunt: nam si una est debilis, incolumis vero altera, perinde sunt, ac si ambæ vexatæ sint. DONAT.

IRI, DECVS CÆLI. Ex Homer. Macrob. lib. 5. cap. Saturnal.

Detu-

Digitized by Google

Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempeſtas? video medium diſcedere cœlum,
Palanteſque polo ſtellas. ſequor omina tanta
Quiſquis in arma vocas. Et ſic effatus, ad undam
Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.
Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictaï veſtis, & auri.
Meſſapus primas acies, poſtrema coërcent
Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:
Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus

SERVII.

REPENTE. Item aliud augurium. Nam cum Iris ſine nubibus non poſſit videri, poſt ejus abſceſſum ſtatim eſt ſecuta ſerenitas. CLARA autem bene addidit, quia tempeſtas ꝑ μέσον eſt.

DISCEDERE COELVM. Chaſma dicit factum, id eſt ſubitam aëris diſruptionem & quendam receſſum: per quod vult videri inter chaſma Irim ſe recepiſſe. MEDIVM autem bene dixit: nam eſt & ſummum. unde eſt lib 1. Æn. *Sic vertice cœli Conſtitit.* Nubes autem in medio ſunt, ubi omnia iſta fiunt ſigna quæ dicit, id eſt Iris, ſerenitas, chaſma. Nam ſi in ſummo fieret, nullus videre potuiſſet. Humani enim oculi altiorem & nimium ſplendorem ferre non poſſunt. Sane chaſma eſt (ita enim Plinius vocat) diſruptio & quidam cæli receſſus. In Auguralibus libris inter oſtenta etiam cœlum diſciſſe dicitur: Et quidam hic *cœlum* pro aëre accipiunt, ut Lucretius, *In hoc cœlo qui dicitur aër.* PALANTESQVE POLO STELLAS. Bene *palantes*, quaſi in alienum tempus errore venientes. Aut *palantes*, quæ ſunt palantes, Epitheton ſtellarum perpetuum. OMINA TANTA. Scilicet cœleſtia. Et hæc *omina*, pro ſignis vel auſpiciis poſuit.

QVISQVIS IN ARMA VOCAS. Vel Iuno, vel Iupiter.

ONERAVITQVE ÆTHERA VOTIS. Iterum atque iterum, aut alia atque alia eſt vota pollicitus. Locus autem iſte dictus eſt ſecundum augurum morem, apud quos fuerat conſuetudo, ut ſi poſt acceptum augurium ad aquam veniſſent, inclinati aquas haurirent: exinde & manibus & fuſis precibus vota promitterent, ut viſum perſeveraret augurium, quod aquæ interceſſu diſrumpitur. Vnde etiam in duodecimo, viſum augurium non procedit, nec ſortitur exitum firmum; quia cygnus dimiſſus ab Aquila in fluvium cecidit, ut, *Prædamque ex unguibus ales Projecit fluvio.* Hinc videtur etiam Turnum minime potuiſſe liberari.

IAMQVE OMNIS CAMPIS EXERCITVS IBAT. Intelligamus hunc exercitum primo confuſe in campos fuiſſe: poſt digeſtum in ordines, ut ſit ſequentium fluminum congrua comparatio: quæ flumina dicit poſt camporum inundationem in alveos ſuos reverti. Nam hoc vult dicere, Vt de campis flumina in alveos ſuos redeunt, ſic digeſta eſt in acies militum multitudo, quæ fuerat ante diffuſa.

DIVES EQVVM. Per genitivum frequentius utimur hac figura, quam per ablativum. Sane hic ſecutus veteres cujus rei *dives* addidit, cum alibi ſubtraxerit lib. IIII. Æn. ut *Dives quæ munera Dido*, & *Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos.*

COERCENT. Cogunt, colligunt. Alias continent, alias, compeſcunt, nonnulli *poſtrema* pro poſtremas partes accipiunt.

SEDATIS AMNIBVS. Quia Nilus exundat æſtate, cum cætera flumina imminutione quieta ſunt.

DONATI.

CEV SEPTEM. Per comparationem oſtendit magno ſilentio iviſſe Turnum, ut improviſus opprimeret incautos: tamen ingens pulvis illos manifeſtavit.

VARIORVM.

VNDE HÆC TAM CLARA REPENTE. De chaſmate ſive hiatu, Turneb. lib. 2. cap. 12.

MEDIVM DISCEDERE COELVM. Chaſma, ſive hiatus cæli indicatur. Sane *chaſma*, ut ait Plinius, *diruptio & quidam cæli receſſus eſt.* Diſcedere, hic χάζειν eſt. Lucret. lib. 3. *mœnia mundo diſcedunt*, id eſt, cælum hiat. Alii *diſcindere* legunt, minus recte. TAVBM.

PALANTESQVE POLO STELLAS. Quæ diſcurrere videntur, nunquam temere, quin ex ea parte truces venti cooriantur. Atque hinc procellæ terra marique. Proinde belli ingruentis tempeſtatem horribilem id denuntiat exorituram. HORTENS.

SVMMOQVE HAVSIT DE GVRGITE LYMPHAS. Reſpicit ritum Romanorum, qui ante bella vota nuncupantes, ſe aqua luſtrabant. GERMAN.

ONERAVITQVE ÆTHERA VOTIS. Ritum lavandi ante pugnam & vota concipiendi, ex Plutarcho, Turneb. lib. 25. cap. 30.

POSTREMA COERCENT. Id eſt οὐραγεῖν, claudunt agmen, ut Livius loquitur. PONT.

Digitized by Google

Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, & jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Pimus ab adversa conclamat mole Caïcus:
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest: eja. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Tencri portas, & mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modo, & tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat:
Objiciunt portas tamen, & præcepta facessunt,
Armatique cavis expectant turribus hostem.

S E R V I I.

ALTVS PER TACITVM GANGES. Fluvius Indiæ est, qui secundum Senecam in situ Indiæ, novem alveis fluit, secundum *Melam* septem: qui tamen & ipse commemorat nonnullos dicere quod tribus alveis fluat. Virgilius tamen Nilo eum jungens septem alveos habere significat. Hanc varietatem Donatus fugiens longum Hyperbaton facit, dicens, *Ceu surgens septem amnibus Nilus aut Ganges.* ALTVS PER TACITVM. Sane bene addidit PER TACITVM ALTVS, hoc est profundam altitudinem. nam licet crescat, intra ripas tamen est, nec ut Nilus superfunditur campis. Vnde Asper distinxit *altus per tacitum.* Et bene agmen exercitus flumiui comparavit, quia & fluviorum agmina ipse dicit, *Lenis fluit agmine Tybris.* PINGVI FLVMINE NILVS. Nilus dictus est quasi νέαν ἰλὺν, hoc est novum limum trahens: quod volens exprimere dixit *Pingui flumine*, id est fluore: quæ res fœcundam efficit terram, quod & ipse in Georgicis ostendit dicens, *Liquuntur montibus amnes, Felicemque trahunt limum.* Item, *& viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.*

CVM REFLVIT CAMPIS. Hoc est à campis r:diit, tunc enim omnia ora ejus apparent, alias cum abundat una ejus facies est.

AB ADVERSA. Castris opposita, an venienti agmini? QVIS GLOBVS. Id est quantus. admirantis enim est, non interrogantis. nec enim interrogat qui nuntiat.

HOSTIS ADEST, EIA. Hic distinguendum, ut, *Eia* militum sit properantium clamor: & est Ennianum, qui ait, *Eja macheras.* Ergo *Eia* ingenti clamore dicentes, ad portas ruebant. Alii, *Hostis adest, eia*: legunt. *Eia* non à persona ad personam dictum putant, sed ipsum Poëtam quasi actu rei & imaginatione exclamasse.

NAMQVE ITA DISCEDENS PRÆCEPERAT. Excusatio Trojanorum, ne portas clausisse timore viderentur. OPTIMVS ARMIS. Peritus armorum, dux egregius qui & futura provideret.

SI QVA INTERREA FORTVNA FVISSET. Scilicet bellicus casus.

TVTOS SERVARENT AGGERE MVROS. Id est tutos beneficio aggeris muros.

PVDOR, IRAQVE MONSTRAT. Licet eos hortaretur ire pudor.

OBIICIVNT. Objices ponunt, vel objicibus muniunt, & per hoc cludunt. FACESSVNT. Hic faciunt, alias discedunt, ut, *Illa hinc facessat.*

TVRRIBVS. Pro in turribus.

D O N A T I.

QVIS GLOBVS. Primo dubitavit: deinde cognovit esse hostes.

TELA. Etiam lapides & omnia missilia dici possunt.

NAMQVE ITA DISCEDENS PRÆ. Aliter enim timidi poterant videri Trojani, qui instructa acie non exirent contra hostes. Æneæ præceptum propter incertos fortunæ casus sapiens fuit. ergo: Duas dedit illis virtutes: alteram ne imbelles viderentur: alteram ut regi parerent.

V A R I O R V M.

AVT PINGVI FLVMINE NILVS. Sententia est; quemadmodum de campis flumina in alveos redeunt: sic militum multitudo, quæ ante in campos confuse proruerat, in acies digesta est. Nam *refluere campis*, non est fluere per campos; sed relabi è campis in alveos. TAVBMAN.

SI QVA FORTVNA FVISSET. Belli. Discedens præceperat, in rebus dubiis claudere portas. Excusat factum à mandatis ducis. HORTENS.

Turnus,

Turnus, ut antevolans tardum praecesserat agmen:
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, o juvenes, qui primus in hostem?
En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ: & campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono. Teucrûm mirantur inertia corda:
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. huc turbidus, atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,

SERVII.

TARDUM AGMEN. Peditum dicit, qui equitum comparatione tardi sunt.

URBI. Trojæ quam fecerat Æneas castrorum in morem.

MACULIS QUEM THRACIUS ALBIS. Figuras maculis albas habens. & nove *albas maculas* dixit, cum proprie macularum hæc sit natura, ut obscuritate sua album aliquid infuscent.

CRISTAQUE TEGIT GALEA AUREA RUBRA. Pro galea cristas habens rubras: sed duo ablativi sunt, & duo nominativi, quos metrica ratione discernimus. Nam *rubra crista* longæ sunt ultimæ, quia ablativi sunt casus. Sane hujusmodi versus pessimi sunt.

EN, AIT. Eclipsis festinationis exprimendæ gratia, quidquid enim addideris sensus admittet.

PRINCIPIUM PUGNÆ. Hoc de Romana solennitate tractum est. Cum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc est princeps Fecialium proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia, clara voce dicebat se bellum indicere propter certas caussas, Aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Et hæc *Clarigatio* dicebatur à claritate vocis. Post quam clarigationem hasta in eorum fines missa, indicabatur jam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem quam res repetissent ab hostibus, Feciales hastam mittebant. Denique cum Pyrrhi temporibus adversum transmarinum hostem, bellum Romani gesturi essent, nec invenirent locum, ubi hanc solennitatem per Feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flamineo locum emere, ut quasi in hostili loco jus belli indicendi implerent: Denique in eo loco ante pedem Bellonæ consecrata est columna, Varro in Caleno ita ait, *Duces cum primum hostilem agrum introitum ierant ominis causa prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent*: Ergo bene hoc Poëta de more Romano tractum, Turno utpote duci dedit, sed in hac consuetudine Fecialis qui bellum indicebat, antequam hastam jaceret, etiam terram hostium contestabatur, unde quidam volunt Æneam scientem quod bellum gesturus esset, sicut à Sibylla cognoverat: ubi ad Italiæ partem debitam venit, primum adorasse terram, ut *Geniumque loci, primamque deorum Tellurem*.

CLAMOREM EXCIPIUNT SOCII. Legitur & *clamore*. Si CLAMORE, sensus erit talis, Hastæ jactum socii clamore comitantur. Si CLAMOREM, intelligimus Turni eos clamorem excepisse, & cum fremitu eos sequutos esse, id est Excipiunt clamorem Turni, & cum fremitu eum sequuntur.

INERTIA CORDA. Non re vera: sed sicut hostibus videbatur.

ARMA VIROS. Vehementius *viros* pronuntiandum. CASTRA FOVERE. Veteres *fovere*, pro diu incolere & habitare dicebant.

ADITUMQUE PER AVIA QUÆRIT. Etiam *per avia*. Sane exprimitur Turni violentia. nam viam per avia nullus requirit.

DONATI.

TARDUM. Non quod tarde ambularet, sed comparatione Turni.

IACULUM. Dedit principium pugnæ. id enim signum fuit ante, quod nulli licebat arma movere.

VARIORUM.

TURNUS UT ANTE VOLANS. Siccum genus elocutionis. Macrob. lib. 5. cap. 1. Saturnal. In hac voce motum auditi ait, Scalig. lib. 4. cap. 16.

QUEM THRACIUS ALBIS PORTAT EQUUS. qui generosiores cæteris. Turneb. lib. 23. cap. 14.

IACULUM INTORQUENS EMITTIT. Titius lib. 4. cap. 13. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.

AC VELUTI PLENO. Pathetica parabola. Macrob. lib. 4. cap. 5. Saturnal. Pathos ab ira. Venusta comparatione vim iramque Turni proponit, ducta à natura lupi, ad ovilia ovibus insidiantis, cum irrumpere nequeat.

Digitized by Google

Cum fremit ad caulas, ventos perpessus & imbreis,
Nocte super media: tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper, & improbus ira
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros & castra tuenti
Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet:
Qua tentet ratione aditus, & quæ via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circum, & fluvialibus undis,
Invadit: sociosque incendia poscit ovantes:
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt: urget præsentia Turni,
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commissam Vulcanus ad astra favillam.
Quis deus ô Musæ tam sæva incendia Teucris

SERVII.

AD CAVLAS. Munimenta & septa ovium. Est autem Græcum nomen, c detracto. Nam Græci aulas vocant animalium receptacula. Vnde in sacris ædibus, & in tribunalibus, septa quæ turbas prohibent *aulas* vocamus.

NOCTE SVPER MEDIA. Vltra mediam noctem, id est plus quam media vel majore ejus parte. Et est bona elocutio facta per Syllepsin. ut si dicas, *Lego nocte super media*: id est contra mediam noctem. Nulla enim syllepsis est quæ non & casum mutet, & egeat subauditione. Vt, *Hanc ego nunc ignaram hujus quodcunque pericli est.*

IMPROBVS IRA. Non ira improbus, sed ira sævit, totum autem summa brevitate narratum.

SÆVIT IN ABSENTES. Fantasiam sævitiæ expressit: quia lupi sic circa caulas fremunt, ut in ipsis animalibus solent.

EX LONGO RABIES. Absoluta elocutio, ut si dicas, Ille fame fatigatur ex longo. SANGVINE. Pro à sanguine.

ET QVA VIA CLAVSOS. QVA adverbium loci est, non pronomen: nam non stat versus si VIA septimus sit, non nominativus Ergo *Qua via*: per quam partem vix vallo Trojanos excutiat. Legitur tamen, *Et quæ via*, & est sensus absolutior.

EFFVNDAT IN ÆQVOR. In planum, in campum.

INVADIT: SOCIOSQVE INCENDIA POSCIT OVANTES. Ysteroproteron, ut aviditatem juvenis ostenderet. INCENDIA autem pro materia ex qua incendia sequuntur, & videtur eventum posuisse.

TVM VERO. Vt signum incendendarum navium datum est.

FACIBVS PVBES ACCINGITVR ATRIS. Pro ad faces accingitur, ut sit dativus, ut *Accingunt omnes operi*, aut *Accingitur*, armatur, instruitur facibus.

DIRIPVERE FOCOS. Quæritur quid ibi faciant foci: Sed in carminibus quædam, nec ad subtilitatem, nec ad veritatem exigenda sunt, aut certe *focos* quos ibi habere potuerunt. PICEVM FERT FVMIDA LVMEN. Sordidior enim in tædis & ignis & fumus est.

QVIS DEVS O MVSÆ. Quia res deorum est & ardua, ideo per se eam non potest dicere. Hic autem gloria Turni latenter ostenditur, cujus vis nisi à numinibus repelli non potuit. TEVCRIS. Aut detraxit præpositionem Ab, ut sit ab Teucris, aut *Teucris* in honorem salutemque Teucrorum incendia classibus avertit.

DONATI.

VRGET PRÆSENTIA TVRNI. Plus valet præsentia ejus, qui potest jubere, quam jussio. Cum autem dicit *fumida tæda*, exprimit quare dixerit *facibus atris*.

VARIORVM.

PICEVM FERT. De atro lumine, Pet. Victor. lib. 26. c. 12. Var.

QVIS DEVS O MVSÆ. Rem prodigiosam commemoraturus, Musas rursum invocat, ut narrent cujus Dei beneficio incendium in naves injectum, sit aversum. FORTENS.

CVM FREMIT AD CAVLAS. *Caulæ* à cavo dictæ sunt, inquit Festus. Antiquitus enim ante usum tectorum oves in antris claudebantur. PONTAN.

Aver-

Digitized by Google

Avertit tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. priſca fides facto, ſed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas claſſem, & pelagi petere alta parabat:
Ipſa deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iovem: Da nate petenti,
Quod tua chara parens domito te poſcit Olympo.
Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant,
Nigranti picea, trabibuſque obſcurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, cum claſſis egeret,

S E R V I I.

PRISCA FIDES FACTO, SED FAMA PERENNIS. Omnis antiquitas difficile pura & incorrupta manat in poſteros. Ergo hoc dicit, Factum hoc licet priſcum ſit, id eſt antiquum, tamen fama ejus non eſt obliterata temporum vetuſtate. Alii ſic intelligunt, fabuloſum eſt quidem ſed fides ejus rei penes priſcos eſt, ejus enim rei cujus auctorem facere noluit, ſic ordinem protulit: Alii, jam quidem evanuit fides, hoc eſt nemo credit factum, adhuc tamen fama vivit. Et dicitur, priſca autem fides ἀξιοπιστία, quaſi non ſit facta hiſtoria.

QVO PRIMVM. Hoc eſt initio. non enim ſecundo factæ ſunt naves apud Idam ab Ænea. PHRYGIA FORMABAT IN IDA. Id eſt formare cogitabat. non enim in Ida, ſed apud Antandrum factæ ſunt. Et bene PHRYGIA IN IDA Quia & in Creta eſt alia Ida, ut, *Mons Idæus ubi & gentis cunabula noſtræ.*

ALTA PELAGI. Abſolutum, ut *Lata camporum.*

IPSA DEVM FERTVR GENITRIX. Figmentum hoc licet poëticum ſit, tamen quia exemplo caret, notatur à Criticis. Vnde longo proœmio excuſatur. nam ideo & priſca ratione religionis & Iovis beneficio dicit eſſe perfectum, ut naves mutarentur in Nymphas: quo vel aliqua ex parte poſſit eſſe veriſimile. Sane quidam *Fertur* reprehendunt, quod dicendo auctoritatem rei detraxerit: Alii laudant, quod dicendo FERTVR, incredibili rei auctoritatem dare noluerit.

BERECYNTIA. Mater deûm à monte Phrygiæ Berecynto, cujus ultima ſyllaba caret aſpiratione, quam addimus, quotienſcunque montem Deli Cynthum dicimus. Eſt autem tenuis iſta diſcretio, quibus nominibus ſubtrahi debeat aſpiratio. Nam ecce, Ripæi montes Arcadiæ non ſcribuntur cum aſpiratione: quam addimus, cum Riphæos montes Scythiæ ſignificamus.

DA NATE PETENTI. Ac ſi diceret, Ei quæ jubere debuerat. Et dicendo NATE & PARENS iteratione auxit adfectum. DOMITO TE POSCIT OLYMPO. Videtur hoc dicere, Præſta ei cujus beneficio ſervatus ad Olympi regna veniſti. Saturnus enim cum omnes conſumeret filios, Iovem ſolum eſſe non potuit celatum matris auxilio. Domito ergo Olympo, in tuas ſcilicet leges per beneficium meum mundo redacto. Sane hæc narratio tunc 11. libri erat, ſed Dilata eſt, ut hic opportunius redderetur. Aut ne bis idem diceretur: poteſt ergo aut κατὰ τὸ σιωπώμενον videri, aut ὕστερον πρότερον.

PINEA SYLVA MIHI. Congrue, nam pinus in tutela Matris deûm eſt.

IN ARCE FVIT SVMMA. Hoc eſt apud Gargara, quæ dicta ſunt quaſi κάρα κάρας, id eſt caput capitis, altitudinis altitudo, κάρα eſt ἡ κεφαλή. Gargara autem ſunt montis Idæ cacumina: propter quod dixit *In arce ſumma.* Sane & hic locum ſacratum oſtendit: Et Pinea ſylva lucus fuit: tale ſcema eſt Eclog. I. *Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes*, ubi fœminino plurali fœmininum ſingulare jungit. Et, *Ite meæ quondam fælix pecus*, ubi duobus fœmininis pluralibus neutrum ſingulare que dei comitatus. *

NIGRANTI PICEA. *Nigranti*, umbroſa: & picea arboris genus eſt, unde pix deſudat. Harum autem ſecundum Plinium quinque ſunt ſpecies: ſicut etiam ſupra diximus.

HAS EGO. Non trabes. nam de acere naves non fiunt. Vnde melius arbores intelligimus, referentes ad piceas vel pinus. Sane notandum *trabes* cum dixiſſe de arboribus, cum non dicantur trabes niſi jam cæſæ ſint & depoſitæ. Abutitur ergo eo quod poſterius eſt, pro eo quod eſt prius. QVO SACRA FEREBANT. Non addit qui, ſed intelligimus Frigas. Item, *Centum urbes habitant magnas*: id eſt Cretes, & bene arbores conſecravit, quibus immortalitatem peritura eſt. CLASSIS EGERET. Pro *claſſe*, genitivus pro ablativo. & juſta Æneæ petitio, & concedentis benignitas numinis excluſit piaculum. Nam his remotis ſacrilegium committeretur, ideo addidit *læta dedi.*

D O N A T I.

TEMPORE QVO. Veriſimilis fit res, cum tempus & locus exponitur.

IPSA DEVM GENITRIX. Nullus homo hæc viderat aut audiverat, ſed Muſæ Poëtam docuerunt.

DA. Imperativa vox oſtenditur parentis. NATE. Quod nomen ad imperandum multum valet.

CHARA. Vt ſit, da parenti quam diligis & quæ te amat. Rem autem arduam petitura, cauſas juſtas inſerit.

Læta

Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem:
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sydera mundi:
O genitrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereïa Doto,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,

SERVII.

TIMOR ANXIUS ANGIT. Aut perpetuum est timoris epitheton; aut certe verum timorem voluit significare, ut separaret ab eo qui ex cupiditate nascitur prosperorum. ut, *Exultantiaque haurit Corda pavor pulsans.*

SOLVE METUS. Id est meos.

PROSIT NOSTRIS IN MONTIBUS ORTAS. Bona brevitate detraxit & HIS & ESSE. Nam plenum est Prosit his ortas esse in montibus nostris: quod fecit elocutionis caussa. Sane ostendit, quod supra arcem dixit pro monte, & bene *ortas*, ut sensum quendam navibus daret, verbum de origine commoda.

TORQUET. Sustinet, aut nutu suo regit.

QUO FATA VOCAS? Ostendit fata posse aliquatenus trahi, non tamen usquequaque. Hinc enim dicit QUO, id est ad quam rem. PETIS ISTIS? Id est pro istis. nam sic dicimus, peto tibi, id est pro te. Aut *Istis*, utrum precibus an navibus?

FAS HABEANT? Ius; nec enim possunt æterna esse quæ ab hominibus facta sunt. Horatius, *Debemur morti nos nostraque.* Nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt. Sallust. *Ceterum studia omnia nostra sicut anima, immortalia sunt.* CERTUSQUE INCERTA PERICULA LUSTRET ÆNEAS? Securus dubia tentet? Et hoc dicit, casibus licentiam hæc petitio vult adimere. Nam Æneas forte qua homo est, navigationis debet timere periculum: quod perit si ejus navibus æternitas detur.

CUI TANTA DEO PERMISSA POTESTAS? Cui: ac si diceret nec regi quidem deorum. *Permissa* autem data, ut hoc possit præstare.

DEFUNCTÆ. Liberatæ. ut, *Si tandem magnis pelagi defunctæ periclis.* PORTUSQUE TENEBUNT. Nautico usus est verbo, cum de navibus diceret.

QUÆCUNQUE. Hic ostendit aliquas esse perituras. EVASERIT UNDIS. De undis exierit, ad eum locum, de quo navigatura jam non sit. Alii legunt *evaserit undas*, quod si est, intelligimus quæcunque evaserit undarum periculum.

MORTALEM ERIPIAM FORMAM. Bene dixit MORTALEM. Nec enim potest fieri, ut eadem res & mortalis sit, & immortalis: sed ut sit immortalis, ante est ut desinat esse mortalis.

QUALIS NEREIA CLOTHO. Non dixit tales erunt, sic supra, *Qualis mugitus fugit cum saucius aram Taurus.*

DONATI.

TORQUET QUI SYDERA. Cui est omnium rerum potestas, sed tamen non debet aliquid præstare contra fatum ut illa petit, scilicet ut & naves & Æneas non sint subjecti casibus.

VARIORUM.

PROSIT NOSTRIS IN MONTIBUS ORTAS. Debent esse majoris meriti, quam quæ sacris in lucis non sunt ortæ. Prosit illis, fuisse mihi sacras, ortas in luco meo. DONATUS.

MORTALINE MANU FACTÆ. Locus à repugnantibus. HART.

UBI DEFUNCTÆ FINEM. *Defungitur*, qui tempora sua vivendo transiit. *Defungitur* quoque, qui munus debitum complet: ita hic *Naves defunctæ* sunt, quæ Ænean navigandi necessitate completa in Italiam vexerunt. TAUBMAN.

NEREIA DOTO. Alii Clotho. Vide Paull. Leopardum lib. 10 Miscell. cap. 25.

IDQUE RATUM STYGII. Hoc loco Virgilius Homero longe inferior. Macrob. lib. 5. cap. 13. Saturnal.

Per

Digitized by Google

Per pice torrenteis atraque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies: & tempora Parcæ
Debita complerant, cum Turni injuria matrem
Admonuit sacris ratibus depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab aurora cælum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas Teucri defendere naves,
Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. vos ite solutæ,
Ite deæ pelagi. genitrix jubet: & sua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt: hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur,
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.

SERVII.

PER PICE TORRENTEIS. Ardentes: & est figmentum poëticum.

TOTUM NUTU TREMEFECIT OLYMPUM. Homericum est, μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

ADERAT PROMISSA DIES. Promissum tempus advenerat. TURNI INJURIA. Scilicet quam inferebat. Et modo injuria est ἀδίκημα, id est injustitia. Hinc est apud comicos injurius, qui audet aliquid contra ordinem juris. Et bene *injuria*, quia & contra necessitatem fati quod Trojanos ad Italiam venire compulerat, & contra rationem fœderis bella commoverat. Alii *injuria* violentia accipiunt.

NOVA LUX. Hoc est repentina, Id est nimbus deorum, quod ipse paulo post dicit: In secundo, *Nimbo effulgens*, & hic *lux* proprie, aliter postea, *Continuo nova lux oculis effulsit*.

NIMBUS. Lumen quod capita deorum ambit, ut sæpe dixi.

NE TREPIDATE MEAS. Pro ne festineris. Et per hoc significatur, ideo ad navium defensionem egressos non esse Trojanos, quia numen vetuit.

QUAM SACRAS DABITUR PINUS. Fabula talis est: Attis puer speciosus cum Matris magnæ præesset sacris, à rege civitatis suæ adamatus est, sed cum intelligeret vim sibi à rege instare, quasdam in sylvas profugit: Cum ergo inventus vim sibi videret inferri, verenda stupratoris abscidit, qui moriens eandem ipsam partem corporis puero abscidit, quem semianimem sub pinu latentem cum invenissent antistites Matris magnæ perlatum in templum deæ frustra conati reficere, defunctum sepelierunt, cujus ut perpetua maneret memoria, Mater magna instituit, ut quotannis in sacris suis plangeretur, pinumque arborem sub qua jacuerat, tutelæ suæ adscripsit, & effecit ut cultores sui viriles sibi partes amputarent, qui Archigalli appellantur.

ITE DEÆ PELAGI. Alii hucusque volunt matrem deûm locutam. Prope enim videtur absurdum ipsam indicare quæ sit, cum jam nymphis & audientibus utique & videntibus dicat. Alii jungunt *Genitrix jubet*, & putaretur melius quia postea ait, *quas alma Cybele Numen habere maris, nymphasque è navibus esse Iusserat*.

DONATI.

HIC PRIMUM. Debuerunt ante conjurationem præire signa, ne casu res facta videatur. deinde vox sequitur, ut conjectura signorum firmetur.

MARIA ANTE. Pulchre à loco in quo erant, possibilitatem sumsit.

TOTIDEM. Ut appareret ipsas esse quæ fuerunt versæ.

VARIORUM.

ANNUIT ET TOTUM. Turneb. lib. 26. c. 30.

ERGO ADERAT PROMISSA DIES. Retulit, quod olim gestum videretur, redit ad caussam & præsentis temporis necessitatem. Venerat, inquit, dies promissi, & dispositionem suam fata compleverant: hoc est & navigiorum munus expletum fuerat, & Æneas in Italia erat: restabat, ut naves deposita forma mortali verterentur in deas. DONAT.

NE TREPIDATE. Pro festinate. Palmerius, pag. 730. Tom. 4. Lamp.

MARIA ANTE EXURERE TURNO. Pathos de nimietate. Macrob. lib. 4. cap. ultimo Saturnal.

Obstupuere animis Rutuli. conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tyberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno:
Vltro animos tollit dictis, atque increpat ultro,
Trojanos hæc monstra petunt: his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignes
Expectant Rutulos. ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Itala. nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant responsa deorum.
Sat fatis Venerique datum est, tetigere quod arva

SERVII.

OBSTVPVERE ANIMIS RVTVLI. Hoc est Rutulorum, dativus pro genitivo. Timuerunt ergo Rutuli, timuit Messapus numinis Marini filius, qui utique fiducia patris & sui, nihil ex mari timere debuerit, vel certe, *Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro*: timuit etiam Tyberis. Per hos autem gradus, id est Rutuli, Messapi, amnis, major Turni designatur audacia. Talis est & in quarto, *At non infelix animi Phœnissa.*

ET AMNIS RAVCA SONANS. Licet antiquitas habuerit hic & hæc amnis: melius tamen est accipere *rauca sonans*, pro rauce, quam rauca amnis.

REVOCATQVE PEDEM TYBERINVS AB ALTO. Nunc ipsum deum territum dixit: supra undas fuisse perterritas & in se repressas.

AVDACI TVRNO. Ecce ubi confirmat Epitheton quod Turno semper imponit, & hoc colore futuram orationem ostendit.

ANIMOS TOLLIT DICTIS. Magnanimitatem suam quia ipse non terreatur comprobat dictis. Tale est & illud de contrario, *Turbatumque oculis.* Potest tamen accipi, eorum animos tollit qui erant territi, & hinc increpat.

TROIANOS HÆC MONSTRA PETVNT. Id est Appetunt, hoc est ad Trojanorum pertinet damnum: ut, *Reginam petit.* IVPPITER IPSE. Scilicet qui omnibus præstare consuevit. Vnde & Iuppiter dictus est, quasi juvans pater. Ergo AVXILIVM SOLITVM non circa Trojanos accipimus: sed quod ipse omnibus præstare consuevit. Alii *auxilium solitum*, auxilium fugæ accipiunt.

NON TELA NEQVE IGNES EXPECTANT RVTVLOS. Non expectant Trojani, ut Rutulorum ignibus aut telis pereant: qui jam navium amissione perierunt.

MARIA INVIA TEVCRIS. Color est. Nam rem quam pro se Trojani putabant, in contrarium vertit dicens, navigationis & fugæ auxilium perdidisse Trojanos, quos constat pro felicitate habuisse navigationis vitare discrimina.

RERVM PARS ALTERA DEMPTA. Id est naturæ rerum. Humanæ enim naturæ duo elementa concessa sunt, mare & terra. NIL ME FATALIA TERRENT. Nihil pro non, & tacitis occurrit quæstionibus dicens, Si fataliter se ad Italiam venisse dicunt, jam venerunt, completa sunt fata. & callide tacuit quod erat fatale. Trojani enim dicebant Italiæ sibi regna deberi. Et est oratorium, quæstiones ita proponere ut facilem solutionis sortiantur eventum.

SI QVA PHRYGES PRÆ SE IACTANT RESPONSA DEORVM, Iactant, quasi & ista confingant. aut, *Præ se jactant*, præferunt.

TETIGERE QVOD ARVA. Quæstio est, an superare possent qui forte venerint, &, sicut supradictum est, per concessionem argumentatur, etiam si vera sunt quæ jactant, tamen jam completa sunt, tetigere quod arva Fertilis Ausoniæ Troës.

DONATI.

INCREPAT VLTRO. Temeritas maxima qui cum factum intellexisset: debuit potius fortunam suam deflere.

AVXILIVM SOLITVM. Quasi dicat, qui fugere semper soliti sunt.

TOT MILLIA. Separa, & deinde dic *gentes*. PHRYGES. Pro convitio posuit.

VARIORVM.

TROIANOS HÆC MONSTRA PETVNT. Sic & Græcis τέρας tam monstrum vulgari significatione, quam signum à numine dicitur. GERM.

TROIANOS. Propositio ab inversione prodigii. Nam quod suis erat adversum; prosperum faustumque Trojanis; id pro se ac contra Trojanos interpretatur [illegible]. Simul interim dum suorum ignaviam increpat, insolenter suas vires ac virtutem minatur. HORTENS.

OBSTVPVERE ANIMIS. *Obstupuere*, non ad permutationem navium pertinet tantummodo, sed ad omnia quæ visa fuerant vel audita. DONAT.

Fer-

Digitized by Google

Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam excindere gentem,
Conjuge prærepta: NEC SOLOS *tangit Atridas*
Iste dolor, solisque, licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Fœmineum: quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, lethi discrimina parva,
Dant animos. an non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu, considere in ignes?
Sed vos ô lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protinus omnes
Hetrusci socios: tenebras & inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,

SERVII.

SVNT ET MEA CONTRA FATA MIHI. Hoc falsum est quod dicit Turnus: sed in arte rhetorica tunc nobis conceditur uti mendacio, cum redarguere nullus potest. Vt in hoc loco, quis enim potest scire si Turno vere data sint, necne responsa? Sane quia scit falsum esse quod loquitur, argumentis probare dicta contendit, dicens esse sceleratam gentem, raptam sibi conjugem. In quo facto utitur Græcorum exemplo, qui ob raptam Helenam gentem delevere Trojanam.

CONIVGE PRÆREPTA. Invidiose sponsam, *conjugem* vocat. NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS ISTE DOLOR. Cur non in similitudine criminis sit pœnæ similitudo? si culpa repetitur, supplicia quoque geminentur.

PERIISSE SEMEL SATIS EST. Quasi objectio est, ut si dicatur, sed periisse semel satis est, immo vero semel satis fuit eos peccasse, ex quo colligitur quotiens peccaverint, totiens eos perire debere.

PENITVS MODO NON GENVS OMNE PEROSOS FOEMINEVM? Modo omne genus fœmineum, non eos penitus perosos oportebat, propter quod ante perierunt. Locutus est autem figurate.

MEDII FIDVCIA VALLI. Quod inter Trojanos Rutulosque sit medium, & bene de muris nihil dixit.

FOSSARVMQVE MORÆ. Non tutela: sed mortis dilatio.

AN NON VIDERVNT. Legitur & AT NON viderunt: si AN NON, absolutum est. si AT NON, inceptiva est particula ad ornatum pertinens. Horatius, *At ô deorum quicquid in cælo regit.* Tale est *At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor*: & est exemplum a majore ad minus, hoc est At credo, non viderunt Neptuni manu fabricata mœnia conflagrasse, ut fiduciam vitæ in exigua, & parva fossa habeant.

LECTI FERRO. Verum ad ferrum lecti, an potius acie lecti? ut si dixisset virtute lecti. VALLVM. Historice locutus est: Vallum autem dicitur ipsa munitio. Nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. Ipse de sustentaculis vitium, *Vallos primus sub tecta referto.*

TREPIDANTIA CASTRA. Vt, *Turbataque arripe castra.*

NON ARMIS MIHI VVLCANI, NON MILLE CARINIS. Bene *arma* generaliter dixit. Nam & ipse habuit à Vulcano, sed solum gladium: ut, *Ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.* Per hoc autem quasi latenter dicit se Achille esse meliorem, qui se Trojanos etiam sine divinis armis superare posse confidit.

ADDANT SE PROTINVS OMNES. Ne timere videatur auxiliorum multitudinem, dicit incrementa esse victoriæ: quidam *protinus* hic pro licet accipiunt.

DONATI.

SOLOS ATRIDAS. Si luerunt pœnas primarum injuriarum in Atridas pulsi patria, luent & istarum in nos jam extorres, & ideo imbecilliores: est ergo mirum exemplum. deprimit autem omnia illorum gesta apud Trojam, & se Græcis præponit, quod non fraude, sed vi velit adoriri.

VARIORVM.

NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS. Ex Homero Macrob lib. 5. cap. 9. Saturnal.

TENEBRAS ET INERTIA FVRTA. Sensus hic est, Nihil est our metuant, ne per noctem & insidias occupentur. Non imitabimur Vlyssem & Diomedem. PONT.

Ne timeant: nec equi cœca condemur in alvo:
Luce palam certum est igni circundare muros.
Haud sibi cum Danais rem, saxo, & pube Pelasga
Esse putent: decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei:
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti: ast illos centeni quemque sequuti,
Purpurei cristis juvenes auroque corusci,
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas

SERVII.

LVCE PALAM. Propter tenebras & furta inertia. Vel *luce*, quod Ilium nocte captum est: *Palam*, quia insidiis.

QVOS DISTVLIT HECTOR. Bene solius Hectoris facta est commemoratio, ut ostendatur periisse eum, qui potuit esse terrori. Et satis Hectori dedit, quasi plus esset differre quam vincere, per quod vult Ænean nihil fortiter in bello fecisse Trojano.

MELIOR QVONIAM PARS ACTA DIEI. Id est major, & prima. An quoniam dicit hoc optimum quod matutinum?

BENE GESTIS CORPORA REBVS. In eo tantum quod hostes non ausi sunt egredi: nam nihil egerant. Ergo hortativa est oratio ad socios, ut audaciores esse debeant cum videant se timeri.

PROCVRATE. Verbum compositum, id est curate. PVGNAM SPERATE PARATI. Scilicet contra Trojanos, non à Trojanis, ne videatur contra supradicta omnia nunc sociis inferre terrorem. Ergo à me parari sperate, id est pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant, ut, *Arma parate animis, & spe præsumite bellum.*

VIGILVM EXCVBIIS. Excubiæ diurnæ, sunt: Vigiliæ, nocturnæ.

CENTENI QVEMQVE. Centurionum scilicet, ex more Romanæ militiæ. nam ex numero militum qui eos sequuntur, gradus dignitatis apparet.

PVRPVREI CRISTIS IVVENES. Hic versus per figuratum ablativum prolatus est.

VARIANTQVE VICES. Vices stationum.

INDVLGENT VINO. Ablativus casus est, & deest *sibi*, ni figuratum est ex fiducia, scilicet sequitur quam Rutulos habeat fiducia. VERTVNT CRATERAS AHENOS. Potantes exhauriunt; & est hemistichium Ennianum.

CVSTODIA. Nomen ambiguum, sed modo quæ custodit.

E VALLO. E muro. ARMIS ALTA TENENT. Bona elocutio, id est, armati tenent alta, hoc est muros, *tenent* autem custodiunt.

TREPIDI FORMIDINE. Festini per formidinem. Nam non est iteratio.

VARIORVM.

LVCE PALAM. Hoc ad virtutis suæ commendationem facit, & hostium contemptum. HORT.

HAVD SIBI CVM DANAIS REM. A natione, ut imbelli, & quæ tecto dolo, non virtute vincere didicit: quare diserte addidit, *arte Pelasga*, Græcis dolis, & Græca fide. HORT.

MELIOR PARS ACTA DIEI. Meliorem hic partem diei esse censeo majorem, quæ cum transacta est, inclinat dies in occasum. Major autem pars è duodecim horis septem primarum est, quæ cum exactæ sunt, major & melior pars acta est: sed multo magis cum exactæ sunt octo vel novem, ut cum advesperascit; quod tempus Turnus significavit. Turneb. lib. 3. cap. 14.

CORPORA PROCVRATE. Ita apud Aristoph. Allantopoles admonetur, antequam cum Cleone congrediatur, se ipsum cibo vinoque roborare, metaphora ducta ab iis, qui Gallis commissis allium depascendum objiciunt, quo vorato acrius ad pugnam irritentur. Alludit autem ad militum morem, qui pransi & cibo roborati & curati, expediti pugnatum ducebantur. GERMAN.

Explo-

Explorant, ponteſque & propugnacula jungunt:
Tela gerunt: inſtant Mneſtheus acerque Sereſtus:
Quos pater Æneas, ſi quando adverſa vocarent,
Rectores juvenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.
Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt.
Niſus erat portæ cuſtos: acerrimus armis,
Hyrtacides: comitem Æneæ quem miſerat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibuſque ſagittis:
Et juxta comes Euryalus: quo pulchrior alter
Non fuit Æneadûm: Trojana nec induit arma,
Ora puer prima ſignans intonſa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.
Niſus ait: Diine hunc ardorem mentibus addunt

SERVII.

EXPLORANT. Confirmant. PONTESQVE. Qui fiunt in muris anguſtioribus. Vt ſit facilior tranſitus ad diviſas muri partes. PROPVGNACVLA. Pinnas murorum.

RECTORES IVVENVM. Legitur & juveni: Si IVVENI, Aſcanium: ſi IVVENVM, magiſtros militum accipe.

SORTITA PERICLVM. Aut ſorte diviſa ad defenſionem periculi. Aut parturiens periculum quod quiſque experiretur.

QVOD CVIQVE TVENDVM EST. Exercet unuſquiſque vices ad id quod accipit tuendum.

IDA VENATRIX. A pleriſque Ida mater Niſi accipitur, dixit *venatrix*. Nam ſi montem volueris accipere, abuſive *Idam venatricem* dictam intellige pro venationibus abundantem. Nam *venatrix* eſt proprie quæ venatur, non quæ venationibus abundat. Aut *venatrix* pro his qui in ea venantur, ut *Domitrixque Epidaurus equorum.*

IACVLO CELEREM. Bene inducit Niſum optimum eſſe jaculatorem: & hanc præmittit armorum peritiam, quia plurimum potuerit in Euryali defenſione.

TROIANA NEQVE INDVIT ARMA. Hoc eſt qui nondum bellicoſa arma induerat, id eſt acceperat. Et hoc dicit, Pulcher quidem erat, ſed nondum bellandi peritus.

PRIMA IVVENTA. Num prima lanugine? INTONSA. Hoc eſt ad ſua tempora retulit, alioquin heroës non tondebantur.

AMOR VNVS ERAT. Id eſt eorum ſtudio flagrabant. PARITERQVE IN BELLA RVEBANT. Aut ſimul, aut ſimiliter, & pari virtute, id eſt æque fortes erant.

DIINE HVNC ARDOREM MENTIBVS ADDVNT EVRYALE, &c. Apud Plotinum philoſophum, & alios quæritur, utrum mentis noſtræ acies per ſe ad cupiditates & conſilia moveatur, an impulſu alicujus numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moveri ſua ſponte: deprehenderunt tamen ad omnia honeſta impelli nos Genio, & numine quodam familiari, quod nobis naſcentibus datur: prava vero, noſtra mente nos cupere & deſiderare. Nec enim poteſt fieri ut prava, numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum conſtat placere. Vnde nunc hic ortus eſt ſenſus. Hoc enim dicit Niſus, O Euryale, diine noſtris mentibus cupiditates iniiciunt & deſideria? an deus fit ipſa mentis cupiditas? MENTIBVS vero ADDVNT. Bene dixit ADDVNT. Nam animus ſui natura prudens eſt, ſed ei additur ut aliquid impatienter deſideraret.

DONATI.

IVVENI. Aſcanio, aut appellatione unius omnes intellexit.

NISVS. Quam ſcite dixit nomen patris: locum in quo natus, & quibus eſſet ſtudiis.

TROIANA INDVIT ARMA. Cæteris pulchrior. Pulcherrimus autem cum eſſet armatus.

VARIORVM.

NISVS ERAT, &c. Hi duo inter amicorum paria recenſentur, ut Pylades & Oreſtes, & alii. HORT.

HYRTACIDES. An Aſius, quem Homerus Hyrtacidem vocat, Niſi fuerit frater, quærit Vict. lib. 28. cap. 16.

ORA PVER PRIMA. Iuventa pro lanugine, ut Græcis [illegible]. Turneb. lib 22. cap. 15.

TVNC QVOQVE COMMVNI. Supra dixit, forte ſingulis curanda loca proveniſſe: quod ipſum fuerat ad iſtorum felicitatem, ut nec ipſa ſors diviſiſſe videatur, quos tanta familiaritas copulaverat. DONAT.

DIINE HVNC ARDOREM. Cælius lib. 1. c. 30. Lect. antiq. Expreſſum ex Homero ait Pet. Vict. lib. Var. 7. cap. ult. & ex Euripidis Cyclopibus.

Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum,
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant: somno vinoque soluti
Procubuere: silent late loca. percipe porro
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Æneam acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt: mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt (Nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros & mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus
Nise fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes

SERVII.

DIRA CVPIDO? Magna. Nonnulli tamen inter cupiditatem & cupidinem hanc differentiam esse volunt, ut masculino genere Cupidinem deum ipsum, id est τὸν ἔρωτα significemus: fœminino cupiditatem, quamvis hoc auctores plerunque confundunt.

ALIQVID MAGNVM. Scilicet per hostis transitum.

AGITAT. Molitur. QVIETE. Modo otio, non somno. Nam in vigiliis fuerat conlocatus, qui enim custos est, de insomnio suo queri non potest.

CERNIS QVÆ RVTVLOS HABEAT FIDVCIA RERVM. Ipsius desiderii vult esse rationabiles causas. Ne vanum mens agitare videatur, nam & negligentia hostium per fiduciam nimiam ostenditur, & occasio dabatur aliquid strenue gerendi.

SOMNO, VINOQVE SEPVLTI. Alterum pendet ex altero.

PORRO. Hortantis est. Aut num conjunctio expletiva?

QVID DVBITEM. Id est cogitem. omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam.

POPVLVSQ. P. Transfert in Trojanos Romanam consuetudinem ut solet plerunque. Prius enim jubebat aliquid populus: postea confirmabat senatus.

REPORTENT. Portent. Nam RE vacat. Aut ab eo quod est reportare.

SI TIBI, QVÆ POSCO PROMITTVNT. *Poscere est*, secundum Varronem, *quotiens aliquid pro merito nostro deposcimus*: PETERE *vero est cum aliquid humiliter, & cum precibus postulamus.* Et bene quod Euryalum nolit ducere, latenter ostendit. Nam ideo adjecit, *Mihi facti Fama sat est.*

SVB ILLO. Pro ex illo, præpositionem mutavit.

MOENIA PALLANTEA. Vbi nunc credit esse Æneam. ARDENTEM. Modo ardentem, ut, *Ardet amans Dido*: an festinantem? ut, *Instant ardentes Tyrii*: an cupiditate cædis flagrantem? ut, *Ardet in arma magis*: an propter illud quod ipse dicat? *Dine hunc ardorem mentibus addunt*, & deinde, *Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum.*

SVMMIS ADIVNGERE REBVS. *Summum* aut extremum dicimus & laudabile. Bene ergo in rebus dubiis sermone usus est dubio. nam hoc dicit, Non debes me, nec à tua gloria, nec à periculis segregare.

GENITOR BELLIS ADSVETVS. Ipse puer est necdum probatus. Vnde se & à belli temporibus, & à patris virtute commendat.

DONATI.

DIRA CVPIDO. Cogitationes ne manimas Deus aliquis movet, an ipsa sibi mens Deus est?

VARIORVM.

OBSTVPVIT MAGNO LAVDVM, &c. Non laudavit Euryalum Nisus, ut suarum amore laudum perculsum dicat Poëta. Sed hoc vult, amore ac desiderio earum laudum, seu illius gloriæ, quam Niso videbat propositam, & ad quam illum impetu quodam eximio ferri cernebat, Euryalum quoque fuisse correptum, ita vehementer, ut pene apud se non esset. PONT.

NON ITA ME GENITOR. Decorum in adolescente; qui se ab illis temporibus & à patris virtute commendat, cum ab sua non posset. Quasi qui bello Trojano natus, disciplinam militarem cum ipso lacte suxerit. TAVBMAN.

Argo-

Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia geſſi,
Magnanimum Æneam & fata extrema ſecutus.
Eſt hic, eſt animus lucis contemptor: & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Niſus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas: non ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter, aut quicunque oculis hæc aſpicit æquis.
Sed ſi quis (quæ multa vides diſcrimine tali)
Si quis in adverſum rapiat caſuſve deuſve,
Te ſupereſſe velim: tua vita dignior ætas.
Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum
Mandet humo ſolita: aut ſi qua id fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulchro:
Neu matri miſeræ tanti ſim cauſſa doloris,
Quæ te ſola, puer, multis è matribus auſa

SERVII.

ARGOLICVM TERROREM. Quem Græci inferebant. TROIÆQVE LABORES. Bene κατὰ τὸ σιωπώμενον annos Euryali oſtendit; nam ſi à cœpto Trojano bello quod decennium tenuit, ſeptem anni erroris addantur, anni decem & ſeptem ſunt: Eſt ergo ætas pene ad bellum inhabilis, ſed exercitium oſtenditur, quod inter bella nutritus eſt.

SVBLATVM. Suſceptum.

MAGNANIMVM ÆNEAM. Ideo ſecutus non ut vitæ ſtudeam, ſed gloriæ.

EST HIC, EST ANIMVS. *Hic*, poteſt eſſe & adverbium demonſtrantis, ut ſit, *Eſt hic*: Eſt in meo pectore. poteſt & ſic accipi ut dicas, Eſt hic animus lucis contemptor, hoc eſt, iſte animus. Ergo HIC, & produci poteſt & corripi.

ISTVM QVI VITA BENE CREDAT EMI HONOREM. Qui iſtum honorem. QVO TENDIS. Id eſt ad quem niteris: libenter emat vita, id eſt vitæ pretio.

NIL TALE VEREBAR. Quale tu ſuſpicaris. NON. Diſtinguendum ut initium jurisjurandi ſit, *Ita me referat*.

REFERAT TIBI MAGNVS OVANTEM IVPPITER. Mire juſiurandum compoſitum ſic enumerat, quaſi relicturum eum, cum de virtutibus ejus optime ſentiat. HÆC. Humana negotia: vel quæ loquitur.

SED SI QVIS. Multas cauſſas prætendit: primam ipſius pueri, ſecundam propter ſe, tertiam matris, & eſt parentheſis.

SI QVIS IN ADVERSVM RAPIAT CASVSVE DEVSVE. Hoc eſt, quæ multa ut in tali diſcrimine accidere poſſe intelligis. PRETIOVE. Pro vel, ve enim ſyllaba, proprie vel, ſignificat.

MANDET HVMO. Multi hic diſtinguunt, alii jungunt *Mandet humo ſolita*, ut ſit commendet in terra. SOLITA autem, id eſt cui mandari defuncti ſolent. FORTVNA, ſcilicet quæ piis invidere conſuevit. Statius hinc trahens colorem ait, *Invida fata piis, & fors ingentibus auſis Rara comes*.

ABSENTI FERAT INFERIAS. Abſenti quem non ſepelierit. Hoc eſt cenotaphion faciat, & impleat honorem ſepulchri. De inferiis autem plenius in quarto Georgicorum invenies.

MISERÆ. Ad illum exitum quem timet retulit: an dolenter jam *miſeræ*, quæ in hoc conſilio filii periclitatur?

PVER. Mire diſſuadet dicendo *puer*. E MATRIBVS. E nobilibus: nam matres non niſi nobiles dicimus. Vnde & matronæ dictæ ſunt. Scimus autem non omnes mulieres in Sicilia remanſiſſe. Nam legitur in undecimo, *Et mœſtum Iliades crinem de more ſolutæ*.

DONATI.

SED SI QVIS. Omnia huc refert, quod in omni cauſa minus ſpei, plus timoris ineſt.

VARIORVM.

SVBLATVM ERVDIT. Terent. And. *Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere*. Nati enim infantes & ab obſtetrice ſublati protinus nudi in terra ſtatuebantur, deorumque auxilium naſcenti invocabatur: inde à patribus tollebantur. Hoc officium Poëtæ diis adſcribunt, quando eximie aliquem volunt commendatum. TVRNEB. lib 22. cap. 11.

QVI VITA BENE CREDAT EMI. Novi ipſe quoque pro laude vitam contemnere. Novi facinus magnum, ſine magno periculo compleri non poſſe: quippe gloriæ pretium eſt, necis diſcrimen. DONAT.

ABSENTI FERAT INFERIAS. Abſentem pro mortuo hic Poëta accipit; ut ſupra, *ſequar ignibus abſens*. GERMAN.

Proſe-

Digitized by Google

Prosequitur, magni nec mœnia curat Acesta.
Ille autem: Caussas nequicquam nectis inanes:
Nec mea jam mutata loco sententia cedit:
Acceleremus, ait. vigiles simul excitat: illi
Succedunt: servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cætera per terras omneis animalia somno
Laxabant curas, & corda oblita laborum.
Ductores Teucrûm primi, & delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent? quisve Æneæ jam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
Castrorum & campi medio: tum Nisus, & una
Euryalus confestim alacres, admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iülus

S E R V I I.

NEC MOENIA CURAT ACESTÆ. Id est, Nec tenetur desiderio Segestæ civitatis.

ILLE AUTEM. Hunc locum esse interruptum oratione Nisi intelligimus.

VIGILES SIMUL EXCITAT. Qui vigiliarum officium habebant. Hoc est futuros vigiles, alioquin quomodo excitat? & totum junctim legendum est, ut simul & dictum & factum videatur.

SERVANTQUE VICES. Hic distinguendum: alias sensus non procedit. STATIONE RELICTA. Hoc ad Nisum & Euryalum pertinet, ut sit sensus, *statione relicta, Ipse comes Niso graditur*: quidam *servantque vices statione relicta*, pro stationis relictæ vices servant intelligi volunt, ut, *Et pulchra faciat te prole parentem*: Hoc est pulchræ prolis.

REGEMQUE REQUIRUNT. Regis filium, ut, *Magnum regina sed enim miseratus amorem.*

CÆTERA PER TERRAS OMNEIS. Exaggerat more suo vigilantum laborem.

CONSILIUM SUMMIS REGNI DE REBUS HABEBANT. *Summis*, utrum maximis; an quod putabant eas in extremo sitas? & est Lucilii versus, uno tantum sermone mutato. Nam ille ait, *Consilium summis hominum de rebus habebant.*

IAM NUNTIUS ESSET. *Iam*, aut cito, ut festinandum sit, & jam nuntiandum Æneæ, nec differendum: aut cum nullum invenirent. Ad desperationem quasi nemo esset jam qui posset audere.

ADNIXI HASTIS. Mira facies consilii, in dubiis non sedent, sed stant. Ostendit ergo jam eos diuturna statione fatigatos. quod autem stant, & Romani moris est, & bellicæ necessitatis. Hunc autem standi habitum & Sallustius commemorat, ut, *Fessi arma sua quisque stantes incumbere.*

CASTRORUM, ET CAMPI MEDIO. In medio campi statio, qui campus castrorum medius fuit. Quia in mediis castris principes sunt semper, & bene *campi medio* quam campo medio: tunc enim campo medio, cum aliquot campi sunt, & unjus est medius campus: *Campi* autem *medio*, in media parte unius campi.

ALACRES. Concitati, Terentius, *Quid tu es tristis, quidve es alacris.* ADMITTIER ORANT. Hoc verbo ostendit olim, & apud reges admissionum fuisse officium.

REM MAGNAM PRETIUMQUE MORÆ FORE. Dicebant se adferre rem magnam, cujus mora pretium posset adferre, id est pœnam. Terentius, *Ego pretium ob stultitiam fero*, ut sit sensus, si tardius mittamur ad Æneam, luemus hostibus pœnas. Alii sic intelligunt, scimus quidem adventum nostrum moram vestris adferre consiliis: verum hujus moræ erit pretium, id est remuneratio. Namque hoc offerebant quod illi cogitabant, ut diximus supra, *Quisve Æneæ jam nuntius esset?* Alii deesse putant *adfirmantes*, ut sit sensus adfirmantes rem magnam futuram, & multum illos consecuturos, si audiendi se moram pertulissent. Alii, qui pretium pro pœna dicunt positum ita tradunt, eos anxios tandiu super rebus dubiis futuros, quandiu se non admiserint ad loquendum.

V A R I O R U M.

VIGILES SIMUL EXCITAT. Si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? Manifestum est, hic nullam esse quæstionem. Vicibus enim servatis, ea hora dormientibus aliis, qui fuerant vigilaturi, Nisus tunc & Euryalus vigilabant: proinde recessuri excitabant alios, qui essent ex vigilum numero. DONATUS.

CÆTERA PER TERRIS OMNES, &c. Profundi temporis nocturni periphrastica descriptio huc spectat ut Ascanii, quem hic *Regem* vocat & aliorum ducum vigilantiam doceat. [illegible], Homericum est. HORT.

STANT LONGIS ADNIXI HASTIS. Cum Homero confert Vict. Lib. 31. cap. 18.

Per

Accepit trepidos, ac Niſum dicere juſſit.
Tunc ſic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis
Æneadæ: neve hæc noſtris ſpectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli ſomno vinoque ſepulti
Conticuere. locum inſidiis conſpeximus ipſi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterque ad ſydera fumus
Erigitur. ſi fortuna permittitis uti,
Quæſitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hîc cum ſpoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis. nec nos via fallit euntes.
Vidimus obſcuris primam ſub vallibus urbem
Venatu aſſiduo, & totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Alethes:
Dii patrii, quorum ſemper ſub numine Troja eſt,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,

SERVII.

ACCEPIT TREPIDOS. Feſtinos: more ſuo. Ergo per metalepſin cupidos dixit ἀνυπομόνως, non enim poſſumus timentes accipere, quod feſtinabant.

NEVE HÆC NOSTRIS SPECTENTUR AB ANNIS. Bene excuſat: quia ſcit de ætate puerorum poſſe dubitare, dicens non ex ſuggerentum perſona in qua eſt major auctoritas, ſed ſua vi conſilia ponderanda. *Spectentur* autem æſtimentur.

RUTULI SOMNO VINOQUE SEPULTI. Occaſio prius narratur, ſic conſilium, ut neceſſario ad id quod nuntiat veniat.

LOCUM INSIDIIS CONSPEXIMUS IPSI. Ordo eſt, locum conſpeximus qui inſidiis patet: *ipſi* autem ad fidem pertinet, qui enim rem tantam nuntiat debet firma auctoritate contendere, & communicat conſcio quod ſolus conſpexit.

QUI PATET IN BIVIO. Neceſſaria ſigna addidit. PORTÆ QUÆ PROXIMA PONTO. Apparet, ut & ſupra diximus, caſtra Trojana in Hoſtienſi fuiſſe. Siquidem nullus alter locus in Laurolavinati hinc fluvio cohæret, hinc pelago. Et nunc dicit, *Portæ, quæ proxima ponto.* Item paulo poſt dicturus eſt, *Murorum in parte ſiniſtra, Oppoſuere aciem, nam dextera cingitur amni.*

INTERRUPTI IGNES. Signum eſt ſopitorum ignium, quotiens major fumus erigitur.

FORTUNA. Occaſione. Ad inquirendum Æneam. Alii hunc ordinem volunt, ſi fortuna permittitis uti, *Mox hîc cum ſpoliis ingenti cæde peracta, Affore cernetis. nec nos via fallit euntes Quæſitum Æneam, & mœnia Pallantea.*

QUÆSITUM. Ut quæramus. CUM SPOLIIS. Hinc eſt quod ſupra Euryalo dixit, *Me referat tibi magnus ovantem Iuppiter:* reſpiciens ad id quod poſſet fortiter facere.

NEC NOS VIA FALLIT. Bene utique cuncta cum amico communicat.

OBSCURIS PRIMAM SUB VALLIBUS URBEM. Nos in obſcuris vallibus poſiti vidimus primam urbem, hoc eſt primam partem urbis. Nam Palatium in monte eſt, non in vallibus.

TOTUM AMNEM. Hoc eſt regionem amnis.

ANNIS GRAVIS, ATQUE ANIMI MATURUS ALETHES. Salluſtius de Philippo, *Qui ætate & conſilio cæteros anteibat*

NON TAMEN OMNINO TEUCROS DELERE PARATIS. Ac ſi diceret, Licet iraſcamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Trojanos, quod tales animos noſtris juvenibus datis.

DONATI.

VIDIMUS. Demonſtrat rem fieri poſſe.

DII. Maturi hominis matura oratio. Recte autem incipit à diis quorum favore Reſpub. tales viros recipiunt. Lachrymæ autem gratulationis fuerant, quod extitiſſent tales. Item doloris quod recordaretur tot fortium virorum jam amiſſorum, quia dixerat, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.*

VARIORUM.

SOMNO VINOQUE SEPULTI. A mortuis ad dormientes metaphora; profundum enim dormientes, haud multum videntur diſtare à mortuis. PONT.

SI FORTUNA PERMITTITIS UTI. Si fortunam ſequi, & oblatam arripere occaſionem ſinitis.

ANIMI MATURUS ALETHES. Alii *ævi* pro ſene, ut legit & exponit Turneb. lib. 19. cap. 29.

DII PATRII. Græcis θεοὶ πατρῷοι, patrios deos ſignificant, tam patrios à patria; quam paternos, cognatos & gentiles. GERMAN.

Cum tales animos juvenum & tam certa tulistis
Pectora. sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & vultum lachrymis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dii moresque dabunt vestri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
(Excipit Ascanius) per magnos Nise Penates,
Assaracique Larem, & canæ penetralia Vestæ,
Obtestor (quæcunque mihi fortuna, fidesque est,

SERVII.

CERTA. Hoc loco firma vel fortia.

HUMEROS DEXTRASQUE TENEBAT. Hoc ad affectum retulit: nec enim simul fieri potest. Intelligimus autem quod & singulos & membratim amplectebatur.

VULTUM LACHRYMIS, ATQUE ORA RIGABAT. Poëtice junxit, & modo unum significant, est autem iteratio; Interdum recipiunt discretionem. Nam est naturaliter facies quam habemus, vultus vero quem pro nutu animi ad tempus formamus. PRO LAUDIBUS. Id est virtutibus: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Ut lib. v. Æneid. *Primam merui qui laude coronam.*

DII MORESQUE DABUNT VESTRI. Ciceronis est, tractum de Philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam benefacti conscientiam. Scit enim Poëta nihil esse majus, quam quod vel à diis meruerimus, vel rectis moribus fecerimus.

ACTUTUM. Confestim, sine dilatione: & est adverbium temporis. INTEGER ÆVI. Integri ævi, Id est Adulescens cui ætas integra superest. Unde Ennius deos ævi integros dicit, quibus multum ævi superest. Et bono omine ad pericula pergentibus, etiam per Ascanium præmium pollicetur. Longiorem enim eis vitam promittit, si ea exspectent quæ Ascanius dare majora possit.

MERITI. Præstiti: ut, *Merui quoque.* Item *Quique sui memores aliquos fecere merendo.*

IMMO EGO VOS. Pulchre Poëta fidem sponsionis Alethi addidit, ut eum statim promissa Ascanii sequerentur.

EXCIPIT ASCANIUS. Id est subsequitur: & à Poëta dictum est, *Vos autem Nise*, figurate, ut, *Vos ô Calliope*: SOLA SALUS vero, cui una est salus, genitore reducto.

CANÆ VESTÆ. Venerabilis, antiquissimæ. Ipsa enim antiquissima dea est, è terra. PER MAGNOS NISE PENATES. Hoc est quod ait *Penatibus & magnis diis*, id est, quos Æneas secum advexerat: Nam ideo ait *Assaracique larem*, id est familiæ nostræ vel generi proprium, vel quos nos Trojani præcipue colimus, de quibus ait III. Æneid. *Ereptosque Penates, Quos mecum a Troja mediis ex ignibus urbis Extuleram.* Qui tamen dii qui sunt, à diversis varie traduntur, sicut supra dictum est.

OBTESTOR. Adjuro. & est ordo, Immo ego cui sola salus genitore reducto, Vos obtestor revocate per deos parentem. FORTUNA, FIDESQUE EST. Id est, Quicquid casu, quicquid consilio egero, vobis committam. nam per *fidem*, consilia significat: per *fortunam* opes, imperium, & cujuslibet rei possibilitatem. Alii sic tradunt, fortuna ut possit, fides ut velit promissa persolvere. Alii ita, quantum habeo fortunæ in vestris pono gremiis, doque fidem me ita animatum esse & sic sentire, mihi inquit habeo conjunctam fortunam & fidem esse: Nam cum volumus ostendere quantum in nostra sit potestate, dicimus fortunam & fidem: Fortuna de nostris est possessionibus, fides quantum nobis creditur ab inimicis.

DONATI.

DII. Qui bonis favent.

MORESQUE VESTRI. Recte vivendo.

ÆNEAS. Et ut diuturnior res sit Ascanius.

CANÆ VESTÆ. Dicit *canam*, Antiquam & perpetuam. *Obtestari autem* est, ob aliquam caussam deos testes adhibere.

VARIORUM.

TAM CERTA TULISTIS PECTORA. Qui tam constanter res arduas, periculique plenas pro suorum salute adeundas sibi proponerent. Qui maximum facinus aggredi nihil dubitarent. PONTAN.

ET VULTUM LACHRYMIS ATQUE ORA RIGABAT. Gratulationis fuerunt lachrymæ & doloris. *Gratulationis*, quod extitissent tales voluntarii. *Doloris* vero, quia dixit, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Recordatus est enim, quam perdidissent magnanimos heroas Trojani. DONAT.

QUÆCUNQUE MIHI FORTUNA FIDESQ. Fortuna in eventu est factorum, fides autem in potestate. Quæcunque inquit, in me fuerit fortuna, hoc est, si melior me fortuna respexerit, & si qua in me fides est, hanc servabo meritis vestris in tantum, ut in vestro arbitrio sit, quid rependi vobis pro meritis debeat. DONAT.

In

Digitized by Google

In vestris pono gremiis) revocate parentem,
Reddite conspectum: nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem:
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum, clypeum cristasque rubenteis
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit suaque omnibus arma:

SERVII.

NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO. Subaudis erit.

ARGENTO PERFECTA. Id est tota argentea.

DEVICTA GENITOR QVÆ CEPIT ARISBA. Atqui secundum Homerum Arisba misit Trojanis auxilium, & ab Achille subversa est. Sed accipimus aut ante bellum Græcorum Arisbam à Trojanis captam, & in amicitiæ fœdus admissam. Aut certe pocula hæc data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi successit hæreditatem, ut sit, *quæ cepit*, pro quæ accepit. DEVICTA ARISBA. Scilicet ab Achille. Dicta est Arisba à Meropis vel Macarei filia, quam primum Paris in conjugio habuit. Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt post discessum à Troja Græcorum, Astyanacti ibi datum regnum, hunc ab Antenore expulsum sociatis sibi finitimis civitatibus, inter quas & Arisba fuit, Ænean hoc ægre tulisse, & pro Astyanacte arma cepisse, ac prospere gesta re Astyanacti restituisse regnum: quod si ita est, merito eam Æneas & vicisse & hæc pocula inde cepisse memoratur.

DVO MAGNA TALENTA. Bene addidit MAGNA. nam varium apud diversas gentes pondus est talenti. Vnde *talentum* potest & breve aliquid & magnum significare. Nam ut supra diximus, secundum Plautum, talentum septuaginta librarum est. qui cum dixisset debere centum quadraginta libras, paulo post intulit duo talenta; per jocum dicens, *Debentur talenta tot; quot ego & tu sumus.* Item Homerus talentum breve quiddam ostendit, quippe quod accepit victus: cum victori levia data sint munera.

CRATERA ANTIQVVM. Hoc est antiquo opere factum, ut ei pretium crescat ex tempore.

CAPERE ITALIAM. Obtinere.

DVCERE SORTEM. Statuere. Alii proprie *ducere* legunt, quod est sortium: ut, *Stat ductis sortibus urna.* Alii dejicere legunt secundum illud, *Dejectamque ærea sortem Accepit galea.* Id est sortiri prædam.

VIDISTI QVO TVRNVS EQVO. Meliore œconomia Nisum noluit inducere, postulantem equum Turni præmii loco, sed honestius facit ultro offerri, cum Homerus fecerit Dolonem Achillis currus improbe postulantem.

IPSVM ILLVM. Equum scilicet, cui ex pronomine addidit dignitatem.

EXCIPIAM SORTI. Extra sortem seponam, ut tibi dari possint, id est, præter sortem dabo. IAM NVNC. Aut jam nunc excipiam.

MATRVM. Cum dicit MATRVM, non solum sexum ostendit, sed etiam propter muneris laudem vult ostendere fœcundas.

CAPTIVOSQVE DABIT. Subaudiendum bis sex.

DONATI.

VICTA ARISBA. Nihil enim tollitur post victoriam, nisi quod sit magni meriti.

VARIORVM.

BINA DABO ARGENTO PERFECTA. Remuneratio pro obitis periculis. Enumerat pulcherrima dona, quorum spe ad memorabile facinus faciendum, adolescentes alioquin per se satis paratos, invitat. HORTENS.

PERFECTA, ATQVE ASPERA SIGNIS. Turneb. lib. 18. cap. 28.

ET TRIPODAS GEMINOS, &c. Quia duo ista talenta *magna* appellantur, *auri* non sunt, sed argenti; itaque interpungendum est ad hunc modum post vocem auri:

Et tripodas geminos auri; duo magna talenta.

ita ut *aurum* ad *tripodas* referatur, qui ex *auro* esse dicuntur: nam intelliguntur tripodes ἀναθηματικοὶ qui ornatus caussa appenduntur in ædibus, sive publicis, sive privatis. PETITVS.

SI VERO CAPERE ITALIAM. Morem militarem exponit Vict. lib. 26. cap. 1. Ex Euripidis Trojadibus.

CLYPEVM, CRISTASQVE RVBENTES. Explicat locum Turneb. lib. 13. cap. 8. Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. Dialog. 5.

EXCIPIAM SORTI. Extra sortem. Turnebus lib. 22. cap. 15.

Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem casus complector in omneis.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantum fortuna secunda
Aut adversa cadat: sed te super omnia dona
Unum oro. genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ,
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcunque pericli est,

SERVII.

INSVPER HIS. Super hæc, est figurata elocutio per dativum casum. CAMPI, QVOD REX HABET IPSE LATINVS. Mos fuerat ut viris fortibus, sive regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius superbus in campo Martio. quod spatium ab Homero τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum.

PECTORE TOTO. Omni affectu. Et est de proverbio. Cicero de legibus: *Nisi toto pectore amantur, ut dicitur*. Cum enim dicit, *ut dicitur*, ostendit proverbiale.

RERVM VERBORVMQVE FIDES. Et rempublicam tibi committam, & tecum omne communicabo consilium.

CONTRA QVEM TALIA FATVR EVRYALVS. Cur cum duobus sit locutus Ascanius & unus illis respondit, id est Euryalus, * & minor quia Euryalo & familiarius, & posterius est locutus! deinde quod Euryalus matrem commendare debeat?

ME NVLLA DIES TAM FORTIBVS AVSIS DISSIMILEM ARGVERIT. Ab hoc officio & ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor, qualiscunque fortuna comitetur. Id est nunquam aut tam secunda fortuna acciderit, aut tam adversa, ut me dissimilem mei faciat, hoc est neque secundis intumescam, neque adversis dejiciar.

TANTVM. Tantummodo hoc possum de me promittere, ut semper audeam: semper velim fortiter facere. Nam hoc est quod dicit, TAM FORTIBVS AVSIS DISSIMILEM ARGVERIT. Tantum ergo meum est hoc promittere, sive prospera, sive adversa fortune comitetur. nam AVT disjunctiva particula est, non negantis adverbium. Quidam sic intelligunt, tantummodo fortuna prospera non in contrarium recidat, tanquam nunc in secundis rebus sit cum obsideatur. Alii ita putant, me nulla dies dissimilem arguet, sive quæ est hodie fortuna permanserit, sive etiam læta fuerit, id est, nec si feliciter mihi, nec si infeliciter cesserit, dissimilis ero huic conatui: & melius legitur, sine aspiratione, id est aut adversa.

SVPER OMNIA DONA. Ultra omnia, magis quam omnia; proprie enim super id significat, ut sit pro omnibus donis.

PRIAMI DE GENTE VETVSTA. De familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat. Nam Ascanius nepos est Priami per Creusam.

MISERAM. Quæ sic impatienter diligit filium.

MECVM EXCEDENTEM. Ut, *Ille meum comitatus iter*. vult enim intelligi sui caussa matrem secutam.

IGNARAM. Hic ignaram cui non dixerit. QVODCVNQVE PERICLI EST. Syllepsis. Nam subaudis *periclum*.

DONATI.

INSVPER. Mos mirandus in Poëta. Ubi enim multa narranda sunt, ne continuatio fastidium pariat dividit, interponendo aliquid, quod tamen non sit alienum.

GENITRIX. Magnum pondus in his verbis. Maternum enim nomen omnes affectus transit. Præterea quod sit ex genere Priami non accessione nova, sed vetustate conjuncta. Laudavit ergo à genere: sed quia frustra laus originis tangitur, nisi is qui laudatur, vita & moribus se majoribus suis dignum gerat, ponit suas virtutes. Excusat autem quod ignara relinquat: quia nisi illa causa intercessisset, scelus non parvum commisisset.

VARIORVM.

ME NVLLA DIES TAM FORTIBVS AVSIS. Nunquam meam de hoc audaci cæpto mutabo sententiam. Quo ad vixero dabo operam ut hanc tuam exspectationem non frustrer. PONT.

Digitized by Google

Inque salutatam linquo (nox, & tua testis
Dextera) quod nequeam lachrymas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, & succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo
In casus omnes: percussa mente dederunt
Dardanidæ lachrymas: ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genitrix, nomenque Creüsæ
Solum defuerit: nec partum gratia talem
Parva manet, casus factum quicunque sequetur.
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illachrymans: humero simul exuit ensem

SERVII.

INQVE SALVTATAM LINQVO. Insalutatam. & est Tmesis, ut, *Inutilis inque ligatus cedebat.*

QVOD NEQVEAM LACHRYMAS PERFERRE PARENTIS. Excusat ne videatur crudelis. Vnde sequitur matris ejus tragicus & miserabilis ille conquestus, *Potuisti linquere solam Crudelis*, & alia.

INOPEM. Modo auxilii egentem. RELICTÆ. Aut à me, aut ab hominibus.

AVDENTIOR. Vt sapientior ab appellatione non à participio futura, cum Terentius in heautontimorumeno, *Natu gravior, ignoscentior.*

IN CASVS OMNES. Vt supra, *Fortuna secunda, Aut adversa cadat.*

PVLCHER IVLVS. Incongruum epitheton pulchritudinis posuit, cum res sit in hoc loco religionis.

STRINXIT PIETATIS IMAGO. Momordit, perstrinxit, admonuit. Sensus autem est, aut postquam vidit istum sic amare matrem, paternæ pietatis virtutem cœpit agnoscere. Aut certe cœpit etiam ipse sic in pietatem moveri, ut ejus consueverat pater. Aut certo exemplo Euryali avidius cœpit amare patrem, etiam ante dilectum.

NEC PARTVM GRATIA TALEM PARVA MANET. Debet ab omnibus coli quæ talem creavit, non ergo à te tantum, sed per te commendatur.

CASVS FACTVM QVICVNQVE SEQVETVR. Satis congrue. Præmia enim non debentur eventui, sed voluntati: hoc est quicquid evenerit præmia dabo. PER QVOD PATER ANTE SOLEBAT. Alii volunt ideo *ante*, quia absens est Æneas. Sed jurare possumus etiam per absentis filii caput. Alii ad caussam religionis trahunt, quæ præcepit ut filii imitentur in omnibus rebus suos parentes: ut nunc quasi imitatio sit jurisiurandi, ut dicat Ascanius, *Iuro per caput meum*, sicut præsens pater per suum caput jurare consueverat, quotiens fidem suam confirmare cupiebat. Alii volunt ideo dictum *ante*, quia pontificibus per liberos jurare non licebat: sed per deos tantummodo, ut sit *ante*, antequam pontifex esset Æneas. Ergo *ante* aut temporis est, aut ordinis.

REDVCI REBVSQVE SECVNDIS. Mira arte moratur in prosperis, & ea iterat: tacet adversa, & magis intellectui & subauditioni relinquit. Cum enim non dicat, si non redieris, ait, MATRIQVE TVÆ, GENERIQVE MANEBVNT. Hoc autem secundum morem Romanorum dicit, apud quos ita præmia decernebantur, *Ilis liberisque ejus*: ut darentur liberis quæ accipere non potuissent parentes.

VARIORVM.

PER CAPVT HOC IVRO. Græcorum imitatione: Porro cum patris sui exemplo per proprium caput jurat, ratum ac indubitatum esse indicat, quod pollicetur. Rhadamanti autem insiurandum erat, quod quidem quamvis esset verissimum, nullum tamen deum ascisceret. Notum est Socratem per canem & anserem jurare solere. Brisson. Formular. num. 709. HORTENS.

MATRIQVE TVÆ GENERIQVE MANEBVNT. Videtur alludere ad juris decreta, quibus beneficia aut immunitates personis concessæ, nisi diserte aliter cautum sit, personas non egrediuntur. GERMAN.

SIC AIT ILLACHRYMANS. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 9. Sat.

HVMERO SIMVL EXVIT ENSEM. Antiquitus ab humero, non à medio cingulo pendebant enses militibus. Homer. Iliad. 2. ἀμφὶ δ' ὤμοισιν, &c. Loris autem latioribus dependebant, & id balteus seu baltea. Vide Lipsium in Analect. lib. 3. de Milit Rom. ad dial. 3.

Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptaret eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Alethes.
Protinus armati incedunt: quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. nec non & pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos littore currus:
Inter lora, rotasque, viros, simul arma jacere,
Vina simul. prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra: nunc ipsa vocat res.
Hâc iter est: tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longe.

SERVII.

LYCAON GNOSIVS. Cretensis. Et est laus ab artifice. hunc autem gladium Euryalo datum intelligimus. nam Nisus accepit galeam & pellem.

PELLEM HORRENTISQ. LEONIS EXVVIAS. τὸ αὐτὸ dixit: hoc est bis idem: ut, *Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis Laomedontiadæ bellumne.*

GALEAM FIDVS PERMVTAT ALETHES. Galeæ enim sunt explorantum arma, sicut etiam Homerus ostendit. *Permutat* autem compositum pro simplici.

PRIMORVM. Genitivus hic est, ab eo quod est hic primus, hi primi, & ab eo quod est primores, sicut hi proceres: quorum nominum nominativus singularis non invenitur, licet dicamus hujus primoris, hujus proceris.

VOTIS. Aut cum votis: aut pro reditu vota facientes: an *Iuvenumque* manus ad portas votis prosequitur? an juvenum quidem manus ad portas, senum vero votis prosequitur, ut juvenes quidem illos deduxerunt, senes vero optaverunt illis reditum.

PORTANDA. Nuntianda.

ET NVBIBVS IRRITA DONANT. Ut ipse, *Partem volucres dispersit in auras.*

SVPERANT. Transgrediuntur.

CASTRA INIMICA. Non tantum hostilia, sed & perniciosa. nam cum dolore dictum est INIMICA: unde scilicet redituri non erant, quod ex sequentibus comprobatur. dicendo enim *Multis tamen ante futuri Exitio*: id est antequam ipsi perirent, ostendit perniciosa castra esse, quæ ipsis mortem fuerant adlatura. Et bene cito dictum est exitio, cum castra mortifera dicuntur.

LITTORE. Aut aream *Litori* proximam, sicut solet; quidam litore fluminis volunt. CVRRVS. Quia ante dixerat; *Portæ, quæ proxima ponto.*

VINA SIMVL. Hoc est vasa vini, scilicet in quibus vina ponuntur.

ORE LOCVTVS. Non est perissologia. nam secundum Homerum, exploratores, quæ volunt, plerunque sibilo significant.

AVDENDVM DEXTRA. Quia audemus & cursu & animo. NVNC IPSA VOCAT RES. Id est somnus & vinum.

HAC ITER EST. Per hostium cædem & audaciam nostram. ADTOLLERE. Adsurgere.

CONSVLE. Provide.

VARIORVM.

VAGINA APTARET EBVRNA. Macrob. l. 5. cap. 9. Homer. Iliad. π.

PELLEM, HORRENTISQVE LEONIS. Turneb. lib. 29 cap. 25.

ANTE ANNOS, &c. Videtur autem hic Poëta, ut passim, ἀφορμαῖς & studiis Iuliæ familiæ, in persona Iuli ad Augustum alludere, eique assentari, qui solutus Romanis legibus, referente Cicerone, ætatis privilegio, prima adolescentia consulatum gessit.

SED AVRÆ OMNIA DISCERPVNT. Promissa & mandata, quæ exitum non habent, poëtæ dicere consueverunt, *à ventis discerpi*; vel tota ipsis tradi ab illis, qui fidem violant, nec ullam in partem ipsa servant. VICTORIVS. lib. 30. cap. 8.

Hæc

Hæc ego vasta dabo, lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit: simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Treis juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Rhemi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit,
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra torique madent: necnon Lamyrumque, Lamumque,
Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus. felix, si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.

SERVII.

HÆC EGO VASTA DABO. De quibus dixit, *Corpora fusa vident.*

VOCEMQVE PREMIT. Aut summissa voce loquitur, aut tacet. SVPERBVM. Cur *superbum* dixerit enarrat, qui forte tapetibus altis extructus, *Superbum* enim est & nobile, ut, *Tiburque superbum:* *Extructus* autem pro extructis tapetibus altis, veteres & mensæ, & toris tapetes aptabant. *

TOTO PROFLABAT PECTORE SOMNVM. Periphrasis est, ne verbo humili stertentem diceret.

SED NON AVGVRIO POTVIT DEPELLERE PESTEM. *Augurio* hic pro scientia augurii, & ostendit per transitum fati necessitatem nulla peritia posse depelli. Est autem Homericus versus,

Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.

TEMERE. Passim, fortuito, negligenter, vel humi, vel periculose, ut in consuetudine solemus dicere temerarios homines. *Temere*, significat & facile. Plautus, *Magnus est hic fluvius, non hac temere transiri potest*. Significat & subito. Ennius, *Quod tam temere itis citate catomecariis?* * Significat sine causa. Ennius *Haud temere est quod tu tristi cum corde gubernas.*

PREMIT. Opprimit, occidit. SVB IPSIS EQVIS. Circa ipsos equos.

PENDENTIA COLLA. Quasi ebriorum: aut ita jacentium ut colla penderent.

SINGVLTANTEM. Cum singultu animam efflantem. ATRO. Potest & superioribus adplicari, ut sit intellectus, sanguine singultantem atro; potest & sequentibus jungi, sed melius sequentibus.

PLVRIMA LVSERAT. Pro plurimum luserat dixit, vel per plurimam noctem.

DEO. Vel vino, vel somno. PROTINVS: Hic porro tenus.

DONATI.

TEMERE. Ostendit hos ita vino fuisse oppressos, ut cecidisse potius quam corpora ad quietem tradidisse viderentur.

SECAT. Quod non fit sine mora. Hoc veniebat ex securitate agentis & ignoratione patientis ex nimia ebrietate.

DEO VICTVS. Ostendit hunc sola ebrietate oppressum esse.

VARIORVM.

RHAMNETEM AGGREDITVR. Turnebus lib 22. cap. 15.

TOTO PROFLABAT PECTORE SOMNVM. Quod ait de Rhamnete, eum toto pectore somnum proflare, cum supra universe de Rutulis dixerit, *passim vino somnoque per herbam corpora fusa* jacuisse; haud dubie de quiete minime tacita, sed ronchos egregie trahente, stertenteque accipiendum est. Quem soporem Cælius Aurelianus medicus, elegantissime *sorbilem* nuncupavit: & Plaut. in Milit. L. *Sorbet dormiens.* P. *Quid sorbet.* L. *Illud stertit volui dicere: sed quia consimile est quod stertas, quasi sorbeas.* PONT.

REX IDEM, ET REGI AVGVR: Ostendimus alibi & Reges antiquitus sacerdotio fungi solere. Et postea urbe condita, tanta dignitas augurandi scientiæ accessit, ut reges in eorum collegium adscribi voluerint. Talem Poëta facit hic Rhamnetem & regem & augurem. HORTENS.

SED NON AVGVRIO POTVIT, &c. Proverb. *Alii prospiciens.* Hom. Iliad β.

TRES IVXTA FAMVLOS. Enumerat eos Poëta quos Nisus castra hostium ingressus, interfecit. HORT.

Im-

Digitized by Google

Impastus ceu plena leo per ovilia turbans,
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incensus & ipse
Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Hebesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
Ignaros: Rhœtum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens se post cratera tegebat.
Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, & cum sanguine mista
Vina refert moriens. hic furto fervidus instat:
Iamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus

SERVII.

PER OVILIA TVRBANS. Perturbans ovilia. nam Tmesis est. MVTVMQVE METV. Scilicet pecus: nam male quidam accipiunt mutum fremit, de leone. quod si dixeris, vacat *metu*.

INCENSVS ET IPSE PERFVRIT. Exemplo Nisi.

SINE NOMINE PLEBEM. Bene expressit & bellatoris peritiam, & tyronis inconsideratam aviditatem. Nam Nisus reges interemit: Euryalus sævit in plebem. ut Salustius, *Ex insolentia avidus male faciendi.* SINE NOMINE autem dixit, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina, atqui adiecit *nomina*, nam ait *Fadum, Hebesumque subit*: Ergo aut sine dignitate & nobilitate, aut seorsum plebem dicit, & seorsum nobiles, quorum nomina inseruit.

RHETVM VIGILANTEM. Hoc loco non tantum Rheti timor, sed & Euryali audacia comprobatur.

ET MVLTA MORTE RECEPIT PVRPVREAM. Multi hoc distinguunt, ut sit sensus talis, Eduxit gladium multo cruore purpureum. Alii multa morte recepit, ut sit, Eduxit gladium cum multo cruore. & sic inferunt, *Purpuream vomit ille animam*: secundum eos, qui animam sanguinem dicunt. RECEPIT. Eduxit. ut, lib. x. *Hastamque receptat Ossibus hærentem*, vel secundum Homerum, ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος ϗ μοῖρα κραταιή. Cornutus *nocte* legit, & adnotavit virum *nocte* pro morte; an cum multa nox esset?

VINA REFERT. Proprie, quæ paulo ante potaverat. REFERT autem, rejicit; Græci ut ille dicunt ἀναφέρει, hoc est qui in tantum potando vigilaverat, ut metuens post magnum cratera se tegeret. HIC FVRTO FERVIDVS INSTAT. Scilicet Euryalus, qui furebat latenter: ut sit *furto* nocturno prœlio. Nam fures ideo dicti sunt, quod furvo, id est nigro tempore furta committunt. aut re vera *furto fervidus*: quia Messapi galeam sustulit, & Rhamnetis phaleras.

DEFICERE EXTREMVM. Vtrum ignem extremum; an deficere extremum? RELIGATOS. Non resolutos, sed diligenter ligatos. Vnde addidit RE, id est ex militari consuetudine optime ligatos. RITE. Ex more.

DONATI.

VIGILANTEM. Hic solo timore periit: qui nec clamare, nec ire contra ausus est.

PVRPVREAM. *Purpura* nigra est cum rubore. Sic sanguis propter copiam vini nigrior in eo fuerat.

INSTAT FVRTO. Occasio rei gerendæ illum accendebat. Ostendit autem hos non motos esse precio rerum, sed gloria: quia abstulerunt solum ea quibus ornarentur.

VARIORVM.

IMPASTVS CEV PLENA LEO. Homero comparat Vict. lib. 27. Variar. cap. 16.

INCENSVS ET IPSE PERFVRIT. Exemplo Nisi inflammatus.

IGNAROS. Ad omnes pertinet, excepto Rhœto, qui solus sciens occisus est, & conspiciens universa. DONAT.

MAGNVM METVENS SE POST CRATERA. De magno & vasto quodam cratere, quem sublatum Theseus in Eurytum centaurum jecit, in nuptiis Pirithoi, vide Metamorph. lib. 12.

PVRPVREAM VOMIT ILLE ANIMAM. Iuxta illos, qui animam dicunt esse sanguinem. Vide Cæli Rhodigin. lib. 8. cap. 11.

HIC FVRTO FERVIDVS INSTAT. Hic tanto magis perficiendis cædibus operam dabat, quanto videbat occasionem multiplicem suffragari. *Furto*, quia sæviebat latenter nocturno prælio: furtivas cædes persequitur. DONAT.

Sensit

Digitized by Google

(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes:
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula; Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens,
Cædicus: ille suo moriens dat habere nepoti:
Post mortem, bello Rutuli prædaque potiti.
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem, cristisque decoram
Induit: excedunt castris, & tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,

SERVII.

SENSIT ENIM. Parenthesis. NIMIA CÆDE. Id est illum. * FERRI. Φίρεαξ. LVX INIMICA. Proditrix.

POENARVM EXHAVSTVM SATIS EST. Bene EXHAVSTVM, ut ostendat eos avidos cædis fuisse, & cruoris hostilis. VIA FACTA PER HOSTES. Vt, *Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.*

MVLTA VIRVM SOLIDO ARGENTO. Mira arte, tempus expressit quo necesse erat hæc omittere.

PVLCHROSQVE TAPETAS. Secundum Græcos per masculinum genus.

EVRYALVS PHALERAS RHAMNETIS, ET AVREA BVLLIS CINGVLA. Phaleræ ornamenta equorum sunt: & est sermo Græcus τὰ φάλαρ' [illegible]. CINGVLVM autem hominum, generis neutri est. Nam animalium, fœminino genere dicimus has cingulas.

TYBVRTI REMVLO DITISSIMVS OLIM QVÆ MITTIT DONA. Consuetudo erat apud majores, ut inter se homines hospitii jura mutuis muneribus copularent, vel in præsenti, vel per internuntios Sensus ergo nunc talis est, Cædicus quidam Tyburti Remulo cum eum sibi absens hospitio vellet adjungere, mitit phaleras & cingula bullis aureis, hoc est clavis insignita. Remulus moriens nepoti suo cognomini hæc reliquit, qui postea victus à Rutulis est, & occisus: post cujus mortem apud Rhamnetem Rutulum, ab Euryalo hæc reperta sunt munera. Quod autem dixit *Tyburti Remulo*, aut Tyburtino intelligimus, hoc est de Tybure, ut sit dativus ab appellativo veniens hic Tyburs. aut *Tyburti*, hoc est filio Tyburti, ab eo quod est hic Tyburtius hujus Tyburtii, ut sit *Tyburti Remulo*, sicut Deiphobo Glauci.

CVM IVNGERET ABSENS. Aut cum se illi jungeret, aut cum jungeretur.

SVO MORIENS DAT HABERE NEPOTI. Nepoti Remulo, quem supra avo cognominem diximus. Nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte positum invenimus: & econtra si filii vel nepotis positum nomen fuerit, prætermissum autem parentum, cognomines eos esse intelligamus, necesse est.

POST MORTEM. Scilicet Remuli, secundum supra dictum sensum. Nam Donatus dicit, post mortem Nisi & Euryali, bello potiti sunt Rutuli: quod non procedit si diligenter advertas. Sane sciendum hunc locum unum de XIII. Virgilii, sive per naturam obscuris, sive insolubilibus, sive emendandis, sive sic relicti sunt, ut à nobis per historiæ antiquæ ignorantiam liquide non intelligantur.

NEQVICQVAM. Non fruiturus: & est, *nequicquam aptat*: non, nequicquam fortibus.

GALEAM MESSAPI. Non occisi Messapi abstulit Galeam (nam dimicaturus est paulo post) sed invenit jacentem, & sustulit. CRISTISQVE DECORAM. Bene præmittit dicens DECORAM. nam ejus splendore prodente, Euryalus capitur. Denique Nisus hac ratione non proditur, cui habenti inferiorem galeam, habiliorem galeam Alethes permutavit.

EXCEDVNT CASTRIS. Rutulorum scilicet. nam supra dixit, *Castra inimica petunt.*

VRBE LATINA. Non est contrarium illi loco, ubi ait, *Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas*: quo modo à Latina urbe auxilia venire commemorat. Intelligimus enim Latinum in principio discordiæ, & tumultus paululum se abstinuisse: postea tamen nec suorum copias, nec propria denegasse consilia. nam eum & cœtui, & fœderibus interfuisse dicturus est. PRÆMISSI EQVITES. Hos neque alio loco à Turno missos usquam dixit, nec prius de eis mentionem fecit: dubitatur ergo à quo sint, vel quibus præmissi, vel cur præmissi, cum eos constat, aliis jam in campo positis advenire.

DONATI.

NEQVICQVAM. Quia omnia in morte perditurus erat.

Cætera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, muroque subibant,
Cum procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State viri, quæ caussa viæ, quive estis in armis?
Quove tenetis iter? nihil illi tendere contra,
Sed celerare fugam in sylvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque aditum custode coronant.
Sylva fuit late dumis, atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum, onerosaque præda

SERVII.

LEGIO CAMPIS INSTRVCTA MORATVR. Proprie. nam legiones peditum sunt: turmæ vero equitum.

TVRNO REGI. In omnibus bonis, *regis*, dicitur inventum, nam quasi absurdum est duobus positis, Turnum potius quam Latinum responsa dare.

TERCENTVM. Quia Romani equites primo trecenti fuerunt. De singulis enim curiis deni dabantur, quas triginta fuisse diximus. An TERCENTVM. ut [illegible] SCVTATI OMNES. Armati, à parte totum. Non clypeati. nam clypei, peditum sunt: scuta equitum. VOLSCENTE MAGISTRO. Proprie. nam magister equitum dicitur more Romano, quod dictatori adjungi solet.

MVROS SVBIBANT. Muros Trojanorum, Et est locutio de Cicerone, *Poteris ne ejus orationem subire?*

LÆVO LIMITE. Respiciens situm regionis locutus est.

SVBLVSTRI NOCTIS IN VMBRA. *Sublustris nox* est habens aliquid lucis. Horatius, *Nocte sublustri nihil astra præter vidit & undas.*

IMMEMOREM. Amentem, *Infamus tamen immemores*, vel incuriosum, vel incautum. RADIIS. Lunaribus intelligendum.

HAVD TEMERE. Particula hæc modo non sine caussa significat: alias fortuito, alias male, alias improvide, alias passim. ut, *Temere inter tela jacentes*; *alias* facile. Plautus. *Rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest*, quæ pro loco accipiuntur & intelleguntur: adverbio qualitatis sane relatum est hoc loco.

NIHIL ILLI TENDERE CONTRA. Hoc est, nihil contra responderunt. nam *tendo* contra sermonem tuum, est respondeo tibi. tendo contra iter tuum, est occurro tibi. ergo *nihil contra tendebant*, id est nihil respondebant è contra.

AD DIVORTIA. Viæ in diversa tendentes, hoc est ad diverticula viæ militaris. Terentius, *Vbi ad ipsum venit diverticulum.* Diverticula autem sunt semitæ transversæ, quæ sunt à latere viæ militaris.

ADITVM CORONANT. Melior lectio ABITVM, quam ADITVM. Cingunt enim sylvam ne abeant, non ne adire possint.

DVCEBAT SEMITA CALLES. Legitur & *lucebat*. quod si est, RARA pro raro accipiendum, ut sit, Raro lucebat, herbis scilicet in aliquibus locis intervenientibus. SI DVCEBAT, intelligimus inter calles pecorum raram fuisse semitam, hoc est hominum viam, & non ostendit quo ducebat, sed intelligamus euntes.

DONATI.

SVBLVSTRI. Vmbra noctis quæ sereno cælo habet aliquid luminis.

STATE. Mira brevitate omnia interrogat.

SYLVA. Brevis descriptio, & quæ ea sola continentur, quæ errorem Euryalo facere possint. Hæc separati sunt quos discerni non oportuit.

VARIORVM.

CÆTERA DVM LEGIO. Vocata est legio, quod lecti ex omnibus essent militares. Ea vero jam inde à Romulo rege instituta est trium millium peditum & trecentorum equitum. Subsequentibus vero temporibus pro usu reipub. & senatus arbitrio variatum, ut Legio modo quatuor, modo sex millium peditum, itemque modo ducentorum, modo trecentorum equitum scriberetur. Lege Vegetium l. 2. c. 1.

Impe-

Digitized by Google

Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Niſus abit: jamque imprudens evaſerat hoſtes,
Atque locos, qui poſt Albæ de nomine dicti
Albani, tum rex ſtabula alta Latinus habebat.
Vt ſtetit, & fruſtra abſentem reſpexit amicum,
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave ſequar? rurſus perplexum iter omne revolvens
Fallacis ſylvæ, ſimul & veſtigia retro
Obſervata legit, dumiſque ſilentibus errat.
Audit equos, audit ſtrepitus, & ſigna ſequentum.
Nec longum in medio tempus, cum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Euryalum, quem jam manus omnis
Fraude loci, & noctis ſubito turbante tumultu,
Oppreſſum rapit, & conantem plurima fruſtra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an ſeſe medios moriturus in hoſtes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?

SERVII.

EVRYALVM IMPEDIVNT. *Impedio* te dicimus per accuſativum,& caſus mutari non poteſt,niſi deſeras verbum; ut dicas *impedimento mihi eſt.* Sciendum ſane multas inferri in Euryalum excuſationes. REGIONE VIARVM. Regionem hic rectum iter dixit, ab eo quod regat tramitem.

NISVS ABIT. Bene meminit velocitatis,quam ei in quinto dedit: ut, *Primus abit, longeque ante omnus corpora Niſus Emicat.* IMPRVDENS. Scilicet remanentis Euryali, aut *imprudens* ſuaſiſſe; alii *imprudens*, valde prudens accipiunt.

ALBÆ DE NOMINE. Vel porcæ, vel civitatis, vel regis Albani, cui ſucceſſit Procas.

INFELIX, QVA TE REGIONE RELIQVI? Se infœlicem dixit, qui dolet: non illum propter quem dolet.

ITER OMNE REVOLVENS. Vrbanus hucuſque verba Niſi vult eſſe: alii, poëtæ dant, *Rurſus perplexum iter omne revolvens.*

FALLACIS SYLVÆ. Vt Niſus uſquequaque ſequar, dixiſſe videatur.

OBSERVATA. Id eſt obſervans. SILENTIBVS. Pro ipſe ſilens, aut ſilentibus,*cum tacet omnis ager.*

SIGNA SEQVENTVM. Militarem ſonum dicit, qui varius eſt. nam interdum canit, ut inſequantur eos qui fugiunt: interdum receptui.

NEC LONGVM IN MEDIO TEMPVS. Inter auditum ſonum, & viſum Euryalum, & eſt ecliplis.

FRAVDE LOCI ET NOCTIS. Fraude loci, difficultate loci, noctis, pro tenebris, & obſcuritate fraudem appellat. Quidam, *noctis ſubito turbante tumultum* legunt, ut ſit noctis tumultus, nocturno tumultu explorantium dicit. *

OPPRESSVM RAPIT. Hoc eſt, Quem jam manus omnis rapit, nam male quidam VIDET, RAPIT accipiunt. quod ſi admiſeris, vacat *Quem jam manus omnis.*

QVID FACIAT. Mire adfectum ſuum poëta interpoſuit.

IN HOSTES. Quidam IN ENSES legunt,& melius hoc putant, quam *in hoſtes.*

PVLCHRAM PROPERET PER VVLNERA MORTEM. Aut deeſt adire, aut deeſt ad, ut ſit ad mortem properet, aut certe antique *properet mortem*, ut, Plautus, *Properate prandium.* Ennius, *Feſtivum feſtinant diem.*

PVLCHRAM MORTEM. Glorioſum enim eſt pro amico deficere. Et PVLCHRAM ex perſona poëtæ dictum, vel certe pulchram ad eum qui hoc putat.

DONATI.

EVRYALE INFELIX. Duplex eſt lectio: vel infelix Euryale, vel Euryale ego infelix, qua regione reliqui te? Sed magis ad ſe refert, cui labores & pericula jam peracta, repetenda ſint.

FRAVDE LOCI. Iam liberat Niſum ab inertia.

VARIORVM.

CVM CLAMOR AD AVRES. Clamor de capto Euryalo.

FRAVDE LOCI. Supra dixit, *fallacem ſylvam.* Eſt Euryali capti defenſio, ne per inertiam videatur factus eſſe captivus. DONAT.

QVID FACIAT? QVA VI IVVENEM? Pathos per addubitationem. Macrob. lib. 4. cap. ultimo Saturn.

PROPERET PER VVLNERA MORTEM. Pro propere faciat. Palmetius pag. 668. Tom 4. Lampad.

Digitized by Google

Ocyus adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos:
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.
Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Conjicit, hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis: ibique
Frangitur, ac fixo transit præcordia ligno.
Volvitur ille, vomens calidum de pectore flumen

SERVII.

OCYVS Pro ociter.

TV PRÆSENS NOSTRO SVCCVRRE LABORI. Non dicit quæ præsens es, sed præsens succurre, id est loco statuto & consuetudinis ejus, ut de vicino & proximo ducat opportunas invocationes. *Faune precor miserere*, inquit: & *Nymphas venerabar, Gradivumque patrem Geticis qui præsidet arvis.* Et in repetitione *Tu dea, tu præsens*, major emphasis videtur.

SI QVA. *Qua* vacat & hic, & in sequenti.

SVSPENDIVE THOLO. Tholus proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coëunt: ad quod dona suspendi consueverant. Quæ tam diu dona dici poterant, quam diu non profana fierent, sicuti in libris Sacrorum refertur. Bene autem venatorem inducit numen invocare sylvarum. Alii *tholum* ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ & Pantheon *: Alii tectum sine parietibus columnis subnixum. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestæ, Dianæ, vel Herculi vel Mercurio.

TVRBARE GLOBVM. Sana petitio. Nam quia tot vincere impossibile fuerat, petit ut saltem eos perturbet telorum beneficio. REGE TELA PER AVRAS. Per noctem, in qua sine auxilio numinis recti jactus esse non possunt.

FERRVM CONICIT, HASTA. De ferro ad hastam transiit. CONICIT, pro coicit. Nam *conicit* antiquum est.

ADVERSI IN TERGVM SVLMONIS. *Tergum* pro tergus dixit. Salustius, *Tergis vinciebant*, pro tergoribus. ut intelligamus hastam in scutum venisse, & illic esse conlisam: ut FRANGITVR, sit pro colliditur. Fisso scuti ligno etiam præcordia penetrasse, aliter non procedit. Nam si hastam re vera fractam accipiamus, ratione caret quod dicit, *Fisso transit præcordia ligno.* Alii re vera in tergum volunt esse percussum, quod falsum est. nam quo modo ante fissum lignum esset, & sic præcordia penetrata? Sciendum tamen locum hunc esse de his quos supra insolubiles dictum est.

LIGNO. Quidam humiliter dictum accipiunt.

DONATI.

TV DEA. Vt possis.

ASTRORVM DECVS. Laudat quam rogat, ut benevolam reddat.

SI QVA. Ostendit quod meritum nihil proficeret, nisi pro se pater fecisset. *Tholum* autem dicunt medium tecti, in rotunditatem collecti. Petit autem quod facile est, non liberationem sui & socii, sed turbationem globi.

VIRORVM.

OCYVS ADDVCTO TORQVENS. Cito reduxit cum hastili dexteram: cito ideo, ne locum mutarent, qui Euryalum tenebant. Reductio autem manus ideo fit, ut fortius exeat telum. DONAT.

SVSPENDITE THOLO. Nam de præda olim diis immolabant, & partes etiam quasdam de tholo (quod medium tecti est in rotunditatem collecti) eis suspendebant & consecrabant: ut Dianæ aprorum capita, & cervorum cornua. De donis tholo suspensis. Turneb. lib. 4. cap. 22.

HASTA VOLANS NOCTIS. Expressum hic beneficium deæ & humanæ fortitudinis robur. Hastam enim Rutuli Sulmonis scutum excipit, & per scutum penetrans in præcordia transit. DONAT.

ET VENIT ADVERSI IN TERGVM SVLMONIS, &c. Hunc locum perplexos habere Grammaticos docet Turneb. quod & *tergum*, & *adversum* dicat; cum tergum sit in averso: itaquè *tergum* pro clypeo ipsis hic accipi: malle tamen se *adversum* hic interpretari, qui erat è regione, & si non adverso pectore, ut in eodem libro, *ardentem, cædisque insana cupido Egit in adversos*, pro eo quod est, in eos qui ante eum ex adverso ei erant, etsi tergum averterant & fugerant. Vnde & mox, *hinc raptas fugientibus ingerit hastas In tergum.* Hastam porro sic fractam esse ipso impetu, ut finderetur: ita lignum & hastile fissum, & ipsa fissione acuminatum præcordia transisse. GERMAN.

Digitized by Google

Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt: hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure,
Dum trepidant. it hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Authorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit: simul ense recluso
Ibat in Euryalum: tunc vero exterritus, amens
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me: adsum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit (cœlum hoc, & sydera conscia testor)
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, & candida pectora rupit.
Volvitur Euryalus letho, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:

SERVII.

HOC ACRIOR IDEM. Quod latuerat, & quod ei primus prospere cesserat jactus.

TELUM LIBRABAT AB AURE. Gestus jaculantis exprimitur: duobus autem generibus manualia tela mittuntur, aut enim ab aure, aut à latere tela jaciuntur.

PER TEMPUS UTRUMQUE. Congrue dicit telum per tempus utrunque transisse: ait enim, DIVERSI CIRCUNSPICIUNT: hoc est huc & illuc ora circunferunt, per quam opportunitatem potuit telum tempus utrumque transire. Asper tamen dicit, *Per tempus utrumque*, hoc est inter tempus utrumque, ut è contra, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno*: id est per hunc. Quod si est, intelligamus eum in fronte esse vulneratum.

TEPEFACTA CEREBRO. Alibi, *Et fixo ferrum in pulmone tepescit.*

INTEREA. Donec ille invenitur. CALIDO MIHI SANGUINE POENAS. Ennius in primo, *Nam mi calido das sanguine pœnas.*

PERSOLVES AMBORUM. Aut occisorum: aut tuas & Nisi. Nam duos eos fuisse novit. supra enim ait, *State viri.* AMPLIUS. De cetero, posthac; interdum & quantitatem significat, ut, Terentius, *Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius.*

TANTUM POTUIT. Hoc quamvis ad animum Nisi pertineat, tamen sympathiam etiam poëta ex sua persona fecit. ME ME. Subaudis *interficite*, & est interrupta elocutio dolore turbati.

NEC POTUIT. Validior argumentatio ex impossibilitate. ut, *Quid Troes potuere?* Et, *Non ea vis animo: nec tanta superbia victis.* TANTUM INFELICEM NIMIUM DILEXIT AMICUM. Contra illud, Cur ergo venit? dicit, Tantum amicum dilexit, ut cum nihil posset, tamen veniret.

VOLVITUR EURYALUS LETHO. Aut septimus est, aut dativus: sed si dativus fuerit, figuratum est, id est in lethum. ut, *It clamor cœlo.*

DONATI.

SUMMA LIBRABAT AB AURE. Summa copia scriptoris: nam supra dixit *adducto Lacerto.*

SÆVIT. Crescit ira, quoniam author facti non apparebat.

VARIORUM.

IT HASTA TAGO. Si τὸ *it* præsentis est temporis; insequens H, vim litteræ habebit, ut ejus adminiculo syllaba brevis producatur: cum hic nulla incidat cæsura, quæ id faciat. Quanquam Mart. Capella tradat, *Syllabam, quæ desinat in t litteram esse communem.* Alii tamen hic *iit* legunt; quia sequitur, hæsit. Vide ERYTHR. Indic.

PER TEMPUS UTRUMQUE. Homer. Iliad. ꝑ.

CONCLAMAT NISUS. Par fidelissimorum amicorum, Nisus & Euryalus. Nam ut aurum igne exploratur: sic amicorum fides rebus adversis. H.

VOLVITUR EURYALUS. Macrob. lib. 4. c. 6. Ab attestatione rei visæ πάθος. HART.

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc cominus, atque hinc
Proturbant: instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum: donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus: placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

SERVII.

PVRPVREVS VELVTI CVM FLOS SVCCISVS ARATRO LANGVESCIT. Habetur ratio comparationis. videtur enim Euryalo Hyacinthum comparare, qui pulcherrimus fuit, & post mortem conversus in florem est.

LANGVESCIT MORIENS. Duplex similitudo & pulchritudinis & gestus.

LASSOVE PAPAVERA COLLO DEMISERE CAPVT. Homeri est & comparatio & figura. nam & ille sic ait, ut multorum unum diceret caput.

SOLVMQVE PER OMNES. An per obstantes, an protegentes?

VOLSCENTEM PETIT. Appetit. Petitiones enim proprie dicimus impetus gladiatorum. Vnde Cicero, *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari nullo modo posse viderentur, parva quadam declinatione & ut ajunt corpore effugi.* MORATVR. Perseverat.

PROTVRBANT. Modo confodiunt, ut paulo post, *Confossus*. NON SECIVS. Non segnius.

IN ORE CONDIDIT ADVERSO. Archaïsmos est, ut supra, *Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit.*

PLACIDAQ. IBI DEMVM MORTE QVIEVIT. Aut proprium mortis epitheton est: aut ex affectu pereuntis dictum est, qui cum amico moriebatur.

FORTVNATI AMBO. Prosphonesis est. Mire horum mortem non luctu aut misericordia, sed felicitatis testimonio prosequitur. SI QVID MEA CARMINA POSSVNT. Verecunde.

DOMVS. Familia. CAPITOLI IMMOBILE SAXVM ACCOLET. In urbe Roma Iovis templum non fuit, quod cum jam devotum à Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius ædificare, cœpit auguriis captare qui mons huic templo esset aptissimus. Et cum in omnibus Tarpejus esset inventus (in quo erant multa diversorum numinum sacella) actum est ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere & sine piaculo templum Iovis exædificare. Cumque omnes dij libenter inde migrassent, Terminus solus, hoc est limitum deus, descendere noluit, sed illic remansit. Tum de hoc ipso sacrificatum est & deprehensum, quod Terminus cum Iove remanens æternum urbi imperium cum religione significaret. Vnde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat. nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur. Hinc ergo nunc dixit, *Capitoli immobile saxum Accolet*; quia Terminus non est revulsus de loco.

DONATI.

PVRPVREVS. Ad totum corpus refertur hæc comparatio, *papaver* vero ad cervicem & ad caput.

DVM DOMVS. Ostendit omnia ventura ad finem.

VARIORVM.

SI QVID MEA CARMINA POSSVNT. Literis memoriam perennare è Seneca docet, Ios. Castalio cap. 48.

DVM DOMVS ÆNEÆ CAPITOLI, &c. Hic ego *domum Æneæ* familiam Iuliam significari puto, è qua Augustus erat. Et quamvis de toto Capitolio intelligi non inepte potest, quod de saxo immobili cecinit; tamen Grammaticis ad Terminum, qui exaugurari non potuit, referri magis placet. Turneb. lib. 22. c. 15. De Termino consule Gyrald. Syntag. 1. Videtur autem Poëta ad gloriam privilegiumque velut fatale Iuliæ familiæ hos versus direxisse, cui prærogativa insigni ad Capitolium habitatio concessa videretur, quam patriciis omnibus denegatum fuisse docet Plutarch. GERMAN.

IMPERIVM PATER ROMANVS HABEBIT. Pater Romanus est Imperator, cum præsertim Imperatores patres patriæ dicerentur, & hunc titulum Augustus consecutus sit, & *pater* nomen dignitatis sit. TVRNEB. lib. 22. cap. 15.

Victo-

Digitized by Google

Victores præda Rutuli, spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exangui: & primis una tot cæde peremptis,
Serranoque, Numaque. ingens concursus ad ipsa
Corpora seminecesque viros, tepidumque recenti
Cæde locum, & plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile:
Iam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circundatus ipse,
Suscitat: æratasque acies in prælia cogit:
Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali, & Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra

SERVII.

PRÆDA RVTVLI, SPOLIISQVE POTITI. Non solum suis eos armis exuerunt, sed etiam illa præda quæ Rutulis fuerat ante detracta.

NEC MINOR IN CASTRIS LVCTVS. Decens repetitio.

SERRANOQVE, NVMAQVE. Decima Antapodosis, quæ fit quotiens commemorantur ea quæ non sunt ante prædicta. Neque Numam induxit occisum.

TEPIDAQVE RECENTEM CÆDE LOCVM. Hypallage est, tepidum locum recenti cæde. Vnde multi legunt *Tepidumque recenti Cæde locum.*

SPVMANTEM SANGVINE RIVOS. Spumas tunc habet sanguis cum effunditur, nam postea conquiescit. Vnde bene dixit, *Spumantem rivos:* quia præmisit, *Seminecesque viros.*

ET IAM PRIMA NOVO. Lucretianum est. Et bene descripturus cædes & bella morose diem oriri facit.

IAM REBVS LVCE RETECTIS. Supra, *Et rebus nox abstulit atra colorem.*

QVISQVE SVOS. Scilicet comites. nam plenum est, *Æratasque acies.* ACVVNT RVMORIBVS IRAS. Quia duo ausi sunt per eorum castra transire.

EVRYALI, & NISI. Volunt nonnulli clamorem esse militum: sed melius hoc à poëta dictum accipimus. nam Rutuli, eorum non noverant nomina: ut sit, quin etiam capita Euryali & Nisi præfigunt in arrectis hastis, & cum magno clamore comitantur.

MVRORVM IN PARTE SINISTRA. Aliud ageris situm castrorum ostendit, præterea & prœconomia est, quia postea castris per fluvium Turnus evadit.

DONATI.

VICTORES. Irrisorie, tanquam qui magnum putarent, si treceni duos vicerunt, cum duo tres interemissent.

DVRI. Durantes in labore. In matre autem Euryali ostendit quid possit, dolor cum oblita sexus & ætatis, tantum fureret. Denique accusat eorum, quæ & si facta fuissent, nihil tamen prodessent.

VARIORVM.

TEPIDVMQVE RECENTI CÆDE LOCVM. Vt apud Græcos [illegible], quod vocabulum cædem significat, etiam sanguis dicitur, ita & hoc loco *tepida cæde*, id est tepido sanguine. TVRNEB. lib. 18. cap. 3.

ET IAM PRIMA NOVO. Macrob. lib. 5. c. 9. Sat. ex Homero.

TITHONI CROCEVM LINQVENS. Ex Furio. Macrob. lib. 6. c. 1. Sat.

IAM REBVS LVCE RETECTIS. Apparebant omnia, quæ nocturnis tenebris erant occultata. PONTAN.

ÆRATASQVE ACIES IN PRÆLIA COGIT. Quidam sic legunt & distinguunt, *æratasque acies in prælia cogit Quisque suas*, ut sit synthesis. Turnus adhortabatur milites, ad oppugnationem oppidi sese pararent: duces eum secuti, cohortes expediebant, & quisque colligebat suos. PONT.

Oppo-

Opposuere aciem (nam dextra cingitur amni)
Ingentesque tenent fossas, & turribus altis
Stant mœsti. simul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali, ac subitus miseræ calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa:
Evolat infelix, & fœmineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor: cœlum dehinc questibus implet:
Hunc ego te Euryale aspicio? tune illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum,
Affari extremum miseræ data copia matri?

SERVII.

CINGITVR AMNI. *Amne* debuit dicere: nunquam enim bene in i exeunt, nisi quæ communis sunt generis: ut docilis, agilis. sed ideo ausus est ita ponere ablativum, quia ut supra diximus, apud majores hic & hæc amnis dicebatur.

TENENT FOSSAS. Tuentur, defendunt.

NOTA NIMIS MISERIS. Hoc plus commovebantur, quia etiam abscissi vultus, nec dum agnitionis amiserant notas.

PINNATA. Quidam volunt ideo hic famam pinnatam à poëta inductam, quæ tumultum & res adversas nuntiet, ut illud tangere videretur, quod qui bellum nuntiaret, *pinnatas literas* diceretur adferre.

SVBITVS MISERÆ. Potest pro *subitus miseræ*, vel pro subito miseræ; ergo & genitivus potest esse.

EXCVSSI MANIBVS RADII. Bene EXCVSSI, quasi nescienti: melius quam si diceret projecti.

FOEMINEO VLVLATV. Impatienti: ut, *Fœmineo prædæ & spoliorum ardebat amore.*

PRIMA PETIT. Ideoque PRIMA, quia solent in extrema necessitate etiam mulieres muros ascendere: ut, *Ipsæ de muris matres.* NON ILLA VIRVM, NON ILLA PERICLI. Vnum pudoris est, aliud salutis.

TELORVMQVE MEMOR. Hanc impatientiam matris Euryali illo loco poëta præmisit, cum Euryalus nec profectionem suam ad requirendum Ænean scire significat, & tantopere commendat Ascanio, nam & Nisus propter illam dicit nolle Euryalum sibi comitem jungere, quod sciret, si quid ei accidisset intolerabiliter eam laturam.

HVNC. Talem. Et est conquestio matris Euryali plena artis Rhetoricæ. nam pene omnes partes habet de misericordia commovenda à Cicerone in Rhetoricis positas. EGO HVNC TE ASPICIO? A qualitate cædis.

SERA MEÆ REQVIES? Euander, *Mea sola & sera voluptas.* Et *Requies* hic pro solatio. POTVISTI LINQVERE SOLAM. Ab intercepto solatio.

CRVDELIS? Cum potuisti linquere solam cum pius esses. SVB TANTA PERICVLA. *Sub* pro in, ut 1. Æn. *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo.*

AFFARI EXTREMVM. Anchises, *Sic ô, sic positum, adfati discedite corpus.* Terentius, *Quin igitur dum licet loquimini mecum Antipho?* MATRI. Melius matri, quam si dixisset *mihi.*

VARIORVM.

ALLABITVR AVRES. Hysterologia. Proverb. *Ad aures pervenit.* HART.

EXCVSSI MANIBVS RADII. Pathos ex habitu. Macrob. lib. 4 cap. 1. Saturn.

SCISSA COMAM. Apud Græcos viri in luctu funebri barbam capillumque summittebant, mulieres comam detondebant; quem morem & Romanæ fœminæ servarunt, ut etiam cadaveri aut sepulchro subsectos crines imponerent. Alex. ab Alex. lib 3. cap. 7 & ibid. Tiraquell.

HVNC EGO TE EVRYALE ASPICIO. Ad hoc deducta est infelicitas mea, ut post illum ætatis tuæ florem hunc te videam mater, hoc est occisum, & triumphum præbentem hostibus. DONAT.

LINQVERE SOLAM CRVDELIS. Mirum quantum afferat vel affectus, vel ornamenti, vox quæ in principio carminis ponitur post expletam sententiam; quæ vox tamen illi apposita, apponit & sensum. Neque post τὸ *Crudelis*, nota interrogationis ponenda; sed post τὸ *solam?* SCALIG. libro 4. cap. 48.

Heu!

Digitized by Google

Heu! terra ignota, canibus data præda Latinis,
Alitibusque jaces: nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens: tibi quam noctes festina, diesque
Vrgebam, & tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quæ nunc artus, avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terraque, marique secuta?
Figite me, siqua est pietas: in me omnia tela
Conjicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu magne pater divûm miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus & Actor,
Ilionei monitu, & multum lachrymantis Iüli,

SERVII.

LATINIS. Id est Latinorum. NEC TVA FVNERA MATER. Id est funerea. Nam apud majores *funereas* dicebant eas ad quas funus pertinebat, ut sororem, matrem. nam præficæ, ut & supra diximus, sunt planctus principes, non doloris. *funeras* autem dicebant, quasi *funereas* ad quas pertinet funus: vel derivavit veteres secutus, ut *funeram* pro funesta diceret, ut homo scelerus, sicuti scelestus vel scelerosus dicebatur. Plautus in Pseudulo, *Feritur sinapis scelera*: In eadem, *Nunc jube venire Pseudolum scelerum caput*, id est scelestum.

AVT VVLNERA LAVI. Romana consuetudo fuit, ut mortui lavarentur, ideoque hos qui hoc officium implebant, pollinctores appellatos dicunt, qui mortuis os polline oblinebant, ne livor appareret extincti.

FESTINA. Pro festinans: Nomen pro participio, vel à verbo derivatum, ut ab eo quod est festino, festinus dicatur, ut hic *festina*, quomodo superius *funera*. Sallustius, *In secunda cohortes festinas composuerat*, sicut ipse ab eo quod Propero, *Circumstant properi aurigæ*, ut sit nominativus hic properus; & bene *festina*, nam ait superius, *Excussi manibus radii, revolutaque pensa*.

QVO SEQVAR. Id est inquiram.

ET FVNVS LACERVM TELLVS HABET. Dilaniatum cadaver. nam *funus* pro cadavere posuit. Ergo ex posteriore intelligitur prius. HOC MIHI DE TE. Hoc caput intuens ait.

SIQVA EST PIETAS. Si qua est pietas in occidendo, in me probetur.

ME PRIMAM ABSVMITE FERRO. Vnusquisque enim in propriæ salutis desperatione, credit tum universa etiam posse consumi, unde est quod modo dixit *Me primam*. Quasi mortuo Euryalo, omnes Trojani perituri essent.

INVISVM HOC DETRVDE CAPVT SVB TARTARA TELO. *Invisum* quidem est, hoc est odiosum caput: ergo deest tibi, & si *Invisum*, quomodo misererei verum misericordiæ genus est, si me etiam iratus interimas.

QVANDO ALITER NEQVEO CRVDELEM ABRVMPERE VITAM. Hinc traxit illum colorem Iuvenalis, *Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?*

TORPENT INFRACTÆ. Antea infractæ, nunc tamen torpent. Vt *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos*. Naturaliter enim homines dolore ac miseratione franguntur.

IDÆVS ET ACTOR. Ex nominibus personarum & finem & dignitatem rei addit.

LACHRYMANTIS IVLI. Puero dat lachrymas cui potest sine pudore: viris fortibus, tantum dolorem.

DONATI.

CANIBVS DATE PRÆDA. Non solum morte, sed mortis accidentibus cruciatur.

VARIORVM.

TVA FVNERA MATER PRODVXI. Turnebus lib. 19. c. 16. hic *producere*, interpretatur προ-τίθειν, quod est, ante ædes mortuos ad exsequias proponere. Scalig. lib: 4. cap 16. *Produxi te, tua funera*, id est, ad funera. quasi perturbatio mutilam faceret orationem. GERMAN.

PRESSIVE OCVLOS. Ritum explicat Turn. lib. 19 cap. 16. Franc. Luisinus lib. 3. Parerg. c. 36. Crinitus lib. 18. cap. 12.

Corripiunt, interque manus ſub tecta reponunt.
At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit: ſequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant acta pariter teſtudine Volſci,
Et foſſas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, & ſcalis aſcendere muros,
Qua rara eſt acies, interlucetque corona,
Non tam ſpiſſa viris. telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Aſſueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infeſto volvebant pondere, ſiqua
Poſſent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.
Nec jam ſufficiunt. nam qua globus imminet ingens
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quæ ſtravit Rutulos late, armorumque reſolvit
Tegmina: nec curant cæco contendere Marte

SERVII.

SVB TECTA REPONVNT. Honorifice. Quod autem dicit CORRIPIVNT, non injuriæ eſt, ſed celeritatis: Id eſt raptim tollunt.

AT TVBA TERRIBILEM SONITVM. Hemiſtichium Ennii. nam ſequentia iſte mutavit. Ille enim ad exprimendum tubæ ſonum ait *Taratantara dixit*. Et multa hujuſmodi Virgilius cum aſpera invenerit, mutat. Bene tamen hic electis verbis imitatur ſonum tubarum.

INCREPVIT. Et inſonuit, & ſegnitiam increpavit.

VOLSCI. Non mirum, quia dicit Volſcos, cum & Camilla de Volſcis ſit, ut. Et *Volſca de gente Camilla*. Namque pars aliqua Tuſciæ dat Turno auxilia, cum Tuſcos diximus ſpecialiter Æneæ favere. Item èconrra pars Venetiæ auxilium præſtat Æneæ, quam Turni fuiſſe ſuperius diximus. TESTVDINE. Teſtudo ſcutorum eſt connexio, curvata in modum & ſimilitudinem teſtudinis, cum à militibus aliqua civitas obſidetur, & fit ut murus ejus ſubruatur. Namque in armorum generibus milites ſumunt ab animalibus nomina, ut aries. Saluſtius, *In modum ericii militaris*. Inventor autem teſtudinis Artemon Clazomenius fertur, idemque arietis repertor dicitur. Scuta geſtare Curetes primi invenerunt, galea Thracicum tegmen eſt. Thoraces Thorax quidam rex dicitur inveniſſe; Lycaon Arcas gladium longiore lamina produxiſſe narratur; Peleus primus machæram dicitur inveniſſe: Arpen, id eſt curvum gladium in modum falcis à Perſeo inventam multi dixerunt.

FOSSAS IMPLERE PARANT. Vertit ordinem: nam ante eſt ut impleatur foſſa, tollantur valli: & ſic teſtudine accedatur ad murum. Quanquam poſſimus intelligere etiam ad foſſas eos facta veniſſe teſtudine. Proprie tamen foſſas implere, vallum vellere, ſic enim & hiſtorici.

EFFVNDERE CONTRA. Proprie: tela enim non jaciuntur in ſubjecto, ſed funduntur: & dicendo *Omne genus telorum*, oſtendit telum vocari omne quod jacitur. Græci τὰ βέλη ἀπὸ τοῦ βάλλειν: ſicut Latine tela, ἀπὸ τοῦ τῆλε, id eſt longe.

ASSVETI LONGO. Docet uſum in rebus omnibus plurimum poſſe.

INFESTO VOLVEBANT PONDERE. Hoc eſt infeſti ponderis. SVBTER DENSA TESTVDINE. Hoc eſt ſubter teſtudine.

NEC IAM SVFFICIVNT. Diu jam non ſuſtinent. RVVNTQVE Hic *ruunt*, pro deiiciunt.

ARMORVMQVE RESOLVIT TEGMINA. Hic oſtendit armorum connexionem eſſe teſtudinem. Lucanus de teſtudine, *At poſtquam virtus incerta virorum Perpetuam rupit defeſſo milite cratem, Singula continuis ceſſerunt ictibus arma.*

DONATI.

EFFVNDERE. Plus eſt quam mittere. ille ènim effundit cui magna eſt copia: nec mittendi propter copiam metuit finem. præterea etiam quæ emitti non poſſunt, fundimus: & fuſa proficiunt, ut eſt aqua calida, pix fervens & ſoluta, & oleum candens.

TRVDERE CONTIS. Nam ſcalis ad eos perveniebant. Quanto autem Rutulorum laudatur inſtantia, tanto præferuntur Trojani.

VARIORVM.

AT TVBA. Præparatio ad oppugnationem, quam primum ſummatim graphice deſcribi, atque inde particulatim. HORT.

Am-

Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Hetruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.
Vos ô Calliope precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingenteis oras evolvite belli.
Et meministis enim divæ, & memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi
Certabant: Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas & postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus: frustraque malorum
Velle fugam. dum se glomerant, retroque residunt

SERVII.

HETRVSCAM PINVM. Hoc est ipse Hetruscus. QVASSABAT autem & INFERT mutatio temporum, ut 1. Æn. *Tydides multa vastabat cæde cruentus: Ardentesque avertit equos in castra.*

VOS O CALLIOPE PRECOR. Syllepsis per numeros, erat enim rectum *Vos musæ, aut te Calliope.*

ASPIRATE CANENTI. Favete: ut, *Aspirat primo fortuna labori.*

ORAS EVOLVITE BELLI. Hoc est ingentis belli narrate non tantum initia, sed etiam extrema bellorum: Nam oræ sunt extremitates. Est autem Ennianum, *Qui potis ingentis oras evolvere belli.*

ET MEMINISTIS ENIM DIVÆ, & MEMORARE POTESTIS. Differt *meminisse* ac *memorare*: cum illud sit memoriter tenere, *Memorare* vero exponere & narrare. Est autem Homeri sententia,

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε ἴστε τε πάντα.

TVRRIS ERAT. Turres hujusmodi esse ad munitionem civitatum & in secundo legimus: Sed hæ plerumque mobiles sunt, plerumque fixæ: mobiles, ut in duodecimo meminit, *Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos*: fixæ, ut in secundo, *Turres ac tecta domorum.* PONTIB. Pro tabulatis.

OPPORTVNA LOCO. Pro opportuna scilicet circa portas.

OPVM VI. Potest & Hypallage esse, ut sit *Ope virium.*

CERTABANT. Zeugma, potest & ad Latinos, & ad Trojanos referri. CAVAS. Patulas.

DENSI TELA. Pro tela densa.

ET FLAMMAM AFFIXIT LATERI. Adfectate Debuit enim dicere, adfixit aut facem aut malleolum, non flammam. QVÆ PLVRIMA VENTO. Gliscens, & magna facta per ventum.

HÆSIT ADESIS. Non jam *adesis*, sed quos exedit adhærendo, id est hæsitans adedit, vel adesos reddidit.

MALORVM VELLE FVGAM. Honestissima elocutio.

VARIORVM.

EQVVM DOMITOR NEPT. Aulus Gell. l. 15. cap. 21.

VOS O CALLIOPE. Calliopen autem vel solam, vel præcipue invocat, quia heroico carmini præsit, de qua multa separatim Gyrald. Syntagm. de musis.

VIRVM DEMISERIT ORCO. Hom. Iliad. α. ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν.

ET MECVM INGENTES ORAS. Ex Ennio. Macrob. lib. 6. c. 1. Sat. *Oras*, non solum extremas partes, sed etiam primas significare, & pro belli spatiis sumi, Turneb. lib. 18. cap. 3.

ET MEMINISTIS ENIM, &c. Alludit Poëta ad Musarum natales, quas ex Mnemosyne suscepisse fingitur Iupiter. Macrob lib. 5. c. 13. GERMAN.

In partem quæ peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito, & cælo tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt: vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi, quem serva Lycimnia furtim,
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis:
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque, ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies astare Latinas:
Vt fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, & saltu supra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit, & qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus, inter & hostes,
Inter & arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere demens

SERVII.

PESTE. Incendio. ut, *Et toto descendit corpore pestis.*

VNVS. Subaudis & ALTER. nam non procedit *unus*. HELENOR ET LYCVS ELAPSI. Scilicet non mortem, sed turris ruinam.

MOEONIO REGI. Aut proprium patris nomen est, aut cognominem cum filio intelligamus: quia ut supra diximus, cum filii vel patris nomen præmittitur, & aliud tacetur, cognomines eos esse intelligimus.

FVRTIM SVSTVLERAT. E stupro educaverat. hinc est, *Et dulcia furta*. VETITISQVE AD TROIAM MISERAT ARMIS. Secundum Donatum *vetitis fato*, quia stare Troja diutius vetabatur; sed melius lege militari intelligimus, quia servi à militia prohibebantur. Vnde & in Dejotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset objectum inter equites quos Dejotarus miserat Cæsari, unum servum fuisse. Virgilium autem novimus trahere aliqua de historia. Servos sane nunquam militasse constat, nisi servitute deposita, excepto Hannibalis tempore: cum post Cannense prælium in tanta necessitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas.

ENSE NVDO. Id est stricto *Ense* levis armaturæ est, *nudo* autem stricto, vel sine vagina. PARMAQVE INGLORIVS ALBA. Quasi tyro, ut diximus supra: quia picta arma jam probati in bellis habebant.

VT FERA. Quidam pardum significari volunt.

LONGE MELIOR LYCVS. Ergo & Helenor bonus. INTER. Per: ut, *Hunc inter fluvio Tyberinus amœno.*

PRENDERE SAXA MANV. Quia tunc alti non erant muri: sed ad impetum tantum repellendum, ut etiam Sallustius ostendit, Vbi Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse commemorat.

CVRSV, TELOQVE SECVTVS. Nimiam ejus ostendit celeritatem, qui potuit telum missum consequi. nam hoc dicit, Cum præmisso telo ad hostem venit. Statius, *Et emissum cursu comprendere telum.*

DONATI.

SVBITO. Recte, nam si signum dedissent servari potuissent.

VARIORVM.

QVEM SERVA LYCIMNIA FVRTIM. Ex Homero. Macrob. lib. 5. cap. 12. Saturnal. Cælius lib. 25. cap. 23. Lect. Antiq.

ENSE LEVIS NVDO. De scuto sive insignibus, Turnebus lib. 20. cap. 1. & lib. 22. cap. 11. Iac: Loënsis lib. 7. cap. 5. Epiphyll. Manutius de Quæsit. per Epist. de Parma.

Spe-

Digitized by Google

Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit.
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. undique clamor
Tollitur: invadunt, & fossas aggere complent.
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis,
Lucetium portæ subeuntem, ignesque ferentem:
Emathiona Liger: Chorinæum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta:
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Cloniumque, Dioxippum, Promulumque,
Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam:
Privernum Capys. hunc primo levis hasta Themillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus

SERVII.

REVELLIT. In verbo *vello*, facit in participio vulsus. *Qualis ubi aut leporem.* Pro qualiter. Comparatio Homerica,

ὥρμησεν δ' ἐξ ἀλεῖς ὥς αἰετὸς ὑψιπετήεις
ὅς' εἶσι πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν
ἁρπάξων ἢ ἄρνα ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωόν.

PEDIBUS IOVIS ARMIGER UNCIS. Quia dicitur in bello Gigantum Aquila Iovi arma ministrasse, quod tamen fingitur. Nam ut supra diximus, Iuppiter & Saturnus reges fuerunt. Sed Iuppiter dum cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum est: ad quod egrediens Iuppiter, Aquilæ vidit augurium: cujus cum vicisset auspicio, fictum est quod ei pugnanti tela ministraret. Vnde etiam à felici augurio natum est, ut Aquila militaria signa comitetur.

QVÆSITVM. Qui quæritur: nam præsensà passivo non habet: & est protysteron. nam post raptum requiritur. Vel *quæsitum*, requirendum ποθητόν. MVLTIS BALATIBVS. Id est, cum multis balatibus.

MARTIVS LVPVS. Aut cruentus, aut Marti dicatus.

AGGERE. Agger est cujuslibet rei cumulatio, unde fossæ, aut valles possunt repleri. Subaudiendum tamen, *Alii*.

INGENTI FRAGMINE MONTIS. Supradicti saxi exaggeratio est.

LVCETIVM. Solum hoc nomen est quod dictum à Virgilio à nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Osca Lucetius est Iuppiter, dictusà luce quam præstare dicitur hominibus. Ipse est nostra lingua diespiter, id est diei pater. Horatius, *Namque diespiter plerunque per purum tonantes Egit equos.*

HIC IACVLO BONVS. Nescias de quo dixerit.

CÆNEA, TVRNVS: *Turnus Ityn.* Vt ait Lucilius, *Bonum schema est quotiens sensus variatur in iteratione verborum: Et in fine positus, sequentis fit exordium, qui appellatur climax.*

PRO TVRRIBVS. Aut pro defensione turrium. Aut sic magni, ut turrim putares.

HASTA THEMILLÆ. Themillas Themillæ, ut Æneas Æneæ. LEVIS autem *hasta*, pro leviter veniens. Vt & STRINXERAT dixit, id est paulum vulneraverat. Vt, *Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.*

DEMENS. Qui scutum quo se tegebat abjecit. ALIS. Pinnis.

ET LÆVO INFIXA EST LATERI. Ostendit vulneris locum quem ante suppresserat. Sic in quarto, *Infixum stridit sub pectore vulnus.*

VARIORVM.

QVALIS VBI AVT LEPOREM. Macrobius lib. 5. cap. 12. Iliad. 22. HART.

MARTIVS LVPVS. Cælius lib. 10. cap. 2. Alexand. lib. 3. cap. 12.

TOLLITVR INVADVNT. Macrobius lib. 5. cap. 12. Homer. Iliad. λ.

STERNIT ASYLAS. Confundit nomen Poëta. Infra enim lib. 12. Corinæus Ebusum sternit. Macrob. lib. 5. cap. 15.

Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symethia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena:
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces
Ascanius: fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.

SERVII.

SPIRAMENTA ANIMÆ. Diffinitio pulmonum.

PICTVS ACV CHLAMYDEM. Hoc est habens chlamydem Frigiam. Vt, *Et Frigiam Ascanio chlamydem*, & est figuratus pictus chlamyde.

FERRVGINE CLARVS HIBERA. Ferrugo coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ. *Hibera* autem modo, non Hispana, sed Pontica. nam Hiberia pars Ponti est, inter Persidem & Armeniam, ubi optime colores diversi tinguntur: ut ostendit Horatius dicens, *Herbasque quasi Iolchos atque Hiberia mittit Venenorum ferax.*

GENITOR QVEM MISERAT ARCENS. Ordo est, Stabat Arcentis filius Arcens in armis egregius. nam non congruit ut hujus filii prætermisso nomine, bis fiat patris commemoratio.

SYMETHIA CIRCVM FLVMINA. Symethos fluvius est Siciliæ, à rege Symetho dictus, haud longe ab urbe Catinensi, circa quem sunt Palici dei, quorum talis est fabula; Ætnam nympham, vel ut quidam volunt Taliam Iuppiter cum vitiasset, & fecisset gravidam, timens Iunonem (secundum alios, ipsam puellam) Terræ commendavit, & illic enixa est. Secundum alios, partus ejus postea cum de Terra erupisset, duo pueri Palici dicti sunt, quasi iterum venientes. nam πάλιν ἵκειν est iterum venire. Hi primo humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt & eorum immutata sacrificia. Inde ergo PLACABILIS ARA: quia mitigata sunt eorum numina. *Palicos* nauticos deos Varro appellat. Alii dicunt Iovem, hunc *Palicum* propter Iunonis iracundiam in Aquilam commutasse: Alii Vulcani & Ætnæ filium tradunt, sed incertum ex qua recondita historia Arcentem istum induxerit, neque enim sine ratione vel lucus Martis appositus est: & quid homo Siculus in hoc bello facit, quem nusquam supra cum Ænea dicit ad Italiam pervenisse?

LIQVEFACTO TEMPORA PLVMBO DIFFIDIT. Plumbum enim jactum nimio rotatu & aëris calore dissolvitur. Statius, *Et arsuras cœli per mania glandes.*

PORRECTVM EXTENDIT ARENA. Intelligimus eum cecidisse trans murum. dicendo autem *multa*, ostendit corporis proceritatem.

TVM PRIMVM BELLO. Hoc loco puerum ideo postea fecit armari, quia legit in historia pueros de bellis gloriam reportasse. Filium Marci Drusi annorum sexdecim: Crispini filium Crispinum in Corsica, cum fugeret exercitus Spurii Carvilii Consulis, bellum restituisse. Apud Soram bello Italico ab Herennio puerum in aciem eductum, à quo hostem occisum spoliatumque * Lucii Tarquinii filium quem ob hoc pater aurea bulla prætextaque donavit.

MINOREM GERMANAM. Quia major nympha fuerat Iovis voluntate.

DONATI.

DICITVR FORTEM MANV FVDISSE NVMANVM. Poëta quoniam impossibile videbatur pueri manibus cecidisse robustissimum virum, non se facit authorem.

VARIORVM.

STABAT IN EGREGIIS. Macrob. lib. 5. c. 19

FERRVGINE CLARVS IBERA. Loquitur hic de Iberis inter Albanos & Colchos sitis: unde olim in Hispanias venere, qui amni Ibero & ipsi Hispaniæ nomen fecerunt. HORT.

PLACABILIS ARA PALICI. Pinguis, pro divitis. Turneb. lib. 18. cap. 3. De Palico deo, Gorop. Becan. in Vertumno. pag. 45.

STRIDENTEM FVNDAM. An bis debeat agitari funda circum caput disputat Ioh. Brodæus lib 4. Miscell. cap. 27. De Funda veterum multa Lipsius de Milit. Rom. lib. 5. Dialog. 20.

Digitized by Google

Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumiduſque novo præcordia regno
Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat.
Non pudet obſidione iterum, valloque teneri
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros!
En qui noſtra ſibi bello connubia poſcunt.
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Vlyſſes:
Durum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis.
Venatu invigilant pueri, ſylvaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoque aſſueta juventus,

SERVII.

DIGNA ATQVE INDIGNA RELATV. *indigna*, id eſt turpia & obſcœna. Vt dici ſolet fanda & nefanda.

NOVO REGNO. Aut nova regii generis affinitate: aut quia ipſi per regis filiam portio debebatur imperii. Aut partem regni à Turno acceperat.

INGENTEM SESE CLAMORE FEREBAT. Non erat ingens, ſed ſe eſſe clamabat ingentem.

ITERVM. Denuo. Nam jam tertio obſidentur: & *iterum*, non niſi de duobus dicimus.

BIS CAPTI PHRYGES. Semel ab Hercule, poſtea à Græcis. Alii tradunt ſemel à Græcis & nunc à Latinis. & hoc magis aptum eſſe Numani perſonæ, ut ſe cepiſſe exiſtimet, qui tam jactans & petulans inducatur. MORTI PRÆTENDERE MVROS. Emphaſis eſt. *Morti* enim pro bello poſuit. Sic ſupra, *Leti diſcrimine parvo*. Cum potuerit hoſti dicere, ſcilicet ut nihil Trojanis reliquam * perire.

NOSTRA CONNVBIA. Aut quaſi Turni cognatus loquitur: aut invidioſe retorquet noſtra connubia, & vult cauſam omnium eſſe communem.

ITALIAM. Ad Italiam.

NON HIC ATRIDÆ. Exaggeratio vituperationis. nam non tantum ſe Trojanis, ſed etiam eorum victoribus præfert. Poteſt & *Atridas* intelligi, quarum conjuges aut deſerunt maritos, aut interimunt revertentes. FANDI FICTOR VLYSSES. Aut fallax aut λογοδαίδαλος, id eſt qui dolum celat ſermonis ornatu.

DVRVM A STIRPE GENVS. Italiæ diſciplina, & vita laudatur: quam & Cato in originibus, & Varro in gente populi Romani commemorat.

GELV DVRAMVS, ET VNDIS. Vndis gelidis: & eſt ἓν διὰ δυοῖν, ut, *Hamis auroque trilicem*: Nam nemo quod plus eſt prius dicit. Si enim duo eſſent, ante aquam diceret: ſic gelu.

VENATV. Pro venatui, ut, Curru pro currui: Ablativus dubius, vel pro dativo.

PVERI. Bene venationem pueris dedit opus ruſticum jam juvenibus.

SYLVASQVE FATIGANT. Ipſi fatigantur in ſylvis: vel pro feris *ſylvas* poſuit, in quibus ſunt feræ.

FLECTERE LVDVS EQVOS. Aliorum labor noſtræ pueritiæ ludus eſt, *Flectere* autem verbo antiquo uſus eſt, nam equites apud veteres Flexutes vocabantur, ſicut ait Varro rerum humanarum. Sane Poëta meminit ſui, nam ait ſuperius *Ante urbem pueri & primævo flore juventus Exercentur equis.*

AT PATIENS OPERVM, PARVOQVE ADSVETA IVVENTVS. Hoc & in Georgicis laudat. nam magnæ virtutis eſt in nimio labore parvis eſſe contentum.

DONATI.

PHRYGES. Pro convitio poſuit, quaſi dicat, ideo capti, quia Phryges.

EN. Vituperantis demonſtratio.

QVI. Scilicet mendici & exules.

NOSTRA. Quaſi meliorum & fortiorum.

BELLO. Cum ſciant in ſimili cauſa ſe victos.

NON HIC. Invenietis fortiores iis, qui tamen vos vicerunt.

DVRVM. Forte. A STIRPE. Non arte, ſed natura.

FLECTERE LVDVS EQVOS. Non enim itineribus ludis intenti ſunt.

VARIORVM.

BIS CAPTI PHRYGES. Pathos à fortuna. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturn. Brodæus lib. 4 Miſcell. cap. 27. docet è Græcis, Phryges ter captos.

DVRVM A STIRPE GENVS, &c. E Germanorum conſuetudine tractum; qui aquæ Rheni arbitrio explorabant partus, eſſetne legitimus an nothus. TVRNEB. lib. 22. cap. 5. Rhodigin. lib. 6. cap. 3. Victor. lib. 34. cap. 2. Alex. ab Alexand. lib. 2. cap. 25.

NATOS AD FLVMINA PRIMVM DEFERIMVS. Cælius lib. 3. cap. 26. Lect. Antiq. A Germanorum more tractum. Turneb. lib. 22. cap. 15. Falckenburgius, notis in Nonnii Dionyſiaca. Ortelius de Germanorum moribus. Gorop. Becanus in Advaticis.

Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello,
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Caniciem galea premimus: semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi, juvat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta

SERVII.

TERRAM DOMAT. Bene bellico usus est verbo: & ne à re militari discederet, non dixit terras colimus, sed domamus: ac si diceret, cum hostes desunt, terras ferro domamus. QVATIT OPPIDA BELLO. Oppidum quidam à vico castelloque magnitudine secernunt. Alii locum muro, fossave, aliave qua munitione conclusum. Alii locum ædificiis constitutum, ubi fanum, comitium, forum & murus sit. Alii *oppidum* dici ab oppositione murorum, vel quod hominibus locus esset oppletus, vel quod opes illo munitionis gratia congestæ sunt.

VERSA IVVENCVM TERGA FATIGAMVS HASTA. Agriculturam sine officio belli non gerimus. Est autem προσχηματισμὸς & ὑπερβατόν. Nam sit ita *versa hasta juvencorum terga fatigamus*, id est cædendo urgemus.

TARDA SENECTVS. In aliis sera senectus.

NEC SENECTVS DEBILITAT VIRES ANIMI. Bene ANIMI, quia non est ausus corporis dicere. Nec enim potest fieri, ut quamvis robustus senex, vires habeat prioris ætatis, & suæ comparetur adulescentiæ. Nunc ergo licet dicat fortes esse etiam senes, bona tamen est usus temperatione, ut diceret nihil animorum vigori derogare temporis vetustatem.

CANICIEM GALEA PREMIMVS. Id est semper militamus.

VOBIS PICTA CROCO. Vituperatio Trojanorum, in qua utitur argumentis quæ in rhetoricis commemorat Cicero, à gente, habitu, & gestu. Et sunt molliores versus apti ad carpendam molliciem. Sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt, nam ideo & artifices talium vestium Frigiones appellantur.

FVLGENTI MVRICE. Purpura. Hanc autem vitio & dedecori apud majores fuisse constat. Iuvenalis, *Peregrina ignotaque nobis Ad scelus atque nefas quæcunque est purpura ducit.*

DESIDIÆ CORDI. Vobis sunt, & est ab animo argumentum CHOREIS. Servavit hoc loco naturam syllabæ, quam in sexto metri caussa corripuit: Vt, *Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.*

ET TVNICÆ MANICAS. Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens, *Manicatis ac talaribus tunicis.* Nam colobiis utebantur antiqui. Sane *habent* bis subaudiendum. ET HABENT REDIMICVLA MITRÆ. Illud dicturus fuerat, Habetis in pileis redimicula: quod convertit in vituperationem majorem, dicens, *Religatas habetis mitras.* Nam pilea, virorum sunt: mitræ fœminarum quas calanticas dicunt. Mitra autem proprie Lydorum fuit, ut, *Mæonia mentum mitra.* quem habitum imitati sunt Trojani. Alii *mitras* meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effœminatis objectum.

O VERÆ PHRYGIÆ. Ipsos vituperaverat Phryges: nunc ad majorem injuriam Phrygias, non Phryges dixit. ALTA DINDYMA. Montes matris deum. *Ire* autem *per alta* sic dicit, quasi currite per dindyma, & ducite choros per dindyma: nec sufficit Nomano loqui injuriam Trojanorum, nisi etiam sacris numinum conjunctam faciat. Sed hoc jam quasi moriturus loquitur, hoc est enim *Digna atque indigna relatu Vociferans*, ut digna sint quæ de suorum virtute dixit; indigna, quæ impia & in deos ausus est.

DONATI.

TARDA. Quæ faciat homines tardos.

VARIORVM.

TERGA FATIGAMVS HASTA. *Hasta*, pro boum stimulo. Turneb. lib. 29. cap. 25.

CANICIEM GALEA PREMIMVS. Cælius lib. 10. cap. 1. Lect. Antiq.

CONVECTARE IVVAT PRÆDAS. Cælius lib. 18. cap. 1. Consulatur Homer. lib. 7. Odyss. & Thucydides lib. 1. belli Peloponesiaci.

VOBIS PICTA CROCO. Crocus mulierum erat. Irridet itaque parum virilem cultum. Turneb. lib. 25. & 12. cap. 15. & lib. 29. cap. 25.

FVLGENTI MVRICE. Baysius cap. 3. de re vestimentaria.

ET TVNICÆ. Proverb. *Manivoro vinculo.* Et, *Thessalorum ala.* Aul. Gell. lib. 7. cap. 12.

REDIMICVLA MITRÆ. De hoc tegmine Turneb. lib. 4. cap. 14. & lib. 29. cap. 25. Bapt. Pius Annotat. Poster. cap. 58. Manutius Epist. 21.

O VERE PHRYGIÆ. Proverb. *Lingua bellare.* Ex Homero. Macrob. lib. 5. cap. 9. Sat. Manutius de Quæsitis per Epist. 4.

Din-

Digitized by Google

Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos buxuſque vocat Berecynthia matris
Idææ: ſinite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Aſcanius, nervoque obverſus equino
Contendit telum, diverſaque brachia ducens,
Conſtitit ante Iovem, ſupplex per vota precatus:
Iuppiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipſe tibi ad tua templa feram ſolennia dona,
Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

SERVII.

BIFOREM DAT TIBIA CANTVM. Biſonum, imparem. Et ſecvavit eis tibiarum ſuarum, id eſt Phrygiarum naturam. Tibiæ aut ſerranæ dicuntur, quæ ſunt pares, & æquales habent cavernas. Aut Phrygiæ, quæ & impares ſunt, & inæquales habent cavernas. Ergo *biforem*, diſſonum, diſſimilemque. Non ſunt pari modulatione compoſitæ. Vt enim ait Varro, *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: ſiniſtra duo, quorum unum, acutum ſonum habet, alterum gravem.*

BVXVSQVE VOCAT BERECYNTIA. A monte Berecynto dicta. Dicitur autem & hæc buxus & hoc buxum. ut, *Et torno raſile buxum.* Vnde ſuperfluo quidàm arborem generis fœminini eſſe volunt, cum hoc loco etiam de ligno generis fœminini habeamus exemplum.

ET CEDITE FERRO. Aut ferrum relinquite: & eſt iteratio. Aut cedite ferro, id eſt cum viri non ſitis, abſcindite partem virorum.

IACTANTEM. De ſuorum gloria. DIRA CANENTEM. Ad injuriam Trojanorum.

NERVOQVE EQVINO. Quia in arcubus nervi equini ſolent eſſe. Accius Philoctetæ, *Tendens nervo equino concita tela.*

ANTE IOVEM SVPPLEX PER VOTA PRECATVS. Atqui Apollinem debuit invocare jaculaturus ſagittas. ſed diximus ideo Iovem invocatum, quia omne initium & incrementum Iovi debetur: ut, ab *Iove principium Muſæ.* Vnde nunc Aſcanius, non quid faciat, cogitat: ſed quod primum, inde invocat Iovem.

IVPPITER OMNIPOTENS. Hoc epitheton interdum ad gloriam numinis ponitur, interdum ad cauſam dicentis. Namque hoc loco dicendo OMNIPOTENS, oſtendit eum etiam his qui per ſe minus valent, præſtare poſſe virtutem.

IPSE TIBI. Bene ipſe, quia adhuc pro Aſcanio pater ſolebat ſacrificare, nam ideo & *ſolemnia* ait, quæ fieri ſolerent, ut ſe oſtenderet, ſi victoria & pax eſſet ſecuta, etiam illius officii capacem eſſe. FERAM SOLENNIA DONA. Feram, de juvenco non dicimus: ſed adducam. Intelligimus ergo alia dona eum ferre promiſiſſe. Singulis enim numinibus certa ſunt dona quæ offeruntur. Vnde eſt, *Struerem ve ſuis altaria donis*, id eſt congruis.

ET STATVAM ANTE ARAS. Per aras ſe daturam victimam oſtendit alibi, *Si ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aras.* Quotiens enim victima reluctabatur, oſtendebat ſe improbari. Lucanus, *Diſcuſſa fugit ab ara Taurus.* Iuvencum autem ſecundum Romanas ceremonias dicit. Nam Iovi de tauro non immolabatur, ut etiam in tertio diximus, niſi cum triumphi nomine ſuovetaurium faciebant: quod tamen ideo admiſſum eſt. quia non tantum Iovi, ſed & aliis diis qui bello præſunt, ſacrificabatur.

AVRATA FRONTE IVVENCVM. Ita enim victima ornari conſueverat.

CANDENTEM. Candidum. Iuvenalis, *Duc in Capitolia magnum cretatumque bovem.* CAPVT CVM MATRE FERENTEM. Hoc eſt non juvenci matrem, ſed quæ jam peperiſſet. Vnde conſuetudo permanſit, ut vacca ſimul & taurus auratis cornibus Iovi Capitolino immolarentur. Et æqualem matri nondum patri. Iuvenalis, *Quem jam pudet ubera matris Ducere: qui vexat naſcenti robora cornu.*

DONATI.

PRECATVS. Quia primordia erant belli, recte Iovem precatus eſt.

VARIORVM.

TYMPANA VOS BVXVSQVE VOCAT. *Buxus*, pro tibia. Turneb. lib. 30. cap. 39. Rhodigin. lib. 9. cap. 7.

SINITE ARMA VIRIS. Homerus Iliad. o. HARTVNG.

AVDACIBVS ANNVE CEPTIS. Quomodo voce *annuere* uterentur antiqui in precibus ad deos, ex Poetis, item Livio productis locis demonſtrat Briſſon Formular. lib. 1. num. 74.

ET STATVAM ANTE ARAS. Ritum explicat ex Homero, Turneb. lib. 29. cap 25.

IAM CORNV PETAT. Hic verſus ſupra Ecloga. 3. repetitus eſt. HARTVNG.

Digitized by Google

Audiit, & cœli genitor de parte serena
Intonuit lævum. sonat una lethifer arcus;
Effugit horrendum stridens elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Trajicit. i, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sydera tollunt.
Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iülum:
Macte nova virtute puer, sic itur ad astra,

SERVII.

DE PARTE SERENA. Ut non casus sit, sed augurii. Et auspicii vis ostenderetur, solent enim tonitrua per tempestatem inferri.

INTONUIT LÆVUM. Prosperum. Ut enim supra diximus, quæ sinistra nobis videntur, intuentibus cœlum, illic dextra sunt: non quod sinistra bona sunt, sed quod dextra cœli, nobis sinistra sunt. SONAT UNA FATIFER ARCUS. Simul ut cognovit augurium.

ET FUGIT. Melius EFFUGIT legitur. Et figura est, *horrendum effugit*.

PERQUE CAPUT REMULI VENIT. Figmenta hæc vulnerum plerunque non sine ratione ponunt Poëtæ. Nam modo hunc ideo in capite dicit esse percussum, quia eum supra vaniloquum introduxerat, & superbum: quod vitio capitis evenit. Horatius, *Attollens vacuum plus nimio gloria verticem*. Sic Homerus, Thersiten à tergo vulneratum dicit usque ad præcordia (nam ait μετάφρενον) quia stultum induxerat. Item de Achille dicit, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Item ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς: quem legimus in talo esse vulneratum. Vel ideo per caput & cava tempora, ut divinitus misso telo nulla pars alia corporis, sed caput vulneraretur, scilicet ut hominis qui infanda & impia de religionibus dixerat, sacrilegium capite expiaretur.

VIRTUTEM INLUDE. Inludo tibi & insulto tibi dicimus. Nam *inludo te* figuratum est, ut hoc loco. Item, *Insulto te*: Sallustius, *Multos à pueritia bonos insultaverat*.

HÆC RUTULIS. Pro talia vitavit pronomen.

HOC TANTUM ASCANIUS. Edixit & fecit.

ANIMOSQUE. Aut suos, aut Ascanii per favorem.

ACIES URBEMQUE. Syllepsis.

NUBE SEDENS. Ut sedent numina. *Iuno: Nec tu me aëria solam nunc nube videres Digna indigna pati.*

VICTOREM. Bene ei qui unum occiderat addidit dignitatem. AFFATUR IULUM. Non ita ut Iulus audiret.

MACTE. Magis aucte adfectatæ gloriæ. Et est sermo tractus à sacris. Quotiens enim aut tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, mactus est taurus vino vel ture: hoc est cumulata est hostia & magis aucta. *Macte* ergo pro mactus esto, vocativum pro nominativo posuit, ut Persius, *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis Censoremve tuum vel quod trabeate salutas*, pro millesimus & trabeatus: & Virgilius, *Vicinosque ignare paras invadere portus*, Pro ignarus. & alibi, *Quod Amasene pater*, pro Amasenus, sic ergo & *macte* pro mactus, quod autem *Esto* non addidit, ab antiquitate desciviit, nam veteres *macte esto* dicebant, sed hoc secutus suam consuetudinem fecit. Nam & alibi, *Dives inaccessos ubi Solis filia Lucos*: & iterum IV. Æn. *Dives quæ munera Dido*, prætermittit cujus rei dives, cum veteres dives illius rei dicerent: quod ipse alibi, *Dives opum variarum*, & *Dives pictai vestis & auri*. Item cum veteres natalem diem, vel locum, vel tempus dicerent, ut Horatius, *Natalemque mares Delon Apollinis*, & Plautus in Pseudolo: *Natalem hunc mihi diem festis esse*: Virgilius his omissis dixerit, *Phyllida mitte mihi meus est natalis Iola*. Ergo & hic ita subtraxit, nam integrum est, *macte esto nova virtute puer*: Mactus autem apud veteres etiam mactatus dicebatur, ut Ennius, *Livius inde redit magno mactatus triumpho*. Et Lucilius lib. V. *Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto*. Et in Pontificalibus sacrificantes dicebant deo, *Macte hoc vino inferio esto*. NOVA VIRTUTE PUER. Aut magna & mira: ut, *Pollio & ipse facit nova carmina*. Aut re vera nova, id est rudi quantum ad bellum.

DONATI.

LÆVUM. Quod prosperum est. quod præstantibus lævum est, idem accipientibus est dextrum.

VARIORUM.

AUDIIT ET CÆLI GENITOR. Franc. Luisinus. lib. 3. Parerg. c. 2. Philipp. Beroaldus in Servium, Paragr. 20.

TEUCRI CLAMORE, &c. Commoti Trojani ex felicitate facti, extulerunt clamorem cum læto fremitu, & sperantes tanto auspicio meliora, plurimum gratulabantur. DONAT.

Diis

Digitized by Google

Diis genite, & geniture deos: jure omnia bella
Gente ſub Aſſaraci fato ventura reſident:
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus ab alto
Æthere ſe mittit, ſpirantes dimovet auras,
Aſcaniumque petit: forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. hic Dardanio Anchiſæ
Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.
Tum comitem Aſcanio pater addidit. ibat Apollo
Omnia longævo ſimilis, vocemque coloremque,
Et crines albos, & ſæva ſonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Iülum.
Sit ſatis Æneide, telis impune Numanum
Oppetiiſſe tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non invidet armis:

SERVII.

DIIS GENITE. Propter Venerem. GENITVRE DEOS. Propter Iulium Cæſarem & Auguſtum. IVRE. Merito.

GENTE SVB ASSARACI. Sub gente Romana. Aſſaracus enim pater eſt Capyos, avus Anchiſæ.

FATO VENTVRA. Magna hæc enim bella ſunt gravia, quæ fatali ratione proveniunt, ut Trojana & Thebana. RESIDENT. Sedabuntur, ut tempeſtatem reſidere dicimus.

NEC TE TROIA CAPIT. Vel major es quam patria, vel major es meritis quam civitas in qua nunc es. Lucanus de Cæſare, *Plus patria potuiſſe tua.*

SPIRANTES. Vitales, quibus ſpiramus & vivimus.

ASCANIVMQVE PETIT. Notandum *petit*, ſine inſidiis dictum.

ANTIQVVM IN BVTEN. Hic Butes ſemel hic nominatur, ut bis, Nautes.

FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS. Æditvus fuit: quod, ut ſupra diximus, in ingenti honore apud majores fuit. Illic enim & epulabantur, & deos colebant. Cenſus etiam omnes illic ſervabant, quod etiam Plautus in Aſinaria, qua inducit Sauriam ſervum atrienſem in tota familia plurimum poſſe. *Ad limina*, ſane figuratum.

SÆVA SONORIBVS ARMA. Strepitu terribilia. Et ut ſunt ſæva arma quæ habent ſonorem: Vt, *aurea bullis Cingula*: An etiam *ſonoribus ſæva?*

ARDENTEM. Deſiderio dimicandi. Vnde, *animoſque ad ſydera tollunt.* Melius Aſcanii intelligimus, ſicut Statius de Menæceo, *Et laudibus implet honeſtis.*

ÆNEIDE. Patronymicum hoc non venit ab eo quod eſt Æneas. Nam hic Æneades & ò Æneade faceret.

PRIMAM HANC TIBI MAGNVS APOLLO. Dicendo PRIMAM, pollicetur & aliam. CONCEDERE autem ideo ſe dixit, quia ſagittarum deus eſt: & licet eum Iupiter juverit, Apollo tamen ſuum ſibi officium vindicat, quod dicit ſe conceſſiſſe, quia non prohibuit. Ea enim quæ ab aliis numinibus poſcimus, tunc implentur, ſi non adverſentur numina, quorum propria ſunt quæ poſcimus. unde & in quarto Iuno ait, *Adero & tua ſi mihi certa voluntas.* Hoc eſt, Quod in me eſt, jungam eos: reſtat ut & tu tuum velis impleri officium.

PARIBVS NON INVIDET ARMIS. Pari gloriæ. Nam ut Apollo puer extinxit Pythonem in vindictam matris, ſic Numanum Aſcanius. *Paribus* ergo *armis*, id eſt ſimilibus, non peritia, ſed triumpho.

DONATI.

IN BVTEN. Nam ætate & longa exercitatione dignus erat, cujus conſilium multi facerent.

ÆNEIDE. Ab eo quod eſt in nominativo caſu Æneida.

APPOLLO MORTALIS. Id eſt, conſtitutus ſub hominis forma

VARIORVM.

IVRE OMNIA BELLA. Quicquid Grammatici dicant, etiam antiquiſſ. videtur omnino legendum IN TE. Videat prudens lector quæ antecedant, quæ ſequantur, & judicet. SALMAS.

FATO VENTVRA. Subobſcure ad Iulium dictatorem & Auguſtum reſpicit, qui orbem à bellis pacarunt. HORT.

NEC TE TROIA CAPIT. Philippi ad Alexandrum filium apophthegma expreſſit, *ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, μακεδονία σε ὐ χωρεῖ.* Brod. lib. 1. cap. 26. Miſcell.

FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS. Servum atrienſem vel atriarium ſignificavit, dictum, quod primæ domus parti ſervandæ præficeretur. Ea autem facie dicitur *cuſtos ad limen*; qua ſervus ad manum, id eſt amanuenſis, Ciceroni. *Ad lites*, qui aptus eſt ad cauſſas & advocationes, &c. Propert. GERMAN. Turneb. lib. 3. cap. 33. & lib. 29. cap. 24.

Digitized by Google

Cætera parce puer bello. ſic orſus Apollo
Mortales medio aſpectus ſermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres, divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga ſenſere ſonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis ac numine Phœbi
Aſcanium prohibent: ipſi in certamina rurſus
Succedunt, animoſque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acreis arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne ſolum telis: tum ſcuta cavæque
Dant ſonitum flictu galeæ. pugna aſpera ſurgit:
Quantus ab occaſu veniens pluvialibus hœdis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Iuppiter horridus auſtris
Torquet aquoſam hyemem, & cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus & Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Iovis eduxit luco ſylveſtris Hiera,
Abietibus juvenes patriis & montibus æquos:

S E R V I I.

CÆTERA. Deinceps: & eſt adverbium. Id eſt in cæterum, eſt autem Ennianum, *Cetera quos peperiſti ne cures.* ORSVS. Modo locutus, id eſt pro eo qui deſierit: alias cœpit. quod magis eſt proprium; ut, *Sic Venus, at Veneris contra ſic filius orſus.*

MEDIO SERMONE. Ideo *medio*, quia non reſpondit Aſcanius. *Sermo* eſt enim duorum vel plurium oratio.

FVGA. Abſceſſu. & more ſuo abeuntes deos inducit agnoſci. PHARETRAMQVE SONANTEM. Quia ait ſupra. *Et ſæva ſonoribus arma.*

DICTIS. Propter auditam orationem. AC NVMINE. Propter agnitum deum.

ANIMASQVE IN APERTA PERICVLA MITTVNT. Plus enim quam manifeſta ſunt præſentia pericula, quando audientibus Trojanis bello prohibebatur Aſcanius ne periclitaretur.

INTENDVNT ACREIS ARCVS. Pro ipſi acres. Vt enim & in primo diximus, arcum unuſquiſque habet pro viribus ſuis. AMENTAQVE TORQVENT. Pro tela amentis torquent: nam *amentum*, eſt lorum quo media haſta ligatur & jacitur.

FLICTV. Pro adflictu vel inflictu, id eſt ictu. nam detraxit more ſuo præpoſitionem. Et loquutus eſt juxta antiquum morem. Pacuvius Teucro, *Flictus navium.*

PLVVIALIBVS HOEDIS. Sub Tauri cornu eſt ſignum, cui Auriga nomen eſt: hunc cum Tauro una clara ſtella conjungit. Retinet autem Auriga ſtellas duas in manu, quæ Hœdi vocantur, & capram quam Amalteam dicunt: quarum & ortus & occaſus graviſſimas tempeſtates faciunt. Oriente autem Scorpione occidunt.

IVPPITER. Aër. Vt Horatius, *Manet ſub Iove frigido venator.* EDVXIT. Quidam pro educavit volunt intelligi.

MONTIBVS ÆQVOS. Idæo, vel ejus arboribus exæquandos.

V A R I O R V M.

MORTALES MEDIO. Homerus Odyſſ. α. HARTVNG.

PLVVIALIBVS HOEDIS. A Græcis ἔριφοι dicuntur. Occidente IV. Non. Octob. Heniocho matutino, Cæſaris corona incipit oriri. Hædi veſperi VIII. Idus Octobr. occidunt. Turbidum ſydus & vehemens ſuo exortu. Tantus telorum imber eſt exortus. HORT.

TORQVET AQVOSAM HYEMEM. Non ipſum anni tempus, quod dicitur hyems, & æſtati opponitur; ſed pluviam denſam cum vento ſignificat, ut alibi. PONT.

PANDARVS ET BITIAS. Tranſitio ad pulcherrimum facinus duorum Trojanorum. Hos autem deſcribit à parentibus, & loco educationis. HORT.

IDÆO ALCANORE CRETI. Sanctiſſime & religioſiſſime colebatur à Trojanis Iupiter cognomento Idæus. Ei locus erat in Ida monte. ubi educati fuerunt Pandarus & Bitias, & templum habebat ibi in alto Gargaro. Turneb. lib. 22. cap. 7.

SYLVESTRIS HIERA. Hyæna legi contendit Turneb. lib. 22. c. 7.

ABIETIBVS. lib. 5. cap. 14. Macrob HART.

Portam

Digitized by Google

Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læva pro turribus astant,
Armati ferro, & cristis capita alta corusci:
Quales aeriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes.
Continuo Quercens & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ:

SERVII.

DVCIS IMPERIO COMMISSA. Aut quæ ei commissa fuerat imperio absentis Æneæ: aut, quod est melius, quæ imperio Æneæ fuerat commissa, id est clausa. Vnde & commissuræ dicuntur conjunctiones tabularum secundum superiorem sensum: Contrarium est quod dixit, *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros.* Æneas enim abscedens principibus omnium rerum commiserat curam. Alii *ducis* Ascanium accipiunt: Alii commissa ideo clausa accipiunt, qua superibus lectum est, *Heja ingenti clamore per omnes Condunt se Teucri portas.* Quietis enim rebus portæ patebant, per quas se Teucri sub adventum hostis receperant. Propterea quod ait, *Namque ita discedens præceperat optimus armis Æneas, si qua interea fortuna fuisset, Non aquo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere.* Sane *commissam* deest sibi vel illis. Pandaro & Bitiæ, ne contrarium sit quod dixit, *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros.* Scimus enim quod Mnestheo & aliis ducibus imperaverat Æneas ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent. ut, *Castra modo, & tutos servarent aggere muros.* Item legimus Mnesthea & Serestum ductores fuisse, & rerum magistros, non Pandarum & Bitiam. Vnde apparet, quia hunc locum male intellexit Donatus dicens, *Commissam portam*, id est creditam Pandaro & Bitiæ, qui duces non erant. Ergo melius est ut *commissam* dicamus clausam, quam creditam Pandaro & Bitiæ.

MOENIBVS. Pro in mœnia.

PRO TVRRIBVS. Aut vice turrium: aut pro defensione.

ARMATI FERRO. Aut bene instructi armis: aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes, id est dura, & cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus, qui ait, *Succincti corda macheris.*

LIQVENTIA FLVMINA. Padus Italiæ fluvius aliquas provincias dextra lævaque contingit, inter quas & Venetiæ partem præterfluit. Athesis Venetiæ fluvius est Veronam civitatem ambiens & in Padum cadens. *Liquetia* Venetiæ fluvius est inter Altinum & Concordiam, quem nunc commemorat, nam *Liquetia* non est epitheton, nemo enim à generalitate transit ad species. Vnde apparet quia *Liquetia* legendum est, & non *liquentia.*

INTONSAQVE COELO. Hoc ad supradictas cristas refertur. GEMINÆ QVERCVS. Non quia tantum duæ nascuntur, sed ad istorum similitudinem respexit: id est quando similes elevantur quercus.

PVLCHER EQVICOLVS ARMIS. Vt pulcher armis, pulcher vestibus: & melius figuratum quam si dixisset pulchris armis. PRÆCEPS ANIMI. Figurate genitivo junxit. Nam dicimus præceps iracundia, præceps furore. MAVORTIVS HÆMON. Non Martis filius, sed bellicosus.

AGMINIBVS TOTIS. Deest AB: & significat eos primo fugatos esse, mox occisos. Aut certe alios fugatos alios interemptos: quidam dubium putant, utrum ab agminibus totis terga dedere, an ab agminibus versi.

POSVERE IN LIMINE VITAM. Vt, *animasque in vulnere ponunt.*

ANIMIS DISCORDIBVS IRÆ. Hostilibus, scilicet Trojanorum, qui à Rutulis discordabant.

DONATI.

PRO TVRRIBVS. Vice turrium.

VARIORVM.

PORTAM QVÆ DVCIS IMPERIO. Macrobius lib. 6. cap. 2. Saturn.

ARMATI FERRO. Macrobius, lib. 5. cap. 11. Homer. Iliad. 12. HARTVNG.

LIQVENTIA FLVMINA. Erythræus, Giphaniusque mutuo consensu *liquentia*, hoc est, liquida legere malunt: quamvis & *Liquetiam* fluvium nobilem in Foro Iulii vel chorographi abunde cognoscant, quem & Liquentiam dici contendit ipse Erythræus, & vulgo Livensa, ut & Plinio lib. 3 cap. 18. Vide GERMAN.

Et jam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.
Ductori Turno diverſa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hoſtem
Fervere cæde nova, & portas præbere patentes.
Deſerit incæptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam, fratreſque ſuperbos,
Et primum Antiphaten (is enim ſe primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto ſternit jaculo: volat Itala cornus
Aera per tenuem, ſtomachoque infixa ſub altum
Pectus abit: reddit ſpecus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum pulmone tepeſcit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum ſternit Aphydnum:
Tum Bitian ardentem oculis, animiſque frementem,
Non jaculo (neque enim jaculo vitam ille dediſſet)
Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit

SERVII.

NVNTIVS. Et qui nuntiat dicitur, & qui nunciatur; ſed modo hic qui nunciatur.

FRATRESQVE. Quos ſupra portam dixit tenere.

SE PRIMVS AGEBAT. Iuxta veteres *agebat*, pro veniebat, ut, *Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.* Plautus in Moſtellaria. *Vnde agis te?* Vt enim nos è contrario dicimus duco me: ita illi, agit ſe ἀπὸ τοῦ ἄγειν, *ſe agebat.* Hoc eſt incedebat. Tractus autem ſermo eſt à ratione Phyſica. Nam agitur corpus animi judicio. Vnde Terentius, *Quo te agis?*

THEBANA DE MATRE. Parentheſis eſt. Sane Thebæ aliæ Ægyptiæ, aliæ Bœotiæ, aliæ Frigiæ. SARPEDONIS ALTI. Id eſt nobilis.

ITALA CORNVS. Telum de Itala cornu factum, & materiam pro opere poſuit.

STOMACHO INFIXA. Græcus ſermo eſt.

SPECVS VVLNERIS. Poëtica exaggeratio. *Specum* enim pro cavatione poſuit.

ET FIXO FERRVM IN PVLMONE. Et ferrum fixum, & pulmonem fixum poſſumus accipere.

ERYMANTHA MANV. Id eſt gladio cominus ferit. Nam illi, de quibus ſuperius dixit, non manu occiſi ſunt, ſed miſſo jaculo. Ergo ad differentiam teli jacti, accipe *manu* id eſt gladio.

ARDENTEM OCVLIS, ANIMISQVE FREMENTEM. Et geſtu corporis, & mente commotum.

NEQVE ENIM IACVLO. Parentheſis. VITAM DEDISSET. Pro reddidiſſet.

PHALARICA VENIT. De hoc telo legitur, quia eſt ingens, torno factum, habens ferrum cubitale ſupra quod veluti quædam ſphæra, cujus pondus etiam plumbo augetur, dicitur enim ignem habere adfixum ſtuppa circundatum, & pice oblitum: incenſumque aut vulnere hoſtem, aut igne conſumit. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas phalas dici manifeſtum eſt. Vnde & in circo Falæ dicuntur diviſiones inter Euripum & metas, quod ibi conſtructis ad tempus turribus, his telis pugna edi ſolebat. Iuvenalis, *Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas.* Hinc *phalarica haſta*; ſicut alia muralis. Sane *phalaricam* Lucanus dixit nervis mitti tortilibus & quadam machina. ut, *Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis Obruat*: Virgilius vero ait, Turnum manu jaculari potuiſſe. Vnde apparet aut à Lucano ad auxeſim illius qui occidendus fuerat, eſſe dictum: aut à Virgilio ad laudem Turni, qui talem haſtam manu jaculatus eſt.

VARIORVM.

COLLECTI TROES GLOMERANTVR. Tanti facti exemplo animati Trojani denſabantur ad portam, remotaque trepidatione omni, & egredi longius audebant, & alios cominus provocare. DONATVS.

DARDANIAM RVIT AD PORTAM *Ruit*, inquit, non venit, ut oſtenderet ejus fervorem, qui ſuorum necem veniebat ulturus, & qui nolebat patentis portæ occaſionem perdere, ne iterum clauderetur. DONATVS.

THEBANA DE MATRE NOTHVM. Matrem hic Thebanam accipio è Thebis Hypoplaciis quæ in Cilicia erant. Eſt enim veriſimile, Sarpedonem Lycium ex ea provincia concubinam habuiſſe potius, quam ex aliis Thebis. Turneb. lib. 22. cap. 7. & lib. 29. cap. 25.

ARDENTEM OCVLIS, ANIMISQ. Quod animo fremeret, oculi oſtendebant. Ipſe vultus hominis, ejus animi ferociam loquebatur. DONATVS.

Ful-

Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis & auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum superintonat ingens.
Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam jaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit.
Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ:
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Iovis imperiis imposta Typhoeo.

SERVII.

FULMINIS ACTA MODO. Amat tela cum impetu venientia fulminibus comparare. TAUREA TERGA. Vsurpavit pro taurina. Alibi taurinis follibus. Vnde sicut & Plinius dicit, *Derivationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout authoribus placet.* Bene autem per transitum ejus arma descripsit.

DUPLICI SQUAMA ET AURO. Id est duplicibus squamis aureis. *Squamæ* autem sunt loricarum cathenæ in modum squamæ compositæ. Sane *squamæ* & splendorem significant, si à piscibus veniat: & sordes, si ab squalore. Sed in Virgilio splendorem ubique significat.

ET CLYPEUM SUPERINTONAT INGENS. Aut ipse *ingens* super clypeum intonat: aut *ingens* clypeum super ipsum tonat. Nam lectum est etiam hoc clypeum, ut probat Caper: eo magis debemus accipere. Nam Homerum imitatus est qui ait, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

EUBOICO BAIARUM LITTORE. Bene Bajarum addidit, ne Euboeam insulam intelligeremus, unde Chalcidenses venerunt, qui condiderunt Cumas, quæ sunt Baiis vicinæ. Postuinus de adventu Æneæ & Lutatius communium historiarum, Bojam Euximi comitis Æneæ Nutricem & ab ejus nomine Bojas vocatas dicunt * veteres tamen portum Bajas dixisse Varro à Bajo Vlyxis comite, qui illic sepultus est, & Bajas dictas tradit. QUONDAM. Hic *quondam*, pro expletiva posuit. Alii *quondam* medii temporis volunt, quidam *quondam* ad perpetuitatem temporis referunt, hoc est ut solet fieri.

PONTO IACIUNT. Hoc est contra Pontum.

SIC ILLA. *Sic*, protrahendum, nam cum dixisset qualis, addidit, *sic illa*. PRONA TRAHIT. Ita enim exædificantur.

PRONA TRAHIT. Ita enim exædificantur.

PROCHYTA ALTA TREMIT. Atqui hæc insula plana est: sed epitheton de præterito traxit. Nam ut dicit Plinius in naturali historia, Inarimes insula fuit alta, quæ terræ motu diffusa aliam insulam fecit, quæ Prochyta ab effusione dicta est ἀπὸ τοῦ προχύνω. Hanc Nævius in primo belli Punici de cognata Æneæ nomen accepisse dicit; sed Inarime nunc Enaria dicitur, & sæpe fulgoribus petitur, ob hoc quod Typhœum premat, & quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Grajorum lingua ἀρίμους, id est Enarias dicunt, ob quam causam Pithecusam etiam vocitant, licet diversi auctores varie dicant. Nam alii hanc insulam Typhœum, Alii Enceladum tradunt premere, & putatur nove dictum *Inarimem*, quod & singulari numero, & addita syllaba dixerit, cum Homerus εἰν Ἀρίμοις posuerit, ut prior syllaba præpositionis locum obtineat. Livius in libro nonagesimo quarto, Inarimem in Mæoniæ partibus esse dicit, ubi per quinquaginta millia, terræ igni exustæ sunt, Hoc etiam Homerum significasse vult. *Prochyta* ergo *alta*, quondam scilicet. DURUMQUE CUBILE. Hoc est mortiferum, ad pœnam statutam.

VARIORUM.

COLLAPSA RUUNT IMMANIA. Homer. Iliad. 1. δούπησεν δὲ πεσών. &c. HART.

QUALIS IN EUBOICO. Explicat Brodæus lib. 5. cap. 25.

SAXEA PILA CADIT. Pilam pro columna posuit. Columnæ enim vel structiles sunt, quæ de lapide quadrato, aut laterculis exstructæ sunt, quæ pilæ etiam dicuntur. Columnæ ergo Græce κίονες, uno scapo constant, id est lapide oblongo, perpetuo. Pilæ Græce στῆλαι, structura constant aut lapidea, aut cæmentitia, aut lateritia. Brodæus lib. 5. cap. 25. PONTANUS.

PILA. Vitruvius lib. 1. cap. 8. Cælius lib. 7. cap. 20. locus est in Budæi annotat. in Pandectas. HART.

INARIME, IMPOSTA TYPHOEO. Defendit contra Grammaticos Turneb. lib. 20. cap. 18. Erythræus in notis. Est autem *Inarime*, mons Prochytæ insulæ in sinu Bajano, quæ & Arvaria à statione navium Æneæ, & Pithecusa à figulinis doliariorum, ut Plin. lib. 3. cap. 6. auctor est, appellata fuit, à qua olim profusa Prochyte nomen accepit. GERM. *Inarime* & Enaria, eadem cum Pithecusa. & *Enaria* quidem ab Enaribus, qui sunt πίθηκοι. *Enares* simii, ut *ecaudes*, *elinques*, *enodes*, & similia. Plinius diversas vult fuisse *Ænariam*, ab Æneæ statione: *Pithecusam*, ἀπὸ τῶν πίθων, à doliis dictas contendit: sed utrumque falsum. Vide SALMASIUM. Plin. Exercit. pag. 97.

Hic

Digitized by Google

Hic Mars armipotens, animum viresque Latinis
Addidit, & stimulos acreis sub pectore vertit:
Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Vndique conveniunt: quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Mœnibus exclusos, duro in certamine linquit:
Ast alios secum includit, recipitque ruentes
Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis effulsit: & arma
Horrendum sonuere: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Æneadæ: tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides, nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:

SERVII.

STIMVLOS ACREIS. Sæviendi scilicet. Nam sunt & timoris & libidinis stimuli. Notanda quoque prooeconomia quæ id agit ut verisimile sit Turnum victorem evasisse de castris.

VNDIQVE CONVENIVNT. Non dicit qui conveniunt, sed illi sine dubio quibus Mars injecit audaciam; inventa opportunitate irruperunt castra Trojana. QVONIAM. Postquam.

OBNIXVS. Connisus, conabundus.

DVRO IN CERTAMINE LINQVIT. Sine spe evadendi.

AST ALIOS SECVM INCLVDIT. Pro hostibus quoniam multos suos exclusisset. Statius, *Par operi iactura lucro. Namque hoste recepto Exclu ere suos.* Potest tamen & dubium esse, *Includit*, utrum hostes, an suos? VLTRO. Insuper.

DEMENS. Pathos per personam Poëtæ proferendum. Alibi, *Sed tum forte cava dum personat æquora concha Demens, & cantu vocat in certamina divos.* RVTVLVM. Potest accusativus esse, potest & genitivus.

DOTALIS REGIA AMATÆ. Aut tibi data per dotem, aut quia sperabatur. Et bene *Amatæ*, quæ illum sola generum esse cupiebat, contra mariti judicium. Ergo cum mulieri probatum non viro dicit. Notandum sane quia id agit ut ostendat non se per imprudentiam Turnum inclusisse, sed illum per temeritatem sibi minime profutura castra penetrasse.

OLLI SVBRIDENS. Magnam confidentiam virtutis ostendit.

VARIORVM.

IMMISITQVE FVGAM. Ex Homero. 39. Victor. lib. 38. cap. 6.

ATRVMQVE TIMOREM. Pro inauspicato & turpi. Turneb. lib. 22. cap. 7.

CONTINVO NOVA LVX. Tanta fuit inter cæteros dissimilitudo Turni, ut illum forma corporis & armorum qualitate quivis posset agnoscere. DONATVS.

TREMVNT IN VERTICE CRISTÆ. Macrob lib. 5. cap. 13. Homer. Iliad 1. HART.

AMATÆ. Reginæ. *Amatæ* vero nomen priscum est, eo enim appellari omnes consueverunt Vestales: quod ea ita fuisset dicta, quam primam Numa rapuit: Raptæ statim hoc nomen imponebat. HORT.

Inci-

Digitized by Google

Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram:
Hic etiam juvenem Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. ille rudem nodis, & cortice crudo
Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.
Excepere auræ vulnus: Saturnia Iuno
Detorſit veniens, portæque infigitur haſta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris author.
Sic ait: & ſublatum alte conſurgit in enſem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit: impubeſque immani vulnere malas.
Fit ſonus, ingenti concuſſa eſt pondere tellus.
Collapſos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt verſi trepida formidine Troës.
Et, ſi continuo victorem ea cura ſubiſſet,
Rumpere clauſtra manu, ſocioſque immittere portis,
Vltimus ille dies bello, gentique fuiſſet:
Sed furor ardentem, cædiſque inſana cupido
Egit in adverſos.
Principio Phalarim, & ſucciſo poplite Gygen

SERVII.

PRIAMO NARRABIS ACHILLEM. Propter illud Sibyllæ, *Alius Latio jam partus Achilles.* Hoc autem ſic dictum eſt ut illud, *Degenerem quem Neoptolemum narrare memento.*

RVDEM NODIS. Non levem, nec pulchram, ſed fortem. CORTICE CRVDO. Viridi. Nam haſtæ igni plerunque torrentur.

VVLNVS SATVRNIA IVNO DETORSIT VENIENS. *Vulnus veniens*, id eſt ictum quo vulnerari debuit. Plerique, ſed non idonei commentatores, dicunt hoc loco occiſum Turnum: ſed cauſſa œconomiæ gloriam à Poëta Æneæ eſſe ſervatam: quod falſum eſt. Nam ſi veritatem hiſtoriæ requiras, primo prælio interemptus Latinus eſt in arce, poſtea ſimul Turnus & Æneas, poſtea Mezentius ab Aſcanio.

TELVM. *Telum* gladium dixit à longitudine. Vnde & muſtela dicitur, quaſi mus longus. VERSAT. Librat, jactat, & eſt Ennianum, *Verſat mucronem.* TELVM autem pro gladio poſuiſſe illud ſignificat, quod infert paulo poſt, *Conſurgit in enſem.*

IS TELI. Par, ſimilis.

ALTE CONSVRGIT IN ENSEM. Genus feriendi Gallicanum. Saluſtius, *Regreſſi ad faciliores ictibus loca cedebant.*

IMPVBESQVE. Pathos ex ætate movit.

HVC CAPVT. *Huc* pependit figurate.

BELLO GENTIQVE FVISSET. Quia illic Aſcanius extinguebatur.

CÆDISQVE INSANA CVPIDO. Oeconomia eſt quæ excuſat Turnum cur non à porta fugatis Trojanis penitus deleta ſint caſtra.

PRINCIPIO. Intra caſtra, poſt Trojanorum fugam.

SVCCISO POPLITE GYGEN EXCIPIT. Ordo eſt, Excipit & ſuccidit poplitem. ut, *Poſtibus hæſit adeſis*, &, *Scuta latentia condunt.* Nam ante fuit ut eum circumveniret inſidiis. *Poples* autem ſciendum PO brevem eſſe, ſicut in Sereno legitur: & fit longa poſitione.

VARIORVM.

PRIAMO NARRABIS ACHILLEM. Proverbialis verſiculus, Du ſolt dein Mann finden.

HVC CAPVT ATQVE ILLVC. Pathos à debilitate. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturnal.

BELLO GENTIQVE. Duo dicit. Et bellum finiri potuit omnibus interemptis. Et gens penitus fuiſſet extincta, occiſo Aſcanio, à quo Romani ducunt originem. GLOSS. MSS. LVGD.

EGIT IN ADVERSOS. Explicat Turnebus lib. 29. cap. 25.

Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit haſtas
In tergum (Iuno vires animumque miniſtrat)
Addit Halyn comitem, & confixum Phegea parma:
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes,
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytanimque
Lyncea tendentem contra, ſocioſque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longe jacuit caput: inde ferarum
Vaſtatorem Amycum, quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Æoliden, & amicum Cretea Muſis:
Cretea Muſarum comitem, cui carmina ſemper
Et citharæ cordi, numeroſque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnaſque canebat.
Tandem ductores, audita cæde ſuorum,
Conveniunt Teucri, Mneſtheus, acerque Sereſtus:
Palanteſque vident ſocios, hoſtemque receptum.
Et Mneſtheus, Quo deinde fugam? quo tenditis? inquit.
Quos alios muros? quæ jam ultra mœnia habetis?

SERVII.

HINC. Deinde, nam ordinis eſt adverbium non loci. RAPTAS autem, de hoſtium cadaveribus. Nam quod dicit Donatus, ab armigero, non procedit. Cum ſolus incluſus fuerat Turnus, ut poſt ait, *Vnus homo, quantum poſſit*, ſicut in *Suggere tela mihi*, & paulo poſt, *Tum magnam corripit haſtam, Et jacit*.

IVNO VIRES ANIMVMQVE MINISTRAT. Oeconomia, ut quod dicit poſſit eſſe veriſimile.

MARTEMQ. CIENTES. Pugnam agitantes.

ALCANDRVMQVE, HALIVMQVE, NOEMONAQ. PRYTANVMQVE. Homeri verſus, tantum conjunctione mutata. *ἄλκανδρόν θ' ἅλιόν τε νοήμονά τε πρύτανίν τε*. Vnde apparet non ad hiſtoriam, ſed ad ornatum poëmatis hæc nomina pertinere.

TENDENTEM CONTRA. In ſe facientem impetum.

CVM GALEA LONGE IACVIT CAPVT. Ad exprimendam celeritatem præterito uſus eſt tempore. Potuiſſe autem caput cum galea longe jaci, præmiſſa loci altitudo ſignificat.

FELICIOR. Peritior. Nam in ungendis telis non eſt felicitas, ſed peritia. Sane nec ungo, nec ungentum *u* recipit, excepto uno nomine, ut unguen. Vnde eſt, *Et pingues unguine ceras*. Eſt autem mira brevitate inducta deſcriptio.

FERRVMQ. VENENO. Specioſe dictum *armabat ferrum*, quo nos armari conſuevimus, ut ex venenato ferro vehementius & pernicioſius vulnus fit.

AMICVM CRETEA MVSIS. Poëtam lyricum. & tale eſt ſchema per repetitionem, ut ſequitur, *Pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens*.

MVSARVM COMITEM. Non re vera *comitem*, ſed carminum ſtudioſum.

NVMEROSQVE INTENDERE NERVIS. Rhythmos facere intentione nervorum. Nam *numeri* ſunt Rhythmi, ut *Numeros memini ſi verba tenerem*. Ergo hoc dicit, Secundum cordas verba componebat.

AVDITA CÆDE SVORVM. Servat τὸ πρέπον, ne præſentibus ducibus Turnus tot ſtrages feciſſe videretur.

QVO DEINDE FVGAM? Aut vacat DEINDE, ut tandem, gentium, locorum. Aut intelligimus mente eum tractaſſe, quod de campis milites ſolent ad caſtra confugere: & ſic dixiſſe, *Quo deinde?* ſcilicet de caſtris: quo fugietis ulterius. Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Et hoc eſt melius. Vnde & ſequitur, *Quos alios muros*. Eſt ea autem amara accuſatio.

DONATI.

SEMPER EQVOS. Laus hominis quod tantam muſicam non ad turpes actus: ſed ad res egregias adhiberet.

VARIORVM.

FERRVMQVE ARMARE VENENO. Hinc eſt, quod Grammatici non ignobiles, *toxicon*, quod τὰ τοξεύματα inficiat; ſive quod jaculi more celeriter interficiat, dictum velint: ut alii, à taxo arbore. Vide Dioſcorid. lib. 6. cap. 20. Plin. lib. 16. c. 10.

Vnus

Vnus homo, & vestris, ô cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ, segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt: Turnus paulatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis: at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit: & neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra
Ille quidem, hoc cupiens, potis est, per tela virosque
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, & mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes,
Bis conversa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è castris propere coit omnis in unum:
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere: aëriam cælo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

SERVII.

VNVS HOMO. Ac si diceret mortalis. Et bona extenuatio est, cum supra dixerit, *Rutulum in medio non agmine regem.*

INFOELICIS PATRIÆ. Trojæ, in qua nunc sunt. VETERVMQVE DEORVM. Penates significat, quos semper coluere Trojani.

MISERETQVE, PVDETQVE. Sic Pallas, *Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.*

ACRIVS HOC TEVCRI. Cum eum decedentem viderent.

CEV SÆVVM TVRBA LEONEM. Sensus hic est, Haud aliter Turnus retrocedens petebat fluvium, ac solet leo pressus multitudine: nec terga præbere, propter iram & pudorem: nec posse, licet cupiat in venantes impetum facere.

ILLE QVIDEM. Parenthesis. POTIS EST. Ille enim, *Tendere contra potis est per tela virosque.*

INVASERAT HOSTES. Aut speciem præteriti temporis mutavit, aut tempora; nam cum dixisset *Invaserat*, subjunxit *Vertit*.

NEC CONTRA VIRES AVDET SATVRNIA IVNO. Atqui favente numine debuit etiam contra multitudinem posse: sed hoc Iupiter vetuit.

HAVD MOLLIA IVSSA FERENTEM. Melius quam Homerus, hunc locum exequutus est. Salvo enim sensu vitavit & fabulosa & vilia. Nam ille ipsas minas exsequitur. SVFFICERE. Subministrare.

DONATI.

MISERET. Pertinet ad Deos.

PVDET. Pertinet ad Æneam.

TALIBVS ACCENSI. Ostendit quantum commoda ornamenta valeant.

VARIORVM.

QVOS ALIOS MVROS? Ex Homero, Macrob. lib. 5. cap. 9. Saturn.

INFELICIS PATRIÆ. Non vobis venit in mentem infelix patria, quam reparare debemus?

TALIBVS ACCENSI. Ecce quantum commoda hortamina valuerunt. metuentes dudum, in plenam constantiam repente mutati sunt, & agmine denso, recuperata mentis fiducia, consistunt. DONATVS.

SVFFICERE. Elegans cum primis verbum in hac significatione, pro subministrare: contra Iovem, cujus major est potentia, ac numen majus. HORT.

Digitized by Google

Ergo nec clypeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet: injectis ſic, undique telis
Obruitur, ſtrepit aſſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt,
Diſcuſſæque jubæ capiti, nec ſufficit umbo
Ictibus: ingeminant haſtis & Troës, & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit, feſſos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluvium dedit: ille ſuo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Et lætum ſociis abluta cæde remiſit.

SERVII.

ERGO. Quia numinis eſt deſertus auxilio.

NEC DEXTRA VALET. Cum dixiſſet *clypeo*, non ſubjunxit gladium, ſed *dextram*, ut oſtenderet eum, nec ſe armis tegendo, nec hoſtem telis petendo, valuiſſe.

TELIS OBRVITVR. Lucanus eundem ſenſum per declamationem dicit, *Telorum nimbo peritura & pondere ferri.*

TEMPORA CIRCVM. Totus locus Homeri eſt.

IVBÆ CAPITI. Pro quæ in capite ſunt. VMBO. Id eſt ſcutum. Nam totum à parte ſignificat.

ET PICEVM (NEC RESPIRARE POTESTAS) FLVMEN AGIT. Ordo eſt, *Sudor piceum flumen agit*: hoc eſt ſordidum, quia ſine reſpiratione pugnabat.

FESSOS QVATIT ÆGER ANHELITVS. Probus ait, *commodius hic eſt Æger quam in quinto, Vaſtos quatit æger anhelitus artus*, quamvis conſuetudo ſit Virgilio iſta mutandi: quidam *acer* legunt, & volunt in quinto æger aptius dictum de ſene, hic de juvene *acer* melius conveniet.

TVM DEMVM. Poſtquam ſe alias evadere non poſſe vidit. OMNIBVS ARMIS. *Cum* minus eſt.

ILLE SVO CVM GVRGITE FLAVO. Hyſterologia eſt, cum ille eum excepit. Non enim procedit *cum ſuo gurgite*, quaſi poſſet fieri ut eum Tyberis ſine ſuis fluentis exciperet. Sane quærunt multi cum Tyberis Æneæ faveat, cur liberaverit Turnum. Sed ſolvitur iſta oratione: Ob hoc Turnum eſſe liberatum, ut major Æneæ gloria ſervaretur: Alii tradunt de Tybri qui Æneæ favet nunc Turnum in Iunonis gratiam eſſe ſervatum.

VARIORVM.

ERGO NEC CLYPEO IVVENIS. Ex Iliad. 16. Macrob. lib. 6. cap. 3 Saturn.

PICEVM FLVMEN. Quærendum videtur, cur *piceum ſudorem* dixerit: *flumen* enim illud ſudor eſt. Ergo hic per tranſſumptionem *piceum* interpretor nigrum, & ex eo multum: multus enim humor nigricat; qui paucus pellucet & limpidus eſt. Turneb. lib. 22. cap 7.

TVM DEMVM PRÆCEPS. Confert cum Æſchylo. Victor. lib. 38. cap. ult. Variar.

ILLE SVO CVM GVRGITE FLAVO. Cur flavus, Turneb. lib. 22, cap. 7.

ET LÆTVM SOCIIS. Macrob. lib. 3. cap. 1. Saturnal. Cæde contaminati aqua ſe purgabant. Turnebus lib. 22. cap. 7.

ABLVTA CÆDE. Macrob. lib. 3. cap. 1. Proverb. *Mare abluit mala hominum.* Euripides in Hippolyto. HART.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER DECIMUS.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi:
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Sydeream in ſedem: terras unde arduus omneis,
Caſtraque Dardanidum aſpectat, populoſque Latinos.
Conſidunt tectis bipatentibus: incipit ipſe:
Cœlicolæ magni, quianam ſententia vobis
Verſa retro? tantumque animis certatis iniquis?

SERVII.

PANDITVR INTERA DOMVS OMNIPOTENTIS OLYMPI. Hoc dicit, factus eſt dies, ſecundum poëticum morem: quia dicunt poëtæ matutino tempore aperiri cœlum, noctu vero claudi. Vnde eſt illud alibi, *Ante diem clauſo componet veſper Olympo.* Nam & paulo poſt deſcripturus eſt noctem, ut, *Iamque dies cœlo conceſſerat*: unde intelligamus alium diem eſſe conſumptum: & nunc eum more ſolito noctis prætermiſiſſe deſcriptionem. Quanquam PANDITVR COELVM, etiam ſimpliciter poſſumus accipere quovis tempore, ſcilicet ad numina convocanda: quod & melius eſt, quia ait INTEREA, id eſt dum hæc egerunt. nam hæc particula præterita negotia conjungit futuris. OLYMPI. cœli, quaſi ὅλος λαμπρός, ideo quia totum lucet.

DIVVM PATER. Pro divorum, ſicut Argivûm, Danaûm, Teucrûm, videtur accuſativi ſingularis ſpecie pro genitivo plurali uſus.

SYDEREAM IN SEDEM. In aſtriferum circulum. Non enim omnes circuli aſtriferi ſunt, ſed ſolus ſuperior: aut *ſyderea*m, lucidam dixit. VNDE ARDVVS OMNEIS. Vt alibi. *Et jam finis erat cum Iuppiter æthere ſummo Deſpiciens mare velivolum.*

CASTRAQVE DARDANIDVM ASPECTAT, POPVLOSQVE LATINOS. Poſt generalitatem intulit ſpeciem. Conſequens eſt enim ut omnes terras videns, cernat etiam caſtra Trojana. Nonnulli ſane *Dardanidum* pro Dardanidarum adſerunt, ut ſit genitivus generis maſculini ſpecie fœminina.

BIPATENTIBVS. Phyſice dixit. Nam cœlum patet ab ortu & occaſu. Eſt autem ſermo Ennianus tractus ab hoſtiis, quæ ex utraque parte aperiuntur. Vnde & modo *bipatentibus*, apertis intelligimus, quod intrantibus & exeuntibus pateant.

COELICOLÆ MAGNI. Orationis iſtius intentio hoc agit, ut ab odiis Trojanorum Iuno revocetur. QVIANAM. Cur, quare, ſermo Ennianus. *Quianam legiones cædimus ferro.*

VERSA RETRO? Mutata, ut, *Quæ te genitor ſententia vertit?* Quidam *verſa retro* intellegunt, quod rurſus ad diſcordias videntur rediſſe. alii verſa retro, pro inverſum acta, quaſi quæ prius rectum iter pergebat derivata. CERTATIS. Aut contra vos, aut contra ſententiam meam.

DONATI.

CÆLICOLÆ. Omnium facit cauſam, quoniam favore Iunonis, omnes contra Trojanos erant: nominatim autem uxorem ſuam carpere noluit.

SENTENTIA VERSA. Oſtendit non decere deos mutari, aut injuſtos eſſe.

VARIORVM.

Explicat hunc librum toto capite Turneb. lib. 2. cap. 21. & lib. 29. cap. 24.

PANDITVR INTEREA. Principio libri decimi refertur deorum conſilium, de rebus utriuſque gentis & belli ratione. Inde redit ad narrationem pugnæ, quæ vario inde Marte dirempta fuit. Principium hujus libri ductum eſt à deſcriptione temporis matutini, quo cælum & terra aurora cepit illuſtrari. INTEREA. Dum iſta vario habitu geruntur in Italia. Etenim oriente Sole cælum videtur aperiri, ſicut occidente claudi. Quintilian. libro primo. HORTENS.

DIVVM PATER ATQVE HOMINVM REX. Homer. Odyſſ. α. Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Proverb. *Diis applaudentibus.* HART.

OMNIPOTENTIS. Bapt. Egnatius cap. 10. legit *Omnipotentis.* Alii Omnipatentis. Vulgatam lectionem tuetur, Turneb. lib. 29. cap. 24. Ioſ. Caſtalio Var. cap. 9. Cælius Rhodigin. lib. xx. cap. 13. Quintilian. lib. 19. cap. 4.

CONCILIVMQVE VOCAT. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn.

CASTRAQVE DARDANIDVM. Ian. Guilh. Plaut. Quæſt. in Aulul cap. 6.

TECTIS BIPATENTIBVS. Duæ cæli portæ Iſidoro. Turneb. lib. 18. cap. 27. Homer. Iliad. ε.

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contra vetitum diſcordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit?
Adveniet juſtum pugnæ (ne arcerſite) tempus:
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpeis immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit:

SERVII.

ABNVERAM BELLO ITALIAM CONCVRRERE TEVCRIS. Prohibueram Italiam contra Trojanos bella ſuſcipere. Quomodo *abnueram?* cum ipſe in primo dixerit, *bellum ingens geret Italia*; ſed ſecundum ſapientes quoſdam, alia eſt neceſſitas fati, alia voluntas deorum, vis nulla eſt, quod ipſe manifeſtius in quinto oſtendit his verſibus; *Vel quæ portenderet ira Magna deum, vel quæ fatorum poſceret ordo.* Nam in primo Æneid. de ira Iunonis ait, *Acti fatis maria omnia circum.* Et iterum in primo fatorum arcana ſe dixit narraturum, non ſuam voluntatem oſtenſurum, ſed ibi ſecreto filiæ dicit, hic aliter, idem invidioſe diis omnibus præſentibus videtur loqui, propter removendam eorum diſſenſionem, aut quia ait in primo *Ternaque tranſierint Rutulis hiberna ſubactis.* Nunc autem omnis eſt Italia in bella commota Iunonis inſtinctu, quod & Alecto promiſit, ut, *Finitimas in bella feram rumoribus urbes.* Et Iuno dixit ſe magis eſſe facturam: ut, *Ego ſi qua ſuper fortuna laborum eſt, Ipſa regam.* ABNVERAM autem, prohibueram; ut contra, *annuo* promitto ſignificat & conſentio.

QVÆ CONTRA VETITVM DISCORDIA. Vetationem, prohibitionem meam. Et eſt *vetitum* ut æquum, unde eſt, *Et ſervantiſſimus æqui.*

FERRVMQVE LACESSERE. Pro ferro ſe laceſſere, ordo autem: Quis metus ſuaſit aut hos arma ſequi ferrumque laceſſere, non eſt enim *hos ſuaſit*, ne fiat σολοικισμὸς, quamvis inveniatur hujuſmodi figura. ut, *Iuturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri Suaſi*, & Ennius, *Quis te perſuaſit?*

NE ARCESSITE TEMPVS. Nolite bellorum tempora præoccupare. Et bene ſatisfacit uxori cum prohibitione. Significat autem bellum Punicum ſecundum, quo Hannibal ingreſſus Italiam cum pluribus locis vicerit, præcipue apud Cannas, vicum Apuliæ, omnem populi Romani delevit exercitum. OLIM. Quandoque.

ALPEIS IMMITTET APERTAS. Emphaſis eſt, non enim dixit per Alpes immittet exercitium, ſed ipſas Alpes: quas patefecit, non ſibi tantum, ſed omnibus gentibus, quæ ſecundum Catonem & Livium muri vice tuebantur Italiam: has ante exuſtas aceto infuſo Hannibal rupit. Iuvenalis, *Et montem rupit aceto.* Denique loca ipſa quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur. Quamvis legatur à Pœnina dea quæ ibi colitur Alpes ipſas vocari. Sane omnes altitudines montium licet à Gallis Alpes vocantur, propriè tamen montium Gallicorum ſunt; quas quinque viis Varro dicit tranſiri poſſe, *Vna quæ eſt juxta mare per Liguras, altera qua Hannibal tranſiit, tertia qua Pompeius ad Hiſpanienſe bellum profectus eſt, quarta Haſdrubal de Gallia in Italiam venit, quinta quæ quondam à Græcis poſſeſſa eſt, quæ exinde Alpes Græcæ appellantur.*

RES RAPVISSE LICEBIT. Clarigationem exercere, hoc eſt per feciales bella indicere. Nam veteres lædere res, *rapere* dicebant, etiamſi rapinæ nullum crimen exiſteret, ſimiliter ſatisfacere, res reddere dicebant. Sed Ancus Marcius cum videret populum Romanum ardentem amore bellorum, & plerunque inferre gentibus bella, nulla juſta exſtante ratione, & exinde pericula procreari, miſit ad gentem Equiculanam, & accepit jura fecialia, per quæ bella indicebantur hoc modo, ſicut etiam de Albanis retulit Livius. Nam ſi quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta eſſent populo Romano: cum fecialibus, id eſt ſacerdotibus, qui faciendis præſunt fœderibus, proficiſcebatur etiam pater patratus, & ante fines ſtans clara voce dicebat belli cauſſam: & nolentibus res raptas reſtituere, vel auctores injuriæ tradere, jaciebat haſtam, quæ res erat pugnæ principium, & jam licebat more belli res rapere. *Clarigatio* autem aut à clara voce dicta eſt, qua utebatur pater patratus: aut ἀπὸ τοῦ κλήρου, hoc eſt ſorte. Nam per bellicam ſortem agros hoſtium invadebant. Vnde & κληρονόμοι dicuntur Græce, qui jure ſortiuntur hereditates.

DONATI.

ABNVERAM BELLO ITALIAM CONCVRRERE. Non eſt contra id quod dixit in Primo, *Bellum ingens geret Italia*: Æneam dixit geſturum bellum in Italia, non Italiam geſturam. Cum autem omnes deos objurgat, Iunonem inſolentiæ reprehendit. Venus autem nacta eſt tempus congruum querelis, quia vidit Iovem faventem Trojanis.

VARIORVM.

ABNVERAM BELLO ITALIAM. Turneb. lib. 26. cap. 30. vult ſerio ad nutum & Iovis ſupercilium ab Homero deſcriptum reſpicere, quod nutu & renutu Iupiter omnia facere crederetur, unde & numen: hinc illud Maronianum, *Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.* GERMAN.

PVGNÆ NE ACCERSITE TEMPVS. Quamquam vulgati codices habent ACCERSITE, & ea lectio damnanda non ſit; tamen elegantius legitur in quibuſdam caſtigatioribus, ARCESSITE. Eſt enim *arceſſere*, advocare, adſciſcere, adducere. Cic. pro Sex. Roſcio, *Tunc ab aratro arceſſebantur, qui conſules fierent.* Eſt etiam *arceſſere*, accuſare, inde dicimus aliquem capitis arceſſere, judicio arceſſere. PONTAN.

Nunc

Nunc finite, & placitum læti componite fœdus.
Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O pater, ô hominum divûmque æterna potestas,
(Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equis: tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas, atque ipsis prælia miscent
Aggeribus mœrorum, & inundant sanguine fossæ

SERVII.

PLACITVM. Aut mihi scilicet, aut fatis, aut quod velim vobis placere.

IVPPITER HÆC PAVCIS. Habet personarum acceptionem: ut superioribus personis det breviloquium: Sic alibi, *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.* AT NON VENVS AVREA CONTRA. Quia Veneri causam necesse est reddere, ideo non pauca refert, aut quia mater dolens, aut quia inferior.

O PATER, O HOMINVM. Et Titianus & Catulinus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt & adformaverunt ad dicendi usum, in exemplo controversiarum has duas posuerunt adlocutiones, dicentes Venerem agere statu absolutivo cum dicit Iunoni, caussa fuisti periculorum his quibus Italiam fata concesserant: Iunonem vero niti statu relativo, per quem ostendit non sua culpa Trojanos laborare, sed Veneris. O PATER. Generaliter *pater* accipe, non tantum Veneris. Nam supra ait. *Divum pater, atque hominum rex.* Et bene in principiis sibi favorem arte conciliat. HOMINVM DIVVMQVE ÆTERNA POTESTAS. Hunc locum Probus quærit: sed dixit unam rem secundum Physicos, alteram secundum Mathematicos. nam *divum potestas* est, quia ipse est æther qui elementorum possidet principatum: *hominum* vero, ideo quia bona Iovis irradiatio honores hominibus tribuit. *Æterna* autem *potestas* adjecit propter aliorum numinum discretionem. Nam legimus & Apollinem divinam deposuisse potestatem, & Herculem vel Liberum patrem non semper deos fuisse. Sicut autem hominum & rerum potestas est, an quemadmodum pro rege vel magistratu potestas solet dicere.

NAMQVE ALIVD QVID SIT. Ac si diceret, cum pene omnes dii in favorem Iunonis concesserint. NAMQVE enim conjunctio ostendit eam hanc habuisse cogitationem, est autem parenthesis. IMPLORARE. *Implorare* est auxilium cum miseratione deposcere: qua ratione bene dicimus, *Imploro te* ut auxilium misero feras. contra, Imploro te ad diem festum: non procedit narratio.

CERNIS. Ad augendam invidiam ait CERNIS, ac si diceret, non est opus narratione, cum Trojanorum miserias ipse conspicias. INSVLTENT autem. Propter quod dicturus est, *Interea Rutuli portis circum omnibus instant.* Insultare autem, est inimicis irridere per cavillationem. *Exultare* vero, gloriari & lætum esse

PER MEDIOS. Suos scilicet. INSIGNIS EQVIS. Propter illud, *Viginti lectis equitum comitatus.* Nam castra non eques irruperat, & ambiguum utrum equis insignis, an equis feratur. SECVNDO MARTE. Ad illud respicit, *Hic Mars armipotens animos viresque Latinis Addidit.*

RVAT. Irruat. CLAVSA MOENIA. Ad quæ in extremis solent adflicti confugere.

QVIN. Quinetiam. IPSIS. In ipsis.

AGGERIBVS autem munitionibus, sed abusive. In muris autem ideo, quia ait supra, *Ignaros deinde in muris, Martemque cientes* AGGERIBVS. Agger proprie dicitur terra illa quæ vallo facto propius ponitur: sed abusive & muros & munimenta omnia *aggerem* dicimus. sicut modo, AGGERIBVS MOERORVM, pro munimentis. *Mœrorum* antique ait pro murorum. Nam veteres pleraque eorum quæ nos per V dicimus, per œ diphthongon pronuntiabant. hinc est MOERORVM, pro murorum. Et è contra PVNIO, pro pœnio, quod verbum à pœna venit. Hinc est, *Punica regna vides:* cum Pœnos ubique legerimus: hoc autem facit Græca orthographia. Nam quam nos V habemus, illi diphthongon habent ου: & ideo putarunt posse pro hac littera, diphthongon poni licet aliam. INVNDANT. Implent, & inundare faciunt.

VARIORVM.

AVREA VENVS. Epitheton Homericum Iliad. γ. χρυσῆ ἀφροδίτη. Et Hesiod. lib. 2. Proverb. *Fictilis homo.* HART.

O PATER. Petit Venus, ut Trojanorum hostes muris arceat: aut si id obtinere nequeat, Ascanium à cæde servet, & Ænean patiatur à se aliquo in remotas terras ablegari. Perstringit interim acriter Iunonem. HORT.

O PATER, O HOMINVM, &c. Probus quærit, cur Iupiter hominum ac deorum æterna potestas dicatur? Vide Turneb. lib. 29. cap. 24.

CLAVSA IAM MOENIA. Magna invidia. Scimus enim ultimum esse præsidium in castra confugere & hostilem impetum plerumque differre: sicut factum est in bello Trojano. Modo ergo dicit adeptum esse etiam hanc partem misericordiæ: siquidem intra muros hostis insultat. GLOSS. MSS. LVGD.

Æneas

Æneas ignarus abest: nunquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. equidem (credo) mea vulnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tua atque invito numine Troës
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Iuveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi, manesque dabant, cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furenteis
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?

SERVII.

ÆNEAS IGNARVS ABEST. Ne merito videatur pati; neque enim potest videri fecisse bellum qui factum esse ignorat, aut hoc ipso miserabilis, quia ignarus excessus.

LEVARI OBSIDIONE SINES? Liberari. & oblique per Iovem invidiam commovet in Iunonem.

NASCENTIS TROJÆ. Invidiose, quia jam ruinis periclitatur, quæ modo nascitur.

ÆTOLIS SVRGIT AB ARPIS. Atqui non est venturus. Vnde accipiamus Venerem non quasi deam loqui: sed quasi unam de Trojanis, ut in primo, *Vnius ob iram Prodimur.* Item, *Cæli quibus adnuis arcem.* Ne futura ignorare videatur. *Ætolis* autem *Arpis* sic dixit, ut Cumas Euboicas. Nam de Ætolia Diomedes venit qui Arpos in Apulia condidit.

MEA VVLNERA RESTANT. Vt possim denuo vulnerari.

DEMOROR. Expecto sustineo, id est ut dea mortalium armis interim. & ipsa depugnem, & sic dixit *mortalia arma*, ut in duodecimo, *vulnus mortale.*

SINE PACE TVA. Sine tua benevolentia: sine voluntate tua, sine tua concessione, ut solet dici, *pace illius dixerim.* Dicendo autem, Si ad Italiam sine deorum voluntate venerunt, dent pœnam: ostendit fatum esse absolutum. INVITO NVMINE TROES. Syllepsis est per genus.

LVANT PECCATA. *Luant*, id est absolvant. Dicimus autem & luo pœnam. sed melius est luo peccatum. nam peccatum solvitur pœna. Qui enim crimine tenetur obnoxius, pœna eum à pristina liberat obligatione. Contra, luo pœnam: non procedit quasi pœna solvatur. auctoritas tamen ista confundit licenter more quo solet poni, vel à sequenti quod præcedit, vel à præcedenti quod sequitur. NEQVE ILLOS IVVERIS AVXILIO. Concessivus est modus iste secundum Probum: namque in artibus non invenitur. Fit autem quotiens tædio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri. nam hoc loco id agit Venus, ut Iupiter magis præstet auxilium.

RESPONSA SECVTI. Hoc est, si non solum prohibiti non sunt, sed eis etiam concessum est.

SVPERI. Id est, ut Apollo. MANES, Vt Creusa vel Anchises, vel Hector. QVISQVAM. Verecunde: quia contra uxorem agit apud maritum.

NOVA CONDERE FATA. Quæ adversus quæ statuisti.

EXVSTAS ERYCINO IN LITTORE CLASSES. Nunc per *ἀντικατηγορίαν* ad accusationem alterius transit, argumentum est enim utrum habeat voluntatem nocendi quæ nocuit. *Erycino* autem *in littore*, secundum opinionem suam dixit. Nam alii apud Cajetam dicunt exusta navigia: unde & Cajeta dicta est ἀπὸ τοῦ καίειν. Quamvis quatuor naves exustæ sunt, hæc tamen exaggerat.

QVID TEMPESTATVM REGEM. Vbique *repetam* subaudiendum est.

ACTAM NVBIBVS IRIM. Impulsam, scilicet ut persuaderet matribus incendium navium. Aut secundum præceptum artis Rhetoricæ, rem unam in duas divisit, ut latius pateret rei acerbitas interposito alio crimine. nam per Irim naves exustæ sunt. Sed melius est (ut non sit iteratio) ad Turnum missam Irim intelligere. nec nos moveat ordo conversus. Solent enim graviora in principiis & in fine secundum artem Rhetoricam poni. NVBIBVS. Per nubes.

VARIORVM.

NEC NON EXERCITVS ALTER. Quæ ad hunc locum illustrandum pertinent, dicta sunt lib. 7. ad illa verba, *& Paris alter*, &c. *Alter exercitus*, Latinorum scilicet, prior enim Græcorum fuit. PON.

ÆOLIA EXCITOS. Recurre ad illud. lib. 1. *Æoliam venit*, ubi regiam Æoli, non omnes significare videtur Æolias insulas, ut vulgo censent interpretes. GERMAN.

Nunc

Digitized by Google

Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet: & superis immissa repente
Alecto, medias Italûm bacchata per urbes.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura, per eversæ genitor fumantia Trojæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem:
Æneas sane ignotis jactetur in undis,
Et quamcunque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis

SERVII.

SORS RERUM. Id est regnum. nam per sortem inter se fratres Iuppiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diviserunt: quæ Iuno præter inferos in Trojanorum perniciem moverat. SUPERIS IMMISSA. Acsi diceret. non jam Trojanis, sed diis. Respexit autem ad illud, *Et cæli convexa per auras.*

BACCHATA PER URBES. Non vagata, sed *bacchata*, id est perfurit: & bene bacchata, quia per simulationem sacrorum Liberi patris, matres egerat in furorem.

SUPER IMPERIO. Id est de imperio, & quasi de salute sua se dicit laborare. Est autem verecunda petitio & obliqua, per quam magna Iovi invidia commovetur, qui imperium Trojanis promiserat. SPERAVIMUS ISTA. Absolute dixit.

CONIUX DURA. Hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta, *Dura fumantia excidia.* Dura autem debere distingui ipse ex persona Iunonis ostendit. Quæ *dura* potentia nostra egit? & mire *conjux*, quasi vitium mariti sit. NULLA autem REGIO invidiose dixit. ut supra, *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*: cum à sola arceantur Italia.

PER EVERSÆ GENITOR FUMANTIA TROIÆ. Cum dicimus, Rogo te per deos, hoc videmur dicere, Memineris religioni curæ esse petitionem meam: sicut in primo expressit, *At sperate deos memores fandi atque nefandi.* Cum autem dicimus Rogo te per miserias meas, videmur dicere, Memineris ab eo te rogari qui miserias pertulit: ut ad misericordiam qui rogatur, miseriarum commemoratione flectatur: sicut est nunc in Veneris petitione. Nam ideo sic rogat, ut commemoratione Trojanæ infelicitatis impetret misericordiam. Alias stultum est, cum adiuratur Iupiter per excidia Trojanorum. Sallustius in primo, *Postremo ipsos colonos per miserias & incerta humani generis orare:* FUMANTIA autem quæ fumaverunt, non enim fumant jam... *

INCOLUMEM ASCANIUM. Scit autem in Ascanio esse summam rerum ut, *Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur.* Ideo est pro eo sollicita, non quia pro filio non movetur.

ÆNEAS SANE. Quidam SANE pro valde accipiunt, ut, Cicero pro Quintio, *Sanè cæterarum rerum pater familias & prudens & attentus.*

EST AMATHUS. Amathus & Paphos Cypri insulæ civitates sunt, Amathus ab Amathonte. CELSA PAPHOS. Antiqua Paphos, quæ nunc Palæpafos dicitur, in excelso fuit posita, ex quo loco ædificia permittente pace in litoreis deducta sunt. CYTHERA. Insula est contra Laconicam Veneri consecrata. Dicimus autem hæc Cythera, sicut hæc Solyma, hæc Artaxata.

IDALIÆQUE DOMUS. Idalium, civitas Cypri est, & hic Idaliam dixit, cum ipse dixerit, *Aut super Idalium.*

DONATI.

ALECTO. Commoverat superos, ventos, fluctus, terras, homines. Restabant autem inferi, sed & hos nuper movit.

TUA CONIUNX. Oblique hactenus in eam locuta est: nunc doloris necessitate compellitur, ut eam nominet

IGNOTIS UNDIS. Per ignota maria continuet errores.

VARIORUM.

HÆC INTENTATA MANEBAT. Græcis ἀπείρατον. Pet. Victor. lib. 31. cap. ult.

ÆNEAS SANE, &c. Ideo Venus pro Ænea non petit hoc loco: non quia pro eo non movetur: Sed aut quia scit eum celerius esse moriturum: aut quia soli Ascanio debetur imperium. Ut, cui regnum Italiæ, Romanaque tellus debentur. GLOSS. MSS. LUGD.

ET QUAMCUNQUE VIAM. Ab Homerica secta desciscit. Macrob. lib. 5. cap. 16. Saturn.

Digitized by Google

Exigat hic ævum. magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. quid pestem evadere belli
Iuvit, & Argolicos medios fugisse per ignes?
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum quo Troja fuit? Xanthum & Simoenta
Redde oro miseris: iterumque revolvere casus
Da pater Iliacos Teucris. Tum regia Iuno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis

SERVII.

ÆVVM. Hic vitam alias ætatem. INGLORIVS. Sine triumphis, immemor gloriæ. Cicero in Tusculanis, *Quæ de vita inhonerata & ingloria dici solent.*

NIHIL VRBIBVS INDE OBST. TYRIIS. Id est ab Ascanio Tyrii nihil timebunt: & verum est. nam Scipio vastaturus est Africam.

QVID PESTEM EVADERE BELLI IVVIT. In fine jam agit miserabiliter, sicut egit in principiis. Nam hoc præcipit ars Rhetorica, ut epilogi & principia pari argumentatione tractentur. PESTEM autem incendium significat: ut, *Et toto descendit corpore pestis.* cum de navibus loqueretur incensis.

FVGISSE PER IGNES? Exprimit quid sit pestem belli evadere.

RECIDIVAQVE PERGAMA. Renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus, quæ aliis sectis repullulant. ergo illud *solum recidivum* dicimus, quod postea renascitur. unde modo RECIDIVA PERGAMA,, quæ fiunt ab his qui superstites sunt Trojanis periclis.

NVM SATIVS. Deest *fuit.* CINERES PATRIÆ INSEDISSE. Sic in quarto, *Dulcesque meorum Relliquias colerem.*

ATQVE SOLVM, QVO TROIA FVIT. Sic in tertio, *Et campos ubi Troja fuit.* XANTHVM ET SIMOENTA REDDE ORO MISERIS. Ambiguum est utrum dicat, redde nobis re vera antiquam Trojam: an terras alias ad similitudinem Trojæ. Nam novimus hanc fuisse consuetudinem; ut advenæ, patriæ suæ sibi imaginem redderent: ut, *Effigiem Xanthi, Trojamque videtis.* Bene ergo Venus medio usa est loquendi genere, ut utrunque significaret, & antiquæ Trojæ reditum, & imperium Italiæ, quod Trojanis Iuppiter ad similitudinem Trojæ fore promiserat: & magis hoc est, quod latenter desiderat atque petit.

CASVS DA PATER ILIACOS. Reddantur nobis errores pristini, dummodo præsentia bella vitemus. ITERVMQVE REVOLVERE CASVS. Si ad Trojam vis referre, sic dic, Nobis redde Trojam per naufragia & pericula, id est patiamur denuo quæ pertulimus, duntaxat nobis Troja reddatur. Si vero ad Italiam vis referre, sic intellige, Redde nobis Italiam, & libenter repetimus ea quæ in Troja pertulimus.

ALTA SILENTIA Iuno ubique silens inducitur. Vnde ei oratio pro re nisi ex nimia necessitate non datur. unde est, *Acta furore gravi.* Statius, *Iunonem tacitam furibunda silentia torquent.* Et notandum quia sigillatim dicta Veneris hac oratione solvuntur. SILENTIA autem RVMPERE, loqui proprie dictum. Sciendum enim quod vocem rumpere, est tacere. Vnde apparet usurpatione dictum esse, *Composito rumpit vocem:* id est loquitur. nam vocem rumpere, silere est: silentium rumpere, loqui.

DONATI.

ACTA FVRORE. Ergo injuste commota. QVID ME? Ostendit Iuno se invitam cogi: nam nihil rumpitur nisi magna violentia.

VARIORVM.

RECIDIVAQVE PERGAMA. Servius ἀναφυόμενα, παλιμφυῆ accipit; hoc tamen ego judicium ad doctiores lubens rejicerem, cum, si hæc vox ab arboribus sectis & incisis similitudine ducatur, nesciam quomodo moduli ratio congruere & constare possit, cum antepenultimam hujus dictionis corripuerit Maro: qua etiam ratione motus videri potest Ascensius, ut RECIDIVA, iterum casura interpretaretur, cum tamen potius accipi debere videantur, quæ bis & secundo eversa fuerint. Sunt & qui REDIVIVA legi posse sint suspicati. GERM.

CASVS, DA PATER ILIACOS. Turnebus lib. 2. cap. 21.

QVID ME ALTA SILENTIA. Macrobius lib. 4. cap. 2. HARTVNG.

SILENTIA COGIS RVMPERE. Initium abruptum indignantis Iunonis. Macrob. lib. 4. cap. 2. Saturn. Vox & silentium quamvis contraria sint, rumpere tamen vocem & silentium, idem diversa oratione significant. Nam rumpere vocem loqui dicimus, sicut rumpere questus, queri; quia vox & questus pectore rumpuntur, id est effunduntur. Alibi ipse, *rumpunt fontibus amnes*, id est funduntur. *Rumpere* autem *silentium* ex eo loqui dicimus, quia cum id facimus, veluti vocem rumpimus. ERYTHR.

Rum-

Digitized by Google

Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Ænean hominum quisquam, divûmque subegit
Bella sequi? aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis authoribus: esto,
Cassandræ impulsus furiis. num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Trojam circundare flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terra,

SERVII.

OBDVCTVM DOLOREM. Celatum jam, & diuturna cicatrice coopertum. nam obduci vulnera dicuntur, quæ cicatrice clauduntur.

ÆNEAN HOMINVM QVISQVAM. Ad illud, *Quæ superi manesque dabant*: & celans quæ facta sunt, ea quæ non sunt facta, commemorat. Nam non Æneas, sed Turnus Iunonis instinctu bella commovit.

SEQVI autem petere, ut, *sidera voce sequentem*. Vtitur autem replicatione rerum objectarum: post enim sequitur resolutio.

ESTO. Modo est concedentis adverbium, nam Græcum est. Illo autem loco verbum est, Esto nunc Sol testis. FATIS AVTHORIBVS. Num hic responsis? quia hoc sequitur.

CASSANDRÆ IMPVLSVS FVRIIS. Bene *furiis* plurali numero, quod de vaticinantibus non dicitur. Ergo ut videantur merito esse decepti qui Cassandræ insaniam crediderunt. quod nunc falso à Iunone dicitur, sicut ex verbis probatur Anchisæ, qui ait, *Aut quem tum vates Cassandra moveret?* NVM LINQVERE CASTRA. Illa ait, abest: hæc ait reliquit, ut ipsi adsignet culpam, & est status finitivus, non tam dicendum abisse quam reliquisse.

VITAM COMMITTERE VENTIS. Non qui enavigavit hoc dixit, sed *ventis*, id est incertis & inanibus rebus.

NVM PVERO SVMMAM BELLI. Quod Venus ad miserationem, hæc ad indignationem posuit, Et est aggeratio ab ætate.

TYRRHENAMQ. FIDEM. Inire societatem cum inimicis gentibus Turno. *Fidem* autem auxilium petens, an *fidem* sacramentum quod adhibetur ad belli societatem? *Agitare* autem ad gentes pertinere melius est. Ergo *Tyrrhenam fidem* extrinsecus accipiendum invocare, aut petere: aut certe disrumpere fœdera, quæ Turnus cum Tyrrhenis inierat. Sciendum sane Turnum auxiliorum causa ad Mezentium confugisse. GENTES QVIETAS. Nam licet vellent in bella prorumpere, tamen erant quietæ, propter illud oraculum, *Externos optate duces*.

QVIS DEVS IN FRAVDEM? Interrogatio: *In fraudem* autem periculum. ita enim in jure lectum est, *Fraudi erit illa res*, id est periculo. QVÆ DVRA POTENTIA NOSTRA. Ad illud respicit, *Si nulla est regio Teucris, quam det tua conjunx Dura*.

VBI HIC IVNO. Melius quam si dixisset ego, ut, *Degeneremque Neoptolemum narrare memento*. NVBIBVS IRIS. Propter illud, *Aut actam nubibus Irim*.

INDIGNVM EST ITALOS TROIAM CIRCVNDARE FLAMMIS. Rhetoricum est. Nam quotiens aliqua non possumus solvere, paria opponimus: quod nunc Iuno facit. nam negare non potest, nec solvere: quia obsidentur Trojani. Vnde dicit, indignum est Trojanos obsideri, aliena eos matrimonia præripere dignum est. Sic in Bucolicis, *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo Tris pateat cœli spatium non amplius ulnas*, quod quia non potuit solvere, & ipse objecit, *Dic quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores*.

NASCENTEM. [illegible]

DONATI.

ÆNEAM. Nititur colorare falsa: nam Æneas bellum non movit, sed instinctu Iunonis Latini.

NVM PVERO. Hoc quoque falsum est: nam senioribus rem reliquit, & pugnam committere vetuit.

VARIORVM.

ÆNEAN. Confutat id quod questa fuerat Venus, Ænean in Italia novo bello ad arma induenda coactum, cum à nullo ad bellum sit provocatus.

ITALIAM PETIIT. Concedit id quod inficiari non potest: fatorum vi in Italiam eum delatum: sed omissis Divorum oraculis, contemptim Cassandræ, ut fœminæ Trojanæ, furiis huc navigasse dicit. HORTENS.

NVM PVERO SVMMAM BELLI, &c. Maro hunc locum, ad Augusti laudem assentatorie accommodavit, revocans tacito Ascanii exemplo, veluti gentilem Imperatoris felicitatem, qui prior primum Senatus decreto, referente Cicerone, in Antonium exercitum, summamque rerum accepit. GERMAN.

Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid, soceros legere, & gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere Grajûm,
Proque viro nebulam & ventos obtendere inaneis:
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse nefandum est.
Æneas ignarus abest: ignarus & absit.
Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem & corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo

SERVII.

PILVMNVS AVVS. Comparat genus Turni Æneæ, dicens etiam Turni avum deum esse. Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an utilis sit qui natus est. Piso, Pilumnum dictum quia pellat mala infantiæ, sed Pilumnus idem Sterculinus, ut quidam dicunt, qui propter pilum invêntum, quo fruges confici solent, ita appellatus est. Si ergo proavus Latini est, non Turni avus, nam Sterculini Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius, sed in his nominibus abutitur poëta.

DIVA VENILIA MATER. Hoc ad Veneris obtrectationem dicit, *Diva Venilia mater.* Nam Venilia Nympha est. Pilumnum autem avum Turni ideo dicit, ut à vicino, nobilis genere esse videatur, sicut est Æneas. Nam paulo post dictura est ipsa Iuno, *Pilumnusque illi quartus pater.* Sane hanc *Veniliam* quidam Salaciam accipiunt Neptuni uxorem. Salaciam à salo, *Veniliam* quod veniam det exigentibus.

ATRA FACE. Sævo bello: & belli diffinitio est. Nam non facibus Trojani pugnaverant, sed ferro, id est bello.

AVERTERE PRÆDAS. Invidiose, nam nihil rapuerant.

LEGERE. Furari: unde & sacrilegi dicuntur, qui sacra legunt, hoc est furantur. Alibi, *Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper.* GREMIIS ABDVCERE PACTAS? Id est sponsas. Nam ante usum tabularum, matrimoniis cautiones sibi invicem emittebant, in quibus spondebant se consentire in jura matrimonii, & fidejussores dabant. Vnde & admissum est sponsum & sponsam ut dicamus à spondendo. Cæterum proprie SPONDERI puellæ est. ergo sponsus non qui promittitur, sed qui spondet & sponsores dat. Sane exaggeratio est nimia in eo quod ait, *Gremiis abducere:* tanquam jam uxores.

PRÆFIGERE PVPPIBVS ARMA. Propter illud, *Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.* Scilicet quando ad petenda auxilia navigavit. PACEM ORARE MANV, PRÆFIGERE PVPPIBVS ARMA. Propter, *Centum oratores augusta ad mœnia regis Ire jubet.*

PROQVE VIRO NEBVLAM. Injuriose *pro viro* rem inanem dicit, aut quando eum Venus à Diomede liberavit, Vel Neptunus ab Achille, quod Veneri quia in ejus gratiam factum est imputatur. VENTOS INANES. Vacuos: & est nebulæ diffinitio.

ET POTES IN TOTIDEM CLASSEM CONVERTERE NYMPHAS. Licet hoc Mater deûm fecerit, tamen Veneri imputatur. Aut quia dicunt ipsam esse Matrem deûm.

NOS ALIQVID RVTVLOS CONTRA IVVISSE NEFANDVM EST. Confessio est, non enim negat se juvisse, sed attenuat dicendo aliquid.

ÆNEAS IGNARVS ABEST. Ea quæ solvere non possumus, irridemus: ut hoc loco, sic in Bucolicis præmisit, *Divini opus Alcimedontis.* postea per irrisionem, *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.*

GRAVIDAM BELLI VRBEM. Alibi, *Populosque feroces Contundet.* Vrbem autem provinciam dicit, quo modo, *Italiam quæro patriam.*

NOSNE TIBI FLVXAS. Status relativus, per quem ostendit Venerem magis Trojanis caussam fuisse periculorum. FLVXAS. Molles, quæ possent etiam sine inimicis perire. Res ergo fluxas: rempublicam fluxam dicit; vel *fluxas*, labefactatas.

DONATI.

CVI PILVMNVS AVVS. Per comparationem Æneæ & Veneris, & sui & Turni extollit causam suam, & deprimit adversariorum.

NOS ALIQVID. Extenuat factum suum: verum Venus affuit causæ, cui dii & fata favebant.

VARIORVM.

QVID FACE. Turneb. lib. 4. cap. 14. Explic. Victor. lib. 29. cap. 5.

ÆNEAS IGNARVS ABEST. Pathos ab objurgatione: id est, cum objecta iisdem verbis refutamus. Macrob. lib. 4. cap. ultim. Saturn.

Cona-

Digitized by Google

Conamur? nos? an miſeros qui Troas Achivis
Objecit? quæ cauſſa fuit conſurgere in arma
Europamque, Aſiamque, & fœdera ſolvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive cupidine bella?
Tunc decuit metuiſſe tuis: nunc ſera querelis
Haud juſtis aſſurgis, & irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
Cælicolæ aſſenſu vario: ceu flamina prima,
Cum deprenſa fremunt ſylvis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Infit. eo dicente, deûm domus alta ſileſcit,
Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus æther:
Tum Zephyri poſuere, premit placida æquora pontus.

SERVII.

FOEDERA SOLVERE FVRTO? Legitur in hiſtoriis quod Trojani cum Græcis fœdus habuerunt. Vnde etiam receptus eſt Paris hoſpitio, & ſic commiſit adulterium. Ergo *Fœdera ſolvere furto*, eſt amicitias adulterio diſſipare. nam *furtum* eſt adulterium: ut, *Et dulcia furta:* an quod Paridem victum à Menelao ſubripuit morti, an quod Pandarus diſſipavit, ut ſit, per furtum? * Et everſi Ilii hæc eſt vera cauſſa. nam fœdera quæ inter Græcos & Trojanos fuerunt, ita ſoluta ſunt. Hercules cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Eſionam Priami ſororem Telamoni dediſſet, profecti ſunt legati cum Priamo, & eam minime repetere potuerunt, illis dicentibus ſe eam habere jure bellorum. Vnde commotus Priamus miſit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret: aut uxorem regis aut filiam, qui expugnata Sparta Helenam rapuit. Hinc ergo Virgilius utrunque tangit: & iſtam hiſtoriam quam modo diximus, & propter judicium Paridis, quamvis fabula ſit illa res, & à poëtis compoſita.

QVI TROAS ACHIVIS. Ideo maſculinum genus poſuit, quia dei Arſenothelees ſunt, ut dictum eſt ſupra, ideo dicit QVI, de Venere & in ſubauditione ponuntur ea quæ non poſſumus dicere aperte.

CONSVRGERE IN ARMA. Pro conſurgendi, Infinitus modus verbi, pro participio.

DARDANIVS. Non propter injuriam Æneæ hoc poſuit, qui Dardanus dicitur: Nam perite dubium nomen elegit, qui contumeliam communicaret Æneæ.

SPARTAM EXPVGNAVIT. De hiſtoria eſt. Nam cum ſollicitata Helena Parin ſequi noluiſſet, egreſſus ille civitatem obſedit: qua everſa Helenam rapuit: unde poſtea recipi meruit à marito.

TELA DEDI. Aut bello, aut amore Alexandri. CVPIDINE. Eo ſcilicet quo in amore Paridis Helena compulſa eſt.

DECVIT METVISSE. Optima eſt elocutio. nam utrumque præteriti eſt temporis. Si enim dixeris, Decet metuiſſe: incongruum eſt, quia DECET præſentis eſt, METVISSE præteriti. SERA. Pro ſero. ut *Nec ſera comantem Narciſſum.*

IRRITA. Vana, ſubſtantiam non habentia. IACTAS. Ventilas.

ORABAT. Loquebatur. Vnde & oratores dicti ſunt. nam *rogabat* ſi dixeris, non procedit, quia magis convitiabatur.

ASSENSV VARIO. Quia pars Veneri, pars Iunoni favebat. CEV FLAMINA PRIMA, CVM DEPRENSA FREMVNT SYLVIS. Non ſubito deprenſa, ſed aut in ſylvis detenta, aut intellecta.

ET CÆCA VOLVTANT MVRMVRA. Non tempeſtatis facit comparationem, ſed ſigni tempeſtatis futuræ. Quadam enim arcana ratione fit, ut ſit murmur in ſylvis ante ventorum adventum. Vnde ait, *Cæca murmura:* ut, *Cæcique in nubibus ignes*, quorum ratio non apparet: *Terrificant animos.* Sic in Georgicis, *Continuo ventis ſurgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis Montibus audiri fragor.*

TREMEFACTA SOLO TELLVS. Loquente Iove ſtupor elementorum omnium oſtenditur per naturæ mutationem. Nam & quicquid in æterno motu eſt, quievit: & contra, terra mota eſt ſemper immobilis. Vnde Horatius, *Et bruta tellus.*

ZEPHYRI POSVERE. Saluſtius, *Iam repente viſus ſævire Tagus.* PREMIT PLACIDA. Id eſt premendo reddit placida.

DONATI.

ME DVCE. Quæ graviora ſunt argumenta in fine ſervat.

INFIT. Nam cum ſibi poteſtas decernendi ſit, aperte loquitur.

VARIORVM.

ET FOEDERA SOLVERE FVRTO. Id eſt, amicitiam & hoſpitium adulterio furtivo diſſipare, quod Paris fecit. PONT.

Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ, monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. sua cuique exorsa laborem,
Fortunamque ferent: rex Iuppiter omnibus idem.
FATA *viam invenient. stygii per flumina fratris,*
Per pice torrenteis, atraque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi: solio tum Iuppiter aureo
Surgit, cælicolæ medium quem ad limina ducunt.

SERVII.

ACCIPITE ERGO ANIMIS. Totus hic locus de primo Lucillii translatus est libro, ubi inducuntur dii habere concilium, & agere primo de interitu Lupi cujusdam ducis in republica: postea sententias dicere. Sed hoc quia indignum erat heroico carmine, mutavit. Et induxit primo loquentem Iovem de interruptis fœderibus, cujus orationem interrupit Venus. post secuta Iunonis verba sunt, quibus redarguit Venerem. Vnde nunc Iuppiter illud quod omiserat, reddit, dicens, Ergo quoniam pacem esse non vultis, ea quæ sum dicturus accipite: Et hoc significat versus qui subsequitur.

QVANDOQVIDEM. Bene dicendæ sententiæ ordinem servat. nam sicut & in Salustio, & in Philippicis legimus, antequam dicatur sententia, ejus præmittitur ratio: quod hodieque in usu est.

HAVD LICITVM EST. Et licuit dicimus, & licitum est: sicut & placuit, & placitum est. Terentius *Vbi sunt cognita, placita sunt.*

QVÆ CVIQVE EST FORTVNA HODIE. Specialiter Iupiter pro Trojanis agit, sed hac arte, ut videatur totum pro Iunone loqui: & re vera verba pro Iunone sunt, sed altius intuens deprehendit Trojanorum favorem. Nam dicendo NVLLI FAVEBO, & in statu fore res in quo sunt hodie, Trojanis se favere significat, quorum ducis adventu statim victoria consequeretur. Et vult nihil valere ea quæ aut Venus conquesta fuerat de absentia Æneæ, aut Iuno de Turni parentibus dixerat, in ejus scilicet commendationem. SECAT. Sequitur, tenet, habet: ut, *Ille viam secat ad naves.* Vnde & sectas dicimus, habitus animorum & instituta philosophorum circa disciplinam.

FVAT. Id est fuerit: futuri temporis est verbum defectivum.

SEV FATIS ITALVM CASTRA OBSIDIONE TENENTVR. Sive malo fato Italorum obsidentur castra Trojæ, sive Trojani malo errore, & monitis adversis ad Italiam venerunt: neminem absolvo. Vnde propter Amphibologiam sic distingue, *Italûm*: & infer, *Castra obsidione tenentur*, scilicet Trojanorum. Ipsi enim obsidentur, non Itali.

NEC RVTVLOS. Hoc & de Trojanis dictum accipe. SOLVO. Absolvo. nam Aphæresim pertulit *solvo*. MONITIS autem SINISTRIS. Propter *Cassandræ impulsus furiis*. EXORSA LABORVM. Facta initia, actus hodierni diei. Id est secundum sua cœpta habebit eventum. LABOREM FORTVNAMQVE. Periculum, fortunam, felicitatem.

FATA VIAM INVENIENT. Scit enim hoc esse fatale, ut Æneas imperet in Italia. Et videtur hic ostendisse, aliud esse fata, aliud Iovem. STYGII PER FLVMINA FRATRIS. Hypallage est, Per Stygia flumina fratris. Et bene etiam jusjurando statuta confirmat: ut rem immobilem necessitate constituat.

TOTVM NVTV TREMEFECIT OLYMPVM. Hoc Homeri est μέγαν ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

COELICOLÆ MEDIVM. Poëtice mores hominum ad deos refert, ut magistratum deducunt.

DONATI.

ACCIPITE. Non potuit sedare partes, sed sic dimisit ut nullam præferret, ne aut filiam aut uxorem læderet: seque æquum omnibus pollicitus est.

VARIORVM.

QVAM QVISQVE SECAT SPEM. Id est, transigere, vel desecare, more Græcorum, qui ἀποτέμνεσθαι dicunt, quod qui quid desecat, sibi assumit. Turneb. lib. 29. cap. 24.

SVA CVIQVE EXORSA LABOREM, &c. Vt quisque sementem fecerit, ita metet. Quod quisque intriverit, hoc erit illi exedundum. PONT.

STYGII PER FLVMINA FRATRIS. Macrob. lib. 5. cap. 13. Saturn. Cælius lib. 24. cap. 38. Lect. Antiq.

In-

Digitized by Google

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
Ast legio Æneadûm vallis obsessa tenetur:
Nec spes ulla fugæ: miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere corona.
Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, & senior cum Castore Thybris,
Prima acies: hos germani Sarpedonis ambo,
Et clarus & Hæmon Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios Veneris iustissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum:

SERVII.

PORTIS CIRCUM OMNIBUS INSTANT. Instant portis omnibus circum, id est circum circa fusi. Nam modo CIRCUM, adverbium loci est.

AST LEGIO. Prolepsis, nam legionis nomen Trojani temporis non fuit. VALLIS. Intra vallos, id est fossarum fustes, qui *Valli* vocantur. Nam munitio ipsa, *Vallum* neutro dicitur genere: & hoc dicit, Tenebantur Trojani intra vallos, quos ipsi posuerant, ne eorum castra facile irrumperent Rutuli. *Vallum* enim, non modo obsidentium, sed obsessorum debemus accipere.

NEC SPES ULLA FUGÆ. Miserrimum & ultimum præsidium fugæ est: tamen etiam hoc carebant.

IMBRASIDES. Imbrasi filius. HICETAONIUS. Hicetaonis filius: Et bene ex varietate syllabarum quæsivit ornatum. Nam patronymica aut in DES, aut in IUS exeunt, quibus & uti possumus. Quæ enim in MON terminantur, ad nos transire non possunt.

SENIOR CUM CASTORE THYBRIS. Possumus & in solum Thybrim senem accipere: & Castorem etiam si legamus, *Et senior cum Castore Thybris.* Nam Amphibologia est.

PRIMA ACIES. Hoc est magni viri: & est diffinitio eorum qui in prima acie fuerunt. unde laudis magis est, nam hoc dicit, *magni viri.* Ordinis enim esse non potest, quia res in muro est. GERMANI SARPEDONIS. Aut inter se germani Sarpedonis filii: aut Sarpedonis fratres ex eadem matre.

LYCIA ALTA. Nobili, quos comitantur qui sunt Lycia ab alta.

FERT INGENS TOTO. Quidam sine effectu ferentem saxum improprie inductum accipiunt, sed hoc ita resolvunt, quod qui jactum saxum refert, unius tantum rei eventum ostendit, qui *ferentem* dicit longum jactum notat.

LYRNESIUS. Id est Phryx. Acmon ergo & Menestheus filii Clytii: nam Lyrnesos civitas est Phrygiæ, unde fuit Briseis, quam civitatem Achilles expugnavit.

MENESTHEO. Non Mnestheo, de quo paulo post dicturus est, nam non stat versus; ita tamen ut meminerimus in ultima syllaba esse Synæresim propter rectam scansionem.

HI JACULIS. Rutuli scilicet. ILLI CERTANT. Trojani.

VENERIS IUSTISSIMA CURA. De quo merito curet, quia ei debebatur imperium. MOLIRIQUE IGNEM. Quid est *moliri*? num iniicere, an tentare jacere? & subaudiendum, alii atque alii.

CAPUT DETECTUS. Sine galea: quasi non pugnaturus: propter, *Cætera parce puer bello.* Intererat autem quasi dux. ECCE. Pro admiratione & demonstratione. HONESTUM. Pulchrum. Terentius, *Ita me dii bene ament, honestus est.*

DONATI.

INTEREA. Redit ad narrationem quam posuit in fine Noni libri. STABANT. Utpote qui pauci adversus plurimos non auderent.

CAPUT DETECTUS. Non pugnaturus: quia prohibuerat Deus.

VARIORUM.

CAPUT DETECTUS HONESTUM. Forsan morem Romanorum Poëta respexit, qui nisi Saturnalibus, diebus aliis nudo erant capite. Eustathius lib. 1. Od. ut notavit Turnebus, hunc morem Romanos à Græcis accepisse disputat, ἴσως δὲ καὶ τὸ ἐκεῖ κεφαλὰς ἀκαλύπτους ἔχειν, &c. cum heroicis temporibus nulla capitis integumenta in usu fuisse memorentur. GERMAN.

Digitized by Google

Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur: fusos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mæonia generose domo: ubi pinguia culta,
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.
Affuit & Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant; media Æneas freta nocte secabat.

SERVII.

MICAT. Scilicet Ascanius: micat quasi gemma.

AVT COLLO, AVT CAPITI. Figurate est. nam commune est colli vel capitis decus.

ORICIA TEREBYNTHO. Oricos civitas est Epiri, juxta quam nascitur terebynthus nigrum lignum habens, folia in buxi speciem. Retulit autem comparationem ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus.

MAGNANIMÆ GENTES. Hic est ordo, aliter non stat versus, est autem prosphonesis. ISMARE. Modo nomen est proprium. nam Ismarius appellativum facit, à monte Ismaro Thraciæ.

VVLNERA DIRIGERE. Pro dirigentem: *vulnera* autem *dirigere*, id est sagittas quibus fiunt vulnera, est autem ὕστερον πρότερον. Vt, *Insequitur infesto vulnere Pyrrhus*: & acerrime expressit inevitabiles sagittas, dicens eum *vulnera*, non tela dirigere.

MÆONIA. Lydia, quæ ante Mæonia vocabatur. Ergo ideo *generose*, quod Lydius. PINGVIA CVLTA. Aut figuratum est quæ exercendo culta faciunt, aut *culta* pro arvis.

PACTOLVSQVE IRRIGAT AVRO. Pactolus & Hermus Lydiæ flumina sunt, aurum trahentia sicut Tagus. Sed Pactoli fabula talis est; Midas rex cum ibi regnaret Silenus captus ab ejus sociis & vinctus est, miseratione vel prudentia eum & resolvi fecit, & omni affabilitate fovit, quibus rebus ille gratiam rependens, præstitit Midæ ut quidquid tetigisset in aurum verteretur, sed cum ille quæcunque contigisset in aurum convertens, fame periclitaretur, ex præcepto in Pactolum fluvium abluendi gratia se mittere jussus est, in quem se cum jecisset, ferendi auri naturam flumini dedit, ipse destitit in aurum quæ contingebat mutare. INRIGAT autem *auro* mire, cum ramenta quædam auri inveniri dicantur.

ET CAPYS: HINC NOMEN CAMPANÆ DVCITVR VRBI. Iste quidem hoc dicit, sicut Ovidius qui Capyn de Trojanis esse commemorat. *Ille dedit Capys repetita vocabula Trojæ.* Cœlius qui Trojanum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Æneæ fuisse sobrinum. Alii hunc Capyn filium Capeti volunt esse Tyberini avum, ex quo fluvius Tyberis appellatus est, eumque Capuæ conditorem produnt: Alii Capyn Samnitem, condidisse Capuam confirmant. Sed Capuam vult Livius à locis campestribus dictam in quibus sita est: Constat tamen eam à Tuscis conditam de viso falconis augurio, qui Tusca lingua Capys dicitur: Vnde est Capua nominata. Tuscos autem omnem pene Italiam subjugasse manifestum est. Alii à Tuscis quidem retentam & prius Aliternum vocatam: Tuscos à Samnitibus exactos Capuam vocasse: ob hoc quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tusci Capuas vocarunt. Varro dicit propter cœli temperiem & cespitis fœcunditatem campum eundem Capuanum, sive Campanum dictum, quasi sinum salutis & fructuum.

CONTVLERANT. Nocte interveniente peregerant. MEDIA ÆNEAS FRETA NOCTE SECABAT. Aut media nocte, aut freta media.

DONATI.

MNESTHEVS ET CAPYS. Alterum laudat à facto, alterum à merito civitatis.

NOCTE. Ad laudem Æneæ.

VARIORVM.

QVALIS GEMMA MICAT. Comparat Ascanium gemmæ auro inclusæ, & candidissimo ebori è terebyntho elucenti, ut formæ decus in Ascanio amplificet. HORTENS.

FVLVVM QVÆ DIVIDIT AVRVM. Quæ est medio annuli aurei. PONTAN.

CALAMOS ARMARE VENENO. Supra de hac re dictum lib. IX.

PACTOLVSQVE IRRIGAT AVRO. Id est aureis arenis spargit dum irrigat. SALMASIVS. Qua ratione Pactolus evaserit auriffuus, narrat Fulgentius lib. 2.

Nanque

Digitized by Google

Namque ut ab Euandro castris ingressus Hetruscis,
Regem adit, & regi memorat nomenque genusque:
Quidve petat, quidve ipse ferat: Mezentius arma
Quæ sibi conciliet: violentaque pectora Turni
Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet: immiscetque preces: haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdusque ferit. tum libera fatis
Classem conscendit jussis gens Lydia divum
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subvecta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas: secumque volutat
Eventus belli varios: Pallasque sinistro

SERVII.

NAMQVE VT AB EVANDRO. Rem antea obmissam breviter exsequitur.

REGEM ADIT. Instanti tempore adit.

QVIDVE PETAT. Scilicet auxilium. QVIDVE IPSE FERAT. Auxilii vicissitudinem. ut supra Euandro, *Accipe, daque fidem.* Multi autem *quidque petat, quidque ipse ferat* dicunt oportuisse dici, sed mutatam conjunctionem: neque enim ex alterius persona exponitur, sed totum ex Æneæ, & ideo QVE, conjunctione opus fuisse, VE enim proprie vel significat, ut sic, *Nec patris Anchisæ cineres manesve revelli.* MEZENTIVS ARMA. Quæ sibi conciliet. Iniicit latenter timorem, ne forte possit collectis auxiliis Mezentius in regna remeare, à quibus fuerat ante depulsus.

VIOLENTAQVE PECTORA TVRNI. Superba: ut est illud, *Quos illi bello profugos egere superbo*, id est violento.

HVMANIS QVÆ SIT FIDVCIA REBVS. Latenter hoc dicit, Nolite putare fixam esse & stabilem felicitatem. magna est enim rerum varietas, invicem accipietis auxilia.

ADMONET, IMMISCETQVE PRECES. Partim rogat, partim admonet hoc esse tutum solatium humanæ vitæ, si vel mutua dentur auxilia, vel in prosperis positi, etiam objecta consyderent: & est superioris versus expressio. Nam edocet quid peteret, & quid eum solicitabat. *Admonet* vero vel caussa Mezentii, vel quia instabilis est & vaga fortuna. TARCHON. Hoc nomen ubique Græce ponit, excepto uno loco: ut est, *Haud procul hinc Tarcho:* & Tyrrheni. atque id propter metrum.

FERIT. Facit, ex more Romano propter porcum qui de lapide feritur. LIBERA FATIS. Exempta necessitate fatali, qua pugnare non poterat propter illud, *Externos optate duces.*

GENS LYDIA. Per derivationem Lydia gens, nam Lydia provincia, proprium est.

PRIMA TENET. More viri fortis in principiis est. Alibi, *Princeps ante omnes densum Palinurus agebat Agmen.* ROSTRO PHRYGIOS SVBIVNCTA LEONES. Pro subjunctos Leones habens. Vult pro jugo rostrum navis fuisse. Leones autem singulos, in singulis navis partibus fuisse depictos. Sane hoc loco notant Critici, quemadmodum tam cito potuerint fieri naves Æneæ quod excusat pictura, quam solam mutatam debemus accipere. Ergo hanc navem Æneæ ab Etruscis datam intelligamus: quidam volunt hanc navem ex his esse quibus Æneas ad Euandrum erat evectus, & ad Etruriam terra esse portatam.

GRATISSIMA. Propter illic navigia fabricata.

EVENTVS BELLI VARIOS. Licet haberet fortissimum militem, cogitabat tamen incerta bellorum.

DONATI.

ET REGI MEMORAT. Tria dixit, memorat, edocet, admonet. *Memorat* ergo nomen & genus, & quid petat, & quid ferat. *Edocet* Turni violenta pectora, quæ arma conciliet. *Admonet*, quæ sit humanis rebus fiducia. *Nomen*, ut cognoscat. *Genus*, ne ab ignobili putet se rogari.

VARIORVM.

NAMQVE VT AB EVANDRO. Notanda est admirabilis & concisa ἀνακεφαλαίωσις, rerum repræsentatio breviter propositarum ab imperatore auxilium suis maturante, & in celeritate bonam partem belli administrandi & expediendi ponente. GERMAN.

TVM LIBERA FATIS. Auguror significari, libere licuisse militatum ire Etruscis, nihil repugnantibus fatis, cum Æneæ externo duci commissi essent. Nam duce Etrusco ne militarent in Mezentium, vatum effatis moniti ante fuerant. Turnebus lib. 2. cap. 21.

PALLASQVE SINISTRO AFFIXVS LATERI. Longiusculam & eruditam disputationem utter locus antiquis honestior fuerit, dexter an sinister, videbis si voles, apud Lipsium Elect. lib. 2. cap. 2.

Digitized by Google

Affixus lateri, jam quærit sydera, opacæ
Noctis iter, jam quæ passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,
Quique urbem liquère Cosas: queis tela, sagittæ,
Coritique leves humeris, & lethifer arcus.
Vna torvus Abas: huic totum insignibus armis

SERVII.

IAM QVÆRIT SYDERA. Deest de Ænea; Et *quærit sydera*, num de syderibus quærit? an ipsa sydera? id est recenset: aut num causa quærendi quod cupiat vicem discere. *

NOCTIS ITER. Aut per quæ nox decurrit: aut quæ intuentes nautæ iter peragunt noctibus. IAM. Modo. ut, *Iamque hos cursu, jam præterit illos.* QVÆ PASSVS TERRAQVE MARIQVE. Num quia audiendo res gestas Æneæ, incendatur & ipse ad imitandi cupiditatem?

PANDITE NVNC HELICONA DEÆ. Parnassus mons est Thessaliæ juxta Bœotiam, quem locum aliquando Aones tenuerunt, qui in duo finditur juga, Cithæronem Liberi, & Heliconem Apollinis & Musarum. Ex quo fons manare dicitur quem Pegasi ungula protulisse fertur qui vocatur Hippocrene.

TVSCIS. Tusci à frequenti sacrificio sunt dicti ἀπὸ τοῦ θύειν. Vnde Tuscos populos bene dicimus: Tusciam vero non debemus dicere, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur, sed aut Etruria dicenda est ab Etrusco principe, aut Lydia, à Lydo, aut Tyrrhena ab ejus fratre, qui ut supra diximus, cum parte populi de Mœonia venit ad Italiam; quod ergo hic dicit Virgil. *Tuscis comitetur ab oris*, de Tuscorum finibus intelligendum est.

MASSICVS ÆRATA PRINCEPS SECAT ÆQVORA TIGRI. Inter auxilia accipiendum, nam Æneæ prima est navis, & licet sit catalogus, id est inscriptio, in quo enumerantur hi qui de Tuscia venerunt, invenit tamen aliquam varietatem quod hos cum navibus venisse commemorat, cum in septimo Turni socios per terram venisse memoraverit. Sane sciendum amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluviorum vel montium. Vt ergo supra Almonem, & Aventinum commemoravit: sic nunc *Massicum* dicit. Nam *Massicus* mons est, unde & Massicum vinum dicitur. Plerique tamen *Massicum* nolunt proprium nomen esse, sed appellativum, dicentes Osinium esse Massicum regem. Nam paulo post dicturus est, *Qua rex Clusinis advectus Osinius oris*: & nunc dicit, *Qui mœnia Clusi*. Multi alium Massicum, & alium Osinium esse voluerunt. ÆRATA TIGRI autem, cujus rostrum erat in similitudem tigridis. namque solent naves vocabula accipere à pictura tutelarum. hinc est, *Hunc vehit immanis Triton*. Item, *&* *aurato fulgebat Apolline puppis*. Tigri autem secundum regulam dixit. nam Græca nomina quæ genitivum singularem in DIS mittunt, in eo tantum & in dativo crescunt: & in accusativo & ablativo paria sunt nominativo, ut Tigris, tigridis, tigridi, tigrim, tigris, à tigri. Isis, isidis, isidi, isim, isis, ab isi. Si aliter invenerimus, abusivum est. Vt in Lucano, *Ocyor & cæli flammis & tigride fœtu.*

MOENIA CLVSI. Pro Clusiis: nam *Clusium* dicitur, & est dictum per Synæresim: sicut *Nec cura peculi*, pro peculii. *Clusium* autem est oppidum juxta Massicum: quod in Etruria condidit Clusius Tyrrheni, sive Telemachus Vlyssis.

COSAS. Civitas Tusciæ, quæ numero dicitur singulari secundum Salustium. Vnde apparet *Cosas* hunc usurpative dixisse.

CORITIQVE. *Coriti* proprie sunt arcuum thecæ: dicuntur tamen etiam sagittarum, quas & pharetras nominamus.

VNA. Ad totam classem refert. TORVVS. Pro forti & aspero vel terribili.

DONATI.

QVÆRIT SYDERA. Quærit autem non necessaria Pallas, quæ si maturior ætate fuisset non quæsisset: erat à sinistris, quia si duo erant, dignior erat Æneas.

PANDITE. Hæc invocatio tenet summam rerum & speciem propositionis.

TORVVS. Aut oculis distortis, aut contracto vultu.

VARIORVM.

PANDITE NVNC HELICONA DEÆ. Novum catalogum eorum populorum, qui Ænean ad bellum sunt sequuti contexturus, iterat invocationem, quo fides sit penes Musas. HORT.

MASSICVS PRINCEPS. Hunc Massicum Clusinorum & Cossanorum ducem facit. Clusium in Herruria fuit, ubi Porsena postea imperavit. Nomen datum à Massico monte vinifero. HORTENS.

CORYTIQVE LEVÉS. Lipsius Antiq. lib. 1. cap. 2. legit *Coricique leves*, emendans hunc locum Nonii in *Catapulta*. Lud. Carrio lib. 1. Emend. c.6.

Agmen,

Digitized by Google

Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos,
Insula, in exhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divumque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sydera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parére jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Vrbs Hetrusca solo. sequitur pulcherrimus Astur,

SERVII.

FVLGEBAT. Scilicet puppis aurato Apolline. ARMIS. Exercitu.

POPVLONIA. Civitas Tusciæ. Matrem autem eorum qui venerant patriam dixit, ut alibi, *Insignem quem mater Aricia misit:* quidam Populoniam, post XII. populos in Etruria constitutos, populum ex Insula Corsica in Italiam venisse, & condidisse dicunt. Alii Populoniam Volaterranorum coloniam tradunt. Alii Volaterranos Corsis eripuisse Populoniam dicunt.

EXPERTOS BELLA. Peritos. nam expertes sunt ignari. *Belli* autem potest pro in bello accipi. ILVA. Quidam Ilvam Æthalen dictam volunt, est autem Insula adjacens Tusciæ in conspectu Populoniæ. Probus *Trecentos*, subdistingui vult, ut Insula, sequentibus jungatur.

INEXHAVSTIS CHALYBVM GENEROSA METALLIS. Quanto exhausta fuerit, tanto generosior, hoc est πολύγυ[illegible]. Ergo IN EXHAVSTIS, non est una pars orationis. Nanque dicit Plinius secundus, *Cum in aliis regionibus effossis metallis terræ sint vacuæ, apud Ilvam hoc esse mirum quod sublata renascuntur. & rursus de hisdem locis effodiuntur.* Varro & aliud dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi nisi transvectum in Populoniam Tusciæ civitatem, ipsi insulæ vicinam.

HOMINVM, DIVVMQVE INTERPRES ASYLAS. Deorum quos interpretatur, hominum quibus interpretatur & divinas indicat mentes, interpres vocatur. Sed notandum quod ait Nigidius Figulus, has artes ita inter sese esse conjunctas, ut alterum sine altero esse non possit. Vnde his quos perfectos vult probare Virgilius, omnium divinandi artium facit præstare scientiam, ut hoc loco. Item supra Heleno de quo ait, *Trojugena interpres divûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarii lauros, qui sydera sentis.* Nigidius autem solus est post Varronem, licet Varro præcellat in Theologia, hic in communibus literis: nam uterque utrunque scripserunt.

FIBRÆ. Fibræ sunt jecoris extremitates. PARENT autem, peritissime agnoscuntur. Quod si *parent* obtemperant, non procedit: nam quomodo sydera aut fibræ, vel fulgura possunt obtemperare? Aut *parent* apparent ac patent, quasi nihil ei absconditum, vel abstrusum sit. An hyperbolice tantam illi scientiam syderum vel ceterarum quas dixit rerum esse, ut ei parere videantur, sicut dicimus artes quibusdam esse subjectas? Sed *parent*, id est agnoscuntur, quod ad omnia referendum est fibras, sydera, voces avium, fulmina. nam si videntur, tantum accipias, cujus possunt videri: nec tamen intelligi. Item voces avium non videntur, sed agnoscuntur auditæ.

PRÆSAGI FVLMINIS IGNES. Præsagi, futura denuntiantis, ut. *De cælo tactas memini prædicere quercus.* Est enim Iovis filius fulmen de quo tantum futura noscuntur, ut in octavo plenius de fulminis generibus dictum est. Alii non ipsum fulmen præsagum accipiunt, sed eos præsagos qui inde futura prædicunt.

RAPIT. Raptim ducit. DENSOS ACIE. In acie constrictos & conjunctos.

ALPHEÆ AB ORIGINE PISÆ. Alpheus fluvius est inter Pisas & Elidem civitates Arcadiæ, ubi est templum Iovis Olympici: ex quibus locis venerunt qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas à civitate pristina: unde nunc addidit, VRBS HETRVSCA SOLO: cum præmisisset, ALPHEÆ AB ORIGINE PISÆ. Sane Pisas antiquitus conditas à Peloponesso profectis, vel ab his qui cum Nestore ad Ilium venerunt. Alii Pisum Celtarum regem fuisse Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum gestasse, à quorum regina quæ post conjugis mortem imperio successerat, receptum in Etruria oppidum suo nomine condidisse. Alii locum * ex deo privigno genitum juvenem viribus magnis Pisas condidisse ajunt: Cato originum I. qui Pisas tenuerunt ante adventum Etruscorum negat sibi compertum, sed inveniri Tarchonem Tyrrheno oriundum, postquam eorum locorum dominium ceperit, Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teutanes quidam Græce loquentes possederint. Alii ubi modo Pisæ sunt, Focida oppidum fuisse ajunt, quod nobis indicio est à Peloponneso originem id oppidum trahere. Alii incolas ejus oppidi Teutanas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea Pisas Lydi lingua sua singularem portum significare dixerunt; quare huic urbi à portu lunæ nomen impositum. Alii ab Epeo Trojani equi fabricatore conditum tradunt, qui cum aliis Græcis in hanc regionem rejectus est. Vbi, postquam Trojanæ captivæ metu dominarum ad quas deducebantur naves incendérunt, desperatione reditus remansit, urbemque condidit, & ab ea quæ est in Peloponneso Pisas cognominavit.

Digitized by Google

Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt (mens omnibus una ſequendi)
Qui Cærete domo, qui ſunt Minionis in arvis:
Et Pyrgi veteres, intempeſtæque Graviſcæ.
Non ego te, Ligurum ductor, fortiſſime bello,
Tranſierim, Cycne, & paucis comitate Cupavo:
Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ,
Crimen amor veſtrum, formæque inſigne paternæ.
Namque ferunt luctu Cycnum Phaetontis amati,

SERVII.

EQVO FIDENS. Id eſt, Eques optimus. Quidam Aſtur pro Aſtures accipiunt, apud quos equi & Equites optimi perhibentur. VERSICOLORIBVS ARMIS. Depictis, per quod bellicoſus oſtenditur.

TERCENTVM ADIICIVNT. Conſentiunt & accedunt ejus voluntati: quod ſequentia explanant. Probus *adiciunt*, adjacent, & quaſi juxta ſunt tradit. MENS OMNIBVS VNA SEQVENDI. Id eſt conjurati ſunt.

QVI CÆRITE DOMO. Ac ſi diceret, qui ſunt domo Carthagine. Cære autem ut ſupra diximus dicitur, ἀπὸ τοῦ χαίρειν, quod verbum ſalutandi gratia apud Græcos dici ſolet. Hanc Pelaſgi condiderunt, qui cum ſitim paſſi, nec uſquam aquam invenientes, caſu quodam fontem inveniſſent, in eodem loco oppidum condiderunt. Nec videatur contrarium quod ait, *Ducit Agylina nequicquam ex urbe ſecutos*: quaſi & Turno & Æneæ præſtet auxilium. nam illi Lauſum fugientem ſecuti ſunt: hi vero communi odio & conſilio totius civitatis in Mezentium arma commoverunt. MINIONIS. Fluvius eſt Minio Tuſciæ ultra centum cellas.

ET PYRGI VETERES. Hoc caſtellum nobiliſſimum fuit eo tempore, quo Tuſci piraticam exercuerunt. nam illic metropolis fuit, quod poſtea expugnatum à Dionyſio tyranno Siciliæ dicitur, de qua Lucilius, *Scorta Pyrgenſia*. INTEMPESTÆQVE GRAVISCÆ. Graviſcanum oppidum, alii intempeſtum dicunt ventis & tempeſtatibus carens: quod nulla poteſt ratione contingere. *Intempeſtas* ergo *Graviſcas* accipiamus peſtilentes & ſecundum Plinium in naturali hiſtoria, & Catonem in Originibus, ut *intempeſtas* intelligas ſine temperie, id eſt tranquillitate. nam ut ait Cato, *ideo Graviſcæ dictæ ſunt, quod gravem aërem ſuſtinent.*

LIGVRVM DVCTOR. Nam Liguria poſt Thuſciam eſt circa Gallos.

CYCNE. Cunare, quidam duci nomen datum tradunt à Cunaro monte, qui in Piceno. CVPAVO. Hic Cupavo ſicut declinatur Cato, vel Cicero.

NAMQVE FERVNT LVCTV CYCNVM PHAETONTIS AMATI. Phaëton Clymenes & Solis filius, qui cum doleret objectum ſibi ab Epapho rege Ægypti quod eſſet non de Sole, ſed de adulterio procreatus: duce matre venit ad Solem, & popoſcit, ut ſi vere eſſet ejus filius, petita præſtaret. Quod cum Sol juraſſet per Stygiam paludem ſe eſſe facturum, petit ille ut ejus currus agitaret. Sol poſt jusjurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus Phaëton, cum exiſſet orbitam Solis, & cœpiſſet mundus ardere, à Iove fulminatus, in Eridanum cecidit, qui Padus vocatur. Hujus interitum flentes ſorores Phaëtuſa & Lampetuſa in arbores mutatæ ſunt deorum miſeratione: ut hic dicit in populos: ut in Bucolicis, in alnos. Fuit etiam quidam Ligus, Cycnus nomine dulcedine cantus ab Apolline donatus; amator Phaetontis, qui cum eum defleret extinctum, longo luctu in avem ſui nominis verſus eſt: qui poſtea ab Apolline inter ſydera conlocatus eſt: hujus nunc filium Cupavonem dicit habere cycni pinnas in galea ad paternæ formæ inſigne monſtrandum.

CRIMEN AMOR VESTRVM. Phaëtontem à Cycno amatum aut pie, aut turpiter accipiamus neceſſe eſt. Si turpiter, talis eſt ſenſus, Crimen veſtrum eſt ò Cycne & Phaëton, quod ſic amaſtis. Alii VESTRVM, pro tuum accipiunt: & ad ſolum Cycnum referunt: ut *Vos ò Calliope precor*: Si pie amavit, ſecundum Aſprum CRIMEN erit cauſa, ut II. Æneid. *Et Crimine ab uno diſce omnes*, ut ſit ſenſus, ò Phaetontiades ſorores, & ò Cycne cauſa veſtrum, id eſt veſtræ mutationis, amor eſt: quia ſic Phaëthontem amaſtis ut periretis.

DONATI.

VERSICOLOR. Qui dum vertitur mutat colorem.

VARIORVM.

CVIVS OLORINÆ. Faculam interſerit Maro, ad tollendum faſtidium. Macrobius lib. 5. cap. 16. HARTVNG.

CRIMEN AMOR VESTRVM, &c Senſus eſt, O Cygne Cupavo, fili Cygni, cujus pater dictus eſt Cygnus: veſtrum crimen, id eſt, iſta pœna tranſmutationis, ob amorem contigit vobis. Nam pater tuus ob amorem Phaëtontis in cygnum tranſmutatus eſt: & inde cygneæ pennæ, quas tu geris in galea, paternam formam indicant: non quam ab initio habuit: ſed quam luctu amiciſſimi ſui Phaëtontis eſt adeptus DONATVS.

NAMQVE FERVNT LVCTV. Macrob. lib 5. cap 14. Saturn.

Digitized by Google

Populeas inter frondes umbramque ſororum,
Dum canit, & mæſtum muſa ſolatur amorem:
Canentem molli pluma duxiſſe ſenectam,
Linquentem terras, & ſydera voce ſequentem.
Filius æquales comitatus claſſe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Inſtar aquæ, ſaxumque undis immane minatur
Arduus, & longa ſulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis,
Qui muros matriſque dedit tibi Mantua nomen,
Mantua divès avis. ſed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni:

SERVII.

VMBRAMQVE SORORVM. Ambitioſe dictum, pro inter arbores de ſororibus factas. Et eſt una de his quæ habet Virgilius inimitabilia & ſua propria. Tale eſt illud, *Sinuatque alterna volumina crurum*. Et, *Cum primum ſulcos æquant ſata.*

MVSA. Carmine, cantilena.

CANENTEM SENECTAM. Quia *canentem ſenectam* pro albo colore neoterice dictum putant: canentem ſenectam mollibus tranſegit in plumis.

SYDERA VOCE SEQVENTEM. Cum cantu cœlum petentem: vel quod eſt re vera relatus in ſydera, ſicut videmus in ſphæra.

ÆQVALES COMITATVS CLASSE CATERVAS. Aut æqualiter habens per naves diſtributas catervas, aut ipſi duci pares virtute.

CENTAVRVM. Aut nomen navis, aut qui erat in navi pictus.

OCNVS. Iſte eſt Aucnus quem in Bucolicis Bianorem dicit. Vt, *Namque ſepulchrum Incipit apparere Bianoris*. hic Mantuam dicitur condidiſſe, quam à matris nomine appellavit. nam fuit filius Tyberis & Mantus Tyreſiæ Thebani vatis filiæ, quæ ad Italiam poſt parentis venit interitum: Alii Mantos filiam Herculis vatem fuiſſe dicunt. Hunc Ocnum, alii Auleſtis filium, alii fratrem qui Peruſiam condidit referunt, & ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Ceſenam quæ nunc Bona dicitur condidiſſe: permiſiſſe etiam exercitui ſuo ut caſtella munirent in quorum numero Mantua fuit. Alii à Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt: Mantuam autem ideo nominatam, quod Etruſca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui etiam cum cæteris urbibus & hanc conſecravit. Mantus verò Græce declinavit. nam ſi Latine vellet, Mantonis diceret, ut ait Plautus. Ionis.

DIVES AVIS. Majoribus præpotens. Et bene *dives avis* quia non ab Ocno, ſed ab aliis quoque condita ſit: primum namque à Thebanis, deinde à Tuſcis, noviſſime à Gallis, vel, ut alii dicunt, à Sarſinatibus qui Peruſiæ conſiderant. SED NON GENVS OMNIBVS VNVM. Quia origo Mantuanorum & à Tuſcis venit, qui in Mantua regnabant, & à Venetis: nam in Venetia poſita eſt, quæ & Gallia Ciſalpina dicitur.

GENS ILLI TRIPLEX, POPVLI SVB GENTE QVATERNI. Quia Mantua tres habuit populi tribus, quæ & in quaternas curias dividebantur, & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant, quos in tota Tuſcia duodecim fuiſſe manifeſtum eſt: ex quibus unus omnibus imperat. hi autem totius Tuſciæ diviſas habebant quaſi præfecturas, ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat. Vnde eſt, *Ipſa caput populis*. Ergo Virgilius miſcet novam & veterem Etruriam, ut utriuſque principatum patriæ ſuæ adſignet, cum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat, quod Æneas nulla à Tranſpadanis auxilia poſtulaverit, cum omnis exercitus adverſum Mezentium uno loco conſiderit, & propterea putetur Poëta in favorem patriæ ſuæ hoc locutus, ut de hac ſola trans Padum pro Ænea adverſum Mezentium auxilia faciat veniſſe, & quod nec populorum nomina, nec Lucumonum retulerit.

DONATI.

OCNVS. Filius fuit Mantûs, qui muros dedit urbi, & de matris nomine illam vocavit:

VARIORVM.

POPVLEAS INTER FRONDES. Sunt qui putent à Marone Heliadas nunc in alnos, nunc in populos verſas cani, quod Græcis αἴγειρος & populum & alnum ſignificet. GERMAN.

FILIVS ÆQVALES COM. Filius Cygni, ducebat catervas æquales, aut ætate ſcilicet, aut armorum cultu. DONAT.

OCNVS AB ORIS. Cur Mantuæ conditor, è Suida, Turn. lib. 29. cap. 24.

MANTVA DIVES AVIS. Explicat. Turneb. lib. 2. cap. 21.

POPVLI SVB GENTE QVATERNI. Sic & gens Attica in decem populos diſcreta erat, qui diviſi, ut Romanis tribules, δημόται dicebantur: Romani enim in tribus diſtributi erant. GERMAN.

Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca,
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis Auletes, centenaque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in Pristin desinit alvus:
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, & campos salis ære secabant.
Iamque dies cælo concesserat, almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum.
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)

SERVII.

TVSCO DE SANGVINE VIRES. Quia robur totum à Lucumonibus habuit.

IN SE ARMAT. Id est, Odio sui in arma compellit.

PATRE BENACO VELATVS ARVNDINE GLAVCA MINCIVS. Venacus lacus est Venetiæ, de quo fluvius nascitur Mincius. Iure ergo dux Venetus fluvium provinciæ suæ depinxit in navi: quem Venaci filium, quia ex ipso habere orginem dicit.

GRAVIS. Fortis: ut, *Ferit ense gravem Tymbreus Osyrim.* Vel *gravis* aut animo, aut ætate, aut gravis propter navem, nam sequitur, *Centenaque arbore fluctum Verberat assurgens* CENTENAQVE ARBORE. Non ait remis, sed arboribus, ad exprimendam navis magnitudinem, quæ plures habuit remorum ordines. Vnde ait Lucanus, *Et summus longe petit æquora remus.*

MARMORE. Mari. TRITON. Pictus in navis prora sedens, & sic ait quasi de vero Tritone, ut *Galea alta Chimæram Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.* CÆRVLA. Cærula freta, non concha cærula, ne non stet versus, si cærula fuerit septimus casus.

LATERVM TENVS. Vt *Crurum tenus*, ἄχρι τῶν λαγόνων. HISPIDA. Horrida, setosa.

FRONS HOMINEM PRÆFERT. Modo *frontem*, primam hominis partem intelligimus. nam hoc dicit, A capite usque ad ima latera, hominis monstrabatur effigies.

SPVMEA SEMIFERO. Incertum utrum pictus, an ex ære factus.

TOT LECTI PROCERES. Quare Tarchonem præteriit? An quia illi omnes sub imperio ejus fuerunt? TER DENIS. Triginta naves accipiamus fuisse, non ut quidam volunt, singulos duces tricenas naves habuisse. nam enumeratorum militum non convenit numerus, præsertim cum sequatur SVBSIDIO TROIÆ: id est parvo auxilio. Nam apud majores bella non ambitu, sed virtute constabant. TROIÆ. Aut castra Aneæ dixit: aut *Trojæ*, pro Trojanis.

IAMQVE DIES COELO CONCESSERAT. Non dicit diem intervenisse: nam supra ait, *media Æneas freta nocte secabat*, Et *cælo concesserat*, pro cœlo, & deest nocti.

NOCTIVAGO. Nomen mire compositum. PHOEBE. Luna: sicut Sol Phœbus. Item & Titan Sol, & Titanis Luna. Describit autem noctem mediam, & dicit finitum diem secundum Romanum ritum. Quia media nocte diem numerant, & noctem similiter à medio die, nec Luna sine nocte poterant. Nec Lunæ fit sine caussa commemoratio. Nam aliter videri Nymphæ non poterant.

DONATI.

ARMAT IN SE. Armat, quia causam præbuit, quod illi in se armarent.

IAM DIES. Laus Æneæ, quod die nocteque continuata navigatio illum non defatigaret. Sedebat ergo & vigilabat, & cum plura cogitaret, tamen temone navem regebat & velis.

VARIORVM.

IMMANIS TRITON. Cur Triton Buccinator. Turn. lib. 2. cap. 21.

IN PRISTIN DESINIT ALVVS. De hac voce Iunius, lib. 2. Animad. 13.

CVRRV NOCTIVAGO. Lunæ autem currui vehendo dabant Poëtæ nunc cervos, nunc equos, Cervos scilicet, aut quod eadem Diana dicatur nemorum præses; aut eo ænigmate velocitatem ejus indicante, quod planetarum celerrime proprio motu citetur GERMAN.

NOCTIVAGO PHOEBE. Hoc epitheton ex Egnatio habuit. Macrob. lib. 6. cap. 5. Saturn.

NEQVE ENIM MEMBRIS DAT CVRA. Cante rus lib. 1. Novar. cap. 18.

Digitized by Google

Ipse sedens, clavumque regit, velisque ministrat.
Atqui illi medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris, Nymphasque è navibus esse
Jusserat: innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens, dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne deûm gens
Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ classis tua: perfidus ut nos

SERVII.

CLAVUMQUE REGIT. Pro clavo navem regit, & dat Æneæ sicut in quinto libro, gubernandi dedit peritiam. VELISQUE MINISTRAT. Velis quidam dativum volunt, non ablativum, ut si dicamus aliquem ministrare convivis.

MEDIO IN SPATIO. Inter navigandum. CHORUS COMITUM NYMPHÆ. De navibus factæ, & mire *comitum*, quia cum eo venerant.

ALMA CYBELE. A Cybelo Phryge qui primus ei sacrum instituit: Mater deûm dicta Cybele, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, id est capitis rotatione: quod semper Galli motu capitis per furorem, comam rotantes, ululatu futura pronuntiabant. Lucanus, *Crinemque rotantes Sanguinei populis ulularunt tristia Galli*. Cybele autem Bacchius est. nam Cybele Anapæstus est: ut, *Hic mater cultrix Cybele*.

INNABANT PARITER. Quia de navibus versæ.

QUOT PRIUS. Id est quantæ, ad numerum retulit. Ergo subtrahit *tot*.

LUSTRANTQUE. Circundant & circumeunt.

DOCTISSIMA CYMODOCEA. Poëtice: sicut & mutatio ipsa confingitur. Ergo doctissima quæ divinitus hanc doctrinam fuerit consecuta. Nam stultissimum est quod quidam ait, Ilionei navem fuisse, & ideo eam esse doctissimam fandi.

PONE SEQUENS. Hoc quidam ideo dictum tradunt, quod adversæ videri nolunt: unde Eclog. VIII. est, *Transque caput jace, ne respexeris*. DORSO EMINET. Peritia natandi ostenditur.

TACITIS. Aut ipse tacitus, aut pro tacite & leniter. SUBREMIGAT. Subnatat.

IGNARUM ADLOQUITUR. Aut præsentiæ suæ ignarum, aut quod è navibus Nymphæ factæ sunt. VIGILASNE DEUM GENS. Verba sunt sacrorum. Nam virgines Vestæ certa die ibant ad regem sacrorum, & dicebant, *Vigilasne rex? vigila*. Quod Virgilius jure dat Æneæ, quasi & regi, & quem ubique Pontificem & sacrorum inducit peritum. Et bene primo interrogat, deinde quod vigilat approbat. DEUM autem GENS. Propter, *Diis genite, & geniture deos*.

VELIS IMMITTE RUDENTES. Hoc est rudentibus vela immitte, id est laxa, ut est illud Geor. III. *Notas odor attulit auras*: Immitti autem dicuntur rudentes, cum vela laxantur.

SACRO DE VERTICE. Argute *sacro*, ne miretur Æneas deas factas. PINUS. hoc loco, secundum quartam declinationem dixit: in Bucolicis juxta secundam, ut, *Menalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet*. Et loquitur per diffinitiones. NOS SUMUS. Sane declamatorie hos versus explicuit.

PERFIDUS. Qui post fœdus bella commovit. hinc Latinus, *Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas*. Alii è communi sermone *perfidum* Rutulum dici, quia ipsa Trojana est. UT NOS. Ut, pro quoniam, Plautus in Pseudolo, *Ut lassus veni de via, me volo curare*. Et in Mostellaria, *Eundem animum mihi oportet esse gratum, ut impetravi*: pro quoniam.

DONATI.

AGNOSCUNT. Nam propter nocturnas tenebras, alii non facile cognoscerent.

VIGILAS? Recte dubitat: nam tempus somnum, curæ vigilias suadebant.

VARIORUM.

VELISQUE MINISTRAT. Utitur & lib. 6. & Tacitus de moribus German. Turnebus lib. 29. cap. 24.

QUOT PRIUS ÆRATÆ STETERANT. Explic. Turneb. lib. 12. cap. 12. Franc. Florid. lib. 1. Subsec. cap. 3.

CYMODOCEA. Græca forma est, pro Cymdoce. HARTUNG.

ÆNEAS? VIGILA. Credo alludere Poëtam ad symbolum & vocem illam quam exituri in bellum duces usurpabant, *Mars vigila*, ejus custodiam implorantes. GERMAN.

Præ-

Digitized by Google

Præcipites ferro Rutulus, flammaque premebat,
Rumpimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus: hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro, fossisque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.
Iam loca jussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age & aurora socios veniente vocari
Primus in arma jube: & clypeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingenteis Rutulæ spectabit cædis acervos.
Dixerat, & dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas
Ocyor & jaculo, & ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. stupet inscius ipse
Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit.

SERVII.

PRÆCIPITES. Nomen pro adverbio, præcipitanter.

RVMPIMVS. Propter illud, *Continuo puppes abrumpunt vincula ripis.* INVITÆ. Ac si diceret, malueramus tibi potius servire, quam in Nympharum numina commutari. TEQVE PER ÆQVOR QVÆRIMVS. Id est hæc nobis vagandi causa est, ut te invenire possimus.

REFECIT. Aut vacat RE: aut quia ante navium amiserant formam, ergo alteram fecit.

ET DEDIT ESSE DEAS. Græca figura: ut, *Donat habere viro.* ÆVVM. Immortalem. AGITARE. Διάγειν, hoc est agere.

IAM LOCA IVSSA TENET. Vt & supra diximus, hoc κατὰ τὸ σιωπώμενον accipiendum est. nam intelligimus equites eum misisse per terram.

NE CASTRIS IVNGANT. Aut SE subaudis: aut *jungant* pro jungantur.

SOCIOS VENIENTE VOCARI. Antiquo verbo militiæ usus est, viros enim vocari significat eos qui necessitate in bellum, non voluntate conveniunt.

CRASTINA LVX. Deest veniat, hoc est crastina lux veniat tantum, & CRASTINA LVX, si ad Æneam referas, spectabis, & non irrita dicta putaris, & *crastina lux*, subaudiendum, cum venerit: si autem ad lucem, spectabit legas: *Crastina lux*, suspendendum quidam..*

SPECTABIT CÆDIS ACERVOS. Hæc est vera lectio: & ordo est, Si mea dicta irrita non putaris, crastina lux ingenteis acervos cædis videbit. nam male quidam SPECTABIS legunt, & ad lucem referunt: quod non procedit. nullus enim sic loquitur, ô Ænea, si quæ dico minime credis, ô lux crastina ingenteis cædis acervos videbis. Alii more antiquo *lux* pro luce accipiunt. Lucilius in tertio, *Hinc media remis Palinurum pervenio nox.* Pro nocte. Longus ait, *Deest venerit.* Vnde & ipse *spectabis* legit.

DEXTRA DISCEDENS IMPVLIT. Mire discedens, adjuvatur enim pulsus recedente eo qui impulerit.

FVGIT. Pro velociter posuit. HAVD IGNARA MODI. Impulit navem libramento peritiæ & moderationis, quippe quæ navis fuerat.

OCYOR ET IACVLO. Breviter tribus comparavit, quoniam & sagittam ventis æquavit.

INDE ALIÆ CELERANT CVRSVS. Hoc est, inde aliæ Nymphæ aliarum navium cursus efficiunt celeriores, sicut fecerat Cymodocea, An aliæ naves? INSCIVS. Id est rerum quas audierat. Nam credere ex aperto non poterat.

OMINE. Augurio promissæ victoriæ.

DONATI.

SVRGE. Sedentem excitat non dormientem. AVRORA. Antequam plene veniat lux.

SPECTABIS ACERVOS. Prædixit futura ut dea appareret.

TOLLIT ASPECTANS. Audierat à nympha etiam adversa. ergo non lætabatur, sed quia plura nunciebantur, prospera attollebant animos.

Tum

Tum breviter supera aspectans convexa precatur:
Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede diva secundo.
Tantum effatus: & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur:
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet, & sua castra,
Stans celsa in puppi. clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem. clamorem ad sydera tollunt
Dardanidæ è muris. SPES *addita suscitat iras.*
Tela manu jaciunt: quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi, ducibusque ea mira videri
Ausoniis, donec versas ad littora puppes

SERVII.

CONVEXA. Hic *convexa* epitheton est. quia ait, *Supera convexa*: alibi solum *convexa* principale est.

ALMA PARENS IDÆA DEVM. Alma proprie tellus est, ab eo quod nos alat: abusive etiam aliis numinibus hoc epitheton datur. Terram autem ipsam constat esse matrem deum. Vnde & simulacrum ejus cum clavi pingitur. Nam terra aperitur verno: hyemali clauditur tempore. DINDYMA. Mons Phrygiæ.

TVRRIGERÆQVE VRBES. Civitates turritæ, quas terra gerit. Vnde cum turrita corona Mater deûm pingitur. AD FRENA LEONES. Ideo hoc fingitur, quod omnis feritas maternæ subjacet affectioni. Figurate autem leones ad frena bijugi, id est frenati leones.

PROPINQVES. Facilius efficias, prosperes, matures, propitium facias: ut, *Et propius rex aspice nostras.*

PHRYGIBVSQVE ADSIS. At si diceret cultoribus tuis.

TANTVM EFFATVS. Breviter ut supra dixit, propter lucem jam maturam, id est plenam. Nam nec crepusculum, sed lux jam matura describitur.

REVOLVTA. Id est, Aperta: sicut è contrario quod involvitur clausum est. RVEBAT autem, non occidebat, sed oriebatur, cum impetu veniebat quia per orbem: ut, *Et ruit Oceano nox:* Est autem, hysteroproteron in sensu. ante enim est ut nox fugetur: & sic lux adveniet.

MATVRA. Multa, quasi tempestiva, & quam jam esse oportebat, aut satis plena & clara.

SOCIIS EDICIT. Secundum edicta Nymphæ.

SIGNA SEQVANTVR. Nunquid litterarum figuram faciunt pervolutam? *Signa sequantur*: vel tubarum, vel tesseræ, vel re vera signa militaria.

QVALES SVB NVBIBVS ATRIS. Id est altis modo.

STRYMONIÆ GRVES. A fluvio Thraciæ Strymone, juxta quem habitant. Hæc autem comparatio non ad telorum pertinet jactum, sed ad Trojanorum clamorem.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς·
ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

FVGIVNTQVE NOTOS. Aut quosvis ventos frigidos. nam etiam & grues significant tempestatem futuram: ut ostendit ipse Virgilius dicens, *Aut illum surgentem vallibus imis Aeriæ fugêre grues.* Aut re vera *notos*: horum enim calorem fugiunt, cum revertuntur ad Macedoniam ex Ægypto. SECVNDO. Num læto? Trojanorum clamor ex gaudio.

DONATI.

ALMA PARENS IDÆA. Ex iis tribus nominibus captavit benevolentiam.

EDICIT. Est edicere, cum authoritate aliquid curandum jubere.

DARDANIDÆ E MVRIS. Ostendit quid possit spes: nam qui metu fugiebant, nunc spe in hostes insurgunt.

AT RVTVLO. Hi enim in plano constituti, videre Æneam non poterant.

VARIORVM.

BIIVGIQVE AD FRENA LEONES. Expl. Turn. lib. 22. cap. 5. & lib. 3. c. 23. & lib. 29 c. 24.

STRYMONIÆ DANT SIGNA GRVES. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 10. Saturn.

Digitized by Google

Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus ac liquida siquando nocte cometæ

SERVII.

ALLABI CLASSIBVS ÆQVOR. Labi cum classibus, aut æquore classem labi. quidam ita exponunt, & hoc ad phantasiam Rutulorum referunt, quoniam admirantibus his unde tanta fiducia animo Trojanorum incessisset, repentina facies multarum adpropinquantium perinde visa est, atque si ipsum æquor cum classibus allaberetur.

ARDET APEX CAPITI. Ex sequentibus intelligimus Aeneæ armorum fieri descriptionem. nam dicturus est, *At non audaci Turno fiducia cessit*: licet talia arma conspiceret. Si tamen primam respicias connexionem, quasi de Turno videtur dicere: quod non procedit. *Apicem* tamen modo coni altitudinem dicit. Est autem Homeri & locus & comparatio.

Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο
ὅς ῥα τ' ὀπώρης εἶσιν. ἀρίζηλοι δ' οἱ αὐγαὶ
φαίνονται. πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι
λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Hoc autem iste violentius posuit: quod ille tantum stellæ facit comparationem: hic etiam stellæ pestiferæ, respiciens quasi clades Rutulis illaturus Æneas. Possumus tamen APEX CAPITI accipere utrumque eum fuisse complexum, cum dicit, *Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma Funditur*, Et sacerdotis per apicem & viri fortis facere mentionem: dicitur autem *apex* virga, quæ in summo pileûm Flaminum lana circumdata & filo conligata erat, unde etiam flamines vocabantur. Hoc autem nomen à veteribus tractum est, *Apere* enim veteres ritus Flaminum adligare dicebant, unde *apicem* dictum volunt.

COMETÆ SANGVINEI LVGVBRE RVBENT. Pro lugubriter. *Cometas* autem Latina lingua Crinitas appellamus. Has autem stellas Stoici ultra triginta duas esse dicunt: quarum nomina & effectus Abienus commemorat, qui Virgilii fabulas jam bis scripsit. Plinius etiam secundus dicit, *Cometas* stellas esse naturales, quæ apparent certis temporibus. Ita hoc quoque commemorat *cometas* fieri de planetis quinque: unde interdum bona, interdum pessima significant. nam si de Venere aut Iove fiant, meliora significant; si de Marte aut Saturno, deteriora. Nam Mercurius semper talis est, qualis ille cui cohæret. Vnde & minister deorum fingitur: hinc est ergo quod ait modo, *Cometæ sanguinei*, id est noxii. Hanc stellam Electram dicunt, cum qua Iuppiter concubuit, quæ cum Trojam ardentem videret, capillum lacerabat. atque ita in astra est recepta. Sane Abienus cometarum has differentias dicit, stella quæ obliquam facem post se trahens quasi crinem facit Ippius vocatur: ista si ab occasu Solis in ortum veniat, mala Persidi & Syriæ ostendit; si ad meridiem attend rit, Africam & Ægyptum à malis revelat, solis pecoribus pestem denuntians: Si Septentrionem respexerit, Ægyptum bellis & miseriis premit. Si occidentem attenderit, gravat Italiam, & quidquid ab Italia usque ad Hispanias tendit: Si à meridie in septentrionem ierit, à bellis quidem externis securitatem denuntiat, sed seditiones domesticas significat. Alter *Cometes* est, cui ex gladio nomen est, nam Græce ξίφος appellatur, cujus tractus est longior, & pallidus color, neque comas habere dicitur, & hebetior ejus flamma est, qui si orientem adtenderit, Regem Persidis dolis significat appetendum. denuntiavit & bella, etiam Syrios pari conditione involvit, & Libyam atque Ægyptum fraude & insidiis nuntiet posse * laborem: Quod si occidentem attenderit, fœdera nova regionis ejus regi significat, quæ dicit per puellam congregatam in nuptias posse dissolvi. Alter Cometes est, qui Lampas appellatur, & quasi fax lucet, hic cum orientem attenderit, omnes illas orientis partes dicit nebulis posse laborare, frugesque eorum caliginoso aëre corrumpi: Si meridiem attenderit, Africam dicit siccitate, & serpentibus posse laborare: Si occidentem spectaverit, Italiam dicit adsiduis fluminum inundationibus laborare: Si septentrionem viderit, famen gentibus Septentrionalibus significat. Est etiam alter Cometes, qui vere *Cometes* appellatur. Nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus esse dicitur, qui si orientem attenderit, lætas res ipsi parti significat: Si meridiem, Africæ aut Ægypto gaudia, si occidentem inspexerit, terra Italiæ voti sui compos erit. hic dicitur apparuisse eo tempore quo est Augustus sortitus imperium; tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nuntiata: Si septentrionem attenderit, prospera universa significat. Est alter *Cometes* in tympani modum, quia & valde lucet, & Electri colorem habet, quem Disceum vocant, quoniam iste ex uno locon * sol & gignit orbi terrarum cædes, rapinas, bella, & cætera mala significat. Sextum *Cometem* appellari ex Regis Typhonis nomine Typhonem dicunt, qui semel in Ægypto sit visus, qui non igneo, sed sanguineo rubore fuisse narratur, globus ei modicus dicitur & tumens, crinem ejus tenui lumine apparere fertur, qui in Septentrionis parte aliquando fuisse dicitur: Hunc Æthiopes dicuntur & Persæ vidisse, & omni * malorum & fames necessitatis pertulisse, quarum plena vel in pleniores differentias, vel in Campestro, vel peto siri, siquem * delectaverit quærat.

DONATI.

TOTVMQVE ADLABI. Moraliter quidem: nam repentino turbatis motu omnia majora videntur.

VARIORVM.

TOTVMQ. ALLABI CLASSIBVS ÆQVOR. Phrasin explic. Turneb. lib. 29. cap. 24.

ARDET APEX CAPITI. Macrob lib. 5. c. 10. Saturn. PRO CRISTIS. emendat Faërnus *Tristes*.

San-

Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Littora præripere, & venienteis pellere terra.
Vltro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Quod votis optaſtis, adeſt perfringere dextra:
In manibus Mars ipſe, viri. nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudes. ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima.
AVDENTES *fortuna juvat.*
Hæc ait: & ſecum verſat, quos ducere contra,
Vel quibus obſeſſos poſſit concredere muros.
Interea Æneas ſocios de puppibus altis
Pontibus exponit. multi ſervare recurſus

SERVII.

SIRIVS ARDOR. Sirius ſtella eſt in ore canis: quæ ut in tertio diximus, quantum in ipſa eſt peſtifera eſt: & pro qualitate adiacentium aut vincitur, aut majoribus utitur viribus. hinc eſt quod cum certo tempore oriatur ſemper, non ſemper eſt noxia. Sed ſecundum Phyſiologicos, id circa caloris ſidus putatur quod Ida malignam vim habet, nam quod natura inimicum morem habeat propterea fieri ut ægro aquam hauriat ad reſtinguendam ſitim, nam id eo eos qui rabidi canis morſu continguntur aquam refugere, & ni cito ſubveniatur perire ſiti, quia niſus ejus animalis quod contrarium ori ſit, ſimiliter in corpore humano ſæviat.

LÆVO. Noxio hic, ut *Si mens non læva fuiſſet:* alibi pro bono, ut IIII. Geor. *Si quem numina læva ſinunt.* An potius *Lævo*, noxio: quia canis circa Auſtrum eſt, & Aſtrologi votitia quæ ſunt in cœlo ſiniſtra vocant? Quod autem ait, CONSTRISTAT LVM. CÆ. Cum de ſtella loqueretur quam armis ſplendentibus comparavit, bene hoc Statius ad ipſa arma tranſtulit dicens, *Armaque in auro Triſtia.*

LITTORA PRÆR. Pro præripiendi & depellendi.

QVOD VOTIS OPT. ADEST. Magna ars perſuadentis eſt, ut quod cupit fieri, in præjudicium trahat. Sic hoc loco: quia vult Turnus ut optent pugnam ejus ſocii, dicit eos hanc ſemper optaſſe. PERFRINGERE DEXTRA. Fortiter facere, & bene verbo uſus eſt militari.

IN MANIBVS. Non jam in votis, ſed in manibus eſt res. ESTO. Pro SIT: tertia namque perſona eſt.

REFERTO FACTA PAT. Alii hic diſtinguunt, ut ſit *Referto*, id eſt referto facta patrum & laudes. Traxit autem hoc de Salluſt. qui dicit, Hiſpanorum fuiſſe morem, ut in bella euntibus facta adoleſcentibus parentum memorarentur à matribus. Alii diſtinguunt, *nunc magna referto facta*, ut duas res dixerit, Nunc unuſquiſque & ſuorum factorum meminerit, & laudis parentum.

EGRESSIQVE. Si *egreſſis*, figurate dictum eſt.

VERSAT QVOS DVC. CONT. Cogitat quidem, ſed non facit: ne diviſo exercitu utrobique vincantur. quod ſequentia indicant. Nam paulo poſt dicturus eſt, *Et rapit acer Totam aciem in Teucros.* AVDENTES FORTV. Terent. *Fortes fortuna adjuvat*, poteſt hæc ſententia & ſuperioribus adplicari, & per ſe ſeparatim intelligi. CONCREDERE vacat CON.

PVPPIBVS ALTIS. Non potentibus. PONTIBVS. Tranſtris navium. SERVARE. Pro ſervaverunt: Et CREDERE. Pro crediderunt.

DONATI.

VERSAT QVOS DVCERE. In tanta deſperatione; nec conſilium, nec vim animi amiſit.

VARIORVM.

SIRIVS ARDOR. Homer. Iliad. Λ. HART.

ILLE SITIM MORBOSQVE FERENS. Turneb. lib. 18. cap. 32. Explic. morbum ſolſtitialem, lib. 24. cap. 38.

LÆVO CONTRISTAT LVMINE. Vt oſtenderet lumen non ſemper eſſe optimum, ſed aliquando exoriri contrarium. Nam cometes & Sirius tanto ſunt pernicioſiores, quanto fuerint luce majore conſpicui. *Levum* ergo *lumen*, eſt infauſtum & portentoſum, quo cæli aſpectus fit triſtis. DONAT.

NVNC CONIVGIS ESTO. Opportuna, & ſolennis incitatio. HARTVNG.

AVDENTES FORTVNA IVVAT. Ex Ennio. Macrob. lib. 6. cap. 1. Sat. H. Stephan. Schediaſmat. lib. 4. cap. 29.

by Googl

Languentis pelagi, & brevibus se credere saltu:
Per remos alii. speculatus littora Tarchon,
Quà vada non sperant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc ô lecta manus validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates: inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppes statione recuso,
Arrepta tellure semel. quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis:
Donec rostra tenent siccum, & sedêre carinæ
Omnes innocuæ: sed non puppis tua Tarchon,
Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps, sustentata diu, fluctusque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum, quos & fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedes simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in littore sistit.

SERVII.

LANGVENTIS. Tranquilli. BREVIBVS. Vadis.

PER REMOS. Id est scaphis, & deest descendunt.

NON SPERANT. Legitur & SPERAT, quod melius est. Nam dum vada esse non sperat, incidit in ea, quia fracta non remurmurat unda, *Sed mare inoffensum crescenti adlabitur æstu.*

PRECATVR. Modo cum precibus hortatur.

TOLLITE, FERTE. Ad celeritatem dictum est. FINDITE RO. Militari felle dictum: ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum.

STATIONE. Portu temporali. nam portus est ubi hyematur. sed modo *stationem* siccum littus significat. nam hoc dicit, Potiar terra, & navem frangere non recuso.

INNOCVÆ. Innocuus primo est, cui non nocetur. Innoxius, qui nocere nescit. sed hoc plerunque confundunt Poëtæ. *Innocuum* quibus non sit nocitum, alibi littus innocuum quod noceat. SED NON PVPPIS TVA. [illegible], & [illegible].

DORSO INIQVO. Dorsum est durior arena, quæ remeantibus fluctibus plerunque densetur, & in modum saxi durescit: hoc à nautis pulvinus vocatur. A Græcis θὶς. Homer. ἐπὶ θῖνα θαλάσσης. Probus vadis dorso, pro vado dictum putat, ut in Geor. *Dorso nemoris.* INIQVO. Sibi nocenti.

SVSTENTATA. Non ab alio, ut *Fratremque ruentem Sustentat dextra*, sed quasi [illegible], vel *sustentata* cum sustentaretur. Melius *sustentata* pro suspensa accipit, nam ideo & anceps est cum huc atque illuc mutaret. FLVCTVSQVE FATIGAT. Subaudis EAM. Nam fluctus singularis est nominativus.

EXPONIT IN VNDIS. Ideo in undis, non in undas: quia non est loci mutatio, sed in uno eodemque loco res agitur.

FRAGMINA. Antique dictum, nam fragmenta dici debere nonnulli adserunt.

VARIORVM.

TOLLITE, FERTE RATES. Ad celeritatem dictum est: & illud, *terram inimicam findite rostris*, militari felle: ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum. *Statio* autem est portus temporalis: nam portus est, ubi hyematur. Sed modo *statio*, siccum littus significat. Hoc enim dicit, potiar terra, & navem frangere non recuso. DONAT.

SOCII CONSVRGERE TONSIS. Quid *tonsæ*, dictum lib. 7. vers. 28.

NEC TVRNVM SEGNIS. Transitio ad Turnum & Rutulorum studia, ad excipiendos Trojanos. HORTENS.

Signa

Signa canunt: primus turmas invasit agresteis
Æneas, omen pugnæ, stravitque Latinos,
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Æneam petit: huic gladio, perque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exectum jam matre perempta,
Et tibi Phœbe sacrum: casus evadere ferri
Cui licuit parvo. nec longe Cyssea durum,
Immanemque Gyam, sternentes agmina clava,
Dejecit letho: nihil illos Herculis arma,
Nil validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, usque graveis dum terra labores
Præbuit. ecce Pharon, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum, clamantis sistit in ore.

SERVII.

OMEN PVGNÆ. Sallustius, *Pugnam illam pro omnibus bello futuram*. Ergo ideo *omen*, quia sicut nunc, sic ubique vincit Æneas. INVASIT AGRESTES. Quia supra ait, *Et latos vastant cultoribus agros.*

THERONE. Hoc nomen tantum in Pindaro lectum est. Et bene in honorem victoris victum laudat.

TVNICAM SQVALLENTEM. Splendentem loricam. *Squalentem auro*, Splendentem auro, & significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intertexti: *Squalere* enim dictum à squamarum crebritate atque asperitate, quæ in serpentum pisciumve coriis visuntur. Alibi, *Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat.* Alibi, *Iamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis Horrebat squamis:* quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat *squalere* dicebatur. HAVRIT. Modo ferit significat: non nudum latus, sed quod aperuerat: & putatur ὑστερόπρωτον. Quidam Italicam elocutionem putant, cum enim à latere quis aliquem adortus gladio occidit, *hausit illum* dicunt.

ET TIBI PHOEBE SACRVM. Omnes qui secto matris ventre procreantur, ideo Apollini consecreati sunt, quia Deus medicinæ est, per quam lucem sortiuntur. Vnde Æsculapius ejus fictus est filius: ita enim eum esse procreatum supra diximus. Cæsarum etiam familia ideo Apollinis sacra retinebat, quia qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre natus est. Vnde etiam Cæsar dictus est: licet varia de hujus nominis etymologia dicantur, ut diximus supra.

QVOD LICVIT PARVO. Legitur & CVI licuit. Et respexit ad illud quod ferrum nunc Iuvenis vitare non potuit, quod parvus evasit. NEC LONGE. Pro nec multo post, adverbium loci pro temporis, antique.

IVVERE MANVS. Id est suæ. VSQVE. Tandiu, donec. DVM TERRA. Donec in terra.

LABORES PRÆBVIT. Nove dixit cum bona præberi dicantur. an ideo præbuit quod hæc Herculi profuerunt, ut ad immortalitatem per ista perveniret. ECCE PHARON. Legitur & Pharo ut sit dativus ab eo quod est Pharus. Si autem PHARON legeris, figuratum est. nam de nominativo transit ad dativum, dicens *Clamantis in ore.* INERTES. Aut quod alii inertiam objecerint, aut quia ubi pugnari oportet, loqui inertis est.

VARIORVM.

PRIMVS TVRMAS INVASIT. *Primum* accipere possumus, non tantum primo incipientem, verum etiam sine aliorum societate: magnæ enim laudis instar est, ipse unus in exitium plurimorum. DONATVS.

OCCISO THERONE. Enumeratio eorum, qui manibus Æneæ in primo conflictu concidêre.

VIRVM MAXIMVS. Allusit ad Theronem Hispaniæ citerioris regem, qui cum furore actus Gades expugnatum Herculis templum proficisceretur, navi fulmine consumpta, cum omnibus copiis suis à Gaditanis navali prælio victus. Quare eum & virorum maximum vocat, & tunicam auro squallentem tribuit. HORTENS.

PERQVE ÆREA SCVTA. *Ærea suta*, non *scuta* legi vult Vrsin: loricam enim hamatam intelligit, atque Statii testimonio hanc lectionem confirmari. Versus Statii sunt hi, lib. 4. Thebaid *latus omne sub armis Ferrea suta tegunt.* Lib. 3. *magnorumque ærea suta Thracum.* Quibus verbis etiam ostendit, eam trilicem fuisse. PONT.

PER TVNICAM SQVALLENTEM AVRO. Inter verba quæ nonnulli Grammatici in Virgilio quasi abjecte & incuriose posita reprehenderunt, hoc etiam est, tanquam non convenerit dicere, *auro squallentem*: quoniam nitoribus, splendoribusque auri, squalloris illuvies sit contraria. Respondet Gell. lib. 7. cap. 6. & cum eo Macrob. lib. 6. cap. 7. verbum *squalentem*, significare copiam, densitatemque auri, in squammarum speciem intexti. PONT.

Tu quoque flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infœlix nova gaudia Cydon:
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande jaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies. septem numero, septenaque tela
Conjiciunt: partim galea clypeoque resultant
Irrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. fidem Æneas affatur Achatem:
Suggere tela mihi (non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. tum magnam corripit hastam,
Et jacit: illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem

SERVII.

FLAVENTEM MALAS. Flaventes malas habentem, & est ordo, Tu quoque Cydon miserande jaceres dum sequeris Clitium flaventem prima lanugine malas, id est dum adolescentem sectaris, cujus amore flagrabas, *Qui juvenum tibi semper erant.*

INFOELIX NOVA GAVDIA CYDON. De Cretensibus accipimus quod in amores puerorum intemperantes fuerunt: quod postea in Laconas, & in totam Græciam translatum est, adeo ut Cicero dicat in libris de republica, *Opprobrio fuisse adolescentibus, si amatores non haberent.* Propter quod poëta Cydonem inducit amatorem. Novimus autem Cydonas Cretenses dici. Sane *Cydon* quando nomen est proprium, CY naturaliter poducit: si appellativum, corripit CY. ut, *Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit.* Tamen Statius etiam in proprio corripuit, ut, *Hæc regi promissa Cydon hac lampe dabamus.* Quod fecit abutens licentia, qua utimur in nominibus propriis. NOVA GAVDIA. Ergo quem tum primum amare cœperat.

STRATVS. Deest pene. SECVRVS AMORVM. Hoc loco, * aliter *Securus amorum Germanæ*, id est contemnens, non curans. MISERANDE. Pro miserandus. Nam pro nominativo vocativum posuit: ut contra, *Socer arma Latinus habeto.* licet illic possit accipi, Socer arma Latinus habeat. nam habeto & secundæ & tertiæ personæ est. tamen etiam & alibi nominativum pro vocativo legimus. ut, *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.*

STIPATA COHORS. Id est unanimiter veniens.

SEPTEM NVMERO. Hoc est pro septem & deest QVIA, veteres enim ita enunciabant: Lucilius in IIII. *Hi præ se portant mihi ingentes munere pisces Triginta numero* * An potius proprie? Credibile est enim ut sæpius jecerint. SEPTENAQ. TELA. Pro septem more suo, ut *bina* pro duobus *Frenaque bina.*

DEFLEXIT PARTIM STRINGENTIA CORPVS ALMA VENVS. Quidam ἐμφατικώτερον putant, id est jam stringentia: alii participium, præsens pro futuro accipiunt, id est, quæ nisi essent deflexa stringere habuerant. Male ait Donatus hoc loco ante dictorum oblitum esse Virgilium, quod post Iovis prohibitionem bellis facit numina interesse, non respiciens Iovem magis hortatum esse deos in fœdera, quam à bellis prohibuisse. Nam & paulo post, & tam Iuno quam Iuturna bellis intererunt.

ACHATEN. Omnia nomina quæ in TES exeunt, vocativum in A mittunt, ut Achates Achata, Timœtes Timœta.

SVGGERE TELA MIHI. Ordo est, *Suggere tela mihi*: quæ in campis Iliacis in Græcorum stetere corporibus. nullum enim mea in Rutulos dextera sine causa jaculabitur telum eorum, quæ jam sunt cæde hostium comprobata. Qui vero stereruntque in corpore Grajûm per conjunctionem, non per pronomen legunt, hi neque sic haud debuisse dici putant, & mutatam à poëta conjunctionem. Aliique conjunctionem pro *enim* ponunt, ut, *Primaque oriens erepta juventa est.*

TRANSVERBERAT. Scindit.

HVIC FRATER SVBIT. *Huic subit*, id est prope.

DONATI.

THORAX. Dicitur indumentum quo bellator usque ad pectus munitur.

VARIORVM.

SEQVERIS NOVA GAVDIA CYDON. Bene profecto hunc amorem Cydonis παιδεραστῶν execrabilem, & scelestissimum, maximeque naturæ repugnantem Donatus vocat.

SVGGERE TELA MIHI. Etsi juxta proverbium, *ne Hercules quidem adversus duos*, ne dum Æneas: armis tamen confidens Vulcaniis, poscit tela sibi dari, ut cum septem unus manum conserat. Hor.

Susten-

Sustentat dextra. trajecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non & figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Lausus
Advenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta,
Sub mentum graviter pressa: pariterque loquentis
Vocem animamque rapit trajecto gutture. at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threïcios Boreæ de gente suprema,
Et treis, quos Idas pater & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. occurrit Halesus,
Auruncæque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:

SERVII.

TRAIECTO MISSA LACERTO. Quæ fuerat missa retroacto lacerto.

PROTINVS. Iugiter, continue. TENOREM. Modum currendi; id est eodem impetu fertur.

MORIBVNDA. Morienti similis. Quod ita esse etiam Sallustius ostendit, qui ait, *Quasi vitabundus per tramites & occulta loca exercitum ductare.* Nam Iugurtha non vitabat legatum, sed se eum vitare simulabat. nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem: Quod si participialiter diceretur, à passivo veniret. Omnia enim à passivo participia, in DVS exeunt. Moribunda, similis morienti, non enim participialiter aliquid significat, sed nominis habet significationem. nominis autem significatio similitudinem habet, non passionem. Quando dico MORITVRVS EST: vere moriturus est. *Moribundus* autem, non vere, sed similis morienti est. unde & Sallustius dicit, *Quasi vitabundus.* NERVIS. Aut necessarie additur *nervis*, aut nervis tantum pependit.

FRATRIS DE CORPORE RAPTO. Si diceret *fratrum de corpore raptum*, speciosius esset: quod ideo omisit, quia hasta Alcanoris tantum vulneraverat manum, in Maeonis vero hæserat corpore.

EST LICITVM. Quoniam non contradixerat. FEMVR dicitur: quia lectum est, & declinatur hujus femoris. Illius vero ablativi non invenitur nominativus, *Latus Eripit à femine.* licet Caper in libris enucleati sermonis dicat femen, sed non ponat exemplum. ergo aut hoc femur, aut hoc femen; Nam femus penitus non dicimus.

HIC CVRIBVS. Hoc est *tunc*. Et est ordo, Tunc fidens primævo corpore advenit Lausus Curibus: qui erat de Curibus, ut Verres Romulia. Aut *fidens Curibus*, id est multitudine: ut, *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Lausus.*

RIGIDA. Id est, Tenens eam, non vibrans & jaciens.

BOREÆ DE GENTE SVPREMA. Aut originem ducentes de Zeto & Calai, qui filii Boreæ & Orythiæ Nymphæ fuerunt: ut DE GENTE, de genere accipiamus. Aut certe in Hyperboreis montibus natos: unde est origo venti Boreæ. *Suprema* autem pro supremi Boreæ: Si autem, ut quidam volunt, *Boream* principium generis accipiamus, erit *suprema* dictum pro summa, quod si ventum intelligimus, *suprema* ultima modo, sicut dictum est, initium flandi Boreas concipit * ISMARA. Civitas Thraciæ à monte Ismaro dicta: hic enim fœminino Ismara, quia patriam dixit, ibi neutri, id est, *juvat Ismara Baccho Conserere.*

EXPELLERE TENDVNT. Hoc est loco se invicem movere contendunt.

LIMINE. Decenter dictum, hoc est in littore.

MAGNO ÆTHERE. In magno aëre. nam veluti in æthere non sunt, sed in aëre. sic supra, *Atque æthera tranant Cum sonitu*: pro aëre.

An-

Anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Trojanæ acies, aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestres
Vt vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos: unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris,
Quo fugitis socii? per vos, & fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
Fidite ne pedibus. ferro rumpenda per hostes
Est via, quâ globus ille virûm densissimus urget:
Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.

SERVII.

OBNIXA OMNIA CONTRA. Mare mari, nubes nubibus, ventis venti. Legitur & *obnixi*: ut referatur ad ventos.

HÆRET PEDE PES. Pro pedi. Nam est Antiptosis: & versus est Homeri:

ἄσπις δ' ἄσπιδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

ROTANTIA. Vt *Eleusinæ matris volventia plaustra*: Rotantia ergo quæ rotantur.

TORRENS. Non Tyberis, sed quicunque alius fluvius ad tempus crescens.

INSVETOS ACIES INFERRE PEDESTRES. Quia saxis quæ torrens intulerat impediti Arcades, omissis equis pedestrem pugnam insueti inierant, & à Latinis pellebantur. Et ARCADAS. Accusativus pluralis est, cujus ultima syllaba ideo brevis est, quia nominativus pluralis *es* terminatur: ut hi Arcades, item delphinès, delphinas.

LATIO SEQVACI. Metonymia pro Latinis ut alibi, *Invadunt urbem somno vinoque sepultam.*

DIMITTERE QVANDO. *Quando* siquidem. Et est Romanæ militiæ. nam in locis impeditis equos militibus dabant, & pedestri certamine confligebant.

QVO FVGITIS? Hoc amare dictum est. jam preces sequuntur. PER VOS ET FORTIA FACTA. Adjurat eos per ipsorum facta, quoniam non habet puer proprios titulos, nam est ei prima militia.

PER DVCIS EVANDRI. Melius *ducis*, quam si dixisset Regis, hoc enim nomen exprimit ducentem in prælia: Sallust. *Quo cupidius in ore ducis se quisque bonum & strenuum ostentantes*, Non dixit proconsulis. DEVICTAQVE BELLA. Finita, exhausta. nam hostis vincitur, non bellum.

SVBIT. Succedit, ut *Cui deinde subibit*. LAVDI. Vt solet virtuti, potest proprie intelligi.

FIDITE NE PEDIBVS. Dativus est pedibus, nam fido tibi dicimus.

HAC VOS ET PALLANTA DVCEM PATRIA ALTA REPOSCIT. Hoc vult patria ut per cædes hostium revertamur.

NVMINA NVLLA PREMVNT. A facili argumentatur dicens non cum deo, sed contra mortales bella tractamus.

DONATI.

QVO FVGITIS? Cum omnia teneant hostes.

VARIORVM.

HÆRET PEDE PES, VIRO VIR. Ex Furio. Macrob. lib. 6. cap. 3. Saturn. & lib. 5. cap. 13. Saturnal.

AT PARTE EX ALIA. Omisso Ænea, narrat ea quæ ab Arcadibus in diversa campi parte sint fortiter gesta: ut Pallantis, qui hic Patrocli Homerici personam refert, virtutem maxime celebret, non diu superstitis futuri. HORT.

ARCADAS INSVETOS. Arcades à studio equorum & nutricatione commendati fuerunt olim, & equestri imprimis valuerunt certamine. Sed quomodo hic pugnare nequiverint, miratur GERMAN. quem vide.

FERRO RVMPENDA. Propositio, quæ pugnandi necessitatem illis proponit.

NVMINA NVLLA PREMVNT. A facili: verum si cum diis adversariis pugnandum foret, fugam haud se dissuasurum. Non enim unquam bene cessit cuiquam, pugnasse cum diis. HORT.

Digitized by Google

Ecce maris magna claudit nos obice pontus:
Deest jam terra fugæ: pelago Trojamne petemus?
Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum fatis adductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium quâ spina dedit, hastamque receptat
Ossibus hærentem: quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans. nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Tymberque simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.

SERVII.

ECCE MARIS. Quod est efficax, in fine posuit. nam dicit eos quo fugiant non habere, cum terra ab hostibus teneatur: mare autem pedibus transire non possint: castra vero ingredi turpissimum sit. Aut certe etiam hoc impossibile, si ab hostibus obsidentur, ut quidam volunt, intelligentes. Et rapit acer totam aciem, in Teucros scilicet suam quam ducebat cæteris relictis. MAGNA CLAUDIT NOS OBICE PONTUS. Periphrasis. Id est mari claudimur: Modo usus habet ut hic obex dicamus: unde quidam MAGNO OBICE legunt. Antiqui etiam hæc obix dicebant, secundum quod est *magna obice*. Hinc est quia nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt *Magni*, scilicet maris. Caper tamen in libris dubii generis, probat dici & hic obex & hæc obex: quod ut diximus, hodie de usu recessit.

TROIAM. Id est castra Trojanorum.

DENSOS PRORUMPIT IN HOSTES. Ut eos hortaretur exemplo.

FATIS INIQUIS. Exitum præoccupavit futurum.

MAGNO PONDERE. Hoc est magni ponderis: ut, *Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis*, pro æris cavi.

RECEPTAT. Ideo frequentativo usus est, quia ossibus inhærentem hastam facile avellere minime poterat. Et expressit moram quandam & molitionem extrahentis. Ergo *receptat*, est frequenti concussione divellit. Tale est & illud, *Clypeoque sinistram Insertabam aptans*.

QUEM NON SUPER OCCUPAT. Quem super Lagum subauditur stantem, ideo autem desuper, quia Pallas ad evellendam hastam fuerat inclinatus.

NAM PALLAS ANTE RUENTEM DUM FURIT. Ordo est, nam eundem Pallas ante excipit, id est dolo interimit. Ille enim incautus fuerat, furens propter crudelem mortem sodalis. unde & incautus fuerat.

TUMIDO IN PULMONE. Et naturaliter tumido, & quia furebat. In pulmone autem recondit, Archaismos est, pro in pulmonem.

HINC STHENIUM PETIT. Pro *tunc*, loci adverbium pro temporis. RHOETI DE GENTE VETUSTA ANCHEMOLUM. Hæc fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus. Abienus tamen qui totum Virgilium jambis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus ergo Marrubiorum rex fuerat in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam: hanc privignus stupravit. Qua re cognita cum eum pater insequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens se ille contulit ad Daunum. Merito ergo in bello Turni, Dauni filio Anchemolus gratiam reddit. *Gente* autem *Vetusta*, ideo quia à Forco deo marino originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyistor tradit, quem Lucius Sylla civitate donavit.

VOS ETIAM GEMINI. Ut supra, *Tu quoque flaventem prima lanugine malas.*

SUIS Etiam suis. Lucanus, *Et amissum fratrem lugentibus offert.* Et est absolutum suis omnibus, non suis parentibus tantum.

VARIORUM.

ECCE MARIS MAGNA, &c. A pugnandi necessitate. Quid si maxime vellent capere fugam, non possent. Ergo via ferro per hostes est facienda, cum magna laude. HORTENS.

INCESTARE NOVERCÆ. Floridus libro de Iuris civilis interpretatione, hujus meminit. *Incestare*, proprie ad sacras virgines: hic tamen ad prophanas personas. HART.

SIMILLIMA PROLES. Horat. lib. 4 Ode. 5. *Laudantur similes. prole puerperæ.* Hesiod. lib. α. ἐοικότα τέκνα γονεῦσι. HART.

At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis:
Te decisa suum Laride dextera quærit:
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mistus dolor & pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhætea præter
Trajicit: hoc spatium tantumque moræ fuit Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren, curruque volutus
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optato ventis æstate coortis
Dispersa immittit sylvis incendia pastor:
Correptos subito mediis extenditur unà
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ovanteis.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat Palla. sed bellis acer Halesus

SERVII.

DISCRIMINA. Differentias. TYMBRE. Pro Tymber, metri caussa Metaplasmum fecit. Ipse enim superius Tymber dixit.

EVANDRIVS ABSTVLIT ENSIS. Possessivum est modo, non patronymicum.

DECISA SVVM. Mire *suum*, tanquam dominum, à quo fuerat separata.

SEMIANIMESQVE MICANT DIGITI, FERRVMQVE RETRACTANT. De Ennio sublatum est, ille enim ait, *Oscitat in campis caput à cervice revulsum, Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* Quem versum ita ut fuit ad suum carmen transtulit Varro & Attacinus.

TVENTES. Modo intuentes, alias defendentes significat.

DOLOR, ET PVDOR. Sic de Mezentio, *Æstuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu.* Alii dolorem alicujus studii ardorem, & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum volunt, ut Græci πόνον appellant, Lucilius in quinto, *Nam omnibus unus dolor receptus labosque.*

FVGIENTEM RHOETEA PRÆTER. Id est præterfugientem.

HOC SPATIVM, TANTVMQVE MORÆ FVIT ILO. Hoc tantum spatium, & hæc sola mora quo minus Ilus periret. De cujus morte cum nihil dicat, intelligendum est.

INTERCIPIT. Quia intercipi aliena dicuntur. TEVTHRA. Ab eo quod est hic Teuthras, sicut Æneas.

TYREN. Ab eo quod est hic Tyres.

SEMIANIMIS. Potest & *semianimis* ab eo quod est semianimus legi.

OPTATO. Id est ex voto. Per æstatem enim venti frequentes optantur, & quasi contingere videntur ex voto: quia difficili æstate validiores sunt.

DISPERSA. Ex diversis locis.

MEDIIS. Absolute dixit. EXTENDITVR VNA. Sicut duces diversis locis commissa prælia continuaverant.

ACIES VVLCANIA. Ideo abusus est: quia comparatio ad bellum pertinet. nam de igne aciem dicere, nimis incongruum: est enim *acies Vulcania*, vis ignis, quæ late per campos effunditur.

ILLE SEDENS. Non quasi Pallas pugnantibus suis nihil agit, sed comparatur illius securitati hujus voluntas. VICTOR. Voti compos, ἐπιτυχών. OVANTEIS. Abusio est, non proprietas.

COIT OMNIS IN VNVM. Id est compellit. Vnanimiter omnes fortiter faciunt.

SED BELLIS ACER. SED modo inceptiva particula est, ut in Salustio sæpius, sicut AT interdum: nam non est conjunctio ratiocinantis.

DONATI.

ARCADES. Vehementer movetur virtus alieno exemplo, maxime ducis.

VARIORVM.

TE DECISA SVVM DEXTERA. Sensus est, brachium dextram decisam requisivisse, & digitos aliquo subsultu & motu, qui à convulsione committitur, veluti prius ministerium affectasse. GERMAN.

Tendit

Tendit in adverſos, ſeque in ſua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti diripit enſe,
Elatam in jugulum: ſaxo ferit ora Thoantis,
Oſſaque diſpergit cerebro permiſta cruento.
Fata canens ſylvis genitor celarat Haleſum:
Vt ſenior letho canentia lumina ſolvit,
Iniecere manum Parcæ, teliſque ſacrarunt
Euandri: quem ſic Pallas petit ante precatus:
Da nunc Tybri pater ferro, quod miſſile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Haleſi:
Hæc arma, exuviaſque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Haleſus,
Arcadio infælix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lauſus,
Pars ingens belli, ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Hetruſci:

SERVII.

IN SVÂ COLLIGIT ARMA. Scuto ſe tegit: Alibi, *Et ſe collegit in arma.*

ELATAM IN IVGVLVM. Iugulo ſuo vulnus minantem.

FATA CANENS. Quaſi divinus. Alii CAVENS legunt, ſecundum quod non ſtatim & divinus: cavere potuerat & ab aliis audita.

CANENTIA LVMINA. Aut Hypallage, pro ipſe canens. aut phyſicam rem dicit. Dicuntur enim pupillæ mortis tempore albeſcere.

INIECERE MANVM PARCÆ. Traxerunt debitum ſibi. Et ſermone uſus eſt juris. nam *manus iniectio dicitur, quotiens nulla judicis authoritate exſpectata, rem nobis debitam vindicamus.* TELISQVE SACRARVNT EVANDRI. Multis experimentis oſtenditur Virgilium ſubtiliter & aliud agentem ritum vetuſtiſſimorum ſacrorum referre. Hic ergo cum dicit, *teliſque ſacrarunt Euandri*, docet quidquid deſtinatum diis, id ſacrum appellari. Perveniri autem ad deos non poſſe, niſi libera onere corporis fuerit anima, quod niſi morte fieri non poteſt: opportune ergo hic ſacratum Haleſum loquitur, cum imminebat interitus,

DA NVNC TYBRI PATER. Vicinum invocat numen, circa cujus ripas bella tractantur: ſic ſupra, *Tu dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori.*

DVRI. Aut fortis, aut aſperi & crudelis in hoſtes.

TVA QVERCVS. In tuis ripis creata. Sane ſuperius de ſpeciebus ſtativi augurii dictum eſt, in quibus capillorem eſſe diximus, quod hoc loco tangit. *Capillor* autem dicitur cum auſpicato arbore capitur & conſecratur Iovis fulguri, dicit enim his verſibus, *Da nunc Tybri pater ferro quod miſſile libro Fortunam &c. Hæc arma exuviaſque viri tua quercus habebit:* hic ergo cum *arborem* nominat, videtur veteris ritus inducere mentionem.

AVDIIT. Modo exaudiit, & ad effectum deduxit. Paulo poſt tantum audiit. Vt, *Audiit Alcides juvenem.*

DVM TEXIT. Dum ſpoliat. Nam tempus præſens eſt, non præteritum, ab eo quod eſt tego. Sic Plautus, *Ego hunc hominem hodie texam pallio.* Et *texit*, *te*, primam ſyllabam corripuit, ut tantum poſitione longa ſit.

INERMVM. Et inermem dicimus & inermum.

PERTERRITA SINT AGMINA. Subaudis eſſe.

PRIMVS ABANTEM. Ideo *primus*, quia comites eius exemplum ſecuti ſunt, nam infert, *Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Etruſci.* Et, *Agmina concurrunt ducibuſque & viribus æquis.*

OPPOSITVM. Obſtantem, fortiter pugnantem: & quidam dubium volunt utrum pugnæ oppoſitum, an nodum pugnæ, quod eſt melius. NODVMQVE MORAMQVE. Bene addidit MORAM, ne nodum alium acciperemus. Nam NODVS, proprie eſt denſa peditum multitudo: ſicut *turma* equitum, ut lectum eſt in diſciplina militari. Modo autem *nodum* pro difficultate poſuit, quæ vix poſſit reſolvi.

DONATI.

PETIT. Petit telo, & precatur verbis.

VARIORVM.

DVM TEXIT IMAONA HALESVS. Dum ſpoliat & exuvias legit. Turneb. lib. 30. cap. 34.

Et vos ô Grajis imperdita corpora Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque & viribus æquis:
Extremi addensant acies: nec turba moveri
Tela manusque sinit. hinc Pallas instat & urget,
Hinc contra Lausus: nec multum discrepat ætas;
Egregii forma, sed queis fortuna negarat
In patriam reditus: ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Vt vidit socios, tempus desistere pugnæ:
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem, ipse parens spectator adesset.
Hæc ait: & socii cesserunt æquore jusso.
At Rutulûm abscessu juvenis, tum jussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:

SERVII.

GRAIIS IMPERDITA CORPORA TEVCRI. Quos Græci perdere nequiverunt. TEVCROS vero accipimus, quos secum duxit Æneas. nam ait, *Quorum de numero qui sese in bella sequantur Præstantes virtute legit.* Alias non procedit. nam paulo post erupturi sunt, qui obsidentur in castris. INPERDITA autem quis ante hunc?

EXTREMI ADDENSENT ACIES. Lucanus, *Quantum pede prima relecto Constringit giros acies.* DENSEO autem secundæ conjugationis est. NEC TVRBA MOVERI TELA, MANVSQVE SINIT. Lucanus, *Gladiosque suos compressa timebat.* Quidam sane *turbam* multitudinem accipiunt, nam plurali numero *turbas* perturbationes dixerunt, & strepitus, unde & Terentium turbas lampadas propter strepitum volunt dixisse, cum parcus senex perperam per publicum duci suadeat, nec strepitum per turbas adhiberi.

MAIORE SVB HOSTE. Sub hostilitate. Nam sub adversis hostibus pereunt.

MONET SVCCVRRERE LAVSO. Expositio talis est, monitus à sorore continuo secat agmen, atque ut vidit socios, &c.

FEROR. Pro ferri debeo, id est redibo.

CVPEREM IPSE PARENS SPECTATOR ADESSET. Aspere & amare dictum, multa enim mala graviora videntur, si ante oculos nostros eveniant, quam si audiantur. Tale est ut in secundo de Polyte: *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti*, non enim objicit Pyrrho quod occiderit, quia hoc jus belli exigebat: sed quare vidente patre, & his similia, ut, *Impositique rogis juvenes ante ora parentum.* Et, *An fratris miseri lethum ut crudele videres?* Et, *Vidi oculos ante ipse meos*; &, *Victum tendere palmas Ausonios videre.*

ÆQVORE IVSSO. Pro ipsi jussi: & est usurpatum participium. Nam jubeor non dicimus: unde potest venire jussus. Sic ergo hic participium usurpavit, ut Horatius verbum, dicens, *Hæc ego procurare & idoneus imperor & non invitus.* Ergo satis licenter dictum est, adeo ut huic loco Probus hic correptum *a*, longum posuerit.

TVM. Deinde. STVPET IN TVRNO. Id est in Turnum intuens.

OMNIA. Quæ omnia? an circa Turni arma & corpus?

TYRANNI. Regis superbi.

DONATI.

CVPEREM IPSE PATER. *Ipse* scilicet qui amat: *ipse*, qui inimicis meis auxilia subministrat: *ipse*, à quo missus est contra me. SPECTATOR. Quia graviora sunt quæ videntur, quam quæ audiuntur. Quod leoni Turnum, & tauro Pallantem comparet, jam eventus rei demonstrabit.

VARIORVM.

CESSERVNT ÆQVORE IVSSO. Ipsi jussi, hypallage. *Æquore cedere* dictum, ut cedere foro, patria, vita. Etiam cum dandi casu invenitur, cedere legibus, fortunæ, oneri, honori, Cedere Græce ὑποχωρεῖν dicitur ὑπεκφεύγειν, ὑπείκειν, &c. secundum varios significatus. Vide Budæum in Pand.

Aut

Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus utrique est.
Tolle minas. fatus medium procedit in æquor:
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis: pedes apparat ire
Cominus. utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum
Viribus imparibus, magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, & mensas quas advena adisti,
Te precor Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem: magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lachrymasque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis,

SERVII.

AVT SPOLIIS EGO IAM RAPTIS LAVDABOR OPIMIS, AVT LETHO. Argumentum dilemmatum, quod adversarium ab utraque parte concludit. SPOLIIS OPIMIS. Quæ dux duci detrahit, ut diximus, spolia opima sunt.

SORTI PATER ÆQVVS VTRIQVE EST. *Sorti* pro casui & fortunæ. ÆQVVS, hoc est æquo animo feret si occidero, quia dixerat Turnus, *Cuperem ipse parens spectator adesset.*

FRIGIDVS ARCADIBVS COIT IN PRÆCORDIA SANGVIS. Præsagio mortis futuræ eorum.

PEDES APPARAT IRE. Ne videatur pugnæ iniquitate vicisse.

SPECVLA CVM VIDIT AB ALTA. Hoc ad currus altitudinem spectat: leo ad Turni violentiam atque feritatem. & est ordo, *Utque leo advolat*: talis est Turni imago venientis.

CONTIGVVM. Postquam vidit eum venisse intra jactum teli, scilicet ut possit feriri.

IRE PRIOR PALLAS. Subaudis VOLVIT IRE: Alii *Ire* pro it legunt, ut sit Infinitivus pro indicativo. SIQVA. Si quando. FORS. Fortuna: & dictum est propter illud, *Audentes fortuna juvat.* AVSVM. Num pro audentem?

PER PATRIS HOSPITIVM. Deest Mei.

TE PRECOR ALCIDE. Supra contra inferiorem hostem, fluminis imploravit auxilium: nunc contra hostem majorem viribus, deum invocat virtute præstantem.

CERNAT SEMINECI. Ad illud quod ait Turnus, *Cuperem ipse parens spectator adesses*; hic dicit, *Ipse suum cernat interitum.*

VICTOREMQVE FERANT MORIENTIA LVMINA TVRNI. Donatus dicit meminerint: sed melius est sustineant, quasi pondus & pœnam. nec enim meminisse oculi possunt.

LACHRYMASQVE AFFVNDIT INANES. Hic ostendit eventum futurum.

VARIORVM.

AVT SPOLIIS EGO IAM RAPTIS. Alterutrum præsens proponit: aut vincere, aut fortiter mori. Utrumque ex æquo laudabile ducit. Accius in armorum judicio: Nam trophæum ferre me à forti viro pulchrum est. Si autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum. Patri ergo meo, cui tu dolorem inurere maximum, & quem adesse spectatorem concupiscis, utrumvis gratum erit: qui si lætari non poterit, se filium victorem, at certè lætabitur, se generosum bellatorem, & qui in acie occumbere non dubitaret, genuisse. De opimis spoliis, ni fallor, ante hac dictum, & vide Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 14. HORT. PONT.

VTQVE LEO. A comparatione, subjicit utriusque ferociam: Turnum comparat leoni, Pallantem tauro. Adjecit, *meditantem prælia*, quia & Pallas tum primum belli certamina cœperit meditari. DONATVS.

PER PATRIS HOSPITIVM ET MENSAS. Obtestatur Herculem per hospitii jus cum patre Euandro quondam lib. 8. *hæc limina victor Alcides subiit.* Quasi diceret Pallas. Etsi Deus factus es meritis tuis, fuisti tamen aliquando homo, fuisti hospes patris mei, fuisti conviva, habes ubi vicem reddas. DONAT.

Digitized by Google

STAT SVA cuique dies: breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidêre deûm: quin occidit unà
Sarpedon, mea progenies. etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem diripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto

SERVII.

STAT SVA CVIQVE DIES. Sectis philosophorum poëtæ pro qualitate negotiorum semper utuntur: nec se unquam ad unum alligant, nisi quorum hoc propositum est, ut fecit Lucretius, qui Epicureos tantum secutus est. Scimus autem inter se sectas esse varias. Vnde fit ut in uno poëta aliqua contraria inveniamus, non ex ipsius vitio, sed ex varietate sectarum. Illud nanque quod ait in quarto, *Sed misera ante diem*, Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt. Nunc quod dicit, *Stat sua cuique dies*, Stoicorum est: qui dicunt fatorum statuta servari. Sane prudenter fecit ut fluxam & vagam opinionem Epicureorum daret homini, id est sibi (nam illud ex persona poëtæ dictum) hanc autem validam daret Iovi. nam Stoici & nimiæ virtutis sunt & cultores deorum. STAT autem, fixa est. DIES vero, Tempus vitæ: nam fœminino usus est genere. Nam cum masculino dicimus, re vera diem significamus. Sane prudenter negaturus à causa cœpit, quia qui rogat dum suspensus expectatione est, potest audire causam cur sibi postea negatum sit. Cæterum si statim neges, nec admittit excusationem, ideo negaturus Iuppiter sic cœpit. BREVE TEMPVS VITÆ. Quia quandoque finitum: ipse paulo post, *Rhœbe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, Viximus.* Item Cicero, *Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?*

OMNIBVS EST. Magna consolatio, quæ ostendit non esse dolenda communia. Quis enim indignetur contingere eum quod omnium est? SED FAMAM EXTENDERE FACTIS. Contra illud quod occurrebat, vitanda esse ardua si communis omnibus mors esset, brevis vita: dicit ideo amandas esse virtutes, ut vitæ brevitas, fama & gloriæ meritis possit augeri. OPVS. Officium.

GNATI DEVM. Vt Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Martis Ascalaphus.

SARPEDON. Secundum Virgilii declinationem, ut, *Nothum Sarpedonis alti*, ultima habebit accentum in nominativo. secundum Homerum, qui & Sarpedonos & Sarpedontos facit, & ultima & penultima Syllaba habet accentum. ETIAM SVA TVRNVM. Multi ETIAM legunt, ut sit ECCE: & pertinet ad consolationem. sic ait, *Periturus est ille qui vincit.*

METAS. Fines. ut, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.* PERVENIT. Bene ad exprimendum celerem mortis adventum, præterito usus est tempore.

RVTVLORVM REIICIT ARVIS. Respiciendo fecit partem feliciorem. ut, *Aspice nos hoc tantum*, quidquid enim Iuppiter videt, admodum juvat. REIICIT. *Re* naturaliter brevis est, & eam pro longa posuit. Sic alibi, *Reiice, ne maculis infuscet vellera pullis.* quod licet possit excusari: quia cum facit rejeci, inter duas vocales *i* posita, producit superiorem, ut dicamus longam eam esse spe qua per declinationem longa futura est: tamen quia in hac re argumentum magis est quam ratio, dicamus ectasim factam, quæ poëtis plerumque conceditur.

FVLGENTEM DIRIPIT ENSEM. Ne jacto telo inermis esset.

VIAM MOLITA. Hoc est cum difficultate quæsivit: per quod & soliditas clypei, & minus firmus hastæ jactus ostenditur.

STRINXIT. Tactu modico præteriit, ita enim ab antiquis dicebatur, & est significatio levis vulneris.

FERRO PRÆFIXVM ROBVR. Periphrasis hastæ.

VARIORVM.

STAT SVA CVIQVE DIES. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap 10. Saturn. & lib. 1. cap. 16. Consolatio complectitur generalem sententiam, qua communis conditio ostenditur; & inde sequitur, non esse dolenda communia. Subjiciuntur exempla cum argumentatione à majori ad minus. Sententia ergo hæc bipartita est: prior pars de brevitate hujus vitæ loquitur: posterior, nos ad eandem brevitatem spe sempiternæ gloriæ ex virtute nasciturae consolandam excitat, & ad præclara facinora suscipienda invitat. PONTAN.

In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricæque moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum:
Vna eademque via sanguisque animusque sequuntur.
Corruit in vulnus: sonitum super arma dedêre:
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super assistens, sic ore profatur:
Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: qualem meruit Pallanta remitto:
Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior. haud illi stabunt Æneïa parvo
Hospitia: & levo pressit pede, talia fatus,
Exanimum, rapiens immania pondera baltei,

SERVII.

NVM MAGE SIT. Legitur & NVNC MAGIS EST. Vnus tamen est sensus. Sed si MAGE legamus, propter metrum dictum est, pro *magis*: sicut etiam pote, pro potis. Persius, *Qui pote vis dicam nugaris cum tibi calve?* Quod adeo in usum venit, ut etiam in prosa inveniatur. Cicero in Verrinis, *Mage condemnatum hominem in judicium adducere non posse*. PENETRABILE. Pro penetrale dicitur. nam quod penetrat, penetrale dicitur: quod autem penetratur, penetrabile.

TOT FERRI TERGA. Non dicit quot terga, sed multa.

CVM PELLIS. Quidam *pellis* humiliter dictum accipiunt.

CVSPIS INGENS. Ita accipiendum, ne sit incongruum de puero ingens pectus. Sane *cuspidem* abusive pro hastæ mucrone posuit.

ET PECTVS PERFORAT. Hic subdistinguendum: ut *ingens* (sicut diximus) ad superiora possit referri.

ANIMVSQVE SEQVVNTVR. *Animus* pro anima: nam animus, consilii est: anima, vitæ: Quidam secundum Epicureos animam per totum corpus divisam esse volunt, & exinde posse fieri, ut quis amputata parte corporis vivat: animum vero esse τὸ ἡγεμονικὸν animæ, sine quo vivere non possumus: Ergo secundum sectam sibi notam Poëta locutus.

SONITVM SVPER ARMA DEDERE. Homeri est, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

REFERTE EVANDRO. Potest hic & distingui: potest & supra referri, ut sit, Euandro remitto qualem meruit filium.

QVIDQVID. Pro quodcunque. Plautus in Bacchidibus, *Quidquid est nomen sibi*. SOLAMEN HVMANDI EST. Solatium dolentis scilicet patris. Quia hoc solatium vivorum est humare defunctos.

STABVNT. Constabunt. Hoc ergo dicit, non illi PARVO: Non parvo periculo constabunt Æneæ hospitia, & est proverbialis sensus. BALTEI. Potest & Synæresis esse *baltei*: potest & hypermetrus versus esse. nam sequens à vocali inchoat. BALTEVS autem, in numero singulari masculini est tantum generis. Iuvenalis, *Balteus & tunicæ & cristæ*. In numero vero plurali, & neutri, ut idem Iuvenalis, *Quotiens rumoribus ulciscuntur baltea*.

VARIORVM.

QVEM TVRNVS SVPER ASSISTENS. Quædam editiones tantum habent prius hemistichium, *Quem Turnus super assistens*, ut pro assumpto ducendum sit, quod sequitur ἀπροσπολύτων, *sic ore profatur*. Ego, ut Virgilianum recipiendum autumo. PONT.

QVALEM MERVIT PALLANTA REMITTO. Insultans Turnus & successu superbior factus describitur. Fieri autem non potuit, ut hostis & Euandro, & Pallanti infensus, pro malefactis benevolentiam redderet: unde sub imagine humanitatis, dum sponte patri reddit occisum, etiam patrias pœnas conatur exigere. supra enim professus est, quid animi gereret: nam dixit:

Solus ego in Pallanta feror soli mihi Pallas
Debetur, cuperem ipse parens spectator adesset.

Quod quia factum non est, alio genere cupiebat impleri: ut qui cadentem filium spectare in campo non potuisset, in sedibus suis positus videret occisum. Levius enim, ut supra dictum est, dolemus, si audiantur mala: gravius vero, si videantur. DONAT.

Im-

Digitized by Google

Impressumque nefas: una sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti:
Quæ bonus Eurytion multo cælaverat auro.
Quo nunc Turnus ovat spolio, gaudetque potitus.
NESCIA *mens hominum fati, sortisque futuræ,*
Et servare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista diemque
Oderit. at socii multo gemitu lachrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti:
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.
Nec jam fama mali tanti, sed certior author
Advolat Æneæ: tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.

SERVII.

IMPRESSVMQVE NEFAS. Insculptum nefas Danaidum. Donatus tamen IMPRESSVM dixit, coactum: quod à patre sunt compulsæ facere: Sane fabula talis est, Egyptus & Danaus, fratres fuere, sed cum inter eos contentio de Mensidis imperio fuisset, multis sæpe adductus contumeliis Danaus fratri Egypto cessit imperio, ... * ad Peloponnesum pertexit, cujus cives, ibi rex factus, à suo nomine Danaos appellavit; quod cum Egyptum momordisset, veritus ne Danaus de filiabus per generos & nepotes auxilia conquireret, fraude concepta filiis suis, quinquaginta fratris filias in matrimonium postulavit, quas Danaus, dolorem exilii retinens mox promisit, sed cum factæ essent nuptiæ, sponsæ omnes sponsos suos monente patre Danao, nuptiali nocte necaverunt, sola Ypermestra servato Linceo fugam dedit, qui post adeptus patruum Danaum interemit. Hæ Danaides apud Inferos hanc pœnam habuisse dicuntur, ut in dolium pertusum aquam mittant.

NEFAS. Declinatione caret. SVB NOCTE. Pro in nocte. BONVS EVRYTION. Laus ab artifice: ut, *Mira quem fecerat arte Lycaon.* Item, *Divini opus Alcimedontis.*

CÆLAVERAT AVRO. Non auro cælaverat, sed in auro.

OVAT. Iactat, gloriatur. & est ordo quo spolio potitus ovat, gauderque. NESCIA MENS HOMINVM. Hoc ad Turnum pertinet. Quia propter hunc periturus est balteum, quem nunc se sustulisse lætatur.

SERVARE MODVM. Nunquam nescia, ideo nec servare * SVBLATA. Elata.

MAGNO CVM OPTAVERIT EMPTVM. Magno emptum scilicet pretio. Sic & alibi, *Et magno mercentur Atridæ*, sensus autem talis est, Erit tempus quo Turnus optabit quovis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videatur.

MVLTO GEMITV. Lacrymis, minus est hic, cum.

O DOLOR, ATQVE DECVS. Duos hos versus plerique à poëta dictos volunt. Alii à sociis qui reportant cadaver. Dolor autem propter illud, *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Decus propter illud, *Cum tamen ingenteis Rutulorum linquis acervos.*

CERTIOR AVTHOR. Id est nuntius verus.

ADVOLAT ÆNEÆ. De morte Pallantis scilicet, ut postea inferantur quæ præterea addit. TENVI DISCRIMINE LETHI. Modico mortis interstitio. per quod magna Pallantis virtus ostenditur: quo interempto omnis est in fugam conversus exercitus.

VERSIS. Fugatis.

DONATI.

VNA SVB NOCTE IVGALI. Hujusmodi cælatura triste augurium detulit Turno, futurum scilicet, ut ipse nuptiarum causa esset periturus.

VARIORVM.

NESCIA MENS HOMINVM. Ecphonesis in Turni temerariam exultationem, ob Pallantis necem: qui cum in secunda fortuna sibi temperare nequiret, haud multo post similem sortem experturus. HORTENS.

DIEMQVE ODERIT. Quos dies albo, quos atro calculo notarint, docet, Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20.

O DOLOR. Exclamatio pathetica Poëtæ, in luctum & dolorem senis Euandri, ubi casum filii accepit. HORTENS.

Pro-

Digitized by Google

Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te Turne, superbum
Cæde nova quærens: Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ, quas advena primus
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,
Ille astu subit, ac tremebunda supervolat hasta:
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, & spes surgentis Iüli,
Te precor, hanc animam serves, natoque patrique.
Est domus alta: jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi. non hic victoria Teucrûm

SERVII.

LATVMQVE PER AGMEN, LATVM LIMITEM ARDENS AGIT. Id est facit. sic melius quam si dicas, *latum per agmen.* Et sic intelligamus, aut per ordinem, aut per Hypallagem. nam & supra sic ait, *Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.*

PALLAS, EVANDER IN IPSIS OMNIA SVNT OCVLIS. Erat rectum, *Pallas, Euander, mensæ quas advena primus Tunc adiit, dextræque datæ, In ipsis omnia sunt oculis.* Sed perite scissa est narratio, per quam animus Æneæ perturbatus ostenditur.

TVNC ADIIT. Quidam *tunc*, pro quondam accipiunt.

QVATTVOR HIC IVVENES. Emphasis virtutis, quod multos, quod juvenes, quod armatos, quod rapit: minus enim fuerat si dixisset capit, unde in XI. *Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris Inferias.*

INFERIAS QVAS IMMOLET VMBRIS. *Inferiæ* sunt sacra mortuorum ab inferis dictæ. Sane mos erat in sepulchris virorum fortium captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis bustuarii dicti sunt.

ὃ δ' ἐπεὶ κάμε χεῖρας ἐναίρων,
ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

CAPTIVO SANGVINE. Pro captivorum: ut, *Captivi pendent currus.* Item, *Captivaque vestis Congeritur*: & est, ut dictum est, speciosus ornatus.

MAGO. Dativus est ut supra, *Ilo namque procul.*

CONTENDERAT. Adversum jecerat.

ILLE ASTV. *Astu* pro scientia bellica. SVBIT. Subdidit.

PER PATRIOS MANES, ET SPES SVRGENTIS IVLI. Per eas personas rogat, propter quod precatur. Et bene ut in belli calore, breviter omnes locos ad impetrandam veniam complectitur.

PENITVS DEFOSSA TALENTA. Multi enim divitias suas obruebant. Vnde Horatius, *Quid juvat immensum te argenti pondus & auri Furtim defossa timidum deponere terra?* Sane melius *infossa* diceret, quam *defossa*: ad quod est metri necessitate compulsus. nam fugit dubiam syllabam. Et quidam volunt tria genera argenti vel auri poëtam complexum, signatum, factum, infectum; Signatum, quod id vasis & signis, ut *Cælati argenti.* Infectum quod in massis, ut *Infectique mihi*; atqui talentum non ad numerum solet, sed ad pondus referri, nisi forte usum temporis sui heroicis temporibus poëta voluerit applicare. Hic est locus Homeri.

NON HIC VICTORIA TEVCRVM VERTITVR. In meo scilicet interitu. Lucanus, *Non pondera rerum, Nec momenta sumus.*

DONATI.

METIT. Qui metit facile secat segetes, & obstantia removet: sic Æneas. facile cedebant qui obstabant.

QVATTVOR SVLMONE CREATOS. Mira virtus hominis, qui tanta facilitate tot hostes rapiat.

VARIORVM.

QVATTVOR HIC IVVENES. Supra in eum locum, *numero deus impare gaudet*, docuimus quæ ad numeri imparis efficaciam pertinere videbantur. Certum est autem Poëtas, cum de inferiis, aut sacris manibus solvendis faciendisve agitur, numerum parem usurpare, ut supra: *Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi, &c.* GERMAN.

VIVENTES RAPIT INFERIAS. Hartung. Dec. 3. cap. 8. § 25.

PER PATRIOS MANES. Macr. Sat. l. 5. c. 10.

Vertitur: haud anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Æneas contra cui talia reddit,
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Sustulit ista prior, jam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iülus.
Sic fatus, galeam læva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infusa cui sacra redimibat tempora vitta:
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit. arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi rex Gradive trophæum.

SERVII.

DABIT DISCRIMINA. *Dabit*, aut compensabit, aut faciet, ut, *Quas turbas dedit.* DISCRIMINA autem, differentiam circa eventum & victoriam.

GNATIS PARCE TVIS. Talenta parce per accusativum, Plautine dictum, qui ait in Milite, *Parce vocem.* Qui in Virgilium declamationes scripsit, de hoc loco sic ait ex persona Æneæ, *Improbus es qui aut regi dones, aut filios exhæredes.* PARCE autem est secundum antiquos serva, ut apud Lucilium & Ennium invenitur: quod autem dicit *Gnatis*, cum supra dixerit, *Gnatoque patrique?* non est contrarium. nam liberos etiam unum dicimus filium, adeo ut etiam Terentius filiam liberos dixerit: in Hecyra, *Qui illum dignum decreverunt suos cui liberos committerent.* ubi pater de filia ad uxorem loquitur. Ergo usurpavit respiciens ad liberos, ut gnatos de uno diceret. COMMERCIA. Vicissitudines, facultatem ignoscendi, vel captivorum redemptionem.

IAM TVM PALLANTE PEREMPTO. Pro jam tum cum Pallantem peremit.

HOC PATRIS ANCHISÆ MANES. Idem sentire & patrem & filium dicit, quasi hoc commodum ad illos pertineat.

NEC PROCVL ÆMONIDES. Hoc nomen licet possit esse patronymicum quia in *des* exit, ut dicamus Æmonis filius: tamen melius est ut id proprium esse dicamus, quia nunquam aliud nomen ejus aut præmissum est, aut secutum. ergo simile est patronymico, ut sit *Æmonides* sicut Tydides.

INFVSA. Fascia in modum diadematis. à qua vittæ ab utraque parte dependent: quæ plerumque lata est, plerunque tortilis de albo & cocco. INSIGNIBVS ARMIS. Asper sic legit, & utitur Salustii exemplo, qui ait, *Equo atque armis insignibus.* Probus vero, INSIGNIBVS ALBIS dicit legendum, ut albas vestes accipiamus, quæ sacerdotibus congruæ sunt: sicut Statius dicit de Amphiarao.

AGIT CAMPO. Insequitur per campum.

IMMOLAT. Quasi victimam ut ille consueverat, nam hoc verbo ad sacerdotis nomen adlusit. Sane *immolari* proprie dicuntur hostiæ, non cum cæduntur, sed cum accipiunt molam salsam; Cato in Originibus ita ait, *Lavinii* boves immolatos prius quam cæderentur profugisse in Siciliam.* INGENTIQVE VMBRA TEGIT. Aut magnitudine corporis sui, aut clypei obumbrat ejus cadaver. Aut *ingenti umbra*, Id est morte: ut, *In æternam clauduntur lumina noctem.* Aut *ingenti umbra tegit* secundum usum accipiendum, id est exultatione eum opprimit & adumbrat. Vt superatos dicimus adumbratos: aut *ingenti umbra tegit.** ut inferior tegat adversum hostes à fortiore quod institutum minuit causa spoliorum detrahendorum. Sequitur enim, *Arma Serestus Lecta refert humeris.* SERESTVS. Serestos duos intelligamus, unum in castris, & unum cum Ænea. Nam Trojani nondum erupere de castris, ut intelligamus eum quem supra dixit. Ergo duo sunt, nec mirum, cum ipse dixerit, quod exemplo esse possit, *Assaracique duo.*

LECTA REFERT. Proprie dixit: nam spolia quæ aptantur trophæis, legi dicuntur, id est eligi. TIBI REX GRADIVE. Vt, *Tibi Phœbe sacravit.* TROPHÆVM. Declinatio Latina est: unde penultima habebit accentum. in numero vero plurali, quia tropæa dicimus sicut Græci, nec aliquid inde mutilamus, erit Græcus accentus sicut apud Græcos. scilicet tertia syllaba à fine.

VARIORVM.

TIBI REX GRADIVE TROPHÆVM. De cognomine hoc Martis, dictum lib. 3. Æneid. v. 25. Vide etiam Gyrald Syntagm. 10.

NEC PROCVL ÆMONIDES. Æmonidem hunc describit ab habitu religioso & munere & armorum splendore. Cum Ænean hunc mactantem introducat, docet Marti non convenire cum Diana, perpetua pudicitia decantata: nec cum Apolline, pulcherrimarum artium præside. In bello enim nullo discrimine in omnes sævitur. HORT.

In-

Digitized by Google

Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Caeculus, & veniens Marsorum montibus Vmbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse ferebat,
Caniciemque sibi & longos promiserat annos.
Tarquitus exultans contra fulgentibus armis,
Sylvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit: ille reducta
Loricam, clypeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ, truncumque repente
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:

SERVII.

INSTAVRANT ACIES VVLCANI STIRPE CREATVS CAECVLVS. κατὰ τὸ σιωπώμενον. Nam ante fusas accipimus. Ergo *instaurant* adversus Æneam

VVLCANI STIRPE CREATVS. Notandum stirpem de patre dictam, cum semper de longa generis significatione dicatur.

VENIENS. Pro qui venerat.

DARDANIDES. Patronymicum à majoribus.

ANXVRIS ENSE SINISTRAM. Quidam ex hoc volunt intelligi etiam Vmbronem occisum. Constat enim vere ab Ænea occisum, sicut ipse hoc libro in Catalogo ait. *Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum Evaluit.*

DEIECERAT. Plus quam perfecto usus est ad exprimendam celeritatem, uti, *Suras incluserat auro.*

DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM. Proverbialiter dictum est, ac si diceret, non mirum sic occisum esse eum, qui sibi plurimum adrogabat. Corinthus ut sordidum improbat

COELOQVE ANIMVM FORTASSE FEREBAT. Forte se exæquaverat cœlo, ut de Ænea, Drances: *Quibus cœlo te laudibus æquem.* Aut FEREBAT. Elevabat, quod solus esset majore senectute victurus, debellatis omnibus, id est Ænea cum suis.

LONGOS. Pro multos.

SYLVICOLÆ FAVNO DRYOPE QVEM NYMPHA CREARAT. Faunus quidam hoc loco rusticus intelligendum est, non deus, sicut supra Anxur, quem legimus Iovem. Alii Fauni filium, sed antequam Faunus in deorum numero reciperetur, nonnulli & nympham non deam volunt, sed Græce sponsam dictam, vel quæ recens nupta sit, ne incredibile sit ex duobus numinibus procreatum esse mortalem, quanquam hæc numina secundum Aristotelem aliquando perire credantur. nam & Eryx Veneris & Neptuni filius ab Hercule occisus est.

ILLE REDVCTA. Id est longa. ut, *Interea videt Æneas in valle reducta.* Et intelligimus protenta hasta Tarquiti arma esse impedita. Alii REDVCTA, retroacta dicunt, quod non procedit.

IMPEDIT. Non permisit usui esse ad protegendum Tarquitium

DETVRBAT TERRÆ. Hoc est in terram.

SVPER HÆC INIMICO PECTORE FATVR. Quæritur quid tantum iste commiserat, ut sic sæviret Æneas. Sed ubique de morte Pallantis objicitur dolor.

DONATI.

CANICIEM SIBI. Irridet, qui futurorum scientiæ confidunt.

VARIORVM.

DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM. Nemesin innuere videtur. Turneb. lib. 2. cap. 21.

ALIQVID MAGNVM. Videtur hic locus prima facie apertus, sed arrecto attentoque lectori frigere & languere obvis apparensque sententia videri potest; ut non temere in conjecturæ hujus occasionem delapsus sim, fortasse legendum, *Dixerat ille aliquid magicum*; ut innuat Poëta, amuletis quibusdam, susurrisque magicis & superstitiosis consecrationibus sese adversus vulnera, fatumque veteres loricasse & munivisse, quo audentius pericula subirent: ita ut Poëta more suo vanæ illi religioni insultare voluisse videatur. GERMAN.

CÆLOQVE ANIMVM FORTASSE FEREBAT. Allusum ad proverbium *Cælo digitum attingere*, de iis qui se venditant. Significat infestam fortasse fuisse Nemesin, adversari solitam superbis, ejusdemque insolentiam provocasse deorum invidiam, quæ ei exitii caussa fuerit & pestis. Turnebus lib. 2. cap. 21.

SYLVICOLÆ FAVNI. Hoc epitheton sumpsit ex Accio, & Nævio. Macrobius lib. 6. cap. 5. Saturn.

ILLE REDVCTA LORICAM. Explic. Turn. lib. 2. cap. 21.

Digitized by Google

Istic nunc metuende jace: non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquêre feris, aut gurgite mersum
Vnda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protinus Anthæum & Lycam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum: ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnavit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribusque arsisse: Iovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses:
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,

SERVII.

ISTIC, NVNC, Archaïsmos, id est hostilis insisio. *Istic* autem pro hic,

ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν οἵ σ' ὠτειλὴν
αἷμ' ἀπολιχμήσοντ' ἀκηδέες.

NON TE OPTIMA MATER. Vtrum vere mater, an terra patria?

PATRIO SEPVLCHRO. Aut etiam hinc apparet Faunum hominem fuisse, aut, ut quidam volunt, potest hoc ad matrem referri, ut dicat Æneas quod mater eum sepelire non possit in sui patris monumentis, id est in avi ejus materni.

ALITIBVS FERIS. σαρκοφάγοις ὀρνέοις. Plautus, *Avi me feræ similem faciam ut prædicas.*

IMPASTI. Ita avidi, ut semper credantur impasti, sicut de Harpyiis dixit, *Et pallida semper Ora fame.* quasi de fame.

PRIMA AGMINA. Qui agminis erant primi.

FORTEMQVE NVMAM FVLVVMQVE CAMERTEM. Fulvum, Ξανθὸν: horum in Catalogo meminit.

AVSONIDVM. *Pro* Ausonidarum: sicut deûm pro deorum. nam AVSONIDVM à genere fœminino venit, hæc Ausonis, & hæ Ausonides. Ausonidarum vero venit ab eo quod est hic Ausonida & hi Ausonidæ. TACITIS REGNAVIT AMYCLIS. Inter Cajetam & Terræcinam oppidum constitutum est à Laconibus, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt: & cum Glauco filio Minois in Italiam venerunt, & misti cum Ausonis ab Amyclis provinciæ suæ Laconicæ civitate ei indictum nomen est. Lacones itaque isti cum secundum Pythagoream sectam à cæde omnium animalium abstinerent, & à vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putarent, ab iisdem interempti sunt. Vnde *Amyclas tacitas* dicit, id est Pythagoreas. nam Pythagorica est virtus quinquennale silentium. Cicero propter nimiam modestiam perisse illos ait, dum à finitimis accipiunt injurias, & tacent eas. Est & alia expositio, Cum frequenter falso nuntiarentur hostes, & inani terrore civitas concuteretur: lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Post quam cum vere hostis veniret nullo nunciante, ex improviso civitas capta est. Vnde *tacitæ Amyclæ* dictæ sunt, quod periere silentio. Vnde Lucilius ait, *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse.* Vel *tacitis*, de quibus taceatur, id est ignobiles & non dignæ aliqua opinione: vel Hypallage est, pro ipse tacitus.

ÆGÆON QVALIS. Ipse est qui & Briareus dicitur, cœli & terræ filius. Alii hunc ex terra & Ponto natum dicunt, qui habuit Cœum & Gigen fratres. Hic contra Titanas Iovi adfuisse dicitur, vel, ut quidam volunt, Saturno. IGNEM PECTORIBVS ARSISSE. Asper dicit *ignem* hunc na*nimium intelligendum calorem, venientem ex ferocia, ut sit, Cum vim suam crudelitatis efflaret. Alii *ignem* hunc fulminis volunt, ut sit quemadmodum in primo; *Illum exspirantem transfixo pectore flammas.* Sane notandum ignem arsisse, cum igni alia res ardeat.

IOVIS CVM FVLMINA CONTRA. Quia dicitur flammam emisisse oribus suis contra Iovem * fulmen: Homerus nihil dicit aliud, quam centum manus eum habuisse, & auxilio eum Iovi adversus Neptunum, Iunonem, & Minervam fuisse, & forte aut suum ignem, aut Iovis acceptum spirasse pro eo, ut sit contra nostra, adversus Iovem, sed similiter, à pari, ut Terentius in Adelphis in Capite Comœdiæ, *Ille ut item contra me habeat, facio sedulo.*

PARIBVS. Id est inter se paribus.

SIC. Vt non unam manum putares, namque ad hoc pertinet comparatio, ut intelligamus eum multitudinis vice dimicasse. *Desævit* autem hic valde sævit; alias sævire desinit.

DONATI.

METVENDE. Qui te metuendum arbitratus es.

VARIORVM.

ISTIC NVNC METVENDE IACE. Macrob. lib. 3. cap. 2. Saturnal.

Vt

Digitized by Google

Vt ſemel intepuit mucro. quin ecce Nyphæi
Quadrijuges in equos, adverſaque pectora tendit:
Atque illi longe gradientem & dira frementem
Vt vidêre, metu verſi, retroque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad littora currus.
Interea bijugis infert ſe Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: ſed frater habenis
Flectit equos, ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furenteis:
Irruit, adverſaque ingens apparuit haſta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis, & ævi
His dabitur terris. veſano talia late
Dicta volant Ligeri: ſed non & Troïus heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hoſtem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat ſe pugnæ, ſubit oras haſta per imas
Fulgentis clypei; tum lævum perforat inguen.
Excuſſus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris,

SERVII.

INTEPVIT MVCRO. Nimia ſcilicet cæde.

QVADRIIVGES. Propter Homœoteleuton noluit quadrijugos dicere, & contulit ſe ad aliam declinationem. nam & quadrijugus & quadrijugis dicimus, ſicut inermus & inermis, exanimus & exanimis.

ATQVE ILLI. Equi ſcilicet. Nam ad ſuperiora retulit: quod ſciendum eſt eſſe vitioſum, interpoſuit enim, *Adverſaque pectora tendit.* LONGE GRADIENTEM. Longis gradibus incedentem: & eſt militaris inceſſus: aut longinquo.

EFFVNDVNTQVE DVCEM. Et hoc loco omiſit occiſum, ut ſupra, *Dardanides contra furit.*

BIIVGIS. Erit nominativus hic bijugus: nam alias bijugibus facere: . ſi eſſet formæ tertiæ declinationis, ut hic bijugis hujus bijugis faceret.

ADVERSAQVE INGENS. Hoc eſt adverſus ipſe cum haſta apparuit: Et bene *ingens* viſus cum adverſa haſta minaretur.

NON DIOMEDIS EQVOS, NEC CVRRVM CERNIS ACHILLIS. Duos objecit, à quibus eſt victus Æneas: nec tamen uſquequaque: nam eorum impetus evitavit.

VESANO. Hic poëta adfectationem ſuam accommodavit dicendo *veſano.*

DICTA PARAT. Poteſt legi, *Et dicta parent contra.*

PRONVS. Pendens in verbera, *Pronus* nomen eſt. nam & comparatur, ut pronior. Si autem participium eſſet, fieret vitioſa locutio ſine interpoſitione conjunctionis.

ADMONVIT. Præterito præſenti.

PROIECTO. Extento, id eſt antejacto, ut, *Projectaque ſaxa Pachyni.*

DONATI.

NON DIOMEDIS. Achillem & Diomedem non vult laudare, ſed illos cum Ænea deprimit in Phrygiis, quaſi dicat in quibus verſabantur imbelles.

NON DICTA PARAT. Nam prudens norat non lingua, ſed manu utendum in bello.

VARIORVM.

NON DIOMEDIS EQVOS, &c. Conſtat cum his duobus Ænean congreſſum, ſed infeliciter: verum divorum beneficio ſervatum Ænean à cæde. Liger jactat ſe illis præſtantiorem fore in pugna, ut non poſſit evadere, ſi maxime vel dii adſint præſentes ac propitii. HORT.

QVEM PIVS ÆNEAS. Quamvis pius, procacitas linguæ non poteſt non optimi cujuſlibet animum exacerbare. Liger ergo pugnabat lingua, Æneas jaculo: & ille verbis, hic armis rem gerebat. HORT. PONT.

Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertère ex hostibus umbræ:
Ipse rotis saliens juga deseris. hæc ita fatus,
Arripuit bijugos, frater tendebat inermes
Infælix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuère parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: haud talia dudum
Dicta dabas: morere & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa juventus.
Iunonem interea compellat Iuppiter ultro:
O germana mihi, atque eadem gratissima conjux,
Vt rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Iuno submissa: Quid, ô pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram, & tua tristia dicta timentem?

SERVII.

LVCAGE NVLLA TVOS CVRRVS FVGA SEGNIS EQVORVM PRODIDIT, &c. Hæc ad locutio contraria est superiori. hoc enim continet, Objecisti mihi quod sim & ab Achille & à Diomede conversus in fugam. Te vero ô Lucage nec equorum tarditas prodidit: quod mihi contigit cum à Diomede occisus est Pandarus, qui in eodem curru dimicabat, nec aliqua umbra equi tui sunt territi, quod factum sæpius in Homero legitur: sicut & paulo post, Turnum cogit imago deserere bella. Potest tamen & ad illud referri, quo tempore eum ab Achille nube cava Neptunus eripuit, ut in quinto commemorat. Potest & ad aliud referri, quod Nisæus paulo ante ab equis suis proditus est.

IPSE ROTIS SALIENS. Sarcasmos est qui non morte dejectus est: per irrisionem dictum est. Ille enim vulneratus ceciderat. ROTIS autem, curru, à parte totum. SINE. Permitte, relinque, parere id est *συγχώρησον*.

LATEBRAS ANIMÆ PECTVS. Diffinitio est pectoris, id est in quo anima latet & continetur.

EDEBAT. Quasi ad spectaculum. Vnde & munerum editores vocantur. FVNERA. Cædes, ut, *quis funera fando Explicet.*

TORRENTIS AQVÆ. Notandum quod *aquæ* addiderit, cum absolute torrens dicatur.

MORE FVRENS. Exposuit superiora Epitheta. TANDEM ERVMPVNT. Solutam obsidionem ostendit. ASCANIVS PVER. Syllepsis, ordo est, Ascanius & Iuventus; nam *obsessa* & ad Ascanium pertinet.

VT REBARE. Vt arbitrabaris verum est quod Trojani Veneris utuntur auxilio, & dictum est per Ironiam. nam superflue quidam hanc orationem simplicem volunt dictam, ut re vera dicat Iuppiter per se nihil posse Trojanos, quia falsum est: adeo ut Iunonis oratio ad Ironiam, non ad simplicia verba respondeat. NEC TE SENTENTIA FALLIT. Hoc per Parenthesim dictum est.

VIVIDA. id est Fortis; ut v. Æn. *Sed bello vivida virtus.*

CVI IVNO SVMMISSA. Et humilis: & quia intelligit obliqua Trojanorum accusatione impugnari suum pudorem, etiam ipsa respondet oblique.

TRISTIA. Vel quæ tristem faciant, vel quæ severa. Terentius, *Tristis severitas inest vultu.* Item è contra Virgilius, *Furvus amnemque severum*, id est tristem.

DONATI.

SVBMISSA. Humilem esse decet, quem necessitas precandi urget.

VARIORVM.

EX HOSTIBVS VMBRÆ. Homer. Iliad.2. & 11
PER TE, PER QVI TE. Macrob.lib.5. cap.2.
DICTA DABAS, MORERE. Ardens, infensum & erectum dicendi genus. Macrob.lib.5.cap.1.

Digitized by Google

Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares
Omnipotens, quin & pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen:
Pilumnusque illi quartus pater, & tua larga
Sæpe manu, multisque oneravit limina donis.
Cui rex ætherei breviter sic fatur olympi:
Si mora præsentis lethi tempusque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat: sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri,

SERVII.

QVIN. Vt non: nam est confirmativa particula, Quidam hunc ordinem esse volunt. Namque si mihi quæ quondam fuerat vis in amore foret, non hoc mihi negares, quin possem pugnæ subducere Turnum: Alii hoc genus elocutionis accipiunt, ut per ea quæ in parenthesi posita sunt, reliquo sensui occurritur, non his quæ primo posita sunt, hic enim ad illud quod insertum est: *Non hoc mihi namque negares Omnipotens, quin & pugnæ subducere Turnum, & Dauno possem incolumem servare parenti.* Alioquin dempta hac parenthesi non congruit primum cum postremo, si ita dicas, *Si mihi quæ quondam fuerat quamque esse decebat vis, quin & pugnæ abducere Turnum, Et Dauno incolumem possem servare parenti.* Plautus in Cistellaria: *Is servus sed abhinc annos factum est XIII. cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi.*

NVNC PEREAT, TEVCRISQVE PIO DET SANGVINE POENAS. ἀστεϊσμὸς est. Non enim agit ut pereat: sed magis favet ejus saluti. nam statim subiicitur cur indigne fiat, *Ille tamen nostra deducit origine nomen*, ut in secundo, *Iamdudum sumite pœnas, Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Quod autem dicit PIO SANGVINE, Æneæ latenter eum exæquat, qui ubique inducitur cultor deorum.

ILLE TAMEN. Quanquam moriturus est, tamen ab his originem ducit. NOSTRA. Divina. Id est aut Iovis, aut Iunonis, aut omnium deorum.

QVARTVS PATER. Abavus: nec est contrarium quod ait supra, *Cui Pilumnus avus.* Potuit enim fieri ut & avus ejus & atavus a Pilumno Pilumni nominarentur: Ergo per *patris* appellationem ostendit cognationem.

REX ÆTHEREI BREVITER SIC FATVR. Vbique Reges breviter loquentes ostendit, *Iuppiter hæc paucis*, &, *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.*

SI MORA PRÆSENTIS LETHI. Ex Iovis concessione quali arte egerit Iuno cognoscitur, scilicet ut Turnus possit evadere. CADVCO. Moritur o.

PONERE. Facere, vel, ut quidam volunt, constituere & decernere. Alii *ponere* pro dare, ut XII. Æn. *Hæc pro virginitate reponit.* Sane *ponere* facere, sicut Lucilius Homerum secutus, ait, ἄλγεα θῆκεν, id est fecit. Alii *ponere* putare, ut solet dici, pone me hoc fecisse.

HACTENVS INDVLSISSE VACAT. Id est sufficit, ingenti arte locutus est: nam dicendo VACAT, ostendit supra hoc breve spatium nullam ulterius bonam stellarum inradiationem futuram: ex quo Turni fata differre non posse. Vnde non ait indulsisse licet, sed *vacat*: ac si diceret jam undique in mortem traditur Turnus, hoc tantum vacat spatium. Id est intervallum temporis, quasi *hoc spatium*, hic locus est ut parumper differatur. Hinc est quod & supra ait, *Metasque dati pervenit ad ævi.*

VENIA VLLA. Beneficium quod te sperat mereri. Et duas habet significationes, quod petitur, ut hic, & quod conceditur, ut, *Si qua est victis venia hostibus, oro.*

VARIORVM.

PIO DET SANGVINE POENAS. Quod pro aris & focis justum bellum gerere videatur. HORT.

SI MORA PRÆSENTIS LETHI, &c. Locum hunc admonet Sulpit. ex intima Philosophia sumptum, veritatem scilicet sempiternam, ex æternitate fluentem mutari non posse, præsertim si ad omne genus humanum, reique summam attineat: singulorum vero posse fata mutari & produci. Et sic ex hac sententia posse Turno mortem differri, sed totius belli sortem, rationemque mutari non posse. GERMAN.

SIN ALTIOR VENIA VLLA LATET. *Venia*, est veniæ impetratio. Et est sensus: Sin preces istæ tendunt ad impetrandam aliam veniam, id est ut aliud indulgeam. PONT.

Mit-

Digitized by Google

Mutarive putas bellum, spes pascis inaneis.
Cui Iuno illachrymans, Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod ut ô potius formidine falsa
Ludar: & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.
Hæc ubi dicta dedit, cælo se protinus alto
Misit, agens hyemem nimbo succincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram,
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis, clypeumque jubasque
Divini assimulat capitis: dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis,
Morte obita quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritatque virum telis & voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit: illa dato vertit vestigia tergo.

SERVII.

MVTARIVE. Deest posse, an mutatum iri?

QVÆ VOCE GRAVARIS. Quæ negas fato. *Vox* enim Iovis fatum est. Statius, *Et vocem fata sequuntur.* hoc enim dicit, Vtinam quæ negas voce, id est fato, mente præstares. Nam si Iovis vox, fatum est, potest aliud fando commutare. GRAVARIS autem, negas, graviter fers: & hac elocutione non nisi per accusativum utimur: ut si dicas, gravor adventum tuum, id est graviter fero, gravor præsentiam tuam. nam & ipse dixit, *Quæ gravaris:* aliter non dicimus in hac significatione. Similiter etiam accusativo utimur casu, cum volumus absolutam facere elocutionem: & per gerundi modum aliquid dicere: ut, Petendum mihi est equum, codicem, byrrum Hinc Virgilius, aut *Pacem à Troiano rege petendum.* Sic Salustius, *Castra sine vulnere introitum.* Nam si dixeris *petendus est codex:* non jam per gerundi agis modum, sed participialiter loqueris. RATA. Firma, perpetua.

VERI VANA FEROR. Id est sum veritatis ignara.

ORSA. Pro dictis & fatis.

NIMBO SVCCINCTA. Id est nubibus: quia præmisit, *Agens hyemem:* quod nisi esset, splendorem acciperemus qui est circa corpus deorum.

TVM DEA. Potest sensu integro *dea* detrahi.

NVBE CAVA. Nominativus est hæc nubes, nam nubs non dicimus, quod ait Livius Andronicus, qui primus edidit fabulam apud nos.

IVBASQVE. Propter equinam caudam, quæ esse solebat in galeis. unde est, *Cristaque hirsutus equina.*

DIVINI CAPITIS. Hoc ex persona poëtæ dictum est de Ænea intuentis futura. Nam post mortem in numerum refertur deorum. INANIA. Nec à membris, nec à mente venientia.

OBITA. Morte suscepta & completa.

AVT QVÆ SOPITOS. Quæ somnia, pro qualia insomnia quæ per somnum videmus.

EXVLTAT. *Exultare* est gaudere: & per se plenum est. Nam *insultare* est insidere inimicos: & dicimus insulto tibi: licet Salustius dixerit, *Multos ab adulescentia bonos insultaverat.* Id est in ipsos impetum fecerat.

IRRITATQVE VIRVM TELIS. Ideo hoc arte agit Iuno, & imagine decepit Turnum: quia si ei ex aperto fugam suaderet, more viri fortis ille fugæ præponeret mortem, cum præsertim ipse in sequentibus dicat, *Vsque adeone mors miserum est?*

VARIORVM.

MENTE DARES. Hoc diceret, secus sentiret: hominum more, qui aliud mente clausum, aliud promptum habent in lingua. HORT.

HÆC VBI DICTA DEDIT. Confirmata nonnihil Iuno verbis Iovis in præsenti, Turnum cædi subtrahere maturat: HORTENS.

DAT SINE MENTE SONVM. *Sine mente sonus.* Proverbiale est. HARTVNG.

MORTE OBITA QVALES. Ex Lucret. Macr. lib. 6. cap. 1. Saturn.

Tum

Tum vero Ænean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem: nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, & ponte parato,
Quâ rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exuperatque moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit:
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultra latebras jam quærit imago,

SERVII.

TVRBIDVS. Tumens, elatus arrogantia.

PACTOS. Nunc passivum, ut, *Pacta puellæ.*

TELLVS QVÆSITA PER VNDAS. Sic alibi, *En agros, & quam bello Trojane petisti Hesperiam metire jacens.*

VOCIFERANS SEQVITVR. Sequens clamabat. nam ante dixit, & sic est secutus.

NEC FERRE VIDES SVA GAVDIA VENTOS. Proverbium est, *Venti ferunt gaudia*, id est lætantur incassum. Sic supra, *Sed auræ Omnia discerpunt.* Item, *Partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.*

FORTE RATIS. Descriptio per ἔκφρασιν facta: non enim à superioribus pendet, sed antedictis adjungitur: ut, *Insula Sicanium juxta latus.* Has autem descriptiones esse aptas & raras convenit: sicut etiam Horatius docet in arte poëtica dicens, *Purpureus late qui splendeat unus & alter Adsuitur pannus.* Sunt enim ornatui.

CREPIDINE SAXI. *Crepido est* abrupti saxi altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipsos suggestus in quibus ædes sunt conlocatæ, & crepidines viarum, id est ipsæ eminentiæ dextræ sinistræque. Sane hic Antiptosis facta est propter metrum. *Conjuncta* ergo *crepidine*, pro crepidini: sicut, *Hæret pede pes*, pro pedi. Est autem ablativus pro dativo.

OSINIVS. Ipse est quem supra Massicum dixit. Ergo (ut diximus supra) *Osinius* proprium est, Massicus appellativum: licet posset fieri, ut duo nomina unius sint, ut est Numa Pompilius, Alexander Paris, Numanus Romulus. Alii volunt non eundem esse Massicum quem Osinium, nam duas civitates supra commemorat, Clusium & Cosam, & tradunt potuisse fieri, ut hic Osinius, rex quidem unius de memoratis fuerit civitatibus, sed sub imperio Massici egerit: Nam & Ramnetem & Romulum quos in ducum ordinem non numeravit, reges fuisse dixit. Alii hunc postea κατὰ τὸ σιωπώμενον volunt venisse, quia in catalogo ejus non meminit. CLVSINIS ORIS. Tusciæ civitatis.

TRANSILIT ALTOS. Hoc sermone festinantis celeritas indicatur.

VIX PRORAM. ἀσυνδέτως, sic enim melius. RVMPIT SATVRNIA FVNEM. Debuit dici, cum rumpit Saturnia funem: ut, *Vix è conspectu Siculæ telluris, Cum Iuno æternum servans:* Ideo autem *rumpit*, ne deprehenso dolo Turnus in bellum rediret.

REVOLVTA PER ÆQVORA NAVEM. ὑπαλλαγὴ est, revolutam navem.

ILLVM AVTEM ÆNEAS ABSENTEM IN PRÆLIA POSCIT. Sic melius, quam sicut nonnulli volunt, Ille autem Ænean absentem in prælia poscit: ut sicut Vrbanus, *Obvia multa virûm demittit corpora morti*, de navibus inventis intelligatur: quod non procedit. nam *absens* dicitur qui recedit: quod nunc Turno congruit, non Æneæ, qui interest præliis. Ille * autem Ænean legunt quod si ita est: quia Æneas *Multa virûm demittit corpora morti.*

VARIORVM.

NEC FERRE VIDET SVA GAVDIA VENTOS. Nec animadvertit, vanum esse suum gaudium. Proverbiali schemate usurpari solet, *ventis tradere*, pro eo quod est, oblivisci, atque ex animo ejicere. Nam quæ ventus rapit, nostram custodiam evadunt, & nobis quodammodo amplius cordi non sunt. Hujus etiam ordinis sunt, *ventis loqui*, *verberare aërem.*

Digitized by Google

Sed sublime volans nubi se immiscuit atra:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sydera tendit:
Omnipotens genitor, tantón' me crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga? quemve reducet?
Laurenteisne iterum muros, aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosve (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potius miserescite venti:
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem, sævisque vadis immittite syrteis:
Quo neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
An sese mucrone ob tantum dedecus amens

SERVII.

MEDIO. Ad medium. TVRBO. Vis venti.

IGNARVS RERVM. Id est artis, per quam evaserat Hoc est nesciens hoc pro salute sua factum, ideoque & ingratus, nam & queritur.

OMNIPOTENS GENITOR. Duo Antonomasiva pro uno proprio: ut, Tritonia Pallas. TANTON'. Pro Tantone.& constat mutilatas partes orationis accentum in eodem loco habere, in quo etiam integræ habuerunt. nam μόρια, id est minores particulæ, ut QVE, VE, NE, CE, quotiens junguntur aliis partibus, ante se accentum faciunt, qualislibet sit syllaba quæ præcedit, sive brevis, sive longa: ut, Musaque, Hujusce, Illucce, Tantone, Adduce: & hæc mutilata similiter proferuntur, scilicet sub eodem accentu.

QVO FEROR? VNDE ABII? bene variavit adverbia & pronomina. QVEMQVE REDVCET? Quem, qualem: ut, *Hunc ego te Euryale aspicio?* & quasi nescius sui est in tanta rerum permutatione.

LAVRENTISNE. Quasi deliberatio est.

QVID MANVS ILLA VIRVM? Syllepsis per genus. nam à manu, id est multitudine, ergo à fœminino ad masculinum dicendo *manus* transitum fecit. Ergo figuratum & per genus & per numerum: Est autem mira defectio, id est quid dicunt?

QVOSVE NEFAS. Asper *quosne* legit, & adnotavit *Ne* pro *ve*, quasi expletiva particula.

PALANTES VIDEO. Intelligimus eum non longe à terris fuisse. nam quod ait supra, *Medio fert æquore*: ut diximus, ad medium accipiendum est. Aut quia *medium* dicitur omne quod est inter finem & initium; ut, *Interea medium Æneas jam classe tenebat*. GEMITVMQVE CADENTVM ACCIPIO Hinc apparet de Ænea dictum, *Obvia multa virûm demittit corpora morti.*

IMA TERRA. Dolet sibi infœlicium vota sublata: nam in mari constitutus optare sibi hiatum non potest terræ. *Imam* autem *terram*, prudenter dixit, quæ sustinet & continet maria.

MISERESCITE VENTI. Pro petentis qualitate, nonnunquam etiam mors videtur esse miseratio, ut hoc loco. Item supra, *Figite me, si qua est pietas.* Miserescite autem quis ante hunc? ab eo quod est miseresco & miserescimus.

TVRNVS ADORO. Id est juxta veteres, qui *adorare* adloqui dicebant, nam ideo & adoria laus bellica, quod omnes cum congratulatione adloquebantur eum, qui in bello fortiter fecit. Alii ADORO, Pro oro, ut AD vacet, & sit metri caussa additum.

SYRTEIS. Vbi arenosa sunt littora *syrtes* vocantur. Ergo immittite me ad sæva vada syrtium: aut ad arenosa loca, aut re vera *ad syrtes*, id est ad mundi extrema, quo me nec fama comitetur, id est ubi me nemo sciat desertorem esse.

MVCRONE INDVAT. Aut κατὰ χρῆσιν dixit INDVAT, pro feriat: aut Hypallage est, pro mucronem suo induat corpore. Si enim INDVERE, est vestire: non mucrone corpus induitur, sed induitur mucro corpore, id est tegitur & vestitur.

VARIORVM.

AN SESE MVCRONE INDVAT. Servius catachresin esse ait: negat Turneb. lib. 29. cap 24. loco Cæsaris lib. 7. Adde Cicer. in Verr. *Induere se in laqueos.*

In-

Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an jaciat mediis, & littora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Iuno
Continuit, juvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Iovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovanteis.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Vni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,
Ipsa immota manens: prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi: cum quo Latagum, Palmumque fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit: armaque Lauso

SERVII.

CRVDVM. Crudelem, cruentum. EXIGAT. Aviditas mori cupientis ostenditur.

ANIMI MISERATA. Pro animo miserata. Nam figurate locutus est, sicut, *O præstans animi juvenis*, pro animo, id est illa re.

AD VRBEM. Ardeam: & ideo sic longe ne ex propinquo statim rediret: & ut eum affectus retineret parentis.

AT IOVIS INTEREA MONITIS. Id est novimus sacrilegum esse Mezentium, novimus quoque Jovem etiam exhortatum esse alios deos, ut à bello desisterent: & dixisse, *Rex Iuppiter omnibus idem.* quomodo ergo procedit, *At Iovis interea monitis?* Dicimus primo Iovem justitiæ favere, non partibus: quod si est, jure Mezentium in Turni locum facit venire: ut justum prælium inveniatur, ne una pars penitus sit à ducibus destituta. Quod autem dicitur, sacrilegum Iuppiter admonere non debuit: non admonet ut vincat, sed ut possit perire. Illud etiam frustra quæritur quemadmodum numini sacrilegus obedire potuerit, cum Mezentium non aperte Iuppiter moneat, sed iniiciat tale desiderium. Vnde est, *Dine hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?* MONITIS. Hic dativus venit ab eo quod est hæc monita, nam & hos monitus dicimus. Vnde Persius, *Hos pueris monitus patres infundere lippos.* Sed à quarta declinatione, nec singulari dativo utimur, nec plurali. nam unum nomen est de his quæ licet duplicem habeant declinationem, tamen aliquibus eorum casibus propter auctoritatem non utimur: sed, Laurui lauribus, cum & hujus laurus & ab hac lauro dicamus.

CONCVRRVNT TYRRHENÆ ACIES. Quæ specialiter odio Mezentii in bellum ruebant.

VNI ODIISQVE. Bene repetitur *uni*, ut ostendat conspirationem Etruscorum olim Mezentio incumbere.

PRODIT IN ÆQVOR. Extenditur. hinc Iuvenalis, *Quod pelago occurrunt medio, longeque relinquunt Italiam.*

PONTO. Contra pelagus. nam dativus est.

VIM CVNCTAM. Id est violentiam, impetum.

CŒLIQVE MARISQVE. Sicut Mezentius odiorum & telorum totius exercitus.

FVGACEM. Modo velocem, vel fugientem.

LATAGVM OCCVPAT OS. Pro Latigi os occupat. & est Græca figura in Homero frequens, ut si dicas ἔκρουσεν ἀχιλλέα τὸν πόδα, id est Achillem percussit pedem, pro percussit Achillis pedem.

POPLITE PALMVM. Ea parte qua plurimum poterat.

SEGNEM SINIT. Qui vulneratus nihil jam efficere possit.

VARIORVM.

TER CONATVS VTRAMQVE VIAM. Additione numeri ternarii amplificatio. HORT.

AT IOVIS INTEREA MONITIS. Fato tractus fuit ad mortem: ut sua & filii cæde, Pallantis casus expietur. HORTENS.

ILLE VELVT VASTVM. Comparatione Mezentii virtutem in eo prælio amplificat, ut eo plus gloriæ ad victorem postea redeat. HORT.

Digitized by Google

Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Nec non Evantem Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem, comitemque una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis regina Parin creat: urbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, sylva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est:
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, propiusve accedere virtus,
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longe & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impavidus partes cunctatur in omneis,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

SERVII.

DONAT HABERE. Græca figura, ut, *Argenti magnum dat ferre talentum.*

THEANO. Mater Minantis.

CISSEIS. Hecuba filia Cissei, secundum Euripidem in Hecuba, πολύανδρ☉ ἰκγόνες παῖς γεγὼς τ᾽ κισσέως. Nam secundum alios Dymantis est. Quod autem ait, FACE PRÆGNANS, hæc ratio est: quia antequam pareret, faculam se peperisse vidit in somnis. PARIN CREAT. Plus est quam si diceret face prægnans * incendit Parin. VRBE PATERNA OCCVBAT. Subaudis PARIS. Quod ut non diceret, metri est necessitate compulsus. Nam deest *qui*, ut sit *qui urbe paterna.*

IGNARVM LAVRENS HABET ORA MINANTA. Scilicet casus sui: vera tamen lectio est IGNARVM, id est ignoratum, qui nesciretur: & est supina significatio, sicut in quarto, *Liquitque volatile ferrum Nescius*, pro qui nesciebatur. Alii Ypallagen volunt esse, ut Minas in Laurenti ora ignota jacet.

AC VELVT ILLE. Antiqui *Ille* vel magnitudini, vel nobilitati adsignabant, ut, *multum ille & terris*, &, *Pænorum qualis in arvis Saucius ille gravi.*

ACTVS. Coactus in retia.

DEFENDIT. Texit, ut, *Hic mihi dum teneras defendo à frigore myrtos.* VESVLVS autem Mons Liguriæ est juxta Alpes. Liguria autem cohæret Tusciæ, de qua fuerat Mezentius. unde est satis congrua comparatio. Sane de hoc Vesulo quidam duo flumina Rodanum & Padum nasci dicunt, quorum unus, id est Rodanus in Tyrrhenum mare, alter, id est Padus in Adriaticum fluit. MVLTOSQ. Pro *multosve*, non enim vicina est palus Laurentia à monte Vesulo, ut possit unus idemque aper intelligi. Sane Laurentia pro Laurens, nam hæc est vera & recta derivatio.

PASTVS. Pro pastum. nam supra ait, QVEM. Ergo Antiptosis est.

INHORRVIT ARMOS. Id est, armis inhorruit. Aut certe in armos horruit, per quod erectas setas accipimus.

IRASCI. Deest *est*. TVTIS CLAMORIBVS. Præter periculum. Id est ipsi tuti.

IVSTÆ IRÆ. Quasi quibus odium est propter mortua corpora, ut, *Mortua quinetiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus.*

CVNCTATVR. Se per omnes partes disponit. TERGO. Scuto. ut, *Et venit adversi in tergum Sulmonis.*

VARIORVM.

DONAT HABERE HVMERIS. Ex Homer. Victor. lib. 38. cap. 17.

PARIDISQVE MINANTA ÆQVALEM. Locus contra genethliacos: cui non dissimilis exstat apud Hom. Iliad. 18. HART. *Mimanta* legendum, à Mimante Thraciæ monte. HORT.

ET FACE PRÆGNANS. Paridem Trojani belli facem à Cassandra prædictam, explic. Victor. lib. 29. cap. 5. Var. & supra lib. 7. Æneid.

AC VELVT ILLE CANVM. De particula *Ille*, multa congerit lib. 3. Novar. Guil. Canterus, c. 26.

SED IACVLIS, &c. Vt sex sequentes versus transponendi, Vide Scalig. Proleg. in Manil.

QVIBVS EST MEZENTIVS IRÆ. Iræ esse, Maronis est inventum: Odio esse usitatius. Vide Macrob. lib. 6. cap. 6. Homerus Odyss. λ. Videtur simile affectasse. HART.

Vene-

Digitized by Google

Venerat antiquis Coriti de finibus Acron,
Grajus homo, infectos linquens profugus hymenæos.
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis & pactæ conjugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens: lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infælix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide vulnus:
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus & hasta,
Pars belli haud temnenda viri, jacet altus Orodes.

SERVII.

CORITHI DE FINIBUS. Corithus est & civitas Tusciæ, & mons, & pater Dardani rex. Vnde nunc ad quosvis potest referri de finibus Corithi.

GRAIUS HOMO. Oriundo quidem Græcus, sed qui nunc de Tuscia venisset ad bellum.

MISCENTEM. Perturbantem.

PURPUREUM PENNIS. Galeam significat purpureas cristas habentem, aut certe *purpureum pennis*, pulchrum, bene galeatum: ut, *Purpureis cristis juvenes*, id est pulchri. PACTÆ CONJUGIS. Hic ordo est, conciliata primo, dein conventa, dein pacta, dein sponsa.

VESANA FAMES. Alibi. *Et male-suada fames.*

FUGACEM. Velocem.

SURGENTEM IN CORNUA. Id est crescentem, cornibus eminentem.

COMASQUE ARREXIT. Naturale enim est ut irati leones erigant jubas.

LAVIT. Ab eo quod est lavo lavis. nam hoc verbum & primæ est conjugationis, & tertiæ: à qua nunc ait *lavit*. Item Horatius, *Lavit amne crines.* Item alibi, *Neque dulces mala vino lavere.* Ergo lavitum, & lavit, sicut Plautus in Pseudolo, *Easque lachrymis lavis*, id est, humectas.

INFRACTA. Aut nimium fracta, aut re vera infracta.

ORODEN. Istum Oroden virum fortem intelligimus in fugam necessitate esse conversum. Nam ipse paulo post dicturus est certari * socios. *Pars belli haud temnenda viri, jacet altus Orodes.*

NEC JACTA CÆCUM. Vnum sensum & duos extulit. *Cæcum vulnus* autem quod adverso infigitur.

FURTO. Insidiis.

PEDE NIXUS ET HASTA. Deest ait.

HAUD TEMNENDA VIRI. Asper *viris* legit. Vt ait, all * haud temnenda, alioqui ipse ait, *Fugientem haud est dignatus Oroden Sternere.* ALTUS. Magnus. ut, *Sic pater ille deûm facit, sic altus Apollo.*

VARIORUM.

IMPASTUS STABULA ALTA LEO. Ex Homero. Macrob. lib. 5. cap. 10.

SUADET ENIM VESANA FAMES. Macrob. lib. 5. cap. 10. Hom. Iliad. γ. ὥστε λέων ἐχάρη. Od. ζ. H.

SURGENTEM IN CORNUA CERVUM. Sic Ovid. 10. Metamorph. *Aut celsum in cornua cervum.* Turneb. lib. 1 cap. 23.

STERNITUR INFELIX ACRON, &c. Bene *infelix*, qui deliciis relictis ad certamen perrexit, quod complere non poterat, & nec conjuge, nec salute potitus est. Qui expirans tundebat calcibus terram, quod sæpe etiam apud Homerum fit, ad dolorem monstrandum, cum alia ratione non posset.

FUGIENTEM HAUD EST DIGNATUS ORODEN STERNERE. Mezentius haud se dignum est arbitratus Oroden sternere fugientem, nec ei à tergo non videnti vulnus dare, hoc enim appellat *cæcum vulnus*. Quæ enim esset ista gloria, fugientem & aversum ferire? DONATUS.

ALTUS ORODES. Allusum est ad vocis etymon, ὄρος enim Græcis mons est: ὀρώδης montosus, sive melius dicam monti similis. HORT.

Conclamant socii, lætum Pæana secuti.
Ille autem expirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mista Mezentius ira,
Nunc morere: ast de me divûm pater, atque hominum rex
Viderit. hoc dicens, eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo, & prædurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericaten:
Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes, & Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit. Atronium Salius, Saliumque Nealces
Insignis jaculo, & longe fallente sagitta.
Iam gravis æquabat luctus & mutua Mavors

SERVII.

PÆANA SECVTI. Pæan proprie Apollinis laus est: abusive & aliorum dicitur. Vnde Pindarus opus suum, quod & hominum & deorum continet laudes, *Pæanas* vocavit. Quamvis quidem alium *Pæana* esse, alii Apollinem velint. sed vere Pæan Apollo: tamen *Pæana* carmen esse victoriæ Æschylus docet, quod ideo Apollini dicatum est, quia malorum avertendorum potens est; unde & ab Homero ultricem immittens pestilentiam inducitur.

NEC LONGVM LÆTABERE. Duo dicit Nec diu lætaberis, nec diu me indefenso: Homeri autem more, morienti dedit scientiam futurorum. LONGVM autem pro longe, nam nomen est pro adverbio.

SVBRIDENS. Per iracundiam ridens loquitur. Vnde per irrisionem dictum accipitur.

AST DE ME DIVVM PATER, ATQVE HOMINVM REX VIDERIT. Id est viderit utrum Mezentio possit nocere ille, quem vos deorum & hominum creditis esse rectorem.

EDVXIT CORPORE TELVM. Quo facilius posset perire. Lucanus, *Non eget ingestis, sed vulsis corpore telis.*

DVRA QVIES. Blanda & contraria. sic dictum ut somnus ferreus. Est autem Homeri comparatio, ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

CÆDICVS ALCATHOVM. Hoc loco est confusio in aliquibus nominibus: nam quis sit Trojanus, quis sit Rutulus ignoratur.

RAPO. Rapon dicitur sicut Tarchon, sed metri caussa detraxit *n*, propter Synalœpham: sicut supra, *Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant.*

INFRENIS EQVI. Casu equi asperrimi, qui frenorum sperneret regimen. *Infrenos* autem etiam homines dicimus: ut, *Hinc Numidæ infreni cingunt.* Dicimus & infrenus, & infrenis, sicut inermus & inermis.

PROCESSERAT AGIS. Scilicet contra Messapum dimicaturus: quem nequivit. nam à Valero antequam ad Messapum perveniret, occisus est.

HAVD EXPERS. Non ignarus virtutis parentum.

IACVLO, ET LONGE FALLENTE SAGITTA. Iaculo, pro longe fallentis sagittæ. nam ἓν διὰ δυοῖν dixit. ut, *Hamis auroque trilicem.* Item, *Molemque & montes insuper altos*: An longe, valde?

MAVORS. Fortuna bellica.

VARIORVM.

CONCLAMANT SOCII. Antea dictum, vocem desperantis esse *conclamare*. Sed & *conclamare* militare vocabulum; ut ad arma conclamare, conclamare vasa, &c. HORTENS.

AD QVEM SVBRIDENS. Macrob. lib. 5. c. 12. Saturn.

OLLI DVRA QVIES OCVLOS. Ex Homero. Macrob. lib. 5. cap. 11. Saturn.

FERREVS VRGET SOMNVS. Ex Homero & Plutarcho. Turneb. lib. 19. cap. 16. FERREVS ergo est durus, implacabilis. Quare somnum vocat ferreum, quasi mortem duram, implacabilem: Adamantinum enim, ferreum, &c. de rebus implacabilibus usurpantur. HORTENS.

CÆDICVS ALCATHOVM. Turneb. Maronem hic à calumnia vindicat. quasi Rutulos à Trojanis non distinguat. lib. 29. c. 24.

ILLVM INFRÆNIS EQVI. Contra Servium explicat Castalio cap. 8. Variar.

Fu-

Digitized by Google

Funera: cædebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, nec illis.
Dii Iovis in tectis iram miserentur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam scindens, humero supereminet undas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat: manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat,
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ,

SERVII.

FVNERA. Mortes. CÆDEBANT. Legitur & CEDEBANT, id est terga vertebant: secundum quod RVEBANT, insequebantur significat. Si autem CÆDEBANT, id est occidebant: RVEBANT, id est cadebant.

IRAM MISERATVR INANEM. Generaliter dicit omnem iram bellicam. ubi enim tam inanis iracundia est, quam in bello, ubi ut pereamus irascimur? Aut quia nulla causa tam justa est, ut propterea bellum geri debeat, nam ideo ait, & *tantos mortalibus esse labores*: An *inanem* non juste conceptam? sic inanes fletus Aristei, ut qui scilicet tanti non fuerint, propter quos ille sic lamentaretur.

AMBORVM. Pro utrorumque.

PALLIDA TISIPHONE. Non ipsa dea, sed effectus furiæ, id est furialis ardor, hoc est insania.

ORION, CVM PEDES INCEDIT MEDII PER MAXIMA NEREI STAGNA. Orion (ut etiam in primo diximus) OEnopionis filius regis fuit, ei concessus ab Iove, Mercurio, Neptunoque susceptis hospitio. Hic venator immensi corporis fuit, qui quodam tempore susceptus à rege OEnopione cum vellet ejus filiam vitiare, ille iratus opem Liberi patris cujus erat filius imploravit: Is Satyros misit qui soporem infunderent Orioni, & sic velut vinctum OEnopioni traderent arbitrio ejus puniendum. Tum ille OEnopion, sopito ejus oculos tulit. Cecus itaque Orion cum consuleret quemadmodum oculos posset recipere, responsum est ei posse hoc fieri, si per pelagus ita contra Orientem pergeret, ut loca luminis radiis Solis semper referret. Quod ille efficere ita potuit: nam cum audisset strepitum Cyclopum Iovi fulmina fabricantium, sono ad eos ductus est, unum de his suis humeris superposuit, & eo duce oraculi præcepta complevit. Non autem incongrue fingitur potuisse ire per medium pelagus, quasi filius pro parte Neptuni. Hæc autem comparatio pertinet ad solam corporis proceritatem. Alii hunc Orionem tantæ magnitudinis dicunt fuisse, ut nulla eum altitudo maris ingredientem potuerit morari, unde inter sydera receptus. Sane PEDES INCEDIT, pro incessit, præsens pro præterito.

PER MAXIMA autem NEREI STAGNA. Epitheto elevavit Tapinosim more suo.

REFERENS. Pro ferens more antiquo, nam RE abundat.

IMPERTERRITVS. Prima est compositio, non secunda. nam hoc est PERTERRITVS, quod & territus: & tunc est vera compositio cum sermonis natura convertitur: Sane *imperterritus* quis ante hunc?

MOLE SVA STAT. Hoc est in sæva mole, ut dicitur in vestigio.

SPATIVM EMENSVS, QVANTVM SATIS HASTÆ. Speciosissima elocutio.

VARIORVM.

CEDEBANT PARITER. Atqui lectio hæc, *cedebant*, id est fugiebant, aperte cum verbis Poëtæ sequentibus pugnat, quod Servium fefellit, ait enim, *neque his fuga nota, nec illis*. Quisque locum suum tuebatur. PONT.

DII IOVIS IN TECTIS. Macr. lib. 5. c. 16. Satur.

QVAM MAGNVS ORION. Ante voculam *quam*, deest particula *tam*, quomodo & alii auctores locuti sunt. Terent. Eunucho, *Parmenionis esse hanc scio technam quam me vivere*. De Orione Vide Turneb. lib. 27. cap. 38. & lib. 3. cap. 19. Notavit, Græcos poëtas non raro mare & Oceanum appellare λιμένα, id est stagnum.

STAGNA. Explic. è Græcis, Turneb. lib. 3. c. 19. & lib. 27. cap. 28.

Dextra

Digitized by Google

Dextra mihi deus, & telum quod missile libro,
Nunc adsint: voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis, ipsum te Lause trophæum
AEneæ: dixit, stridentemque eminus hastam
Iecit: at illa volans clypeo est excussa, proculque
Egregium Anthorem latus inter & Ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis,
Hæserat Euandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere: cælumque
Aspicit, & dulceis moriens reminiscitur Argos.
Tum pius AEneas hastam jacit: illa per orbem
AEre cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine: sed vires haud pertulit. ocyus ensem
AEneas, viso Tyrrheni sanguine, lætus
Eripit à femore, & trepidanti fervidus instat.
Ingemuit chari graviter genitoris amore,
Vt vidit, Lausus, lachrymæque per ora volutæ.
Hîc mortis duræ casum, tuaque optima facta,

SERVII.

DEXTRA MIHI DEVS. Sic dictum est, ut, *In manibus Mars ipse viri*, ut non alium sibi putet deum esse sacrilegus, quam dextram & fortitudinem.

VOVEO. Consecro, & dico. PRÆDONIS CORPORE RAPTIS. Prædones sunt qui populandam alienam invadunt provinciam. Vt alibi, *Perfidus alta petens abducta virgine prædo.*

TROPHÆVM. Tropæum dictum est, ἀπὸ τῆς τροπῆς, id est ab hostium conversione, quod qui hostem fugasset, merebatur trophæum: qui autem occidisset, triumphum, ἀπὸ τοῦ θριαμβεύειν, id est ab exultatione. Sciendum sane Lauso propriam ideo nihil profuisse pietatem, quod in eum pater mente sacrilega munera transferebat deorum, & ei occisorum spolia devovebat.

ANTHOREM. Erit nominativus hic Anthores, quomodo Diores. Nam si Anthor fuerit nominativus singularis numeri, metri ratio non procedit. omnia enim Græca nomina in OR terminata, in obliquis casibus corripiuntur. Vt Hector Hectoris, Nestor Nestoris, Castor Castoris.

MISSVS AB ARGIS. Profectus, ut, *missus in imperium magnum.*

ALIENO VVLNERE. Telo, quod in Æneam fuerat destinatum. CÆLVMQVE ASPICIT. Vt, *Alto quæsivit cælo lucem.* Item, *Hausit cælum, mentemque recepit.* Naturaliter enim morientes cupiunt satiari extremo lucis aspectu.

DVLCEIS MORIENS REMINISCITVR ARGOS. Intra Physica signa moriturorum, etiam hoc legitur patriæ aspectum desiderare perituros: ut, *Et Tyrios deserta quærere terrâ*: An ex facti pœnitentia, qui ad patriam redire contempserat?

LINEA TERGA. Lino enim tegebantur scuta, ut possent inhærere picturæ.

INTEXTVM TAVRIS OPVS. Pro tergis, Plautus, *Vbi vivos homines mortui incursant boves.* IMAQVE SEDIT INGVINE. Hypallage est, ima hasta, pro in imo inguine.

A FEMINE. Vt etiam supra diximus, secundum Caprum erit nominativus hoc femen: licet nusquam lectum sit, ut etiam ipse commemorat.

LACHRYMÆQVE PER ORA VOLVTÆ. Non viri fortis, sed filii est consideranda persona.

OPTIMA FACTA. Alii optime legunt, est autem prosphonesis. HIC. In hoc loco, vel in bello. nam adverbium est.

VARIORVM.

DEXTRA MIHI DEVS ET TELVM. Proverbialis versiculus. Alludit ad gigantum immanitatem, quorum nonnulli, ut liquet ex Hom. & poëtis, per hastam, tanquam numen jurabant, eamque obnoxiis, hospitibusque adorandam obtrudebant: unde in proverbium abiisse docet interpres Apollonii, τὸ [illegible] δόρυ, quod hastam venerandam proponeret, illique ipse sacrificaret. GERMAN.

INFELIX ALIENO VVLNERE. [illegible] à caussa. Macrob. lib. 4. cap 4.

DVLCES MORIENS REMINISCITVR ARGOS. Quintil. lib. 7.

LINEA TERGA Baysius c.8. Hom. Il. γ. Et in catalogo Alexand. lib. 6. c. 12. Cælius lib. 12. cap. 40.

Si

Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te juvenis memorande silebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat:
Proripuit juvenis, seseque immiscuit armis.
Iamque assurgentis dextra, plagamque ferentis
AEneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit. socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus, furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris: ut possint Sole reducto
Exercere diem: Sic obrutus undique telis
AEneas, nubem belli dum detonet, omneis
Sustinet, & Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis? majoraque viribus audes?

SERVII.

SI QVA FIDEM EST TANTO OPERI. Si qua pro si, ut, 1. Æneid. *Anthea si qua*, aut pro si quam fidem, & quæritur, *Si qua fides*, an de præterito, an de futuro dicat. *Tanto* autem *operi*, non de suis carminibus dicit (nec enim sibi arrogaret) sed TANTO OPERI, id est pietati & virtuti tuæ. Nam hic est sensus, Ego quidem facta tua ô Lause & mortem ex pietate venientem non silebo: si tamen credet vetustas ex scelerato homine pium filium fuisse procreatum.

INVTILIS. Pro vulnere debilitatus. INQVE LIGATVS. Pro illigatusque, & est Tmesis cum Hysterologia.

INIMICVM HASTILE. Cujusdam quasi picturæ pompa describitur.

IAMQVE ASSVRGENTIS DEXTRÆ. Ordo est, Iamque subiit mucronem Æneæ dextræ adsurgentis, & plagam ferentis. *Subiit* autem *mucronem* juxta usum præsentem accusativo junxit, cum alibi antique dativo junxerit, ut, *Muroque subibant*, quod suis locis plenius dictum est.

MORANDO SVSTINVIT. Moram iniiciendo ejus impetum lusit.

DVM GENITOR NATI PARMA. De historia est. nam Scipio Africanus cum esset vix annorum decem & septem, patrem suum defendit in bello, nec cessit viginti septem confossus vulneribus.

FVRIT ÆNEAS. Dolore scilicet quod sibi Mezentius esset ereptus, & est integrum quanquam furit, tenet se tamen.

EFFVSA SI QVANDO GRANDINE. Præteritum pro instanti posuit.

PRÆCIPITANT. Præcipitantur.

TVTA LATET ARCE. Quod scilicet se perite à tempestate defendunt, ut aut ante quæ tuetur*

ALTI FORNICE SAXI. Concavi arationis curvæ.

DVM PLVIT. Hic distinguendum. Nam si junxeris, DVM PLVIT IN TERRIS, erit Archaismos, debuit enim dicere *in terras*: tamen sciendum Hemistichium hoc Lucretii esse, quod ita, ut invenit Virgilius ad suum transtulit carmen. IN TERRIS VT POSSINT. Et viator & rusticus, quibus opera sunt in terris.

EXERCERE DIEM. Hypallage est, pro ut ipsi per diem exerceri possint. NVBEM BELLI. Bellantium impetum sustinet donec deferveat. Et bene translationem fecit à vicina comparatione.

VARIORVM.

ILLE PEDEM REFERENS, &c. Nexibus vulneris illigatus & impeditus, paulatim retrocedebat, ne aversus terga nudaret. PONT.

PRORIPVIT IVVENIS, SESEQVE, &c. *Sese*, bis accipiendum: ut sit proripuit sese juvenis, & se immiscuit armis: Quod quia duplicare otiosum fuit, addidit *que*, ut superiori simul, inferiorique serviret. PONT.

TECTVSQVE TENET SE. Quid enim facere posset tot obsidentibus, nisi adversus vim multitudinis sese contegeret. DONAT.

Fallit te incautum pietas tua. nec minus ille
Exultat demens: sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt. validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit & parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevitque sinum sanguis. tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpusque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit;
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis?
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus, & cineri (siqua est ea cura) remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Æneæ magni dextra cadis. increpat ultro

SERVII.

FALLIT TE INCAUTUM PIETAS TUA. Quod credis idcirco me pium tibi veniam posse concedere: quia & ipse pietatis intuitu dimicas pro patris salute. *Tua* autem *pietas*, prudenter est additum: quasi non à parente discedens.

FILA LEGUNT. Proprium fuerat RUMPUNT: tamen LEGUNT, aut colligunt, aut rampunt, est autem transeunt, ut *Littoraque Epiri legimus.* EXIGIT ENSEM PER MEDIUM. Poëtica est descriptio. nam re vera fieri non potuit, ut gladius transiret per medium corpus juvenis, & in corpore juvenis absconderetur. nam EXIGIT, est agens trans corpus.

PARMAM. Id est levia arma, non clypeum. MINACIS autem non Lausi. non enim ipse minatus fuerat. Ergo ordo est, Mucro minacis, scilicet Æneæ. Aut si ad Lausum referas *Minacis*, num audacis & fortis?

IMPLEVITQUE SINUM SANGUIS. Mire expressus est sinus tunicæ sanguinem excipiens, nec tramittens.

VITA PER AURAS CONCESSIT MOESTA AD MANES. *Vita*, id est anima. Et abusive dictum est. nam ad inferos simulachrum pergit, non anima.

CORPUSQUE RELIQUIT. Potuit sine hoc sensus esse.

PRO LAUDIBUS ISTIS. Quia & contra fortiorem, & pro patris salute dimicare conatus est: nam ideo & pluraliter LAUDIBUS dixit. Alii *laudibus* pro virtutibus, ut solet à Poëta dictum tradunt.

PIUS ÆNEAS TANTA DABIT INDOLE DIGNUM. Propter vitandam adrogantiam tertia persona usus est: Ut, *Et quisquam numen Junonis adoret?* Indoles autem proprie imago quædam virtutis futuræ.

QUIBUS LÆTATUS HABE TUA. Moris enim fuerat, ut cum his rebus homines sepelirentur, quas dilexerant vivi.

SI QUA EST EA CURA REMITTO. Aut more illo dixit, quod solet, sepulturam ad ipsa cadavera non pertinere: licet umbris, sicut in sexto legimus, prosit, ut, *Si qua est ea gloria signat.* Item de Pallante, *Vano mœsti comitamur honore.* Aut certe siqua est cura Mezentio, hoc est patri sacrilego, qui superos inferosque contemnit. An de tota hac re dubitat?

ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS. Sic alibi, *Nomen tamen haud leve patrum Manibus, hoc referes, telo cecidisse Camillæ.*

VARIORUM.

FALLIT TE INCAUTUM TUA PIETAS. Macr. lib. 4. cap. 4. [illegible] à caussa & indignitate [illegible]. HARTUNG.

QUID TIBI NUNC MISERANDE PUER? Cum ubique inducatur pius Æneas, tum etiam hic à decoro ejus personæ non receditur. Non solum pietatem adolescentis in patrem Mezentium laudat, verum etiam præmio donat. Reddit illi sua arma: remittit eum sepeliendum, &c. HORTENS.

ÆNEÆ MAGNI DEXTRA. Meminit in Proverb. *alii sementem faciunt, alii metunt.* HART.

Cun-

Cunctantes socios, & terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tyberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes: ipse æger, anhelans,
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat, multosque remittit
Qui revocent, mæstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimum super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum præsaga mali mens:
Caniciem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.

SERVII.

SANGVINE TVRPANTEM. Non ipsum turpantem, sed ut accidit ita dixit. COMPTOS DE MORE CAPILLOS. Antiquo scilicet more, quo viri sicut mulieres componebant capillos: quod verum esse & statuæ nonnullæ antiquorum docent, etiam personæ, quas in Tragœdiis videmus similes in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis.

INTEREA. Dum hæc geruntur. Et omnino sic est apud Poëtas INTEREA, sicut apud Sallustium, *Eodem tempore.*

VVLNERA SICCABAT LYMPHIS. Siccabat aqua, sed & nove & Physice locutus est. nam cum aqua omnia infundantur, hic ait *siccare vulnus aqua*, & ratio vera est, quia Fluxus sanguinis aquarum frigore continetur. LAVABAT. Inclinatione recreabat.

ACCLIVIS. Quis ante hunc? PROCVL. Modo juxta: ut, *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.*

GRAVIA ARMA QVIESCVNT. Cur illa pendeant, hæc in terra sint, docuit dicendo *gravia*, unde & *quiescunt* dixit. Bene ergo GRAVIA: ut galeam, arma, & levia intelligamus. Et talis est figura, sicut illa Sallustii, *Leonem atque alias feras.* Ergo & leo fera est. *Quiescunt* autem quasi in terra posita: quoniam galea quæ pendebat, poterat & moveri.

COLLA FOVET. Sustinens se arboris trunco. FVSVS PROPEXAM IN PECTORE BARBAM. Barbam in pectus infusam habens. Archaïsmos autem est quod ait *in pectore*, pro in pectus; sicut alibi, *Mediis effusus in undis*: pro, In medias undas, *Propexam* autem quis ante hunc?

MVLTA. Pro multum. sicut, *Et pede terram crebra ferit*, pro crebro. MVLTVMQVE REMITTIT. Hoc pro sæpe.

SVPER ARMA FEREBANT. Supra scutum, sicut supra: *Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.*

INGENTEM, ATQVE INGENTI VVLNERE. Homeri dictum, Κεῖτο μέγας μεγάλως ἀλλα-στρῶμας ἱπποσυνάων.

AD COELVM TENDIT PALMAS. Increpans deos, quasi sacrilegus. Et sciendum non eum uno eodemque tempore potuisse & corpori inhærere, & manus ad cœlum levare: licet Poëta ista conjunxerit. CORPORE INHÆRET. Aut inhæret Lauso suo corpore: aut certe Hysterologia est: ut sit, hæret in corpore. Melius tamen ut sit Antiptosis, pro corpori: ut, *Hæret pede pes*, pro pedi.

VARIORVM.

INTEREA GENITOR. Redit ad Mezentium, cui mors filii nunciata, occasio est ad congrediendum cum Ænea, & pugnando moriendum. HORT.

ARBORIS ACCLINIS TRVNCO. Pro accubans & acclinatus. trunco arboris se sustinebat: & ipsa inclinatione nonnihil corpus fovebat & recreabat. Sic mavult Turneb. lib. 3. c. 19.

MVLTA SVPER LAVSO ROGITAT. Sollicitus pro filio Lauso, diligenter & multum de eo sciscitabatur, & mandata mittebat. Considerabat quid ipse ab Ænea pertulisset, considerabat filii personam & ætatem; timebat ne per imprudentiam ipse salutem suam proderet. DONATVS.

AT LAVSVM SOCII. De Lauso Palmerus pag. 775. Tom. 4. Lamp.

CANICIEM IMMVNDO. Pathos à senecta. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturnal.

IMMVNDO DEFORMAT PVLVERE. Videtur alludi ad illud Odyss. ω. χερσὶν ἑλὼν κόνιν, &c. Macrob. lib. 4. cap. 3. πάθος movet ab ætate. HART.

CANICIEM IMMVNDO DEFORMAT PVLVERE. Deformare pulvere capillos, etiam solenne in luctu Exemplum est in XII. de Latino. Catull. *Caniciem terra atque infuso pulvere fœdans.* Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Digitized by Google

Tantane me tenuit vivendi nate voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,
Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum.
Idem ego nate tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio, sceptrisque paternis:
Debueram patriæ pœnas, odiisque meorum,
Omneis per mortes animam sontem ipse dedissem:
Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relinquo:
Sed linquam. simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus equum duci jubet: hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mærentem, & talibus infit:
Rhœbe diu (RES SIQVA DIV *mortalibus ulla est)*
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta

SERVII.

PER VVLNERA SERVOR. Aut re vera per *vulnera*, quia per totum ejus corpus mucro transierat. aut invidiose *vulnera* ait, pro vulnus; sicut Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias?* Cum una esset Thais de qua loquebatur.

NVNC DEMVM EXILIVM INFELIX, NVNC ALTE VVLNVS ADACTVM. Solatio enim viventis filii utrunque fuerat ante tolerabile.

IDEM EGO. Qui nunc caussa tuæ mortis fui, qui feci ut exulis & sacrilegi filius esse diceteris.

PVLSVS OB INVIDIAM. Excusat, ne merito expulsus esse videatur.

OMNEIS PER MORTES. Per omnia mortis genera: nam una mors est, aut per mortes omnes, id est per diversa supplicia: aut quasi non una tantum morte dignus.

VIS ALTO VVLNERE TARDAT. Alti vulneris violentia.

HAVD DEIECTVS. Non dejectus animo.

ADLOQVITVR MOERENTEM. Tristem. Hæc enim animalia secundum Homerum sunt tristia, quando indicant dominorum mortem futuram. Et proprie *adloquitur* dixit, est enim adloqui consolari. Est autem Homeri comparatio,

Τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφιν προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος
Ξανθός. ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν οὖδας ἵκανεν.

RHOEBE DIV (RES SIQVA DIV MORTALIBVS VLLA EST) Hoc loco notant Virgilium Critici, quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat. ea enim quæ per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quæ non nisi consilio & ratione deprehenduntur. Vnde & Terentius servis dat plerunque sententias prudentissimas quidem, sed quæ se per naturam offerunt cunctis: ut, *NE QVID NIMIS.*

SPOLIA ILLA CRVENTA. Arma Æneæ Lausi cruore perfusa. Vnde intulit, *Et caput Æneæ*: per quod etiam spolia Æneæ intelligimus. nam Lauso nihil detraxerat. Dixit autem, *Arma quibus lætatus, habe tua.* Si autem *cruenti* intellexeris, scilicet crudelis, sic enim convenit personæ loquentis.

VARIORVM.

TANTANE ME TENVIT. Amplificat narrationem à querelis Mezentii patheticis, & tangit vitium quod Græci φιλοψυχίαν vocant & φιλοζωίαν, vitæ retinendæ mollem & turpem cupiditatem. Supra, *quæ lucis miseris tam dira cupido.* GERMAN.

MORTE TVA VIVENS. Quia cecidisti pro me. Scalig. lib. 4. cap. 16.

NVNC ALTE VVLNVS ADACTVM. Pathos per definitionem. *Altum* enim *vulnus* vocat, amittere filium. Macrob. lib. 4. cap. 4. Saturn.

OMNES PER MORTES. Hyperbole, per quam exprimitur ira. Debueram, dicit, me cuilibet periculo, sine ullo mortis metu objicere. Macrob. lib. 4. cap. ult. Saturn.

ATTOLLIT IN ÆGRVM SE FEMVR. Pathos à debilitate. Turneb. lib. 4. cap. 3. Saturn.

ALLOQVITVR MOERENTEM. Hæc animalia credidit Homerus, fata dominorum præsentire, & suo mærore malum portendere & significare. GERMAN.

RHOEBE DIV, &c. Ita Achilles Xanthum equum alloquitur, apud Homer. Iliad. τ. Macrob. lib. 4. cap. 6. H.

Digitized by Google

Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum
Vltor eris mecum: aut, aperit ſi nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim, fortiſſime, credo
Juſſa aliena pati & dominos dignabere Teucros.
Dixit, & exceptus tergo conſueta locavit
Membra: manuſque ambas jaculis oneravit acutis,
ÆEre caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.
Sic curſum in medios rapidus dedit. æſtuat ingens
Imo in corde pudor, miſtoque inſania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus.
Atque hic ÆEneam magna ter voce vocavit.
ÆEneas agnovit eum, lætuſque precatur:
Sic pater ille deûm faciat, ſic altus Apollo:
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infeſta ſubit obvius haſta.
Ille autem: Quid me erepto ſæviſſime nato
Terres? hæc via ſola fuit qua perdere poſſes:
Nec mortem horremus, nec divûm parcimus ulli.
Deſine. jam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. dixit, telumque intorſit in hoſtem.

SERVII.

LAVSIQVE DOLORVM. Num Lauſi dolorum, ut *Lachrymas dilectæ pelle Creuſæ.*

AVT APERIT SI NVLLA VIAM VIS. Aut ſi nullam oſtenderit fortitudo rationem. *Aperit* autem, præſens pro futuro.

NEQVE ENIM FORTISSIME CREDO. Quod dignaberis habere dominos Teucros, ſcilicet ignavos. Nam hoc intelligimus ex eo quod dixit equo, FORTISSIME. Plerunque enim ex alterius perſonæ vituperatione vel laude, quid de alia dicatur, agnoſcimus: ut hoc loco Trojanos vituperatos ex equi laude cognoſcimus. Item alibi è contra, *Et nunc ille Paris*, ſcilicet adulter. nam illic ex perſona Paridis vituperatur Æneas.

EXCEPTVS TERGO. Equo ſe præbente exceptus: quod fieri plerunque conſpicimus.

IACVLIS ONERAVIT. Aviditas ſævientis exprimitur, ut ſæpius.

AERE CAPVT FVLGENS. Quia ſupra, *procul aerea ramis Dependet galea.*

VNO IN CORDE PVDOR. *Vno* autem pro eodem: tribus vero adfectibus conturbatum ſignificat, pudore, ira, dolore; quæ potentia ſunt ſingula.

SIC PATER ILLE DEVM FACIAT. Bene in perniciem contemptoris deorum, deos invocat.

SIC ALTVS APOLLO. Et venerabilis, aut quia in excelſo loco conſecratus eſt.

INCIPIAS. Deeſt *ut*. INFESTA HASTA. In vulnus parata, id eſt, protenta.

QVA PERDERE POSSES. Deeſt ME. nam hoc dicit, niſi extincto filio nulla ſe potuiſſe ratione ſuperari.

NEC DIVVM PARCIMVS VLLI. Hoc ideo quia Æneas invocaverat deos. ut, *Sic pater ille deûm faciat, ſic altus Apollo.*

DONATI.

DIXIT ET EXCEPTVS. Non enim poterat aſcendere, ſed ex ſuperiori loco ſe in equo compoſuit.

VARIORVM.

ÆNEAN MAGNA TER VOCE VOCAVIT. Debuit non provocare eum, cujus virtutem ſenſerat; & timere potius, quem exemplo ſuo probaverat fortiorem: ſed cur metueret, cui æquis votis optabile fuit, aut vincere, aut perire. DONAT.

CRISTAQ. HIRSVTVS EQVINA. Homer. Odyſſ. χ. [illegible] Alexand. lib. 1. cap. 20. HART.

ÆRE CAPVT FVLGENS. A terribili hominis ornatu, quaſi eo hoſtem territurus. HORT.

SIC PATER ILLE DEVM. Brevis quidem precatio, ſed circumſtantiis plane conveniens. HORT.

NEC DIVVM PARCIMVS VLLI. Impius etiam contumelioſus in morte perſiſtit in Deum, ut ſui per omnia ſemper ſit ſimilis. HORT.

Digitized by Google

Inde aliud super, atque alind figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum astantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens: ter secum Troïus Heros
Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, & urgetur pugna congressus iniqua,
Multa movens animo, jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cælum Troesque Latinique.
Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem:
Et super hæc, Vbi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cælum, mentemque recepit:

SERVII.

INDE ALIVD. Id est jacit telum. DESINE. Scilicet mortem minari: quoniam libenter moriturus advenio.

VMBO. Scutum: nam à parte totum intelligimus.

TER CIRCVM. Enarravit quid esset *ingenti gyro*. LÆVOS EQVITAVIT IN ORBES. Secundum artem militiæ. nam eques stans facillime superatur à pedite. In lævam partem autem ideo circumibat, ut Æneæ dextram circumveniret, quæ utique nuda erat.

TOT SPICVLA TÆDET. Hic ostendit quid sit, *figitque volatque*.

PVGNA INIQVA. Pedes contra equitem.

MVLTA MOVENS. Vtrum in ipsum, an in equum tela torqueret: quo vulnerato Mezentius carebat effugio. INTER TEMPORA. Id est in frontem.

BELLATORIS EQVI. Per quem bellum geritur. aliter hominem dicimus bellatorem, qui bellum gerit.

IMPLICAT. Impedit. CERNVVS. Cernuus dicitur equus qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens quam cernimus. Vnde & pueros quos in ludis videmus ea parte qua cernunt κυβιστῶντας, cernui vocantur: ut etiam Varro in ludis theatralibus docet.

CLAMORE INCENDVNT COELVM. Implent. Et abusive dixit. TROESQVE. Hoc est Trojani: Gaudio. LATINIQVE. Scilicet dolore.

ADVOLAT ÆNEAS. Multi hæc nolunt distingui, quasi simul fiant.

HAVSIT COELVM. Hoc est aërem. Lucretius, *In hoc cælo qui dicitur aër*. & hoc dicit, postquam respiravit, & mentem recepit, post turbationem ex equi venientem ruina.

VARIORVM.

VOLATQVE INGENTI GYRO. Circumibat Ænean ingentibus gyris, ut adversum potius, quam aversum feriret. Æneas omnibus telis occurrebat, scuto ea excipiens. LÆVOS IN ORBES ideo, ut Æneæ dexteram partem circum veniret, quæ utique nuda erat. Fuerat autem scutum Æneæ tot jaculis fixum, ut sylvæ faciem præferret. DONATVS.

BELLATORIS EQVI. πολεμιστηρίου. Vide Ioach. Camerarii *Hippocomic*.

TOLLIT SE ARRECTVM, &c. τὸ ὀρθοπάλιγγα Græcorum expressit. Grammatici: ὀρθοπλὴξ ἵππος ἐπαιρόμενος, καὶ πλήσσων. qui arrectum equus se tollit est ὀρθοπλήξ. Non tamen semper cernuant, qui in altum sese erigunt equi. Hæc quippe invicem contraria sunt ὀρθοπλὴξ & *cernuus*. Est ubi utrumque faciunt equi. postquam in sublime sese erexere, mox cadunt cernui. Vide plura in hanc rem. lib. 12. vers. 364. SALMASIVS.

INCVMBIT CERNVVS ARMO. Constat ex Varrone, *cernuare* esse titubare, & lubrico solo & vestigio lapsari, & in pronum & declive ire, quod Græcis ἀσκωλιάζειν dicitur, genus ludi exprimentibus, de quo supra eo loco, *unctos salière per utres*. Inde *Cernuare* Varroni, se in caput jacere, κυβιστᾶν. Turnebus lib. 28. cap. 9. dicit, *Cernuum* calceamenti esse genus apud Festum. GERMAN.

VBI NVNC MEZENTIVS. Sarcasmus. amarulenta irrisio & insultatio. HART.

Hostis

Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas: nec sic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Vnum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
Circumstare odia, hunc (oro) defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulchro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Vndantique animam diffundit in arma cruore.

SERVII.

HOSTIS AMARE. Aspere. Et hoc Homeri est de telo dictum, quod hic ad hominem transtulit. Ille enim ait Πικρὸν ὀϊστόν.

NVLLVM IN CÆDE NEFAS. Mori viro forti nefas non est. Ergo, aut nihil acerbi in morte se passurum ait, aut nihil nefandum Æneam commissurum, si se volentem interfecerit, quia mori decreverit, si mortem filii non valuisset ulcisci.

NEC SIC AD PRÆLIA VENI. Hoc est ut vincerem, aut victus mortem deprecarer, Ergo libenter occumbo. Nec ego sic ut vincerem veni: hoc est, cum voluntate recumbo.

* HÆC PEPIGIT MIHI FOEDERA LAVSVS. Hoc est, non cum hoc pacto à te Lausus recessit, ut ego vitam requiram. FOEDERA autem PEPIGIT, per translationem dixit: id est sic non pugnavit Lausus, ut ullum mihi vitæ relinqueret desiderium. VENIA. Beneficium, ut, *Orantes veniam.*

ACERBA MEORVM. Quasi hoc de Ænea non senserit.

HVNC (ORO) DEFENDE FVROREM. Inimicorum iram & post fata sævire cupientem. DEFENDE autem est prohibe: ut, *Dum teneras defendo à frigore myrtos.* Et bene petit ab Ænea sepulturam, quod scit eum ultro concedere, ut probavit in filio: petit autem non de ejus pietate dubitans, sed timens iram suorum.

HAVD INSCIVS. Liptotes figura est. non enim dixit non ignarus, sed expectans omnibus votis: ut, *Munera nec sperno:* id est libenter accipio. In hac autem figura plus cogitatur, quam dicitur.

VNDANTIQVE ANIMAM DIFFVNDIT IN ARMA CRVORE. Ordo est. In arma undanti cruore animam diffundit, cujus sedem plerique sanguinem volunt esse. & sic est dictum hoc, quomodo illud, *Vna eademque via sanguis animusque sequuntur.*

DONATI.

CORPVS HVMO PATIARE TEGI. Verebatur enim, ne cives ex veteri odio in ejus cadaver nimis sævirent.

VARIORVM.

HAVD INSCIVS ACCIPIT ENSEM. Animo & habitu gladiatorio sciens præbuit jugulum. Quod in arena dicebant, *Ferrum recipere*: Seneca de Tranquillit. *morterū expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus opposita; sed animose recipit.* Et qui hoc faciebant fortiores habebantur. Vide Turneb. lib. 4. cap. 14. & lib. 8. cap. 18. Mutuatus est à Turnebo nonnulla, & adjecit plura Lipsius Saturnal. lib. 2. cap. 22.

VNDANTIQVE ANIMAM DIFFVNDIT. Quasi anima aut sanguis sit, aut in sanguine: quidam enim docuerunt, hanc sedem ejus esse. Hinc *animam effundere, profundere.* Dicit autem *undanti cruore*, ad significandum copiam erumpentis sanguinis ex lethali vulnere, quo ipso etiam arma lavabat. PONT.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER VNDECIMVS.

OCEANVM *interea surgens aurora reliquit.*
Æneas (quanquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est)
Vota deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo: fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi magne trophæum

SERVII.

OCEANVM INTEREA SVRGENS AVRORA RELIQVIT. More suo prætermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat præsens ortus diei: & hoc est quod ait Horatius, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Quæ enim naturalia sunt, omnibus patent. *Surgens* autem quæ surrexit ἀνὰ & κάτω.

ÆNEAS, QVANQVAM ET SOCIIS DARE TEMPVS HVMANDIS. Consuetudo Romana fuit, ut polluti funere, minime sacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat ut ante sacra compleret, quam funus agnosceret. Vnde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione cum ab inimicis ei filius nuntiaretur extinctus, ut quidam putant falso, ut alii pro vero, ait *Cadaver sit*: nec voluit funus agnoscere donec templa dedicaret. Secundum quem ritum etiam Æneas inducitur ante operam dare sacrificiis: & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reverti.

PRÆCIPITANT CVRÆ. Vrgent. Longam enim dilationem sepultura non patitur Sane cum *Quanquam* præmisisset, non intulit *Tamen*, Vt alibi, *Libertas quæ sera tamen respexit inertem*, cum *Tamen* dixerit, non præmisit *Quanquam*, dare vero tempus relinquere, id est ut breve, & habet emphasim propter multitudinem negotiorum*. TVRBATAQVE FVNERE MENS EST. Funere Pallantis. κατ' ἐξοχὴν. nam est hæc consuetudo apud poëtas, ut à plebe segregent duces. Sic paulo post ait, *Interea socios inhumataque corpora terræ Mandemus.* & intulit segregans *Mæstamque Euandri primus ad urbem Mittatur Pallas.* Sic dictum est, *Relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.* Item, *Forsitan & Priami fuerint quæ fata, requiras.*

PRIMO VICTOR SOLVEBAT EOO. Antequam luctum subiret & funeraretur. PRIMO autem EOO, subaudimus tempore. nam Græce ἠὼς dicitur, quam nos Auroram vocamus. Homerus ait, ῥοδοδάκτυλος ἠὼς: quod nomen Latini traxerunt per derivationem, ut dicerent, *Et latus Eois Eurus equis.* Item, *Eoasque acies.* Sane ut etiam supra diximus, in hoc sermone prima syllaba naturaliter longa est: sed cum opus fuerit, corripitur *Eos* aut licentia nominis proprii, aut quia eam vocalis sequitur.

CONSTITVIT TVMVLO. In colle: quia trophæa non figebantur nisi in eminentioribus locis. Sallustius de Pompejo, *Devictis Hispanis, trophæa in Pyrenæis jugis constituit.* Ex quo more trophæa arcubus exædificatis in urbibus figuntur. Ideo autem nunc trophæum ponit Æneas, quia necdum plenam est victoriam consecutus: sed occiso Mezentio fugavit exercitum. plena victoria enim, ut supra diximus, triumphus debetur. Et persolvit vota vel propter tanti ducis interitum, vel quia fas erat etiam de primitiis belli sacrificare. *Tumulo* autem deest *in*, id est in tumulo. INDVIT ARMA. Vt *indutosque jubet truncos hostilibus armis*, sine nomine.

(TIBI MAGNE TROPHÆVM BELLIPOTENS.) videtur interrupta descriptio. Hoc per Parenthesim dictum est & prosphonesin, & post reddita: *magne* autem *bellipotens* antonomasia per duo epitheta sine nomine.

DONATI.

VOTA DEVM. Recte diis consecrat ejus arma, qui deos semper contempsit.

VARIORVM.

Explicat hunc librum Turneb. lib. 5. cap. 7. & 14. cap. 13. & lib. 22. cap. 3.

MEZENTI DVCIS EXVVIAS. De Trophæorum ritu apud Romanos, Turneb. lib. 14. cap. 13.

TIBI MAGNE TROPÆVM. Hic mos ab Italia & Græcia, velut jure gentium, etiam ad Christianos pervasit, ut hostium spolia & exuvias sacris postibus locisque tanquam victoriam ad numen referentes, appendant. GERMAN. Multa scitu utilia super notione hujus vocis *trophæum*, Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 22. & in eum Tiraquell.

Belli-

Digitized by Google

Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovanteis:
Maxima res effecta viri: timor omnis abesto,
Quod superest. hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis, murosque Latinos.
Arma parate animis; & spe præsumite bellum:

SERVII.

APTAT. Apta locat, & congrue ponit vel figit ut *Aptatque superbis Postibus.*

TELAQVE TRVNCA VIRI. Id est perfracta: ita enim in trophæis poni consuerunt. Iuvenalis, *Et fracta de casside buccula pendet, Et curtum temone jugum, victæque triremis Aplustra.* Vel *trunca tela*, quæ de suo clypeo legeret. Ideo enim *trunca*, quod in evellendo præfracta. ET BIS SEX THORACA PETITVM PERFOSSVMQVE LOCIS. Duodecim vulneribus appetitum: quia, ut supra diximus, totius Tusciæ populus in duodecim partes fuit: ut, *Gens illi triplex populi sub gente quaterni*, qui singulis Lucumonibus parebant. Moris autem fuit ut interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Sicut etiam de Hectore Homerus commemorat,

οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν, καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος· οὐδ᾽ ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.

Vnde est, *Quæ circum plurima muros Accepit patrios.* Non ergo ab Ænea, sed ab his qui *Vni odiisque viro telisque frequentibus instant*, quod ostendit Mezentius cum sub Æneæ telis jaceret. Scio acerba tuorum circumstare odia, neque enim hoc in illo momento periculi meminisset, nisi eos cerneret imminere.

CLYPEVMQVE EX ÆRE. Figuratius, quam si *æreum* diceret, ut alibi, *Cui pharetra ex auro.*

ENSEM COLLO SVSPENDIT EBVRNVM. Vaginam eburneam. Sane ebur, eboris facit, non eburis: sicut murmur, murmuris. Vnde quia in principalitatis declinatione varietas invenitur, etiam derivatio varia est. nam eburneus facit ab eo quod est ebur: eboreus ab eo quod est ebor eboris. *Collo* autem, id est de collo: Paulatim de trunco arboris humanam figuram fecit, ut & sinistram illi det, & collum, quod valde quæritur an bene.

MAXIMA RES EFFECTA VIRI. Occiso tanto duce: simul etiam trophæi ostenditur caussa. Et verecunde cum ipsius opus sit, impersonaliter ait. ABESTO. Absit: nam tertia persona est.

QVOD SVPEREST. De reliquo: & est absoluta elocutio. ut, *Quod superest læti bene gestis corpora rebus.* ET DE REGE SVPERBO PRIMITIÆ. Aut hoc dicit, primitiæ istæ quas fecimus, non de plebe sunt, sed de rege superbissimo. Aut certe regem superbum Turnum accipiamus. nam de ipso legimus, *At Rutulum abscessu juvenis cum jussa superba Miratur*: ut sit sensus, Hæc spolia & hanc primam belli partem superbo Turno sustulimus: Nam hoc epitheton proprium Turni est, quod et Virgilius pro ingenti dat scelere. Apud majores enim superbia ingens facinus fuit, adeo ut Tarquinius pro multis sceleribus *Superbi* nomen acceperit.

MEZENTIVS HIC EST. Pro talis est. ut, *Hunc ego te Euryale aspicio?* Id est talem; & utrum per contemptum, an per commendationem hoc pronuntiandum? MVROSQVE LATINOS. Bene quasi hoc solum restet & hoc dicit: Iam campestri superavimus prælio: restat ut etiam obsidione vincamus. Credit enim quod sibi jam aperte nullus occurrat: nec inaniter. nam & paulo post dicturus est Turnus, *Furta paro belli.* Et in duodecimo Latinus, *Vix urbe tuemur Spes Italas.*

ARMA PARATE ANIMIS. Aut Hypallage est, pro armis parate animos. aut certe est mutanda distinctio, ut sit, animis & spe præsumite bellum.

PRÆSVMITE BELLVM. Mente præoccupare. ut supra Turnus, *Et pugnam sperate parati.* Bene autem ait PRÆSVMITE, quasi rem jam sui juris, ut ei deberi videatur certa victoria.

DONATI.

BIS SEX. Quanta vis fuit istius, qui duodecim plagis occidi non potuit? nam in aperto jugulo periit.

NVNC ITER AD REGEM. Non enim vult tum esse consultandum de bello, cum prælium erit gerendum.

VARIORVM.

PRIMITIÆ. Victoriarum meatum. Primitiarum nomine (quas proprie dicimus, quæ de fructibus novis, aut fœtibus gregum diis offeruntur) & spoliorum, quodam circuitu verborum ἀκροθίνια significare voluit Maro, quæ & spolia & frugum primitias sonant: λάφυρα autem vivis abstracta: σκῦλα vero & σκυλεύματα mortuis. GERMAN.

Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint superi, pubemque educere castris,
Impediat, segnesque metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait: egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus: mæstamque Euandri primus ad urbem
Mittatur Pallas: quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Sic ait illachrymans, recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit: sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis charo datus ibat alumno.

SERVII.

NEQVA MORA. Ordo, nequa mora impediat. VELLERE SIGNA ANNVERINT SVPERI. Ne in mora sitis, cum captatis auguriis ad bellum exire cœperimus. VELLERE autem proprie dixit, quia Romana signa figebantur in castris: & cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis avellebantur è terra. nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si avellentem facile sequerentur, adeo ut cum filio Orodis bello sit Crassus [illegible], qui iturus ad Parthiam, avellere signa vix p[illegible]t. Quod etiam Flaminio contigit, qui cum imperasset signa tolli, eaque non possent moveri, effosso solo in quo erant fixa, vi magna extrahi præcepit, & infeliciter apud Trasyminam pugnavit: Alii *vellere*, movere accipiunt. Ennius, *Rex deinde citatus Convellit sese*, & in sacris convelli mensa dicitur, cum tollitur.

ADNVERINT SVPERI. Bene in adhortatione nihil se inauspicato, vel sine deorum voluntate facturum promittit, Ideo non dixit *Iussero*, sed cum divi jusserint.

INTEREA SOCIOS. Donec tempus obsidionis adveniat. Et *Interea socios, inhumataque corpora terræ*, ἐν διὰ δυοῖν pro corpora sociorum.

QVI SOLVS HONOS ACHERONTE SVB IMO EST. Hoc ideo intulit, quia in sexto de insepultis dixit: *Centum errant annos, volitantque hæc littora circum.* Palinurus Æneæ, *Portusque require Velinos Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.* Et bene *Acheronte sub imo*, quia hæc res ad umbras tantum pertinet. Nam apud prudentes homines nullius momenti sunt ista.

ITE, AIT. Vitiose in media oratione, ait, positum Critici notant. EGREGIAS ANIMAS. Ingenti arte laudat, potius quam misereatur extinctos, ut præsentium animos in bella succendat. QVÆ SANGVINE NOBIS HANC PATRIAM. Eleganter & hoc oratorie ad exhortationem audientium sumptum est, nam laus defunctorum viventium exhortatio est, & bene patriam ait, tanquam fiduciam gerit quasi vicerit. Sane cum hortatur socios ut sepeliantur occisi, ipse defunctis velut Epitaphion dixit.

QVEM NON VIRTVTIS EGENTEM. Ennii versus est. Egentem sane non ablativo jungimus. FVNERE MERSIT ACERBO. *Acerbo*, immaturo, translatio à pomis.

QVI PARRHASIO EVANDRO. Arcadio à civitate Arcadiæ, quam Donatus vult à Parrha avè dictam: quod procedit, si Parrha nomen est Græcum: si autem Latinum est, stulte sensit. nam Græcum nomen etymologiam Latinam non recipit. Alii Iovis filium Parrhasium dicunt, qui habuit Arcadem filium, ex quo primo Parrhasii, post Arcades dicti sunt. Sane Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhasiorum, Mœnaliorum, Azanorum, Cynethorum. Alii non Exanas & Cythenos, sed Azanes & Cyneros dicunt *.

FELICIB. ÆQVE. Hinc non felicitas comparatur, sed ut est illud *Dii meliora piis*, non quia hæc bona sunt, sed bona optat.

IBAT. Pro ierat. ALVMNO. Alumnus est, qui Græce τρόφιμος dicitur: quod nomen quia in Latinitate non est, ut ab eo quod est nutritor, inveniamus eum qui nutritus est, transiit ad nomen aliud, & alumnum dixit.

VARIORVM.

ACHERONTE SVB IMO EST. Pro Inferis, fluvius capitur. Turneb. lib. 5. cap. 7.

HANC PATRIAM PEPERERE. Pathos à causa. Macrob. lib. 4. c. 4. Saturnal.

CORPVS VBI, &c. Mos familiaris fuit, ut post efflatam animam cadaver cubiculo efferrent, in vestibulo ædium collocarent ad januam. Hunc morem tangit occulte. Vide Lips. Elect. lib. 1. c. 16.

Circum

Circum omnes, famulumque manus, Trojanaque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.
Vt vero Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus: mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei fultum Pallantis, & ora
Vt vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lachrymis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherère paternas?
Non hæc Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium: metuensque moneret
Acreis esse viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani,
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.

SERVII.

ILIADES CRINEM DE MORE SOLUTÆ. Has Æneæ ancillulas intelligimus. nam omnes honestas matres, hoc est mulieres nobiles in Sicilia remansisse dixit, excepta Euryali matre; de qua legimus, *Quæ te sola puer multis è matribus ausa Persequitur?* Crinem autem solutæ, figurate, ut *Palmis percussa lacertos.*

VT VERO ÆNEAS FORIBUS SESE EXTULIT ALTIS. Naturale enim est ut intermissa lamenta repetantur, cum aliquis notus advenerit. Sic in Statio, *Ingressis ducibus denuo defletur Archemorus.*

NIVEI FULTUM PALLANTIS. Late patet hoc epitheton. referri enim potest & ad candorem pristinæ pulchritudinis, & ad pallorem ex morte venientem, & ad frigus quod proprium mortuorum est: ut, *Corpusque lavant frigentis & ungunt.*

LEVI IN PECTORE. Pulchro, puerili, nondum setoso.

TENE, INQUIT. Iteratio est: nam supra ait, *Lachrymis ita fatur obortis.* Sicut in quinto posuit, *Et fidam sic fatur ad aurem.* Et paulo post intulit, *Et sese ostentet in armis, Dic ait.* Sane sciendum hanc adlocutionem talem esse, qualis illa non ubi defletur Euryalus. nam locis omnibus commovet miserationem, ab ætate, à tempore, à vulnere, à spe parentis.

CUM LÆTA VENIRET INVIDIT FORTUNA. Ac si diceret, quantum noceret adversa, cum læta talem intulit casum. Videtur autem dolere, quod queri non potest de fortunæ crudelitate, quæ ei uno eodemque tempore & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum. TENE autem INVIDIT FORTUNA MIHI. Vt, *Liber Pampineas invidit collibus umbras.*

DISCEDENS DEDERAM. κατὰ τὸ σιωπώμενον hoc intelligimus. Nam abscedens nusquam est Euandrum adlocutus Æneas.

CUM DURA PRÆLIA GENTE. Subaudimus *fore.*

FORS ET VOTA FACIT. Forte, utrumque enim dicimus etiam & vota suscipit. potest & unum esse FORS, Et unum forsitan vota facit, & jam vota suscipit. CUMULATQUE ALTARIA DONIS. Id est & sacrificat & suscipit vota. Naturaliter autem queritur de terrore mentis humanæ.

DONATI.

MISERANDE PUER. Puerum dixit Pallanta, ut victoris minueret gloriam: nam alibi juvenem dixerat.

VARIORUM.

ET MOESTÆ ILIADES. Facit mentionem seorsim fœminarum, quia, ut ait Sophocles, φιλοίκτιστον, καὶ συμπαθητικὸν γυνή. *De more* autem, non indocti homines reddunt per illud Poëtis familiare, κατὰ νόμον, licet καθ' αὑτὸ aliud videatur. GERMAN.

IPSE CAPUT NIVEI. Mortui corpus nova arte laudavit: augent enim dolorem quæ possunt in defuncto laudari. Tantæ, inquit, Palles pulchritudinis erat, ut eum nec mors deformare valuisset. Tum augebat dolorem religiosi viri, quod in uno cæso multa essent extincta: spes juvenis, vota patris, pulchritudo corporis. DONAT.

NON HÆC EVANDRO DE TE. Πάθος à sui ipsius objurgatione. Macrob. lib. 4. c. 5. HART.

FORS ET VOTA FACIT. Guilel. Canterus. lib. 4. cap. 6. Novar.

Digitized by Google

Nos juvenem exanimum, & nil jam cælestibus ullis
Debentem, vano mæsti comitamur honore.
Infelix nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, expectatique triumphi:
Hæc mea magna fides. at non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iüle.
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lachrymis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates, & molle pheretrum

SERVII.

NIL IAM COELESTIBVS VLLIS DEBENTEM. Vivi enim, superorum sunt: mortui ad inferos pertinent. Vt in duodecimo, *Vos ò mihi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas.* Superis autem debemus omnia donec vivimus, ideo quia ut dicunt physici, cum nasci cœperimus, sortimur à Sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Iove desiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem: quæ omnia singulis reddere videntur extincti. Et hoc secundum physicam disciplinam, tradunt enim physici omnia nos mereri à superis, quæ rursus extincti reddimus ipsis potestatibus supernis, quod & Plato videtur astruere, qui dicit quod cum de effluxione fontium non aliarum quarumlibet rerum, sed ipsarum stellarum fuerint animæ corporibus commodandæ, quicquid de ipsis fontibus stellarum ebullit hoc intelligi debere stellas. Ergo priusquam in corpora ingrediantur animæ per hæc signa erratica transeuntes, singula supradicta singulæ accipiunt. Item exeuntes singula singulis redhibere dicit, quæ in corpus venientes perceperunt.

VANO MOESTI COMITAMVR HONORE. Inani, ut supra diximus, quantum ad divos pertinet.

INFELIX NATI FVNVS. Hoc quidam αὐϑάδως & vulgare accipiunt, sed decenter ad exprimendum patris adfectum nunc ad patrem redit.

HI NOSTRI REDITVS. Tales sunt: ut, *Manibusque meis Mezentius hic est.* EXPECTATIQVE TRIVMPHI. Modo de se loquitur.

HAEC MEA MAGNA FIDES. κατὰ τὸ σιωπώμενον: quam de Pallantis reditu promiserat patri. AT NON EVANDRE. Aut mutavit declinationem, nam Euander facit, ut ipse. lib. x. *Pallas Euander in ipsis,* aut Græcum vocativum fecit ὦ Εὔανδρε.

PVDENDIS VVLNERIBVS. A tergo illatis: & est consolatio. Quid autem *pudendu* sit, ipse exposuit dicendo *pulsum aspicies.* NEC SOSPITE. Antiptosis est pro *sospiti*; & hoc dicit, Si fugisses vulneratus à tergo, ipse ei optares interitum. Alii, non talem habes, inquit, filium quo sospite tibi dirum funus optares, quod parentes sibi precari solent ob nequitiam liberorum. Alii, non optabis, inquit, sospiti filio mortem, quod magis heroicæ personæ convenit, & quare *sospite* pro sospiti?

HÆC VBI DEFLEVIT. Hoc est, postquam hæc cum lachrymis dixit. *Flere* enim est cum voce lachrymare. Vnde habemus in sexto, *Continuo auditæ voces, vagitus & ingens: Infantumque animæ flentes in limine primo.*

TOTO LECTOS EX AGMINE. Trojanos, Thuscos, Arcades.

EXIGVA. Quamvis enim magna sint, orbitati patris prodesse non possunt. Sed tamen exhibenda sunt patri, quia debentur: aut est sensus, non quidem responsura luctui, sed tamen solennia, Ergo justitiæ potius causa quam solacii.

PHERETRVM. Feretrum locus ubi mortui feruntur, & est Græcum nomen. nam Græce φέρετρον dicitur. Vnde per diæresim pheretrum facit, dictum à ferendo: nam Latine capulus dicitur. Vnde & Plautus ait, *Capularis senex*, id est vicinus capulo. Et dictus est capulus, eo quod corpus capiat.

VARIORVM.

CÆLESTIBVS VLLIS DEBENTEM. Id est, mortuum, vivi enim superis obnoxii sunt. Turnebus lib 5. cap. 7.

VANO MOESTI COMITAMVR HONORE. *Vano*, quod eo in vitam desiderati mortui revocari non possint: neque enim conveniret personæ & pietati Æ neæ extremum illum honorem, cujus se studiosissimum ubique ostendit, eludere & elevare: cum præsertim nuper à Palinuro admodum, & inferis didicerit, quanta cura & ratio sepulturæ habenda sit. GERMAN.

HI NOSTRI REDITVS, &c. Ironia pathetica, cum quidvis potius, quam hujusmodi reditus & triumphi exspectati essent. HORT.

Arbu-

Digitized by Google

Arbuteis texunt virgis & vimine querno,
Extructosque thoros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit:
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestes, ostroque, auroque rigentes
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni, supremum mæstus honorem,
Induit: arsurasque comas obnubit amictu.
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci.

SERVII.

VIMINE QVERNO. Sunt aliquæ duræ derivationes, tamen eis sic utimur, ut quernum vimen, colurnum veru. ut, *Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.* Ficulnum lignum. ut Horatius, *Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.* Item, Aprugnum callum.

OBTENTV FRONDIS INVMBRANT. Velut cameram quandam capulo ramorum extensione fecerunt.

AGRESTI SVBLIMEM IN STRAMINE. Hoc est super frondes ponunt. Nam hic reddit quod omisit supra dicens, *Extructosque thoros*: nec addens unde.

DEMESSVM. Participium est veniens ab eo quod est metor. Sane ab eo quod est meto, præteritum perfectum messui facit. LANGVENTIS HIACYNTHI. *Languentis*, aut postquam decerptus sit, aut quia non est acuti coloris, aut quando dimittit caput. Sane Hiacynthus puer fuit Eurotæ, vel, ut quidam volunt OEbali filius, cetera de hoc in Bucolicis dicta sunt. SVA FORMA RECESSIT. Id est propria pulchritudo.

OSTROQVE AVROQVE RIGENTES. Unum QVE vacat: & est additum hiatus caussa.

LÆTA LABORVM. Figura est, lætus illius rei. Nam modo dicimus lætus labore.

SVIS MANIBVS SIDONIA DIDO. Ut, *Dives quæ munera Dido.* suis autem manibus, ut heroïdes solebant.

DISCREVERAT. Depinxerat. simul & amantis affectus ostenditur.

HARVM VNAM. *Unam* pro alteram de duobus scilicet, & horum alterum & horum unum possumus dicere. nam artigraphi hoc tantum vetant dicere, ne de duobus alium dicamus: quod de multis proprie dicitur. Sane figurate dixit, *Vestem induit*, ut, *Exuvias indutus Achillis*: cum in usu sit, Induit illare. ut, *Indutosque jubet truncos hostilibus armis.* Id est, truncos indutos jubet offerri. Sane hoc videtur secundum cæremonias Flaminum subtiliter dixisse. Flamini enim nisi unum mortuum non licet tangere, sed Æneas plurimos postea occidit. Sed aliud est in bello occidere, aliud mortuum tangere: sciendum est tamen Æneæ omne genus sacerdotii tribui.

ARSVRASQVE COMAS OBNVBIT AMICTV. Harum unam de duabus vestibus induit juveni, altera caput ejus velavit. nam supra duas vestes dixit esse prolatas. OBNVBIT autem, velavit: translatio à nubibus, quibus tegitur cœlum. Unde & nuptiæ dicuntur, quod nubentium capita obnubantur, id est velentur.

LAVRENTIS PRÆMIA PVGNÆ. Mittit præmia quæ de præda Laurentis pugnæ sustulerat. Nam præda est quæ eripitur: præmium quod offertur.

VARIORVM.

QVALEM VIRGINEO DEMESSVM. Pathos à parabola. Macrob. lib. 4. cap. 5. Saturnal.

TVM GEMINAS VESTES. De duplici veterum veste, qua & caput detegebant. Turneb. lib. 5. cap. 7.

VESTES, OSTROQVE AVROQVE RIGENTES. Dicturus Ænean vestem funeri contulisse, dicit ejus pretium & meritum. Has, inquit, fecerat Dido: ecce unum meritum. *Manu sua*, augmentum laudis, ipsa quæ fuisset regina, fecit Æneæ, quem dilexerat plurimum, ut verum ac plenum amantis demonstraret affectum. DONAT.

QVAS ILLI LÆTA LABORVM. Pro læta labore; quam scilicet laboris non pigeret. Simile illi inferius: *Fortunatusque laborum*, id est, qui non frustra laborarit. Scalig. lib. 4. cap. 16.

LONGO ORDINE DVCI. Cur longo ordine prædam duci jubet? Ne in globum collecta, ambitionem ac pompam funeris minueret. DONAT.

Addit equos & tela, quibus ſpoliaverat hoſtem.
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas:
Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur & toto projectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfuſos ſanguine currus.
Poſt bellator equus, poſitis inſignibus, Æthon
It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.
Haſtam alii galeamque ferunt: nam cætera Turnus

SERVII.

EQVOS ET TELA, QVIBVS SPOLIAVERAT HOSTEM. Vel Pallas, vel Æneas. Nam ambigue poſitum eſt. *Spolia* autem cum proprie ea tantum ſint quibus hoſtis ſpoliari poteſt, ut lorica vel veſtis, abuſive jam *ſpolium* dicitur quicquid hoſtibus tollitur. Vnde eſt, *Poſtquàm illum vita victor ſpoliavit Achilles.* Alii equos & tela quibus ſpoliaverat hoſtem ad Pallantem volunt tantum pertinere, quia in antiquis diſciplinis relatum eſt, *Quæ quiſque virtute ornamenta conſecutus eſſet, ut ea mortuum dum condecorarent.* Salluſtius, *Exuunt armis equiſque.*

VMBRIS INFERIAS. Proprie enim *inferiæ* ſunt ſacra mortuorum.

CÆSO SANGVINE. Pro cæſorum. Vt ſupra, *Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.*

IPSOS FERRE DVCES. Suos ſcilicet, qui illis mille præerant. Melius tamen eſt, truncos jubet pro ducum ſpoliis ferre ipſos duces, ut tropæa, duces ipſos dixerit. Sicut ſupra, *Manibuſque meis Mezentius hic eſt*, de tropæo: duces autem ut Haleſum & ejuſmodi quos occiderat Pallas, duces ipſi portarent, nam ducum fuerat tropæa portare, ut habeat pater ſolatium de victoria filii, & honor funeri accedat. INIMICAQVE NOMINA FIGI. Pro inimicorum. dicit autem adfixos tropæis titulos cum nominibus occiſorum.

DVCITVR INFELIX ÆVO CONFECTVS ACETES. Quaſi qui conſternatus nimio dolore ire non poterat. Et bene ex rerum permutatione expreſſit doloris magnitudinem dicens, ita doluiſſe Aceſtem, ut pene carens humano ſenſu per ſe ire non poſſet, & equum ita ſenſiſſe interitum domini, ut in humanum migraret affectum. nam & lachrymabat & ſponte ſequebatur cadaver. Et bene; cum hominis ſit ire, equi ducere, hominem autem duci ait, de equo, *It lachrymans.*

FOEDANS. Vel cruentans, vel lacerans.

TERRÆ. Id eſt in terra. Et figurate *ſternitur terræ*, ut, *Truncumque reliquit arenæ.*

PERFVSOS SANGVINE CVRRVS. Aut captivorum, aut ipſius Pallantis.

POST BELLATOR EQVVS. Militaris enim diſciplinæ fuit, ut equus uſque ad ſepulchrum duceretur, armiger perverſa arma geſtaret, unde hanc conſuetudinem videtur poëta ſervaſſe.

POSITIS INSIGNIBVS. Sine phaleris;

IT LACHRYMANS. Non mirum eſt, quod equum dicit lachrymare, cum Homerus etiam divinantem induxerit. Plinius ſolum equum præter hominem lachrymare, & doloris adfectum ſentire dicit. ÆTHON. Nomen equi, quo etiam Auroræ equus vocatur. Quod autem equus bellator dicitur, & phalanx comitatur, juxta morem Romanum ait, ut dignitas in regii adoleſcentis ſervetur exequiis, quia apud Romanos quod erat vivo conceſſum, mortuo non adimebatur, militaris autem diſciplinæ erat. GVTTIS GRANDIBVS. Bene *grandibus*, quia de equo.

NAM CÆTERA TVRNVS VICTOR HABET. κατὰ τὸ σιωπώμενον & alia eum ſuſtuliſſe intelligimus, non tantum balteum: ut legimus ſupra. nam ſola haſta & galea oſtenditur remanſiſſe.

DONATI.

QVIBVS SPOLIAVERAT HOSTEM. Ambigue dictum, vel quibus uſus fuerat dum hoſtes interimeret; vel quibus hoſtes ſpoliavit. ultima tamen ſententia melior eſt.

VARIORVM.

INIMICAQVE NOMINA FIGI. Alludit ad Romanorum morem, quo conſtat in funere Imperatorum, nomina ſub titulis hoſtium victorum & gentium prælata & exhibita fuiſſe. GERMAN.

DVCITVR INFELIX ÆVO CONFECTVS. Pathos ab ætate. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturnal.

POST BELLATOR EQVVS IT LACHRYMANS. Sic & morte Cæſaris equos diu pabulo abſtinuiſſe multi ſunt auctores. Sunt autem qui dubitent an ea ſententia dictum ſit à Poëta, ut equum intelligeret cum ipſo cadavere exuſtum iri: nimirum quod ſolerent priſci cum mortuis ipſis cariſſima quæque cremare, arma, veſtes, equos, canes, &c. Alii malunt equum ad comitatum & pompæ ornatum ductum tantummodo. GERMAN.

IT LACHRYMANS. Iumenta lachrymari, etiam dixit Sueton. in Cæſare. Turneb. lib. 2. cap. 27.

Vi-

Victor habet. tum mæsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Fata vocant: salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale. nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terra:

SERVII.

PHALANX. Lingua Macedonum, legio. Quod autem ait *mæsta*, Arcadas intelligimus. Vnde infert, TEVCRIQVE SEQVVNTVR, TYRRHENIQVE DVCES. Et hoc est quod ait supra, *Et toto lectos ex agmine mittit Mille viros.*

VERSIS ARCADES ARMIS. Lugentium more mucronem hastæ, non cuspidem contra terram tenentes. Quoniam antiqui nostri omnia contraria in funere faciebant: Scuta etiam invertentes propter numina illic depicta, ne eorum simulachra cadaveris polluerentur aspectu, sicut habuisse Arcades Bachilides in dithyrambis dicit, & hoc, ut nonnullis frustra placet. nam lugentium mos, est prioris habitus immutatio. Alii *versis armis* in obliquum versis scutis, ne splenderent insignia: *Arma* autem scuta dici ipse declarat, ut, *Lausum socii examinem super arma ferebant*, sed potest hoc de armis versis non ad Arcadas solum, sed ad omnes pertinere: An *versis armis*, quod interempto Pallante victos jam se Arcades arbitrabantur: Alii dicunt hunc morem fuisse, ut de suo duce nunquam voce quereretur exercitus, ne seditio paulatim insurgeret, verum armorum ordinem mutantes, scuta supina portarent. Ergo vel Æneas ab Arcadibus arguitur, quod Pallas non sit vindicatus, vel Euander, quod novi hospitis gratia adulescentem temere in bella projecerat.

COMITVM. Potest pro comitantium accipi.

GEMITVQVE. Deest *cum*.

ALIAS HINC AD LACHRYMAS. Ad aliam sepulturam, id est, ad ceteros sepeliendos, qui eodem prælio ceciderunt.

SALVE ÆTERNVM MIHI MAXIME PALLA. ÆTERNVMQVE VALE. Varro in libris logistoricis dicit, *Ideo mortuis Salve & Vale dici: non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nusquam visuri.* hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum vale obtineat, ut Terentius, *Valeant qui inter nos dissidium volunt*, hoc est ita à nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur VALE, non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi à quibus recedimus.

ORATORES. Legati: à perorando pro republica nominati, quod orabant, id est agebant, unde & actores causarum, oratores appellantur. VRBE LATINA. Pro Latini: id est de Laurolavinio.

VELATI RAMIS OLEÆ. Non coronati (nec enim lugentes decebat) ut qui pro mortuis precabantur, sed instructi, & ornati: id est in manibus olivæ ramos ferentes. sicut Homerus στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. VELATI autem, ornati: & illo loco significat, *Victori velatum auro vittisque juvencum*: cum vittis non aut velentur aut coronentur victimæ, sed ornentur, aut certe *velati*, ab omni injuria tecti jure gentium. VENIAMQVE ROGANTES. Beneficium juxta antiquum modum dictum, hoc est sepulturam suis petentes.

FERRO QVÆ FVSA. *Fusa* modo, interempta, alias fugata, sed discernuntur epithetis: ut si dicas, ferro fusus, vel metu fusus.

REDDERET. Ostendit jam campos in Trojanorum esse potestate.

VARIORVM.

VERSIS ARCADES ARMIS. Versionem hanc armorum, non luctus solum notam fuisse, sed etiam transfugii & defectionis. Ammianus lib. 26. Turneb. lib. 22. cap. 11.

SALVE ÆTERNVM. De forma salutandi Turneb. lib. XI. cap. 1. Titius lib. 6. cap. 16. Brisson. Formul. lib. 8. num. 747. Alexand. lib. 3. cap. 7.

IAMQVE ORATORES ADERANT, &c. Poëta bellici juris peritus, ut integram solidamq; victoriam Trojanis asserat, & eos campo potitos doceat, inducit legationem Latinam ad Ænean, quæ ad sepulturam corpora deposceret à victore Ænea; secundum scilicet historicam fidem & receptum belli morem & legem, Imperatori illi superiores commissæ pugnæ partes adjudicantem, penes quem campi & sepulturæ potestas remansit. GERMAN.

VELATI RAMIS OLEÆ. Ex Homero desumptum, ut docet Turnebus lib. 5. cap. 7. Deque hoc supplicandi ritu. Had. Junius lib. 2. Animadv. cap. 9.

Nul-

Nullum cum victis certamen & æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus AEneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, & verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna Latini
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacemne exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent:
Nec bellum cum gente gero. rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potius se credidit armis.
AEquius huic Turno fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis:
Vixet, cui vitam deus, aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, & miseris supponite civibus ignem.

SERVII.

NVLLVM CVM VICTIS CERTAMEN. Deest esse oportet. ET ÆTHERE CASSIS. Id est luce vacuis: unde & retia, casses dicimus. hoc autem bene addidit, quoniam victi possunt innovare certamen.

BONVS ÆNEAS. Ideo quia ab eo facile impetratur. HAVD ASPERNANDA. Iusta, non contemnenda. Sepulturæ enim beneficium generaliter debetur universis.

VENIA. Quam petebant; aut *venia*, humanitate. INSVPER ADDIT. Accumulat verbis beneficium, dicens pacem se etiam vivis velle præstare. pacem autem ideo defunctis, quia ait supra, *Nullum cum victis certamen*. & mortuorum pax, sepultura est. Vnde elegit verbum quod tam vivis, quam mortuis aptum esset.

QVÆNAM. Quanta & qualis. nam mirantis est: nec enim dubitat cum ipse dicat *Indigna*. Ergo potest ἐκπλήξεως esse, quænam vos fortuna implicuit, quæ est indigna bello: & mira est oratio conciliantis se hostibus suis.

IMPLICVIT. Id est involvit invitos. *Bello* autem incertum dativus an ablativus.

MARTIS SORTE PEREMPTIS. Ad illud, *nullum cum victis certamen*.

NEC VENI. Nec venissem; tempus est pro tempore & vitavit ὁμοιοτέλευτον.

NEC BELLVM CVM GENTE GERO. Subaudiendum, Sed cum Turno: per quod populariter eorum captat favorem: aut ut seditionem eorum adversum regem invocat.

HOSPITIA. Hoc verbum duo significat, ... * & quo aliquem recipimus.

HVIC TVRNO. Id est huic morti δεικτικῶς, quasi jacentes ostendit.

SI BELLVM FINIRE MANV. Hoc est interjectione. potest enim & pace finiri.

HIS MECVM DECVIT CONCVRRERE TELIS. Aut qui se Teucros parat pellere, aut tela sua ostendit, ut armatus in concilio fuerit.

VIXET. Pro vixisset: & est Syncope. DEVS, AVT SVA DEXTRA DEDISSET. Victoria enim vel vita: duplici ratione consistunt, aut virtute, aut voluntate fortunæ.

MISERIS CIVIBVS. Quasi aliena culpa pereuntibus; & bene commendatur dicentis bonitas, quasi & ipse eorum misereatur.

DONATI.

MISERIS. Qui non in suo, sed in Turni negotio perierant.

VARIORVM.

NVLLVM CVM VICTIS CERTAMEN. Vide Prov. *Luctari cum mortuis.* & Epist. 1. Plin. lib. 9.

QVÆNAM VOS TANTO. Exordium à reprehensione modesta, quod temere adversus se arma induerint. HORT.

PACEMNE EXANIMIS. Propositio hostium de sepeliendis suorum cadaveribus. ad quam ipse est responsurus.

NEC VENI, NISI FATA LOCVM, &c. Caussam obiter adventus sui, cur contra se arma sint sumpta, reddit: obtenditque *fatum*; ut à se removeat, quod toties ab hostibus fuit objectum. HORT.

ÆQVIVS HVIC TVRNO FVERAT. Taxat oblique sinistra Latini consilia: qui persuasus pessime, maluerit se propter Turnum bello implicare, quam secum societatem adjungere. HORT.

NVNC ITE. Epilogus, qui constat perbenigna permissione ejus rei, quam petunt. HORT.

Digitized by Google

Dixerat Æneas. olli obstupuere silentes:
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior, semperque odiis & crimine Drances
Infensus juveni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis
Vir Trojane, quibus cælo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: quærat sibi fœdera Turnus.
Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc: unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies: & pace sequestra

SERVII.

OBSTVPVERE SILENTES. Id est obstupefacti sunt, & silere cœperunt.

TVM SENIOR. Cui ab ætate præstabatur authoritas. ODIIS, ET CRIMINE DRANCES INFENSVS IVVENI TVRNO. Aut qui eum odio semper & criminationibus persequebatur. Aut propter suum crimen, id est inertiam, quam semper virtuti constat esse contrariam. Aut Turni crimine, qui tot viris causa mortis extiterat.

ORSA REFERT. Cœpta verba. O FAMA INGENS, INGENTIOR ARMIS. Frustra ait Donatus hoc nomen de his esse quæ non recipiunt comparationem. nam quia augmentum recipit & comparatur. alia sunt illa nomina in quibus est dubitatio utrum comparentur, ut est perfectus, quod si velis comparare, incipit perfectus non esse perfectus.

COELO TE LAVDIBVS ÆQVEM? Pro his qui in cœlo sunt, id est diis: ut, *Ceruleus Tybris cælo gratissimus amnis*, & est oratorium non invenire paria verba virtutibus. *Cælo* autem Dativus, *laudibus*, ablativus.

IVSTITIÆNE PRIVS MIRER, BELLINE LABORVM? Figura Græca, Miror illius rei & regno illius rei, ut [illegible]. Inde Horatius ait, *Et qua pauper aquæ Daunus agrestium regnavit populorum*, pro agrestibus populis, ita & hic *Justitiæ laboribus* genitivum pro ablativo; si autem *Justitiæ* legeris subaudiendum justitiæ laudibus, si *justitia* subaudiendum præditum.

SI QVA VIAM DEDERIT FORTVNA. Bene cum exceptione pollicetur, dicens, Si voluntatem nostram fortuna comitetur.

FOEDERA TVRNVS. Vel conjugii, vel amicitiarum, & potest videri deesse *alia*.

FATALES MOLES. Quia audierat, *Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.*

SAXA TROIANA. Ambitiose ait, quasi Trojanis fataliter debita, vel *Trojana*, in usum Trojanorum.

PEPIGERE DIES. Pacti sunt. nam ab eo quod est paciscor, & pepigi & pactus sum facit: sicut ab eo quod est parco, & parsi & peperci facit. PACE SEQVESTRA. Media. Namque sequester est aut medius inter duos altercantes, aut ad quem aliquid ad tempus seponitur, dictum autem à sequendo, quod ejus qui electus sit utraque pars fidem sequitur. *Pacem* ergo *sequestram*, inducias dicit: id est pacem temporalem, & mediam inter bellum præteritum & futurum.

DONATI.

PACE SEQVESTRA. Sequestra pax ea est, quæ sic interponitur ut non tollat, sed differat bellum.

VARIORVM.

CRIMINE DRANCES. Drances, imago est Ciceronis. Turneb. lib. 23 cap. 14.

O FAMA INGENS. Ex Catone, M. T. Ciceronis. Macrob. lib. 6. cap. 2. Saturn. Cum Homero confert Victor. lib. 28. cap. 3.

IVSTITIÆNE PRIVS MIRER. Hellenismum illustrat Turnebus lib. 5. cap. 8. Rufus Antexeg. cap. 45. Tom. 2. Lampad.

BELLINE LABORVM. Linacer libro sexto, capite de Hellenismo: subauditur, causa laborum. Macrob. lib. 6. cap. 2. HART.

ET PACE SEQVESTRA. Frigidiusculum existimo, hic pacem ad sequestri instar inter bellum diversi temporis mediam collocare: nam potius inter altercantes, hoc est, Teucros & Rutulos, constituenda forte fuit: eo exemplo & ratione, accipere *pacem sequestram* simpliciter præstiterit intermediam, intercedentem, [illegible], & [illegible], cujus interventu impune adversæ partes & innocue rebus suis vacare & superesse potuerint: ut oratores, *sequestres* accipiunt pro interpretibus, qui judiciis corrumpendis, aut ejusmodi maleficiis suscipiendis operam suam locant. GERMAN.

PACE SEQVESTRA. Aulus Gellius lib. 20. cap. 10. HART.

Per sylvas Teucri, mistique impune Latini
Erravere jugis: ferro sonat alta bipenni
Fraxinus: evertunt actas ad sydera pinus.
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam fama volans tanti prænuntia luctus,
Euandrum, Euandrique domos & mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces: lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina: quæ postquam matres succedere tectis

SERVII.

MIXTIQUE IMPUNE LATINI. Apud majores enim magna erat cura fidei, adeo ut induciis factis conloqui soliti essent duces populi Romani, cum hostium ducibus, summaque severitate vindicatum, si injuriam se passos quererentur, denique obsessa urbe à Tarquinio, inter Porsennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenses in urbe celebrarentur, ingressi hostium duces curuli certamine contenderent, & victores coronarentur. *Impune* autem hoc loco sine periculo.

FERRO BIPENNI. Ad epitheton transtulit nomen proprium, nam *bipennis* per se plenum est, & securim significat, ut, *Crebrisque bipennibus instant.*

ROBORA Modo genus ligni est. nam est inter specialia nominatum.

PLAUSTRIS GEMENTIBUS. Sub pondere sonantibus.

QUÆ MODO VICTOREM LATIO PALLANTA FEREBAT. *Latio* pro in Latio. Bene MODO. Vno enim eodemque die & fortiter fecit & periit: ut, *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Alii *modo*, Paulo ante accipiunt. Sed *modo* haud cum adfectu, ut acerbior luctus de tanta mutatione nasceretur. alii *modo* pene accipiunt.

ARCADES AD PORTAS RUERE. Eos nunc Arcadas dicit qui intra civitatem sunt. Multa tamen exemplaria, *Arcadas at portis ruere*, habuerunt, ut conjunctio sit, non præpositio; ut, *It nigrum campis agmen*, Pro per campos, & *It portis jubare*, per portas: *ruere* autem, id est, magna velocitate ferri, ut *Excitum ruit, ad portas*, &c. *Ruuntque effusi carcere currus*, & *ruere* pro ruebant, infinitum pro pronuntiativo. DE MORE VETUSTO. Quia antea per noctem cadavera proferebantur cum faculis.

RAPUERE FACES. *Rapuere*, raptim & festinanter tulerunt. Sed apud Romanos moris fuit ut noctu efferrentur ad funalia, unde etiam funus dictum est, quia in religiosa civitate cavebant ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Indoctum qui functi præerant à vespera primum vespero-nes, deinde Vespillones dicti videntur, & magis moris Romani ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, quod præcipue accidebat in eorum qui in magistratu erant filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus. *Funera* autem alii à funalibus candelis, sebo vel cera circundatis dicta, quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui. Alii à fungendo quod eo præsumo * in eo qui decessit officio fungimur, vel quod hi qui mortui sunt, vita functi dicuntur. Alii tradunt de filiis qui in potestate patris sint, non putari jus esse funus vocari fierique, quia servi loco sint parenti, & si id fiat familia funestata sit: Ergo hic merito Pallantis funus facibus celebratur, ut filii. Alii sicut Varro & Verrius Flaccus dicunt, Si filius familias extra Vrbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, & sub noctem in urbem infertur in cereis facibus, quoniam prælucentibus, ad cujus exsequias nemo rogabatur. Sane hæc corpora sive proiici jubebantur & a cadendo, sive quod sepultura carebant, cadavera dicta.

DISCRIMINAT. Dividit. Vnde & discrimen capitis muliebris dicitur, ex eo quod caput auro discernat.

SUCCEDERE. Vt, *Tumulo sineret succedere terra.*

DONATI.

POSTQUAM MATRES Vel pro mulieribus posuit, vel matres eorum qui cæsi fuerant.

VARIORUM.

FERRO SONAT ALTA BIPENNIS. Hartung. Dec. 3. cap. 6. §. 4.

ET OLENTEM SCINDERE CEDRUM. Hic *Cedrum* pro Iunipero accipit Victorius, ducto argumento ab odoris suavitate, baccarum, foliorumque in utraque planta similitudine, ne indefensum deserat Maronem apud eos, qui in Italia negant nasci Cedrum. GERMAN.

CEDRUM. Alexand. lib. 3. cap. 2. Pro, Cedro dignum. HART.

Vide-

Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios: pheretro Pallante reposto,
Procumbit super, atque hæret, lachrymansque gemensque:
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc ô Palla dederas promissa parenti,
Cautius ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ, bellique propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita deorum
Vota, precesque meæ: tuque ô sanctissima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem.
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor: Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis, animam ipse dedissem:

SERVII.

INCENDVNT. Implent: ut, *Clamore incendunt cœlum Troesque Latini.*

VIS VLLA. Nec ætatis nec imbecillitatis, nec severitas regia.

PHERETRO PALLANTE REPOSTO. Id est posito Pallantis pheretro. Nam Antiptosis est.

NON HÆC O PALLA DEDERAS PROMISSA PARENTI, CAVTIVS, &c. Duplex expositio est: aut enim hoc dicit, Non mihi talia promittebas ut crederem cautius te dimicaturum. ut intelligamus proficiscentem Pallantem promisisse patri victoriam, cædem hostium, plurima spolia. Qui enim cogitat hæc, cautelæ obliviscitur, aviditate vincendi: aut certe NON, pro nempe accipiamus. ut in Terentio, *Non tu hunc rus produxisse te ajebas?* id est *nempe*. ut nunc sit sensus, Nempe hæc mihi dederas promissa discedens, quia cautius fueras pugnaturus: alii non *parenti* sed *petenti* legunt, ut non jure adfectionis quam filius patri ducebat, sed humanitatis eum convenire videatur. Petenti mihi, ô Palla fidem dederas te cautius quam fortius dimicaturum, & adfirmant si *parenti* legendum esset, potuisse dici, *Non hæc ô fili dederas promissa parenti.* Alii hæc κατὰ τὸ σιωπώμενον dicta accipi volunt.

IN ARMIS. Apud armatum, cujus consilium cupidos victoriæ plerumque conturbat.

PRÆDVLCE DECVS. Aut valde dulce, aut quasi immaturum.

PRIMITIÆ. Rudimenta, quasi Trojani.

BELLIQ. PROPINQVI. Vel quod ante maturam ætatem Pallantis venerit, aut *propinqui* nimium vicini, quo Pallas mitti posset. Sane hoc bellum Antarium vocari solitum, quod sit ante Vrbem, quasi ante Aras.

DVRA. Misera & infelicia.

VOTA PRECESQVE MEÆ. Supra, *Fors & vota facit.* TVQVE O SANCTISSIMA CONIVNX. Sanctum non semper sacrum, neque religiosum est, ut hic, ubi *sanctissima* incorruptæ castitatis significat, unde & *sanctæ leges* appellantur, quæ neque corruptæ sunt, neque corrumpi possunt.

FELIX MORTE TVA. Ea sorte felix qua cæteri dolentur. Et bene *tua*, ne ut ipse filii morte fieret infelix.

VIVENDO VICI MEA FATA. Diu vivendo. Vt in Bucolicis, *O Lycida vivi pervenimus.* Vici autem mea fata, id est naturalem ordinem vita longiore superavi; an hoc tantum, ut superstes essem filio meo, nanque hic ordo naturalis est, ut sint parentibus superstites liberis. *Fata* ergo generalia dixit, referens se ad naturalem ordinem, non ad fatum proprium. Nam fata superare nemo hominum potest. Vnde multi sic distinguunt, Contra ego vivendo vici vitam, scilicet filii. Id est, Supervixi. veteres enim vivendo vincere dicebant supervivere, ut *Multa virum volvens vivendo secula vincit*, nam & in Togatis *victrices* appellantur quæ viros extulerunt. Plautus in Epidico, *Quia tibi licuit eum vivendo vincere.* Nam hoc est, Superstes restarem ut genitor. ut, *Mea fata*, per exclamationem dictum sit. Sciendum tamen etiam inrationabilia dolentibus dari.

RESTAREM. Essem.

OBRVERENT RVTVLI TELIS. Id est *me*, & bene etiam sibi irascitur, sic enim natura immœrentis exprimitur. DEDISSEM. Reddidissem.

VARIORVM.

ET VIA VIX TANDEM VOCI LAXATA, &c. Solemus siquidem in gravissimis doloribus obmutescere.

HAVD IGNARVS ERAM. Movet pathos ex eo quod jam spreverat. Macrobius lib. 4. cap. ultim. Saturnal.

Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras: fors ista senectæ
Debita erat nostræ. quod si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere Palla,
Quam pius Æneas, & quam magni Phryges, & quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, & idem si robur ab annis,
Turne. sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante perempto,
Dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides: meritis vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. non vitæ gaudia quæro:
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.

SERVII.

POMPA. Exequialis scilicet. ME. Vehementius pronuntiandum, & bene Pallanta ipsum omen.*

NEC VOS ARGUERIM. Exonerat eorum pudorem, ne videantur ei causa orbitatis fuisse, dicens sibi hoc fataliter debitum. *Arguerim* autem alias indicaverim, ut *degeneres animos timor arguit*; alias accusaverim, ut nunc Cicero, *Arguis fatentem*.

SENECTÆ. Deest ætati: nam senecta ætas dicitur. Sallustius, *Senecta jam ætate*. Per se autem plenum est, si senectus dicamus. nam si *senecta*, aut addendum ætas, aut intelligendum.

QUOD SI IMMATURA MANEBAT. Magnifice servat decorum, quod se revocat ad heroicam consolationem.

DUCENTEM IN LATIUM TEUCROS CECIDISSE JUVABIT. Luctum quodammodo putat, impendisse pro amicorum felicitate filium, qui mortis fuerat acerbo funere fataliter debitus,

NON ALIO DIGNER TE FUNERE PALLA. Latenter hic Æneæ ostenditur pietas, qui in amici funus tanta contulit, ut patet amplius præstare non possit. Alii *dignem* legunt, juxta veteres, ab eo quod est digno: Calvus, *Hunc tanto munere digna*. Pacuvius in hermione, *Cum neque me inspicere æquales dignarent*. Hinc ipse Virgilius III. Æn. *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo*.

QUAM PIUS ÆNEAS. Deest quo, ut sit quam quo.

TU QUOQUE NUNC STARES IMMANIS TRUNCUS IN ARMIS. Id est in trunco armatus. Sicut isti duces de quibus hæc sunt trophæa. nam supra ait, *Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces*.

ESSET PAR ÆTAS. Vel mea, vel filii. nam ad utrunque potest referri.

TEUCROS QUID DEMOROR ARMIS? *Ab armis*: & hoc videtur dicere, Dimittendi sunt Trojani, ut morte Turni doloribus meis satisfiat, quod etiam posteriora significant.

MERITIS VACAT HIC TIBI SOLUS, FORTUNÆQUE LOCUS. Nihil est aliud quod possit vel virtus tua, vel fortuna præstare (nam his rebus victoria contingit) nisi ut occiso Turno, & vindices filium, & patrem consoleris orbatum.

SED GNATO MANES PERFERRE SUB IMOS. Ac si diceret hanc solam esse causam, quæ eum cogat ad vitæ patientiam, ut filio Turni nuntietur interitus.

VARIORUM.

HÆC POMPA DOMUM ME REFERRET. Accuratam pompæ funereæ descriptionem, lege apud Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.

TEUCROS CECIDISSE JUVABIT. Iucunda interim memoria mitigat dolorem, quod Pallantis auxilio, & Teucri in Latium sint invecti, & Volscorum millia aliquot ceciderint. HORTENS.

ESSET PAR ÆTAS. Vel mea vel filii, ad utrumque enim potest referri, ut vult Servius. Donatus ad filium refert hoc sensu. In hoc trophæorum numero etiam tu esses, ô Turne, si ætas filii mei ætati tuæ congruisset, aut robur ejus tuo robori membrisque convenisset. PONTAN.

An-

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Iam pater Æneas, jam curvo in littore Tarchon
Constituere pyras: huc corpora quisque suorum
More tulere patrum, subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrère rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur & tellus lachrymis, sparguntur & arma:
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis

SERVII.

EXTULERAT LUCEM. Asinius Pollio dicit ubique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum præsentibus rebus, ut hoc loco; quia funerum & sepulturarum res agitur, dicit *extulerat*. Item in quarto, quia est navigaturus Æneas, & relicturus Didonem, dicit: *Tithoni croceum linquens aurora cubile*. quod licet superfluum sit, tamen in multis locis invenitur necessarium. MISERIS MORTALIBUS. Qui sunt subjecti tot casibus. Homerus, δειλοῖσι βροτοῖσι, id est miseris mortalibus, non timidis. OPERA, ATQUE LABORES. Hoc opus & hæc opera tunc dicimus, quando negotium ipsum quod geritur, significamus. si autem fœminino genere dixerimus *operas*, ipsas personas quæ aliquid faciunt, significamus. sicut custodia dicitur quæ custodit, ut, *Cernis custodia qualis Velivolo sedeat*. nam ut hi qui custodiuntur, custodiæ dicuntur, usurpatum est. Vnde male est in usu, custodiæ audiuntur.

CONSTITUERE PYRAS. *Pyra* est lignorum congeries. *Rogus*, cum jam ardere cœperit dicitur. *Bustum* vero jam exustum vocatur. Quem ordinem servat poëta, dicens, *Constituere pyras* Item, *Subjectisque ignibus atris Ter circum accensos Decurrere rogos*. Item postea, *Semustaque servant Busta*.

MORE TULERE PATRUM. Quia apud varias gentes, diversa fuerunt genera sepulturæ. Inde est quod alii obruuntur, alii exuruntur, alii proprias remittuntur ad patrias: alii per diem, ut nunc isti: alii per noctem, ut supra Pallas. Et perite has varietates Virgilius posuit. Namque Heraclitus, qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi. Thales vero qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit, obruenda corpora, ut possint humore resolvi. IGNIBUS ATRIS. Atqui ignes atri non sunt, sed epitheton traxit de negotio, ut *atris* diceret, hoc est funebribus: ut paulo post, *ter mœstum funeris ignem*, id est funebrem. nam mœstus esse non potest ignis; *Atris*, cum concipiuntur.

CONDITUR IN TENEBRAS ALTUM CALIGINE COELUM. Id est aër fumi obscuritate completus.

CINCTI FULGENTIBUS ARMIS. Id est incincti & instructi. Frustra hoc epitheton notant Critici, quasi circumeuntes rogos alia arma habuere debuerint.

DECURRERE ROGOS. Pro circum rogos cucurrere. Bene autem ait DECURRERE, non DECUCURRERE. Nam verba quæ in præterito perfecto primam syllabam geminant, ut curro cucurri, tondeo totondi, cum composita fuerint, geminari non possunt. nam decurri & detondi dicimus, non decucurri neque detotondi: exceptis tantum duobus, do & sto.

SPARGITUR ET TELLUS LACHRYMIS. ὑστερολογία est, nam prius est ut arma spargantur lachrymis quæ corpori adhærent, quam terra.

IT COELO. Pro in cœlum. CLANGORQUE TUBARUM. Ante enim mortui ad tubam deducebantur. Vnde Persius, *Hinc tuba candelæ tandemque beatulus alto Compositus lecto*.

HINC ALII SPOLIA OCCISIS DIREPTA LATINIS. Secundum suæ gentis ritum: alii hostilia arma, alii peremptorum cremabant.

VARIORUM.

TER CIRCUM ACCENSOS DECURRERE ROGOS. Quid sit *decurrere*, docet. Livius lib. 10. De bello Maced. his verbis. *Mos erat, lustrationis sacro peracto, decurrere exercitum, & divisas bifariam acies concurrere ad simulachrum pugnæ: regii juvenes duces eiludicro certamini dati*. Gellius lib 7. *Vt in decursibus ludicris, aut simulacris præliorum voluptatis fieri videmus*. GERMAN.

CLANGORQUE TUBARUM. In cujuscunque ordinis & ætatis funeribus tibicines, vel tubicines canere solitos certum est. TIRAQUELL. In Alex. lib. 3. cap. 7.

HINC ALII SPOLIA OCCISIS, &c. Respicit Romanorum consuetudinem, qui hostilia arma, raptasque manubias sæpe concremare Diis solebant: quod & Lunæ matri factum Livius lib. 45. memorat: ubi docte Turnebus Luæ legendum contendit; quod dea illa à luendo & expiando dicta esset. GERMAN.

Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros,
Frenaque, ferventesque rotas: pars munera nota,
Ipsorum clypeos, & non felicia tela,
Multa boum circa mactantur corpora morti:
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. tum littore toto
Ardenteis spectant socios, semustaque servant
Busta: neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit cælum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus & miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, & copora partim
Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cætera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero, nec honore cremant. tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:

SERVII.

FERVENTESQVE ROTAS. Nimio scilicet cursu. alibi, *Volat vi fervidus axis.* Horatius, *Metaque fervidis evitata rotis.* Et *ferventes* non modo, sed quæ soleant fervere, ut spumantia frena.

ET NON FELICIA TELA. Quibus se defendere nequiverunt.

MACTANTVR CORPORA MORTI. Aut in morte, aut Morti ipsi deæ. Statius, *In scopulis Mors sæva sedet.* Lucanus, *Ipsamque vocatam Quam petat a nobis mortem tibi coge fateri.* CIRCA autem, ideo quia ut Homerus dicit, in morte Patrocli circa corpus extincti, tam homines, quam pecora immolabantur. Vnde & in sexto, *Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.* Homerus ἐν τῷ ψ, ad Patrocli pyram,

ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας
πρὸς λέχεα κλίνων· πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλα στεναχίζων.
ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.

RAPTAS. Raptim advectas. nam per inducias rapere non poterant: aut certe ante *raptas*, belli scilicet tempore.

IN FLAMMAM. Id est in rogum. BVSTA. Bustum dicitur id quo mortuus conbustus * ossaque ejus ibi usta, sunt sepulta. Alii dicunt ubi homo combustus est nisi ibidem humatus fuerit, non esse ibi bustum, sed ustrinum.

INVERTIT CÆLVM. Patet illud quod in promptu est, *Invertit cælum* ut ea pars quæ noctem haberet sub terra esset. STELLIS APTVM. Conjunctum, ἀπὸ τοῦ ἅπτω.

NEC MINVS. Etiam.

INNVMERAS STRVXERE PYRAS. Hoc loco multis rebus ostendit immensam cædem factam esse Rutulorum.

FINITIMOS TOLLVNT IN AGROS. Qui enim è longinquo venerant, referri non poterant. VRBIQVE REMITTVNT. Deest VNICVIQVE, & meminit antiquæ consuetudinis. nam ante etiam in civitatibus homines sepeliebantur. Quod postea Duilio consule senatus prohibuit, & lege cavit ne quis in urbe sepeliretur. Vnde Imperatores & virgines Vestæ quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulchra. Denique etiam nocentes Virgines Vestæ, quia legibus non tenentur licet vivæ, tamen intra urbem in campo scelerato obruebantur.

NEC HONORE. Ideo nec honore, quia nec numero, quod in numero & ordine honos spectatur. nam aliud verbum pendet ex altero. Alii nec pro sine accipiunt. TVNC. Pro tum, id est postquam cremare cœperunt.

TERTIA LVX. Mos enim erat tertia die ussa crematorum legi.

VARIORVM.

GALEAS CONIICIVNT. Alexand. libro 5. cap. 7. HART.

PARS MVNERA NOTA IPSORVM, &c. Vide num hic versus referri possit ad ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, qualia Hectoris & Ajacis; ut de muneribus dictum intelligamus, quibus se mutuo ante Italicum bellum, vel per pacem, induciasve, finitimas cognatasque Italiæ gentes, & milites prosecutos fuisse verisimile esse potest, quæ denique igni conjecta milites ipsi facile vel in flamma recognoscerent. GERMAN.

Ma-

Mærentes altum cinerem & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Iam vero in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longe pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hic chara sororum
Pectora mærentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ & primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur: solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno, & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.
Hos inter motus medio flagrante tumultu,
Ecce super mæsti magni Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona, nec aurum,

SERVII.

MOERENTES. Hoc & ad Latinos & ad Trojanos potest referri. Sane *mærere* est cum silentio dolere: *flere*, ubertim lachrymas demittere; *plorare*, cum voce flere: *plangere* cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere: *lugere* etiam cum habitus mutatione. ALTVM CINEREM. Quia dixerit, *innumeras struxere pyras*.

CONFVSA RVEBANT OSSA FOCIS. Aut quia dixit multos crematos. Aut si ad honoratorum cadavera referas, ut supra diximus, CONFVSA propter simul animalia concremata. RVEBANT autem. De cineribus eruebant. Adnotandum sane quod *focos* dixerit pyras, cum *focus* ara sit deorum penatium. An quod focum dicat ubicumque ignis est & fovetur, unde & Varro focum dici vult.

TEPIDOQVE ONERABANT AGGERE TERRÆ. Hypallage, hoc est ossa tepida.

PRÆDIVITIS. More Græco epitheton incongruo loco posuit.

LONGE PARS MAXIMA LVCTVS, Valde: hoc est melius quam legatur & *longi*.

HIC MATRES. Quia scit ad aliqua ea pertinere, non addidit deflebant filios, aut maritos, aut fratres. CARA PECTORA. Id est caros fratres desiderabant, ut *Cari stat cura parentis*, & est periphrasis.

IPSVM ARMIS. Bene repetitum *ipsum*.

IVBENT. Volunt, exposcunt.

INGRAVAT. Majorem invidiam conficit, id est graviora facit & oneravit. VOCARI, Provocari,

TESTATVR. Testificatur etiam legatorum fidem qui cum eo fuerunt. SOLVM. Et hic bene repetitum *solum*.

SIMVL CONTRA VARIIS. Scilicet ut alii paci faverent, alii Turno.

OBVMBRAT. Subaudis Turnum: tuetur, defendit: translatio ab arboribus facta, quia nomen nobilium tanquam umbra est pro aliis. Hoc autem dicit, Amor reginæ ad favorem popularem plurimum proderat Turno. MERITIS SVSTENTAT FAMA TROPHÆIS. Vel quia multos occiderat, ut etiam ipse dicturus est; vel secundum illud, *sunt oppida multa Capta manu*.

ECCE SVPER. Insuper, hoc est ad cumulationem malorum. MOESTI. Hoc sermone eos nihil egisse significat. MAGNA DIOMEDIS AB VRBE. Legitur & MAGNI. Et tanto asperius videtur quod cum magnus sit Diomedes, non audet adversus Æneam pugnare.

NIHIL OMNIBVS ACTVM. Breviter & laborem & studium conprehendit.

NIL DONA NEC AVRVM. Ordinem legationis exsequitur dicens, inaniter perfecta esse omnia quæ possent efficaces legati perficere auro, precibusque, promissione.

DONATI.

ECCE SVPER MOESTI. *Ecce*, inopinatum pronunciat malum hæc dictio, & grave [illegible]is ac vehemens.

NEQVE AVRVM. Quod quidem etiam, qui nullo odio commoti sunt in prælium excitat & ad injurias, ut probavit in Pigmalione & in Polymnestore.

VARIORVM.

ET CONFVSA RVEBANT OSSA FOCIS. Servius *ruebant*, è cineribus eruebant interpretatur: sed utemur ipso potius Marone sui interprete, qui in Georg. *cumulos ruere arena* dixit, profusim projicere & acervati immiscere. GERMAN.

Nec

Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus:
Fatalem Ænean manifesto numine ferri
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis: sedet in mediis & maximus ævo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet: & responsa reposcit
Ordine cuncta suo. tunc facta silentia linguis:

SERVII.

PACEM TROIANO AB REGE PETENDVM. Sicut & supra diximus, cum per gerundi modum aliquid dicimus, per accusativum elocutionem formemus necesse est: ut petendum mihi est equum. Lucretius, *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.* Sallustius, *Castra sine vulnere introitum.* nam castra accusativus pluralis est, qui multis errorem facit, ut videatur esse nominativus: quia neutra triptota sunt, & similis est nominativus accusativo.

REX IPSE LATINVS. Qui consolari debuit, aut defendendæ reipublicæ aliud inire consilium.

FATALEM ÆNEAM MANIFESTO NVMINE FERRI. Modo *fatalem* perniciosum omnibus Æneam, vel exitio futurum omnibus. MANIFESTO NVMINE autem, id est manifesto deorum judicio ad Italiam venisse, numinum ira testatur: quam cognoscimus tantorum cæde sociorum. Et est ordo, fatalem Æneam ferri manifesto numine admonet ira deûm.

ALTA INTRA LIMINA COGIT. Quæritur cur ad privatam domum convocetur senatus, qui non nisi ad publica & augurato condita loca convenire consuevit. Sed scimus domum Latini augurato conditam, & eandem tam templum fuisse, quam curiam. namque in superioribus legimus *Tectum augustum*, id est augurio conditum. Item paulo post, *Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces Regibus omen erat, hoc illis curia templum.* Merito ergo ad domum regis, quasi ad locum gentibus publicum convocatur senatus. nam in septimo, *Tali intus templo divûm, patriaque Latinus Sede sedens.* Idcirco etiam in palatii atrio, quod augurato conditum est, apud majores consulebatur senatus: ubi etiam aries immolabatur. quod (ut in septimo diximus) Virgilius ad Latini transtulit domum. Multi dicunt perite Virgilium, nec templi, nec curiæ hoc loco fecisse commemorationem: & tantum dixisse *tecta regia*, ut ostenderet consilium quod initur, non esse complendum: quia nec regnum est inchoatum, & ea quæ dicit Latinus, effectu carebunt.

OLLI. Illi, secundum Ennium. Et intelligendum κατὰ τὸ σιωπώμενον Turnum quoque venisse, qui in superiori libro à Iunone subtractus pugnæ, Ardeam pervenerat. FLVVNT. Festinanter incedunt.

ET PRIMVS SCEPTRIS. Primus inter sceptriferos. namque apud majores, omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam. Postea cœperunt tantum ex consulibus sceptra gestare, & signum erat eos consulares esse. Aut quia & alii ejusdem partis reges erant; ut Turnus, sic Agamemnon dux totius exercitus diversæ civitatis proprios reges habuerint.

ÆTOLA EX VRBE REMISSOS. Quam condiderunt hi qui de Ætolia venerunt, Græciæ provincia. Vnde Diomedes habuit socios de tribus ejus civitatibus; quas habet Ætolia, *Pleuron*, Olenon, Calidona. Sic ergo dixit *Ætola ex urbe*: ut, *Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.* Ideo autem Diomeden Ætolum dicit, quia pater ejus Tydeus Ætolus fuit, qui ad Argos fugit, quoniam fratrem patris sui occiderat.

ET RESPONSA REPOSCIT. Mire ait REPOSCIT. Ante enim rex solet à legatis universa cognoscere, & sic eos præsente populo iterum omnia jubere narrare. Vnde est, *Ordine cuncta suo.* Nam nihil prætermittunt. Vnde & superflua narrare consueverunt.

DONATI.

ALTA AD LIMINA. Interiorem partem domus intelligit, & non curiam quam descripserat, in qua de rebus lætis agebatur.

OLLI CONVENERE. Ostendit quam cupide propter magnitudinem periculi omnes concurrerent.

VARIORVM.

PACEM TROIANO. De hujusmodi gerundiis. Victor. lib. 33. c. 22.

DEFICIT INGENTI LVCTV. Quod spe auxiliorum à Diomede destitutus esset, in quo anchoram salutis suæ posuerat. HORT.

Et

Digitized by

Et Venulus dicto parens, ita farier infit:
Vidimus ô cives Diomedem, Argivaque castra:
Atque iter emensi casus superavimus omneis,
Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.

SERVII.

VIDIMVS O CIVES DIOMEDEN. Rhetorica protinus arte cœpit, neque enim opus erat principio aliquo legationem referenti, & hic figura est ὑστερολογία: Natura enim hoc fuit prius dicendum, *Atque iter emensi casus superavimus omneis*, & tunc *vidimus Diomedem Argivaque castra.* Sed habet consuetudo, ut qui tale aliquid nuntiant, protinus admoneant. ut puta, *vidi illum*, erat illic, faciebat illud: ideo adjecit, *Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis.* Illud etiam ordine congruo subjunxit ad proliciendum animum priusquam quicquam diceret, *Munera præferimus.* Vnde, ordine *nomen patriamque docemus. Qui bellum intulerat,* hoc est qui, unde, contra quos, qua causa: deinde ponitur oratio Diomedis, cujus sunt partes duæ, una, qua se excusat: alia, qua etiam illis suadet, ut bellum deponant. Nam hoc in fine orationis Venulus addit, *Et responsa simul quæ sint rex optime regum Audisti*, Excusatio Diomedis duplex est, Fortes sunt Trojani & felices: Fortes breviter ostendit per intermissionem, *Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis.* Frigidus enim locus erat si virtutem eorum timere diceret, quos vicit. Secundus locus multa continet, tam felices esse ut de omnibus vindicarentur, & singula de singulis mire augendo exsequitur: novissimo loco de se dixit, ne ei objiceretur, quid te ista movent si tu nihil passus es? & auxit quod omisit, & socios adjecit, cum exclamatione, *Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt Tempore.* Ideo se contra Veneris filium excusat pugnare, nam sequitur, *Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas*: Superat ut pacem suaderet, ait enim, *Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris.* Inde laudem Æneæ ita addidit ut suam laudem servaret, ibi enim ubi se excusat non hoc ait, quia fortis est non adeo, sed illud, *Quicunque Iliacos ferro violavimus agros*, quasi hoc fatum fuit omnium, hic ubi suadet pacem aperte dicit pares mihi non estis, & ait, *Experto credite quantus In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam*, id est ego fatum timeo, vos virtutem timere debetis. Nam quod adjecit, *si duo præterea tales Idæa tulisset*, non fuit contentus illum Hectori comparare, nisi adjunxisset, *Hic pietate prior, coeant in fœdera dextræ*, id est, quia pius est, bonus amicus erit: statim conclusit sicut ad singula invenies dictum.

Quod autem ait, *Vidimus ô cives Diomedem*, quasi res magna ei contigerit, qui talem virum viderit. Sane hic aut DIOMEDEM legendum, ut sit Latinus accusativus, & admittitur Eclipsis, ut, *Multum ille & terris jactatus & alto*, Aut si Græcum accusativum facere voluerimus, DIOMEDE legatur, ut possit fieri Synalœpha: sicut, *Euryale infelix qua te regione reliqui?* Si autem DIOMEDEN dixerimus, nec Latinum est, nec Græcum, nec versus consistit. Nunquam enim Eclipsis fit per *n* literam. Tamen melius est ut DIOMEDE legamus, ut sit Græcus accusativus, nomina enim Græca in ης exeuntia, quæ genitivum in εος mittunt, per plenam elocutionem, cum eundem casum per Synæresim in ους miserint, accusativum in η mittant necesse est: ideo quia cum naturam suam servant, accusativum in vocalem mittunt, non in consonantem: & jam debet Synæresis plenitudinis servare rationem. Vt ecce ὁ διομήδης, plena diclinatio est: τοῦ διομήδεος, τῷ διομήδεϊ, τὸν διομήδεα. Per Synæresim servare facit τοῦ διομήδους, τῷ διομήδει, τὸν διομήδη. Ergo hic accusativus ideo in E exit, non in EN: quia cum integrum est hoc nomen, in εος exit: & crescit ejus genitivus. Si enim ἰσοσύλλαβος fit in nominativo, accusativum in ην mittit: nec habet *s* in genitivo, ut θουκυδίδης, τοῦ θουκυδίδου, τὸν θουκυδίδην. nam Diomedes ideo in gentivo *s* habet, quia & cum integrum est, & διομήδεος facit, habet *s* consonantem.

CASVS OMNEIS. Itineris scilicet. Et bene vilitatem singularum rerum generalitas vitavit, ne diceret *Flumina, latrones, &c.* Mire autem multa congesta ne possit de legatorum desidia queri.

CONTIGIMVSQVE MANVM. Bene quasi divinam: sic, *Vidimus ô cives Diomedem.*

QVA CONCIDIT ILIA TELLVS. ἐμφατικῶς dixit, pro urbe Ilia. nam terra non concidit, sed civitas Ilium.

VARIORVM.

ITA FARIER INFIT. *Infit* vox Lucretio familiaris, defectivum Festo est verbum, quod idem vult esse quod *incipit.* Sunt tamen qui non temere pro *inquit* accipiant; ut apud Livium lib. 1. ab urbe cond. *Ibi infit, annum se tertium & nonagesimum agere.* Nec est quod quemquam turbet vox duplicata & repetita ejusdem significati, cum Hellenica imitatio sustineri possit, Atticis sæpe ἔφη φάναι per pleonasmum iterantibus. GERMAN.

VIDIMVS O CIVES. Ovid. lib. 14. Metam. H.

DIOMEDEM. Macrob. lib. 5. cap 17. Saturnal. legit *Diomede*, ut sit accusativus Græcus contractus, τὸν διομήδεα διομήδη.

QVA CONCIDIT ILIA TELLVS. Pro urbe Ilia ἐμφατικῶς *Ilia tellus*: nam terra non concidit, sed civitas. Fuit autem Diomedes de civitate, quæ Argosippion dicitur; de qua Homerus, ἄργος ἱππόβοτον. Horat. *Aptum dicet equis Argos.* Hic in Apulia condidit civitatem, quam patriæ suæ nomine Argosippion dixit: quod nomen postea vetustate corruptum est; & factum ut civitas Argyripa diceretur: quod rursum corruptum Arpos fecit. Strabo lib. 6. PORTAN.

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis agris.
Postquam introgressi, & coram data copia fandi,
Munera præferimus: nomen, patriamque docemus.
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premit ille viros) infanda per orbem

SERVII.

ARGIRIPAM. Diomedes fuit de civitate quæ Argosippion dicitur: de qua Homerus ἄργος ἱπποβότοιο. Horatius, Aptum dicit equis Argos. Hic in Apulia condidit civitatem, quam patriæ suæ nomine appellavit, & Argosippion dixit. quod nomen postea vetustate corruptum est, & factum est ut civitas, *Argiripa* diceretur: quod rursus corruptum, Arpos fecit. Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur civitates, ut Venusiam quam in satisfactionem Veneris, quod ejus ira sedes patrias invenire non poterat, condidit, quæ Aphrodisia dicta est. Item Canusium Cynegeticon, quod in eo loco venari solitus erat. Nam & Garganum à Frigiæ monte Gargara vocavit, & Beneventum & Venafrium ab eo condita esse dicuntur.

GARGANI CONDEBAT IAPYGIS ARVIS. Iapygia pars est Apuliæ, in qua est mons Garganus, imminens Sipontinæ civitati: qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus. Lucanus, *Apulus Adriacas exit Garganus in undas.* Gargani autem Iapygis figura est, pro Gargani Iapygii. & hæc est Iapygia Apuliæ à qua & Iapyx ventus est nominatus, ad quam Iapyx delatus, unde sic nominatus est. Nam Iapidia Venetiæ regio est ab oppido dicta. Vnde est, *Tunc sciat aërias Alpes & Norica si quis Castella in tumulis & Iapidis arva Timavi.* Sed in Gargani summitate duo sepulchra esse dicuntur fratrum duorum, quorum cum major virginem quandam despondisset, & eam minor frater conaretur auferre, armis inter se decertati sunt, ibique ad memoriam invicem se occidentes sepulti, quæ res admirationem habet illam, quasi qui duo inter ipsam sylvam agentes iter, uno impetu vel eodem momento saxa adversum sepulchra jecerint, vi nescio qua saxa ipsa separata ad sepulchra singula decidunt.

MVNERA PRÆFERIMVS. Vt illa ante orationem auxilium impetrent.

QVI BELLVM INTVLERINT. Quasi nominatis Trojanis quos vicerat pronior futurus esset ad ferendum auxilium.

PLACIDO SIC REDDIDIT ORE. Vt solet habitum futuræ orationis ostendit.

O FORTVNATÆ GENTES. Qui habitatis regna Saturnia, id est, o viri semper pace gaudentes. nam legimus, *Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuerunt Secula. Sic placida populos in pace regebat.* Et bene hoc laudat, quod eis persuadere desyderat.

ANTIQVI AVSONII. Quia qui primi Italiam tenuerunt, Ausones dicti sunt. QVIETOS. Quibus est amor pacis à majoribus traditus propter regnum Saturni.

IGNOTA LACESSERE BELLA. Scilicet Trojanorum: non omnia generaliter bella. Nam legimus, *Captivi pendent currus, curvæque secures:* aut *ignota* quæ ignoraverint, quasi non suscepturi si scissent. SVADET autem vobis subaudis. nam nos à superioribus subaudiri, quia non te suadeo, sed tibi dicimus.

VIOLAVIMVS. Quasi fecerat: Nam violare de religionibus dicimus. Et ingenti arte agit, ne aut victoriam suam sileat, aut non procedendo contra eos, quos vicit, confiteatur ignaviam, dicens non esse contra eos pugnandum, quos vincere perniciosissimum est.

MITTO EA. Oratorie, ut etiam sine illis quæ memoraturus est, quæ omittit graviora videantur.

QVOS SIMOIS PREMIT ILLE VIROS. Id est toto orbe celebres, & *premit* quasi hostes. Alibi in primo, *Vbi tot Simois correpta sub undis Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volvit.* Alii QVOS, pro quantos accipiunt, ut sit pronomen pro nomine. ILLE autem mire exsecratur.

VARIORVM.

ILLE VRBEM ARGYRIPAM. P. Leopard. lib. 5. cap. 16. Miscell.

MVNERA PRÆFERIMVS. Præcedere obsequium & commoditas munerum debuit, ut secuturus sermo aures Diomedis gratanter intraret. Dixerunt ergo, qui & unde essent, & (quod minime fuerat factum) Trojanos sibi bellum intulisse: postremo quid ab eo peterent. DONAT.

O FORTVNATÆ GENTES. Diserte exponit in concilio dissuasorium Diomedis responsum. Terret primum Latinum à bello, ab exemplis Græcorum, qui omnes fere in reditu à Troja infeliciter periere. HORT.

Sup-

Digitized by

Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervæ
Sydus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illa diversum ad littus abacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exulat, Ætneos vidit Cyclopas Ulysses.

SERVII.

SCELERUM POENAS EXPENDIMUS OMNES. Id est luimus omnes pœnas, quæ sunt statutæ sceleribus. Alii SCELERIS OMNIS legunt, nam OMNES non potest ad Græcos referri, quia non omnes pertulere supplicia. Sed si omnes, mire, ne putes forte factum, & adjuvandum pronunciatione.

VEL PRIAMO MISERANDA MANUS. Etiam Priamo. ut, *Carmina vel cælo possunt deducere lunam.* Est autem Pacuvii qui ait, *Si Priamus adesset & ipse ejus commiseresceret.* Id est ut calamitas eorum qui vicerunt gravior crederetur miserantibus victis. SCIT TRISTE MINERVÆ SYDUS. Fabula hoc habet, propter Cassandræ stuprum, Græcis iratam Minervam: vel quod ei victores per superbiam sacrificare noluerunt. Unde eos redeuntes gravissima tempestate fatigatos per diversa dispersit. Horatius, *Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio.* Re vera autem constat Græcos tempestate laborasse æquinoctio vernali, quando manubiæ Minervales, id est fulmina, tempestates gravissimas commovent. Unde perite dicendo SYDUS, utrunque complexus est. Nam *sydus* & tempestatem significat: & re vera *sydus.* Hæc autem numina quæ inter sydera non videmus, licet sua signa propria non habeant, cum aliis potestate sunt permista: ut Ophiucus ipse est Æsculapii: Gemini, Apollinis & Herculis esse dicuntur. Sic Minervæ Aries esse dignoscitur.

VLTORQUE CAPHAREUS. τὸ αὐτὸ est cautes Euboicæ. Nam Eubœa insula est in qua mons Caphareus, circa quem Græci periere naufragio. *Ultor* autem ideo dixit, quod Nauplius Palamedis pater, dolens filium suum factione interemptum, ut in secundo commemoravimus, cum videret Græcos tempestate laborare, montem Caphareum ascendit: & elata facula signum dedit vicini portus, qua re decepti Græci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt.

ATRIDES PROTHEI MENELAUS. Agamemnon & Menelaus uno quidem fataliter fuerant supplicio destinati. namque Atreus & Thyestes fratres fuerunt in se invicem sævi, adeo ut Thyestes cum Aërope fratris uxore concumberet, quod dolens Atreus, liberos ejus epulandos ei apposuit. Sed cum Thyestes post cognitum facinus requireret ultionem, ei Apollo respondit: posse alio scelere illius facinoris vindicem nasci, scilicet si cum Pelopeja filia sua concumberet. Quo facto natus est Ægysthus fatalis in Atrei geminam sobolem. Sed Jupiter Menelai facta miseratus est, propter Helenæ jugale consortium: & eum per diversa errare maluit, quam Ægysthi manibus interire. Is ergo Menelaus hic errans ad Ægyptum usque pervenit, ubi Proteus deus marinus regnaverat: cui aliquando rapta à Theseo Helena dicitur commendata. Unde quidam dicunt, quod ad eam petendam Menelaus ad Ægyptum profectus sit post bella Trojana. Quidam volunt raptam esse à Paride Helenam: sed aliam caussam belli fuisse Trojani, illam scilicet, quod Herculem quærentem Hylam suscipere noluerunt. Qui autem volunt eam raptam à Paride, hoc dicunt, quod recepta à Proteo, per Theseum ad Menelaum transitum fecerit, & sic eam Paris rapuerit. Secundum quod ut supra diximus, Menelaus ad Ægyptum Jovis voluntate pervenit: scilicet ne ab Ægystho potuisset interimi. Quod autem ait *Protei columnas*, ratione non vacat. Nam columnas Herculis legimus & in Ponto & in Hispania. Hunc autem Proteum fortissimum & invictum constat fuisse. Novimus autem quod omnes fortes, Hercules dicebantur. unde videtur adfectasse Virgilius, ut pro finibus, Protei columnas diceret, quas habuit Hercules: ut ostenderet eum etiam Herculem dictum. ADUSQUE COLUMNAS PROTEI. Usque ad fines Ægypti: hoc est usque ad Pharon ante insulam, nunc partem Alexandriæ. Lucanus, *Nunc claustrum pelagi cepit Pharon, insula quondam In medio stetit illa mari sub tempore vatis Proteos, at nunc Pellæis est proxima muris.* Protei autem, Latinus est genitivus constrictus per synæresim. *Adusque* autem sic est dictum, ut, *Siculo prospexit abusque Pachino.* Nam cum præpositio præpositioni nunquam cohæreat, ABUSQUE ET ADUSQUE licenter admissum est.

EXULAT. Proprie: nam *exulare* dicuntur qui extra solum eunt. Sane sciendum quo tempore Menelaus ivit ad Ægyptum, perdidit Canobum gubernatorem, à quo vicina civitas nomen accepit, quæ hodieque mutata litera, Canops nominatus.

VIDIT. Mire addidit, ut *Quam semel informem vasto vidisse sub antro Scyllam.* CYCLOPAS. Græcæ declinationis accusativus est: inde Græcum habebit accentum. nam Latine CYCLOPES diceret: sed sic versus stare non poterat.

VARIORUM.

VEL PRIAMO MISERANDA. Respexit ad parœmiam; *vel hosti miserandus.* HORT.

TRISTE MINERVÆ SIDUS. Constat enim certorum syderum exortu tempestates concitari. In primo retulimus, Ajacem Oileum, propter vim Cassandræ in Palladis templo oblatam, in mari, immissa à Minerva tempestate, cum sociis naufragium fecisse.

VLTORQUE CAPHAREUS. Quod hic sydus intelligatur, & de Nauplio Palamedis parente, & de Servii in hunc locum sensu, Pet. Victor. lib. 31. Var. c. 12. Ex Euripid. Troadibus, Turneb. lib. 21. c. 10.

ATRIDES PROTEI. De columnis, quæ in confinibus ponerentur. Turneb. lib. 5. cap. 8.

Regna Neoptolemi referam, versosque penates
Idomenei? Libycove habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit: devicta Asia subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus oris,
Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?

S E R V I I.

REGNA NEOPTOLEMI REFERAM? Subaudis EVERSA. Quod ex posterioribus intelligitur. Pyrrho autem quid contigerit, manifestum est: Nam ut in tertio legimus, cum vellet ducere Hermionem, Oresti ante desponsatam, ab eo est inter aras Apollinis interemptus. Vnde est, *Et scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.* VERSOSQVE PENATES IDOMENEI? Idomeneus rex Cretensium fuit: qui cum tempestate laboraret, vovit se sacrificaturum Neptuno de re quæ ei primum occurrisset. Casu cum ei primum filius occurrisset, quem cum, ut alii dicunt, immolasset: ut alii, immolare voluisset: ob crudelitatem regno à civibus pulsus est. Vnde est, *Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem.* Alii dicunt quod abscedens cuidam suum commendaverat regnum, qui per ejus absentiam occupavit imperium & reversum pepulit. Ergo *versos penates*, aut eversos & funditus dirutos accipiendum: aut certe in aliena jura conversos.

LIBYCOVE HABITANTES LITTORE LOCROS? Vt etiam in tertio diximus, Locri socii Ajacis Oilei fuerunt Epizephyrii & Ozoli. Sed hi tempestate divisi sunt, adeo ut Epizephyrii tenerent Brutios, de quibus ait in tertio, *Hic & Narytii posuerunt mœnia Locri.* Ozoli vero delati Pentapolim, de quibus nunc queritur, dicens, *Libycove habitantes littore Locros?* Quamvis quidam dicant etiam in ipsis Brutiis littus Libycum dici; alii hos circa Syrtes posuisse sedes, alii in Libya insulas quasdam inhærentes occupasse, eosque initio Nisammones, postea corrupte Nasammones appellatos. Alii amissa in syrtibus classe per Mediterrena arietis fortuito dicunt * iter facientes ad Ammonem pervenisse, & oppidum Aureta inter Nasammones condidisse. Alii Africæ insulam tenuisse, quæ nunc Cercina dicitur: & pronuntiandum ut longinquitas doceatur exilii.

DEVICTA ASIA SVBSEDIT ADVLTER. Quidam *sub* pro post accipiunt, ut sit post possedit. Legitur & devictam Asiam. Quod si est ita, intelligimus *subsedit*, dolo possedit. Lucanus, *Subsidere regnum Calchidos Euboicæ magna spe rapte parabas.* Vnde & *subsessores* dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt: & hostium dolos *subsessas* vocamus, ut sit sensus, Ab Agamemnone devictam Asiam adulter Ægisthus insidiis & factione possedit. Melius tamen est ut, *devicta Asia* legamus: secundum quod SVBSEDIT, erit remansit: ut, *Extremus galeaque ima subsedit Acestes.* ut sit sensus, Asia propter adulterium pertulit bella, quæ remanente adultero finita esse nihil profuit. ut cum indignatione sit dictum, Dum primum adulterium vindicatur, aliud rursus emersit. Sane Clytemnestram Orestes filius, postea in vindictam patris necavit. Quidam dicunt Clytemnestram non manu filii, sed judicum sententia peremptam. Alii hunc Orestem filium Menelai & Helenæ tradunt: quidam inventam Iphigeniam abortiam uxorem ei volunt fuisse.

PRIMA INTRA LIMINA. In ipso limine imperii, id est in littore: quia secundum Homerum Clytemnestra Agamemnoni occurrit ad littus: & illic eum susceptum cum adultero inter epulas interemit.

ἀλλά μοι Αἴγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε
ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ, οἶκόνδε καλέσσας,
δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Quod & Iuvenalis tangit, dicens, *Quippe ille deis authoribus ultor Patris erat cæsi media inter pocula.* Alii autem dicunt Clytemnestram dolore pellicatus quod comperisset Cassandram à marito electam, quod in ipso regressu, id est prima die, qua domus suæ limen ingressus est, blande suscepisset, cumque ille diis penatibus se sacrificare velle dixisset, consilio Ægisthi ab uxore vestem accepit clauso capite & manicis qua implicatus adulteri manibus interiit.

INVIDISSE DEOS. Sthenelii filius Ægialam Diomedis uxorem cognovit adulterio: quo comperto Diomedes reverti noluit, & in Apuliæ partibus sibi condidit sedes, quod Veneris dolo dicitur esse perfectum, quam in bello Trojano vulneraverat. Vnde ait, *Invidisse deos.*

PVLCHRAM CALYDONA VIDEREM. Vnam de supradictis civitatibus quibus imperabat.

V A R I O R V M.

IPSE MYCENÆVS. Agamemnonis periphrasis. Pathos à loco & necessitudine.

CONIVGIS INFANDÆ. Pathos à loco. Macrob. lib. 4 cap. 5. Saturn.

SVBSEDIT ADVLTER. *Subsidere*, delitescere est: unde *subsessores*, qui delitescentes insidiantur & insidiis circumventos & oppressos interimunt, qui *subsessi* dicuntur: & *subsessæ* Vegetio insidiæ, ἐνέδραι. Convenit autem huic loco, quod *subsessor* alieni matrimonii dictus est à Valerio, qui pudicitiæ alienæ conjugis insidiatur. GERM. *Subsidere*, pro clam subsistere. Turneb. lib. 5. c. 8.

CALYDONA. Ætoliæ urbem. Homerus Calydonem montanam vocat, propter regionem. Fuit autem Ætolia in duas partes divisa: in montanam, quæ Pleuroni fuit attributa: & campestrem, quæ Calydoni. HORT.

Nunc

Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lachrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cælestia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini, lætorve malorum.
Munera quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam: stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus

SERVII.

NUNC ETIAM HORRIBILI VISU. Hoc loco nullus dubitat fabulæ hujus ordinem à Virgilio esse conversum. Nam Diomedis socios constat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant hæ aves, hodieque Latine *Diomedeæ* vocantur; Græci *erodios* dicunt. Habitant autem in insula Electride sive Febra, quæ est haud longe à Calabria in conspectu Tarentinæ civitatis. Quinetiam de his avibus dicitur, quod Græcis navibus lætæ occurrant: Romanas, & Latinas vehementer fugiant, memores & originis suæ, & quod Diomedes ab Illyricis interemptus est. PORTENTA. Revera enim portentum est, homines in aves esse conversos.

ET SOCII AMISSI. Legunt nonnulli & ADMISSIS PINNIS. Sed melius est *amissi*.

LACHRYMOSIS VOCIBUS. Dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum. namque hoc tangit latenter.

SPERANDA. Pro timenda: ut, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

COELESTIA CORPORA. Martis & Veneris, quæ numina vulneravit in bello.

VENERIS VIOLAVI VULNERE DEXTRAM. Artificiose agit. nam sciens ea quæ dicuntur in fine, animis inhærere, suos casus ultimos memorat. Perite etiam Venerem tantum à se vulneratam dicit, Martis supprimens numen, quod ei poterat esse gloriosius: ut videatur omnia quæ pertulit odio Veneris pertulisse, contra cujus filium nunc vocatur ad pugnam, ut negans etiam nunc paria videatur formidare. *Dextram* autem secundum Homerum dicit, qui ait, ἐπὶ καρπῷ.

TALES IMPELLITE PUGNAS. Quantum est periculosa victoria.

NEC MIHI CUM TEUCRIS ULLUM POST ERUTA BELLUM PERGAMA. Ne ei objiciatur illa conjuratio, quam apud Aulidem Græci inierunt. dicit in Trojæ excidio sacramentum conjurationis esse completum. Namque in Trojam, non in Trojanos conjuraverant Græci. huc enim spectat quod dicit, nullum se cum Trojanis habere bellum post dirutam Trojam.

NEC VETERUM MEMINI, LÆTORVE MALORUM. Nec meminisse volo victoriarum mearum, quarum nullus oblivisci consuevit: nec lætor Trojanorum malorum, pro Trojanis malis, quæ nobis bellantibus pertulerunt. nihil potest de suis malis dicere, cum & mala sua nullus obliviscatur: & ea ipsa paulo ante memorarit. LÆTOR autem MALORUM, figura Græca est: sicut Horatius, *Agrestium regnavit populorum*, pro Agrestibus populis.

MUNERA QUÆ PATRIIS AD ME PORTASTIS AB ORIS. Hinc jam suasio est & consilium: nam finita est auxiliorum negatio. Unde & paulo post Venulus ita dividit dicens, *Et responsa simul quæ sint rex optime regis Audisti, & quæ sit magno sententia bello*, scilicet Audisti. Et quod negaverit auxilia, & quod nobis dederit de pace consilium.

STETIMUS TELA ASPERA CONTRA: CONTULIMUSQUE MANUS. Id est & cominus, & è longinquo inter nos bella tractavimus.

QUANTUS IN CLYPEUM ASSURGAT. Aut QUANTUS, est quotiens in hostem pergens erigit scutum: aut pugnandi exsecutus est genus. Qui enim scripserunt de arte militari, dicunt summum genus esse dimicandi, quotiens calcato umbone adversarii, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra instantis vulnerat terga. Vel quantos adsurgit, vel quantis sit major.

DONATI.

MUNERA QUÆ PATRIIS. Qui auxilium non dat, dat consilium.

VARIORUM.

ET SOCII AMISSI PETIERUNT. Malo hic *admissis* legere, quam cum Servio *amissi*, observata vi vocabuli sæpe apud Livium & Cæsarem: ut, *admisso equo impetum facere*, hoc est meo judicio, concitato, concusso, immisso. GERMAN. Vide Iannum Parrhasium pag. 146. Tom. 1. Lampad.

Regna Neoptolemi referam, versosque penates
Idomenei? Libycove habitantes littore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum
Conjugis infanda prima intra limina dextra
Oppetiit: devicta Asia subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus oris,
Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?

S E R V I I.

REGNA NEOPTOLEMI REFERAM? Subaudis EVERSA. Quod ex posterioribus intelligitur. Pyrrho autem quid contigerit, manifestum est: Nam ut in tertio legimus, cum vellet ducere Hermionem, Oresti ante desponsatam, ab eo est inter aras Apollinis interemptus. Vnde est, *Et scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.* VERSOSQVE PENATES IDOMENEI? Idomeneus rex Cretensium fuit: qui cum tempestate laboraret, vovit se sacrificaturum Neptuno de re quae ei primum occurrisset. Casu cum ei primum filius occurrisset, quem cum, ut alii dicunt, immolasset: ut alii, immolare voluisset: ob crudelitatem regno à civibus pulsus est. Vnde est, *Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem.* Alii dicunt quod abscedens cuidam suum commendaverat regnum, qui per ejus absentiam occupavit imperium & reversum pepulit. Ergo *versos penates*, aut eversos & funditus dirutos accipiendum: aut certe in aliena jura conversos.

LIBYCOVE HABITANTES LITTORE LOCROS? Vt etiam in tertio diximus, Locri socii Ajacis Oilei fuerunt Epizephyrii & Ozoli. Sed hi tempestate divisi sunt, adeo ut Epizephyrii tenerent Brutios, de quibus ait in tertio, *Hic & Narytii posuerunt moenia Locri.* Ozoli vero delati Pentapolim, de quibus nunc queritur, dicens, *Libycove habitantes littore Locros?* Quamvis quidam dicant etiam in ipsis Brutiis littus Libycum dici; alii hos circa Syrtes posuisse sedes, alii in Libya insulas quasdam inhaerentes occupasse, eosque initio Nisammones, postea corrupte Nasammones appellatos. Alii amissa in syrtibus classe per Mediterrena arietis fortuito ducunt * iter facientes ad Ammonem pervenisse, & oppidum Aurela inter Nasammones condidisse. Alii Africae insulam tenuisse, quae nunc Cercina dicitur: & pronuntiandum ut longinquitas doceatur exilii.

DEVICTA ASIA SVBSEDIT ADVLTER. Quidam *sub* pro post accipiunt, ut sit post possedit. Legitur & devictam Asiam. Quod si est ita, intelligimus *subsedit*, dolo possedit. Lucanus, *Subsidere regnum Calchidos Euboicae magna spe rapte parabas.* Vnde & *subsessores* dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt: & hostium dolos *subsessas* vocamus, ut sit sensus, Ab Agamemnone devictam Asiam adulter Aegisthus insidiis & factione possedit. Melius tamen est ut, *devicta Asia* legamus: secundum quod SVBSEDIT, erit remansit: ut, *Extremus galeaque ima subsedit Acestes.* ut sit sensus, Asia propter adulterium pertulit bella, quae remanente adultero finita esse nihil profuit, ut cum indignatione sit dictum, Dum primum adulterium vindicatur, aliud rursus emersit. Sane Clytemnestram Orestes filius postea in vindictam patris necavit. Quidam dicunt Clytemnestram non manu filii, sed judicum sententia peremptam. Alii hunc Orestem filium Menelai & Helenae tradunt: quidam inventam Iphigeniam abortiam uxorem ei volunt fuisse.

PRIMA INTRA LIMINA. In ipso limine imperii, id est in littore: quia secundum Homerum Clytemnestra Agamemnoni occurrit ad littus: & illic cum susceptum cum adultero inter epulas interemit.

> ἀλλά μοι αἴγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε
> ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε καλέσσας
> δειπνίσσας ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Quod & Iuvenalis tangit, dicens, *Quippe ille deis auctoribus ultor Patris erat caesi media inter pocula.* Alii autem dicunt Clytemnestram dolore pellicatus quod comperisset Cassandram à marito electam, quod in ipso regressu, id est prima die, qua domus suae limen ingressus est, blande suscepisset, cumque ille diis penatibus se sacrificare velle dixisset, consilio Aegisthi ab uxore vestem accepit clauso capite & manicis qua implicatus adulteri manibus interiit.

INVIDISSE DEOS. Stheneli filius Aegialam Diomedis uxorem cognovit adulterio: quo comperto Diomedes reverti noluit, & in Apuliae partibus sibi condidit sedes, quod Veneris dolo dicitur esse perfectum, quam in bello Trojano vulneraverat. Vnde ait, *Invidisse deos.*

PVLCHRAM CALYDONA VIDEREM. Vnam de supradictis civitatibus quibus imperabat.

V A R I O R V M.

IPSE MYCENAEVS. Agamemnonis periphrasis. Pathos à loco & necessitudine.

CONIVGIS INFANDAE. Pathos à loco. Macrob. lib. 4 cap. 5. Saturn.

SVBSEDIT ADVLTER. *Subsidere*, delitescere est: unde *subsessores*, qui delitescentes insidiantur & insidiis circumventos & oppressos interimunt, qui *subsessi* dicuntur: & *subsessa* Vegetio insidiae, *ενέδρα*. Convenit autem huic loco, quod *subsessor* alieni matrimonii dictus est à Valerio, qui pudicitiae alienae conjugis insidiatur. GERM. *Subsidere*, pro clam subsistere. Turneb. lib. 5. c. 8.

CALYDONA. Aetoliae urbem. Homerus Calydonem montanam vocat, propter regionem. Fuit autem Aetolia in duas partes divisa: in montanam, quae Pleuroni fuit attributa: & campestrem, quae Calydoni. HORT.

Nunc

Digitized by Google

Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lachrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cælestia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini, lætorve malorum.
Munera quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam: stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus

SERVII.

NUNC ETIAM HORRIBILI VISU. Hoc loco nullus dubitat fabulæ hujus ordinem à Virgilio esse conversum. Nam Diomedis socios constat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant hæ aves, hodieque Latine *Diomedeæ* vocantur; Græci *erodios* dicunt. Habitant autem in insula Electride sive Febra, quæ est haud longe à Calabria in conspectu Tarentinæ civitatis. Quinetiam de his avibus dicitur, quod Græcis navibus lætæ occurrant: Romanas, & Latinas vehementer fugiant, memores & originis suæ, & quod Diomedes ab Illyricis interemptus est. PORTENTA. Revera enim portentum est, homines in aves esse conversos.

ET SOCII AMISSI. Legunt nonnulli & ADMISSIS PINNIS. Sed melius est *amissi*.

LACHRYMOSIS VOCIBUS. Dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum. namque hoc tangit latenter.

SPERANDA. Pro timenda: ut, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

COELESTIA CORPORA. Martis & Veneris, quæ numina vulneravit in bello.

VENERIS VIOLAVI VULNERE DEXTRAM. Artificiose agit, nam sciens ea quæ dicuntur in fine, animis inhærere, suos casus ultimos memorat. Perite etiam Venerem tantum à se vulneratam dicit, Martis supprimens numen, quod ei poterat esse gloriosius: ut videatur omnia quæ pertulit odio Veneris pertulisse, contra cujus filium nunc vocatur ad pugnam, ut negans etiam nunc paria videatur formidare. *Dextram* autem secundum Homerum dicit, qui ait, ἐπὶ καρπῷ.

TALES IMPELLITE PUGNAS. Quantum est periculosa victoria.

NEC MIHI CUM TEUCRIS ULLUM POST ERUTA BELLUM PERGAMA. Ne ei objiciatur illa conjuratio, quam apud Aulidem Græci inierunt, dicit in Trojæ excidio sacramentum conjurationis esse completum. Namque in Trojam, non in Trojanos conjuraverant Græci. huc enim spectat quod dicit, nullum se cum Trojanis habere bellum post dirutam Trojam.

NEC VETERUM MEMINI, LÆTORVE MALORUM. Nec meminisse volo victoriarum mearum, quarum nullus oblivisci consuevit: nec lætor Trojanorum malorum, pro Trojanis malis, quæ nobis bellantibus pertulerunt. nihil potest de suis malis dicere, cum & mala sua nullus obliviscatur: & ea ipsa paulo ante memorarit. LÆTOR autem MALORUM, figura Græca est: sicut Horatius, *Agrestium regnavit populorum*, pro Agrestibus populis.

MUNERA QUÆ PATRIIS AD ME PORTASTIS AB ORIS. Hinc jam suasio est & consilium: nam finita est auxiliorum negatio. Unde & paulo post Venulus ita dividit dicens, *Et responsa simul quæ sint rex optime regis Audisti, & quæ sit magno sententia bello*, scilicet Audisti. Et quod negaverit auxilia, & quod nobis dederit de pace consilium.

STETIMUS TELA ASPERA CONTRA: CONTULIMUSQUE MANUS. Id est & cominus, & è longinquo inter nos bella tractavimus.

QUANTUS IN CLYPEUM ASSURGAT. Aut QUANTUS, est quotiens in hostem pergens erigit scutum: aut pugnandi exsecutus est genus. Qui enim scripserunt de arte militari, dicunt summum genus esse dimicandi, quotiens calcato umbone adversarii, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra instantis vulnerat terga. Vel quantos adsurgit, vel quantis sit major.

DONATI.

MUNERA QUÆ PATRIIS. Qui auxilium non dat, dat consilium.

VARIORUM.

ET SOCII AMISSI PETIERUNT. Malo hic *admissis* legere, quam cum Servio *amissi*, observata vi vocabuli sæpe apud Livium & Cæsarem: ut, *admisso equo impetum facere*, hoc est meo judicio, concitato, concusso, immisso. GERMAN. Vide Janum Parrhasium pag. 246. Tom. 1. Lampad.

In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. coeant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Vt primum placati animi, & trepida ora quierunt,
Præfatus divos, solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse Latini

S E R V I I.

SI DVO PRÆTEREA. Hoc est alios duos.

DARDANVS. Pro Dardanius populus: & posuit principale pro derivativo: sic Homerus, τὸ δ' ἐκλύετ Δάρδανος ἀνήρ. LVGERET. Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios invenisse. Eos enim primos Liberum quem Osyrim appellant à fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde cæteris gentibus traditum, ut post interitum proximorum suorum veste mutata lugerent; ita tamen ut intra annum finiretur luctus.

CESSATVM EST. Tardatum est, & mire, quia non habet quos imputet Trojanis triumphos, vult eis excidii tarditatem pro victoria cedere.

HÆSIT. Tardata est. VESTIGIA RETTVLIT. Retro acta est, & repulsa ut, *Retro sublapsa referri.*

HIC PIETATE PRIOR. Id in Ænea plus laudat, quod Latinis sicut suadet pacem petituris est utile, ut eum se credant posse facilius exorare. PRIOR autem, Præstantior, melior.

QVA DATVR. Qua potest, quacunque ratione permittitur.

PER ORA TVRBATA. Prope ora turbatorum.

CLAVSO GVRGITE. Saxorum objectione præclusō.

FREMVNT RIPÆ. Antiqui aquæ sonitus, fremitus dicebant. Ennius, *Ratibusque fremebat Imber Neptuni.*

PRÆFATVS DIVOS. More antiquo. nam majores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi. nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per irrisionem ait, *Si quos ex vetere aliqua oratione, Iovem ego optimum maximum.* Et Demosthenes in oratione contra Æschinem, πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις.

ANTE ÆQVIDEM SVMMA DE RE STATVISSE LATINI. Latenter arguit Turnum, quod sibi non obtemperaverit, ut fœdus fieret: in septimo scilicet, ubi ait, *Te Turne nefas, te triste manebit Supplicium.* nam modo hoc tempus revolvit.

VELLEM STATVISSE. Olim est quod volui, his malis terminum dare. *Vellem* autem *statuisse* dixit, ut vellem fecisse. & est compendiosa elocutio cum querimur non esse factum, quod fieri debuit.

D O N A T I.

HIC PIETATE PRIOR: Vt facile sit impetrare facem.

V A R I O R V M.

SI DVO PRÆTEREA TALES. *Duo,* Græcum est, pro duos. Poëta hoc ex Homeri Iliad. β. ubi & videtur affectasse: τοιοῦτοι δέκα μοι, &c. HART.

CEV SAXA MORANTVR. Apta similitudine fremitum submissum principum, Diomedis & responsum & consilium obstupentium, subjicit ab amnium natura, quorum fauces præclusæ fremitum obtusum edunt. HORT.

PRÆFATVS DIVOS. Ritum invocandi deos initio, explic. Turn. lib. 14. cap. 13. & lib. 27. c. 12. Brisson. Form. lib. 1. num. 42.

Et

Digitized by Google

Et vellem, & fuerat melius: non tempore tali
Cogere concilium, cum muros obsidet hostis.
Bellum importunum cives cum gente deorum,
Invictisque viris, gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite. spes sibi quisque, sed, hæc quam angusta, videtis.
Cætera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.
Nec quenquam incuso. potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam: & paucis (animos adhibete) docebo.

SERVII.

NON TEMPORE TALI. Adjuvandum pronuntiatione, id est post tanta quæ pertulimus mala, & opportune deliberandi quidem de hac re existimet intervallum esse hostili exercitu imminente, & per hoc magis suadet dum tam infestos probat, ut sibi nec pacem petere permittatur.

BELLUM IMPORTUNUM. Concepit gravem iracundiam, & sic in hæc verba prorupit. IMPORTUNUM autem est, ubi nullum refugium est, quod caret portu, id est quiete, ubi nullus est portus. Nam hoc quodammodo dicit, in naufragium fertur illa contentio: quia supra audierat periculum esse etiam superare Trojanos, & enarrat cur *importunum*, dicens, *Cum gente deorum, Invictisque viris gerimus*. CIVES. ἐμφύλιοι. CUM GENTE DEORUM. Qui à diis originem ducunt.

INVICTIS. Atqui supra legimus *Bis capti Phryges*. Sed *invictis* ideo dicit, quia sequeretur, *Nec victi possunt absistere ferro*. Et sicut supradictum est, latenter occurrit illi, forsitan vincemus, ergo hic si vincamus proficiemus. POSSUNT autem ABSISTERE: mire ait, ac si diceret, Etiam si velint, eos à bellis discedere natura non patitur. Ennius, *Qui vincit non est victor, nisi victus fatetur*. Varro & cæteri invictos dicunt Trojanos, quia per insidias oppressi sunt: illos enim vinci adfirmant, qui se dedunt hostibus.

ADSCITIS. Evocatis, adjunctis. Ergo & gradatim accedit ad desperationem, quæ cogit pacem esse poscendam. ÆTOLUM IN ARMIS. A patri usque adde id Diomedis mentionem intulit *

PONITE. Deponite. SPES SIBI QUISQUE. Subaudis SIT. Et late patet ista sententia, vel quod alienis egere auxiliis non oporteat, vel quod meminisse singuli spei suæ debeant, ut ea sperent tantum quibus possunt potiri. SED HÆC QUAM ANGUSTA VIDETIS. Ut, Unusquisque in tantum spem habeat quam sit angustum videbis. CÆTERA. Absolute dixit: id est exercitus, vires, auxilia imperii: quæ si videatis afflicta, quid restat, nisi ut pacem petamus?

ANTE OCULOS, INTERQUE MANUS SUNT OMNIA VESTRAS. Ac si diceret, non egent narratione. *Inter manus autem*, quod Græci ὑποχείρας.

NEC QUENQUAM INCUSO. Excusatio hæc ostendit, & obliquam esse in Turnum orationem Latini.

FUIT. Exhausta & consumpta est. TOTO CERTATUM EST CORPORE REGNI. Id est, Imperii omnibus viribus bellavimus.

DUBIÆ MENTI. Meæ scilicet cogitanti.

PAUCIS ANIMOS ADHIBETE DOCEBO. Aut paucis docebo, aut animos paucis adhibete.

DONATI.

IMPORTUNUM. Quod defensionis non habet portum, & quod periculosum non invenit rationis suffragium.

CUM GENTE DEORUM. Causa quare importunum sit. quæ enim potest inveniri defensio?

NEC VICTI POSSUNT ABSISTERE FERRO. Quia potuisset dici, tandiu durabimus, ut succumbant.

VARIORUM.

BELLUM CUM GENTE DEORUM. Confirmat rationem ab impio: oblique notans exemplum Diomedis. Is Venerem quia bello impetiverat, infeliciter regno exturbatus fuit: Quid nobis eventurum est, qui arma sumpsimus, cum Veneris filio, Iovis nepote? HORT.

QUOS NULLA FATIGANT PRÆLIA. A difficultate superandi, & supervacaneo stultoque conatu vincendi. Locus ab impossibili. HORT.

TOTO CERTATUM EST CORPORE. Quasi diceret. Quid faciemus pauci & fessi, qui cum totius regni viribus recenti virtute certantes, nec obtinere potuimus & afflicti discessimus? Consilium deinde se utile daturum spondet, & attentos faciens, brevitatem promittit. *Dubiam mentem* intellige deliberantis mentem: qui enim deliberat dubitat. DONATUS.

Digitized by Google

Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos.
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent colles: atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios fines, aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naveis,

SERVII.

EST ANTIQVVS AGER TVSCO MIHI PROXIMVS AMNI. Hoc loco Donatus erravit dicens, agrum quem Latinus donare se disponit, esse in Campania juxta Vfentem fluvium (quod etiam Clanarius ait) cujus terras vicinas Thusci aliquando tenuerunt: ut inde dictum sit, *Thusco mihi proximus amni.* Agit etiam hoc argumento, quod illi est locus, qui hodieque Pinetum vocatur. Constat loca illa omnia esse campestria: nec procedit quod dicitur, *Celsi plaga pinea montis* Vnde sequenda est potius Livii Sisennæ & Catonis auctoritas. Nam pene omnes antiquæ historiæ scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in originibus dicit Trojanos à Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum & castra Trojana. Hic etiam modum agri commemorat, & dicit eum habuisse jugera DCC. Sane *antiquus* potest & nobilis accipi, vel secundum Trebatium qui de religionibus libro septimo ait, *Luci qui sunt in agris qui concilio capti sunt, hos lucos eadem ceremonia moreque conquiri haberique oportet, ut ceteros lucos qui in antiquo agro sunt.* Antiquum agrum Romanum cogit intelligi. TVSCO MIHI PROXIMVS AMNI. Tyberino.

LONGVS IN OCCASVM. Ea parte qua in occidentem tenditur, longior, potuit ergo usque ad Laurentum & ad Hostiam tendi. FINES SVPER VSQVE SICANOS. Vsque ad fines Sicanos loquitur, quos Siculi aliquando tenuerunt, id est, usque ad ea loca in quibus nunc Roma est. hæc enim Siculi habitaverunt. Vnde est, *Et gentes Venere Sicanæ.* Illi autem à Liguribus pulsi sunt, Ligures à Sacranis, Sacrani ab Aboriginibus.

AVRVNCI RVTVLIQVE SERVNT. Subaudis à superioribus MIHI. Nam & supra ait, Est mihi antiquus ager. Ergo suum agrum pollicetur, aut quem tanquam stipendiarium habebant Rutuli & Aurunci: aut quem colendum quasi regi operas dabant. Vnde superfluum est quod ait Donatus, non potuisse fieri ut præsente Turno ager Rutulorum à Latino donaretur Æneæ.

DVROS EXERCENT COLLES. Extenuat agri meritum, quo vile videatur esse quod donat, vel ne grave videatur his, quibus auferendus est; hinc etiam est, *Atque horum asperrima pascunt.* Et supra, *Arunci Rutulique serunt*: id est non operis suis excolitur. *Asperrima* autem *pascunt*, quidam pro asperrimas partes, vel asperrima pascunt loca, accipi volunt.

CEDAT AMICITIÆ. Id est in pretium concedat amicitiarum. Et bono verbo usus est amicitiæ, non pro hostibus, hoc est ne quasi victas demus.

ÆQVAS DICAMVS LEGES. Vt pari inter nos societate versemur, id est ut sit neutrum inferior. SOCIOSQVE IN REGNA VOCEMVS. Non stipendiarios, ut in quarto, *Cuique loci leges dedimus.*

POSSVNTQVE SOLO DISCEDERE NOSTRO. Scit eos fataliter ad Italiam venisse. nam audiit & à Fauno, *Externi venient generi*: Et ab Ilioneo, *Sed nos fata deûm vestras exquirere terras, Imperiisque egere suis.* Tamen propter Turnum simulat ignorantiam, ut se etiam circa eum æquum præstare videatur. Multum est autem quod ait *possunt*.

BIS DENAS ITALO TEXAMVS ROBORE NAVEIS. Quæritur unde scierit Latinus viginti naves habuisse Ænean; sed ita absolvitur, potuit speculatione, potuit rumore cognoscere, postremo extimatione dixit, quæ amplius solet complecti, quia de viginti navibus unam perisse cum Oronte, IIII. in Siciliam concrematas. TEXAMVS. quidam *texamus* proprie dictum tradunt, quia loca in quibus naves fiunt, Græce ναυπήγια, Latine textrina dicuntur: Ennius dicit; *Idem campus habet textrinum navibus longis.* Navalia enim non esse ναυπήγια, sed νεώρια.

VARIORVM.

EST ANTIQVVS AGER. Describit agrum, qui est inter Laurentum & Tiberim, quem DCC. jugerum à Latinis accepisse Ænean, Cato in originibus autor est.

AVRVNCI RVTVLIQVE SERVNT. Fabricius *Aruncos* legendum pertendit. *Aruncos* enim Rutulis finitimos esse: *Auruncos* Suessanis. TAVB.

ET FOEDERIS ÆQVAS DICAMVS LEGES. *Fœderis leges* ipse exponit; ut nimirum socii sint, non stipendiarii, non civibus inferiores. Dixit unam sententiæ suæ partem, ut accipiant agros, considant, civitatem sibi condant. Subnectit alteram, hoc modo, *Sin alios fines*, &c. DONAT.

Digitized by Google

Seu plures complere valent. jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque, modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos:
Munera portantes eborisque, aurique talenta,
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia, stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis author.

SERVII.

COMPLERE VALENT. Proprie verbum nauticum, nam Græce πληροῦσι dicitur. IACET OMNIS AD VNDAM MATERIES. Hic *omnis* pro ea quæ sufficit. Iterum extenuat, ut sine magno negotio fieri videatur. ET MATERIES, Antique dictum, nam materiam dici debere multi adserunt.

NVMERVMQVE MODVMQVE. Eleganter quot & quantæ magnitudinis sint.

MANVS. Artifices. NAVALIA DEMVS. Hoc loco ipsæ res navales sunt, id est pix, cera, funes, vela & alia hujusmodi. *Navalia* dicimus loca ubi naves sunt. Sed modo de Græco transtulit. Et NAVALIA posuit pro trabibus, de quibus naves fiunt. nam Homerus νηΐον dicit navalè lignum.

PRIMA DE GENTE. Et ex numero & ex nobilitate legatorum intelligitur negotii magnitudo.

AVRIQVE EBORISQVE TALENTA. Ad aurum refertur, an & ad ebur? quia & ebur ad pondus venditur.

ET SELLAM REGNI, TRABEAMQVE INSIGNIA NOSTRI. Bene NOSTRI: Romanorum enim imperatorum insigne fuit sella curulis & trabea. nam diadema aliarum gentium reges non habebant. Et sciendum sellam curulem à curru dictam, quod ea tantum utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent. Sicut etiam palmata dicitur tunica, quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam.

IN MEDIVM. In commune. ut, *In medium quærebant ipsaque tellus.*

TVM DRANCES IDEM. Videlicet quia supra apud Ænean egerat.

OBLIQVA INVIDIA. Hoc est qui non ex aperto impugnabat Turnum: sed eum reipublicæ simulata defensione lacerabat.

LARGVS OPVM. Abundans opibus, dives: non qui multa donaret. LINGVA MELIOR. Vt *lætissimus umbra*: Sallustius, *Fructuum pabulique lætus ager.*

NON FVTILIS AVTOR. Non inanis. nam *futilis*, vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ hausta in terram non ponitur: quod si fiat, piaculum est. Vnde excogitatum est vas quod stare non possit: sed positum statim effunderetur. Vnde & homo commissa non retinens, *futilis* dicitur. contra, *non futilis*, bonus in consiliis, non inanis.

DONATI.

CENTVM ORATORES. Hoc ab Ænea didicisse videtur.

VARIORVM.

IACET OMNIS AD VNDAM MATERIES. Materiam navibus idoneam Græci vocant ναυπηγήσιμον ὕλην, ut & ναυπηγήσιμον πόλιν, quæ commoda habet ad navium compacturam & ædificia. GERMAN.

NOS ÆRA, MANVS, NAVALIA DEMVS. Credo hic per manus ἐργάτας, operas, & remiges intelligi. Sunt tamen, qui *manus* sine præcedente interpunctione in gignendi casu accipiant: ut *æra manus*, pro stipendio nautici ministerii & bellicitur *æs manuarium*, quod manuum labore acquiritur. Alii malunt *manus* accipere pro instrumentis & telis navalibus, quibus naves harpagonibus raptæ tenentur, à manus humanæ similitudine. Non videtur autem, convenire posse, ut hic *manus* exercitum aut agmen significet, quod Teucris non deerat: aut sit *dare manus*, quod herbam porrigere. GERMAN.

MVNERA PORTANTES. Idque è consilio Diomedis, qui censuerat, regiæ magnificentiæ munera ad Ænean justius vertenda, quam ad se. HORT.

ET SELLAM REGNI TRABEAMQVE. Quæ dona Pop. Rom. regibus sociis & amicis mittere soleret, & quibus præterea à senatu honoribus afficerentur, vide Brisson. Form. lib. 2. p. 234.

TVM DRANCES. Totum hoc certamen verborum Turni & Drancis, ad imitationem altercationis inter Agamemnonem & Achillem apud Homerum confictum est. HORT.

Seditione potens (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostra nec vocis egentem,
Consulis ò bone rex. cuncti se scire fatentur
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum, moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat

SERVII.

SEDITIONE POTENS. Præpotens in movenda, non in comprimenda seditione. SVPERBVM. Pro nobile.

INCERTVM DE PATRE FEREBAT. Non ignobilem, sed penitus ignoratum significat. Alii *incertum* aut ipsum patrem, aut genus tradunt; & bene segni homini paternam non dedit nobilitatem.

SVRGIT. Hic reddidit sensum, *Tum Drances surgit.* ONERAT DICTIS. Hoc sermone ostendit Turnum etiam ex oratione gravatum Latini. IRAS. Turni, an omnium qui bellum detestabantur?

REM NVLLI OBSCVRAM. Callide & oratorie agit: & in omnibus adulatorie respondet dictis Latini. supra enim ille dixerat, *Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.* Sane quasi prædictum oratorem exprimit: quia supra de eo dixit, *Et linguæ melior.* Et *Rem consulis*, pro de re consulis. Plautus, *Consulere quiddam est, quod tecum volo:* Sed Drances sicut dictum est rhetorice suadet de pace, nam & pacem faciendam hortatur, & accusationem in Turnum dirigit & quæ in Latino indubitanter universa dicta sunt, quæ pacem fieri suadeant* Drances eadem omnia respondens addit etiam de filia danda Æneæ, quod Latinus ante reticuerat. *Quin natam egregio genero*: quasi non aliter firma erit pax quam fieri vis, quia sciebat hoc Turnum graviter esse laturum, in invidiam personam ejus adducens, *Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur*, & ne mirum esset qui sic libere responderet, ante ejus & mores & causam prædixit, *Lingua melior, seditione potens*: idem *infensus, quem gloria, &c.* duæ tamen hic faciendæ pacis præcipuæ causæ sunt, quod victi sunt, & Turnus singulari certamine congredi debeat. VOCIS EGENTEM. Genitivo junxit, ut *cum classis egeret.*

O BONE REX. Bene addidit BONE, & auxit epitheto dignitatem. *Rex* enim medium est: nam & bonus esse & pessimus potest. Alii *bone rex* exprobratione accipiunt, ut quidem voluit se bonum* dici.

MVSSANT. Modo verentur vel timent significat. alias dubitant: ut, *Mussat rex ipse Latinus Quos generos vocet.* Interdum susurrant: ut de apibus dicit. Et proprie OBMVSSARE, est obmurmurare & queribundum l & * jus velut muto vicinum: Alias tacent, alias quiescunt.

FLATVSQVE REMITTAT. Aut ponat superbiam: aut nostros flatus remittat, id est nobis respirare concedat. *Remittat* autem nunc pro laxet, ut remissis artubus pro laxatis.

CVIVS OB AVSPICIVM INFAVSTVM. Invidiose Turni auspiciis imputat, quod tantus perivit exercitus: ac si diceret, si malis & infaustis tuis ominibus non egrederentur, possent forsitan superare virtute. Sane sciendum hunc Drancis supprimere quicquid verecunde celaverit Latinus* MORESQVE SINISTROS. Contrarios: quia in principio, Latino morigerari nolunt.

LICET ARMA MIHI. Licet, est parenthesis.

LVMINA DVCVM. Id est proceres, ut, *O lux Dardaniæ.*

CONSEDISSE VRBEM LVCTV. In luctum esse demersam. TENTAT. *Mire tentat*, non pugnat.

VARIORVM.

GENVS HVIC MATERNA SVPERBVM. Quanquam filii non nobilitentur ex parte matris, tamen accepta à patre nobilitas splendidior, illustrior, clarior, inde fit. Ignobilitas autem propter matris nobilitatem minus obscura & abjecta, ut sentit Baldus in d. l. ult in fi. C. de ser. frugi. Hinc etiam apud poëtas quosdam à genere materno videmus commendari, & ejus rationem magnam haberi. Vlysses apud Ovid. 13. Metamorph.

Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, deus est in utroque parente.

Statius lib. 4. Sylvar. *Stemmate materno felix virtute paterna.* Vide Tiraquell. de Nobilitate cap. 19.

REM NVLLI OBSCVRAM. Expostulatoria oratio Drancis cum Turno, de injuria, qua publice affecit Latinos, cum privatam libidinem reipub. saluti anteponit. Exordium à benevolentia, & approbat aperte consilium regis Latini, ita ut in medium amplius consulere non sit necesse. HORT.

CONSEDISSE VRBEM LVCTV. Lugentes enim sedent. Turneb. lib. 23. cap. 14.

Castra,

Digitized by Google

Castra, fugæ fidens, & cælum territat armis.
Vnum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis ducique jubes, unum optime regum
Adjicias: nec te ullius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero dignisque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentes & pectora terror,
Ipsum obtestemur veniamque oremus ab ipso:
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis? ô Latio caput horum & causa malorum!
NVLLA *salus bello: pacem te poscimus omnes,*

SERVII.

FVGÆ FIDENS. Illud respicit quod bella deserit, Iunone faciente, vel quia ejus exercitus fugit. FVGÆ autem figurate dixit, non Fuga fidens. COELVM TERRITAT ARMIS. Dictum quidem Virgilii gravitati non convenit: sed perite Dranci hæc data sunt verba, qui tumida oratione inducitur. Vnde ei paulò post Turnus dicit, *Quæ tuto tibi magna volant.* Item, *Proinde tona eloquio.* Item, *Ventosa in lingua.* Deinde diximus Drancem librare se ad orationem Latini. unde nunc dicit, *Et cælum territat armis*, aut quasi vanus & cumentus monetur * quia audierat, *Bellum importunum cives cum gente deorum.* Id est contra eos pugnet, qui favore nituntur.

ETIAM. Hoc loco *etiam*, pro adhuc, ut Terentius, *Hunc ego nunquam videram etiam*: & mox, *Vnum etiam vos oro ut me in vestrum recipiatis gregem.*

MITTI DARDANIDIS, DVCIQVE. *Mitti Dardanidis*: & cætera dici de navibus vel agro. Et bene *Dardanidis*, quasi cognatis & ab origine generis propinquis.

ADIICIAS. Pro adiice. Terentius, *Abeas si sapis.*. Quia indecens erat imperatione ad regem loqui. Et bene hic quod honeste Latinus reticuerat dicit, Laviniam quoque ei offerendam.

EGREGIO GENERO, DIGNISQVE HYMENÆIS. Ergo Turnus videtur indignus.

ÆTERNO FOEDERE IVNGAS. Natæ scilicet conjunctione. nam munera & contemni poterant: generis vero conjunctione in æternum pacis fœdera firmabantur. hoc autem dicto latenter etiam Latini pudorem exonerat: qui Turno etiam suam promiserat filiam, dicens causam reipublicæ præponderare debere, & propter pacem civium Turno Æneam esse præferendum.

TERROR. Terror est proprie qui aliis infertur: ut si dicas, ille mihi habet terrorem: id est timendus est. Vnde & terribilis dicitur. *Metus* autem est quem habent timentes, Sed nunc usurpative terrorem pro metu posuit. Nam hoc dicit, Quod si tantum Turnum timemus. Aliene voluit quod turpe esset audienti Latino dicere, ut Turnum timeat.

IPSVM. Invidiose repetitum pronomen. VENIAMQVE OREMVS AB IPSO, CEDAT. Asper hic distinguit. id est hanc veniam oremus ut cedat, aut si conjuncte legeris *Cedat jus proprium regi*, nova erit elocutio accusativo junctum *cedat*, & cedat jus proprium, id est quod proprium regum est, succedat Æneæ. Quod autem hic dixit *cedat*, mox ait *Pone animos & pulsus abi.*

QVID MISEROS TOTIENS IN APERTA PERICVLA CIVES PROIICIS. Quasi viles & abjiciendos. & ingenti pondere universa verba sunt posita.

LATIO. Non uni civitati. CAPVT. Principium. Et est antiquum. Quia quivis auctor & princeps rei gestæ fuerat, *caput* à veteribus dicebatur. Terentius, *Nam si hic mali est quicquam, illic huic rei est caput.* Plautus in Asinaria, *Ego caput huic fui argento inveniendo.*

NVLLA SALVS BELLO. Plus est quam si SPES diceret. *Nulla bello* autem, per bellum. PACEM TE POSCIMVS OMNES. Te poscimus, qui solus es caussa bellorum. nam Æneas pacem promisit. Omnes invidiose, ut & Latinus, hoc poscere videatur.

DONATI.

CIVES PROIICIS. Homines omni charitate amplectendos, ut rem vilem abjicis.

IN APERTA. Manifesta, quod non fortis est, sed temerarii.

VARIORVM.

FVGÆ FIDENS. Ignaviam adversarii acerbe perstringit, qui cum ferociter grandia spiret ac minitetur, nihil præterea efficiat. HORT.

ET CÆLVM TERRITAT. Pro terrere velle videtur. Turneb. lib. 14. cap. 13. Hyperbole proverbialis in Thrasones magniloquos, ferociores, ac lingua magis minaces quam re præstantiores. Confine huic illud in Epist. Synesii ad Andronicum, Τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν ἐπιχειρεῖ, id est, capite cælum perrumpere conatur.

Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis (& esse
Nil moror) en supplex venio, miserere tuorum:
Pone animos, & pulsus abi. sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, & si adeo dotalis regia cordi est,
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux:
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis: etiam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:

SERVII.

SOLUM INVIOLABILE PIGNUS. Id est Laviniam. Et hoc est quod ait supra, *Pacem hanc æterno fœdere firmes.*

INVISUM QUEM TU TIBI FINGIS. Id est inimicum, & bene QUEM TU TIBI FINGIS, ne ei tanquam inimico minime credatur. & hoc dicit, Non sum quidem inimicus: sed si velis esse, non recuso. nam hoc est *& esse nihil moror.*

FUSI. Fugati. DESOLAVIMUS AGROS. Vel dum occiduntur agricultores, vel dum coguntur ad militiam. nam legimus, *Et latos vastant cultoribus agros.*

DOTALIS REGIA CORDI EST. Hoc est regnum Latini. Sic alibi, *Non hæc dotalis regia Amatæ.*

SCILICET UT TURNO CONTINGAT REGIA CONJUX. Hæc cum quadam irrisione dicuntur. Et ostendit hoc nec utile, nec honestum esse.

INHUMATA INFLETAQUE TURBA. Atqui sepulti sunt omnes qui in bello perierant, ut legimus supra. Sed hoc factum est Æneæ beneficio, qui sepulturæ eorum reddidit socios. Ergo quantum ad Turnum pertinet insepulti sunt: nam campos sua potestate retinebat Æneas.

ETIAM TU. Nunc etiam hortantis adverbium est, ut eja. Terentius. *Etiam responde.* Alias ADHUC significat, & est temporis adverbium, ut *etiam currus, etiam arma tenentes.* Alibi pro conjunctione, ut, *vos etiam gemini* &c. Ponitur etiam pro nondum, Afranius, *Etiam quidquam egisti.* Apud majores ETIAM consentientis fuerat. quod tamen in his recentibus idoneis auctoribus non invenitur. Nonnulli etiam TU, pro quin tu tradunt. VIS. Virtus.

SI PATRII QUID MARTIS HABES. Id est, si quid bellicæ virtutis habes, neque enim à Marte oriundus est, nam patrii & à patre & à patria potest dici.

IMO PECTORE VOCES. Ut qui diu tacuerit, dum audit inimicum. Dicendo autem IMO PECTORE VOCES, habitum futuræ orationis ostendit more suo.

DONATI.

SUPPLEX. Magna nocendi calliditas, qua inimicum summa invidia oneret.

ANIMOS. Fortem quandam considerationem.

DESOLAVIMUS AGROS. Nam de solo certabatur, quod factum est desertum.

SCILICET UT TURNO. Necessario posita est in fine exclamatio, ut demonstret causæ privatæ ipsius Turni non esse admiscendum publicum periculum.

VIOLENTIA TURNI. Ante ardens magis exarsit. Ostendit autem Drancem uti præpostera eloquentia, cum eo tempore manibus & non verbis sit utendum.

VARIORUM.

NIL MOROR. Παρρησία dicentis.

PONE ANIMOS. Epilogus, quo monet Turnum ad ponendam ferociam: & movet affectus ab accepta clade.

AUT SI FAMA MOVET. Occurrit tacitæ cogitationi ut ab ipso turpitudinem removeat, Hypothetica disjunctiva. Aut ferociam pone, aut singulari pugna cum hoste congredere. Et hortatur ab utilitatis spe; ut Lavinia potiatur, & famæ decus tueatur. HORT.

NOS ANIMÆ VILES. Tanquam viles & abjectæ, & nullius pretii animæ. Inserit affectus, ut moveat ferocem juvenis animum.

ETIAM TU. Iterat exhortationem ad μονομαχίαν, ut publici mali non sit memor, & dedecus nominis sui subterfugiat. HORT.

Larga

Larga quidem semper Drance tibi copia fandi,
Tum cum bella manus poscunt, patribusque vocatis:
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque timoris
Argue tu Drance. tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque trophæis
Insignis agros, possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circunstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

SERVII.

LARGA QVIDEM SEMPER DRANCE TIBI COPIA FANDI, TVM CVM BELLA MANVS POSCVNT. Multa sunt summa optimaque, quoniam per se non possunt vituperari, ab accidentibus vituperantur: ut hoc loco, quoniam eloquentia per se est optima, eam culpat ex tempore, dicens, Tunc incumbens eloquentiæ cum manus bella deposcunt. Et ostendere vult omnem illam orationem Drancis non consilio, sed timiditate prolatam. Sane rhetorice responsurus Turnus, bene cœpit à Drance, ante enim se defendit, tunc de bello sententiam dicit & primum hoc vicit * quod eloquens & infirmas sententias de bello audeat ferre, dicendo *Larga quidem semper Drance tibi copia fandi*, & *Dum distinet hostem*, &c. Inde pro se agit per enumerationem ostendens, id falsum esse quod dicatur victus, *Iliaco tumidum qui sanguine Tybrim*, &c. Sed obiicitur in futurum spes nulla est, exsecratur omen, *Capiti cane talia demens Dardanio*, & ex adversariorum persona rem adtenuat dicendo, *Extollere vires Gentis bis victæ*, etiam ille regem respondit * quam dixerat Drancis vim se timere. *Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit*, &, *Nunquam animam talem*, &c. Dilata autem de singulari certamine quæstione, quasi aliam orationem inchoat, & *Nunc ad te & tua magne pater consulta revertor.* Sed hæc in sequentibus singulatim tractanda sunt.

PATRIBVSQVE VOCATIS, PRIMVS ADES. Bella penitus ignorans atque formidans, primus es inter senes ad danda consilia.

REPLENDA EST CVRIA VERBIS. Emphasis loquacitatis.

TVTO. Dativus, an adverbium? ut falso volant.

MAGNA VOLANT. Homerus ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. DISTINET. Arcet, repellit: nam *distinet* est proprie extra tenet. DIS enim separantis est, unde & diduco & distraho dicimus.

PROINDE. Pro syllaba metri causa excluditur.

TONA ELOQVIO. Non strepitu armorum. MEQVE TIMORIS ARGVE TV DRANCE. Ut in Bucolicis, *Cantando tu illum?* Arguo autem genitivum regit: ut arguo te cædis, insidiarum: & est de Græco. nam ita dicunt, κατηγορῶ σε φόνου, ἐλέγχω δὲ φόνου ἢ κλοπῆς.

QVANDO. Siquidem. Et per irrisionem suas in illum confert laudes. STRAGIS TEVCRORVM. Duo genitivi.

INSIGNIS AGROS. Nobilitas, clarificas. nam verbum est *insignio*, & dicit exauctorari ejus debere famam, quod de bello judicat virtutis ignarus.

QVID VIVIDA VIRTVS. Id est tua, vel certe mea.

IMVS IN ADVERSOS. Contm illud, *Illum aspice contra Qui vocat*. ISTIS, δεικτικῶς.

VARIORVM.

LARGA QVIDEM SEMPER DRANCE TIBI COPIA FANDI. Acris animi juvenis, acute hic increpat adversarium, magnum oratorem, quod propinquis hostibus, aggredique urbem parantibus, ostentaret importunam illam suam eloquentiam: neque enim tunc linguæ munus valde requiritur, sed manuum opus. VICTORIVS. lib. 2. cap. 16.

LARGA QVIDEM. Exordium à virulenta reprehensione eloquentiæ Drancis, à temporibus & locis. H.

PRIMVS ADES. Curiam & castra hostium inter se componit, loca usu humano diversa, quorum collatione Drancis ignaviam, contra suam virtutem attollit. HORT.

AGGER MVRORVM. Guil. Cant. l. 6. c. 8. Nov.

TONA ELOQVIO. Acris Ironia. Etenim cum in Turno omnia summa sint, in Drance non sunt; ideo illum arguit tanquam imbellem, ignavum & timidum: ac paulatim sua laudare perpetrata facinora, timori opponit.

AN TIBI MAVORS VENTOSA IN LINGVA. *Lingua bellare*, proverbialiter dicuntur ii, qui magnifice convitiantur, minitanturque quidem, sed cum ipsi in tuto sint. HORT.

Pulsus ego? aut quisquam merito fœdissime pulsum
Arguet? Iliaco tûmidum qui crescere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis: proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ: contra premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt:
Nunc & Tydeides, & Larissæus Achilles:
Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit

SERVII.

PULSUS EGO. Quia ille dixerat, *Pone animos & pulsus abi.* & agit conjectura. nam hoc vult intelligi non posse dici, merito pulsum eum qui insequendo hostem bella deseruit, aperte autem hoc dicit, potest merito credi, quod pulsus sit is cujus tot extant trophæa, & rerum commemoratione falsum probat.

CUM STIRPE. Occiso enim Pallante, interiit ejus tota posteritas.

EXUTOS ARCADAS ARMIS. Aut suis, aut ducis; unde per *Arcadas* etiam Pallantem intelligi quidam volunt.

BITIAS. Subaudis INGENS à consequentibus. MILLE. Finitus numerus pro infinito.

INCLUSUS MURIS. Quem pulsum ille jactabat. AGGERE SEPTUS. Sic ut supra, *Vestris ô cives undique septus Aggeribus.*

NULLA SALUS BELLO? CAPITI CANE TALIA DEMENS DARDANIO. Quotiens argumentum non possumus solvere, aut contraria objectione, aut risu, aut maledicto, ut hoc loco, adversario respondemus. CANE autem, pro divina: Et bene hic male ominanti *canere* dicit, ut vatem; quibusdam videtur vulgare convitium, ut est tibi & capiti tuo: sed honestatem dicto additam per varietatem * Dardanio rebusque tuis simul eum Æneæ jungendo vult latenter ostendere proditorem.

PROINDE. Itaque. Et est ordo: *Nulla salus bello, proinde omnia magno ne cessa turbare metu.* cætera per Parenthesin dicta sunt. Hoc est *capiti cane talia demens Dardanio, &c.*

ATQUE EXTOLLERE VIRES GENTIS BIS VICTÆ: CONTRA PREMERE ARMA LATINI. Hæc est virtus eloquentiæ. Bis autem victæ ab Hercule & ab Argivis. ARMA autem LATINI invidiose dixit. nam debuit MEA dicere. Et hoc ad illud quod ille dixerat, *jus proprium regi patriæque remittat.*

MYRMIDONUM PROCERES. Græcorum principes. Dicit autem Patroclum & Achillem. nam licet ipsi aliunde fuerunt, tamen Myrmidonibus imperaverunt; hæc autem ponit inter impossibilia, & utitur Græco proverbio, *ἄνω ποταμῶν [illegible] πηγαί.* Sic Horatius, *Et ante Padus Matina Laverit cacumina.* Et sic est modo dictum, ut in quarto, *Nunc Lyciæ sortes, nunc & Iove missus ab ipso.*

RETRO FUGIT AUFIDUS UNDAS. Quod est contrarium, *Aufidus* autem Apuliæ fluvius est, juxta Causinum civitatem, cadens in Adriaticum pelagus.

VEL CUM SE PAVIDUM CONTRA MEA JURGIA FINGIT. Contra illud quod ait, *Det libertatem fandi, flatusque remittat.* nam hoc dicit, Timorem suum naturalem invidiose in meam causam retorquet, ut meæ præsentiæ, non illius naturæ, quod timet, esse videatur. hoc est enim quod plenius iterat dicens, *Et formidine crimen acerbat,* id est quam simulat.

DONATI.

ILIACO TUMIDUM TYBRIM SANGUINE. Magna pompa effert sua facta; nunc & turbulenta oratione ad mitem redit.

VARIORUM.

PULSUS EGO. Respondet ad id, quod adversarius negaverat, cum audere solum cum solo hoste congredi.

TUMIDUM CRESCERE TYBRIM. Convincit diversum, exemplis anteactis, se multa hostium millia trucidasse. Enumerat aliquot insignes, ne vanus videatur: Palantem, Bitiam & Pandarum. HORT.

GENTIS BIS VICTÆ. Sarcasmus. Hortatur ironice Drancen, ad turbanda omnia petulanti lingua.

AMNIS ET ADRIACAS. Allusum est ad parœmiam, *Sursum versus sacrorum fluminum feruntur fontes:* cum præpostere hoc fieri velit significare H.

Arti-

Artificis scelus, & formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto.
Nunc ad te & tua, magne pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis:
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso,
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum:
Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.
Quanquam ô si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,

SERVII.

ARTIFICIS SCELUS. Nam sceleratorum est simulare formidinem. ACERBAT. Nomen sine verbi origine, non enim facit acerbo.

HABITET TECUM, ET SIT PECTORE IN ISTO. Pessime anima habitet in membris congruis. nam talem pessimam accipiamus, quam nefas est perire mea dextra, quæ non inertes, sed quæ viros fortes tantum consuevit occidere, & hoc ad illud, *Licet arma mihi, &c.*

CONSULTA REVERTOR. Consultor est qui consulit: consultus qui consulitur: consultum vero res ipsa de qua quis consulitur. Bene ergo *consulta* de quibus consulis.

SI NULLAM NOSTRIS ULTRA SPEM PONIS IN ARMIS. Insinuatione utitur, id est callido & subtili aditu ad persuadendum. vult enim dicere melius esse interire, quam pacem rogare. quod quia aperte non audet, latenter & paulatim ad hoc serpit. Namque inter principium & insinuationem hoc interest, quod principium est aperta rei enuntiatio: Insinuatio autem, ut diximus, est callida & subtilis oratio. IN ARMIS autem, aut meis, aut Latinorum omnium generaliter. Et ULTRA. Modo tempus significat, alias locum.

SI TAM DESERTI SUMUS. Si ita, si valde, si hoc propter Diomedem qui solus negavit auxilia. Ergo deserti ab auxiliis accipiendum.

NEQUE HABET FORTUNA REGRESSUM. Omnia quæ sibi possunt objici ponit, sed cum solutionibus suis. nam & fortuna non est immutabilis: & qui semel pellitur, iterum in prælium potest reverti: & ab auxiliis non sunt penitus destituti, & in ipsorum exercitu est adhuc plurimum spei. Est autem syllogismus.

OREMUS PACEM. Argumentum ab honesto.

DEXTRAS TENDAMUS INERMES. Felicitatem rei verbis expressit.

QUANQUAM O, SI SOLITÆ QUICQUAM VIRTUTIS ADESSET. Non se inertiæ arguit: sed queritur de virtute omissa per negligentiam. Et videtur voluisse dicere, si solitæ quicquam virtutis adesset, nunquam ad hoc cogeremur, sed reliquit. O autem, dolentis est exclamatio, & intelligimus immoratam esse illic ejus orationem. nam exarsit dolore, quia aperte non potuit dicere moriendum potius esse, quam hostes rogandos: quod tamen dixit conferens se ad alias personas, & laudans eos quibus contigit perire ne ista conspicerent. Et servavit viri fortis personam ut pœnituerit eum dixisse, *Oremus pacem.*

ILLE MIHI ANTE ALIOS. Utrum generaliter *ille* pro quicunque occubuit accipiendum est, an Mezentius: FORTUNATUSQUE LABORUM. Sicut, *Lætatus laborum:* & est Græcum, εὐτυχὴς τῶν πόνων.

EGREGIUS ANIMI. Figurate dixit. TALE VIDERET. Vel hostes rogare: vel quod latenter insinuat, tradi alteri sibi ante desponsam. Ideo & media dicto quoniam res ejus agebatur, ne quid tale videret posuit, quis enim eum ferret dicentem moriendum potius, quam de nuptiis ejus mutandum.

DONATI.

MAGNE PATER. Occulta Ironia est, quasi dicat, quomodo *magne pater*, qui non recte consulis filiæ tuæ?

ILLE MIHI ANTE. Multi de Mezentio intelligunt.

VARIORUM.

NUNQUAM ANIMAM TALEM AMITTES. Ea porro hujus loci sententia est, ut neget Turnus velle se heroicas manus contemerare tam impuro sanguine, nec item bene mereri de inimico nefario, nec eum occidendo ejus cruciatus finire, quem verisimile sit (ut flagitiosis accidit) furias pati, & vitam turbidam atque inquietam agere, ut ex decretis Philosophiæ discere est. GERMAN.

NUNC AD TE, ET TUA &c. Transitio ad orationem Latini, ut ad ejus singula argumenta respondeat: & primum quidem quod dixerat Latinus, infeliciter bellum geri cum gente deorum, ab hostibus se undique circumsideri. Si nullam spem in armis habemus nostris, oremus pacem: sin opes nostræ adhuc sunt infractæ, nec in totum accisæ, quæ causa est, cur arma abiiciamus? alterum tenere necesse est. HORT.

Pro-

Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.
Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ, populique supersunt:
Sin & Trojanis cum multa gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, parque per omneis
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
MVLTA *dies, variusque labor mutabilis ævi*
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit.

S E R V I I.

SEMEL ORE MOMORDIT. *Semel* cito, confestim: id est qui tota mortis celeritate consumptus est, quasi nihil vltra passurus. Vulnerati autem solent vel terram, vel arma mordere, ne dolorem eorum indicet gemitus. Lucanus de Pompejo, *Timuit ne quas effundere voces Vellet, & æternam fletu corrumpere famam.*

ADHVC INTACTA IVVENTVS. Non quæ pugnavit, sed de qua adhuc delectus habendus est.

VRBES ITALÆ. Quia Diomedes peregrinus fuerat. nam hoc dicit, Habemus robur Italum, non Græcum militem, inertem & dissolutum. SVPERSVNT. Superabundant, adsunt ultra quam bella deposcunt.

SIN ET TROIANIS CVM MVLTO GLORIA VENIT SANGVINE. Mire agit post confirmatas partes suas, Trojanorum integras vires imminuens. Quid enim prodeerat dixisse, quod superessent Latinis auxilia, si etiam & Trojanorum integræ vires esse probarentur? Ergo cum multa gloria venit sanguine acquisita convenit* & hoc est unde laudat Sallustius duces, quia victoriam incruento exercitu reportaverunt.

SVNT ILLIS SVA FVNERA. Id est Trojanis. Legitur & ILLI: & aut ÆNEÆ intelligimus. aut adverbium loci est pro ILLIC: ut in secundo, *Patet isti janua letho*, pro istic. PARQVE PER OMNEIS TEMPESTAS. Sic alibi, *Quanta per Idæos sævis emissa Mycenis Tempestas ierit campos.* nam bello crebro comparat tempestatem.

INDECORES. Decor decôris facit, sicut auctor auctoris; decus decoris, pecus pecoris. similiter facit in compositione, indecor indecoris, indecus indecoris. Ergo in neutro, CO brevis est, in masculino producitur. Vnde apparet Systolen fecisse Virgilium. nam *indecores* nominativus est pluralis à masculino, ab eo quod est indecor. nam non potest hic indecus facere, neutrum enim VS terminatum, masculinum ex se facit. Aut certe dicamus INDECORES, declinationem esse, cujus nominativus singularis non invenitur. IN LIMINE PRIMO. Quasi in ipso initio & aditu infelicitatis; & ad illud respexit quod supra dixerat, *Et semel agmine verso Funditus occidimus.*

MVLTA DIES. Illi rei vehementer incumbit, quia dixerat, *Neque habet fortuna regressum:* dicens fortunam tam labores quam felicitatem pro temporis qualitate mutare. DIES, autem tempus. Quidam sane non dies multa accipiunt, sed multa rettulit in melius & varia, cui non ut ipsum varium sit, sed ut fortuna ejus.

LVSIT. Decepit: ut, *Quid natum toties crudelis tu quoque falsis Ludis imaginibus?* ET IN SOLIDO RVRSVS FORTVNA LOCAVIT. Subaudis & MVLTOS: Nam in solidum revocavit oppressos, & paulo ante derelictos: lusit vero, & decepit felices.

D O N A T I.

PROCVBVIT MORIENS. Quasi intelligat, non victum sed sua voluntate cecidisse.

V A R I O R V M.

PROCVBVIT MORIENS ET HVMVM SEMEL ORE MOMORDIT. Ductus autem est hic modus loquendi ut arbitror, ab eo quod necessario usu venit, cum aliquis confossus vulneribus, concidit. Vix enim fieri potest, quin ille ore telluris aliquid sumat. Cadunt autem, quod Lucretius etiam tetigit, in vulnera, qui occumbunt. Tum consueverunt in pugnis singularibus, cum aliquem graviter ictum, animam efflare vident, terram in os inserere: sed hoc ceremoniæ genus est, propriumque (ut opinor) nostræ pietatis. VICTORIVS lib. 29. cap. 16.

HVMVM ORE MOMORDIT. Iliad. X. Homer. φῶτες ὀδὰξ ἕλον. Difficultas moriendi in juvenibus. Odyss. χ. Proverb. *Mordicus tenere.* HART.

CVR INDECORES IN LIMINE PRIMO. Turpe enim nobis foret, accepta una clade, existimare nostras opes esse in totum fractas. *In limine deficere*: proverbium, pro statim ac vix re incepta: hoc loco vix dum inito bello. HORT.

CVR ANTE TVBAM. *Ante tubam trepidat.* Adagium quadrat in eos, qui animo consternantur, priusquam appareat periculum.

MVLTA DIES VARIVSQVE, &c. Ecphonesis in ludibrium fortunæ inconstantis & variæ, quæ cum in omnibus rebus, tum in bello maxime dominatur. Vnde etiam Hom. Martem mutabilem volens significare, ἀλλοπρόσαλλον vocat. Macrob. lib. 6. cap. 2. Sat.

ALTERNA REVISENS. *Alterna fortuna*, quæ nunc his, nunc illis favet. Turneb. lib. 14. cap. 14.

Non

Digitized by Google

Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?
At Messapus erit, fælixque Tolumnius, & quot
Tot populi misere duces: nec parva sequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Est & Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florenteis ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus victoria fugit,
Vt tanta quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. vobis animam hanc, soceroque Latino

SERVII.

NON ERIT AVXILIO NOBIS ÆTOLVS, ET ARPI. Redit ad rem: quia occurrebat, Sed negantur auxilia. *Ætolum* autem dicendo, ejus vires ex Græcæ gentis commemoratione debilitat, ut ostendat plus esse in Messapo ac Tolumnio, si Diomedes & infelix & alienus finibus commemoraretur.

AT MESSAPVS ERIT, FELIXQVE TOLVMNIVS. Bene duo junxit quæ quæruntur in bello, fortitudinem, & felicitatem. Nam de Messapo jam legimus, *Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro.* Vtrunque autem contra Diomedem dicit, quem dicendo Græcum, inertem significavit. Infelicitatem ejus supradicta legatorum verba testantur. Opportune ergo hic *felix*, quod Diomedi nec post victoriam contigit.

NEC PARVA SEQVETVR GLORIA. Liptotes figura. minus dixit enim quam voluit. nam hoc significat, Latina pubes celerrime victoriam adipiscitur: quam vix Græci post decennium sunt adepti.

EST ET VOLSCORVM EGREGIA DE GENTE CAMILLA. Vt in septimo, segreget eam à virorum multitudine, & quoniam à sexu non potest, laudat ex gente. Et vult ostendere de viris amplius sperandum si & fœmina dimicaret, aut ut Dranci exprobraret, puellam non metuere Trojanos quos Diomedes timeret & Drances.

QVOD SI ME SOLVM TEVCRI IN CERTAMINA POSCVNT. Quia audiit, *Illum aspice contra Qui vocat.* etiam utitur ductu, nam oblique promittit se singulari certamine dimicare velle, cum nolit. Similiter etiam in duodecimo agit, dicens irrisorie, *Sedeant spectentque Latini.*

IDQVE PLACET. Hinc apparet eum nolle pugnare, si placet inquit vobis hoc fieri quod hostis postulat. TANTVMQVE BONIS COMMVNIBVS OBSTO. Et in tantum obsum commodis publicis, ut nisi solus dimicavero, concidat universa respublica, & imputat tanquam hoc faciat quod pro omnibus facturus est.

NON ADEO. Non multum. nam verecunde dicit adsuetam manibus suis esse victoriam. Et bene manus per quas fit ipsa victoria, & contra manus dare dicuntur, qui dedunt se victi.

TANTA PRO SPE. Vt solus dicam pro spe publica, vel spe matrimonii.

IBO ANIMIS CONTRA. Ac si diceret, *Si desunt corporis vires*, commendat autem gratiam certaminis; ne invitus videatur adduci. VEL MAGNVM PRÆSTET ACHILLEM. Et præsto illum, id est melior illo sum: & præsto illi dicimus. Cicero in Cæsarianis, *Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præstitisti.*

VVLCANI MANIBVS PARIA INDVAT ARMA. Bene addidit PARIA. nam etiam Æneas habuit arma Vulcania. Et mire quasi falsum sit Æneam habere arma Vulcani. licet possumus dicere quod hoc Turnus ignoret: quod tamen non valde idoneum comprobatur.

VOBIS ANIMAM HANC, SOCEROQVE LATINO. Bene sibi & favorem conciliat populi, & à soceri nominis præjudicio Latini implicat voluntatem.

VARIORVM.

NON ERIT AVXILIO. Respondet ad objectum, de auxiliis à Diomede negatis, in cujus armis, nulla jam spes erat amplius; quare censebat pacem esse faciendam Latinus. His opponit aliarum gentium florentissimas copies, Diomedeis non inferiores. HORT.

AT MESSAPVS ERIT. Turneb. lib. 22. cap. 3.

FLORENTES ÆRE CATERVAS. Pereleganter. Sic Lucret. lib. 1. *Bina lucernarum florentia lumina flammis.* Sic ἀνθεῖν Græci poëtæ. Sic Æschylus ἄνθος πυρός. Scalig. F. in Manil.

NON ADEO. Non recusat, ut etiam Hectorem se, Ænean, Achillem fingat, moriturus lubens pro salute Latinorum. Singulari consilio Poëta Turno Achillis indolem tribuit. Alludit ad devovendi morem pro incolumitate exercitus. Buccinatur se ipse à virtute, ut etiam se majoribus suis præferat. HORT.

Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devoveo. solum Æneas vocat? & vocet, oro.
Nec Drances potius, sive est hæc ira deorum,
Morte luat: sive est virtus & gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet,
Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, & arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt: fremit arma juventus:
Flent mœsti mussantque patres. hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras:
Haud secus atque alto in luco cum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ

SERVII.

TVRNVS EGO. Quem Drances contemnit. VLLI VETERVM VIRTVTE SECVNDVS. Dicimus & secundus illi, & secundus ab illo.

SOLVM ÆNEAS VOCAT. Contra illud, *Illum aspice contra, Qui vocat.*

NEC DRANCES POTIVS, SIVE EST HÆC IRA DEORVM, MORTE LVAT: SIVE EST VIRTVS ET GLORIA, TOLLAT. Sensus quidem datus obscure, sed facilis & qui de usu nunquam recedat. Nam ita irati dicimus, Abeat, nec bonis meis nec malis rebus intersit: nolo sit aut meæ particeps gloriæ, aut in me invidiam ex infelicitatis communione commoveat. Sicut nunc de Drance dicit, *Sive est hæc ira deorum, morte luat*: id est, Si periturus sum, nolo invidiam sustinere, si Drances forte pariter moriatur. Si vero me virtus & gloria comitabuntur, nolo ignavus felicitatis alienæ sit particeps: si dum meis pugnat auspiciis, forte superaret. Alii sic accipiunt, sive est hæc irà deorum, uter inquit eventus ex hac pugna sequetur? vel ira deorum si vincar, vel gloria si vicero mihi potius quam Dranci adscribatur. Alii sic, nec Drances potius si pereundum est ira deorum pereat, aut si vincendum est gloriam consequatur.

ILLI HÆC INTER SE. Aut communiter Latini, aut Drances & Turnus. CASTRA ÆNEAS, ACIEMQVE MOVEBAT. Id est ducebat exercitum: ut, *Nos castra movemus.* Lucanus, *Brundusium decimis jubet hanc attingere castris*, id est decima deductione.

ARMA MANV. Nam præter vocem, gestum etiam flagitantis expressit, nec est superfluum *Manu*, ut quidam volunt. FREMIT ARMA IVVENTVS. Experit & absolute, id est hoc fremebant arma: & militaris vox est.

MVSSANT. Modo queruntur.

DISSENSV VARIO. Alii enim Turni dicta, alii Drancis probabant.

PISCOSOVE AMNE PADVSÆ. Padusa pars est Padi. Nam Padus licet unus sit fluvius, habet tamen fluenta plurima, è quibus est *Padusa*, quæ quibusdam locis facit paludem, quæ plena est cygnorum. Alii Padum tribus fontibus nasci dicunt ex quibus sumpsit vocabulum *Padusa*, qui diffusus in modum stagni in amnem digeritur: nam ideo per *stagna loquacia*. Alii partem fluminis Padi in quam descenditur fossa, Valgius in Elegis, *Et placidam fossæ qua jungunt ora Padusam. Navigat Alpini flumina magna Padi.* Ceterum illud incongruum est Padusam fœminino genere juxta veteres Padum dictum. Titinius in Setina, *Vidistin' Tiberim? vidi, qui illam derivet beaverit agrum Sentinum.*

DONATI.

DEVOVI. Qualitas ista verborum miserationem potius, quam pugnaturi audaciam demonstrat.

VARIORVM.

CASTRA ÆNEAS MOVEBAT. Ad rem bellicam à communi Latinorum consilio narrationem transfert: & primum quidem ad Trojanorum stratagemata, qui Latinis de belli rebus ad istum modum disceptantibus, castra ad urbem movere nuncio ferebantur. HORT.

DISSENSV VARIO. Quia in duas partes concilium divulsum erat, quorum hi à Latino, illi à Turno stabant.

HAVD SECVS. Vt auribus, diversum Latinorum in partes discedentium fremitum, subiiciat, illustrat simili, ducto ab avium diversarum concentu. HORT.

Dant

Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.
Imo, ait, ô cives arrepto tempore Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus extulit altis.
Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait: & Rutulos equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:
Cætera, quà jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt.
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro

SERVII.

PER STAGNA LOQVACIA CYGNI. In quibus habitant cygni loquaces. RAVCI autem τῶν μέσων est. nam modo canoros significat: alias voces pessimas. Iuvenalis, *Rauci Theseide Codri.* Sicut venenum & de bono & de malo dicitur, ut odor & bonus & malus vocatur.

ARREPTO TEMPORE. Hic inventa opportunitate, id est occasione.

COGITE CONCILIVM. Drancis vitium omnibus exprobrat quod belli tempore in curiam conveniant, ut *Larga quidem semper Drance tibi copia fandi, Tum cum bella manus poscunt.* SEDENTES. Pigri, ut, *Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,* vel sedentes invidiose, ut; *Sedeant spectentque Latini?*

ARMARI EDICE. Figura est, dic ut armentur verbum verbo junxit, ut, *Tu das epulis accumbere divum.* EDICE autem plenus est imperativus. nam in omnium conjugationum verbis infinito modo detrahe ultimam syllabam, & fit imperativus: ut amare, ama: docere, doce: legere, lege: audire, audi. Quum autem *fac* vel *dic* dicimus, Apocopen verba patiuntur, ex face, dice; cum posuit *edice* expressit, expressa autem festinantis oratio, qua Turnum non prædixit locuturum. MANIPLIS. Ars quidem exigebat ut MA haberet accentum, NI enim longa quidem est: sed ex muta & liquida: quod quotiens fit, tertia Syllaba à fine sortitur accentum, ut latebræ, tenebræ. Tamen in hoc sermone ut secunda à fine accentum habeat usus obtinuit. MANIPLIS. Signiferis: quia secundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias. licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam.

EQVITEM MESSAPVS IN ARMIS, ET CVM FRATRE CORAS LATIS DIFFVNDITE CAMPIS. Equitem in armis, id est armatum. nam figura est. Messapus autem ut diceret, vitavit ὁμοιοτέλευτον. nam vitiosum erat Voluse, Edice, Messape. Ergo Messapus aut antiquus vocativus est, ut *Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Et, *Socer arma Latinus habeto.* aut certe nominativus est pro vocativo: quanquam possit etiam nominativus esse, ut sit, Messapus & Coras equitem diffundite, pro diffundant. melior tamen sensus est superior.

CVM FRATRE CORAS. Scilicet Catillo: nam legimus, *Catillusque, acerque Coras Argiva juventus.*

QVA IVSSO. Quà jussero: & est antiquum.

ILICET. Confestim, ilico, quod ut diceret, metri necessitas fecit. nam ILICO dicimus.

MAGNA INCEPTA. Quia de pace cogitabat quæ impleri non potuit.

MVLTAQVE SE INCVSAT. Pro MVLTVM. Et est Græca figura.

VARIORVM.

COGITE CONCILIVM. Ironica exhortatio in eos qui pacem suaserant.

TV VOLVSE ARMARI. Verba sunt Turni partientis tumultuarie ducibus officia obeunda circa muros maxime. HORT.

VOLSCORVM EDICE MANIPLIS. De manipulis militum egit diligenter Lipsius Milit Rom. lib. 2. Dial. 2. & Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 5.

PARS ADITVS VRBIS. *Aditus urbis* intellige portas, qui adversus hostem omni ope muniendi erant, & propter diligentiorem custodiam securitatemque etiam in turribus collocandi milites. DONAT.

QVA IVSSO. Pro jussero: ut levasso, aliaque id genus. Turneb. lib. 15. cap. 15.

ILICET IN MVROS. Hæc primam trepidationem fere comirantur. Servat autem venustum ordinem circa primos motus. Orditur à rege se incusante, quod in deligendo genero fuisset parum prudens. Inde studium vulgi proponit in muniendis portis, adversus hostium irruptiones. Ad postremum vota matronarum Palladi nuncupata, pro salute reip. ut hostis muro arceatur. HORT.

Digitized by Google

Dardanium Æneam, generumque asciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant: bello dat signum rauca cruentum
Buccina, tunc muros varia cinxere corona
Matronæ puerique: VOCAT *labor ultimus omnes.*
Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces,
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, atque, oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mæstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens belli præses Tritonia virgo,

SERVII.

GENERVMQVE ASCIVERIT VRBI. Id est propter urbem, quantum de præsentibus rebus colligebatur. Lucanus de Catone, *Vrbi pater est; urbique maritus.* Gener autem ideo dicitur, quia ad augendum genus adhibetur.

PRÆFODIVNT ALII PORTAS. Id est ante portas, fossas faciunt: hoc enim est quod supra dixit. *Pars aditus urbis firment*: quæ res nimiam indicabat desperationem.

BELLO DAT SIGNVM RAVCA CRVENTVM BVCCINA. Bene addidit *bello*, nam & propter hoc buccina insonans, solicitudinem ad bella denuntiat. Sic in septimo, *Quia buccina signum Dira dedit.* Prælium autem tubæ indicant: ut, *At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit.*

MATRONÆ. Nunc fœm oæ. quidam sane arbitrantur inter matronam & matremfamilias hoc interesse, quod *matrona* dicatur prima pueri mater, *materfamilias* quæ plures peperit. Alii hoc putant rectius, *matronam* dici quæ in matrimonium cum viro convenerit, & in eo matrimonio manserit, etiam si liberi nondum fuerint: dictam matris nomine spe atque omine, unde & matrimonium dictum: *Matrem* vero *familias* eam esse quæ in mariti manu mancipioque, aut in cujus maritus manu mancipioque esset, quomodo in familia quoque mariti & sui heredes venisset? Alii matronas Virgines nobiles dicunt, matresfamilias vero illas quæ in matrimonium per coëmptionem convenerunt. nam per quandam Iuris solennitatem in familiam migrant mariti. inter matrem vero, & matrem familias hoc interest præter illam significationem quæ est ad aliquid, quæ tantum convenit in matrimonium, quod alii matrifamilias, sicut hoc loco dictum est, applicaverunt. VOCAT LABOR VLTIMVS OMNES. Omnes ad laborem ultima necessitas convocat. Alii *Vltimus* hypallagen volunt esse, pro ultimis.

NEC NON AD TEMPLVM. Secundum Homerum qui inducit in summa desperatione matres ad templa concurrere, ut victoria, quæ non potest viribus, possit deorum favore conquiri.

SVBVEHITVR. Proprie. Matronæ enim pilentis vehebantur ad templa pergentes; ut *Pilentis vehebantur matres in mollibus.* MAGNA MATRVM. Deest *cum*, non enim caterva subvehitur.

DONA FERENS. Peplum scilicet, sicut dixi in primo: ideo dimisit hoc loco.

MALI TANTI. Pro malorum tantorum. OCVLOS DEIECTA DECOROS. Deorsum habens, & sic ait *Dejecta oculos*, sicut, *Oculos suffusa nitentes.*

SVCCEDVNT MATRES. Pro intrantes: est ordo, *Succedunt matres, & templum ture vaporant.*

DE LIMINE. Ad preces festinantium mulierum ostenditur desiderium.

ARMIPOTENS BELLI PRÆSES TRITONIA VIRGO. Antonomasiva sunt proprie. hæc autem omnis oratio verbum ad verbum de Homero translata est, Πότνι' ἀθηναίη ἐρυσίπτολι δῖα θεάων. PRÆSES autem BELLI, id est qui præest omnibus bellis, cujus nutu semper bella tractantur. Sane qui *præsens* legunt, quasi præstans in bellis intelligunt, qui præses sine N ou N littera, quasi quæ præsideat rei: Sic præsides dii urbis appellantur, cujus genitivus præsidis facit.

DONATI.

DONA FERENS. Putabant mulieres posse donis & precibus favorem à dea impetrare.

VARIORVM.

DAT SIGNVM RAVCA CRVENTVM. *Signum* ideo *cruentum*, quoniam sanguis bello funditur, cujus illa signum est. Imbellis ætas & sexus *cingit muros corona varia.* Ideo *varia*, quia pueri permisti mulieribus. Omnes ad laborem qualemcunque ultima necessitas compellit. DONAT.

NEC NON AD TEMPLVM. Hom: lib. Iliad. 6. Postquam Glaucus & Diomedes arma inter se permutassent, refert Hectorem in hostes iturum matri præcepisse, ut peplum pulcherrimum, quod domi inter sua cimelia sepositum haberet, Minervæ dedicatum pro salute sua offerret, turba matronarum comitata. Eum locum Pöeta aptissime hic imitatus, dona Minervæ reginam matresque Latinas ferentes facit pro victoria. HORT.

OCVLOS DEIECTA. *Deiicere* ac deducere oculos humilitatis indicium est: ut contra *tollere*, superbiæ & impudentiæ. SALMAS.

Frange

Digitized by Google

Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Iamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc: laterique accinxerat ensem:
Fulgebatque alta decurrens aureus arce,
Exultatque animis, & spe jam præcipit hostem.
Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus, armentaque tendit equarum:
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis

SERVII.

FRANGE MANV TELVM. Aut tua manu, aut in ejus manu tela confringe. Homerus *ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος*. ET IPSVM PRONVM STERNE SOLO. Homerus *ἠδὲ καὶ αὐτὸν πρηνέα δὸς πεσέειν*. PORTISQVE EFFVNDE SVB ALTIS. Homerus, *Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων*. Bene autem sub ipsis portis, quasi ad quas festinabat Æneas. Vnde est, *præfodiunt alii portas*.

CINGITVR IPSE FVRENS CERTATIM IN PRÆLIA TVRNVS. OEconomia omnis hæc est. Nam Turnus ideo cum mora armatur & intecto capite circa arcem incedens admonet singulos ut & à Lavinia possit videri, & ut sit major causa dimicandi dum sponsæ placere contendit. Alii *Cingitur*, propere armatur accipiunt, nam ait *Surasque incluserat auro*, & *Certatim* pro festinanter: *Cingitur* ergo accingitur, nam & Terentius, de futura contentione ait *accingere*, & procinctus appellatur. CINGITVR AVTEM IN PRÆLIA. Id est, Vt præliari possit. ut si dicas, lego in advocationem: id est, ut advocatus esse possim. FVRENS. Amore Laviniæ, quam videbat. Quod etiam sequens indicat comparatio. nam dicturus est, *Aut ille in pastus armentaque tendit equarum*.

IAMQVE ADEO. Aut vacat ADEO: aut certe SIC significat, ut sit sensus, Adeo sic præparatur in prælia, ut jam universa præter galeam arma portaret. THORACA INDVTVS. Omnia quæ in AX exeunt Græca masculina, in obliquis casibus A producunt, ut thorax thorâcis, pinax pinâcis. Nam fœminina corripiunt, ut climax climacis: sed in Latinum non transeunt. Phalanx vero & aliter exit, & peregrinum est etiam apud Græcos.

TEMPORA NVDVS ADHVC. Quod sine galea. Prœoconomia est, quia mox Camillam adloquitur, & ut orans & incendens ceteros facilius nosceretur.

ALTA DECVRRENS AVREVS ARCE. Illic enim & Amata fuerat & Lavinia.

SPE IAM PRÆCIPIT HOSTEM. Mente præoccupat hostis adventum: ut, *omnia præcepi*.

QVALIS VBI ABRVPTIS FVGIT PRÆSEPIA VINCLIS. Et hæc comparatio Homeri est verbum ad verbum translata,

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
εἰωθὼς λούεσθ' ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσονται, ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς
ἐλαφρὰ ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

POTITVS. Venit ab eo quod est potior. nam *Subnixus rapto potitur*, venit ab eo quod est potior potiris. nam ut etiam supra diximus verbum hoc, modo tertiæ, modo quartæ conjugationis esse invenitur.

AVT ADSVETVS AQVÆ. Figurate *aquæ adsuetus*, aquæ flumine perfundi adsuetus.

ARRECTISQVE FREMIT CERVICIBVS ALTE. Alte arrectis cervicibus fremit, non alte fremit, aut alte luxurians: quidam sane cervicibus plurali numero secundum veteres dictum volunt, & Hortensium primum singulari numero cervicem, unde Ciceronem cerviculam illum jactaturum tradunt dixisse.

VARIORVM.

CINGITVR IPSE FVRENS. Ex Homero, Macrob. lib. 5. cap. 10. Saturn.

QVALIS VBI ABRVPTIS. Ex Ennio Macrobius lib. 6. cap. 3. Saturn.

Desiluit, quam tota cohors imitata, relictis
Ad terram defluxit equis. tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo, & Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc (est omnia quando
Iste animus supra) mecum partire laborem.
Æneas (ut fama fidem missique reportant
Exploratores) equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo properans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,

SERVII.

DESILVIT. Hoc ad Turni honorem refertur, quatuor namque erant apud Romanos quæ ad honorificentiam pertinebant, equo desilire, caput aperire, via decedere, adsurgere: hoc etiam præcones præeuntes magistratus clamare dicebantur. COHORS. Pro turma, nam equitum turmæ, peditum cohortes appellantur.

AD TERRAM DEFLVXIT. Dicendo DEFLVXIT uno verbo absolvit desilientem equis multitudinem, & vel celeritatem vel artem & quandam moderationem ac facilitatem descendendi significavit, quæ est etiam ascendendo apud hujus rei peritos.

SVI MERITO SI QVA EST FIDVCIA FORTI. Si unusquisque habet aliquam confidentiam ex conscientia fortitudinis suæ, & ego audere non dubito. FORTI autem bene dixit: nam fortis communis est generis. Hæc autem hoc vult dicere, non sexum considerandum esse, sed robur: & est ordo, ô Turne audeo OCCVRRERE TVRMÆ. Equitatui: nam partem pro toto posuit. Varro turmam triginta sex equites posuit.

TV PEDES AD MVROS SVBSISTE. Bene ex muliere gloria augetur, ut cum eam faciat adversum hostes cuncta promittere quæ faciunt viri fortes, etiam Turno murorum custodiam inducat mandantem. OCVLOS HORRENDA IN VIRGINE FIXVS. Figurate vel oculos figens, vel fixos habens: *horrenda* autem pro admirabilis, alioqui hostibus horrenda.

QVAS DICERE GRATES. Pro quantas pro pronomine, & secundum rhetoricam disciplinam dicit se verba invenire non posse, quibus ejus exprimat laudes? cum dixerit, *O decus Italiæ virgo.* Sic alibi, *Quibus cælo te laudibus æquem?* Cum præmiserit, *O fama ingens, ingentior armis Vir Trojane.*

SED NVNC. Ordo est, *Sed nunc mecum partire laborem.* nam per Parenthesim dictum est. QVANDO ISTE ANIMVS EST SVPRA OMNIA. Premium, Id est, siquidem es magnanima ut supra omnes grates & supra omne præmium: *partire* autem ideo, quia ille dixerat, *Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.*

ÆNEAS VT FAMA FIDEM. OEconomia, educuntur hinc duces, ut servata eorum honestate fortitudo virginis possit induci, alioqui indecens fuerat præsentibus Turno & Ænea.

QVATERENT CAMPOS. Ad camporum perturbationem.

FVRTA PARO BELLI. Insidias. Sallustius, *Gens ad furta belli peridonea.*

VARIORVM.

DESILVIT. *Desilire* celeritatis habet & fortitudinis significationem: *descendere* vero tarditatis. Vbi Turnum vidit stantem ante portas, ut honorificam se monstraret, mox equo desiluit: quod Reginæ factum, ut Turno deferrent, omnes statim imitati sunt. DONATVS.

DEFLVXIT. Id est descendit saltu quodam corpus ad terram mittendo. Græci τῶν ἵππων ἀποῤῥέειν.

OCVLOS HORRENDA IN VIRGINE FIXVS. Iac. Nic. Loënsis, lib. 4. Epiphyll. cap 26.

MECVM PARTIRE LABOREM. Partiuntur inter sese operas, ut Camilla Tyrrhenis objiciatur; ipse insidiis Ænean in faucibus viarum excipiat. H.

LEVIA ARMA PRÆMISIT. Equites dicit levis armaturæ, cum quibus Æneas per montem & sylvam vagabatur. HORT.

FVRTA PARO BELLI. Sic Græcis κλοπὴ tam furtum, quam dolum & fraudem significat: unde τὰ κλοπαῖα, clam acta, & Homero κλόπιοι μῦθοι, callidi sermones. GERMAN.

Digitized by Google

Vt bivias armato obsidam milite fauces:
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis.
Tecum acer Messapus erit, turmaque Latinæ,
Tyburtique manus: ducis & tu concipe curam.
Sic ait, & paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociosque duces, & pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
Vrget utrinque latus: tenuis qua semita ducit,
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni.
Hanc super in speculis, summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra, lævaque velis occurrere pugnæ,
Sive instare jugis, & grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum, & sylvis insedit iniquis.

SERVII.

BIVIAS FAVCES. Fauces dicuntur itinera inter duos montes, loca angusta & pervia: dicta à faucium similitudine.

CONLATIS EXCIPE SIGNIS. Conjunctis ducibus quos commemoraturus est. Sic autem dicebatur à Romanis, quotiens acie dimicatum esset.

TECVM ACER MESSAPVS ERIT. Ingenti honore *tecum* dixit, hoc est non tu illi adjuncta eris, sed ille tibi.

TYBVRTIQVE MANVS. Catillus & Coras.

DVCIS ET TV CONCIPE CVRAM. Sicut ego. nam non dicit sicut Messapus aut alii, ne ei facere videatur injuriam. CONCIPE autem vel simul cum illis sume, vel mecum cape, quia ille dixerat, *mecum partire laborem.* CON enim conjunctiva particula est. Vnde & convocari de pluribus dicimus.

VALLES. Metri necessitate compellimur ut VALLIS dicamus. Statius *Vallis in amplexu nemorum*: sed & nam plenum est VALLES, sicut nunc Virgilius posuit, quod ita esse diminutio indicat: nam vallicula dicitur, sicut turrim dici debere turriculam indicat, at vulpes vulpecula facit. Horatius, *Moveat vulpecula risum.* Ergo in Es vel in Is quando naturaliter exeant nomina, sola diminutio indicat; ea autem quæ in Es exeunt longa sunt omnia, si in genitivo non crescant, ut labes, valles, vulpes. nam si crescunt, brevia sunt, ut miles militis.

DENSIS FRONDIBVS ATRVM. Vtrum densis frondibus urget, an densis frondibus atrum?

QVO SEMITA DVCAT. Legitur & QVA.

ADITVSQVE MALIGNI, Proprie OBSCVRI: ut, *Sub luce maligna.*

IGNOTA. Vel infrequentata, vel ignota. Scilicet Æneæ. nam de Turno dicturus est, *Huc juvenis nota fertur regione viarum.* TVTIQVE RECEPTVS. Male quidam RECESSVS legunt. nam *receptus* dicitur, quo se cito exercitus recepit. Et signa receptui canere dicuntur.

SEV DEXTRA, LÆVAQVE VELIS OCCVRRERE PVGNÆ. Sive per vallis, sive per montis radices. incertum est enim qua sit venturus Æneas. *Velis* autem pro si quis velit.

INSTARE IVGIS. Vt, *turriti puppibus instant.*

ARRIPVITQVE LOCVM. Raptim tenuit.

INSEDIT. Proprie. nam INSIDERE est dolose aliquem exspectare. unde & insidiæ nominatæ sunt. INIQVIS. Intelligendum hosti, vel inæqualibus.

VARIORVM.

COLLATIS EXCIPE SIGNIS. Signa Romanis fuerunt, alia peditum, alia equitum. Peditum duplicia; manipulorum & totius legionis. Manipulorum fuere, perticæ cum ligno transversario supra fere in crucem. Quibusdam dextræ corollæ, aut alia ornamenta in vertice supra posita, plerisque clypei rotundi, sive imagines ad perticam affixæ. Legionis totius aquila fuit: id est, alitis ejus effigies, sive corpus ex argento vel auro summæ perticæ insistens, & pede altero fulmen sæpe tenens. Hæc peditum signa. Equitum vexilla fuere, sive quadri ad hastam volitantes pannuli, ritu fere hodie in Bandis equitum nostrorum, Lipsius Milit. Rom. lib. 4. dialog. 3.

ET PERGIT IN HOSTEM. Completis quæ fuerant tanta in necessitate mandanda, pertexit ad bellum.

EST CVRVO ANFRACTV VALLIS. Hæc est loci lata descriptio; melius posita ex Poëtæ, quam ex Turni persona: in qua nihil aliud est, nisi quod pro utilitate faciat insidiantis, ut probare posset, quod dixit: *Accommoda fraudi, Armorumque dolis.* DONAT.

HVC IVVENIS NOTA FERTVR. Vt ostenderet loci difficultatem, multis generibus impeditam, adiri non posse, nisi ab his, qui ejus aditus aut semitas nossent. DONAT.

Velo-

Digitized by Google

Velocem interea superis in sedibus Opim,
Vnam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, & has tristeis Latonia voces
Ore dabat: graditur bellum ad crudele Camilla,
O Virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Chara mihi ante alias. neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno, viresque superbas,
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.

S E R V I I.

VELOCEM INTEREA. Licet INTEREA particula negotia semper præteritis futura conjungit: tamen abruptus & vituperabilis transitus. habet autem tales transitus & in superioribus libris, & in sequenti præcipue, ubi Iuppiter appellat Iunonem. OPIM. Opim quando dicimus, Nympham significamus: si autem dicamus OPEM, auxilium intelligimus. Terentius, *Iuno Lucina fer opem.* OPES vero numero plurali, census accipimus. nam OPS, terra est uxor Saturni, quam Græci Rheam vocant. Sane hoc nomen ipsius Dianæ fuisse ab Ephesiis dedicato templo ei impositum, Alexander Ætolus poëta in libro qui inscribitur Musæ, refert, quod hoc loco peritissimus antiquitatis poëta sociæ ejus, imposuit: quidam dicunt Opim & Hecaergea primos ex Hyperboreis sacra in Insulam Deli occultata in fascibus mergitum pertulisse. Alii putant Opim & Hecaergon nutritores Apollinis & Dianæ fuisse, hinc itaque Opim ipsam Dianam cognominatam, quod supra dictum est, Apollinem vero Hecaergon, vel quod proxima luna quæ Dianæ terris facile conspiciat * quoniam mra * i vocali ecaergas sola. τὸ τῦ ϗμιν εἰκ πμα χρο... hoc è longinquo. Alii dicunt à Latone cœpta non adducatus * & ideo poëtam Triviæ custodem Opim induxisse.

TRISTES VOCES. Habitum futuræ orationis ostendit.

ORE DABAT. Pleonasmos. BELLVM AD CRVDELE CAMILLA. Vno verbo exitum rei docuit.

O VIRGO. Quidam ad Camillam referunt, quia ineptum putant præsenti opi ducer &* ô virgo autem interiectio est. NOSTRIS NEQVICQVAM CINGITVR ARMIS. *Nostris*, quibus utraque gaudemus, vel etiam ut ipse habeat causam doloris & majoris iracundiæ. Et *cingitur* nolunt quidam esse passivum, neque enim ab alio cingitur, sed ita quemadmodum dictum est, *Fulvique insternor pelle leonis.*

CHARA MIHI ANTE ALIAS. Ante omnes cara, omnium carissima, ut, *O felix una ante alias.* NEQVE ENIM NOVVS ISTE DIANÆ VENIT AMOR. Firmiores enim sunt antiquiores amicitiæ. Terentius, *Per amicitiam, quæ incœpta à parvulis cum ætate adcrevit simul.* Iuvenalis, *Ille excludatur amicus Iam senior, cujus barbam tua janua vidit.*

PVLSVS OB INVIDIAM. Scilicet crudelitatis. nam sequitur, *Neque enim ipse manus feritate dedisset.* VIRESQVE SVPERBAS. Quibus superbe viribus utebatur.

ANTIQVA. Nobili urbe. nam hoc Privernum dicitur. METABVS. Nomen sumptum de historia, Metabus enim fuit dux Græci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit.

NOMINE CASMILLÆ. Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo, ait dixisse Callimachum apud Camillum appellari Mercurium, quo vocabulo significant deorum ministrum. Vnde Virgilius bene ait, Metabum Camillam appellasse filiam, scilicet Dianæ ministram. nam & Pacuvius in Medea cum de Medea loqueretur, *Cælitum Camilla exspectata advenis, salve hospita.* Romani quoque pueros & puellas nobiles & juvenes Camillos & Camillas appellabant, flaminicarum & flaminum præministros.

D O N A T I.

PVLSVS OB INVIDIAM, &c. Excusat exilium Metabi, quod non sua culpa sed invidia, id est, superbia civium sit pulsus: & fugiens non opes, sed filiam eripuerit. hac causa Dianæ favorem meruit.

V A R I O R V M.

SEDIBVS OPIM. A quo Virgilius hoc mutuatus sit, Macrob. lib. 5. cap. 22. Saturn. Explic. Turneb. lib. 22. c. 3.

PRIVERNO ANTIQVA METABVS. Multa antiqua Italiæ nomina vetera poëmati suo Virgilius inseruit, ut morientem eorum memoriam renovaret. Camillæ patrem Metabum dicit fuisse, eumque Priverno pulsum profugisse. Metabus Metaponti conditor fuit, quam urbem etiam barbari Metabum appellant. STEPHANVS. Turneb. lib. 22. c 3.

NOMINE CASMILLÆ. Sic & à Latinis postea Camænas dictas, quæ à priscis Casmænæ dicerentur. VARRO. Contra Macrob. lib. 3. cap. 8. Saturn. Explic. Turneb. lib. 14. cap. 13.

Ipse

Digitized by Google

Ipse sinu præ se portans juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis (tantus se nubibus imber
Ruperat) ille innare parans, infantis amore
Tardatur, charoque oneri timet. omnia secum
Versanti, subito vix hæc sententia sedit.
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis & robore cocto,
Huic natam, libro & sylvestri subere clausam
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ.
Quam dextrâ ingenti librans, ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo. tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe, testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto

SERVII.

IVGA LONGA. Id est longe posita, remotiora. Sallustius, *Et Metello procul agente, longa spes auxiliorum*, id est longe posita.

SOLORVM NEMORVM. Desertorum. Terentius, *Venit meditatus alicunde ex solo loco.* Item ipse, *Nonne hinc deportarier in solas terras?*

FVGÆ MEDIO. Dum fugit, inter fugam. nam figuratum est, ut *Laurus erat tecti medio.*

IMBER RVPERAT. Impetum pluviæ ostendit.

CHAROQVE ONERI TIMET. Anacreon φορτίον ἔρωτος, id est onus amoris. *Et pariter comitique onerique timentem.*

VIX HÆC SENTENTIA SEDIT. Ideo VIX, quia naturale est, ut quotiens simul multa cogitamus, vix aliquod comprobemus. Vnde vera distinctio est, Omnia secum versanti subito, hæc sententia sedit.

ET ROBORE COCTO. Aut antiquam hastam fuisse significat. nam multi temporis aliquid, *coctum* vocatur. Horatius, *Plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem.* Persius: *Vt ramale vetus vegrandi subere coctum.* Aut re vera cocto robore. hastæ enim igni plerunque durari consueverunt, ut facilius corticem demittant. HVIC, huic scilicet telo.

NATAM IMPLICAT. Probus de hoc loco arpitamplasma* LIBRO. Liber dicitur interior corticis pars, quæ ligno cohæret alibi, *Alta liber aret in ulmo.* Vnde & liber dicitur in quo scribimus, quia ante usum chartæ vel membranæ de libris arborum volumina fiebant, id est compaginabantur.

ALMA TIBI HANC NEMORVM. Antonomasia. nam tria epitheta sine nomine posita sunt.

IPSE PATER FAMVLAM VOVEO. Bene IPSE PATER, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent. VOVEO autem, consecro in tuum ministerium. Vnde & Camilla dicta est, licet supra eam à matre dixerit esse nominatam. Sed illud poëtice: nam Camilla, quasi ministra dicta est, quod superius expositum est. In sacris tamen legitur posse etiam opera consecrari ex servis usque dum solvatur caput hominis, id est liberetur sacrationis nexu, aut enim numen famulæ quam servi significatio conditionis*.

TELA TENENS. Ordo est, Tua supplex tela tenens quibus inligata est, & ingeniose *tenens*, cum inligata sit.

DONATI.

TELVM IMMANE. Quia bellator. Nam opus fuit ingenti telo & bellatore, id est, viro forti ad rem perficiendam.

VARIORVM.

ET ROBORE COCTO. Horat. Sat. 5. lib. 2. *Plerunque recoctus Scriba, &c.* Vbi per *recoctum*, intelligo veteratorem insignem, qui longo usu didicerit, quid distent æra lupinis. Itaque recte Donatus hoc ad roborationem artis, ingenio quæsitam detorquet. *Cocto* ergo pro egregie indurato. Iun. lib. 5. c. 5.

HABILEM CIRCVMLIGAT HASTÆ. *Habilem* dixit, bene compositam & prudenter aptatam. (εὐφυῆ, καὶ ἁρμοζομένην) Mediæ autem hastæ idcirco implicatam nexuit, ne in unam partem gravior, optatum spatium transire non posset. DON.

Digitized by Google

Immittit: sonuere undæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam, cum virgine victor
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum & solis exegit montibus ævum.
Hîc natam in dumis, interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto;
Spiculaque ex humero parvæ suspendit & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum à vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit:

SERVII.

SONUERE UNDÆ. Hic distinguendum.

INFELIX CAMILLA. Mira effingit, *Infelix* autem *Camilla*. Non eo tempore quo evasit, sed nunc *infelix*. plerunque enim epitheta præsentis temporis scilicet sunt, peractis negotiis: ut secundo, *Infelix qua se dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.*

VICTOR. Propositi sui & intentionis effectu, ut *Mihi victor honore Persolves.*

DONUM TRIVIÆ. Mire *Triviæ*, cum ipsa loquatur, ut bene *donum*, aut quoniam pater Dianæ servaverit. CESPITE. Probus aut cespito, aut cespite pro campo, scilicet quod cespes gleba sit.

NON ILLUM TECTIS, NON ULLÆ MOENIBUS URBES ACCEPERE. Non mirum à nulla hunc civitate susceptum. nam licet Privernas esset, tamen quia in Thuscorum jure pene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnia odia ferebantur. nam pulsus fuerat à gente Volscorum, quæ etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur: quod Cato plenissime executus est. Hinc est, *Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum:* quod non procederet nisi inter eos essent jura connubii. NON MOENIBUS URBES ACCEPERE. Non tectis, non mœnibus: non in civitatem, non in privatam admissus est domum. Et sic ista etiam in primo libro separavit, *Urbe, domo socias.* Sciendum autem *mœnia* abusive dici omnia publica ædificia: ut, *Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.* nam proprie MOENIA, sunt tantum muri, dicta quasi munia, à munitione civitatis.

MANUS DEDISSET. Consensisset: & hoc dicit, Etiam si qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia morum feritate fugisset, *feritate* autem figurate pro feritati, an ob feritatem?

PASTORUM ET SOLIS EXEGIT MONTIBUS ÆVUM. Et pastorum ævum exegit in montibus solis, id est pastorali usus est vita.

ARMENTALIS EQUÆ. Indomitæ. Scilicet quæ in armenta fœturæ causa pascatur. Unde sequitur, *& lacte ferino.* Veteres enim omnes prope quadrupedas feras vocabant, *In latus inque feri curvam compagibus alvum.* Equa autem mammis & lacte ferino ἐν διὰ δυοῖν.

NUTRIBAT. Quidam nove dictum accipiunt.

VESTIGIA PLANTIS INSTITERAT. Signa pedum primis plantis expresserat. nam *Vestigia* sunt, imagines pedum: ut, *Semesam prædam & vestigia fœda relinquunt.*

PALMAS ONERAVIT. Onus enim quicquid teneris imponitur manibus.

CRINALI AURO. Quo crines inligantur. PRO LONGÆ TEGMINE PALLÆ. Palla proprie est muliebris vestis deducta usque ad vestigia. unde ait LONGÆ. sicut supra, *Pallam signis auroque rigentem.*

A VERTICE PENDENT. Tempora variavit, nam de præterito dicit.

VARIORUM.

NON ILLUM TECTIS, &c. A pastorali consuetudine ac vita Metabi. *Dare manum*, dixit, pro cedere. HORT.

HIC NATAM IN DUMIS. A loco & ab educatione, quæ maximum habet momentum in ingeniorum moribus inolescendis. Ex *lacte ferino*, simul & feram naturam imbibit, quæ etiam grandem natu per omnes vitæ partes est comitata. HORT.

PRO LONGÆ TEGMINE PALLÆ. Ald. Manutius de Quæsit. per Epist. de Tunica Rom.

Et

Digitized by Google

Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum: sola contenta Diana
Æternum telorum & virginitatis amorem
Intemerata colit. vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Chara mihi, comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere Nympha polo finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac quicunque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros, Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus, & arma

SERVII.

STRYMONIAMQVE GRVEM. Thraciam à fluvio Strymone. Sane sciendum posse dici, & hic & hæc grus, & hi & hæ grues. OLOREM. Latine ita dicimus. nam Græce cygni dicuntur.

MVLTÆ ILLAM FRVSTRA. Antequam rem diceret, prius ejus ostendit eventum: sic Sallustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum.* nam antequam diceret QVERITVR, dixit *falso*. MATRES. Inter matrem & matrem familiarum quid intersit, superius plenissime narratum est, & hic ostendit dicendo *Tyrrhena per oppida*, quod etiam Volsci in Tuscorum fuerint potestate.

ÆTERNVM. Id est æterno. nam nomen est pro adverbio.

INTEMERATA COLIT. Inviolata, incorrupta; temeratæ enim quibus vis allata est.

CONATA. Dum conatur, ut, *Obsessumque acta testudine limen: & Caci spem custodita fefellit.* hac autem ratione ostendit quare non suscensa à Trojanis *

FATIS VRGETVR ACERBIS. Ostendit etiam desideria ex fato, non necessitate descendere.

COMMITTITVR OMINE PVGNA. Pro committetur.

HÆC CAPE. Generaliter dixit arcum, pharetram, ut sequentia indicant. nam dicit, *Et ultricem pharetra deprome sagittam*, & neuteritum putatur ipsam sagittam ultricem. VLTRICEM. Nomina omnia in x, littera terminata, ablativum singularem in E mittunt: genitivum vero pluralem in VM: exceptis his quæ omnis sunt generis: ut felix. nam & ab hoc felici, & horum felicium facit. Lucanus, *Et felici non fausta loco tentoria ponens*: quod receptum est ideo, quia genitivus pluralis à nominativo minor esse non debet, sed aut par, aut major una syllaba. & quia in neutro facit felicia, felicum dicere non debemus, ne propter alia genera huic præjudicemus. namque ab eo quod est felices, ut felicium dicamus, ratio patitur: una enim crescit syllaba. ab eo quod est felicia, ut felicum dicamus, non procedit, ne minor sit genitivus à nominativo plurali. Similiter & ultricium & victricium dicimus: licet in his neutrum in numero singulari non inveniatur.

VIOLARIT VVLNERE CORPVS. Bene *violarit*, quia dixerat sacrum. Et superius dictum est operam solemni more consecrari usque dum solvatur caput hominis, id est liberetur sacrationis nexu, quod facilius accidet, si mors intercedat. Hic ergo totius rei, & præcipue sacrationis aliud agens poëta mentionem inseruit dicens, *hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus, Tros Italusve mihi pariter det sanguine pœnas*, bene ergo sicut dictum est *violaret*, quia dixerat *sacrum*.

TROS ITALVSVE MIHI. Si simpliciter accipiamus, sic intelligamus, Sive eam Trojanus interemerit, sive aliquis de Æneæ auxiliis. namque alii volunt Aruntem de Turni esse partibus, & indignatum fœmineum sexum plus in bello potuisse, quam viros. quam rem hic dicunt perstrinxisse Virgilium: & re vera sic ubique loquitur, ut incertum sit, Aruns de cujus partibus fuerit. Unde est illud, *Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.* PARITER, Similiter, uno modo.

MISERANDÆ CORPVS, Hæc œconomia, præjudicia nominantur, quotiens negotii futuri exitus tollitur. vult enim nos de Camillæ cadavere nihil ulterius expectare, sicut fecit in primo, *Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo.* Quod præmissum, sustulit commemorationem quando vel Cupido recesserat, vel Ascanius sit reversus.

VARIORVM.

MVLTÆ ILLAM FRVSTRA. Ab ætatis juvenilis statu. Cælebs maluit perpetua virginitate vitam degere, quam nubere; quippe Dianæ sacra, atque sylvestri vita inter feras educata. HORT.

VERVM AGE. Epilogus constat mandatis exequendis.

Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cæli demissa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Hetruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. fremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis
Huc obversus & huc. tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ
Adversi campo apparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, & spicula vibrant:
Adventusque virûm, fremitusque ardescit equorum.
Iamque intra jactum teli progressus uterque

SERVII.

ARMA INSPOLIATA. Aut indetracta, aut ipsius inspoliatæ Camillæ.

PATRIÆQVE REPONAM. Hoc est in patriam.

NIGRO CIRCVNDATA TVRBINE CORPVS. Hoc ideo quoniam ad mœrorem luctumque descendit. Contra in octavo, ubi ad lætitiam descendit Venus, claro eam nimbo circundatam dicit: ut; *At Venus ætherios inter dea candida nimbos.*

AT MANVS INTERRA. In tota hac descriptione historicum characterem poëtico miscet.

HETRVSCIQVE DVCES. Hetruria dicta est, quod ejus fines tendebantur usque ad primam ripam Tyberis. Quasi ἑτερορία. Nam ἕτερος est alter, & ὅρος finis vocatur. Roma enim antea unam tantum Tyberis ripam tenebat. Iuvenalis, *Quæ imperii fines Tyberinum virgo natavit.* Quidam sane Etruri legunt ab Etruria *trans Tyberim enim Etruriam dicebant, homines Etruros, quos nunc Etruscos.

COMPOSITI NVMERO. Id est æquati numero honorabiliter: unde & sæpenumero dicimus, id est frequenter & rationabiliter. hinc est, *Tum vero in numerum*, id est in rationem & rhythmum. unde & metra numeros dicimus: ut, *Numeros memini, si verba tenerem.* Sane modo generalis est descriptio equestris certaminis: paulo post descendit ad specialem, sicut fecit in quinto & de cursoribus & de navali certamine.

PRESSIS. Cum habenis premeretur: PVGNAT autem pro repugnat.

FERREVS HASTIS. Quæritur quid sit *ferreus*, utrum ferreus ager horret hastis, an ferreus hastis ager horret. HORRET autem terribilis est, & est versus Ennianus vituperatus à Lucilio dicente per irrisionem eum debuisse dicere HORRET ET ALGET. Unde Horatius de Lucilio, *Non ridet* (dicens) *versus Ennii gravitate minores.*

CAMPIQVE OSSIBVS ARDENT. Id est resplendent.

CELERESQVE LATINI. Alludit ad militiam Romanam: namque & equites habuit Romulus, ut illo diximus loco, *Tercentum scutati omnes Volscente magistro.* quos celeres appellavit, vel à celeritate; vel à duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cujus gratiæ vicem à Romulo fieri tribunus equitum meruit. Alii hos *celeres* ideo appellatos dicunt, quod explorationes obirent, & quæ usus exigeret velocius facerent: Alii à Græco dictum putant quod est κέλης.

ALA CAMILLÆ. Equitatus. *Alæ* autem dicuntur equites, quod alarum vice pedestrem exercitum tegunt.

HASTASQVE REDVCTIS. Ante oculos posita descriptio.

INTRA IACTVM TELI. Unde possit hasta emissa in hostem venire. hinc traxit Statius, *Quale quater spacium jaculo ter arundine vincas.* Et Enniana est ista omnis tam brevis descriptio.

VARIORVM.

AT MANVS INTERREA. A digressione in personæ descriptionem, sive historiam potius redit res belli. Et primum quidem quibus viribus Trojani ad urbem cum instructis equitum peditumque copiis accesserint. HORT.

FERREVS HASTIS HORRET AGER. Macrob. lib. 6. cap. 4. Saturn.

ALA CAMILLÆ. Ut alæ equitum sunt, ita cornua peditum, quæ κέρατα & παλάμαι, ut frons item exercitus μέτωπον, & exercitus tergum οὐρά. GERM.

HASTASQVE REDVCTIS PROTENDVNT. Habitum expressit jaculantis. Turneb lib. 14. cap. 23.

IAMQVE INTRA IACTVM. Proverb. *Intra jactum telorum*, de iis, qui periculis obnoxii, videri possunt: ut *extra telorum jactum*, qui in tuto sunt. H.

Sub-

Digitized by Google

Substiterat: subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos: fundunt simul undique tela
Crebra, nivis ritu: cælumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus & acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti: præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, & vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies: versique Latini
Rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt: princeps turmas inducit Asylas.
Iamque propinquabant portis: rursusque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt: penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superiacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa, fugit, littusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos,
Bis rejecti armis respectant terga tegentes:
Tertia sed postquam congressi in prælia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir,

SERVII.

SUBITO. Adverbium est, an *Subito clamore*, & est versus hypermetros.

CONTINUO ADVERSIS. Hic specialis pugna est.

PRÆFRACTAQUE PECTORA PECTORIBUS RUMPUNT. rumpunt, præfractaque faciunt.

PRÆCIPITAT. Pro præcipitatur.

REIICIUNT PARMAS, ET EQUOS AD MOENIA VERTUNT. *Reiiciunt*, retro agunt, vel retrorsum ferunt, ut cedentium terga munita sint, ut ipse 11. Æne. *Bis rejecti armis respectant terga tegentes*. Sane nunc fugiunt, non timore, sed lege præliandi. Sallustius: *More equestris prelii sumptu tergu ac redditis*. Parma autem est equestre scutum.

MOLLIA. Domita scilicet, domitorum equorum.

SUPERIACIT UNDAM. Super scopulos undam jacit. nam more suo dedit detractam verbo nominis præpositionem.

SINU. Curvatione & flexu undarum. EXTREMAMQUE. Quantum ad mare pertinet, nam terræ prima est. EXTREMAM autem ad illud pertinet, quod ait supra, *Penitusque datis referuntur habenis*.

ÆSTU REVOLUTA RESORBENS SAXA, FUGIT. *Æstus* proprie est maris incerta commotio.

VADO LABENTE. Hypallage, pro labens ipse per vadum littus reliquit.

VARIORUM.

CÆLUMQUE OBTEXITUR UMBRA. Allusit ad Laconis illud: sub umbra pugnavimus. Cic. 1. Tuscul. Turneb. lib. 14. cap. 13.

FULMINIS IN MOREM. Hyperbolicis collationibus atrocitatem pugnæ amplificat. HORT.

LEGITQUE VIRUM VIR. Quid sit *vir virum legere*, docet his verbis Turnebus: veteres cum animosissime in prælium ire parabant & omni animorum & corporum contentione pugnæ discrimen capessere instituebant, in ordinanda acie hoc consilium interdum sequebantur, ut vir virum legeret; ut in cuius virtute plurimum fiduciæ esse quisque statueret, eum in acie proximum haberet, cujus latus tegeret, & à quo vicissim suum tegeretur. GERM.

LEGITQUE VIRUM VIR. Militarem morem explic. Victorius lib. 18. c. 19. Turneb. lib. 25. c. 7. Lipsius de Milit. Rom.

Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto,
Armaque corporaque, & permisti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli (quando ipsum horrebat adire)
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura:
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri: nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque, virum transfixa, dolorem.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exultat Amazon,
Vnum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.
Et nunc lenta manu spargens hastilia densat,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,

SERVII.

GEMITVS MORIENTVM. Aliqui *morientum*, genitivum corruptum pro integro accipiunt, facit enim morientium. ET SANGVINE IN ALTO. ἐμφατικῶς cædis ostenditur magnitudo.

ARMAQVE, CORPORAQVE. Versus πολυσύνδετος, & bene belli faciem demonstravit, multa enumerando quæ in alto sanguine velut natarent.

QVANDO IPSVM HORREBAT ADIRE. Parenthesis, & quæritur quid sit *horrebat*.

HASTAM INTORSIT EQVO. Figurate. nam intorqueo in equum dicimus: ut, *in latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit*. SVB AVRE RELIQVIT. Ex vulneris genere fugientem eum intelligimus esse percussum.

VOLVITVR ILLE EXCVSSVS HVMI. Humi volvitur. nam EXCVSSVS per se plenum est.

DEIICIT HERMINIVM. Nomen hoc de historia Romana est. nam cum Coclite contra Tuscos Lartius & Herminius steterunt & pugnaverunt eo tempore, quo pons sublicius rumpebatur. unde & eum plurimum laudat, ac si diceret, Talis hic est, qualis ille fuit.

TANTVS IN ARMA PATET. Id est, Tantum patebat in vulnere, id est in hostilia tela totus patebat. Alii *in arma*, pro armis vel scutis tradunt. PER ARMOS. Abusive. nam proprie *armi* quadrupedum sunt.

EXVLTAT AMAZON. Suspendendum, *exultat Amazon*, intelligas quasi Amazon. nam Camilla Volsca fuerat. sic in primo, *Dederatque comam diffundere ventis Venatrix*, id est quasi venatrix.

PHARETRATA. Participium à fœminino genere derivatum. *Vnum autem exserta latus*, pro exsertum latus habens.

DENSET. Id est dense, sparse jacit. Sane densentur plures res in unum, ut, *Vos unanimes densete catervas*, & declinatur, denseo, denses, denset.

INDEFESSA. Infatigabilis. Et omnia ei Amazonum arma tradit, quas Titianus unimammas vocat. nam hoc est Amazon quasi ἄνευ μαζοῦ, sine mamma. bipennis autem dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas quas veteres dicebant.

VARIORVM.

DEIICIT HERMINIVM. Eo nomine fuit Saxo ille vocatus, qui Quintilium Varum in Germania fudit sub Augusto. Sed hoc loco Hetruscum appellat. HORT.

DVPLICATQVE. Magnus enim dolor nos duplicat & curvat: vel duplici dolore virum cumulat. Turneb. lib. 23. cap. 14.

AVREVS EX HVMERO. Homerus de Apolline, lib. Iliad. α. ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων. HARTVNGIVS.

Spi-

Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & aratam quatiens Tarpeja securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas, bellique ministras.
Quales Threïciæ cum flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert: magnoque ululante tumultu,
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

SERVII.

SPICULA FUGIENTIA. Pro ipsa fugiens.

AT CIRCUM LECTÆ COMITES. Subaudis *dimicant*: quod etiam sequens Amazonum indicat comparatio, quæ inducuntur circa reginam bella tractantes, ne culpetur poëta quod nullam earum pugnantem induxerit. LARINAQUE VIRGO. Nomina hæc nobilissimarum sunt Italiæ fœminarum, & *aratam* pro ferream, ut *Micat æreus ensis.*

ITALIDES. Ut Sicelides, Atlantides: anque faciarum ducem Amazonam dicit velut Amazonidas. * ut *Ducit Amazonidum*: & est pulchra derivatio non tantum vera: nam verum est Italiæ. Italis autem, unde est Italidês, magis patronymicum est, quam derivativum; sicut Belis, & est Belides, & est Græcum. QUAS IPSA DECUS. Et ad delectas, & ad ipsam potest referri. *Decus* autem si ad Camillam, nobilitas, pulchritudo: si ad delectas, ornamentum, id est, quas sibi elegit ornamentum id est ad ornamentum. DIA CAMILLA. Generosa: εὐγενής. nam Græcum est, cujus nominis etymologiam plerique volunt venire ἀπὸ τοῦ διὸς: quod si sic est, dicemus dissentire derivationem à principalitate. nam *dia*, *di* producit, cum διὸς corripiat: sicut è contra, cum LUX LU producat, lucerna LU corripit.

PACISQUE BONÆ, BELLIQUE MINISTRAS. Congruum paci epitheton dedit, ut eam bonam diceret, cum bellum è contra sit pessimum. nam sine dubio & belli sævi diceret, si ratione versus liceret: quidam bonum interdum pro grandi accipiunt. BELLIQUE MINISTRAS. Nonnulli *ministras* modo ad bellum tantum referri volunt, ideoque conjunctionem incongrue positam, & ordinem esse, *decus pacis, & ministras belli.* Poterit & ita, quas sibi decus delegit ministras bonæ pacis & belli.

QUALES THREICIÆ. Tanais fluvius est qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitaverunt. unde postea ad Thermodonta fluvium Thraciæ transtulerunt. quod & Sallustius testatur, dicens, *Dein campi Threißi, quos habuere Amazones ab Tanai flumine incertum quam ob caussam digressæ.* Has quidam dicunt stato die solitas Scinthiis coire. FLUMINA. Pro flumine, aut fluenta. THERMODOONTIS. Plenum est Thermodoon, sed per Synæresim Thermodon facit. Unde DON circumflexum habebit accentum. Græca enim nomina necesse est ut circumflectantur, quotiens fit Synæresis exigente metri necessitate. Ergo si fit Thermodoon, DO acutum habebit accentum: quod si Thermodon fecerit, & in finalem transfertur, & mutatur accentus, nam fit circumflexus.

PULSANT. Ennius, Ad musas, *Quæ pedibus pulsatis Olympum.* BELLANTUR. Pro bellant. nam solent verba pro verbis poni. Unde nunc passivam declinationem sub activa posuit significatione: sicut in Georgicis, *Et placidam paci nutritor olivam:* futurum tempus à passivo posuit, pro præsenti ab activo. Nam *nutritor* pro nutri posuit. Unde est è contra, *Nox humida cælo Præcipitat.*

HIPPOLYTEN. Hæc Amazonum fuit regina, cui victæ Hercules baltheum sustulit, hujus filia Antiopa quam Theseus rapuit, unde Hippolytus. MARTIA. Aut bellicosa, aut Martis filia, quæ ab Achille occisa ac mortua adamata est. ut nonnulli vero adferunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caistrum filium edidit, ex quo flumen Lydiæ ita appellatur: refert autem, aut addita est præpositio *re*, id est fert; aut mutata pro infert.

ULULANTE TUMULTU. *Ululare* veteres etiam vocem quæ redditur initio prælii dicebant, quam Græci ἀλαλαγμὸν vocabant.

VARIORUM.

QUUM FLUMINA THERMODOONTIS. Servius aliique secundam in *Thermodontis* corripi putant. Est enim Græce Θερμώδοντος: ut apud Apollon. 2. Argon. ἐπὶ δ' εἴκω Θερμώδοντος. Nam quod Quinctianus Stoa, & Pontanus lib. 11. de aspiratione, *Thermodoontis* legunt, id ferri nequit. Quippe dum versum fugiunt spondaicum, sede quinta ignari ponunt antibacchium. Et sane Latinis quoque *mo* in *Thermodon* produci, indicat illud Ovidii lib. IV. de Ponto. eleg. x.

Et tu feminea Thermodon cognite turba.

Item hoc Silii Italici, in viij.

Perstrepit, & tellus, & Amazonius Thermodon.

VOSSIUS.

• PICTIS ARMIS. Alexand. lib 6. cap. 22.

BELLANTUR AMAZ. Linacrum lege lib. 2.

LUNATIS AGMINA PELTIS. Alexand. l. 6. cap 22 *Pelta*, breve scutum, instar lunæ Grapaldus lib. 2. cap. 10.

Quem

Digitized by Google

Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abjete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lyrim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo, dum colligit: alter
Dum subit, ad dextram labenti tendit inertem,
Præcipites pariterque ruunt: his addit Amastrum
Hippotaden: sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, & Demophoonta, Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. procul Ornitus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus,
Et malæ texere lupi, cum dentibus albis:
Agrestisque manus armat sparus: ipse catervis
Vertitur in mediis & toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, & super hæc inimico pectore fatur:

SERVII.

QVEM TELO PRIMVM DEIICIS? Homericum est, interrogationem ad ipsum referre qui describitur, cum semper sic musæ interrogari consueverint: ut, *Vos ô Calliope precor aspirate canenti.* ASPERA VIRGO. Epitheton ad officium belli respiciens: alias incongrue virginem asperam dicimus.

EVNEVM. Quia Latina est declinatio, ideo non accipit accentum. nam Statius quia Græce declinavit, Græcum accentum posuit dicens, *Nunc Euneon audit Ante Thoas.*

LONGA ABIETE. Longa hasta, longa abjete * arborem enim pro hasta posuit.

SVFFVSO. Casuro. nam fussusi equi dicuntur quos vulgo incespitatores vocant. Alii SVFFOSSO legunt, id est præcipiti & cadenti.

DVM SVBIT. scilicet ad sustentationem ruentis inclinat: & vult utrunque tanta celeritate esse percussum, ut unum interemptum putares. inde est enim, *Præcipites pariterque ruunt.* INERTEM. Nudam, an nihil proficientem?

SEQVITVR. Pro persequitur.

ARMIS IGNOTIS. Novis, inconsuetis. Vel *ignobilis*, id est non conspicuus. IAGYGE. Appulo equo.

PELLIS EREPTA IVVENCO. Id est lorica. nam proprie LORICA, est tegimen de corio tanquam de loro factum: quo majores in bello uti consueverant.

CAPVT INGENS ORIS HIATVS. Amphibolon, id est hiatus.

AGRESTISQVE MANVS ARMAT SPARVS. Bene AGRESTIS: nam *sparus* est rusticum telum in modum pedis recurvum. Salustius, *Sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portare.* Varro ait *sparum*, telum missile, à piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur: Alii *sparus*, à spargendo dici putant.

VERTITVR IN MEDIIS. Id est agitur: nam Græce dixit ἀναστρέφεται. TOTO VERTICE SVPRA EST. Sic Statius de Capaneo, *Et toto transcendit corpore bellum.*

HVNC ILLA EXCEPTVM. Fraude circumventum; ut, *Æmulus exceptum Triton.* AGMINE VERSO. Aut converso impetu suo, aut adversariorum conlato agmine.

TRAIICIT. Vis jactus ostenditur.

VARIORVM.

QVEM TELO PRIMVM, QVEM, &c. Camillam admiratur ob feriendi celeritatem, & occisorum ingentem numerum: nam discerni non poterat, quem primo, quem postremo loco mactasset: tanta quippe pugnandi ars & celeritas. DONAT.

Sylvis

Sylvis te Tyrrhene feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret: nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum, & Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten adversum cuspide figit
Loricam, galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, & lævo dependet parma lacerto:
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro, perque ossa securim,
Altior insurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugna
Posse, neque instantem reginam avertere cernit:
Consilio versare dolos ingressus, & astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo

SERVII.

SYLVIS. Pro, in sylvis, & Archaïsmos, casus pro casu.

MULIEBRIBUS ARMIS. Usus obtinuit ut innuptas, virgines: nuptas, mulieres vocemus. Nam apud majores indiscrete virgo dicebatur & mulier: utrunque enim sexum tantum significabat, ut ecce hoc loco dicit *armis muliebribus*, cum Camillam innuptam fuisse manifestum sit. Item in Bucolicis legimus, *Ah virgo infœlix*, cum Pasiphaën constat ex Minoë ante amorem tauri filios suscepisse. Terentius in Hecyra, etiam mulierem post partum, virginem vocat, *Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.*

NOMEN TAMEN HAUD LEVE PATRUM MANIBUS HOC REFERES TELO CECIDISSE CAMILLÆ. Irrisio est amaritudinis plena. nam si voluerimus simpliciter accipere, ut ita sit dictum, quemadmodum supra, *Æneæ magni dextra cadis*: incipit contrarium esse superioribus. Unde melius est ut perseveremus in sensu: & ita sit dictum, Magnam re vera gloriam laturus est ad manes parentum, quem fœminea tela superarunt.

SEDENTIS. Equitis. Sane eum ex vicino intelligimus esse percussum.

INTERIOR. Sinisterior, breviore scilicet circulo.

CONGEMINAT. Hic distinguendum. Nam nemo dicit securim vulnus congeminat, sed securis.

INCIDIT HUIC. Figurate, pro, in hanc incidit. Terentius, *Ego in eum incidi infelix locum, ut neque amittendi, neque retinendi sit copia.*

APENNINICOLÆ BELLATOR FILIUS AUNI. Quia Liguria majore parte sui in Apennino est constituta. *Ligures autem omnes fallaces sunt*, sicut ait Cato in secundo Originum libro. FILIUS AUNI. Aunus scilicet. nam ut supra diximus, cum dictis parentibus filiorum nomina supprimuntur, eos patri cognomines intelligimus: ut, *Tiburti Remulo ditissimus olim.*

REGINAM AVERTERE. Proprio verbo usus est, ut est mos equestris, id est non sperat fore, ut illam averteret.

VERSARE DOLOS INGRESSUS: Tractare, ut, *Seu versare dolos, seu certe occumbere morti.* ASTU. Malitia. Nam proprie astutos, malitiosos vocamus. unde in Terentio, postquam de domino dixit servus *Astute*: ille, iratus ait, *Carnifex quæ loquitur?* Cicero, *Ita fit ut tua ista ratio existimetur astuta: meum hoc consilium necessarium.*

DIMITTE FUGAM. Id est equi celeritatem, cui fidis, relinque.

VARIORUM.

PROTINUS ORSILOCHUM. Macrob. lib. 6. cap. 6. HAETUNG.

FILIUS AUNI. Mos est Poëtis, filiorum nomina dissimulare, & patrum edere; si quando cognomines sunt. HAET.

Mecum crede solo, pugnaque accinge pedestri:
Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit: at illa furens, acrique incensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque assistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis vicisse dolo ratus, avolat ipse,
(Haud mora) conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu: frenisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico à sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto

SERVII.

VENTOSA FERAT CVI GLORIA FRAVDEM. Hæc est vera & antiqua lectio: Vt *fraudem* non *laudem* legas: ut si FRAVDEM legeris sit sensus, Pedes congredere: jam agnosces cui inanis jactantia adferat pœnam. Nam *fraudem*, veteres pœnam vocabant: Ab eo quod præcedit, id quod sequitur, ut, *Et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt.* Cicero in Cornelianis. *Ne fraudi sit ei qui populum ad contentionem vocarit.* Vt etiam in antiquo cognoscitur jure. Sallustius in Catilinario, *Diem statuit antequam sine fraude liceret ab armis discedere.* Si autem LAVDEM legerimus, erit sensus, Agnosces cui inanis gloria afferat laudem. VENTOSA autem GLORIA est, quam Græci κενοδοξίαν vocant.

PARIBVSQVE RESISTIT IN ARMIS PEDES. Sicut & illum congressurum putabat.

PVRA PARMA. Tunc enim primum in bella descenderat.

FVGAX. Fugiens. Nam nomen est pro participio: non enim fugacem possumus accipere: quem supra legimus bellatorem.

FERRATA CALCE. Calcem genere fœminino.

VANE LIGVR. Aut fallax, aut inaniter jactans. nam *vanos*, stultos, posteriores dicere cœperunt. & rarum est etiam in neotericis. Iuvenalis, *Sit libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.* Quid autem hoc loco VANE significet, sequentia demonstrant, *Frustraque animis elate superbis:* possumus tamen hic & mendacem verius accipere, quia ait, *Dum fallere fata sinebant*, Et, *Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.* Nigidius de erra * *Nam & Ligures qui Apenninum tenuerunt latrones insidiosi, fallaces, mendaces.* Cato originum II cum de Liguribus loqueretur: *Sed ipsi unde oriundi sunt exacta memoria inlitterati, mendacesque sunt, & vera minus meminere.* Sane subito ut solet, ad characterem dramaticum transit, neque enim ostendit Camillam loqui cœpisse.

LVBRICVS. Fallax, mobilis.

PERNICIBVS IGNEA PLANTIS. Modo velocibus: alias perseverantibus. Nam *pernix* interdum velox: interdum perseverans significat, ut ipse in Georgicis, & *inter Dura jacet pernix instrato saxa cubili.*

TRANSIT EQVVM CVRSV. Nunc hoc incredibile videretur esse, nisi præmisisset in septimo, *Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.* ADVERSA. Opposita. QVAM. similitudinis adverbium est, est & pronomen tam subjunctivum, quam præpositivum; est & conjunctio, ut cum dicimus, tam hoc quam illud. ACCIPITER SAXO SACER ALES AB ALTO. *Sacer* ideo, quia Marti est consecratus accipiter: aut *sacer* avibus execrabilis: ut, *Auri sacra fames.* Aut quod verius est, nomen Græcum expressit. nam ἱέραξ dicitur, hoc est sacer: *ἱερεὺς* enim Græce Latine sacerdos vocatur. Cur autem Græce ita dictum sit, ratione non caret: quia nota est sacrorum peritis.

VARIORVM.

PARMA. Supra lib. 9. *Parmaque inglorius alba?* Albam enim primam gestare, probro fuit. Alexand. lib. 6. cap. 22. HART.

PATRIAS ARTES. Quasi dicat fraudulentas: cum viri fortis sit, aperta virtute, non dolo vincere. HORTENS.

POENAS INIMICO A SANGVINE. *Sanguis* invenitur pro ipso homine apud primarios scriptores, sicut caput, anima. Proinde inimicus sanguis hic, nil est aliud, quam inimicus. PONT.

ACCIPITER SACER ALES. Quid si Poëta respexerit ad Græcam vocem, ἱέραξ. hoc quod addit, *sacer ales*, interpres addit, Marti sacram: quod tamen à Poëta non est additum. HART.

Con-

Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſamque tenet, pedibuſque eviſcerat uncis:
Tum cruor & vulſæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum ſator atque deorum
Obſervans oculis, ſummo ſedet altus olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæva
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variiſque inſtigat vocibus alas,
Nomine quenque vocans, reficitque in prælia pulſos.
Quis metus, ô nunquam dolituri, ô ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fæmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella:
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exſpectare dapes, & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, hoc ſtudium, dum ſacra ſecundus aruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.

SERVII.

CONSEQVITVR PENNIS. Nova laus Camillæ: ſiquidem accipiter columbam ſequitur, iſta hoſtem præcedit. ipſa autem avium comparatio ſumpta eſt è contrario. nam æquius vir accipitri, Camilla compararetur columbæ.

EVISCERAT. Ne vulgari verbo & Græco uteretur, dicens exenterat, ait *pedibuſque eviſcerat*.

TVM CRVOR, ET VVLSÆ LABVNTVR AB ÆTHERE PLVMÆ. Ecbaſis poëtica, id eſt exceſſus.

NON NVLLIS. Id eſt non negligentibus. Nam Liptotes figura eſt. vult enim dicere, non leviter Iuppiter intuebatur iſta certamina. Ideo & adjecit *obſervans oculis*, id eſt intente aſpiciens. Plautus: *Obſervato quam blande ſuppalpatur mulieri.*

INSTIGAT VOCIBVS ALAS. Alas incitat: & irritat ad reditum. primum enim eſt ut fugere deſinant: poſt ut in hoſtes impetum faciant.

NOMINE QVENQVE VOCANS. Per hoc extrema neceſſitas indicatur. REFICITQVE. Id eſt reſtituit.

QVIS METVS. Dolentis, interrogantis, id eſt Qualis, quantus: quod viros etiam fœminam timere compellit? Vnde paulo poſt, *Quæ & quanta animis ignavia venit? Fæmina palantes agit.* O NVNQVAM DOLITVRI. Id eſt ſtulti. Stultus enim eſt quiſquis injuria non movetur. Et bene NVNQVAM: ſi quidem ante ſævitiam Mezentii pertulerunt, nec ſe ulti ſunt. Nunc præbent terga mulieri: & nec hinc quidem commoventur dolore. Nonnulli tamen dolorem, ſtudii alicujus ardorem & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum tradunt, ut Græci νῖκος.

ATQVE HÆC AGMINA VERTIT? ἀθλιῶς, id eſt multitudinem tantam, hoc eſt magnam.

INRITA. Id eſt Inertia: quæ nos ulciſci minime valent.

AT NON IN VENEREM SEGNES. Latenter hoc dicit, Mulierem fugitis, quia armata eſt: alias primi ad hunc curritis ſexum. NOCTVRNAQVE BELLA. Quibus coitus. Alibi, *Et ſi quando ad prælia ventum eſt.*

CVRVA TIBIA. Symphoniacorum. *Bacchi* autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant niſi in honorem Liberi patris. Hanc tibiam Græci πλαγίαυλον vocant, Latini Vaſcam tibiam. & eſt Dionyſia, cum maxime ea Satyri utuntur.

EXPECTATE. Pro exſpectatis, modum pro modo poſuit.

HIC AMOR, HOC STVDIVM. Per parentheſim dictum eſt, nam ordo eſt, pocula menſæ, dum ſacra ſecundus aruſpex Nuntiet. SECVNDVS ARVSPEX. Pro ſecunda ſacra, id eſt proſpera: ſicut è contrario Homerus μάντι κακῶν, id eſt malorum divine.

IN ALTOS LVCOS. Illic epulabantur ſacris diebus. Mire autem VOCET HOSTIA, pro ut ad hoſtiam conveniatis.

VARIORVM.

INCITAT IRAS. Homer. θυμὸν ὀρίνε ἀγήνορ. Reſpicit ad Peripateticorum illud: Ira fortitudinis incitabulum. HART.

Digitized by Google

Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipse
Concitat, & Venulo adversum se turbidus infert:
Direptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cælum clamor, cunctique Latini
Convertêre oculos: volat igneus æquore Tarchon
Arma virumque ferens: tum summa ipsius ab hastæ
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Qua vulnus lethale ferat. contra ille repugnans
Sustinet à jugulo dextram, & vim viribus exit.
Vtque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tyburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. tum fatis debitus Aruns
Velocem jaculo & multa prior arte Camillam
Circuit, & quæ sit fortunâ facillima, tentat:

SERVII.

MORITVRVS ET IPSE. Moriturus animo. nam moriturus non est. Quod autem ait ET IPSE, aut ad Camillam, aut ad Venulum respicit.

TVRBIDVS. Id est terribilis.

DIREPTVMQVE AB EQVO DEXTRA COMPLECTITVR HOSTEM. Hoc de historia tractum est. Nam Cajus Cæsar, cum dimicaret in Gallia: & ab hoste raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, & insultans ait, Cæsar Cæsar; quod Gallorum lingua dimitte significat: & ita factum est ut dimitteretur. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem. Est & alia hujus rei historia, Varro enim cum de suo nomine disputaret, ait eum qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat, & ad suos portaverat, insigne ex facto meruisse *

TOLLITVR IN CÆLVM CLAMOR. Rei scilicet admiratione.

RIMATVR. Inquirit, ut, *rimanti telum ira facit.*

EXIT. Evitat: ut, *Atque oculis vigilantibus exit.*

VTQVE VOLANS ALTE RAPTVM. Homerica comparatio: & utrum *alte volans*, an *alte raptum*, an *alte fert*?

LVCTANTEM ROSTRO. Magna brevitate rem descripsit.

DVCIS EXEMPLVM EVENTVMQVE. Et virtutem & felicitatem. Exemplum quod cœpit, eventum quod prospere.

MÆONIDÆ. Lydii: ut, *Mæonidæ delecta juventus.*

ARTE. Fraude, dolo: ut, *Arte Pelasga.*

DONATI.

VTQVE VOLANS. Aquilæ comparatio aptissima. Vt enim & aquila & serpens fortissimi sunt, ita illi duo fortissimi erant. itidem mira perspicacitate, ut illi sunt.

VARIORVM.

MORITVRVS ET IPSE. *Moriturus* autem, non ut illi, sed animo paratus ad mortem se in hostem intulit. Rapuit autem Venulum ab equo sedentem, & ante se in equo suo collocatum portavit. Hoc factum, quia non admittebat fidem, posse dorso equi diripi armatum. addidit difficultatem, dicens: *multa vi concitus aufert*: ut majore virtute atque impetu venientis id factum legentes, fieri potuisse facilius credant. DONAT.

VOLAT IGNEVS ÆQVORE. Accensus animo. Hypotyposis Tarchontis, hostem armatum sinu in equo suo complexi, quærentisque rimam ad jugulum. HORT.

VIM VIRIBVS EXIT. Macrob. lib. 6. cap. 6. pro evitat. supra lib. 5. vide. HART.

CVM FVLVA DRACONEM FERT AQVILA. Virgilius hic Homero inferior. Macrob. lib. 5. cap. 13. Saturn.

Qua

Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Quâ victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat:
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Vndique circuitum, & certam quatit improbus hastam.
Forte sacer Cybelo Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus & ostro,

SERVII.

QVA SECVNQVE FVRENS MEDIO TVLIT AGMINE VIRGO, HAC ARVNS SVBIT. Vt etiam supra diximus, ita Poëta loquitur, ut aliquibus locis det suspicionem quod Aruns de Turni partibus fuerit. namque & in Camillam impetum facit, & cum ea rursus recedit: quod nisi de socio non procedit. Donatus etiam dicit esse manifestum signum socium ei fuisse: quod Apollinem Soractis invocat montis: de quo Turno auxilia constat venisse. licet possit fieri ut alterius loci homo, alterius loci invocet numen. Item ad argumentum vocat, *Patrias remeabo inglorius urbes:* quod etiam de hoste procedit. *Inglorius* autem ideo, quia superare fœminam, nullam constat esse virtutem. Aut quia nec gloriari poterat, si Camillam earundem partium occidisset, ut quod supradictum est, videatur eam invidia peremisse, quod vitis præripiat gloriam & sola nobiliter pugnet Camilla.

TACITVS. Hoc est latens.

CIRCVITVM. Proprie. Nam circumire, insidiantium est: unde est, *Nec gregibus nocturnus obambulat.* CERTAM HASTAM. Inevitabilem. Vnde est è contrario. *Et incertam excussit cervice securim,* id est infirmam, evitabilem.

SACER CYBELE. Nunc montem pro numine, quod in eo colitur, posuit. Et bona occasio ad mortem Camillæ, ut sacerdotem majoris numinis conetur occidere: per quod quasi exauctoratur Dianæ favor, interveniente majoris numinis iracundia. OLIMQVE SACERDOS. Aut quia vetus sacerdos, aut cujus etiam majores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succendebantur.

LONGE FVLGEBAT. Vel longe fulgebat, vel longe insignis.

QVEM PELLIS AHENIS IN PLVMAM SQVAMIS, AVRO CONSERTA TEGEBAT. Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Pluma est in armatura ubi in laminam se indit. Nunc autem pro linteo pellem posuit; & *æneas squamas*, æreas laminas intelligimus.

IN PLVMAM vero, in similitudinem plumæ: ut, *Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,* id est in antri similitudinem. Sane sciendum quod ipsos equites cataphractos dicimus. Salustius, *Et sequebantur equites cataphracti.*

PEREGRINA FERRVGINE. Vt Hibera, id est Hispana, nam ipse hoc alibi exposuit, *Et ferrugine clarus Hibera.* Quidam purpura accipiunt, quod ejus prima tinctura ferrugineo colore sit.

DONATI.

CYBELE. Locus est in quo Cybele colebatur.

SQVAMA. Serpentis est & piscis, quam facit compositio naturalis. nam & ordinibus digesta est: & viarum plurimarum impressione distincta. Quicquid igitur in hanc similitudinem facit artifex, squama dicitur. hæc fit ex minutis laminis invicem se retinentibus, & ita digestis, ut est in avibus pluma.

PEREGRINA. Quasi dicat, ex melioribus regionibus advecta.

VARIORVM.

FORTE SACER CYBELE. Macrob. lib. 5. cap. 1. Saturnal.

QVEM PELLIS AHENIS IN PLVMAM. Puto & Maronem cum Salustio consentire, & plumarium opus respexisse, antiquis cognitum & laudatum, quod & in armatura ipsa imitabantur, & quod à multiplici liciorum varietate πολύμιτον vocabant. *In plumam* autem, πτερωτῶς. unde & plumare, acu pingere ὑφαίνειν. GERMAN.

PELLIS AHENÆ. Aul. Gell. libro 2. cap. 6. HARTVNG.

IN PLVMAM SQVAMIS AVRO, &c. sic & plumatæ vestes, & plumatiles, quæ pluribus ejusmodi notis ex auro purpurave, acu intextis sparsa erant & variata. PLVMAS autem vocarunt veteres, notas ex auro vel purpura rotundas, & in modum plumarum factas plumarumque similitudinem referentes: inde & *plumarii*, qui plumis vestes variant, & acu pingunt. SALMASIVS.

FERRVGINE CLARVS. Parrhasius legatur. HARTVNG.

Digitized by Google

Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes
Carbaseos, fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix: unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur, totumque incauta per agmen,
Fœmineo prædæ & spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cui tandem tempore capto
Conjicit, & superos Aruns sic voce precatur:
Summe deûm sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis

SERVII.

SPICVLA TORQVEBAT LYCIO CORTYNIA CORNV. Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat: quod, etiam ut supra diximus, ad ornatum poni consuevit.

VATI. Hic vatem supra sacerdotem, ut de Heleno utrumque.

CASSIDA. Pro cassis: nam accusativum posuit pro nominativo.

PICTVS ACV TVNICAS, ET BARBARA TEGMINA CRVRVM. Pictus tunicas, pictus crurum barbara tegmina, id est habebat vestem Phrygionis arte perfectam. Sane armorum longa descriptio illuc spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa.

FOEMINEO. Inpatienti, inrationabili: ut, *Feminea ardentem curæque iræque coquebant.*

SVMME DEVM. Ex affectu colentis dicitur. nam Iuppiter summus est. SANCTI CVSTOS SORACTIS APOLLO. Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur (nam diis manibus consecratus est) subito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret, & exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum est posse eam sedari si lupos imitarentur, id est rapto viverent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur. Sorani vero, à Dite: nam Ditis pater Soranus vocatur: quasi lupi Ditis patris. Vnde memor rei Virgilius Aruntem paulo post comparat lupo: quasi Hirpinum Soranum.

PINEVS ARDOR. Ignis [illegible]. ACERVO. Pyra, coacervatione lignorum.

FRETI PIETATE. Iste quidem hoc dixit: sed Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum describeret: *Eo uti solent Hirpini ambulaturi per ignem, medicamento plantas ungunt.*

MVLTA PRVNA. In pruna. *Pruna* autem quandiu ardet dicitur. Horatius, *Pretextam & latum clavum, prunæque batillum.* Cum autem extincta fuerit, carbo nominatur. Terentius, *Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo est.* Nam *pruna* à perurendo dicta est.

DONATI.

CORNV. Ligni species est.

BARBARA. Nomen artis indicat: nam qui per hanc exercent Barbarii, Carii * alias Burbuticarii dicuntur, qui auro & variis filis hominum & aliarum rerum figuras exprimunt acu pingentes.

TANDEM. Quia diu insectatus fuerat. TÆDA. Hoc lignum naturali succo veluti oleo violentius ardet.

PRIMI. Electi.

VARIORVM.

SQVAMMIS. De armis connexis, Turneb. lib. XI. cap. 25. & lib. 24. cap 40. Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. dial. 6.

AVREVS EX HVMERIS. Ex Homero Vict. lib. 33. cap. 12. Var.

CASSIDA. Ex Sosipatro & Festo L. Fruterius, lib. 3. Verisim. c. 5.

FRETI PIETATE PER IGNEM. De Hirpinorum familiis; super ambustam lignorum struem ambulantibus, sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracte Apollini, vide Plin. lib. 7. cap. 2.

Omni-

Digitized by Google

Omnipotens. non exuvias, pulsæve trophæum
Virginis, aut spolia ulla peto. mihi cætera laudem
Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius urbem.
Audiit, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam;
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit: inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertêre animos acies, oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. nihil ipsa per auras,
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitia, mistoque metu: nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos
Occiso pastore lupus, magnoque juvenco,
Conscius audacis facti: caudamque remulcens

SERVII.

EXUVIAS, PULSÆVE TROPHÆUM. Exuvias occisæ, pulsæ trophæum. Et proprie. nam ut supra diximus de occisis hostibus triumphabant, de pulsis figebant trophæa.

PARTEM MENTE DEDIT, PARTEM VOLUCRES DISPERSIT IN AURAS. Bona moderatio Apollinis inter sacerdotis preces, & voluntatem sororis.

NIHIL IPSA, NEC AURAS, NEC SONITUS MEMOR. Hæc est antiqua lectio. Namque apud majores trahebatur interdum à Græco genitivus singularis. Hinc est & paterfamiliâs & materfamiliâs: quæ duo tantum nomina remanserunt. nam nec hujus auras dicimus, nec hujus custodias secundum Sallustium, qui ait, *Castella custodias thesaurorum*: pro custodiæ. Etenim ita Asper intelligit: licet alii custodias accusativum velint. Sane paterfamiliâs & materfamiliâs quando dicimus, familias indeclinabile est. Si autem paterfamiliæ dixerimus, jam non erit nomen: sed locutio, & familiæ erit dativus. Nam pater mihi est dicimus. Terentius, *Natura tu illis pater es, consiliis ego.* Multi tamen volunt in numero plurali nomen utrunque declinari, ut dicamus hi patresfamiliæ, horum patrumfamiliarum.

PAPILLAM EXERTAM. Nudam. Sane mamilla est omnis eminentia uberis: papilla vero breve illud unde lac trahitur.

DOMINAM. Reginam: ut, *Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.*

VIRGINIS AUDET. Sic fuerat consternatus, ut etiam vulneratam timeret.

OCCISO PASTORE LUPUS. Bene pastori comparat reginam. nam reges ipsi, pastores vocantur. Homerus, ποιμένα λαῶν.

CAUDAM PAVITANTEM. Quæ timorem indicat: pro, ipse pavitans.

DONATI.

ANTE OMNES. Demissis omnibus actionibus.

VARIORUM.

MENTE DEDIT. Macrobius lib. 5. c. 5. Homerus Iliad. π. Proverb. *Alia dantur, alia negantur.* Et Proverb. *Nutu ac renutu.* HART.

CAUDAMQUE REMULCENS. Sic enim lupi & canes reflectunt caudam, ut eam sub verenda reducant. *Remulcens*, ergo pro reflectens. Turneb. lib. 21. c. 22.

Sub-

Subjecit pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentusque fuga, mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic expirans Accam ex æqualibus unam,
Alloquitur (fida ante alias quæ sola Camillæ
Quicum partiri curas) atque hæc ita fatur:
Hactenus Acca soror potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, & hæc Turno mandata novissima perfer,
Succedat pugnæ, Trojanosque arceat urbe.
Iamque vale. simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. tum frigida toto
Paulatim exolvit se corpore: lentaque colla
Et captum letho posuit caput, arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor

SERVII.

TVRBIDVS. Timidus modo, supra terribilis: ut, *Venulo adversum se turbidus infert.*

MVCRO. Hinc apparet *mucronem* esse cujuslibet teli acumen.

FRIGIDA LETHO. Alii TELO legunt, & intelligunt VVLNERE. Et quidam labuntur letho, non letho frigido, sed letho labuntur. Alii *frigida letho* accipiunt, quia sequitur post, *Captum letho posuit caput:* Nonnulli frigida lumina tradunt, scilicet ignis calore extincto, ut è contrario *Ad cælum tendens ardentia lumina.*

PARTIRI CVRAS. Subaudis consueverat. HÆC ITA FATVR. Vnum abundat. nam supra ait, *Alloquitur.*

POTVI. Absolute: pugnare vel vivere. necessaria enim Eclipsis in defectione, quæ ex arte non semel posita est.

SVCCEDAT PVGNÆ. Animus bellatricis ostenditur, quæ non se dolet lucem. sed bella deserere. Intantum ut nihil aliud moriens, quam de republica tuenda & bellum mandaret, & solum putarent idoneum Turnum in ejus vicem succedere.

NON SPONTE FLVENS. Non sponte ut supra, *Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit: quam tota cohors imitata relictis Ad terram defluxit equis.*

PAVLATIM EXOLVIT SE CORPORE. Sic in quarto, *Teque isto corpore solvo.*

ET CAPTVM LETHO POSVIT CAPVT. Cum dicit *caput*, ostendit operam consecrari, usque dum solvatur caput hominis, id est liberetur; quod facilius potest morte contingere, sicut supra dictum est. ARMA RELINQVENS. Alii *arma relinquunt* legunt. Probus hypallagen vult vel contrarium, ut *ipsa relinquit.* Alii *arma relinquunt* * laudant dictum est, illa decidebant è manibus cum ille exanimi.

VITAQVE CVM GEMITV FVGIT INDIGNATA SVB VMBRAS. Servat hoc ubique, ut juvenum animas à corporibus dicat cum dolore discedere, quod adhuc esse superstites potuerunt: quod etiam de Turno dicturus est.

IMMENSVS CLAMOR. Trojanorum scilicet, qui exultabant, & quorum animi aucti sunt Camilla moriente.

VARIORVM.

TVM SIC EXPIRANS ACCAM. Non temerarium est, quod Maro sodalem attribuit Camillæ Accam. Nam & Acca Larentia Romanorum superstitione consecrata erat: & Accæ nomen à poëtis aliis positum legimus; ut à Suevio (de quo Macrob. lib. 2. cap. 14. Saturn.) hoc versu, *Admisce tu Acca basilicu hæc nunc partim, Partim Persica.* Turneb. lib. 11. cap. 1.

HACTENVS POTVI. Indicat se jam non posse quicquam. Hujusmodi loquendi colores, desperantis formulæ sunt, quibus significamus, id jam non esse, quod fuit: ut *habus Chreme: fuimus Troës.* HORTENS.

Digitized by Google

Sydera: dejecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi, simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Euandrique Arcadis alæ.
At Triviæ custos jamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi deserta in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras:
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema jam in morte: neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.
Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.

SERVII.

CRUDESCIT. Crudelior fit cæde multorum.

OMNIS COPIA. Pro totus exercitus, ut, *Et quæ sit me circum, copia, lustro.*

MULTATAM. Affectam. *Mulctari* enim proprie verberibus dicimus *.

AT TRIVIÆ CUSTOS. Vel ministra, vel observatrix: Potest & pro comite accipi, vel custos mandatorum Triviæ, ne inulta Camilla moriatur.

TEUCROS CONATA LACESSERE. Propter illud, *Bellum importunum gerimus cum gente deorum.* HEU autem doloris exclamatio est. CRUDELE LUISTI SUPPLICIUM. Iuris verbo usus est. *Luere* enim debere dicitur qui pecuniam solvit, quod hic usurpatum est in capitis pœnam. Quidam hujus loci longam expositionem tradunt, Vulscos à Vulscatibus Ylinis originem ducere, Exclytas autem inter quos Amazones sunt, regionem Illyricam incolere * luisse ergo supplicium Camillam dicunt, quæ adversum Trojanos arma tulerit. quibus majores ejus auxilium constat tulisse, id est Penthesilea.

DESERTÆ IN DUMIS. In sylvis coluisse, aut dumis deserti, id est soli & sine nobis. COLUISSE DIANAM PROFUIT. Non deam incusat, sed fatorum necessitatem: contra quam nec numinis opitulatur auxilium.

SINE NOMINE. Sine gloria, sine fama, quod fortiter fecit, vel quia dea vindicat.

FAMAM PATIERIS INULTA. Id est non invindicatæ ignominiam sustinebis: quod etiam Dido dolet dicens, *Et moriemur inultæ: Sed moriamur ait.*

MONTE SUB ALTO. Ut, *Monte sub aërio.* Apud majores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.

REGIS DERCENNI. Quidam de Stercenii Aboriginum, hoc nomen fictum putant * BUSTUM. Hoc loco sepulchrum.

DONATI.

PULCHERRIMA. Bonam consilio hic intellige.

VARIORUM.

CRUDESCIT PUGNA. Sic lib. 7. *Crudescunt sanguine pugnæ.* Colligit similia Palmerius pag. 859. Tom. IV. Lampad.

AT TRIVIÆ CUSTOS. Macrob. lib. 3. cap. 6. Saturnal.

MULTATAM MORTE CAMILLAM. Maronis vetustiss. optimusque codex; *mulcatam morte Camillam* habet, cum hac glossematis adjectione: *mulcatam*, id est affectam. Quod ex Erric. Memmio, multis probat. GERMANUS, quem vide.

Digitized by Google

Vt vidit fulgentem armis, ac vana tumentem,
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. tunc etiam telis moriere Dianæ?
Dixit: & aurata volucrem Threïssa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coïrent
Inter se capita, & manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem, aurasque sonantes
Audiit una Aruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum expirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignota camporum in pulvere linquunt:
Opis ad ætherium pennis aufertur olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas:

SERVII.

VANA TVMENTEM. Plenum falsæ gloriæ, quam Græcì κενοδοξίαν dicunt. Vana autem tumentem, ut *Infanda furentem.*

CVR INQVIT DIVERSVS ABIS? Non quasi audienti dicat, ut *Macte nova virtute puer*: diversus autem, à pugna diversus, vel *diversus* quod fugit quam occidit.

DIGNA CAMILLÆ PRÆMIA. Sic in secundo, *Persolvant grates dignas, & præmia reddant Debita.* Item in decimo, *Et hæc tibi porto Dona prius.*

TVNE ETIAM TELIS MORIERE DIANÆ? Cum ingenti amaritudine dictum est. nam ei etiam genus invidet mortis. Quod autem ait TVNE ETIAM, ad Niobes numerosam pertinet sobolem.

VOLVCREM SAGITTAM. Proprie, quia sagittis pennæ adglutinantur. THREISSA. Propter Amazonas: & hanc Virgilius non ita finxit, ut Tarpejam & cæteras, sed proprio nomine videtur induxisse, Græci * enim tradunt ouloforos ex hyperboreis, qui & ipsi sunt Treci in Insulam Delum venisse, hunc Hecaergon Apollinem & Dianam educasse, ut etiam ex cognominibus deorum, cum illa Opis, & hic Hecaergos appellatur, agnoscitur; quod supra plenius dictum est.

CORNVQVE INFENSA TETENDIT. *Cornu* accusativus singularis est, ac si diceret, *Arcumque infensa tetendit.* nam horum dubiorum nominum casus ex similibus vel synonymis comprobantur.

COIRENT INTER SE CAPITA. Homerica est ista descriptio. MANIBVS ÆQVIS. Pro æqualiter, vel æquantibus, & licitum Poëtæ, nomen pro adverbiis aut participiis ponere.

TELI STRIDOREM. Homerus, *ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων.*

AVDIIT VNA ARVNS, HÆSITQVE IN CORPORE FERRVM. Celeritas jaculantis exprimitur, sic Statius cum jam percussum dixisset, extinctum ait, *Necdum certi tacet arcus Amyntæ.* Multi nolunt in medio distingui, propter exprimendam celeritatem.

OBLITI. Nonnulli Virgilium secundum vetustatem hoc verbo usum tradunt, ut obliti ἀμελήσαντες, hoc est negligentes & contemnentes putent, viderant enim peremptum, sed neglexerunt: Ergo scientes liquerunt, ut *oblitus decorisque sui*, & *oblitus fatorum* Alii obliti ubi reliquerant nescientes, & est sensus *obliti illum.* IGNOTO CAMPORVM IN PVLVERE LINQVVNT. Bene Aruns qui quasi sacrilegus peremptus est, facientis numinis iracundia est relictus, ut nec sepulturam possit mereri.

LEVIS ALA. Levis armatura scilicet.

TVRBATI FVGIVNT RVTVLI. Hoc ad Camillæ pertinet laudem: qua amissa turbati fuerunt Rutuli, & mutantur fata bellorum. ACER ATINAS. Licet acer: fugit tamen.

DONATI.

CVR INQVIT. Hæc loquitur secum ex dolore.

TVNE ETIAM. Indignatur quod telis Dianæ sit periturus.

IGNOTO CAMPORVM PVL. LIN. Quod fuit ultionis argumentum, ut socii illius obliviscerentur.

VARIORVM.

CVR DIVERSVS ABIS? Lib. 5. *Quo diversus abis? iterum pete saxa.* Hæc secum Opis loquebatur, non ut Aruns audiret, sed ut comminatione verborum satisfaceret æstibus suis. Locuta est ergo quasi ad præsentem, & tanquam præsentem insultanter appellat. DONAT.

FVGIT ACER ATINAS. De hoc Turneb. lib. 22. cap. 3.

Dis-

Digitized by Google

Disjectique duces, desolatique manipli
Tuta petunt, & equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instanteis Teucros lethumque ferenteis
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, & è speculis percussa pectora matres,
Fœmineum clamorem ad cæli sydera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupêre patentes,
Hos inimica super misto premit agmine turba:
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas. pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes. oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos, lachrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruinâ,
Volvitur: immissis pars cæca & concita frenis

SERVII.

DESOLATIQUE MANIPLI. Deserti signiferi: quod nimii discriminis. namque hoc ubique dux præcipit, ut frequentes circa signa sint milites: sicut in Sallustio legimus. MANIPLI autem dicti sunt signiferi, quia sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus, hastas fœni manipulis inligabat: & hos pro signis gerebant. Unde hoc nomen remansit.

LETHUMQUE FERENTEIS. Pro inferentes.

LAXOS ARCUS. Non intentos: sed jam solutos.

PULVIS. Hic corripuit, at ibi produxit, *versa pulvis inscribitur hasta.*

FOEMINEUM CLAMOREM. Impatientem. nam jam dixerat matres, per quod muliebrem clamorem poteramus accipere.

QUI CURSU PORTAS. Portanda elocutio qui consequatur hos, sed intelligendum eos qui.

INIMICA. Pro hostilis.

MISERAM MORTEM. Quia sequitur, *Limine in ipso.*

MOENIBUS IN PATRIIS. Scilicet ubi sese jam tutos esse credebant.

PARS CLAUDERE PORTAS. Pars eorum qui cursu irrupere portas.

APERIRE VIAM. Id est dare aditum, & bono locutus est ambitu. Nam cum portis via aperitur & clauditur.

ORITURQUE MISERRIMA CÆDES. Quoniam defensores mœnium dum hostes petunt, suos feriebant. Sic in secundo ubi intulit, *Armorum facie & Graiarum errore jubarum.*

DEFENDENTUM. Ideo *defendentum* & *ruentum*: quia ad masculinum retulit, & hi defendentes facit, quod & de fœminino dicimus. Si autem de neutro loquamur, *defendentium* dicamus necesse est; quia hæc defendentia facit: ut supra diximus, genitivus pluralis à nominativo plurali non debet minor esse. Quod si forte minorem eum aliquando invenerimus, metri necessitate fit & incipit jam pathos esse, non declinatio. Nonnulli ergo in his nominibus genitivum corruptum pro integro accipiunt.

LACHRYMANTUM. Quidam *lachrymantum* genitivum corruptum pro integro accipiunt, quia facit lachrymantium.

PRÆCIPITES FOSSAS. In quas quis potest præcipitari.

COECA. Irrationabilis, quæ in clausas portas more arietis ruebat: id est bellici machinamenti.

VARIORUM.

IRRUPERE PORTAS. Alii RUPERE legunt, simplex pro composito; ut vis metu instantis hostis, carpentisque terga atrocior appareat. HORT.

HOS INIMICA SUPER. Gradatim ad summum timorem ascendit. HORT.

URGENTE RUINA. Multitudine cadentium impellente. PONTAN.

Arietat in portas, & duros obice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) ut videre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis,
Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.
Interea Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, & juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam:
Ingruere infensos hostes, & Marte secundo
Omnia corripuisse: metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (nam sæva Iovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix è conspectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Æneas saltus ingressus apertos,

SERVII.

SVMMÓ CERTAMINE. In extremo discrimine, ut supra, *Vocat labor ultimus omnes.*

MONSTRAT AMOR VERVS. Qui apparet in adversis. VIDERE CAMILLAM. Scilicet quæ pro aliena patria cecidisse videtur. Sane ut videre, non relatam ex pugna, sed ut exemplum virtutis ejus viderunt, & quidam *ut videre*, quasi quemadmodum ut videre, ut cum conjunctio modo non adverbium temporis est, aut *ut videre* quemadmodum illam dimicare viderant quando interiit.

TREPIDÆ. Licet trepidæ, tamen oblitæ sexus tela jaculabantur.

PRÆCIPITES. Aut festinæ, aut in mortem ruentes. PRIMÆQVE MORI PRO MOENIBVS AVDENT. Nimii doloris est: ut, *Me primam absumite ferro.*

SÆVISSIMVS IMPLET NVNTIVS. Vt & supra diximus, nuntius est qui nuntiat nuntium quod nuntiatur: secundum quod nunc nec de fœmina, nec de re quæ nuntiatur, procedit nuntius. Vnde multi volunt aliud nuntium intelligi: Accam vero pro ea venisse. sed melius est ut nuntius de Acca dictum intelligamus. Novimus enim poni aliqua in subauditione, quæ ex aperto dicere non debemus: ut, *Nec dextræ erranti deus absfuit*: cum necesse sit, ut aut Iunonem, aut Alecto intelligamus. Item Sallustius, *Prima, qui forte venientes exciperet*, cum de insidiis loqueretur. quas numeri tantum pluralis esse plusquam manifestum est.

TVMVLTVM. Perite *tumultum*, ita enim dicitur bellum, quod differri non potest.

DELETAS VOLSCORVM ACIES. Falsum est: tantum enim fugerunt. sed vim exprimit nuntii, cujus mos est plus quam habet veritas, nuntiare.

INGRVERE. Impetum facere: ut XII. Æn. *Ingruit Æneas Italis.*

ILLE FVRENS (NAM SÆVA IOVIS SIC NVMINA POSCVNT) Duplici ratione insidias eum reliquisse commemorat: dolore nimio, & numinum voluntate: quæ utraque ideo egit, ne capi posset Æneas. Sæva autem Iovis numina per parenthesim dictum est. Paulo ante præcedens tempus à Turno relictos, id est vacantes insidiis. SÆVA IOVIS SIC NVMINA POSCVNT. Homerus Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

OBSESSOS, COLLES. Quos ipse obsederat ne ad urbem transitum haberet Æneas.

VARIORVM.

ARIETAT IN PORTAS. In portas irruit, tanquam aries bellica machina. Vide Macr. l. 5. c. 13. G.

ET DVROS OBICE POSTES. De syllabis hujus carminis, Macrob. lib. 5. cap. 14. Saturnal.

DE MVRIS SVMMO CERTAMINE MATRES. Amor patriæ mulieres quamquam trepidas, tamen sexus sui faciebat oblivisci, & tela jacere in subeuntem hostem, ac mori velle. Exemplum Camillæ audaciores reddebat, quæ cum in aliena caussa cecidisset, justum videbatur, ut ipsæ in sua caussa, & pro patria sua non dubitarent se morti etiam offerre. PONTAN.

INTEREA TVRNVM IN SYLVIS. Cædes Camillæ spargitur in plures personas, ut ejus rei fama Turnum gravius acuat ad pugnam, & terror trepidatioque major oriatur. HORT.

CECIDISSE CAMILLAM. Erigenda pronuntiatio est in Camillæ nomine: illic enim est major Turni desperatio, quod Camillæ auxilium perdidit. DONATVS.

METVM IAM AD MOENIA FERRI. Fortassis Græcum φόβον, expressit: quod fugam, metum & terrorem significat. HARTVNG.

IOVIS SIC NVMINA P. Fatum inevitabile rapit eum ad ulciscendam Camillæ mortem; unde ipse in suum se fatum furibundus conjicit. HORT.

EXU-

Exuperatque jugum sylvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi, totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt.
Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longè, Laurentiaque agmina vidit:
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum, flatusque audivit equorum:
Continuoque ineant pugnas, & prælia tentent:
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem, & mœnia vallant.

SERVII.

AMBO AD MVROS. Vt tueretur & repugnaret Turnus, ut obsideret Æneas.

FVMANTES PVLVERE CAMPOS. Veluti fumantes caligine pulveris. Ita enim nebula excitat pulvis ut fumus est *

SÆVVM. Fortem. ut, *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.* Item, *Nec minus interea maternis sævus in armis.* An iratum? Vt, *& sævum ambobus Achillem.*

INEANT PVGNAS. Pro iniissent & tentassent.

HIBERO. Oceano, occiduo, id est Hispano. Hispaniam autem, Hiberiam ab Hibero flumine constat esse nominatam.

TINGAT EQVOS. Quidam *tingeat* humiliter dictum accipiunt.

CONSIDVNT CASTRIS. Hoc est in sua quisque castra digressi. Ergo aut castra posuerunt, aut ad morem castrorum fecerunt. MOENIA VALLANT. Hinc probatur, quia & qui tuentur & qui obsident vallare dicuntur.

VARIORVM.

TOTOQVE FERVNTVR. Proverb. ἄγεται καὶ φέρεται. HART.

FVMANTES PVLVERE CAMPOS PROSPEXIT. A signo excitati pulveris surgentis in cœlum, colligit hostem adesse. HORT.

IAM GVRGITE PHOEBVS IBERO. Periphrasis occasus Solis. Est autem Ἴβηρ, sive Iberus, fluvius Hispaniæ, à quo Hispani ipsi, Iberi sunt dicti, qui utramque Iberi ripam colunt usque ad mare. Iberia tamen proprie appellatur ea regio, quæ intra Iberum sita est. Et quia Galli Celtæ quondam eam terram tenuerunt, ipsi incolæ Celtiberi, regio vero Celtiberia etiamnum appellatur. HORTENS.

ET MOENIA VALLANT. Castris undique tanquam continenti vallo cingunt, & Turnus & Æneas. De circumvallatione Lipsius Poliorcet. lib. 2. Dialog. 1. ab initio.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS

LIBER DUODECIMUS.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos: Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo: gaudetque comanteis
Excutiens cervice toros, fixumque latronis

SERVII.

TURNUS UT INFRACTOS. Postquam Turnus in bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos. namque ita major est sensus, quam si INFRACTOS, valde fractos acceperis.

SUA NUNC PROMISSA REPOSCI. Quia dixerat, *Ibo animis contra, vel magnum præstet Achillem.* NUNC autem pro tunc.

SE SIGNARI OCULIS. Propter illud quod post dicturus est, *ante ora Latini, In te oculos referunt.* Modo autem significat, id est, ut quod esset silentio ambiguum, oculis confirmaretur sine dubio eorum à quibus coactus promiserat. ULTRO. Aut insuper, aut antequam aliquis composcat. Et bene ducis dignitatem servavit, ut non ideo faceret, quia quidam reposcebant, sed sua sponte accenderetur in prælium.

SAUCIUS ILLE. κατ' ἐξοχὴν. ILLE LEO. Id est princeps ferarum. Vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, ut, *ac velut ille canum morsu*, interdum nobilitatem significat, ut, *Multum ille & terris jactatus*, &c. aut similem rem designat. Lucilius, *Velut olli Auceps ille facit cum improviso insidiisque.* Quamvis quidam *ille* per se superfluum hoc loco pronomen tradunt. *Saucius* autem *pectus*, id est saucium pectus habens. Ut, *nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.* Et bene alia verba interposuit, quia *saucius pectus* & sonabat asperrime, & imperitis poterat solœcismus videri. Et *saucius pectus* congrue, in quo Turni dolor est. GRAVI VULNERE. *Gravi*, id est, Forti: ut, *Ferit ense gravem Tymbrœus Osirim.* Venantum autem vulnere, quod venantes fecerunt.

TUM DEMUM. Novissime: id est postquam fuerit vulneratus. Hæc enim leonum natura est, ut nisi læsi nequeant irasci. MOVET autem ARMA. Vires suas experitur. nam arma sunt uniuscujusque rei possibilitas. unde est, *Et quærere conscius arma*: id est dolos. Est autem *movet arma*, etiam translatio ab hominibus, qui cum hostem petunt, arma movere dicuntur. Sic alibi de tauro, *signa movet præcepsque oblitum fertur in hostem.* GAUDETQUE. Spe ultionis, & dicendo *gaudet*, alacritatem voluit leonis exprimere, *gaudii* verbo. Cæterum nulli ferarum, vel pecudum iste sensus adponitur.

EXCUTIENS CERVICE TOROS. Cervice excutiens. an quos in cervice habet? LATRONIS. Insidiatoris à latendo, sed modo venatoris, & est Græcum, nam λατρεύειν dicunt obsequi, & servire mercede. Unde *latrones* vocantur conducti milites. moris autem erat, ut hos imperator & *circa* se haberet, & eos primos mitteret ad omne discrimen. unde nunc dicit latronis telo fixum leonem, quia etiam venatores operas suas locare consueverant. Sic etiam dicti qui circa caveas sunt, quod ut milites stent cum ferro; aut quod lateant ad insidias faciendas: Ergo ex eadem similitudine *latronem*, hic venatorem accipiendum, quia & obsidet saltus & cum ferro est. Sane *latronem* venatorem, quis ante hunc? Varro tamen dicit hoc nomen & Latinam posse habere etymologiam, ut latrones dicti sint quasi laterones: quod circa latera regum sunt, quos nunc satellites vocant. una tamen significatio, licet in diversa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte ostendit qui sint latrones, dicens. Nam, *Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut ei adconducerem latrones & conscriberem.* Idem in Bacchidibus exsecutus est, militem *latronem* dicens, *Suam qui auro vitam venditat.*

DONATI.

INFRACTOS. Valde fractos. LATINOS. Non solum ejus gentis milites: sed omnes qui essent in exercitu Turni comparat leoni, qui in bestias imperium habet, ut Turnus in suos, sed vulnerato, & qui ulcisci non potest.

VARIORUM.

Explicat hunc librum Turneb. lib. 23. cap. 14.

POENORUM QUALIS. Comparatione, Turni ferociam amplificat. *Pœnorum*, hoc est Afrorum, ubi leones.

SAUCIUS ILLE GRAVI. *Ille* redundat. Turnebus lib. 18. cap. 32.

FIXUMQUE LATRONIS. Latro pro Venatore, &c. Victorius lib. 26. cap. 17.

Im-

Digitized by Google

Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quod dicta retractent
Ignavi Æneadæ, nec quæ pepigere recusent.
Congredior: fer sacra pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos: cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus:

SERVII.

IMPAVIDUS FRANGIT TELUM. Lucanus, *Per ferrum tanti securus vulneris exit.* FREMIT ORE CRUENTO. Licet os habeat proprio cruore perfusum. Sane ipsa comparatio exitum ostendit futurum. Nam etiam Turnus ruit in mortem ferocitate compulsus: sic in quarto indicat futurum exitum reginæ, dicens, *Qualis conjecta cerva sagitta.*

GLISCIT. Crescit & latenter, unde & glires dicti sunt quos pingues efficit somnus. Veteres *gliscit* incremento ignis ponebant. bene ergo hoc verbo utitur de quo ait, *Vltro implacabilis ardet.*

TURBIDUS. Plenus terroris & perturbationis. Sane notandum AFFATUR, atque INFIT. nam iteratio est, qua frequenter est usus: licet nonnulli dicant temperare hoc interpositam conjunctionem, & hic habitum futuræ orationis ostendit.

NULLA MORA IN TURNO. Plus est Turno, quam si in me dixisset: ut, *quisquam numen Junonis adoret Præterea*: Et bonum principium ejus qui suspicionem timiditatis inciderat. RETRACTENT. Repetant & revolvant.

IGNAVI ÆNEADÆ. Aut *Æneadæ* pro Æneas, aliud pro alio significavit; aut *Æneada* non Æneas, quasi contra omnes pugnaturus.

CONGREDIOR. Hypocrisis est, exprimatur id quod flagitatis. sic Statius ubi Polinicen oblique inducit loquentem, *Non me ullius domus anxia culpet, Expectentve truces obliquo lumine nati.* Vnde etiam supra ait poëta, *Se signati oculis.* Quidam sane à NULLA MORA IN TURNO, usque ad PEPIGERE RECUSENT jungunt; ne si distinctio intercesserit, languescat sententiæ color. CONCIPE FOEDUS. Id est conceptis verbis. Concepta autem verba dicuntur jurandi formula, quam nobis transgredi non licet. nam & sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, cum è diverso conjungunt & adsuunt.

DESERTOREM ASIÆ. Exulem: ut, *Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris?* unde est præmissa illa excusatio, & tota secundi œconomia, & in quarto ubi dicit, *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, & sponte meas componere curas, Vrbem Trojanam primum, dulcesque meorum Reliquias colerem.* Sane *Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam.* Ponenda est mora, ut postea inferatur, *Desertorem Asiæ*; potest enim videri non ita instituisse Turnus orationem prædicto Dardanium ut inferret desertorem, sed regem: verum ubi propius accessit intellexisse hunc honorem nominis ejus, non dandum: itaque commutasse & contumeliose desertorem dixisse. SEDEANT, SPECTENTQUE LATINI. Invidiose. nam sensus est * ductus est, ut diximus supra aliis. Pollicetur enim se singulari certamine dimicare velle cum nolit: nam cum dicit, SEDEANT, SPECTENTQ. LATINI: latenter eos ignaviæ arguit, quod solus omnibus quiescentibus dimicet: quam rem planius sequens indicat versus, *Et solus ferro crimen commune refellam,* id est commune fugæ ac timoris dedecus, solus meis virtutibus comprimam. Alii *crimen commune*, id est omnium Latinorum: & *crimen* ait, quod Trojani in Italia consederunt.

AUT HABEAT VICTOS. Vitavit propter omen pessimum verbum de se, quod de Ænea dixerat: *Ille me in tartara mittat*, Sed ait *Victos.* CEDAT LAVINIA CONIUX. Vt, *Cedat amicitiæ Teucrorum,* id est in præmium victoriæ concedat.

SEDATO CORDE. Quia de Turno ait, *Atque ita turbidus infit:* & qualitatem orationis prædixit.

DONATI.

DESERTOREM ASIÆ. Tria convitia: à loco quod Asianus, quasi dicat, ex corrupta pervincia: à genere quod esse Dardanus, qua rebellis: à facto quod esset proditor.

COMMUNE. Nam commune dedecus est, quod Trojani Italiam teneant.

VARIORUM.

NULLA MORA IN TURNO. Emphaticῶs de se, in tertia persona. sic illud suprà, *Æneæ magni dextra cadis.* & Hom. Iliad. α. HART.

FER SACRA PATER. Quæ fœderibus faciendis adhibebantur in singulari certamine ceremoniæ, referuntur ab Homer. Iliad. 3. HORT.

SEDEANT SPECTENTQUE LATINI. *Sedere*, non solum habitu illo corporis manere ac quiescere valet: sed etiam negligenter, pigre se gerere in aliquo negotio. Victor. lib. 16. cap. 20.

O præ-

Digitized by Google

O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omneis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: necnon aurumque animusque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus agris,
Nec genus indecores. sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri,
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat: idque omnes divique hominesque canebant:
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis & mœstæ lachrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero, atque arma impia sumpsi.
Ex illo, qui me casus, quæ Turne sequantur
Bella, vides: quantos primus patiare labores.

S E R V I I.

O PRÆSTANS ANIMI. Et præstans viribus, & præstans virium dicimus. Satte magnæ moderationis est hæc oratio. nam & laudat Turnum, quasi virum fortem: & tamen eum à singulari certamine dehortatur. dicens enim PRÆSTANS ANIMI, latenter ostendit eum inferiorem esse virtute.

EXPENDERE CASVS. Ne ex abrupto de ejus virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat.

SVNT TIBI REGNA PATRIS DAVNI, SVNT OPPIDA. Argute negat illi sua regna, dicens ei esse alia, ut hæc malit Turnus quæ sua virtute quæsivit. Sensus ergo est, Si propter regnum dimicare disponis, habes paternum: si propter gloriam, multos virtute superasti. Quod autem dicit, NECNON AVRVMQVE ANIMVSQVE LATINO EST, varie exponitur. namque alii dicunt, habes regnum paternum, habes oppida: etiam à me habes aurum & promptum animum ad danda omnia præter filiam, ut de se Latinus dixisse videatur de auro, propter illud *Prædivum urbe Latinus.* Alii vero sic intelligunt, si propter opes & uxorem dimicaturus es, hæc non solus habeo, cuicunque enim Latino est & aurum & animus promptus in generum: ut *Latino* non de se dicat, sed cuicunque de Latio.

LATIO, ET LAVRENTIBVS ARVIS. Et in civitate, & in omni regno Latinorum.

NEC GENVS INDECORES. Quia iste petebat filiam regis, est autem elocutio figurata de Græco [illegible] * SINE ME HÆC. Hoc loco intelligimus Turnum dolore in aliqua voluisse verba prorumpere. HAVD MOLLIA FATV. Id est vera, non aspera, sed quæ cum veritate dicuntur. falsa enim, plena solent esse blanditiis.

ANIMO HAVRI. Omni intentione percipe.

NVLLI VETERVM SOCIARE PROCORVM. Generaliter dicit prohibitum esse dari Laviniam cuilibet Latino, ut Turnus solatium aliquod habere possit doloris.

DIVIQVE HOMINESQVE CANEBANT. Propter Faunum & vates.

VICTVS AMORE TVI. Id est propter te, propter tuum amorem. Sane inter *tui caussa feci*, & *tua caussa feci*, hoc interest: ut tui caussa tunc dicamus, si aliquid ipsi ad quem loquimur, præstiterimus: ut puta tui caussa me defendi. Tua vero caussa tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione præstamus, ut puta tua caussa hominem tuum defendi.

COGNATO SANGVINE. Quia Venilia mater Turni, soror est Amatæ.

VINCLA OMNIA RVPI. Et religionis & fœderis.

PROMISSAM ERIPVI GENERO. Verum est. nam Æneæ per legatos promiserat filiam, cui postea intulit bellum licet multi dicant ante eam Turno fuisse promissam: quod falsum est. Nam Latinus nunquam est Turno pollicitus. Nam nec Faunum consuleret, si eam Turno ante promisisset. sed tantum eum esse generum Amata cupiebat: quod etiam legimus, *Quem regia conjux Adjungi generum miro properabat amore.*

QVI ME CASVS. Excusat Turnum, ut non ipsius videatur esse, quod victus est: sed suum qui ausus est contra generum bella suscipere.

PRIMVS. Præcipuus ante omnes.

V A R I O R V M.

O PRÆSTANS ANIMI IVVENIS. Ex Accio. Macrob. lib. 6. cap. 2. Saturn.

AVRVMQVE ANIMVSQVE LATINO EST. Nec sibi Turni affinitate opus esse, nec vicissim Turno Latini: cum uterque alterius subsidio carere facile possit. Turneb. lib. 23. cap. 14.

ME NATAM. Excusat, quare se neget illi dare filiam, à fatali necessitate jungendi eam alii. HORTENSIVS.

Bis magna victi pugna, vix urbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si, Turno extincto, socios sum accire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia? ad mortem si te (fors dicta refutet)
Prodiderim, natam, & connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longævi, quem nunc mæstum patria Ardea longe
Dividit. Haud quaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exuperat magis, ægrescitque medendo.
Vt primum fari potuit, sic incipit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor optime pro me
Deponas, lethumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

SERVII.

BIS MAGNA VICTI PVGNA. Semel occiso Mezentio: iterum cum interiit Camilla.

RECALENT. Pro calent. RE enim superflua compositio est verbi, aut *recalent*, iterum calent dixerat, magna quod victi pugna: RE enim iterationis obtinet vicem, & bene necessarium cum actu refert.

ALBENT. Vsurpavit verbum albeo albes.

INSANIA MVTAT. Insania enim est, unde vix evaseris illuc reverti.

TOLLO. Finio, removeo: ut, *Tollite cuncta, inquit.*

SOCIOS SVM ADSCIRE PARATVS. Bene non adjecit quos, ut levaret invidiam.

FORS DICTA REFVTET. Parenthesis quasi dissimulatio vel remo * plena abominationis.

NATAM, ET CONNVBIA NOSTRA PETENTEM? Iniquissimum enim est eum morti tradere, qui tuam affinitatem exoptet.

RESPICE RES BELLO VARIAS. Ne eum ignaviæ videatur arguere, admonet eum casuum: ut supra, *Atque omnes metuentem expendere casus.*

MOESTVM PATRIA ARDEA LONGE DIVIDIT. *Longe mæstum*, id est valde mœstum. longe dividit, non procedit. non enim Ardea à Laurento longo valde dissidet spatio.

HAVDQVAQVAM. Nequaquam, quia supra dixerat, *ultro implacabilis.*

ÆGRESCITQVE MEDENDO. Inde magna ejus ægritudo crescebat, unde se ei Latinus remedium sperabat afferre. MEDENDO autem, dum ei medetur. Nam gerundi modus est à passiva significatione.

VT PRIMVM FARI POTVIT. Nimius enim dolor vel iracundia intercluserat ejus vocem: sic de Euandro, *Et via vix tandem laxata dolori est.*

QVAM PRO ME CVRAM GERIS, HANC PRECOR OPTIME PRO ME DEPONAS. Bis quidem ait PRO ME, sed diversa affectione. namque hæc dicit, Quam pro salute mea solicitudinem geris, hanc pro mea fama & gloria quæso derelinquas. vir fortis enim gloriosam mortem præponit saluti.

DEBILE FERRVM. Sic in secundo, *Telumque imbelle sine ictu Conjecit.*

NOSTRO DE VVLNERE. Quod nos inferimus, & dubie est locutus.

DONATI.

BIS MAGNA VICTI PVGNA. Semel cum occisus Mezentius lib. x. iterum cum Camilla lib. xi. Si semel male pugnatum, daretur hoc eventui: bis pugnatum est, & fortiter quidem, atque ut obtineri debuisset victoria, nisi offensa numina prosperitatem omnem in aliam partem, facta nostorum cæde avertissent. Atque utinam malis ipsis venisset finis: nimis autem vigent: ac ut nova & pertinaciter continuata perdurant. Quid jam speretur prosperi, quum extra urbem perierint omnia, & vix tueamur, quæ tenemus inclusa.

VARIORVM.

MISERERE PARENTIS. Pathos ab ætate. Macrob. lib. 4 c. 4. Saturn.

PRO LAVDE PACISCI Supra libro 5. *Vitamque volunt pro laude pacisci.* HARTVNG. *

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat, & vanis sese occulat umbris.
At regina nova pugnæ conterrita sorte
Flebat, & ardentem generum moritura tenebat.
Turne, per has ego te lachrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ: decus, imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit:
Vnum oro, desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus,
Et me Turne manent. simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lachrymis Lavinia matris,
Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:

SERVII.

LONGE ILLI DEA MATER ERIT. Contra illud, *Sed matris auxilio utitur.*

NOVA SORTE. Id est, magna: nam novum non est quod fuerat ante promissum. magnam autem sortem vocavit singulare certamen.

PER SI QVIS AMATÆ TANGIT HONOS ANIMVM. Si quod te regina rogat tuam commovet mentem, & si quem honorem habes Amatæ. Sic in septimo, *Si qua piis animis manet infœlicis Amatæ Gratia.*

IN TE OMNIS DOMVS INCLINATA RECVMBIT. Totum digessit ante per species: & sic se contulit ad generalitatem.

MANVM COMMITTERE TEVCRIS. Ab omni eum bello, non tantum à singulari certamine dehortatur.

ET ME TVRNE MANENT. Mire agit. nam quia scit suam mortem virum fortem facile posse contemnere, deterret eum, dicens se simul esse morituram, ut qui periculum non timet, formidet invidiam.

NEC GENERVM ÆNEAM CAPTIVA VIDEBO. Mire & fidem suam & studium circa Turnum expressit.

ACCEPIT VOCEM. Ordo est, Accepit vocem matris Lavidia.

FLAGRANTES PERFVSA GENAS. Lachrymis perfusas. Statius, *Et gemitu mæstos imitata parentes.*

IGNEM SVBIECIT RVBOR. Hypallage est, pro, cui ignis animi subjecit ruborem. movebatur autem, intelligens se esse tantorum caussam malorum. Sicut supra ipse, *Caussa mali tanti atque oculos dejecta decoros.*

VIOLAVERIT OSTRO SI QVIS EBVR. Homeri comparatio unde & *violaverit*, transtulit. Ille enim ait, *ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.*

MIXTA RVBENT VBI LILIA MVLTA ALBA ROSA. Aut ubi multa alba lilia permixta rubent rosa, id est, rosæ conjunctione. Naturaliter enim omnis candor vicinum in se trahit ruborem.

ILLVM TVRBAT AMOR. Invenit occasionem qua Turnus magis moveretur in bellum.

VARIORVM.

LONGE ILLI DEA MATER. Muret lib. 10. Var. cap. 4.

VANIS SESE OCCVLAT VMBRIS. Videtur quadam reciprocationis abusione dictum esse, cum de Ænea dici videatur, & ipsum Latinitas postulet: sed aliquanto hac in re liberiores fuerunt Latini veteres, etiam Cicero. Turneb. lib 10. cap. 7.

TANGIT HONOS ANIMVM. Explic. Turneb. lib. 23. cap. 14.

ACCEPIT VOCEM LACHRYMIS. Ordo verborum est: Lavinia vocem matris accepit, ipsa flagrantes genas perfusa lachrymis. PONT.

IN TE OMNIS DOMVS INCL. Proverb. *In caducum parietem inclinare.* HART.

INDVM SANGVINEO. Ex Homero Macrob. lib. 5. cap. 12. Saturn.

RVBENT LILIA. Hom. Iliad. δ. Macr. lib. 5. c. 12. H.

Ardet

Ardet in arma magis: paucisque affatur Amatam:
Ne quæso, ne me lachrymis, neve omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
O mater. neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm: nostro dirimamus sanguine bellum:
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos: gaudetque tuens ante ora frementeis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithya,
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circunstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.

SERVII.

NEQVE ENIM TVRNO MORA LIBERA MORTIS. Duplex hoc loco est expositio: aut enim ordo est, Ne quæso mater, ne me lachrymis, id est tanto mortis omine prosequaris, ad duri Martis certamina proficiscentem. neque enim Turno mora libera est non eundi, post jam promissum singulare certamen. Aut certe hoc dicit, Noli me mater ad bellum euntem ominosis lachrymis prosequi: neque enim Turno mora libera mortis, id est, neque enim est potestatis meæ moram inferre venientibus fatis. ac si diceret, Si imminent fata, periturus sum: etiam si minime ad bella proficiscar. Sciendum tamen locum hunc unum esse de insolubilibus XII. quæ habent obscuritatem, licet à multis pro captu resolvantur ingenii.

CVM PRIMVM CRASTINA COELO PVNICEIS INVECTA ROTIS. Hoc loco aviditas pugnaturi exprimitur. Sane nunc non dicit oriri diem, sed designat tempus quod vult ut ad singulare certamen uterque procedat.

NOSTRO DIRIMAMVS SANGVINE BELLVM. Bene se omnibus commendat hoc dicto: siquidem suum sanguinem pro omni bello dicit posse sufficere.

POSCIT EQVOS, GAVDETQVE TVENS ANTE ORA FREMENTEIS. Solent enim ex equorum vel mœstitia, vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere.

PILVMNO QVOS IPSA DECVS DEDIT ORITHYA. Ait Horatius in arte poëtica, *Nec quodcunque velit, poscat sibi fabula credi.* Vnde Critici culpant hoc loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Namque Orithya cum Atheniensis fuerit, filia Terrigenæ, & à Borea in Thraciam rapta sit, quomodo potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? DECVS DEDIT. Ad ornamentum: ut, *Quas ipsa decus sibi dia Camilla delegit.* Sane hic versus σπονδειάζων est. nam *thyi* diphthongus Græca est.

QVI CANDORE NIVES ANTEIRENT CVRSIBVS AVRAS. Homeri versus verbum, ad verbum λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

PROPERI AVRIGÆ. Festini, veloces: & erit nominativus hic properus. *aurigas* autem pro agasonibus posuit. nam aurigæ proprie sunt currus regentes.

VARIORVM.

ARDET ARMA MAGIS. Cui suadebatur ne se committeret pugnæ, videndo Lavinam adeo venustam, ut nihil supra, magis inflammatus est ad pugnam ex amore illius & desiderio potiundæ talis elegantiæ. Nec tempus sinebat, neque affectus magnitudo longam orationem texere: ergo respondet paucis: vetat lachrymationem, quia malum omen habet; mallet enim se læto omine, nempe faustis acclamationibus prosequeretur. PONT.

NEQVE ENIM TVRNO MORA LIBERA MORTIS. Enodatur à Turneb. lib. 23. cap. 14.

PILVMNO QVOS IPSA DECVS. Defendit à Criticorum reprehensione hunc locum Turnebus lib. 23. cap. 14 qui negat incongruum esse, deam deo equos Thracios donavisse, cum & Θρήκην πωλοτρόφον vocet Hesiod. & Thraces equos passim Homerus, & ipse Maro carminibus commendent. Ego certe, ut cum Turnebo sentiam, tam alienum quam Critici, hoc figmentum accipere non possum: nam & hospitii dona multas, inter absentes locisque disiunctos, amicitias tradita, vel missitata junxisse certum est, ex Homero, cæterisque auctoribus & Poëtis. GERMAN.

QVI CANDORE NIVES. Explic. Turnebus lib. 24. cap. 31.

Digitized by Google

Ipsa dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circundat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clypeumque, & rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,

SERVII.

ALBOQVE ORICHALCO. Apud majores orichalcum pretiosius omnibus fuit metallis. namque sicut Lucretius dicit, Cum primum homines sylvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium, ex incendii calore desudavit metalla: inter quæ orichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri & æris duritiem possideret. Namque de auro primum securis facta displicuit caussâ mollitiei: simili ratione & argenti contemptus est usus, mox æris: orichalcum placuit, donec veniretur ad ferrum. Vnde etiam secula ita dicuntur fuisse divisa. Orichalcum etiam fuisse pretiosum Plautus docet, qui ait in Milite glorioso, *Ego istos mores orichalco contra comparem.* ALBOQVE ORICHALCO. Auri scilicet comparatione. nam album non est.

CIRCVNDAT LORICAM HVMERIS. Non armatur hoc loco, sed explorat utrum arma apte & congrue ejus membris inhæreant. APTAT HABENDO. Ad habendum, ut congrue possint inhærere.

CORNVA CRISTÆ. Id est comas, quas Græci *κέρατα* nominant. unde & *κείρειν* dicunt tondere. *Cornua* autem proprie sunt cincinni.

DEVS IPSE PARENTI FECERAT. Ac si diceret, non per ministros. Statius, *Sed plurimus ipsi Sudor ibat.* Et notandum quam affectate variaverit, ut Æneæ uno loco arma describeret: Turni vero hic hastam, gladium & loricam. In octavo autem scutum & galeam.

EXIN. Deinde. nam ordinis est adverbium. INGENTI ADNIXA COLVMNÆ. Hastæ per columnam exprimitur magnitudo: sicut in septimo equorum; ut, *Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.*

STYGIA VNDA. Quasi immortalem fecerat. VI. Virtute.

ACTORIS AVRVNCI SPOLIVM. Vel quod Actori detraxerat Turnus: vel quod Actor cuidam alteri. nam ambigue est positum. QVASSATQVE TREMENTEM. Quassat, & tremere facit.

VOCIFERANS. Hæc scilicet quæ dicturus est. Plerumque enim ita clamor ostenditur, ut statim ipsius clamoris verba subdantur. sic supra, *Torvumque repente Clamat in matres.* Sane nunc ita ad hastam, quasi ad aliquam personam loquitur, & ei intellectum & auditum dat, sicut Cicero in Catil. verba reipublicæ. Sed ille ait. *Si patriam loqui posset fieri.* Turnus vero quasi ad virum sentientem loquitur: nec immerito. nam eum inducit furentem, ut, *His agitur furiis, totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.*

VOCATVS HASTA MEOS. Invocationis meæ preces. Nam appellatio est à verbo, quæ semper aut in IO exit, aut in VS. Si in IO exeant, tertiæ est formæ. Si in VS quartæ: ut ab eo quod est lego, aut lectio, aut lectus facit. Sed hoc nos dicimus, quod *διφωνότερον* fuerit: sicut nunc ab eo quod est voco, vocatus potest, non invocatio. TE MAXIMVS ACTOR. Subaudimus, ante agere consueverat.

NVNC TVRNI DEXTRA GERIT. Ejus scilicet qui quasi supra maximum est Actorem. DA STERNERE. Figura Græca: ut, *Donat habere viro.* Item, *dat ferre talentum.*

DONATI.

STYGIA VNDA. Consecrationem quandam ensis ostendit.

CORRIPIT. Quasi dicat sine conatu extulit, quamvis tanta esset, ut adminiculis columnæ egeret.

VARIORVM.

ALBOQVE ORICHALCO. Album vocat *orichalcum*, auri comparatione. Quidam perverse *aurichalcum* scribunt. Vtrum vero orichalcum genus aliquod sit metalli fossilis, præter id quod est omnibus notum & factitium, an nullum fuerit unquam, quæritur. Vide Lambin. in Curcul. Plaut. scen. ult. act. 1.

SIMVL APTAT HABENDO. Id est ad habendum, ut congrue possint inhærere, ut bene haberi possint ac ferri. Quod enim bene portatur & apte fertur, gestantem relevat, quia levius redditur. DON.

RVBRÆ CORNVA CRISTÆ. Lege Iunium de coma, pag. 108. De cornibus super galea affert quædam Lipsius Analect. ad dial. 5. lib. 3. de Milit. Rom.

ADNIXA COLVMNÆ. Magius lib. 3. Miscell. cap. 2.

NVNC, O NVNQVAM. Explic. Turneb. lib. 8. c. 16. & lib. 21. c. 12.

Lori-

Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prælia Taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios, mæstique metum solatur Iüli,
Fata docens, regique jubet responsa Latino

SERVII.

LACERARE REVULSAM. Vt laceratam revellam. Laceratam autem propter illud, *Et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis.*

VIBRATOS CALIDO FERRO. Crispatos calamistro. nam calamistrum est acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos. Vnde etiam Cicero *calamistratam comam* appellat frequenter, quæ etiam vituperationi est. Vnde & contra ad laudem est positum ab Horatio, *Hic & incomptis Curium capillis.* MYRRHA autem MADENTES. Vnguentatos.

OCVLIS MICAT ACRIBVS IGNIS. Vt supra dictum est furoris immanitate.

TERRIFICOS CIET. Nomine, & hinc apparet mugitus non tantum dolentum esse, sed etiam irascentum. CIET autem modo dat, sicut in VI. *Lenibat dictis animum lachrymasque ciebat.* Nam proprie CIERE, est aut dolorem aut lachrymas commovere.

AD PVGNAM PROLVDIT. Præmeditatur. Cicero, *Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, id est præmeditatione certaminis, quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus.*

SÆVVS. Fortis: more suo, vel magnus. Et ingentem moderationem dat Æneæ, quippe quem inducit laborantem, ut possit in iram moveri, cum Turnum ita dicat furere, ut nec Latini consiliis, nec Amatæ precibus possit obedire.

ACVIT MARTEM. Irritat se ad futura certamina.

COMPONI FOEDERE BELLVM. Finiri. Vt, *ante diem clauso componet vesper Olympo.* aut componi bellum ad pactionem singularis certaminis bellum deduci. *Fœdus* autem, sicut supra dictum est, ab hostia quæ fœde interimi solet appellatum est. *Oblato* autem *gaudens*, intelligendum nuntium Æneæ venisse de bello.

TVM SOCIOS MÆSTIQVE METVM SOLATVR IVLI. Intelligamus hos spe singularis certaminis pro ducis salute esse turbatos. Bene autem separavit Ascanium à sociis, de illis enim socios dixit, non addidit metum, quia proprium erat & filii & pueri timere pro patre.

FATA DOCENS. Monens quibus condenda urbs sit, quid futurum ut vincat. LATINO CERTA REFERRE VIROS. κατὰ τὸ σιωπώμενον: etiam ad Latinum Æneam legatos misisse intelligimus. Nam supra Turnus tantum dixerat, *Nuntius hæc Idmon, Phrygio mea dicta Tyranno.* Certa autem pro firma & vera; aut certe hos legatos Idmoni adjunctos potest intelligi.

VARIORVM.

SEMIVIRI PHRYGIS. Semivirum invidiose propter Paridis cognationem; tum quod formarum ferax habita sit Phrygia, & mollior, ut docet Eustathius in primum versum Iliad. λ. GERM.

FOEDARE IN PVLVERE CRINES. Cinifiones antiquis dicti à calefactis calamistris ad intorquendos fingendosque capillorum cincinnos, cirros, corymbos, crobylos tum mulieribus, tum effœminatis viris mollibusque. Calamistratos autem crines ut muliebres notat, alludens ad sæcula quibus Romæ indulsere mariti uxoribus, quo formam suam concinniorem efficerent, capillos suos cinere rutilare. GERMAN.

SCINTILLÆ ABSISTVNT. Pathos ex habitu personæ. Macrob. lib. 4. cap. I. Saturn. Idem Homerus de irato Achille. Camerar. problem. 9. Dec. 2.

PROLVDIT ARENA. *Proludere*, est ludendo imaginem quandam veritatis ostendere. Vel futurum certamen meditari, & exercendarum virium caussa, confirmandique animi, simulacrum certaminis inire. DONAT. BVDÆVS.

ET SE SVSCITAT IRA. Supra indicatum est jam aliquot locis, iram cotem esse fortitudinis. HARTVNG.

Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnæ sub mœnibus urbis
Dimensi Rutulique viri, Teucrique parabant:
In medioque focos, & diis communibus aras
Gramineas: alii fontemque ignemque ferebant,

SERVII.

PACIS DICERE LEGES. Id est, Quas paulo post in ipso fœdere est dicturus Æneas.

POSTERA VIX SVMMOS. Descriptio temporis quod Turnus præfinierat.

CVM PRIMVM ALTO. Quia res perturbatæ secuturæ sunt, diem quoque cum fervore oriri fecit.

LVCEMQVE ELATIS NARIBVS EFFLANT. Ennianus versus est ordine commutato. Ille enim ait, *Funduntque elatis naribus lucem.* Et sciendum nunquam diem sic patenter descripsisse Virgilium. Sicut in quarto noctem, ubi Dido pervigilans deliberat.

CAMPVM AD CERTAMEN. Totus hic de fœderibus locus de Homero translatus est, ubi Alexander Paris cum Menelao singulari certamine dimicaturus est.

DIMENSI RVTVLIQVE VIRI. Inter se per certa spatia dividentes, quæ quisque loca purgaret: & hoc loco sciendum *Fauni lucum evertere Trojani.* Vnde est paulo post, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.*

FOCOS. Quicquid ignem fovet, focus vocatur, sive ara sit, sive quid aliud in quo ignis fovetur. Sicut in tertio dictum est, tamen & hic in publico sacrificio ostendit cum aris etiam focos sacratos, nam ait, *In medioque focos & diis communibus aras*, & post subtexuit, *Craterasque focosque ferunt*; crateras scilicet quibus libaverat, focos vero ad quos legitimum sacrificium perfecerat. ET DIIS COMMVNIBVS ARAS. Dii communes sunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere possunt. Vt autem altioris scientiæ hominibus placet, *dii communes* sunt qui ἀζωνοι dicuntur, id est qui cœli certas non habent partes, sed generaliter à cunctis coluntur. ubique enim eos esse manifestum est: ut Mater deûm, cujus potestas in omnibus zonis est. Nam ideo & Mater deûm dicitur, quod cum omnibus est ejus communis potestas. Alii *communes deos* volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem. hi enim apud omnes homines inveniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus & simplex est, & magis aptus negotio.

ARAS GRAMINEAS. Romani enim moris fuerat cespitem aræ superponere, & ita sacrificare. *Gramineas* autem ideo, quia & de bello res agitur, & Marti sacrificatur, cui gramen est consecratum: quod secundum Plinium in naturali historia ex humano cruore procreatur. Gramen autem herbæ species est, licet omnis herba gramen vocetur: sicut robur, omne lignum, cum sit & species. FONTEMQVE IGNEMQVE FEREBANT. Fontem pro aqua posuit, à toto partem. Sane ad facienda fœdera semper aqua & ignis adhibentur. unde & quos arcere volumus à nostro consortio, eis aqua & igni interdicimus, id est rebus quibus consortia copulantur; ad hæc autem aqua de certis fontibus peti solet.

DONATI.

ARAS. Propter consecrationem fœderis. COMMVNIBVS. Quia adhuc incertum erat, quo esset perventura victoria.

VARIORVM.

ET PACIS DICERE LEGES. Græci quoque εἰρήνην λέγειν.

POSTERA VIX SVMMOS SPARGEBAT LVMINE. Nimis operosa lucis matutinæ insequentis diei descriptio, quam periergiam vocant. HORTENSIVS.

SPARGEBAT LVMINE MONTES. In locis enim excelsis, atque adeo cacuminibus primum se radii Solis Orientis ostendunt. PONT.

CAMPVM AD CERTAMEN. In quo duo illustres heroes singulari pugna congrederentur.

IN MEDIOQ. FOCOS. Aras, ad quas præsentibus diis, per fecialem & patrem patratum fœdus percutiebatur. HORT.

ET DIIS COMMVNIBVS ARAS. Græci ὁμοβωμίους vocant ab eadem ara homines ejusdem religionis, deos item communes. Quod autem Servius communes, Martem, Bellonam, Victoriam dicit, Homerus non dissimili sententia prorsus ἄρηα ἀλλοπρόσαλλον, ξυνόν, ἐνυάλιον, ἑτεραλκέα νίκην vocitat, & δημιώτης. cujus hic Servius sub titulo Matris deûm meminit, sæpe Euripid. πάντων θεῶν nominat. Cæterum hic Turneb. lib. 23. cap. 14. Existimat communes deos dici, quorum simulacra in gramineis aris erant posituri, ut eorum interventu & relligione sanciretur fœdus, atque adeo *communes* vocari, quod eorum sacramento & relligione communiter utraq; pars fœdus esset percussura & eorum numinibus statura, ut dii sint communes Trojanis & Latinis in fœdere sanciendo. GERM.

ARAS GRAMINEAS. Id est cespititias, quales in castris excitabantur. TVRNEB. lib. 11. cap. 1.

Digitized by Google

Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis: hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis:
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. necnon mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Vtque dato signo spatio in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.

SERVII.

VELATI LINO. Atqui Feciales & Paterpatratus per quos bella vel fœdera confirmabantur, nunquam utebantur vestibus lineis. Adeo autem à Romano ritu alienum est, ut cum Flaminica esset inventa tunicam laneam lino habuisse consutam constitisset ob eam causam piaculum esse commissum. Vnde dicimus errore factum ut linea vestis contra morem adhiberetur ad fœdera, quæ futura non erant firma. Scimus enim hoc ubique servare Virgilium, ut rebus quibus negaturus est exitum, det etiam infirma principia. Sic in Thracia civitatem condens Æneas, quam mox fuerat relicturus, contra morem Iovi de tauro sacrificavit. Sic senatum ad privata Latinus convocat tecta, quando ejus non erant firma consilia. Sic paulo post in augurio liberatus cygnus in fluvium concidit, & quia Turnum Rutuli, licet rupto fœdere, liberare non potuerunt. Caper tamen & Iginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam, & Virgilium ita reliquisse confirmant: VELATI LIMO. Limus autem est vestis qua ab umbilico usque ad pedes prope tegebantur. hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam, unde & nomen accepit. nam *limum*, obliquum dicimus. unde & Terentius *Limis* dicit, id est obliquis. ET VERBENA TEMPORA VINCTI. Verbena proprie est herba sacra, ros maximus, ut multi volunt, id est λιβανωτὶς Licutagoris * sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terentius. *Ex ara sume hinc verbenas.* Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Quidam sane veris * proximi herbas verbenas dicunt. Alii certa ligamenta verbenam volunt vocari.

LEGIO AVSONIDVM. Pro AVSONIDARVM, quod venit ab eo quod est hic Ausonida: sicut hic auriga. Nam *Ausonis* generis fœminini est: unde Ausonidum facit, quod ut diceret, metri est necessitate compulsus. PILATAQVE PLENIS. Hoc est pilis armata. quidam hoc loco pilata agmina non à genere hastarum positum adserunt. nam paulo post dictum inferunt, *defigunt tellure hastas*: sed pilata densa, spissa, ut implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere. Alii *pilatum agmen* dicunt, quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit. vel certe *pilata* fixa & stabilia, vel à pilo quod figit, vel à pila structili quæ fixa est & manet; nam & Græci res densas & artas πιλεῖν dicunt. Ennius Satyrarum II. *Contemplor inde loci liquidas pilatasque etheris oras*, cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius belli Histrici primo, *Percutit atque hastam pilans pre pondere frangit.* Pilans, id est figens; Idem *Sententia presso pectore pilata*, id est fixabilis. Asellio historiarum III. *Quartum signum accedebat sive pilatim, sive passim iter facere volebat.* Scaurus de vita sua, *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi*, id est strictim & dense? nam ubi proprie de genere hastæ loquitur, ait, *Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones.* Varro rerum humanarum, duo genera agminum dicit, *Quadratum quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur.*

RVIT. Cum impetu venit: quod apud Græcos est ἐφόρμησεν.

VARIIS. Quia alius Troicus, alius Tyrrhenus, aut ipse Tyrrhenus varius, quia de variis gentibus Tuscorum.

INSTRVCTI FERRO. Bona prooeconomia, & rei futuræ præparatio, ruptis enim fœderibus ad bella discedent: quia necesse non erat armari omnes, solis ducibus pugnantibus.

ASYLAS. Etruscum nomen.

DONATI.

PLENIS PORTIS. Qui securi erant facti de alieno certamine.

VARIIS. Quia diversarum terrarum erant viri

VARIORVM.

VELATI LINO. Alii LIMO legunt, pro vestis genere. GERM. Supplicum ritus. Iac. Schegkius Epist. x. Prænieß.

AGMINA SE FVNDVNT PORTIS. Fundendi Metaph. exponit Vict. lib. 28. cap. 11.

Tum

Tum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
Invalidique senes, turres & tecta domorum
Obsedere: alii portis sublimibus astant.
At Iuno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo campum spectabat, & ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini,
Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet (hunc illi rex ætheris altus honorem
Iuppiter erepta pro virginitate sacravit)
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ

SERVII.

VVLGVS INERMVM. Senum scilicet ac matrum, sicut ipse memoravit; & quidam volunt ideo hic matrum factam mentionem, ut etiam Amata inter ceteras, sed spectandum venisse videatur quo possit ducta errore, perimere.

NVNC ALBANVS HABETVR. Catonem sequitur qui Albonem montem, ab Alba longa putant dictum.

TVNC NEQVE NOMEN ERAT. Hoc ideo ait, quia in Albano res divina à jure triumphantibus fieri solebat, scilicet quod Alba patria populi Romani habetur, unde omnis origo Romana, propter quod Albanique patres & Iuppiter Latiaris antiquissimus est. Ergo montis hujusce gloria quod patria populi Romani esse dicatur; honos vero rei divinæ quæ ibi à Romanis fieri consueverat; nomen quis ignorat à longa Alba tractum esse.

ASPECTABAT. Amat usurpare antiquitatem, nam potuit *spectabat* dicere.

DIVA DEAM. Aut Hypallage est, pro *dea divam*. Nam deos, æternos dicimus: divos vero qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Iunone *divam*, respiciens etymologiam. Nam in Horatio legimus, *Sub divo moreris victima nihil Miserantis Orci.* Id est sub aëre, quem constat esse Iunonem. Deus autem vel dea, generale nomen est omnibus. Nam δέος Græce dicitur φόβος id est timor, unde factum est deus, quia omnis religio sit timori. Varro ad Ciceronem tertio, *Ita respondeant cur dicant deos cum omnes antiqui * dixerint divos.*

STAGNIS QVÆ, FLVMINIBVSQVE SONORIS PRÆSIDET. Iuturna, fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. de hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem quæ laborantes juvare consuevit: huic fonti per Aquaminum inopum * sacrificari solet: cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit, nam & Iuturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem festum IVTVRNALIA dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo, ait, *Iuturna inter proprios deos Nymphasque ponitur:* Et quia stagna dixerat, ideo sonora flumina addidit, est enim stagnorum ἐπίθετον.

NYMPHA DECVS FLVVIORVM. Sic supra, *Nymphæ Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est.*

ANIMO GRATISSIMA NOSTRO. Homerus, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

CVNCTIS PRÆTVLERIM. Liptotes figura per contrarium. plus enim dicit, & minus significat. namque alias omnes est persecuta: huic vero libenter indulsit. Et dicit se hanc omnibus prætulisset quasi etiam alias in honore habuerit. Ergo ideo hoc dicit, ut tollat causam quam potuit Iuturna habere suspectam. Sane talis hæc figura est, ut illud Sallustianum, *Mare ponticum dulcius, quam cætera:* Cum nullum dulce sit. Sciendum autem non immerito finxisse Virgilium, Nymphæ, id est parti suæ indulsisse Iunonem. QVÆCVNQVE LATINÆ. Quæ sint Latinæ cum quibus Iuppiter concubuerit incertum est.

DONATI.

ANIMO GRATISSIMA NOSTRO. Simulata verba pro tempore: nam pellex nunquam placet uxori.

VARIORVM.

AT IVNO. Ad dearum consilium transitio, ut fœdus aliqua via disturbetur.

STAGNIS QVÆ PRÆSIDET. A potentia & numine. Hanc fluminibus præsidere fingit. HORT.

NYMPHA DECVS FLVVIORVM. Hortatoria oratio Iunonis ad turbandum fœdus. Captat benevolentiam à commemoratione suorum in eam beneficiorum. Narrat audita: hortatur, concludit brevibus. HORT.

ANIMO GRATISSIMA. Homerus est Iliad. ε. HARTVNG.

Ma-

Digitized by Google

Magnanimi Iovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cælique libens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna dolorem.
Quâ visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum, & tua mœnia texi.
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis:
Parcarumque dies & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge: decet. forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, cum lachrymas oculis Iuturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lachrymis hoc tempus, ait Saturnia Iuno,
Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus:

SERVII.

INGRATVM CVBILE. Aut ingratum de quo pellici * nulla gratia, hoc enim convenit personæ dicentis: aut quod gratiam castæ non præsentat uxori Iuppiter. Ergo sibi dicit *ingratum* non illis quæ ascenderunt; nam Iuturna dea facta est, neque propter Iovem dictum est, qui immortalitatis præmium persolvit. Ergo bene sibi ingratum. Nam cum Iuppiter multas vitiasse diceretur, nihil tamen à Iunone de Iuturna detractum est, sed potius auctum est. Animadvertendum autem versum hunc sine cæsura esse. Nam Heptimemeris quam habere creditur, in Synalœpham cadit: ut, *Magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile.* Terentianus de hoc, *Rarum concedam, fieri non posse, negabo.*

COELI IN PARTE. In parte divinitatis, nam pro honore locum numinum posuit.

QVA VISA EST FORTVNA PATI. Quatenus inquam permisit. & sic ait *Qua visa est*, ut supra *Coëant in fœdera dextræ, Qua datur.* Sane ostendit latenter favorem numinum sine confectione fatorum non posse procedere: & quidam putant Virgilium quoad visa est fortuna reliquisse: ut sit *quoad visa est*, usquequo.

CEDERE RES LATIO. Feliciter cuncta procedere.

VIDEO CONCVRRERE. Pro concursum esse. licet, quasi dea, bene præsenti usa sit tempore, quæ etiam futura cernebat.

NON PVGNAM ASPICERE HANC OCVLIS. Quia numina quotiens morituros viderint eos, quibus favent, ab his recedunt. Sic Statius Apollinem inducit. Amphiaraum deserentem, ubi eum vicinum morti esse cognovit.

PRÆSENTIVS AVDES. Efficacius, vehementius. nam licet germanam illicita etiam pro fratris salute tentare.

FORSAN MISEROS MELIORA SEQVENTVR. Ne forte possit fatorum ordo mutari.

CVM LACHRYMAS OCVLIS IVTVRNA PROFVDIT. Totum jungendum, *Cum lachrymas oculis Iuturna profudit.*

TERQVE QVATERQVE MANV PECTVS PERCVSSIT. Ne videatur diverso tempore & lachrymare, & pectus percutere, cum utrumque simul fiat; & hoc ideo quia solam doloris audiverat caussam, nihil fratri posse mederi. nam paulo post audiet, *Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.* HONESTVM. Aut divinum, aut quod Iovi placere potuerit.

NON LACHRYMIS HOC TEMPVS, AIT, SATVRNIA. Non flendi, sed subveniendi tempus est. Statius In matrum consolatione, *Accenso flebitis igne.* Non lachrymis, autem, aut deest agendum, vel quid tale, figuratum est pro lachrymarum.

ET FRATEM SI QVIS MODVS. Non dicit aut eripe aut bella cie, sed eripe fratrem aut bello concitato, aut rupto fœdere.

CONCEPTVMQVE EXCVTE FOEDVS. Placitum, animo prædestinatum.

VARIORVM.

NVNC IVVENEM IMPARIBVS V. C. FATIS. Iuno, Iovis consilium est; unde videt Turnum ab Ænea occidendum esse. Est autem ex Homero traductum, qui duo fata Achilli dat, alterum ut cito pereat, gloriam habens æternam; alterum, ut inglorius diu domi in tuto vivat, carens militari laude. Sic Turnus impar fatum habet, dum mavult clarus mori, quam Laviniam dare, & aliam uxorem ducere, & regnare in pace. E prisco Glossatore hoc protulit BARTHVS. IMPARIBVS FATIS. Ex Homero Macrob. lib. 5. c. 13. Sat.

PERGE: DECET. Epilogus brevis, quo ambigue per addubitationem aliquid boni promittere videtur. Quamobrem cum fata norit esse immutabilia, addit *Forsan.* HORT.

NON LACHRYMIS, &c. Aposiopesis: subauditur, *opus est*: pathos à silentio.

Digitized by Google

Author ego audendi. sic exhortata reliquit
Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen. bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris: puraque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem

SERVII.

AUTHOR EGO AUDENDI. Nomina in TOR exeuntia, fœminina ex se faciunt, quæ in TRIX terminantur, si tamen à verbo veniant, ut ab eo quod est lego, & lector, & lectrix facit: doceo, doctor, & doctrix. Si autem à verbo non venerint, communia sunt. nam similiter masculina & fœminina in TOR exeunt, ut hic & hæc senator, hic & hæc balneator. licet Petronius usurpaverit, balneatricem dicens. Tale est & hic & hæc auctor: sed tunc quando ab auctoritate descendit, ut hoc loco. Cum autem venit ab eo quod est augeo, & auctor & auctrix facit; ut si auctor divitiarum dicas, vel auctrix patrimonii.

RELIQUIT INCERTAM. Quia licet dederit ei consilium, dicendo tamen *forsan*, eam reliquit incertam.

INTEREA REGES. Longum Hyperbaton. nam ordo est, *Interea reges procedunt castris.* cætera enim per parenthesim dicta sunt: nec est Eclipsis, id est conceptio, cum sermo in omnibus congruat. INGENTI MOLE. Pompa, ambitu. nam modo hoc significat.

CIRCUM. Absolute ex omni parte, ut si dicas tempora radiis cingitur.

SOLIS AVI SPECIMEN. Ut etiam in septimo dicimus, Latinus secundum Hesiodum in *ἀσπίδι*, Ulyssis & Circes filius fuit, quam multi etiam Maricam dicunt. secundum quem nunc dicit, *Solis avi specimen.* Nam Circe, Solis est filia. Sane sciendum Virgilium in varietate historiæ, sua etiam dicta variare. Sed de Ulyxe, ut etiam supra diximus, credere nos temporum non sinit ratio. BIGIS IT TURNUS. Quotiens utimur nominibus tantum pluralis numeri, & unum volumus significare, ita dicimus unas bigas, unas quadrigas, unas scalas. Salustius, *Hi postquam in una mœnia convenere.*

BINA. Pro duobus.

ROMANÆ STIRPIS ORIGO. Hoc ad laudem Augusti respicit.

SYDEREO FLAGRANS CLYPEO. Latino tantum imaginem Solis dedit. Æneam autem cum sidereo clypeo ipse quodammodo comparat Soli.

MAGNÆ SPES ALTERA ROMÆ. Ideo quia Æneas una. Male autem quidam MAGNA legunt. Sane Ascanii habitum vel ornatum omisit, quia puer est.

PURAQUE IN VESTE SACERDOS. Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. Ut neque funesta sit, neque fulgorata, neque maculam habeat ex homine mortuo. Est autem linea & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum præbet, linum vero fluminis, quia cum vere primum in Oriente flumen inundasset sponte sua linum natum esse, Plinius Secundus dicit. Ideo Magistratus & sacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. Quod ipse de Aristeo ait, IIII. Georgicorum, *Oceano libemus. Et manibus liquidos dant ordine fontes Germanæ: tonsisque ferunt mantilia villis.* Ecce mentionem de lino, rursum purpura. *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Item, *velati lino*, Ergo pura lintea vel purpurea bene potest intelligi.

SETIGERÆ FOETUM SUIS. More Romano: ut, *Cæsa jungebant fœdera porca*, nonnulli autem porcum non porcam in fœderibus adserunt solere mactari, sed poëtam periphrasi usum propter nominis humilitatem: *Intonsam* vero *bidentem* dixisse, quam Pontifices *altilaneam* vocant. nam Homerus aliud genus sacrificii commemoravit: Sane non præter rationem est quod ait, *Fœtum suis*: Item, *Intonsamque bidentem.* Id est brevem adhuc. Nam in rebus quas volebant finiri celerius: senibus & jam decrescentibus animalibus sacrificabant. in rebus vero quas augeri & confirmari volebant, de minoribus & adhuc crescentibus immolabant. Sane ovem Græco more fœderi adhibuit.

VARIORUM.

INGENTI MOLE LATINUS. Macrob. lib. 6. cap 6. lib. 7. Hom. Iliad. HART.

CRISPANS HASTILIA FERRO. Homero *crispare* est *πάλλειν*. Turnebus lib. 23. cap. 14. alibi *coruscare* dixit.

SETIGERÆ SUIS. Ritus feriendorum fœderum. HART.

Attu-

Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius AEneas stricto sic ense precatur:
Et nunc sol testis & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
Iam melior, jam diva, precor, tuque inclyte Mavors:
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:
Fontesque fluviosque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,

SERVII.

ADTVLIT ADMOVITQVE PECVS. Primo adtulit, inde admovit pecus, id est hostiam.

ILLI SVRGENTEM. Non utique nunc Solem surgentem dixit, jamdudum enim dies erat, sed disciplinam cerimoniarum secutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.

DAT FRVGES MANIBVS SALSAS. Far & sal: quibus rebus & cultri aspergebantur & victimæ. Erant autem istæ probationes aptum utrum esset animal sacrificio. Obliquum etiam cultrum à fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant. Nam hoc est quod dicit, *Et tempora ferro Summa notant pecudum.*

PATERISQVE ALTARIA LIBANT. Probus *altaria*, id est in altaria dicit, & *pateris* pro ex pateris, ut vinum altaria intelligamus. Ea enim quæ in altaria funduntur, altaria dici voluit; alii altaria species ararum tradunt.

TVM PIVS ÆNEAS STRICTO SIC ENSE PRECATVR. Hic prior precatur, quia hic mavult fieri fœdus: stricto autem ense, juxta quendam Iurisjurandi morem ait.

ESTO NVNC SOL TESTIS. Bene eum primum invocat deum, quem orientem intuens vidit. Nam ait, *Illi insurgentem conversi lumina Solem.* ESTO autem multi volunt tertiam esse personam, id est sit mihi Sol testis: quia sequitur, *Et hæc terra:* ut elocutionem per nominativum factam intelligamus. Sed hoc non procedit, quia sequentia vocativum habent, ut, *Et tu Saturnia Iuno.* Item, *Tuque inclyte Mavors.* Vnde per vocativum eum omnia dixisse accipiamus: in hoc vero tantum ad nominativum fecisse transitum. ET HÆC MIHI TERRA PRECANTI. Licet etiam hic possit esse vocativus. nam δεικτικῶς est dictum, *Hæc terra esto mihi testis*: ac si diceret, ô Italica terra testis mihi esto. Sane juxta Homericum fœdus, hic inducit fieri: Nam ut ibi Priamus, ita hic Latinus, ut hic Æneas, ibi Agamemnon & priores precantur qui servaturi sunt fœdus, quod ruperunt qui posteriores juraturi erant; ibi per Pandarum Trojani, hic per Tolumnium Latini, & hoc per speciem augurii, quæ precatiò maxima appellatur, dicit. precatio autem maxima est, cum plures deos quam in ceteris partibus auguriorum precatur, eventusque rei bonæ poscitur, ut in melius juvet; quod his versibus ostenditur, *Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti.*

QVAM PROPTER. *Propter* habet accentum, quia est postposita præpositio, id est, propter quam tantos.

ET PATER OMNIPOTENS. *Et quæ cæruleo sunt numina ponto.* Ceterum quod in precatione dici solet ut melius juvent, melius fortunent, subjecit his versibus. *Si nostrum adnuerit nobis victoria Martem.*

IAM MELIOR, IAM DIVA PRECOR. Ac si diceret, Non Saturnia, id est jam minime nocens, & Trojanis propitia. aut melior non optantis, sed adfirmantis accipiamus: potuit enim intelligere minus se impugnari à Iunone qui vicerat bis.

TORQVES. Hoc loco regis freno, sic alibi *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis*: alibi, sustines, ut, *Axem humero torquet.* INCLYTE MAVORS. Bene induxit Martem poëta, quem scit Romanæ stirpis auctorem.

FONTESQVE FLVVIOSQVE VOCO. Congruenter, cum à Tyberino flumine sit admonitus quæ agere deberet. QVÆQVE ÆTHERIS ALTI RELLIGIO. Post specialia intulit generalitatem. Sane *religio* dicta quod ea homines regantur ad cultum divinum.

PONTO. Id est in ponto & quidam hoc loco à filio Veneris jurejurando, velut matris, volunt inditam mentionem.

CESSERIT AVSONIO SI FORS. Si fortel & bene dubitat de hoc. contra cum ad suum venerit nomen, dicet, *Vt potius reor, & potius dii numine firment.* Sane ratione non caret quod primo de victoria Turni loquitur, post descendit ad suam. scit enim in auguriis prima posterioribus cedere.

VARIORVM.

DANT FRVGES MANIBVS. Explic. è Theophrasto Turneb. lib. 7. cap. 23.

Convenit Euandri victos discedere ad urbem:
Cedet Iulus agris, nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
Vt potius reor, & potius dii numine firment,
Non ego nec Teucris Italos parére jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deosque dabo: socer arma Latinus habeto.
Imperium solenne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sydera dextram:
Hæc eadem Ænea, terram, mare, sydera juro,
Latonæque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deûm infernam, & diri sacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.
Tango aras, mediosque ignes, & numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent: nec me vis ulla volentem

SERVII.

REBELLES. Homo rebellis dicitur: res ipsa rebellio, non rebellatio: sic Suetonius.

ANNVERIT NOBIS VICTORIA MARTEM. Hypallage: pro Sin noster Mars adnuerit nobis victoriam. nam Martem victoria comitatur.

INVICTÆ. Quasi invictæ. nam sine dubio una cum rege vincetur.

SACRA DEOSQVE DABO. Captat gratiam populi, quia magna fuit apud majores sacrorum cura, sicut diximus supra. unde nunc Æneas id agit, ne pereant. Et re vera constat sacra Phrygia tunc Latinis tradita coluisse Romanos. LATINVS HABETO. Aut antiquus vocativus est. Aut *habeto* tertia persona est. Sane sciendum quia crebra soceri commemoratione sibi favorem Latini conciliat. Item dicendo, *Mihi mœnia Teucri constituent*: popularem gratiam captat, quia supra dixerat Drances, *Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.*

TERRAM, MARE, SYDERA IVRO. Et ornatior elocutio, & crebra apud majores, quam si velis addere præpositionem, ut dicas, Iuro per maria, per terras. EADEM autem bene dixit. nam pro mari, ille fontes & fluvios posuit, pro syderibus Solem.

LATONÆQVE GENVS DVPLEX. Ac si diceret, utrunque sexum prolis Latonæ vel sobolis. Et bene in fœderibus duplicia invocat numina, quia in unum duo coituri sunt populi. IANVMQVE BIFRONTEM. Rite invocat: quia ipse faciendis fœderibus præest. Namque postquam Romulus & Titus Tatius in fœdera convenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Legimus tamen etiam Ianum quadrifrontem fuisse. Vnde Martialis ait, *Et lingua pariter locutus omni.* Nam omnis de duobus non dicimus.

VIM. Duritiem inexorabilem. SACRARIA DITIS. *Sacrarium* proprie locus est in templo in quo sacra reponuntur: sicut *donarium*, est ubi collocantur oblata: sicut *lectisternia* dicuntur, ubi homines in templo sedere consuerunt.

QVI FOEDERA FVLMINE SANCIT. Confirmat, sancta esse facit: quia cum fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur. vel certe quia apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria. *Sancire* autem proprie est sanctum aliquid, id est consecratum facere, fuso sanguine hostiæ: & dictum *sanctum*, quasi sanguine consecratum.

VARIORVM.

SIN NOSTRVM ANNVERIT. De Diis propitiis Turneb lib. 10. cap. 10. & de Marte lib. 23. c. 14. contra Servium & lib. 24. cap. 26.

SVSPICIENS COELVM, TENDITQVE. Gestus precantium fuit, oculos, manusque in cælum tollere. BRISSON. Form. lib. 1. num. 39.

TERRAM, MARE, SIDERA IVRO. Per quam varias res jurare solitæ sint gentes, demonstrat Alexand. Neapolit. lib. 5. cap. 10 & formulas ipsas collegit Brisson. lib. 8. in principio.

Aver-

Avertet: non si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cœlumve in Tartara solvat.
Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras,
Cum semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro:
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum: tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum, & vario misceri pectora motu:
Tum magis, ut propius cernunt non viribus æquis.
Adjuvat incessu tacito progressus, & aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Pubentesque genæ, & juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit

SERVII.

SI TELLVREM EFFVNDAT IN VNDAS. Hypallage, pro, Si undas effundat in terram.

DILVVIO MISCENS. Id est aquæ superfusione universa perturbans.

VT SCEPTRVM HOC. Homeri locus verbum ad verbum:

ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔ ποτε φύλλα καὶ ὄζους
φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
οὐδ' ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
φύλλα τε καὶ φλοιόν, νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται); ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.

DEXTRA SCEPTRVM NAM FORTE GEREBAT. Per parenthesim dictum est. Vt autem sceptra adhibeantur ad fœdera: hæc ratio est, quia majores semper simulacra Iovis adhibebant: quod cum tædiosum esset, præcipue quando fiebant fœdera cum longe positis gentibus, inventum est ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Iovis. Sceptrum enim ipsius est imperium. Vnde nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi rex: sed quasi pater patratus.

IMO DE STIRPE. Ideo genere usus est masculino, quia de arboribus loquitur. Nam de hominibus genere fœminino dicimus: ut, *Heu stirpem invisam*, dixit tamen, sed usurpative. Horatius etiam de arboribus: ut, *Stirpesque raptas & pecus & domos*.

MATRE CARET. Vel terra: ut, *Antiquam exquirite matrem*: vel arbore: ut, *Parva sub ingenti matris se subjicit umbra*.

ÆRE DECORO. Id est orichalco.

DEDIT GESTARE LATINIS. Vt, *Dat ferre*.

TALIBVS INTER SE FIRMABANT FOEDERA DICTIS. Latinus & Æneas. Turnum autem non inducit jurantem, quia dux est, qui præsente rege non habet potestatem. Et imitatus est Homerum, qui post jusjurandum Menelai, Alexandrum quasi fervidum & adulescentem inducit exclusum, & Priamum adhibitum ad fœderis confirmationem.

RITE SACRATAS. Rite exploratas solennitate, quam diximus.

VIDERI MISCERI. Infiniti sunt pro indicativis.

PROPIVS. Diligentius: ut, & *propius res aspice nostras*. NON VIRIBVS ÆQVIS. Eos congressuros subaudis.

INCESSV TACITO. Pro ipse tacitus, Hypallage est.

DONATI.

INCESSV TACITO. Quatuor ponit signa timoris: primum est ingressus tacitus, dum vix pedem movebat. Alterum, quod aram venerabatur oculis dejectis. Tertium, tabentium genarum ex macie repentina. Quartum palloris.

VARIORVM.

NON SI TELLVREM EFFVNDAT. Hyperbole pathos facit. Macrob. lib. 4. cap. ult. Saturn.

VT SCEPTRVM HOC. Morem per sceptra jurandi, explic. Turneb. lib. 8. cap. 17. & lib. 22. c. 12.

Digitized by Google

Sermonem, & vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti,
Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis:
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet ô Rutuli cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? en omnes, & Troes & Arcades hic sunt,
Fatalisque manus, infensa Hetruria Turno:
Vix hostem alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos patria amissa dominis parére superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Iam magis atque magis: serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini,
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, fædusque precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Iuturna adjungit, & alto
Dat signum cælo: quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.

SERVII.

CVI GENVS A PROAVIS INGENS. Cui auctoritatem commendabat, & origo majorum, & paterna virtus, & propria fortitudo.

PRO CVNCTIS TALIBVS. Qualis etiam Turnus est. & attendit sensum superiorem, ubi ait Turnus oblique, *Et solus ferro crimen commune refellam.*

AN VIRIBVS ÆQVIS NON SVMVS? Bene addidit VIRIBVS. Nam legimus in Sallustio, *Memorare possum quibus in locis populus Romanus ingentes hostium copias parva manu fuderit.* Virgilius, *Exigui numero, sed bello vivida virtus.*

EN OMNEIS. Ne occurreret, Sed est in castris alter exercitus. FATALISQVE MANVS. Trojanorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, ut sit iteratio.

HETRVRIA autem INFENSA, pro Hetrusci, qui etiam Turno inimici sunt causa Mezentii.

DEVOVET ARIS. Quia ait supra, *& aram suppliciter venerans.* Item, *Sed vobis animam hanc soceroque Latino Devovi.* Nam ipsa iterat verba.

VIVVSQVE PER ORA FERETVR. Tanquam de vivo omnes loquuntur. LENTI. Ociosi: ut, *Tu Tityre lentus in umbra.*

FOEDVSQVE PRECANTVR INFECTVM. Rogant ut pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere.

ET ALTO DAT SIGNVM COELO. Ut religio alia religione solvatur.

PRÆSENTIVS. Efficacius.

MONSTROQVE FEFELLIT. Bene FEFELLIT. namque hoc augurium non oblativum est, nec impetritum, sed immissum factione Iuturnæ, quod carere fide indicat sedes negata. Nam ubicunque firmum inducit augurium, dat ei firmissimam sedem: ut, *Ipsa sub ora viri cælo venere volantes, Et viridi sedere solo.* Item, *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.* In hoc autem augurio liberatum cygnum cecidisse in aquam dicit, aquam autem instabilem & infirmam non dubium est.

VARIORVM.

RVMORESQVE SERIT VARIOS. Ex Furio Macrob. lib. 6. cap. 1.

VIX HOSTEM ALTERNI. Id est secundus quisque Turneb. lib. 3. c. 13. & lib. 5. cap. 3.

QVORVM SE DEVOVET ARIS. Devotionum formulas require à Brissonio, Formul. lib. pag. 108.

Nam-

Digitized by Google

Namque volans rubra fulvus Iovis ales in æthra,
Littoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali: cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus, primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi:
Accipio, agnoscoque deos. me me duce ferrum
Corripite ô Rutuli, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, & littora nostra
Vi populat: petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit: vos unanimi densate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, & adversos telum contorsit in hostes

SERVII.

LITTOREAS AGITABAT AVES. Palustres. Nam litus circa omnem aquam est, ut *Viridique in littore conspicitur sus.*

EXCELLENTEM. Magnum, sicut in exercitu magnus est Turnus.

CONVERTUNT CLAMORE FUGAM. Redeunt cum clamore, sicut exercitus solet.

AUGURIUM SALUTANT. Venerantur. Et proprie. nam salutare dicimus deos. Terentius, *At ego deos penates hinc salutatum devortar.*

EXPEDIUNTQUE MANUS. Dimicare se velle significant. hæc enim est consensio militaris. Lucanus, *Elatasque alte quæcunque ad bella vocaret Promisere manus.*

QUOD SÆPE PETIVI. Quasi impetritum hoc augurium vult videri. ACCIPIO, AGNOSCOQUE DEOS. Modo quasi de oblativo loquitur. nam in oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit, an refutet & abominetur. Ergo nunc dicit se augurium libenter amplecti, & agnoscere circa se favorem deorum.

QUOS IMPROBUS ADVENA TERRITAT. Interpretatur augurium: & confirmat id ad præsens negotium pertinere.

LITTORA NOSTRA. Bona iteratio. nam supra ait, *Littoreas agitabat aves.*

VI POPULAT. Antique. nam veteres & populo & populor dicebant. nunc tantum populor dicimus, illud penitus de usu recessit. PENITUSQUE PROFUNDO VELA DABIT. Ut supra de aquila, *Penitusque in nubila fugit.*

DENSATE CATERVAS. Sicuti Cygni, *hostemque per auras Facta nube premunt.*

ET ADVERSOS TELUM CONTORSIT IN HOSTES. Hoc loco ab Homeri œconomia recessit. Ille enim inducit Minervam persuadentem Pandaro, ut jacto in Menelaum telo dissipet fœdera. hic vero dicit ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse unum de novem fratribus: quod pertinet ad œconomiam. Necesse enim erat ut fratris dolore ex unius morte commoti bellum moverent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat ejus mors ob fœderis religionem forte contemni.

DONATI.

PRIMUSQUE TOLUMNIUS. Non solum Rutuli: sed etiam Tolumnius augur, hoc augurio deceptus est.

DIXIT, & ADVERSOS. Recte qui se ducem professus est primus tela contorsit.

VARIORUM.

CYGNUM EXCELLENTEM PEDIBUS. Homer. Ilad. o.

HOC ERAT, HOC VOTIS. Formul. explicat Turneb. lib. 5. cap. 7.

ET REGEM DEFENDITE RAPTUM. Turnum intellige, qui quodammodo raptus & in unguibus Æneæ erat, jam jam cum eo congressurus, & ab eo occidendus. PONT.

Pro-

Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat. simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu,
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Vna tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo:
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Baltheus, & laterum juncturas fibula mordet:
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque extendit arena.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt. quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursus inundant
Troës, Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omneis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras. it toto turbida cælo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque focosque ferunt. fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens, infecto fœdere divos.

SERVII.

SONITVM DAT. Id est facit. CERTA. Inevitabilis. unde incerta, est infirma & vitabilis.

SIMVL HOC SIMVL. Antique, ut, *ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes:* Et, *Simul Ænean in regia ducit Tecla, simul divum templis indicit honorem.*

HASTA VOLANS. Minus est *namque*: Sane reliquit hastam Poëta, dum vult simul multa describere, & rem imperfectam omisit; deinde rediit ad descriptionem ut supra in augurii narratione.

HORVM VNVM. Ordo est, Transadigit unum costas. & figurate dixit *unum*, pro *unius*. TERITVR QVA SVTILIS ALVO BALTHEVS. Rem physicam dixit. omnia enim quibus utimur non nos terunt, sed ea nos terimus, ut annulum, vestem, baltheum. AD MEDIVM autem absolute, id est, Vbi alvo teritur baltheus.

EGREGIVM FORMA IVVENEM. Bene hic *egregium*, quippe qui esset de fratrum grege.

AT FRATRES. Pro at fratrum pars. ANIMOSA PHALANX. Quasi phalanx, id est legio. Et bene à numero; à germanitate, à nobilitate, à forma, ab ætate, ab vulneris genere, ab ipsius laude, à genere mortis incite sionata *

COECI. Vt salutis improvidi. Et bene jam non pars, sed universi.

INVNDANT. More undæ fluunt.

AGYLLINIQVE. Pro Etruscis; hi enim contra Mezentium auctores conjurationis fuerunt. PICTIS ARCADES ARMIS. Bene pictis ut in undecimo, *Et versis Arcades armis.* ut ornatus picturæ, lateret in luctu.

SIC OMNEIS AMOR VNVS HABET. Sic, id est dum paulatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt. Sic Sallustius.

DIRIPVERE ARAS. Dejecerunt, dissipaverunt. Sane cum præsens tempus belli loquitur, bene præteritum intulit *diripuere*. Et more suo interjecit aliud: nam ordo erat *diripuere aras, craterasque focosque ferunt.*

FERREVS IMBER. Permansit in translatione, quia dixerat *Tempestas telorum.*

FERVNT. Auferunt. nam Aphæresis est, ut temnere, pro contemnere: alibi, *Omnia fert ætas.*

PVLSATOS DIVOS. Id est violatos, læsos fractis fœderibus.

DONATI.

DIRIPVERE ARAS. Vocati furore certandi.

VARIORVM.

HASTA VOLANS. Ratio turbandi fœderis: Vnde inolevisse ritum credibile est hastæ illius, quam in bello indicendo fecialis in fines hostium mitteret. GERM.

AC FERREVS INGRVIT. AGGER. Ex Ennio. Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturn.

PVLSARATQVE DEOS. Pulsantur dii, cum fœdera violantur. & exponit Floridus, lib. de interpretibus Iuris civil.

In-

Digitized by Google

Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis à tergo involvitur aris
In caput, inque humeros. at fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Chorineus ab ara
Corripit: & venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit: super ipse secutus
Cæsariem læva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum:

SERVII.

INFRENANT ALII CVRRVS. Id est equos, qui sub curribus sunt: sic alibi, *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.*

SVBIICIVNT IN EQVOS. Super equos jaciunt. sed proprie non est locutus, magisque contrarie. nam SVBIICERE, est subter jacere.

REGISQVE INSIGNE GERENTEM. Id est diadema. & decenter regem cum insignibus suis dixit.

AVIDVS CONFVNDERE FOEDVS. Legitur & AVIDVM. Sed melius AVIDVS: quia Messapus Turno favebat, qui erat impar ad singulare certamen. Nam & postea ait, *Et miser oppositis à tergo involvitur aris.* Sic enim facilius fœdus dissiparet, si aræ humano cruore pollueruntur, nam & Messapi voluntas ita expressa est, qui ait, *Hæc melior magnis data victima divis.* Confundere fœdus autem, prodiit confundere.

PROTERRET. Mire dictum. HASTA. Cum hasta.

TELOQVE ORANTEM MVLTA TRABALI. Ennius, *Teloque trabali.*

ALTVS EQVO. Equi magnitudinem latenter ostendit.

HOC HABET. Id est lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat, *hoc habet*, quod nunc, peractum est, sic Terentius, *Certe captus est, habet.* Sane Sarcasmos est carnificina, quasi de loci qualitate inventus. nam quia supra aras ceciderat, ait, *Hæc melior magnis data victima divis.*

OBVIVS. Bene *obvius* corripuit. AMBVSTVM TORREM. Quidam *ambustum*, proprie circumustum accipiunt; sed Poëtæ indifferenter pro combusto utuntur. TORREM autem, erit nominativus hic torris, & ita nunc dicimus. nam illud Ennii & Pacuvii penitus de usu recessit, ut hic torrus, hujus torri dicamus.

FERENTI. Pro inferenti. NIDOREM. Putorem.

RELVXIT. Bene ad brevitatem ignis retulit, qui tantum fulgorem brevi ediderat.

SVPER. Quidam propterea, alii pro supra, ut *Ense sequens nudo super imminet.*

TVRBATI HOSTIS. Quia plus trepidationis in illa flamma fuit, quam periculi.

DONATI.

HOC HABET. Id est, bene se habent res. MELIOREM VITAM. Cum joco dixit, quia in aram cecidit.

VARIORVM.

TELOQVE ORANTEM MVLTA TRABALI. Explic. Turn. lib. 9. c. 14. Vide Horatii interpretes Ode 35. lib. 1.

DATA VICTIMA DIVIS. Quæ sit victima explic. Turneb. lib. 14 cap. 4. Palmerius pag. 858. Tom. 4. Lampad. Casaubonus in vita Aristippi apud Laërt. lib. 2. Sarcasmus est, inquit Donatus, de loci qualitate inventus. Nam quia super aras cecidit, sic ait, quasi dicat: si sacrificandum fuit numinibus meliore victima, en meliorem.

EBVSVM CHORINÆVS. Mirum, quod hic Ebusum Chorinæus sternit: qui tamen supra lib. 9. confecti sunt ab Asyla. Vide Macrob. lib. 5. cap 15. HARTVNG.

OCCVPAT OS FLAMMIS Hoc verbum *occupat*, celeritatem quandam præ se ferre videtur. *Occupare*, inquit Nonius, est proprie præve. ire.

Digitized by Google

Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaque acie per tela ruentem
Ense sequens nudo super imminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disiicit, & sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras: ictum jam fœdus, & omnes
Compositæ leges: mihi jus concurrere soli.
Me sinite, atque auferte metus, ego fœdera faxo
Firma manu: Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, deusne,

SERVII.

SIC RIGIDO. Quidam SIC, pro æque accipiunt; alii simpliciter, ut eum inpresso genu terræ adplicuerat: ut est illud, *Despiciens mare velivolum, terrasque iacentes.* SIC RIGIDO LATVS ENSE. Quidam duro & acuto volunt, non recto: ut, *Et curvæ rigidum falces formantur in ensem.*

PRIMAQVE ACIE. Hic QVE coniunctio abundat. RVENTEM. Non cadentem, sed magno impetu se inferentem.

FERREVS SOMNVS. Hom. χάλκεος ὕπνος.

NVDATO CAPITE. Scilicet deposita galea, ut possit agnosci. Sane quæritur quomodo NVDATO dixerit, cum supra eum nusquam tecto induxerit capite. nam *nudatum* est quod fuit ante coopertum. *Nudum* vero dicitur, quod tectum ante non fuerat. Ergo aut NVDATO pro NVDO accipiamus, ut sit pro nomine participium: aut dicamus tectum eum habuisse caput cum descendit ad campum. Nam legimus, *Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis.*

SVOS CLAMORE VOCABAT. Vtrunque exercitum jam suum vocabat, ut talis fuerit ejus clamor, Cur in vos invicem mei ruitis? *Quo* autem & adverbium potest esse & nomen.

REPENS. Aut subito, ut sit adverbium, id est repente: ut, *Sole recens orto.* Aut *repens discordia*, pro repentina.

ME SINITE. Subaudiendum concurrere, & est Zeugma. FAXO, id est Faciam, confirmabo, & est archaïsmos.

ALIS ALLAPSA SAGITTA EST. Vtrum alis stridens, an alis adlapsa?

INCERTVM QVA PVLSA MANV. Hoc loco adhuc quidem quasi dubitat: tamen intelligimus à Iuturna immissum quendam qui vulneraret Æneam. Quod paulo post Iuno dictura est de Iuturna quod movet. *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:* minime est mirandum: nam scimus unicuique imputari quod alter in ejus fecerit gratiam, sicut est, *Et potes in totidem classes convertere Nymphas.* Æneam autem ab hominibus vulneratum indicat Iuppiter paulo post dicens, *Mortalin' decuit violari vulnere divum.* TVRBINE. Quod improvisa, alii quod vehementer accipiunt.

DONATI.

OLLI DVRA QVIES. Quia est quies non dura, & somnus non ferreus, & nox non æterna.

RVITIS. Aliud est ire, aliud tendere, aliud ruere.

VARIORVM.

OLLI DVRA QVIES OCVLOS. Eleganter ex Homero transtulit. Macrob. lib. 5. cap. 11. Sat. Palmerius legit OLI, simplici L. Tom. 4. Lampad. Critic.

FERREVS VRGET SOMNVS. Mortem poëtæ, χάλκεον ὕπνον, ferreum somnum ac perpetuum vocant. Est enim consanguineus lethi sopor. Homer. Iliad. λ. Macrob. lib. 5. cap. 11. PONT.

REPENS DISCORDIA SVRGIT. *Repens*, prima brevi, quasi repentinus: nomen à verbo Repo, quod primam producit. HART.

NVDATO CAPITE. Allusio ad C. Cæsaris dictatoris celeberrimum facinus, quod nudo capite pugnarit, revocaritque suos in prælium. HORT.

At-

Attulerit. pressa est insignis gloria facti:
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus ut Ænean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas:
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens, immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum; circumque atræ formidinis ora,
Iræque, insidiæque, dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit (miserabile) cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mistaque cruor calcatur arena.
Iamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque Polumque:
Hunc congressus, & hunc illum eminus: eminus ambos

SERVII.

PRESSA EST INSIGNIS. *Pressa* pro suppressa; & non insignis gloria, sed insignis facti, ut genitivus casus magis sit.

ÆNEÆ VVLNERE. Hic proprie, est enim huic contrarium, *Et nostro sequitur de vulnere sanguis.* Iactavit autem aut adeo fortis Æneas & metuendus, aut adeo impium nefas visum est.

MOLITVR. Regit: & est Acyrologia nam proprie MOLITVR, est parat. Alii *molitur* movet intelligunt, vel arripit, vel aptat.

HEBRI. Hebrus autem fluvius Thraciæ, juxta Cypsala oppidum.

SANGVINEVS MAVORS. Gaudens sanguine, αἱμοχαρής. Emantellocios * CLYPEO INCREPAT. Sonat, Alibi arguit: ut, *Increpat ultro Cunctantes socios.*

ANTE NOTOS ZEPHYRVMQVE. Id est VENTOS. VOLANT. Provertuntur. VLTIMA. Hoc est tota: si enim gemit ultima, omnis sine dubio.

THRACA autem, id est Thracia. Cicero in de republica, *Colonia vero quæ est deducta à Græcis in Asiam, Thracam, Italiam,* & non dixit Thraciam.

IRÆQVE, INSIDIÆQVE DEI. Figurata elocutio vario significatu. Id est ostendens, & non tam virtute, sed insidiis comitatus *

ALACER. Quidam *alacer*, gestiens, & rei novitate turbatus volunt, *alacris* vero lætus.

QVATIT. Exagitat. MISERABILE CÆSIS. Id est miserabiliter. Nomen pro adverbio: ut *Sanguinei lugubre rubent.*

MISTAQVE CRVOR. Ypallage est, pro mixto cruore.

STHENELVMQVE DEDIT THAMYRVMQVE. Plura ὁμοιοτέλευτα.

AMBO. Antiquo more ambo. Terentius, *Ambo opportune vos volo,* sicut superius dictum est, cum hodie *ambos* dicamus.

DONATI.

SANGVINEVS. Non ipse, sed qui aliis sanguinem effundit.

VARIORVM.

TVRNVS VT ÆNEAN. Cum autem discessus causa lateret, rebatur eum inire fugam: quamobrem cædibus ferocire cepit. HORT.

QVALIS APVD GELIDI. Amplificatio à comparatione. Confert eum cum Marte ad Hebrum belligerante. Est autem Hebrus fluvius Thraciæ: fundit auri ramenta, ut Tagus in Hispania, Padus in Italia, Pactolus in Asia, Ganges in India. HORT.

ILLI ÆQVORE APERTO. Quidam ILLE, legunt, & ad Martem referunt. HORT.

CIRCVMQVE ATRÆ FORMIDINIS ORA. Ex Homero. Turneb. lib. 23. cap. 14.

Digitized by Google

Imbrasidas, Glaucum atque Laden: quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydeides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane secutus,
Sistit equos bijugos, & curru desilit: atque
Semianimi lapsoque supervenit, & pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit jugulo: atque hæc insuper addit,
En, agros & quam bello Trojane petisti

SERVII.

IPSE NVTRIERAT. Solent enim plerunque parentes filios suos, aliis dare nutriendos. Dicendo autem *ipse*, ignotæ personæ hoc pronomine addit dignitatem. LYCIA autem pro in Lycia, ut non Lybiæ * PARIBVSQVE ONERAVERAT ARMIS. Scilicet ut æqualiter dimicarent, æqualiter currerent.

ANTIQVI. Pro nobilis & magni, *ut, urbs antiqua fuit:* aut proprie *antiqui*, si referamus ad tempora scribentis. DOLONIS. Cum Trojani exploratorem quem ad castra Græcorum mitterent quærerent, hic Dolon exploratum se ire obtulit, si sibi equi Achillis pro præmio darentur, qui cum isset, obvios habuit Diomeden & Vlyxen similiter exploratores missos ad castra Trojana, captusque ab iis & * tormentis constituerat adactus, tam consilia Trojanorum Rhesi adventum, qui equos falcatos adduxerat in auxilium Trojanorum, quem Diomedes & Vlyxes vinctum ad arborem relinquentes profecti ad castra Trojana occiso Rheso abductis equis redeuntes occiderunt. hujus filium nunc inter Trojanos à Turno dicit occisum.

PRO TALIBVS AVSIS. Quæritur quis ante hunc *ausis* dixerit.

AVSVS PELIDÆ PRETIVM SIBI POSCERE CVRRVS. Difficilis Hypallage. nam hoc vult dicere, Qui ut Achillis equos posset accipere, ire ausus est ad castra Græcorum. Ordo enim non procedit, qui ut iret, ausus est petere. *Currus* vero pro curruum ac per hoc equorum dixit.

AFFECIT PRETIO. Modo pœna significat, nam pretium est τῶν μίσθων. Terentius, *Ergo pretium ob stultitiam fero.* Vnde & Græci τιμωρίαν, pœnam vocant, ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod est pretium. NEC ÆQVIS ASPIRAT ACHILLIS. *Aspirat*, apud majores accedit significat. Cicero, *Nunquam aspiravit ad curiam.* Sed hic figurate dixit, *Aspirat equis*, pro ad equos: id est occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est ut Diomeden intelligamus, ut sit sensus, Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille qui eum occidit, poposcit. Sane *adspirat* est tractum ab his qui insequentes spiritu suo proximos adflant.

LONGVM PER INANE. Hoc est per longum spatium. SECVTVS IACVLO. Pro insecutus, vel certe è longinquo eum ante jaculo vulneravit.

ELAPSOQVE. Pro lapso.

DEXTRÆ MVCRONEM EXTORQVET. Quasi proœconomia est, ut non eum suo interimat gladio, ne agnoscat quod Metisci est: & suum requirat, quo facto perire poterat, sequente fracti gladii œconomia.

TINGVIT IVGVLO. Hic non significat ut inficit, ut & *Tingue novo mecum direptis crura coturnis,* sed demersit in jugulum, ut ibi & *Stygia candentem tinxerat unda*, imbuerat, duravat significat.

EN AGROS. Subauditur quos victore Ænea te accipere posse credebas corpore tuo metire, metiuntur autem agros qui colonis adsignant, inde enim Sarcasmos factus est: nam consuetudo erat ut victores imperatores, agros militibus suis darent, ut in historiis legimus. Item in Lucano, *An melius fient piratæ magne coloni.* Et hoc est quod supra ait, *Hostibus insultans.*

VARIORVM.

PRÆCLARA DOLONIS. Macrob. lib. 5. c. 17. Hom. Iliad. κ. HART.

SPECVLATOR ADIRET. Euripidem lege in Rheso, consule Hom. Iliad. κ. HART.

Hespe-

Hesperiam metire jacens. hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque,
Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad littora fluctus,
Quâ venti incubuere, fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem:
Objecit sese ad currum, & spumantia frenis
Ora citatorum dextra contorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat:

SERVII.

STERNACIS EQVI. Ferocis, qui facile sternit sedentem. Quidam pro pavidi accipiunt, consternati enim equi dicuntur.

EDONI BOREÆ. Edoni, Thracii. nam Edon mons est Thraciæ. Sane sciendum hoc loco errasse Donatum, qui dicit Edonii legendum, ut Do brevis sit secundum Lucanum qui dicit; *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.* Namque certum est Systolen fecisse Lucanum. Vnde *Edoni* legendum est, ut sit hic Edonus hujus Edoni. Statius & Virgilium & artem secutus ait, *Tristius Edonas hyemes Hebrumque nivalem.* Non *Edonias.*

ÆGÆO. Mari scilicet, sicut sequentia indicant. SEQVITVRQVE AD LITTORA FLVCTVS. Nam male ait Donatus montem esse, unde flat Boreas, cum certum sit eum de Hyperboreis montibus flare: quidam *fluctus* melius numero singulari accipiendum putant.

QVA VENTI INCVBVERE. Pro qua ventus, Boream enim solum dixit. FVGAM DANT. Pro fugiunt, ut alibi, Defensum dabit.

QVATIT VOLANTEM. Vt *Oblimet inermeis.*

INSTANTEM PHEGEVS. Aut sibi, aut omnibus.

AD CVRRVM. Pro currui se objecit. CITATORVM. Aphæresis pro concitatorum.

PENDETQVE IVGIS. Pro jugo, ut, *Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.* LANCEA. Raro lectum, & est telum missile. BILICEM LORICAM. Li longa est, & accentum habet: sicut *bifilum*, FI producitur: quia & fila & licia dicimus.

DEGVSTAT CORPVS. Id est leviter tangit, id est stringit, propter exiguitatem sanguinis, unde è contrario de alto vulnere ait, *Virgineumque alte bibit acta cruorem.*

DVCTO MVCRONE. Id est educto.

VARIORVM.

ET STERNACIS EQVI, &c. *Sternax* equus dicitur, qui sedentem sternit. sed quomodocunque equitem effundat equus, sive erigendo se, sive cernuando, *sternax* potest vocari. Intelligit ergo *cernuum*, non ὀρθοπλῆγα. *Cernui* pueri in ludis dicebantur, qui capite in solo sistebant, pedibus in aërem erectis, Græci κυβιστητῆρας vocant. & *cernuare*, κυβιστᾶν. Servius cernuum equum interpretatur, qui in faciem cadit, quasi in eam partem ruens qua cernimus. SALMASIVS.

LAPSVM THYMOETEN. A Thymoete ille sene Trojano, qui cum Priamo & aliis illustribus viris, in portis Scæis pugnam spectasse finguntur ab Hom. lib. 3. Iliad. HORT.

INSONAT ÆGÆO. Ægæum mare ab insulis appellatum est, quæ in eo mari caprarum similitudinem præ se ferunt: seu quod in ea Ægæa, Amazonum regina perierit: sive quod eo Ægeus Thesei pater se præcipitaverit. FESTVS.

DVM PENDET IVGIS. Qui enim ora citatorum dextra detorsit equorum, procul dubio frænos tenuit, non jugum, & ita non jugo, sed jugis pendebat, hoc est frænis junctorum equorum. PONT.

Quem rota præcipitem & procursu concitus axis
Impulit, effuditque solo: Turnusque secutus
Imam inter galeam, summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Ænean Mnestheus, & fidus Achates,
Ascaniusque comes, castris statuère cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Sævit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Iamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi

SERVII.

PROCVRSV Impetu: & est procursus una pars orationis.

SÆVIT. Scilicet, quia non potest in bella procedere. Vel quod abstractus à bellis sit, & bene viro forti servat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aspero vulnere, nam ideo ait, *Infracta luctatur arundine.*

ENSE SECENT LATO VVLNVS. Quidam *lato* ita dictum accipiunt, ut quasi ipso jubente ne scalpello aut aliquo ferramento minore, sed ense: & hoc *lato*, quod cum majore dolore, dummodo extracta sagitta, remittant eum quamprimum ad pugnam. Alii *lato* pro late tradunt, ubique tamen animum viri fortis expressit.

IAPIX. Aptum nomen medico. nam ἰᾶσθαι Græci dicent curare.

AVGVRIVM CITHARAMQVE DEDIT. Vera lectio est DABAT. nam non dedit. Sane sciendum per citharam, scientiam indicat * armoniæ, id est musicæ. Sed & cythara & sagittæ artes sunt: augurium vero munus: non enim sola arte, verumetiam indulta divinitate colligitur.

VT DEPOSITI. Id est desperatI. nam apud veteres consuetudo erat ut desperati, ante januas suas collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent à transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. Cicero, *Ægram & prope depositam reipublicæ partem suscepisse.*

POTESTATES HERBARVM. Vim, possibilitem. nam in herbarum natura vis est, quæ δύναμις dicitur, cujus nulla ratio est * unde etiam ait, *Mutas artes*, musicæ comparatione. Alii *mutas*, quia apud veteres manibus magis medicina tractata est, unde & chirurgia dicta, nam ipse ait *Multa manu medica Phœbique potentibus herbis.* Ergo *mutas*, quia ubi manu res agebatur, cessabat oratio. VSVMQVE MEDENDI. ἐμπειρικὴν scientiam, hoc est medicinam, in usu, non in ratione constantem. Nam quædam artes usu discuntur, sicut ipsa maxima parte medicina, quæ ante Hippocraten muta fuit.

VARIORVM.

ALTERNOS NITENTEM CVSPIDE GRESSVS. Poëta, qua parte corporis vulnus accepisset Æneas, non prodit: sed cum dicit, *Alternos longa nitentem cuspide gressus*, sagittam pedi ejus inhæsisse licet intelligere. DONAT.

IAPIS. *Iapida* Ausonius hinc mutuatur Epigrammate 21. Turneb. lib. 23. cap. 14.

ILLE, VT DEPOSITI. Hippocrati, invalidi & depositi γεγηρακότες dicuntur, ἀσθενεῖς καὶ ἀδυνάτουσι. *Deponere* autem antiquis significabat abalienare à se & abjicere, ut notat Non. Marcell. hinc *depositum*, pro abjecto & desperato, & quod pro derelicto habetur. Cæterum, ut docent Iurisconsulti, non semper utique res nostras perdendi, sed conservandi animo deponimus: unde & illis *depositum*, quod custodiendum alicui datum est. *Depositum* ergo *parentem* ἀποτεθῆναι, Poëta Græcorum imitatione dixit: qui ἀποτιθέναι παιδία dicunt de liberis, quos parentes per leges repudiare, & impune, si numerum à legibus præscriptum nascendo excessissent, projicere & exitio destinare poterant. GERMAN.

PROFERRET FATA. Pathos à causa finali: ut patri extrema valetudine laboranti, arte medica prorogaret vitam. HORT.

Maluit, & mutas agitare inglorius artes.
Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Æneas, magno juvenum & mærentis Iüli
Concursu, lachrymisque immobilis. ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis,
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil author Apollo
Subvenit: & sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. jam pulvere cælum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis: it tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, & duro sub Marte cadentum.
Hic Venus indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,

SERVII.

INGLORIUS. Comparatione sagittarum, armoniæ, id est musicæ, divinitatis. MALUIT. Quoniam heroicis temporibus etiam medicina valde fuerat in honore.

ACERBA FREMENS. Pro acerbe, adverbium qualitatis in nomen derivatum.

LACHRYMISQUE IMMOBILIS. Non suis, sed illorum.

PÆONIUM IN MOREM. Medicinalem à Pæone. Nam Doricæ linguæ est Pæan: naturale autem est Pæon.

MULTA. Pro multum. TREPIDAT. Pro trepidanter facit.

FORCIPE FERRUM. Hic forcipem dixit quod Græci ἀκιδοθήρας dicunt, quæ solent spicula vulneribus evelli, ἀκίδες enim spicula sagittarum appellantur, alibi forcipem, quod formum, id est calidum capiunt.

NULLA VIAM FORTUNA REGIT. Nullus eventus rationem præstat. NIHIL AUTHOR APOLLO. Medicinæ inventor. Nam Æsculapius præest medicinæ, quam Apollo invenit: ipse in Ovidii Metamorphosi ait, *Inventum medicina meum est.*

PROPIUSQUE MALUM. Ex fuga scilicet Trojanorum.

STARE. Plenum esse. Alii *stare*, constare intelligunt, ut significet pulvere cœlum constat, id est in pulverem versum est, & quasi totum ex pulvere est. Alii diutinum pulvere & continuum & significatum volunt, inumbrationemque ex eo Solis, & cœli factam, id est, non moveri cœlum, sed consistere eundemque manere habitum aëris, ex continua caligine pulveris, obducto semel cœlo, & quasi ab oculis intercluso.

HIC VENUS. Genitrix. INDIGNO DOLORE. Qui fuerat natus ex vulnere indigne inlato, scilicet per insidias.

DICTAMUM. Hæc herba licet ubique nascatur, melior in Creta est. Quæ *Dicta* dicitur, unde proprium herbæ nomen. Hæc admota vulneri in quo ferrum est extrahit ferrum, in tantum ut animalia apud Cretam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant, eaque depasta, tela corpore dicuntur excutere: hæc herba hausta, etiam venena corpore exigere dicitur.

VARIORUM.

MUTAS AGITARE INGLORIUS ARTES. Ars Medica, *Muta*, à Marone nuncupata est, quod tota ejus vis in operationibus ac remediis potius, quam in sermonibus atque eloquentia collocetur: unde in Medicos loquaces dicterium emanavit, *ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος*. *Medicus* scil. *loquax, morbum creabit alterum.* Mercurial: Var. lect. lib. 3. cap. 23. URSIN.

PÆONIUM IN MOREM. More Medicorum χειρουργῶν: sive à Pæone medico, à quo Pæonia herba: sive quod Apollo illi Pæan sit dictus; ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, quod omnes dolores curet. Pæonium, herba medica, & salutare remedium. HORT.

NEQUICQUAM TREPIDAT. *Multa trepidat manu medica*, est hic, multa agit, idque non sine festinatione. PONT.

SOLLICITAT. Sollicitare hic motum in se continet, suisque sedibus quid emovere valet, eaque vera hujus verbi est notio. PONT.

IAM PULVERE COELUM STARE. *Stare pulvere*, nitì accipio; ita scilicet inspissato, concreto aëre & glomerato nube pulverea, ut cœlum jam sustineri & fulciri velut basi, pulvere videretur. GERMAN. Phrasin exponit Turneb. lib. 28. cap. 32. Iac. Durantius lib. 2. Var. cap. 4.

Digitized by Google

Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo. non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circundata nimbo,
Detulit: hoc fuscum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans, spargitque salubreis
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapis
Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis:
Iamque secuta manum nullo cogente sagitta
Excidit, atque novæ redière in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapis
Conclamat: primusque animos accendit in hostes,
Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt, neque te Ænea mea dextera servat:
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ, suras incluserat auro
Hinc atque hinc: oditque moras, hastamque coruscat.

SERVII.

PVBERIBVS CAVLEM FOLIIS. Hoc est adultis. Sic in quarto, *Pubentes herbæ*. Et est reciproca inter herbas & homines translatio. nam herbarum pubertatem, & florem juventutis vocamus. *Caulem* autem medium fruticæ qui vulgo θύρσος dicitur, de hac herba in IV. Æneid. ait, ubi de vulnerata cerva, *Illa fuga sylvas saltusque peragrat Dictæos.*

GRAMINA. Hic pro herba, nam est hoc nomine alia herba quæ in immensum excrescit.

FACIEM CIRCVNDATA. A parte totum corpus accipimus. Et putatur sic dictum: ut, *Faciem mutatus & ora cupido.*

FVSVM AMNEM. Pro aqua. A toto partem. sic supra, *Fontemque ignemque ferebant.*

AMBROSIÆ SVCCOS. Ambrosia est cibus deorum. nam nectar potus. Alibi, Ambrosia unguentum deorum legitur, *Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem.* PANACEAM. Genus herbæ est. Sciendum tamen Lucretium *panaceam* ubique salem dicere: unde possumus & hoc loco salem intelligere. nam omnem pellit dolorem. Sed melius herbam, quia ait *odoriferam*. Alii *panaceam* medicamentum dicunt, ex compluribus herbis compositum, quod ad omne vulnus facit: hanc herbam Hercules contra vim venenorum Thessalis dicitur præstitisse: Sane nomen mire compositum.

QVIPPE DOLOR. Quasi dolor: cujus natura hæc est, ut adhibito remedio statim recedat. Nam dolor consequens res est, non principalis: unde sublata caussa etiam ipse statim recedit. hinc ait, QVIPPE; nam infusa aqua inhærens laxare cœperat telum, quod ante inferebat dolorem.

IAMQVE SECVTA MANV. Leniter tentantis secuta est.

IN PRISTINA. In usum priorem. Hoc est quales fuerunt pristinæ: vel NOVÆ magnæ, aut miræ

ARMA CITI PROPERATE VIRO. Suo more ostendit festinationem. ante induxit loquentem quam significaret qui loqueretur. Atqui sicut nos *properare* festinare dicimus, ita antiqui pro dare dicebant. Sallust. *Solas festinare.*

NON HÆC HVMANIS OPIBVS. Potest subaudiri & ante humana.

MAIOR AGIT DEVS. Apollo scilicet inventor medicinæ. hoc est, hæc agit major.

VARIORVM.

PVBERIBVS CAVLEM FOLIIS. Pro adultis. Turneb. lib. 5. cap. 3. & lib. 26. cap. 6. De Dictamno Brodæus lib. 1. Miscell. cap. 30.

FOVIT EA VVLNVS. Medice hic locutus est Virgilius. Verbum enim *fovere*, cum voce aqua copulatum, apud Medicos peculiarem quandam notionem & usum vindicat. Est enim idem quod madefacere, tingere, eluere, & ita locum affectum velut lenimento afficere. Nonius interpretatur *aspersit*. PONTAN.

MAIOR AGIT DEVS. Male autem hic nomine *Deo*, Apollinem intelligit Servius. Venus egit, non Apollo. Sed genus masculinum decepit Grammaticum. Vide 2 Æneid. *Descendo ac ducente Deo*, cum duceretur à Venere. PONT.

Ille

Digitized by Google

Postquam habilis lateri clypeus, loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula, fatur:
DISCE *puer vitutem ex me, verumque laborem,*
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit, ingens
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Anteusque, Mnestheusque ruunt: omnisque relictis
Turba fluit castris. tum cæco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Videre Ausonii: gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. prima ante omnes Iuturna Latinos
Audiit, agnovitque sonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.

SERVII.

HABILIS LATERI CLYPEUS. Et hic expressa festinatio est. LORICAQUE TERGO EST. Quare tergo tantum, cum totum ambiat corpus? aut quia latus clypeo dixerat tectum, supererat ut tergum lorica muniret.

SUMMAQUE PER GALEAM. Decenter galeam quoque tum induisse significat.

VERUMQUE LABOREM. Quem per me ipse suscipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus ascribi consuevit.

FORTUNAM EX ALIIS. Subaudimus OPTA. neque enim fortuna discitur. Quidam autem defectionem putant, & deesse volunt *pete* aut *accipe*. Alii figuram volunt, pro quid fortuna sit ex aliis disce, cum & bona & mala sit fortuna. quid valeat dea hæc ex aliis disce: vult enim intelligi se adversa usum: & est Zeugma non integrum.

DEFENSUM DABIT. Pro defendet. INTER PRÆMIA. *Inter*, veteres pro ad, ponebant: id est ad præmia. Cicero, *Dico te priore nocte venisse inter falcarios*, id est ad falcarios.

MATURA ADOLEVERIT ÆTAS. Matura adolescendo esse cœperit.

SIS MEMOR. Subaudiendum meorum factorum.

ANTEUS, MNESTHEUSQUE. Servavit *τὸ πρέπον*. Necesse enim erat ut vulnerato duce, multi cum eo in castra remanerent.

MISCETUR. Modo confunditur: alibi perturbatur. ut, *Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.*

AGGERE TURNUS. Hic *aggere* pro eminentia posuit, de ea autem aggerem non possumus dicere, nisi si viæ aggerem dicere voluerimus, id est coacervationem, quam historici viam militarem dicunt: ut, *Qualis sæpe viæ deprensus ab aggere serpens.* Quidam ambiguitatem volunt utrum ipse Turnus in aggere, an venientes ex aggere.

PRIMA ANTE OMNES. Vt, *Primus ibi ante omnes*, & ante omnes Latinos solum audit.

TREMEFACTA REFUGIT. Quæritur cur Iuturna cum hic acie * excedat. mox tamen inducitur revertens.

ATRUM RAPIT AGMEN. Pulveris nube coopertum: quidam autem *agmen* iter accipiunt; *rapit* autem festinat, ut sit, Ille campo aperto iter festinat pulveris plenum & ipsa festinatione excitat. & ita dicunt, quoniam si *agmen* exercitum dicit, apertus campus esse non potuit bellatorum densitate completus.

VARIORUM.

DISCE PUER VIRTUTEM. Ex Accio Macr. lib. 6. cap. 1. Sat. Alludere videtur ad eorum decreta Imperatorum, qui in re bellica virtutem quantamcunque fortunæ comitis favore egere statuebant: inter quos Iulius Cæsar ipse sibi fortunæ studium arrogabat; & Sulla felicem se dici voluit. GERM.

ILLE VOLAT. Tanta celeritate ferebatur Æneas, ut volare videretur, & aperto campo, qui scilicet hostibus metu dispertis vacuus & patens erat, raptim ducebat, hoc enim est *rapit*. DONATUS.

Digitized by Google

Qualis ubi ad terras abrupto sydere nimbus
It mare per medium (miseris heu præscia longe
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis: ruet omnia late.
Ante volant, sonitumque ferunt ad littora venti)
Talis in adversos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. ferit ense gravem Tymbræus Osirim:
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Usentemque Gyas. cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque adversos dignatur sternere morti,
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur: solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

SERVII.

ABRUPTO SYDERE. Vel immensa, vel magna tempestate, per sydus enim tempestas significatur, ut *Sorbet in abruptum fluctus.* Item, *Scit triste Minervæ Sydus.*

IT MARE PER MEDIUM: MISERIS. Statius plenius de hoc sensu. *Deflent sua damna coloni, Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.* Sane aut longe horrescunt* heu autem ut solet interjectionem ex sua persona interposuit.

DABIT ILLE RUINAS. *Dabit* pro faciet; Terentius, *Quas turbas dedit*: Et ipse, *Et ingentem lato dedit ore fenestram.* RUET. Eruet, evertet. Terentius, *Ceteros agerem, ruerem.* Nam aliter dictum est, *Ruit alto à culmine Troja.*

TALIS. Taliter, simili modo. Sic paulo post, *Similis medios Juturna per hostes.* RHOETEIUS. Trojanus, à promontorio Trojæ.

DENSI CUNEIS SE QUISQUE COACTIS AGGLOMERANT. Densentur, ut cuneatim dimicent, scilicet in cuneorum modum compositi, ut hostem facilius invaderent.

GRAVEM. Fortem. Sallust. *Lusitaniæ gravem civitatem.*

CADIT IPSE TOLUMNIUS AUGUR. Homerus, Ut primus violator fœderis pœnas luet.

TOLLITUR IN COELUM CLAMOR. Occiso eo qui auctor disrumpendi fœderis fuerat, exortus est clamor: & statim secuta fuga Rutulorum: ut. *Versique vicissim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.* Et bene VICISSIM, quia Trojanos in fugam versos fuisse, exinde apparet, quod supra dixit, *Subeunt equites, & spicula castris Densa cadunt mediis.*

PULVERULENTA. Plena pulveris, nam apud veteres *pulverulenta* dicebantur, sicut vinolentum dicimus, qui vino plenus est, & temulentum qui temeto plenus est.

NEC PEDE CONGRESSOS, NEC EQUO. Pedestris quæ est pugnæ quo * at ubi inter equitem & peditem pugna est, VIX. Æneidos. *Et urgetur pugna congressus iniqua.* NEC TELA FERENTES INSEQUITUR. Id est nec fugientes, nec contra stantes dignatur occidere. Et magna Æneæ ostenditur pietas, qui nec vulneratus irascitur: ut velit contra legem fœderis in bellum movere.

VARIORUM.

QUALIS UBI AD TERRAS. Luculenta comparatione Æneæ descendentis in pugnam robur, hostiumque tacitum metum ante oculos constituit. Quia ortu suo, aut occasu sidera multa tempestates cient, quin & sua natura exhalationes vaporesque sursum tollunt surriguntque; unde & multas in sublimi affectiones committi Meteor: tractatu docet Arist. factum est, ut Latini efficientem causam, cum re effecta aut mora, conturbantes, *sidus* pro tempestate & intemperie accipiant, ut hic & supra lib. 4. G.

CUNEIS SE QUISQUE, &c. In acie *cunei*, sunt globi cuneatim stipati. SALMASIUS.

CADIT IPSE TOLUMNIUS AUGUR. Qui primus telum in hostes conjecerat, fœdusque turbaverat: tacite notans proverbium, *consilium malum consultori pessimum*, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη: cum nimirum in caput eorum recidit, qui aliis perperam consuluerant. PONT.

TOLLITUR IN COELUM CLAMOR. De clamore militum ante, vel in ipso conflictu, nonnulla Alexand. ab Alex. lib. 4 cap. 7. de caussis clamoris hujus Lipsius de Milit. lib. 4. dial. 11.

Hoc

Digitized by Google

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longe lapsum temone relinquit.
Ipsa subit, manibusque undanteis flectit habenas,
Cuncta gerens: vocemque, & corpus, & arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Iamque hic germanum, jamque hic ostendit ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum, & disjecta per agmina magna
Voce vocat. quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum,
Aversos toties currus Iuturna retorsit.
Heu, quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu:
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta levis cursu præfixa, hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma,

SERVII.

VIRAGO. Dicitur mulier quæ virile implet officium, id est mulier quæ viri animum habet, has antiqui viras dicebant.

VNDANTES. Quia in motu, undarum modo flectuntur.

PERVOLAT. Per magnas ædes volat. Nam more suo verbo dedit detractam nomini præpositionem.

NIDISQVE LOQVACIBVS ESCAS. Ordo est, Escasque nidis loquacibus legens.

VACVIS. Magnis: ut, *Vacua atria lustrat Sencius.*

SIMILIS. Pro similiter.

NEC CONFERRE MANVM. Cum Ænea, nec alios persequitur. AVIA. Ab ea scilicet parte qua veniebat Æneas.

TORTOS ORBES. Obliquas & implicitas vias.

VESTIGATQVE VIRVM. Inquirit: translatio à canibus. DISIECTA PER AGMINA. Dissipata adventu Æneæ.

AVERSOS RETORSIT. Pro retorsit & avertit.

HEV QVID AGAT? Omne adverbium verbo cohæret. Vnde quia heu, en & atat, & similia, verbo cohærere non possunt, separatam fecerunt aliam partem orationis, scilicet interjectionem: quam sola Latinitas possidet. Sane hoc poëta dedit rerum miserationem movens. Alii ab Æneæ persona dictum accipiunt, ut diceret, *Heu quid agam?*

HVIC. Pro in hunc: & est ordo, *Huic dirigit.*

SE COLLEGIT IN ARMA. Ita se texit, ut nulla parte posset feriri.

VARIORVM.

HOC CONCVSSA METV. Ab affectu & cura sororis in fratrem Turnum, ut eum prælio subtrahat. HORT.

VNDANTES FLECTIT HABENAS. Supra, *undantia lora.* Solet autem Poëta [illegible] ex lectore vel auditore spectatorem rei, quam oculis subjicit, efficere: ut hic *undantes habenas* dixit, imitatione vel repræsentatione animalium pedibus carentium & serpentum, quæ undoso & sinuoso motu & flexu volvuntur. GERMAN.

HVIC MESSAPVS, VTI, &c. Messapus obvius, in Ænean alterum duarum hastarum torsit, & leviter decussit conum galeæ. HORT.

Digitized by Google

Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero assurgunt iræ, insidiisque subactus
Diversos ubi sensit equos, currumque referri,
Multa Iovem & læsi testatus fœderis aras:
Iam tandem invadit medios, & Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Iuppiter, æterna gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus: & qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas & crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
Congressus pedes, hunc venientem, cuspide longa,

SERVII.

APICEM TAMEN INCITA SVMMVM. Galez, id est eminentia quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ. Potest hoc tamen nomen & de sacerdote Flamine accipi, qui apice utuntur, quod in quarto plenius dictum est, nam subjunxit *vertice cristæ*. INCITA. Id est cum impetu veniens.

REFERRI. Id est retro ferri.

MVLTA IOVEM, ET LÆSI TESTATVR FOEDERIS ARAS. *Multa* pro multum, licet haberet justam caussam iracundiæ, quod & fugiebat Turnus, & ipse appetebatur insidiis: non tamen ante prorupit in bellum, quam Iovis fidem & læsa fœdera testaretur.

MEDIOS. Qui inter ipsum sequentem & fugientem Turnum medii de hostibus erent. MARTE SECVNDO TERRIBILIS. Potest & Marte secundo distingui, ut sequatur *Terribilis sævam*, &c. potest & jungi, ut sit, *Marte secundo terribilis*.

NVLLO DISCRIMINE CÆDEM SVSCITAT. Indiscrete obtruncat universos, quibus ante pari pepercerat modo.

IRARVM HABENAS. Potestatem, facultatem, id est iræ permittit sæviendi liberam potestatem: ut, *Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.* Et hic moderate locutus est. Nam Ennius ait, *Irarumque effunde quadrigas.*

QVIS MIHI NVNC TOT ACERBA DEVS? Ac si diceret, nec Musa, nec Apollo sufficiunt. Statius, *Maior ab Aonis sumenda audacia lucis Mecum omnes audete deæ.*

INQVE VICEM. Invicem. Nam QVE vacat. Alii QVE expletivam conjunctionem accipiunt.

TANTON' PLACVIT CONCVRRERE. Apostropha cum exclamatione ad Iovem. Sane *tanton'* circunflectitur. Nam cum per Apostropham, Apocopen verba patiuntur, is qui in integra parte fuerat, accentus mutatur.

ÆNEAS RVTVLVM SVCRONEM. Descriptio per alterna divisa, Solent historici ....* RVENTES TEVCROS. Modo fugientes quos Sucro insequebatur.

HAVD MVLTA MORATVM. Id est non diu moratum, quod scilicet vim Æneæ diutius sustinere non potuit.

EXCIPIT IN LATVS. Figurata elocutio. CRVDVM ENSEM. Modo *durum*, alias *crudelem*. ET CRATES PECTORIS. Donatus superfluam vult esse conjunctionem: &, ut sit Epexegesis, adigit ensem per costas, id est pectoris crates, ubi celerius fata complentur. Et hoc est quod ait supra, *Haud multa morantem*.

AMYCVM, FRATREMQVE DIOREM. Hi duo duces sunt etiam supra memorati, ut, *Nunc Amyci casum gemit, nunc acris Orontis.* Item, *Et nunc tertia palma Diores.* Vnde ad terrorem populi, eorum capita religantur in curru.

VARIORVM.

QVIS MIHI NVNC TOT ACERBA DEVS. Iterat attentionem à rerum pondere, & magnitudine cladis, quæ utrinque à ducibus edita est; ut non humani, sed divini ingenii sit eam explicare. HORTENSIS.

Hunc

Hunc mucrone ferit: curruque abscissa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Treis uno congressu, & mæstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycia missos, & Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada, piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus: nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam, & virgulta sonantia lauro:
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,

SERVII.

CVRRV autem aut septimus est, aut dativus, casus antiquus secundum regulam, ne sit major à nominativo plurali. DVORVM. Pro amborum.

MOESTVM ONYTEN. Severum, naturaliter tristem, ἀγέλαστον aut imaginatus est exspirantem, mittit autem socium supra memoratis. Sane ONYTEN Donatus dicit aut gentile esse, aut patronymicum, ut nomen ejus proprium sit Echionius. Sed hoc non procedit, quia neque patronymicum in TES exit: neque Onytes à qua gente veniat usquam lectum est. Proprium ergo est: & sequens versus erit, *Nomen Echionium*: id est Thebana gloria, per Periphrasin. Nam Echionii sunt Thebani à rege Echione. Unde quidam male legunt *Nomine Chionium*. Alii *nomen Echionium* hoc est genus, quemadmodum de matre genus dixit, accipiunt, ut ostendatur eum Echionis esse & Peridiæ filium, vel ab Echione genus ducentem.

MATRISQVE GENVS PERIDIÆ. Periphrasis est: hoc est filium Peridiæ.

LYCIA MISSOS, ET APOLLINIS AGRIS. Vacat ET. nam per Epexegesin Lycia arva, Apollinis dixit, ut, *Nunc Lyciæ sortes*. Appellat autem *Lyciam* à Lyco nympha, ex qua habuit Apollo filium nomine Lycadium: *missos* autem profectos, ut *Missus in imperium magnum*.

EXOSVM NEQVICQVAM. Sic supra, *Injecere manum Parcæ*. Nam per transitum ostendit urgentibus fatis eum ad bella deductum: quæ nequicquam semper vitare cupiebat: Hunc autem Menœtem oriundo Arcada fuisse intelligimus, sed habitasse circa Argos. nam Lerna palus est Argivorum, in qua dicit solitum eum fuisse piscari. nam hoc significat, PISCOSÆ CVI CIRCVM FLVMINA LERNÆ ARS FVERAT. Et vetuste *flumina* pro fluore dixit, neque enim Lerna fluvius est, & sic *flumina Lernæ*, quomodo Aventini montem: Quæritur sane qui primus *exosum* pro peroso dixerit.

PAVPERQVE DOMVS. Hic & hæc pauper dicimus. nam paupera usurpativum est. Sic Plautus, *Paupera est hæc mulier*. Sed hoc hodie non dicimus. Ea enim nomina quæ ablativo singulari in *e* exeunt, si fœminina ex se faciunt, similia faciunt: nec enim heteroclita iterum nomina, id est alterius declinationis esse possunt. ut puta, quæ ab hoc hospite facit, hic & hæc hospes dicamus necesse est. Lucanus, *Hospes in extremis audivit curia tectis*. Nam ab hoc leone, hic & hæc leo: ab hoc latrone, hic & hæc latro: ab hoc fullone, hic & hæc fullo: ab hoc nepote, hic & hæc nepos. Nam ut neptis dicamus in jure est propter discretionem successionis admissum. Sciendum autem hospita, paupera, leæna, lea usurpatum à poetis esse.

POTENTVM MVNERA. *Munera* dicit obsequia: Id est officia quæ pauperes divitibus loco munerum solvunt. Sane *munera* & quæ munia dicimus.

PATER. Ipse pater, an pater ejus?

ARENTEM IN SYLVAM. Pro aridam.

DANT SONITVM SPVMOSI AMNES. Bellum semper incendio & fluminibus comparat. Sic in secundo, *In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.* VIRGVLTA SONANTIA LAVRO. Quæritur quid sit *virgulta sonantia lauro*, scilicet ipsa virgulta lauri; *sonantia* autem cum crepitu ardentia.

VARIORVM.

ET IVVENEM MENOETEN. Personæ descriptio, à patria, studio, fortuna sua & parentum. H.

AC VELVT IMMISSI DIVERSIS PARTIBVS IGNES. Binas flammas, duos amnes sive torrentes duobus viris fortibus comparat: nam quomodo flammæ consumunt quicquid occurrit, & torrentes quicquid implerint, trahunt: sic isti faciebant, in adversos elati ira & cupiditate vincendi, non metuentes vulnerum casus, aut mortis.

AVT VBI DECVRSV RAPIDO. Homerus Iliad. 4. illustrans luctum gemitumque cadentum, & victorum exultationem: ὡς δ' ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ, &c. HORT.

Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia. nunc nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic atavos & avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo: hunc lora & juga subter
Provolvêre rotæ: crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hilo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te Grajûm fortissime Creteu
Eripuit Turno: nec dii texêre Cupentum
Ænea veniente sui, dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt Æole campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.

SERVII.

NON SEGNIVS AMBO ÆNEAS TVRNVSQVE RVVNT. Bene comparationibus diversis singula reddidit ad similitudinem veram quia ambos ignibus aut fluminibus comparaverat. Ergo *non segnius* ad ignem retulit, quia segnis quasi sine igne fit, *fluctuat* autem ad amnes eum retulisse nulla dubitatio est.

RVMPVNTVR: Pro fatigantur, & fluctuat & rumpuntur, quia *Nescia vinci Pectora.* Horatius, *Pelidæ stomachum cedere nescii.*

MVRRANVM HIC ATAVOS ET AVORVM ANTIQVA SONANTEM NOMINA. Hoc est, cujus majores omnes Murrani sunt dicti, & reges fuerunt: ut, *Per regesque actum genus omne Latinos.* Scimus enim solere plerunque fieri, ut primi regis nomen etiam reliqui possideant, ut apud Romanos Augusti vocantur, apud Albanos Sylvii, apud Persas Arsacidæ, apud Ægyptios Ptolemæi, apud Athenienses Cecropidæ. Vnde superfluum quod ait Donatus debere nos accipere occisum Murranum, dum avos & atavos Turni commemorat, & effert laudibus maximis per illud, *Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem Murranum.*

PER REGESQVE ACTVM GENVS OMNE LATINOS. Horatius de Lamo, *Et nepotum per memores genus omne fastos.*

NEC DOMINI MEMORVM PROCVLCAT EQVORVM. Id est equorum domini immemorum

DEXTERA NEC TVA TE GRAIVM FORTISSIME CRETEV ERIPVIT TVRNO, NEC DII TEXERE CVPENCVM. Ita Æneam comparat Turno, ut eum superiorem esse significet. Nam quem Turnus interemit, virtus sua liberare non potuit: ei vero quem occidit Æneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt. Terentius, *Memini relinqui me deo irato meo.* Sic alibi, *nec dii morientem Elisse.* Singuli enim deos proprios habemus genitos. Sane sciendum *Cupencum* Sabinorum lingua sacerdotem vocari: & apud Romanos Flaminum & Pontificum Sacerdotem: Sunt autem *Cupenci* Herculis sacerdotes. Ergo quod huic proprium nomen de sacerdote finxit bene dixit, *Nec dii texere sui*, & quidam reprehendunt Poëtam hoc loco, quod in nominum inventione deficitur. Iam enim in IX. Cretea à Turno occisum induxit, ut *Cretea musarum comitem*; Sed & apud Homerum, & Pylæmonem, & Adrastum bis ponit & alios complures.

LATE TERRAM CONSTERNERE. Aliud ex alio ostenditur. Nam per hoc corporis exprimitur magnitudo. ut, *Stabant tercenti nitidi in præsepibus altis.*

SERVII.

RVMPVNTVR NESCIA VINCI PECTORA. Turneb. lib. 10. cap. 1.

MVRRANVM. Murrani autem Latinorum reges dicti, vel à murrha & unguentis, vel à muris, vel de nomine regis proprio. GERMAN.

ILLE RVENTI HILO. *Ruenti*, id est inconsiderata festinatione properanti. *Ilo* legendum esse contendit Turneb. lib. 10. cap. 7.

NEC DII TEXERE CVPENTVM. De diis propitiis, Turneb. lib. 10. cap. 10.

Occi-

Digitized by Google

Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ, domus alta sub Ida
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeo conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ, Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equûm domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcadis alæ:
Pro se quisque viri, summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocyus, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans, diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit: aspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago:
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores: tumulumque capit, quo cætera Teucrûm
Concurrit legio: nec scuta aut spicula densi
Deponunt: celso medius stans aggere fatur:

SERVII.

EVERSOR ACHILLES. Bene separavit: ut, *Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.*

MORTIS METÆ. Id est mors quæ meta est & finis. nam metas vitæ dicimus, non mortis, mors enim infinita est. Sciendum tamen ita hoc de Homero esse translatum, qui ait τέλος θανάτοιο, hoc est finis mortis. nam in ipsa morte finis est.

LYRNESSI DOMUS ALTA. Lyrnesos civitas est Phrygiæ. Vnde fuit Briseis, & per transitum docet neminem posse fatura vitare, quando enim hic crederet ibi se natum tam longe esse periturum?

CONVERSÆ ACIES. In bellum coactæ, vel inter se conversæ.

PRO SE QUISQUE VIRI. Pro qualitate virium suarum: sicut in quinto, *Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.* SUMMA NITUNTUR OPUM VI. Hemistichium est Ennianum. TENDUNT. Pro contendunt.

MENTEM ÆNEÆ GENITRIX PULCHERRIMA MISIT. *Mentem*, Consilium: ut *Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem*: misit autem pro immisit: Et PULCHERRIMA perpetuum epitheton est, nec ad negotium pertinens. Sane bona usus est œconomia, ut diceret instinctu numinis Æneam profectum esse ad civitatis excidium. Nam incongruum fuerat occupatum bello per se tale cepisse consilium.

URBIQUE ADVERTERET AGMEN. Id est contra urbem.

ACIES CIRCUMTULIT. Vel exercitum suum huc atque illuc circunduxit, vel acies oculorum; bona occasione pervenit ad id, ut Æneas civitatem posset aspicere.

IMMUNEM TANTI BELLI. Sine officio dimicandi. Et vult inobsessam intelligi, quasi sine periculo sit oppugnationis. Nam IMMUNIS est qui nihil præstat, quasi sine muniis, hoc est qui non facit munia. IMPUNE QUIETAM. Quæ specialiter debuit pœnas luere propter fœdus abruptum.

PUGNÆ ACCENDIT MAIORIS IMAGO. Subaudis EUM.

NEC SCUTA, AUT SPICULA DENSI DEPONUNT. Ex eo quod non est factum, quod fieri solent indicavit: ut supra, *Defigunt telluri hastas, & scuta reclinant.*

VARIORUM.

ARGIVÆ PHALANGES. De *Phalange*, consule Vegetium lib. 2. cap. 2. & ibidem Stevechium.

PRO SE QUISQUE. Terent Heautont. *Pro se quisque sedulo faciebant.* Palmerius pag. 756. Tom. 4. Lampad. Critic.

SUMMA NITUNTUR OPUM VI. Ex Ennio Macrob. lib. 6. cap. 1. Saturnal.

Nequa meis esto dictis mora: Iuppiter hac stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere, & victi parére fatentur,
Eruam, & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, ô cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum:
Testaturque deos, iterum se ad prælia cogi:
Bis jam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.

SERVII.

NEQVA. Pro nulla. ESTO. Sit. IVPPITER HAC STAT. Pro nobis religio est, quam læserunt Rutuli ruptis fœderibus. Novimus autem interfuisse fœderi & deos alios, & Iovis imaginem sceptri præsentia redditam.

NEV QVIS OB INCEPTVM SVBITVM MIHI SEGNIOR ITO. Tertia persona est ITO, id est eat: & hortatur eos ut ita in bellum ruant, quasi res fuerit ante disposita. Nam hoc dicit, Repentinum imperium nullam vobis afferat moram. Vnde est illud paulo post, *Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.*

CAVSSAM BELLI. Quia illic erat Lavinia.

FRENVM. Frenum singulari numero raro lectum est, & quidam hunc versum per figuram Græcam dictum tradunt. *ὁμολογοῦσιν μέλλειν λαβεῖν.*

ERVAM. Confidenter, quasi jam non bellum sit, sed expugnatio.

HOC CAPVT O CIVES. Sic superius Drances à Turno, ut, *O Latio caput horum & causa malorum*, id est principium, potuistis enim quieti esse, si Latini fœdus servassent, & ad Latinos transfert crimen Turni.

FOEDVSQVE REPOSCITE FLAMMIS. Gravitate sermonum declamationi pondus imposuit. Nam hoc dicit, Flammas fœderis urbis innovemus incendio. nam REPOSCITE, est revocate, in novate.

DANT CVNEVM. Quotiens in similitudinem cunei milites disponuntur. DENSA MOLE. Densi cum impetu.

IMPROVISO. Deest ex, ut sit ex improviso.

APPARVIT IGNIS. Pro apparuerunt, & est Zeugma ut in primo, *Cymothoe simul, & Triton adnixus*, pro adnixi, non enim solus Triton adnitebatur.

DISCVRRVNT ALII AD PORTAS, PRIMOSQVE TRVCIDANT. Subaudis IMPROVISO. & hæc simul pronuntianda sunt, ut simul facta videantur: quo vehementer vis bellica possit agnosci. *Primosque trucidant* autem, id est qui primi ad portas erant obvii, scilicet stationem agentes.

INTER PRIMOS. Inter duces, inter principes.

TESTATVRQVE DEOS. Id est fœderis. HÆC ALTERA FOEDERA RVMPI. Bis rumpi fœdera, bis Italos hostes fieri, bis se in prælia sæva compelli. Nam varie eandem rem iterat. Bis autem facta sunt fœdera, semel per Ilioneum. Quando Latinus ait. *Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est, Si jungi hospitio properat, sociusque vocari, Adveniat.* Et, *Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.* & iterum paulo ante singulare certamen.

VARIORVM.

DANT CVNEVM. Castrense & militare vocabulum, pro eo quod est, se in cuneum componunt. *Cuneus* autem per translationem sumitur pro peditum globo, in cunei formam redacto & glomerato: unde & constipatam quamvis turbam, *cuneos* dicimus. GERMAN.

DENSAQ. AD MVROS MOLE. Principium, ad catastrophen, hoc est ad tragicæ rei funestissimum exitum, ut Amata, capta urbe suspendio pereat: & Turnus singulari certamine cum Trojano congrediatur ac cadat. MORT.

ET OBVMBRANT. Vict. lib. 27. cap. 9.

Ex-

Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, & pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro:
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuus it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugna juvenem in certamine credit
Extinctum, & subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenque caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,

SERVII.

TREPIDOS INTER. Hoc est inter trepidos.

RESERARE IUBENT. Id est volunt. ut Terentius, *Iubeo Chremetem salvere.*

TRAHUNT IN MOENIA REGEM. Trahere volunt. Nam voluntas, animi est, non facti. Scilicet ut possit imminens videre discrimen. Donatus dicit *trahunt in mœnia*, pro dilacerant in mœnibus rumoribus suis. Ergo *regem* de Latino dixit, *mœnia* autem hic muros dixit.

INCLUSAS UT CUM LATEBROSO IN PUMICE PASTOR. Pene omnia verba comparationis ad supradictum pertinent bellum. Nam ita apes inclusæ sunt, ut homines qui obsidentur. Ita civitatem, timentum latebras dicimus, sicut apum sunt alvearia. Item pastor ut rex, & revera pastor est, & ductor exercitus, ut Homerus ποιμένα λαῶν. *Pumicem* autem iste masculino genere posuit: & hunc sequimur. nam & Plautus ita dixit: licet Catullus dixerit fœminino.

FUMO AMARO. Qui elicit lachrymas.

TREPIDÆ RERUM. Nescientes quid agant, ignaræ auxilii, hoc est trepidæ de suis rebus. Terentius, *Satagit rerum suarum.* CEREA CASTRA. Opportune hic *castra* de his rebus quæ nunc aguntur, in lib. IIII. Georg. *Aulasque & cerea regna.*

ATER ODOR. Nove. nam in odore quis est color? Sed hoc dicit, odor atræ rei, id est fumi ater odor, pessimus: ut, *Fumoque implevit amaro.*

FESSIS. Pro adflictis. ETIAM FORTUNA. Casus. nam omnis casus in potestate fortunæ est.

TECTIS VENIENTEM PROSPICIT H. Aut è tectis prospicit: aut contra tecta venientem.

INCESSI MUROS. Invadi.

INFELIX PUGNÆ IUVENEM. Quia non putabat Turnum civitatem obpugnari passurum fuisse si viveret.

MENTEM TURBATA. Figurate. Ut, *Oculos suffusa.*

CAPUTQUE. Sicut supra dictum est, *Caput* dicebatur qui auctor & princeps alicujus rei gestæ fuisset; ut II. Æn. *O Latio caput horum.*

DEMENS EFFATA FUROREM. Verba noluit ponere, unde videtur diras significare.

PURPUREOS MORITURA MANU. Rem quæ Flaminicæ competit, transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet: nam cum amictus dicit, opertam dicit; quæ res ad pallium refertur.

VARIORUM.

LATEBROSO IN PUMICE. Pumicem hic non fungosum & foraminosum lapidem accipit Turneb. lib. 26. cap. 33. sed saxum cavum & latebrosum, auctoritate Plinii lib. 36. cap. 21.

FUMOQUE IMPLEVIT AMARO. Apes fumum ferre posse Physici negant; quod meatus spiritus vitalis angustissimos habeant, isque fumo interceptus eas angat: vel quod acredo amaritudoque fumi in caussa sit, cum non alio quam dulci nutrimento apes alantur; quo fit ut fumum rem diram & noxiam detestentur. GERMAN.

INCESSI MUROS. Cant. lib. 6. Novar. cap. 21.

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines,
Et roseas laniata genas, tum cætera circum
Turba furit: resonant latè plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem:
Demittunt mentes: it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Caniciem immundo perfusam pulvere turpans:
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Æneam, generumque asciverit ultro.
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Iam minus atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commistum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus urbis, & illætabile murmur.

SERVII.

ET NODVM INFORMIS LETHI. Fabius Pictor dicit quod Amata inedia se interemit. Sane sciendum quod cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur. Vnde bene ait INFORMIS LETHI, quasi mortis infamissimæ. Ergo cum nihil sit hac morte deformius, poëtam etiam pro reginæ dignitate dixisse accipiamus. Cassius autem Emina ait, *Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coëgisset, & ob hanc injuriam multi se suspendio necarent, jussisse corpora eorum cruci affigi: Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere.* & Varro ait, *Suspendiosis quibus justa fieri jus non sit, suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentari.* Docet ergo Virgilius secundum Varronem & Cassium, quia se laqueo induerat, letho periisse informi.

FLAVOS LAVINIA CRINES. Antiqua lectio FLOROS habuit, id est florulentulos, pulchros: & est Ennianus sermo. Probus sic adnotavit, *Neotericum erat flavos, Ergo bene floros, nam sequitur,* Et roseas Laniata genas. Accius in Bacchis: *nam floros crines video, ut & propexi jacent.* In iisdem, *Et lanugo floro nunc demum irrigat.* Pacuvius Antiopa, *Cervi cum floros dispendite crines.*

ET ROSEAS LANIATA GENAS. Moris fuit apud veteres, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago constitueretur. Tamen sciendum cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis, *Mulier faciem ne carpito.*

HINC TOTAM. Id est de domo regia. INFELIX FAMA. Rerum infelicium nuntia, ut infelix vates.

DEMITTVNT MENTES. Desperant, sicut è contra, Sperantes aliquid, erigunt mentes.

CONIVGIS ATTONITVS FATIS, VRBISQVE RVINA. Et privatis & publicis luctibus.

CANICIEM. Ex ætate pathos movit, non enim tam miserum est regem in miseriis esse, quam senem. IMMVNDO PVLVERE. Bene IMMVNDO addidit. Sic in Georgicis, *Et cinerem immundum jactare per agros.* quia etiam ille pulvis quo utuntur puellæ, cinis vocatur. Vnde etiam & cinifiones dicti sunt. Horatius, *Custodes, lectica, cinifiones, parasita.*

BELLATOR. Epitheton peracti temporis.

MINVS SVCCESSV LÆTVS EQVORVM. Infirmitas animi ex equorum etiam tarditate veniebat: quia minus successus habebant equi jam fatigati.

ATTVLIT HVNC ILLI CÆCIS TERRORIBVS AVRA. Naturale enim est, ut à qua parte fuerit ventus, inde maximus audiatur clamor. Et mire *cæcis terroribus*, quos nemo videret.

COMMIXTVM CLAMOREM. Ex impugnatione & morte reginæ. ARRECTAS AVRES. Ad audiendum sollicitas. Terentius, *Arrige aures Pamphile.*

INLÆTABILE MVRMVR. Quæritur quis *inlætabile* dixerit. Ideo autem *murmur* quæ ferre solent quasi præsagium murmura sive bona, sive mala intelligi *

VARIORVM.

CANICIEM IMMVNDO PVLVERE TVRPANS. Fuit enim solenne veteribus in luctu, funebri præsertim, caput cinere seu pulvere conspergere, Iudæis maxime. Testimonia multa congerit Tiraquell. in Alexand. lib. 5. cap. 7.

Hei

Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque & equos & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac Turne sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii qui tecta manu defendere possunt.
Ingruit Æneas Italis & prælia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior pugnæ, nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O soror, & dudum agnovi, cum prima per artem
Fœdera turbasti, teque hæc in bella dedisti:
Et nunc nequicquam fallis dea. sed quis olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri lethum ut crudele videres?
Nam quid ego? aut quæ jam spondet fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi charior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret: Teucri potiuntur corpore & armis.

SERVII.

DIVERSA CLAMOR. Hypallage diversus clamor, aut ex variis partibus civitatis.

AMENS. Egens consilii, nesciens rei gerendæ.

OCCURRIT DICTIS. Ejus orationis verbis obviam venit.

PRIMA VICTORIA. Id est primum.

SUNT ALII QUI TECTA MANU. Ideo quia scit Turnum de urbe maxime esse sollicitum.

NEC NUMERO INFERIOR PUGNÆ, NEC HONORE. Id est, nec pauciores interimis, nec minor te quam Æneam, comitabitur gloria. Nam occisorum multitudo compensat hoc, quod tu fugientes interimis. Sane sciendum Juturnam in hac omni oratione occurrere quæstionibus tacitis.

PRIMA PER ARTEM FOEDERA TURBASTI. *Prima*, aut inchoantia: aut tu prima. nam post datum augurium quo animi omnium perturbati sunt, & post ejus orationem Tolumnius tela contorsit. *per artem* autem, per fraudem, ut initio II. Æn. *Artificis scelus*.

NEQUICQUAM FALLIS. Hoc est pro non fallis.

AN FRATRIS MISERI LETHUM. Humile est si ex persona Turni accipias. Ergo *miseri* ad animum sororis referendum est, & quod ait, *Sed quis Olympo, intulit*, an ut videres? subaudiendum ergo tua sponte.

NAM QUID AGO? Argumentum à necessario. *Jam* non est temporis, aut erit absurdum.

ME VOCE VOCANTEM. Atqui hoc nusquam legimus. sed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον, intelligimus. aut mortis est omen, audire se à mortuo vocari aut audire quod non dicitur: videre quod minime occurrit. Sic in quarto, *Hinc exaudiri gemitus & verba vocantis Visa viri*.

SUPERAT. Vivit: ut, *Superatne, & vescitur auras?*

NE NOSTRUM DEDECUS UFENS ASPICERET. Sic est hoc, ac si diceret, fortasse viveret, ne ideo voluisset occumbere, ne nos victos videret. & est quale in XI. *Ille mihi ante alios, fortunatusve laborum, Egregiusque animi, qui ne quid tale videret Procubuit moriens*. Infelix autem in hoc bello contra illud *Insignem fama & felicibus armis*, & est argumentum ab honesto.

TEUCRI POTIUNTUR CORPORE ET ARMIS. Id est etiam sepultura caruit. Nam ut in Homero legimus, de virorum fortium cadaveribus erat inter hostes grande certamen.

VARIORUM.

AN FRATRIS MISERI. Macrob. lib. 4. cap 1. Sat.

Excindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
VSQVE *adeone mori miserum est? vos ô mihi manes*
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes,
Vectus equo spumante Sages, adversa sagitta
Saucius ora: ruitque, implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus, miserere tuorum:
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum:
Iamque faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt. mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina tui fidissima, dextra

SERVII.

DEXTRA NEC DRANCIS DICTA REFELLAM? Id est virtute. nam pro rei officio ipsam rem posuit, *dexteram* pro virtute, hoc est fortiter faciendo.

TVRNVM FVGIENTEM. ἐμφατικῶς Turnum.

VSQVE ADEONE MORI MISERVM EST. Tacitæ quæstioni occurrit. Et quidam hoc verbum reprehendunt *usque adeone*, melius dici *usque adeo*. Lucilius septimo, *Usque adeo studio atque odio illius efferor.* Quidam sic accipiunt, *Usque adeone mori miserum est*, ut non quasi confirmet, sed quasi interroget quare dea sic de illo laborat ut vivat, cum satius sit honeste mori, quam turpiter vivere, Ergo *usque adeone* ut tamen tanta turpitudo ferenda sit. VOS O MIHI MANES. Quasi per fantasiam relinquens superos, ad manes convertit orationem.

SVPERIS AVERSA VOLVNTAS. Quia supra diximus, donec vivimus, curæ sumus diis superis: post mortem ad inferos pertinemus.

SANCTA AD VOS ANIMA. Quæ differentia *sancti* sit superius dictum est. hic *sancta* incorrupta accipiendum est, neque enim sacro aut religioso ejus anima tenebatur. ISTIVS INSCIA CVLPÆ. Vel fugæ: quia fuga grande crimen est apud virum fortem, vel rupti fœderis & læsæ religionis: à qua re se dicit esse alienum, propter futura supplicia.

INDIGNVS AVORVM. Græca figura. nam nos, indignus illa re, dicimus; contra Græci ἀνάξιος στεφάνου, id est indignus coronæ.

VECTVS EQVO SPVMANTE SAGES. Pro cum veheretur: ut, *Et qua vectus Abas.*

IMPLORANS NOMINE TVRNVM. Ex multis rebus indicat perturbationem, quod festinans venit, quod per hostes, quod vulneratus, quod Turnum nomine appellat. Nam contumelia est nomine suo superiorem vocare: sic in Georgicis, *Mater Cyrene mater*: cum præmisisset, *Et te crudelem nomine dicit.*

TVRNE IN TE SVPREMA SALVS. Omnia quæ supra Iuturna dixerat, oratio ista dissolvit.

FVLMINAT ÆNEAS. Exaggeratio est. sic paulo post, *Horrendumque intonat armis.* MINATVR DEIECTVRVM ARCES. Quod dixerat, *Et æqua solo fumantia culmina ponam.*

IAMQVE FACES. Ut sit quare Turnus subvenire festinet.

MVSSAT. Modo dubitat. Et cunctatur Rex ipse in quo summa rerum est: veteres *mussat* pro timet. Ennius *mussare* pro tacere posuit; Clodius Tuscus *mussare* est ex Græco, comprimere oculos, Græci μῦσαι dicunt.

QVOS GENEROS VOCET. Pro uxoris, pluraliter autem *generos* de exercitibus, quorum duces sunt Æneas & Turnus. AVT QVÆ SESE AD FOEDERA FLECTAT. Aut nuptiarum fœdera, ut, *Nec conjugis unquam Prætendi tedas, aut hæc in fœdera veni*: Aut propter violatum fœdus, ut ideo dixerit quæ sese flectat ad fœdera, quasi nec hoc remedium supersit, cum illa jam bello corrupta sint.

PRÆTEREA REGINA TVI. Quia occurrebat, Amatam si Latinus dubitat, reginam pro ejus partibus niti. TVI FIDISSIMA. Tui amantissima. DEXTRA OCCIDIT IPSA SVA. Ut laquei ostenderet dedecus.

VARIORVM.

VSQVE ADEONE MORI MISERVM EST? Quasi dicat non est miserum mori. Hæc quæstio erudite à Cicerone disputatur, in Quæstionibus Tusculanis. HORT.

Oc-

Digitized by Google

Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus, & acer Atinas
Sustentant aciem: circum hos utrinque phalanges
Stant densæ: strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit. æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, & lux reddita menti est.
Ardenteis oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus: éque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cælum undabat vertex, turrimque tenebat,
Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Iam jam fata, soror, superant: absiste morari:
Quo deus, & quo dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat quicquid acerbi est,

SERVII.

LUCEMQUE EXTERRITA FUGIT. Augmentum mali.

SOLI PRO PORTIS. Contra illud, *Sunt alii qui tecta manu defendere possint.* Pro *portis* autem, ante portas, Sallustius, *Ex Parte cohortium præcipere instructa & stationes locata pro castris.* Bene autem cum dicit *pro portis sustentant acies*, & spem adhuc subveniendi dedit, & dicendo *Soli*, addidit etiam necessitatem.

DESERTO IN GRAMINE VERSAS. Huc atque illuc agis. ut, *Æthiopum versemus oves*, Homerus ἔρεφεν, & bene *deserto gramine*, contra illud, *Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.*

VARIA CONFUSUS IMAGINE RERUM. Multiplici nuntio, quod regina periit, quod urbs oppugnatur, quod omnes Latini in illum oculos referunt, quod dubitat Latinus quos generos vocet.

ET OBTUTU. Vario stetit vultu. Et *obtutus* est proprie, quem Græci πρόσωπον, id est vultum dicunt.

PUDOR. Propter illud, *Tu currum deserto in gramine versas*, vel *pudor*, quia in illum oculi referuntur. INSANIA. Quia in hostes fremebat, vel quia urbs oppugnabatur. MIXTO LUCTU. Propter Amatæ cognitam mortem.

AMOR. Quia mussat Latinus. CONSCIA VIRTUS. Quia fugere putatur qui *Currum deserto in gramine versat*.

DISCUSSÆ UMBRÆ. Postquam mentis caligo discessit, quod sequentia indicant: ut, *Et lux reddita menti est.*

TURBIDUS. Plenus perturbationis.

ECCE AUTEM FLAMMIS. Alia persuasio ex aspectu.

UNDABAT VERTEX. Exundabat, & bene in translatione permansit, ut vertice undare diceret, vertex enim undarum dicitur, *Verticibus rapidis*: & *Vorat æquore vertex.*

QUAM EDUXERAT IPSE. Scilicet quod ei majorem creabat dolorem. Graviter enim dolemus si perire videamus illa quæ fecimus: *Eduxerat* autem, in altum fabricando sustulerat, ut alibi, *Cyclopum educta caminis.*

SUBDIDERATQUE ROTAS. Quo possit trahi ad ea loca, quibus hostis instabat.

IAM IAM FATA. Sallustianum, *Iam jam frater animo meo carissime.*

STAT CONFERRE MANUM ÆNEÆ. Placet, ut, *Stat casus renovare omnes*, vel *stat*, certum est. QUICQUID ACERBI EST MORTE, PATI. Aut quicquid in morte acerbum est placet pati: hoc est inferna supplicia, vel quid potest acerbus hostis inferre, sicut de Hectore legimus. Aut certe positivus sit pro comparativo, placet pati, si quid etiam morte acerbius invenitur.

VARIORUM.

ACER ATINAS. Hunc Atinatem nomine urbis Atinæ vocavit unde Atinates populi: nominibus enim celebribus suum poëma distinxit. Turn. lib. 28. cap. 3.

DISCUSSÆ UMBRÆ. Hac allegoria Turnum ad nuntiantis verba obstupuisse, ac plane amentem attonitumque fuisse: & mox collectis consiliorum rationibus rediisse ad se significat. HORT.

Digitized by Google

Morte, pati: neque me indecorem germana videbis
Amplius: hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, & è curru saltum dedit ocyus arvis:
Perque hostes, per tela ruit, mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit:
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cum ruit avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatque solo sylvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ:
Significatque manu, & magno simul incipit ore:
Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini:
Quæcunque est fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedêre.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arces:
Præcipitatque moras omnes: opera omnia rumpit,
Lætitia exultans: horrendumque intonat armis.

SERVII.

FVRERE ANTE FVROREM. Figura antiqua: ut, Servitutem servit, Dolet dolorem. Est autem sensus, sine me bellicum furorem furere, scilicet priusquam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam, & instructus furore ad bella prorumpam.

SAXVM DE VERTICE PRÆCEPS CVM RVIT. Comparatio ipsa futurum ostendit eventum. Simul notandum quia sicut supra in prælio, ita nunc in comparatione præfertur Æneas. Nam Turnum parti comparat montis, montibus Æneam exæquat, & est comparatio de Homero sumpta:

[illegible] ὀλοοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης
ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ
ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης
ὕψι τ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
ὕλη, ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον ὄφρ' ἂν ἵκηται
ἰσόπεδον, τότε δ' οὔτι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ.

AVVLSVM VENTO. Proprie. nam Turnus ad bellum invitus adtrahitur.

ANNIS SOLVIT SVBLAPSA. Pro multorum annorum sublapsum saxum, & quidam *lapsa* quoniam non passiva specie, sed activa dictum volunt.

MONS IMPROBVS. Pars montis, & ἐμφατικῶς dictum est. Sicut supra, *Haud partem exiguam montis.* MAGNO ACTV. Magno impetu.

EXVLTATQVE SOLO. mire sæpe exilit dum volvitur. VBI PLVRIMA FVSO SANGVINE TERRA MADET. Hypallage, ubi plurimo sanguine terra maduerat: sic supra, *Sanguine in alto*, vel certe ubi plurimum fuso sanguine madet terra.

STRIDVNTQVE HASTILIBVS AVRÆ. Homerus, συρίζουσα λόγχη, id est stridor lanceæ.

MAGNO ORE. Pro voce magna.

TELA INHIBETE. Cohibete, suspendite. & est translatio à nautis.

ME VERIVS VNVM PRO VOBIS. *Verius*, Iustius: & sensus hic est, Iustius est me unum pro omnibus rupti fœderis pœnas exsolvere. Alii veteri more dictum accipiunt, *verum* enim quod rectum & bonum esset appellabant. Terentius, *Id ne est verum modo*, id est pessimum genus: & item, *Quod si asto rem tractavit dii vestram fidem quantam & quam veram laudem capiat Parmeno.* Sallustius in primo, *Ea paucis quibus peritia & verum ingenium est abnuentibus*, Idem. per pennatam paucis pro pectus vera est æstimanda. *

DECERNERE FERRO. Decertare, dimicare: aliter *decernere*, statuere, ut decernere Senatum dicimus.

VARIORVM.

ME VERIVS VNVM. Vt justum pro vero; ita vicissim *verum* pro justo. GERMAR.

Quan-

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.
Iam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. stupet ipse Latinus
Ingentes genitos diversis partibus orbis
Inter se coiisse viros, & cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro:
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors & virtus miscentur in unum.
At velut ingenti Syla, summove Taburno
Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur:
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,

SERVII.

QVANTVS ATHON. Hæc est vera lectio. Nam si legeris ATHOS, thos brevis est: & versus non stat. *Athon* autem dici accusativus indicat. nam hunc Athona facit, sicut Apollon Apollona, Quod autem Herodotus hunc Athon & hunc Apollon dicit, Atticæ declinationis est. *Athon* autem mons est adjacens Thraciæ circa Lemnum insulam in promontorio Macedoniæ. AVT QVANTVS ERYX. Siciliæ mons supra Drepanum oppidum. NIVALI VERTICE SE ATTOLLENS PATER. Apenninus mons Italiæ est, de hoc Lucanus, *Nulloque à vertice tellus Latius intumuit, propiorque accessit Olympo.*

TROES ET OMNES. Græce declinavit, unde brevis est ES: ut supra, *Troes agunt.*

ARMAQVE DEPOSVERE. Spectaturi vel defessi, vel jussi ne quis possit iterum fœdus turbare.

INTER SE COIISSE VIROS, ET CERNERE FERRO. Vera & antiqua lectio hæc est. Nam Ennium secutus est, qui ait, *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Posteritas cœpit legere, & *decernere.* Secundum quam lectionem Synalœpha opus est, sed excluso OS, ut fit *Inter se coisse vir' & decernere ferro.*

VACVO PATVERVNT. Potest intelligi & Patuerunt corporis magnitudine.

PROCVRSV. Vna pars orationis est.

DAT GEMITVM TELLVS. Pulsu pedum.

FORS ET VIRTVS MISCENTVR IN VNVM. *Fors*, id est casus in Turno, *virtus* in Ænea. Nam in bello casus etiam plurimum valet. Cicero in Miloniana, *Adde casus, adde incertos exitus, Martemque communem.*

AC VELVT INGENTI SYLA, SVMMOVE TABVRNO. Syla mons est Lucaniæ: Taburnus mons Campaniæ. Sallustius de fugitivis, *In sylva Syla fugerunt.* Vnde pessime quidam *Sylva* legunt: quia proprium appellativo non potest exæquari. unde bene proprium pro proprio junxit.

PAVIDI CESSERE MAGISTRI. Proprie *magistri* sunt militum: pastores, pecorum. Sed reciprocæ sunt istæ translationes. Nam & ductor militum, pastor vocatur, ut diximus supra, & magistros pecorum dicimus. Cicero, *Quem magistrum pecoris esse dicebant.*

MVSSANTQVE IVVENCÆ. Dubitant: sicut, *Mussat rex ipse Latinus.*

NEMORI IMPERITET. Hoc est qui sunt in nemore, ut est, *Sed tota æstiva repente.*

VARIORVM.

QVANTVS ATHOS, &c. Magnitudinem animi & vires Æneæ superlationibus amplificat, ne quid sublimitati rei & ponderi desit. Athos & Ætna montes in molestiæ proverbium abivere. Vide Hort.

ET CERNERE FERRO. Eruditi quidam sic etiam legunt hoc carmen, *Inter se coiisse viros, decernere ferro*, ἀσυνδέτως, sive sublata particula conjunctionis. Disputat de lectione hac etiam Hen. Stephan. Schediasm. apud Virgil.

Digitized by Google

Cornuaque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla, armosque lavant: gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas & Daunius Heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
IVPPITER *ipse duas æquato examine lances*
Sustinet, & fata imponit diversa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.
Emicat hic, impune putans, & corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem:
Et ferit. exclamant Troes, trepidique Latini:
Arrectæque amborum acies. at perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentes deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat: fugit ocyor Euro,
Vt capulum ignotum, dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prælia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,

SERVII.

IVPPITER IPSE DVAS ÆQVATO EXAMINE LANCES. Aut poëtice dictum est, & ratione caret. nam Iuppiter ignorare nihil poterat. aut certe illud quæritur quis ibi de Turno & Ænea mortis adferat caussam. Nam dicunt philosophi mortem ad deum minime pertinere. Nam bona tantum præstat, nec ad eum quæ mala sunt pertinent. nam ideo & æquas lances sustinet, vel ideo à Iove hoc fit, ut Iunoni aliisque deis necessitatis violentiam probet: an inquirit utrum tempus sit? Tamen sciendum locum hunc à Virgilio ita esse translatum, ut in Homero lectum est,

καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
ᾤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο, λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

EXAMINE. Examen proprie est filum quo trutina regitur.

DAMNET LABOR. Id est, quem voto liberavit labor præliandi, parta scilicet victoria, quoniam unusquisque ob incolumitatem recuperatam votis exsolvitur, id est liberatur explicitis sacrificiis: ut est, *Damnabis tu quoque votis.* Nonnulli sic tradunt quem labor suus liberet, quem mors urguet. nam in Iure cum dicitur, *damnas esto*, hoc est damnatus es ut des, hoc est, damno te ut des, neque alias libereris: quidam labor pro maluit intelliguntur * VERGAT PONDERE LETHVM. Apte posuit *Vergat*: nam morientes inferos petunt.

TREPIDI LATINI. Atqui læti esse debuerunt. Sed nimia Æneæ ostenditur virtus. Nam quod naturale est ut sociis timori sit inferioris audacia. Vnde nunc Latini sunt territi, ex eo quod superiorem ferire ausus est Turnus.

ACIES. Aut exercitus, aut oculi.

VT CAPVLVM IGNOTVM, DEXTRAMQVE ASPEXIT INERMEM. Locus hic totus ad gloriam Æneæ pertinet. Namque id agit, ne videatur Turnus armorum vilitate superatus. Vnde ei redditur gladius quo etiam cum divinis armis ab Ænea possit extingui. ASPEXIT autem, quasi mirabundus quod fractus esset, cum putaret se gladium ferre Vulcanium.

PATRIO MVCRONE. Quo tempore vulneratum vidit Æneam. Sed supra de Turno, *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque*, Ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti Fecerat. Modo ergo Metisci usus est ferro: & hæc ratio est. quod quamvis armatus suo gladio descendisset ad campum, tamen causa fœderis deposuisset arma, nam & de Ænea hoc dixit, *Dextram tendebat inermem*, qui utique ad fœdus non inermis advenerat, nam dictum est, *Hinc pater Æneas, Sidereo flagrans clypeo, & cælestib. armis.* Sane PATRIO, modo paterno significat. Nam Dauni fuerat gladius: ut hic dictum est, *Ensem quem Dauno*, &c. Alias *patrium* à patria est derivativum. *Mucrone* autem pro gladio à parte totum.

VARIORVM.

IVPPITER IPSE DVAS. Homerum secutus est, quod omnes fere Grammatici observarunt. Videtur dictum ex ea cogitatione & sententia, qua prisci censebant res mortalium à Iove, velut libra quadam pensitari; unde & ὑψίζυγος à Poëtis dicitur, velut ex alto cælo omnia librans & ponderans. Aliam tamen quoque ejus noverunt adjectionis expositionem antiqui Grammatici. Itaque Theognis Iovi tribuit libram hoc versu, Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλως. Turnebus lib. 24. cap. 3. Macrob. lib. 5. cap. 13. Saturn. cap. 13.

ARRECTÆQ. AMBORVM ACIES. In spem & metum.

Dum

Digitized by Google

Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbes.
Vndique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas (quanquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant)
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis, & latratibus instat:
Ille autem insidiis, & ripa territus alta,
Mille fugit, refugitque vias: at vividus Vmber
Hæret hians: jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor, ripæque lacusque
Responsant circa, & cælum tonat omne tumultu.

SERVII.

DVM TREPIDAT. Dum turbatur, festinat, quod Græci ἐν ἀγωνίᾳ ἐστί, scilicet quando rupto fœdere subita spe furibundus ardet. FERRVM. Materiam pro opere solet * ut *Iungit equos curru genitor.*

ARMA DEI AD VVLCANIA. Hypallage pro dei Vulcani arma.

MORTALIS MVCRO. Mortali manu factus. GLACIES CEV FVTILIS. Hoc loco fragilis.

VNDIQVE ENIM DENSA TEVCRI INCLVSERE CORONA. Stratagema est. Nam postquam Turnum fugere videre Trojani, clauserunt loca per quæ evadere poterat, aut non dedita opera inclusere Trojani, sed quod ita consederant.

ATQVE HINC VASTA PALVS. Quæ nunc non apparet.

CVRSVMQVE RECVSANT. Retardant, scilicet genua quæ impediebant vulnus inlatum sagitta. Sane perite facit ut gladio non utatur Æneas, sed hasta eminus dimicare contendat: quia impediente vulnere non sequi poterat, nec in ictum consurgere. Vnde est, *Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta.*

INCLVSVM FLVMINE. Comparatio Apollonii. Alterutro inclusum aut flumine, aut formidine, aut duobus inclusum: infra enim ait, *insidiis & ripa territus alta*, ut *insidiis* pro formidine, *ripa* pro flumine posuerit.

CERVVM AVT PVNICEÆ. Vtrum figurate *cervum instat*: an potius cervum nanctus alioquin instat?

SEPTVM FORMIDINE PENNÆ. Lucanus, *Claudit odorata metuentes aëra penna.*

VENATOR CANIS. Pro venaticus.

INSIDIIS. Pinnarum scilicet: instrumentum quoddam in fune ad terrendas bestias factum.

VIVIDVS VMBER. Acerrimus Tuscus. Nam Vmbria pars Tusciæ est. Sane Vmbros Gallorum veterum propaginem esse Marcus Antoninius refert, hos eosdem quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt, Vmbros cognominatos. FVGITQVE VIAS. Figurate campum, cum mare navigat. IAMIAMQVE TENENS. Ita ut videatur intuentibus: & hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio: Sane summa brevitate rem elocutus est.

TVM VERO EXORITVR CLAMOR. Quidam quærunt an jam recessum sit his versibus à comparatione, sed non dubie videtur.

VARIORVM.

IDQVE DIV SVFFECIT. Sat fuit, ac valuit in cædendis Teucris fugientibus. HORT.

GLACIES SEV FVTILIS. *Futilis* autem χυδαῖος. Festus à fundendo, alii à futio & effutio deducunt, hoc est liquorem commissum non contineo, sed effundo. GERMAN.

CERVVM AVT PVNICEÆ. Christ. Rufus, Antexeg. cap. 6. Tom. 2. Lampad. Critic.

PVNICEÆ PENNÆ. Cælius lib. 16. cap. 11. H.

Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omneis,
Nomine quemque vocans: notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, & saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc, illuc. nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vita & sanguine certant.
Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes:
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat, fixam & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum

SERVII.

INCREPAT. Objurgat, incusat. Ut, *Æstatem increpitans seram.*

EFFLAGITAT ENSEM. Cum clamore deposcit.

TERRETQUE TREMENTES: Quis enim saucium non timeret instantem, cum eum integer fugeret? Et bene terret eos apud quos terror ejus habetur. & alibi, *Ne me terrete timentem.*

LUDICRA PRÆMIA. Vilia, digna ludo. Hæc apud antiquos ludibria dicebantur, non ut nunc in mala significatione. Dabatur autem victori pro præmio aut pellis, aut munus * esca hordeum, unde hordiariæ quadrigæ dicuntur. SACER OLEASTER. Fere omnia Latina arborum nomina, generis fœminini sunt, exceptis paucis, ut hic oleaster, & hoc siler. Ipse, *Ut molle siler lentæque genistæ.* Item hoc buxum: licet & hæc buxus dicatur. Nam superfluam quidam volunt facere discretionem, ut hæc buxus de arbore dicamus: buxum vero de ligno aliquid compositum. Legimus enim de tibiis, *Buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.* Item cum de arboribus diceret, *Et torno rasile buxum.*

VENERABILE LIGNUM. Antiquam arborem voluit exprimere. Sed truncus fuerit jam, & aridus ob vetustatem, & ideo lignum viriliter dictum accipiunt, ornavit tamen *venerabile* dicendo.

UBI FIGERE DONA SOLEBANT. Proprie: ut ait, *Sacra ad fastigia fixi.* Et quæritur cur terreno deo nautæ dona suspenderent, quia constat omnes in periculis suis deos patrios invocare, & ideo illis vota solvere quorum familiarius numen opitulari sibi credant.

NULLO DISCRIMINE. Sine aliquo religionis intuitu. Et deest *habito*, ut sit nullo discrimine habito. Intelligendum autem eatenus stirpem excisum quatenus supra terram fuit; ergo *stirpem* pro arborem accipiendum, quia & sobolem stirpem appellant.

FIXAM & LENTA RADICE TENEBAT. Plenum est, quam radix fixam tenebat. Et bene *tenebat*, quasi propter piaculum remotæ arboris hoc videtur passus Æneas, & ideo dixit *tenebat*, quod adeo verisimile est, ut Faunus Turnum audiat, & hastam moretur.

VARIORUM.

VITA ET SANGUINE. Quod quidem perinde sonat, ac si diceret: non de parva re disceptatur: cum Hector & Achilles perinde de vita certabant, ut hic Turnus & Æneas. HORT.

FORTE SACER FAUNI FOLIIS OLEASTER. Docet Turneb. lib. 8. cap. 16. testimonio Theophrasti, allusisse Virgilium ad Græcorum ritum, qui in oleastris votiva dona suspendere solebant, ut vivacissimis arboribus, nec clavorum aculeis vulneribusque lædi solitis: unde & Poetæ, *Palladia sylva vivacis olivæ.* GERMAN.

VENERABILE LIGNUM. Sive propter antiquitatem, sive propter dona votiva, quæ ibi suspendebantur, ut sequitur. PONT.

UBI FIGERE DONA SOLEBANT. Ad ritum Græcorum allusisse Maronem existimat Turnebus lib. 8. cap. 16.

VOTAS VESTES. Id est voto promissas. PONT.

PURO CONCURRERE CAMPO. Æquabili & non impedito. Sunt tamen qui *purum campum* intellexerint, ut Iurisconsulti *locum purum* dicunt, qui nec sit sacer, nec religiosus, ut nimirum sublato oleastro campus pro fanus factus videretur, per sequentia, *Quos contra Æneada, &c.* GERM.

Dar-

Dardanides, teloque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune precor miſerere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene: colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.
Dixit: opemque dei non caſſa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in ſtirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit diſcludere morſus
Roboris Æneas. dum nititur acer, & inſtat,
Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci
Procurrit, fratrique enſem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Acceſſit, telumque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes armis, animiſque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſta,
Adſiſtunt contra, certamine Martis anheli.
Iunonem interea rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tenentem:
Quæ jam finis erit conjux? quid denique reſtat?

SERVII.

PRENDERE CURSU. Quidam humiliter *prendere curſu* dictum accipiunt.

FERRUM TERRA TENE. *Ferrum* pro telo, terra autem elementum pro dea poſuit.

BELLO FECERE PROFANOS. *Profanum* proprie dicitur, quod ex religioſa re in hominum uſum convertitur, ut hic pleniſſime oſtenditur, dicens enim Turnus, *colui veſtros ſi ſemper honores. Quos contra Æneadæ bello fecere profanos*, & ſibi religioſam fuiſſe arborem, & à Trojanis in uſum communem fuiſſe conſumptam: nam ex ſua perſona ſupra poeta ait, *Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris. Hic ſteterat nautis olim*, & ſubjunxit, *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine*, &c. at poſtea dicendo *bello fecere profanos*, docuit *profanum* eſſe quod à religione in uſum hominum tranſiit, ſacro profanum contrarium, ut feſto profeſtum, faſto nefaſtum. Ergo non omne quod ſacrum non ſit profanum, ſed quod ſacrum fuerit & deſierit.

NON CASSA IN VOTA. Non ad inania vota poſcit auxilium.

LUCTANS LENTOQUE IN STIRPE MORATUS. Luctatus & moratus erat integrum, quod vitavit propter ἐμφατικώτερον. In ſtirpe autem hic radicem dixit.

RURSUS IN AURIGÆ FACIEM MUTATA METISCI. κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Iuturnam in numen reverſam, poſtquam Turnus currus reliquit.

AUDACI NYMPHÆ. Ut diximus, ubicunque inducit nitentem aliquem ſine effectu, *audacem* dicit. Præcipue autem hoc de Rutulis ſervavit dicens, *Nec curant cæco contendere Marte Amplius audaces Rutuli*, &c. LICERE. Pro quod liceret.

ARMIS, ANIMISQUE REFECTI. Sicut armis, ita & animis. namque armorum inopia, animi utriuſque torpebant.

HIC ACER & ARDUUS HASTA. Poteſt & hic haſta fidens ſubaudiri.

CERTAMINA MARTIS ANHELI. Alii CERTAMINE legunt: ut ſit ſenſus; Adſiſtunt contra ſe in Martis anheli certamine.

FULVA DE NUBE. De aëre, de elemento ſuo.

QUÆ JAM FINIS ERIT CONJUX? Quid denique. Verba iſta quaſi jam tædiantis ſunt ad longam Iunonis iracundiam. unde & paulo poſt, *Deſine jam tandem, precibuſque inflectere noſtris.*

VARIORUM.

TUQUE OPTIMA FERRUM TERRA TENE. Pathos ex ſermone converſo ad inanimata. Macrob. lib. 4 cap. 6. Saturn.

BELLO FECERE PROFANOS. Oſtendit *profanum* eſſe, quod ex ſacro promiſcuum humanis actibus accommodatum eſt. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 3.

DISCLUDERE MORSUS. Tenacitatem radicis, mordicus tenentis haſtam. PONT.

DEA DAUNIA. Periphraſis Iuturnæ.

IUNONEM INTEREA. Tranſitio ad conſultationem deorum, de fatis duorum principum.

OMNIPOTENTIS OLYMPI. Videat lector, num *omnipatentis* ſit legendum. HORT.

Indigetem Æneam scis ipsa & scire fateris,
Deberi cælo, fatisque ad sydera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris:
Nec te tantus edat tacitam dolor, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. terris agitare vel undis
Trojanos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miscere hymenæos.
Vlterius tentare veto. sic Iuppiter orsus:
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas
Iuppiter, & Turnum & terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna indigna pati: sed flammis cincta sub ipsa

SERVII.

INDIGETEM ÆNEAM SCIS IPSA, & SCIRE FATERIS. Subaudis FORE. Et *indigetes* duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant. *Ipse suis pollens opibus nihil indiga curæ.* Vel quod nos deorum indigeamus, unde quidam omnes deos indigetes appellari volunt. Alii patrios deos *indigetes* dici debere tradunt. Alii ab invocatione *Indigetes* dictos volunt, quod *indigito* est precor & invoco. Vel certe indigetes sunt dii ex hominibus facti: & dii indigetes quasi in diis agentes. Sane de Ænea fabula talis est; Cum Turno occiso & accepta Lavinia, condita civitate in Numicum fluvium, ut alii volunt, sacrificans: ut alii Mezentium, ut alii Messapum fugiens cecidisset, nec ejus esset cadaver inventum, Ascanius filius ejus victo Mezentio cum cæteris Trojanis credens & jactitans inter numina receptum, sive patrem volens consecrare templum ei constituit, quod *dei indigetis* appellare jussit.

MORTALIN', DECUIT VIOLARI VULNERE DIVUM? Mortali vulnere dixit. Non lethali, sed aut quo mortales laborant, aut à mortali inlato. Aut *mortali vulnere*, id est mortem facienti: ergo non quasi Iuturna mortalis sit. *Divum* autem subaudimus *futurum*.

(QVID ENIM SINE TE IVTVRNA VALERET?) Parenthesis: poterat enim excusare Iuno se, nihil fecisse commemorans. Vnde eum authorem fuisse Iuppiter dicit, propter illud, *Auctor ego audendi*.

DESINE IAM TANDEM. Singula pronuntianda sunt. Dicendo autem *tandem*, odium perseverantis ostendit.

NEC TE TANTVS EDAT TACITAM DOLOR. Scilicet desideriis urgere Trojanos. Sane edo, edis, edit, integrum verbum est; ut lego, legis, legit. Nam edo, es, esse anomalum constat.

VENTVM AD SVPREMVM EST. Per infinitum modum verbi dictum.

TROIANOS POTVISTI. Id est jam non potes: ideo præterito usus est tempore: & bene *potuisti*, quia ipse dixerat, *Atque ipsos potuit submergere ponto*: & iterum, *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit*.

DEFORMARE DOMVM. Deformem reddere per luctum.

SVBMISSO VVLTV. Habitum futuræ orationis ostendit.

QVIA NOTA MIHI TVA MAGNA VOLVNTAS IVPPITER. Hoc ideo Iuno quia Iuppiter necessitatem objecerat fati, dicens, *Ventum ad supremum est*. Sed Iuno sciens fatum esse quicquid dixerit Iuppiter, dicit se cedere ejus voluntati. Nam id agit ut concilie sibi ejus favorem ad petitionem futuram.

AERIA SEDE. Nubem dixit, quia supra dixerat, *Fulvo pugnas de nube tuentem*. Nam & hoc accusaverat Iuppiter. Ergo argumento verisimili utitur, quasi dicat, non faceres solum ut spectatrix essem, sed ipse rem gererem.

DIGNA, INDIGNA PATI. Id est omnia: & proverbialiter dictum est.

VARIORVM.

INDIGETEM ÆNEAN. Alexand. libro 6. cap. 4. HART.

TACITAM DOLOR. Proverb. *Cor ne edito*. HARTVNG.

Sta-

Starem acie, traheremque inimica in prælia Teucros.
Iuturnam misero (fateor) succurrere fratri
Suasi, & pro vita majora audere probavi:
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.
Adjuro Stygii caput implacabile fontis:
Vna superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Component, cum jam leges, & fœdera jungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrósque vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:

SERVII.

SVCCVRRERE FRATRI. Bene fratri, ne si diceret careret adfectu.

PRO VITA. Pro re nobis data, id est à superis: Et bene figuravit *Audere probavi.*

NON VT TELA TAMEN, NON VT CONTENDERET ARCVM. Hoc loco quasi Iuturnam sagittam jècisse significat. Sed ut supra diximus, possumus accipere, quia alter in ejus gratiam in Æneam tela contorsit: ipsi adscribendum ergo, *Contenderet arcum.* Alii ostenderet, id est adiuverit tendentem in Æneam telum: non enim certus auctor vulneris fuerat.

ADIVRO STYGII CAPVT IMPLACABILE FONTIS. Pro IVRO. nam Prothesis est. Quidam tamen volunt IVRO tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus. ut, Iuro me facturum: ADIVRO vero, cum negamus: Adiuro me non posse, Adjuro me non fecisse. Terentius, *Adjurat se non posse apud vos Pamphilo absente perdurare.* Potest tamen & AD, valde significare: ut sit *adjuro*, valde juro. IMPLACABILE autem, perjurantibus implacabile, & bene respondit ad illud quod Juppiter juraverat in decimo, ne qui deorum Trojanis, vel Rutulis ferret auxilium.

VNA SVPERSTITIO. Id est sola vel summa, ut, *unam Posthabita coluisse Samo*, superstitio autem religio, metus: eo quod superstet capiti. REDDITA. Hoc est Data. nam Prothesis est.

EXOSA RELINQVO. Exosus & perosus de eo tantum qui odit dicitur.

NVLLA FATI QVOD LEGE TENETVR. Bene FATI. nam victoriæ lex est, ut victi cedant in habitum nomenque victorum.

PRO MAIESTATE TVORVM, Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat. Inde ait TVORVM. Nam & Latinus inde originem ducit: ut, *Fauno Picus pater, isque parentem Te Saturne refert, tu sanguinis ultimus author.*

ESTO COMPONENT. Consentit: sed invita.

SIT ROMANA POTENS ITALA VIRTVTE PROPAGO. Hoc videtur dicere, Si fataliter imminet ut à Trojanis origo Romana descendat, Trojani Italorum nomen accipiant: ut Romani de Italis non de Trojanis videantur esse progeniti.

VARIORVM.

ADIVRO STYGII CAPVT. Videtur memoria lapsus Lactant. lib. I. cap. II. dum duos hosce versus, *Adjuro Stygii*, & sequentem Iovi tribuit, qui à Iunone pronuntiantur: sed tamen ejus quod sequitur de superstitione parum interest, à quo deo, dummodo à deo per Stygiam paludem jusjurandum concipiatur: quod ille sapienter ibi reprehendit. PONTANVS.

PRO MAIESTATE TVORVM. Quid sit *majestas*; quid lædere, minuere, solvere, retinere, constituere majestatem, enucleate docet Budæus annotat. poster. in Pandect.

NE VETVS INDIGENAS. Quod ea regio ad id temporis usque, sæpe ab ejus cultoribus nomen suum mutasset. HORT.

HOMINVM RERVMQVE REPERTOR. Quomodo potest deus videri (Iupiter) aut, ut ait Poëta, *hominum rerumque repertor*, ante cujus ortum infinita hominum millia fuerunt? Eorum scilicet, qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce, quam Iupiter sunt potiti. LACTANT. lib. I. cap. II.

Digitized by Google

Es germana Iovis, Saturnique altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum frustra submitte furorem:
Do quod vis: & me victusque, volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt:
Vtque est, nomen erit: commisti corpore tantum
Subsident Teucri, morem ritusque sacrorum
Adjiciam: faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mistum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis.
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Annuit his Iuno, & mentem lætata retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat,
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,

SERVII.

ES GERMANA IOVIS, SATVRNIQVE ALTERA PROLES. Locus de obscuris, de quo quidam hoc sentiunt, Petis pene illicita: sed concedenda sunt, quoniam soror Iovis es, id est Saturni filia. Quod si voluerimus admittere, erit sequens versus incongruus: ut, *Iratum tantos volvis sub pectore fluctus?* Vnde melius est ut ita intelligamus, Soror Iovis es, id est Saturni filia. Vnde non mirum est tantam te iracundiam retinere sub pectore. Nam scimus unumquenque pro generis qualitate in iram moveri. nobiles enim etsi ad præsens videntur ignoscere, tamen in posterum iram reservant; quod nunc Iunoni videtur obiicere. Nam cum se concedere diceret, petit tamen quod graviter posset obesse Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta dicentem de Agamemnone, Regum iræ ita se habent, ut etiam si ad præsens indulgere videantur, stimulos iracundiæ ad futurum reservent.

κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.

DO QVOD VIS. Bene præsenti usus est tempore. Nam promissio numinis pro facto est.

SVBSIDENT. Remanebunt, latebunt, Latinorum scilicet multitudine: ut, *Galeaque ima subsedit Acestes.* RITVSQVE SACRORVM ADIICIAM. Verum est: nam sacra Matris deûm, Romani Phrygio more coluerunt .... & patritæ leges appellatum est dixit * quæ morem sacrorum ritusque continebant, quod licet in VII. dixerit, plenius tamen declarat ... i.q.e. Nihil est enim sermo patrius Ausoniusque nisi avitus, quippe cum Ausonii antiqui Italiæ populi fuisse referantur. Nam patri ..... quod ait *morem ritusque sacrorum adjiciam*, ipso titulo legis Papyriæ usus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam, & quod junxit, faciamque omnis in ob ... eri sic enim dictæ sunt leges avitæ & patritæ, & utramque legem sacrorum complexus est. nam ritus est comprobata in administrandis sacrificiis ... q. civitas ex alieno ascivit sibi, cum receptum est, mos appellatur. Alij ita definiunt, ritum esse quo sacrificium rei fiat ..... tis. Aut institutus religiosus ceremoniis consecratus, isque privatus aut publicus est, publicus ut curiarum, compitorum ...

MENTEM LÆTATA RETORSIT. Iste quidem hoc dicit, sed constat bello Punico secundo exoratam Iunonem: tertio vero bello à Scipione sacris quibusdam etiam Romam esse translatam.

HIS ACTIS. Remoto à Turno auxilio.

DIMITTERE AB ARMIS. Per transitum, historiæ usus est verbis. nam qui ab exercitu relaxantur, ab armis dicuntur dimitti. Sallustius de Appio, ubi eum Cotta in concione ab exercitu cogit abscedere, dicit se ejus opera non usurum, eumque ab armis dimittit.

PESTES, COGNOMINE DIRÆ. Proprie pestes vocantur; diræ vero, cognomine. Et dictæ diræ, quod non nisi ante iratum Iovem videntur: ut, *Sævique in limine regis Apparent.*

VARIORVM.

NEC GENS VLLA TVOS, &c. Magno apparatu Iunonis festa Romæ celebrari cepta, quæ Græcis ἡραῖα, matronis præsertim in magna erant religione templo deæ insigni in Aventino posito: unde & Iunonem inter propensa, propitiaque Romanis numina exequitur Valer. lib. 1. cap. de miraculis PONT.

ES GERMANA IOVIS. Benevolentiæ captatio à generis dignitate. HORT.

DO, QVOD VIS. Concedit blande Iunoni, quod alioqui sua sponte donaturus esset, ut gratiam ineat.

ADIICIAM. Per reges Albanos, Romanosque.

Quas

Quas & tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodemque tulit partu: paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Iovis ad solium, sævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris:
Siquando lethum horrificum, morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Iuppiter, inque omen Iuturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile, torsit
Stridens, & celereis incognita transilit umbras:
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subito collecta figuram:
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora

SERVII.

TARTAREAM MEGÆRAM. Bene TARTAREAM addidit, ut ostendat esse & terrenam & aëream Megæram. Nam ut etiam in tertio diximus, volunt periti quandam potestatem triplicem esse, & in terris & apud superos, sicut est furiarum apud inferos. Ideo autem dicit has ex Nocte progenitas, ut ostendat & latenter oriri & intolerabilem esse iram deorum. NOX INTEMPESTA. Perpetuum noctis epitheton. Alio modo dicimus *intempestam*, partem noctis significantes.

VNO, EODEMQVE TVLIT PARTV. Dispositio hæc poëtæ, quæ dicit has & similes esse furiis, & cum his esse procreatas, hoc agit ut ostendat illam prudentium opinione esse tam apud superos, quam in terris, sicut apud inferos furias.

SÆVI REGIS. Epitheton est, accommodatum enim cum sævit, neque enim est Iuppiter semper sævus.

APPARENT. Videntur, præsto sunt ad obsequium. Vnde etiam apparitores constat esse nominatos.

LETHVM HORRIFICVM. Volunt Iovem non esse mortis authorem, sed posse mortis genere, vel prodesse, vel obesse mortalibus.

INQVE OMEN IVTVRNÆ OCCVRRERE IVSSIT. Vt Iuturnæ omen fraternæ mortis efficeret.

NON SECVS, AC NERVO PER NVBEM IMPVLSA SAGITTA. Sic illa descendit, ut solet sagitta descendere. Hinc Statius traxit ut diceret de disco jacto, *Similisque cadenti Crescit in adversos.* Impulsa autem proprie, sicut supra, *Incertum qua pulsa manu.*

FELLE VENENI. Amaritudine veneni, succo noxio: aut certe periphrasticῶs dixit venenum

TELVM IMMEDICABILE. *Immedicabile* est, cujus vulneri mederi non possit.

CELEREIS. Hypallage est pro celeriter, & ita celeriter, ut transiliat priusquam exeat.

TRANSILIT VMBRAS. *Hyperbole est.* Namque umbras semper tela comitantur. hinc ait, *Transilit umbras sagitta.* Male enim quidam *auras* legunt.

TALIS SE. Taliter collecta: ex nimia scilicet furiæ magnitudine.

CVLMINIBVS DESERTIS. Noctuam dicit, non bubonem: nam ait, *Alitis in parvæ.* bubo autem major est.

SERVM CANIT. Triste, diuturnum: ut, *Seraque terrifici cecinerunt omina vates.* Sallust. *Serum bellum in angustiis futurum.*

DONATI.

NON SECVS. Interponitur parabola, qua narratio interrumpatur, ut legentis tædium excludat.

ALITIS. Noctuam, vel bubonem intelligit.

VARIORVM.

VNO EODEMQVE. Synæresis est: EODEM enim dissyllabum est in scansione. HART.

NON SECVS AC. Hyperbolica comparatione amplificat velocitatem furiæ, & quidem decore, spectans earum naturam. HOBT.

Fert-

Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectaque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
At procul ut diræ stridorem agnovit & alas,
Infælix crines scindit Iuturna solutos,
Vnguibus ora soror fædans & pectora pugnis:
Quid nunc te tua Turne potest germana juvare?
Aut quid jam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Iam jam linquo acies. nec me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Lethalemque sonum, nec fallunt jussa superba
Magnanimi Iovis. hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per umbras,
Immortalis ego? haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine frater erit. ô quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, & se fluvio dea condidit alto.
Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam Turne retractas?

SERVII.

CLYPEVM EVERBERAT ALIS. Signa sunt ista plangentium.

STRIDOREM. Vocis scilicet sonum. nam utrunque tangit augurium, & oscinum & præpetum: quod graviter posset obesse Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta. DIRÆ. Immiti: quæ posset fratrem cernere tot laboribus subditum.

CRINES SCINDIT SOLVTOS. Aut solvit & scindit, aut solutos non propter fratris exitium, sed q... *

QVID NVNC. Decenter inducit loqui cœpisse.

MISERÆ SVPERAT. Duræ, immiti, superest.

MONSTRO. Augurio ex Iovis voluntate venienti. OBSCOENÆ VOLVCRES. Invidiose dixit. Nam una est.

QVO VITAM DEDIT ÆTERNAM. Quia occurrebat, Sed præstitit immortalitatem, dicit hanc ÆTERNAM esse caussam doloris.

IMMORTALIS. Per indignationem dictum est: *Immortalis ego*, quam maxime scilicet e.... *

GLAVCO AMICTV. Quasi propter undarum similitudinem.

INGENS ARBOREVM. Quidam pro ligneo accipiunt, ut ho... * Non sunt duo Epitheta, sed Æneas ingens, telum coruscat arboreum.

DONATI.

PRO VIRGINITATE. Pro erepto virginitatis honore.

ÆNEAS INSTAR. Redit ad narrationem quam interruperat interpositis dictis Iunonis, Iovis, & Iuturnæ.

INGENS ARBOREVM. Non hastam, sed gestatorem laudat.

VARIORVM.

QVID NVNC TE. Pathetica querela de rebus fratris desperatis, cui jam amplius nihil opis adferre potest. HORT.

QVO VITAM DEDIT Æ. A finali causa coarguit, Iovis beneficium sibi nihil prodesse. HORT.

SATIS IMA DEHISCAT. Proverb. *Terra mihi dehiscat*. Homer. Iliad. δ. μοὶ χάνοι εὐρεῖα χθών. HARTVNG.

Non

Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omneis tete in facies, & contrahe quicquid
Sive animis, sive arte vales. opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: dii me terrent & Iuppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

SERVII.

SÆVIS CERTANDUM COMINUS ARMIS. Sed hoc ideo dicit, quia vulnere tardus magis comminus pugnare desiderat.

TETE IN FACIES. Teipsum, & proverbialiter dictum. CONTRAHE. Collige, est autem hostilis iracundia.

ANIMIS. Id est viribus. Aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce possumus quicquid possumus; & hoc ideo quia septus erat undique, & non habebat effugium.

CAPUT QUASSANS. Concutiens: ut, *Tunc quassans caput.*

ET IUPPITER HOSTIS. Ordo est, ferox hostis: *Saxum circumspicit.* Homeri totus hic locus est:

ἀλλ' ὅ γ' ἀναχασσάμενος λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα τρηχύν τε μέγαν τε.
ἄντως δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥ' ἄνω λᾶαν.

Et alibi.

[illegible]

CAMPO QUI FORTE IACEBAT LIMES AGRO POSITUS. Secundum artem proprie respondet. Sic Sallustius, *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.*

MANU RAPTUM TREPIDA. Aut festina: aut re vera TREPIDA, quia sequitur, *Sed neque currentem, nec se cognoscit euntem.* TORQUEBAT. Bene imperfecto usus est tempore, quia non est perfectum quod voluit: ut, *Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.*

VIRI. Mire vero addidit quasi propter rationem ejus qui languide jecerat, & ipse lapis sine effectu fuerit, ut si dixisset talis est vir, qualem descripsi.

NEC SPATIUM EVASIT. Hic distinguendum est, ut sit, *totum nec pertulit ictum*: id est evacuatus est impetus ipsius spatio longiore.

DONATI.

PINNIS. Semper pinna, & non penna est apud Donatum.

VARIORUM.

NON ME TUA FERVIDA TERRENT DICTA. Fatetur timorem: sed hunc subtiliter excusat, quasi dicat: si occubuero, non tu me superabis, sed dii cum ipso Iove; qui armis & partibus meis inimici sunt & infesti. DONAT.

SAXUM ANTIQUUM, INGENS. Anaphora ejusdem dictionis, non solum spectat ad ejus descriptionem ab usu; verum etiam ad amplificandas vires Turni, quas etiam in præsenti discrimine ira acuit. HORTENSIUS.

LIMES AGRO POSITUS. De hujuscemodi lapide Tibull. Eleg. 3. lib. 1: ubi bona ætatis illius aureæ commemorat: *non fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva lapis.* Antiquissimos terminos formam contulisse, notat in 4. rerum Augustanorum V. CL. Marcus Velserus. PONT.

QUALIA NUNC HOMINUM. Franc. Florid. lib. 2. Subsec. cap. 2.

SED NEQUE CURRENTEM SE, &c. Non satis sciebat ubi esset, quid ageret, totus horrebat præ formidine: videns non videbat, audiens non audiebat, apud se non erat. PONT.

PER INANE VOLUTUS. Explic. Turn. lib. 5. cap. 24.

Digitized by Google

Ac velut in ſomnis oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus agri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires: nec vox, nec verba ſequuntur.
Sic Turno (quacunque viam virtute petivit)
Succeſſum dea dira negat. tum pectore ſenſus
Vertuntur varii: Rutulos aſpectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque inſtare tremiſcit.
Nec quo ſe eripiat, nec qua vi tendat in hoſtem:
Nec currus uſquam videt, aurigamque ſororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruſcat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita nunquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens, oraſque recludit
Loricæ: & clypei extremos ſeptemplicis orbes
Per medium ſtridens tranſit femur: incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totuſque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis, ſupplexque, oculos dextramque precantem

SERVII.

AC VELUT IN SOMNIS. Homeri comparatio.

NEC QUO SE ERIPIAT. Totum enim Trojani clauſerant.

SORTITUS FORTUNAM OCULIS. Hunc locum ad feriendum oculis elegit Æneas, quem fortuna deſtinaverat vulneri.

FULMINE TANTI. Pro tonitru: ſine quo fulmen nunquam mittitur.

ATRI TURBINIS INSTAR. Multis utitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum: & INSTAR (ut ſupra diximus) per ſe plenum eſt, nec recipit præpoſitionem, licet Serenus *ad inſtar* dixerit, quod in idoneis authoribus non invenitur.

ICTUS. Percuſſus. nunc participium eſt, ac ſi diceret, *Cecidit eliſus.*

DONATI.

IN SOMNIS. Ponit parabolam quam quiſque in ſe expertus intelligere poteſt, quid Turno evenerit.

URBEM. Vel in qua erat Lavinia, vel unde expectaret auxilium, quod pudor petere vetabat.

NEC QUO SE ERIPIAT. Fugiendi occaſio deerat, audendi fiducia negabatur, nullum ſperat auxilium ſorore jam remota.

HUMILIS. Corpore, id eſt, ſupplex, dejecto faſtu. Victoria Æneæ, quam ponit in fine operis, perficit atque abſolvit cumulum laudum Æneæ, quas à principio ad finem omni artificio continuavit.

VARIORUM.

NEQUICQUAM AVIDOS EXTENDERE CURSUS. Non male ſentiunt quidam Scholiaſtæ, eſſe hic, & ſequentibus verbis notationem nocturnæ oppreſſionis & ſuffocationis, quæ incubas Latinis, Græcis ἐφιάλτης. PONT.

NON CORPORE NOTÆ SUFFICIUNT. Enallage caſus pro corpori: ut *hæret pede pes*, pro pedi. Niſi malis intelligi præpoſitionem, ut ſit ſenſus: vires non ſufficiunt in corpore.

MURALI CONCITA NUNQUAM. Concita ſaxa tormento murali, ſunt ſaxa catapultis & baliſtis emiſſa ad muros feriendos. PONT.

ILLE HUMILIS SUPPLEXQUE. Supplicum morem explicat, Victorius lib. 12. cap. 23. Cicero alibi, *Tendere manus* dixit.

Pro-

Digitized by Google

Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tua. miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro: fuit & tibi talis
Anchises genitor, Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre. tua est Lavinia conjux.
Vlterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas volvens oculos, dextramque repressit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, infœlix humero cum apparuit alto
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris,
Exuviasque hausit: furiis accensus, & ira
Terribilis, Tunc hinc spoliis indute meorum

SERVII.

EQVIDEM MERVI. Secundum artem rhetoricam. nam quotiens personæ in invidia sunt, aliæ his opponuntur. unde ita ait, Ego quidem occidi mereor, sed tu debes ignoscere parentis intuitu.

NEC DEPRECOR. Non refuto, non recuso.

VTERE SORTE TVA. Interfice hostem tuum.

FVIT ET TALIS ANCHISES GENITOR. Hic distinguendum, ut duo dicat: & habuisti patrem, & pater es.

ET ME REDDE MEIS. Ordo est, *Redde meis.* sed ne ex aperto rem viro forti pudendam peteret, interpositione usus est dicens, *Seu corpus spoliatum lumine mavis.*

VICTVM TENDERE PALMAS AVSONII VIDERE. Ad gloriam Æneæ pertinet, quod se Turnus cunctis præsentibus victum fatetur.

TVA EST LAVINIA CONIVX. Quæ fuerat causa certaminis.

VLTERIVS NE TENDE ODIIS. Noli velle crudelitatem tuam ultra fata protendere, sed redde corpus sepulchro. ACER IN ARMIS. Non tantum ad præsens refertur, sed quia semper in armis acer esse consuevit.

CVNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT. Omnis intentio ad Æneæ pertinet gloriam. Nam & ex eo quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur: & ex eo quod eum interemit, pietatis gestat insigne. Nam Euandri intuitu Pallantis vlciscitur mortem.

INFOELIX BALTEVS. Nulli domino fœlix. & sic est dictum, *Infœlix balteus:* sicut, *Lacedæmoniosque hymeneos.* Et sciendum balteum habuisse Turnum ad insultationem & jactantiam, non ad utilitatem. unde est, *Atque humeris inimicum insigne gerebat.*

MONVMENTA DOLORIS. Proprie, nam & monumentum ab eo dictum est quod mentem moneat.

HAVSIT. Vidit: ut, *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.*

VARIORVM.

DAVNI MISERERE SENECTÆ. Pathos ab ætate. Macrob. lib. 4. cap. 3. Saturn.

SPOLIATVM LVMINE CORPVS. Supra lib. 2. de Palamede, *nunc cassum lumine lugent.* Corpus spoliatum lumine, pervenusta periphrasis pro cadavere. Lumen autem & lucem pro vita dicunt Poëtæ & non semel Maro. In eundem usum Græci τὸ φῶς & βλέπειν familiaria. GERMAN.

VICTVM TENDERE PALMAS. Macr. lib. 4. cap. 2. Saturn.

DEXTRAM REPRESSIT. A decoro personæ non recedit, ut etiam in extrema victoria moderatum eum fingat, & in devictum hostem clementem. HORT.

NOTIS FVLSERVNT CINGVLA BVLLIS. *Bulla* & Græcis βοῦλλα, insigne quondam triumphantium; post in usum etiam puerorum nobilium usurpatum: à cujus specie *bulla* πομφόλυξ dicta, tumor quidam in aqua bulliente excrescens & statim evanescens. Pro ornamentis autem, quibus cingula decorantur, usurpavit & Calphurn. in Bucol. *Alternat vitreas lateralis cingula bullas.* GERMAN. Vnde vero dicta, & quid moneret, consulendus Pierius lib. 41. in *Bulla.* Hic ergo accipiendum pro capitibus clavorum, quibus militaria cingula ornabantur. De bullis istis in cingulo seu balteo, agit plenissime. Lipsius in Analect. ad Dialog. 2. lib. 3. de Milit.

Digitized by Google

Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

SERVII.

PALLAS IMMOLAT. Ad suæ mortis & abrupti fœderis ultionem, te tanquam hostiam immolat Pallas.

FRIGORE. Morte: ut, *Corpusque lavant frigentis, & unguunt.*

VITAQUE CUM GEMITU FUGIT INDIGNATA SUB UMBRAS. *Indignata*, vel quia post preces veniam non meruerat: vel quia Laviniam fore sciebat Æneæ: vel quia, ut supra de Camilla diximus, discedebat à juvene. Nam volunt physici animam discedere à corpore invitam, cum quo adhuc habitare naturæ legibus poterat. Sic Homerus,

Ψυχὴ δ' ἐκ μελέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.

VARIORUM.

PALLAS IMMOLAT. *Immolare* proprie dicuntur victimæ, non cum cæduntur, sed cum accipiunt molam salsam. Immolandi ergo verbum non popis aut victimariis, sed his, qui magistratu, sacerdotiove publico præditi, aut etiam privatim domi sacra faciebant, assignari, &c. Brisson. Form lib. 1. num. 18.

VITAQUE CUM GEMITU. Cur voce *gemitu*, usus fuerit Maro, explicat Titius lib. 7. cap. 23.

FUGIT INDIGNATA. Immatura, quia juvenis: aut quia victus à peregrino: aut quia regno cum dedecore excedebat: aut quia nemo volens moritur, ut supra dixit de Camilla. SABINUS.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM
IN COMMENTARIIS CITATORUM.

ABantis Troica, 78.
Abienus, 842. 845.
Academici. 410. 608.
Accius, 234. 247. 529. 666. 853. 859. 969.
in Atreo, 718.
in Bacchis, 978.
in Clytemnestra, 235. 242.
in Deiphobo, 310.
in Pelopidis, 538.
in Philoctetа, 809.
in Troadibus, 253.
Adeius, 268.
Acilius, 508.
Adespotum Græc. 69.
Aelius, 83.
Ælianus, 149.
Aelius Gallus, 103.
Æmilius Macer, 29. 288.
ornithogonia, 283.
Æschylus, 226. 243. 377. 423. 515. 555. 594. 820. 870.
Æsopus, 111.
Afranius, 62. 488. 908.
in Sororibus, 168.
Agellius, 225. 296. 327. 622.
Agrippa secund. vitæ suæ, 131.
Albertus Gentilis, 63.
Alcmanes, 177.
Alexander. 347. 393. 476. 734.
Alexander Aetolus in musis, 920.
Alexander Polyhistor. 849.
Alexarchus, 435.
Alphenus, 767.
Ammianus, 887.
Anacreon, 911.
Anaxagoras, 39. 528. 673.
Annales. 440.
Anneus Placidus, 234.
Antonius, 568.
Apollo Hyperboreus, 411.
Apollonius, 157. 273. 337. 375. 421. 423. 468. 483. 498. 498. 525. 558. 561. 562. 564. 606. 632. 709. 872. 927. 985.
Apulejus, 48. 729.
de arboribus, 118.
Aratus, 19. 100. 110. 114. 150. 255. 351. 637.
Aristonicus, 435.
Aristophanes, 26. 70. 74. 293. 780.
Aristoteles, 3. 27. 53. 55. 76. 89. 181. 169. 171. 191. 192. 194. 195. 196. 200. 202. 212. 220. 233. 241. 250. 280. 306. 427. 527. 542. 602. 621. 753. 859.
Arnobius, 39. 156. 180. 267. 406. 754.
Artemidorus, 20.
Artigraphus, 244. 885.
Asconius Pedianus, 22. 25.
Asellio, 951.
Asinius Pollio, 328. 628. 893.
Asper, 14. 140. 216. 220. 647. 666. 676. 728. 769. 772. 797. 813. 836. 858. 860. 866. 907. 935.
Athenæus, 26. 129. 235. 490. 544. 667. 690.
Attacinus, 850.
Atta, 79.
in Megalensibus, 48.
Atteius Philosophus. 307. 538.
Auctor ad Herennium, 350.
Aufidius Modestus, 852.
Augustin. de civit. Dei, 24. 817. 767.
Augustus, 497.
de memoria sacr. lib. 2. 51. 64.
Avienus, 118.
Ausonius, 126. 179. 625.

BAldus, 906.
Bacchylides in Dithyrambis, 588. 857.
Bæbius Macer, 568.
Bayfius, 233. 347. 555. 582. 671. 808. 878.

CÆcilius, 82.
Cælius Aurelianus, 798.
Cælius, 83. 141. 243. 245. 249. 259. 262. 289. 308. 310. 318. 324. 329. 365. 373. 389. 420. 423. 442. 444. 447. 450. 460. 468. 470. 489. 507. 512. 519. 530. 547. 556. 569. 578. 580. 585. 586. 588. 589. 596. 598. 601. 607. 609. 612. 613. 615. 617. 620. 633. 634. 636. 649. 661. 663. 665. 667. 679. 683. 692. 698. 702. 729. 733.
Cæsar, 266. 539. 832. 866. 901.
in Ephemeride sua. 932.
ad Cic. 111. 170.
Cajus I. c. 176.
Calaber, 324.
Calasiris, 285.
Callimachus, 59. 67. 97. 285. 401.
in ..., 703.
Calphurnius, 995.
Calvus, 385. 475. 892.
in Io. 41. 51.
Campester, 842.
Caper, 628. 815. 847. 849. 872. 951.
Carisius, 324.
Carminius, 635. 653. 742.
de Elocutionibus, 551.
Cassius Hemina, 281. 287. 693. 978.
annalib. 74. 237.
Cato, 102. 135. 266. 267. 322. 406. 433. 442. 466. 481. 498. 510. 527. 532. 534. 645. 665. 687. 698. 759. 765. 822. 902. 904. 922. 952.
in Originibus, 83. 131. 226. 227. 243. 287. 461. 466. 568. 578. 697. 807. 835. 836. 858. 904. 929. 930.
de re milit. 146.
de re Rustica. 79. 319.
in orationib. 493. 672.
orat. de Achæis, 44.
ad filium, 79. 126. 146.
in L. Furium, 493.
de suo Consulatu. 24.
in legem Voconiam, 305.
Catulinus, 823.
Catullus, 30. 63. 126. 133. 148. 167. 208. 335. 509. 530. 569. 570. 586. 617. 679. 756. 875. 977.
Cellus, 104. 140. 151. 169. 175. 176. 191. 502.
Chærilus, 117.
Chrysippus, 140.
Chrysostomus, 219. 313.
Cicero, 2. 3. 13. 18. 37. 39. 42. 56. 61. 65. 79. 81. 82. 89. 125. 135. 149. 158. 203. 208. 210. 224. 231. 243. 253. 257. 258. 273. 290. 297. 305. 307. 313. 314. 318. 329. 338. 339. 342. 346. 350. 397. 398. 402. 430. 436. 438. 440. 448. 456. 458. 461. 462. 497. 504. 507. 516. 517. 526. 548. 550. 554. 558. 559. 567. 584. 608. 620. 626. 628. 631. 632. 634. 636. 654. 674. 676. 684. 690. 702. 704. 721. 729. 743. 748. 750. 756. 759. 761. 786. 790. 794. 798. 804. 808. 811. 854. 860. 892. 902. 917. 929. 946. 949. 964. 966. 969. 983. 994.
in Rhetoricis, 659. 800.
Rhetoric. I. 733.
de Oratore, 2. 7. 253. 582.
in Oratore. 515. 742.
in Bruto, 296.
in Oeconomicis, 138. 146. 318.
in Oeconom. III. 79.
pro Quintio, 339. 825.
pro Flacco, 363.
pro Roscio, 103. 301. 378. 416. 435. 822.
in Verrinis, 44. 107. 156. 175. 224. 225. 255. 322. 330. 339. 372. 392. 451. 466. 532. 539. 548. 608. 713. 855. 866.
2. de Finibus, 257.
in divinatione, 3. 277. 446. 678.
in prætura, 32. 409.

Digitized by Google

in Pompejana, 161.
pro Rabirio, 229.
pro Archia, 493.
pro Marcell. 302.
in Catil. 171. 562. 918.
pro Muræna, 310. 406. 436.
pro domo sua, 718.
in Sestiana, 92. 94. 582. 758.
in Cæliana, 10. 320.
in Pisonem, 45. 719.
in Vatin. 47. 402.
in Epist. Fam. 257.
Ad Atticum, 436.
Ad Quintum Fratr. 442.
in Miloniana, 61. 144. 250. 443. 983.
in Philippicis, 42. 63. 187. 270. 444. 461. 530. 634. 830.
Philippic. I. 503.
II. 85. 369.
III. 82.
in Cornelianis, 930.
in Fundaniana. 141.
in Gabinium, 88.
pro Scauro, 93.
in Arato, 87. 402.
in Elegia, quæ Talemastis inscribitur, 6.
in Auguralibus, 577.
in Cæsarianis, 129. 549. 913.
ad Brutum, 741.
de Republ. 138. 265. 250. 848. 963.
de Legibus, 24. 788.
in Timæo, 77. 515.
in Hortensio, 275. 430. 747. 748.
de Gloria, 13.
de nat. Deorum, 24. 85. 152. 267. 271. 430. 506. 524. 655.
de Divinat. 446.
in Tusculanis, 18. 88. 153. 322. 412. 471. 594. 643. 826. 980.
Tuscul. I. 283. 308. 387. 458. 527. 643. 925.
III. 194.
Officior. III. 261.
I. 22. 493.
in Catone majore, 155. 163. 889.
in Fontejo, 221.
in Lælio, 226.
Cincius, 74. 352.
Cinna, 63.
Smyrna, 105.
Clanarius, 904.
Claudianus, 7. 419. 486.
Claudius Quadrigarius, 86.
Annal. I. 245.
lib. IIII. 89.
Clinias, 268.
Clodius Tuscus, 980.
Clodius Scriba commen. 236. 352.
Comment. IV. 251.
Columella, 22. 85. 87. 106. 121. 125. 126. 146. 156. 167. 176. 180. 181. 190. 193. 195. 196. 197. 199.
Comminianus, 16.
Commentarius quidam, 618.
Conon, lib. de Italia, 701.
Corinthus, 859.
Cornelius, 682.
Cornelius in Alphenum, 61.
Corn. Balbus, 482.
Cornificius, 23. 30. 80.
Cornificius Longus, 415.
Cornutus. 104. 235. 205. 295.
Critias, 244. 527.
Ctesias, 77. 381.
Curtius, 741.

Declamationes in Virgil. 858.
Democritus, 458.
Demosthenes, 342. 492. 902.
Didymus, 495. 663.
Diodorus Sicul. 66. 109. 149. 180. 214. 236. 295.
Diogenes, 77.
Diomedes, 225.
Dion Nicæus, 570.
Dionysius, 97. 236. 267. 409. 417. 570. 632. 649. 734. 755. 758. 762.
Dioscorides, 48. 56. 519. 818.
Domitius in Cicuta. 21.
Donatus, 10. 18. 36. 68. 88. 184. 120. 140. 146. 184. 200. 211. 221. 225. 284. 344. 380. 395. 398. 434. 451. 461. 462. 485. 549. 550. 551. 563. 564. 565. 600. 604. 605. 613. 627. 634. 656. 689. 739. 750. 759. 772. 804. 813. 818. 846. 853. 882. 889. 904. 933. 965. 972. 973. 974. 977.

Empedocles, 39. 244. 527.
Ennius, 49. 62. 67. 75. 83. 147. 148. 159. 162. 194. 201. 202. 204. 226. 230. 231. 232. 236. 239. 241. 247. 250. 255. 260. 264. 268. 269. 324. 335. 347. 353. 356. 364. 387. 426. 469. 490. 508. 523. 530. 538. 546. 604. 628. 631. 639. 640. 644. 646. 648. 652. 676. 686. 689. 693. 698. 701. 712. 738. 748. 755. 757. 772. 780. 791. 795. 797. 802. 803. 810. 812. 813. 817. 821. 822. 850. 858. 882. 896. 902. 904. 914. 927. 950. 961. 972. 975. 978. 980. 983.
in Annalib. 435.
VII. 164.
Satyrar. II. 951.
Iphigenia, 236.
Epaphus, 405.
Ephorus Hist. 74.
Epicadus, 312.
Epicurei, 472. 524. 542. 608. 616. 632. 654. 656. 854.
Epicurus, 141.
Epimenides, 76.
Eratosthenes, 100. 268.
Eudoxus, 430. 519.
Euphorion, 43. 66. 70. 331. 349. 363. 401. 633.
Euripides, 250. 305. 363. 401. 404. 411. 423. 448. 456.
Troad. 398. 514. 525. 533. 534. 582. 624. 627. 609. 676. 686. 698. 699. 820. 950. 964.
Hecuba, 868.
Hercule, 588.
Eusebius, 160.
Eustathius, 34. 66. 86. 212. 219. 459. 494. 526. 588. 682. 831. 919.
Eutropius, 266.

Fabius, 225. 757.
Fabius Maximus. Annal. I. 225.
Fabius Pictor, 76. 978.
Faernus, 842.
Festus, 45. 49. 87. 114. 130. 260. 205. 338. 405. 517. 665. 705. 774. 897. 934. 965. 985.
Festi Epitomator, 146.
Flaccus Argonaut. 457.
Florus, 351.
Fulgentius, 231. 832.
Fronto, 285. 658. 698.

Galenus, 207.
Gargilius Martialis, 200.
Gellius, 262. 297. 311. 325. 542. 350. 380. 587. 615. 620. 627. 633. 759. 893.
Annal. 507.
A. Gellius, 102. 106. 116. 162. 371. 373. 596. 646. 651. 667. 700. 755. 803. 808. 845. 889. 933.
noct. Attic. 577. 645.
Glossæ, 33. 207. 730.
Gracchus, 138. 902.
in Concionib. 700.
Gyraldus, 160. 236.

Hadrianus, 764.
Hebrus, 656.
Heliodorus, 285.
Heraclides, 267. 745.
Heraclitus, 83. 607. 897.
Herodotus, 61. 66. 189. 192. 295. 334. 510. 704. 983.
Hesychius, I. 195.
Hesiodus, 24. 40. 72. 75. 93. 101. 104. 106. 174. 248. 249. 256. 250. 337. 421. 423. 516. 619. 672. 718. 734. 823. 849. 947.
in Theogonia, 552. 713.
περὶ γυναικῶν, 672.
in Aspide. 914.
Hipparchus, 89. 539.
Hippocrates, 966.
Historia Pœnorum, 277. 323.
Historia Romana, 746.

Homerus,

Homerus, 10. 14. 27. 34. 41. 42. 66. 72. 73. 75. 84. 100. 103. 109. 111. 125. 188. 196. 205. 206. 208. 212. 213. 219. 224. 225. 228. 230. 232. 233. 236. 237. 238. 241. 242. 243. 244. 245. 250. 251. 252. 254. 255. 256. 258. 259. 261. 272. 273. 275. 281. 286. 291. 294. 295. 296. 298. 306. 307. 309. 315. 317. 324. 327. 332. 339. 340. 347. 349. 350. 351. 355. 356. 357. 359. 360. 361. 363. 364. 365. 366. 368. 373. 376. 379. 382. 383. 385. 396. 397. 401. 408. 410. 411. 413. 415. 416. 421. 426. 427. 428. 441. 443. 444. 447. 448. 450. 457. 459. 460. 461. 462. 471. 472. 486. 489. 491. 492. 493. 494. 506. 509. 512. 517. 524. 527. 529. 530. 533. 534. 535. 540. 543. 545. 547. 548. 549. 556. 557. 558. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 572. 575. 576. 577. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 590. 595. 597. 598. 600. 601. 603. 604. 605. 606. 608. 615. 618. 620. 621. 623. 624. 625. 627. 630. 631. 634. 636. 639. 641. 643. 645. 654. 655. 657. 658. 663. 668. 670. 673. 676. 677. 682. 683. 688. 689. 690. 694. 695. 698. 699. 705. 714. 717. 721. 722. 726. 727. 733. 737. 743. 745. 746. 750. 752. 753. 754. 756. 757. 762. 763. 765. 766. 769. 770. 777. 781. 784. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 797. 803. 805. 808. 809. 810. 811. 813. 815. 818. 820. 821. 823. 830. 844. 848. 855. 857. 860. 862. 867. 868. 869. 870. 872. 875. 876. 877. 879. 880. 881. 886. 887. 893. 894. 897. 898. 900. 901. 902. 905. 909. 912. 916. 917. 926. 931. 932. 934. 935. 938. 940. 943. 946. 947. 949. 950. 952. 953. 954. 957. 959. 962. 963. 964. 970. 973. 974. 975. 977. 979. 981. 982. 984. 990. 992. 993. 996.

Homeri interpres, 414.

Horatius, 2. 4. 9. 12. 13. 14. 16. 20. 21. 24. 25. 28. 30. 31. 40. 45. 47. 48. 49. 51. 52. 60. 62. 63. 66. 76. 82. 96. 103. 104. 105. 107. 108. 109. 113. 114. 116. 118. 119. 122. 123. 124. 130. 133. 135. 137. 140. 144. 149. 150. 153. 154. 157. 165. 166. 167. 168. 171. 177. 179. 182. 183. 187. 189. 197. 199. 202. 204. 208. 210. 217. 218. 223. 227. 228. 233. 234. 237. 247. 257. 258. 260. 262. 263. 268. 270. 276. 280. 281. 288. 294. 298. 299. 300. 301. 306. 308. 318. 319. 320. 321. 322. 324. 327. 331. 335. 337. 338. 341. 350. 354. 355. 356. 365. 366. 369. 371. 372. 374. 375. 380. 382. 384. 385. 392. 394. 399. 406. 411. 414. 416. 417. 432. 448. 451. 455. 456. 474. 475. 479. 486. 490. 491. 493. 496. 498. 508. 509. 518. 522. 524. 526. 530. 531. 540. 541. 546. 548. 549. 561. 562. 564. 568. 577. 583. 585. 587. 588. 589. 595. 598. 600. 601. 602. 603. 608. 631. 632. 633. 646. 652. 657. 659. 661. 662. 663. 678. 679. 681. 682. 684. 685. 687. 689. 691. 692. 698. 709. 713. 721. 742. 754. 756. 759. 766. 768. 776. 779. 794. 805. 806. 810. 812. 829. 849. 852. 857. 869. 885. 889. 894. 897. 898. 899. 901. 910. 919. 911. 934. 949. 952. 957. 974. 978.
In arte Poët. 259. 637. 865. 880. 947.

Hortensius, 267. 957.

Hostius belli Histrici, I. 951.

Hyginus, 149. 293. 299. 329. 559. 659. 755. 951.
de urbib. Ital. 268. 455. 680. 697. 755. 759.
de familiis, 559.

INcertus Poëta, 94. 274. 236. 311. 314. 319.

Ion. 317.

Iosephi antiquit. 39.

Isidorus, 83. 121. 166. 332. 582. 603. 665. 821.

Isocrates, 156. 657.

Iuba artigraphus, 566.

Iulianus ad Sarapion, 488.

Iulius obsequens, 513.

Iustinus, 84. 227. 285. 295.

Iuvenalis, 4. 16. 20. 47. 68. 81. 56. 119. 149. 150. 152. 153. 155. 177. 179. 197. 205. 224. 229. 243. 254. 258. 297. 311. 313. 312. 330. 337. 335. 342. 371. 380. 384. 416. 452. 472. 477. 489. 490. 491. 508. 519. 526. 534. 539. 545. 546. 548. 557. 554. 558. 601. 604. 611. 620. 632. 652. 663. 671. 685. 690. 715. 736. 747. 759. 767. 801. 808. 809. 814. 822. 855. 867. 881. 900. 915. 920. 924. 930.

LAbeo, 281. 415.

Leges XII. tab. 403. 632. 978.

Leges Regum, 180.
Numæ, 27. 653.

Libri Antiqui, 729. 730.

Libri Augurum, 453. 474. 771.
Etruscor, 234. 453. 741.
Haruspicinæ, 741.
Indigitamentor, 76.
Pontificales, 34. 810. 978.
Sacrorum, 47. 796.

Linus, 28.

Livius Andronicus, 473. 864.
odyssea. 242.

Livius, 40. 109. 117. 155. 156. 226. 227. 262. 265. 267. 277. 279. 282. 284. 291. 293. 324. 344. 348. 369. 412. 420. 462. 493. 545. 559. 568. 580. 586. 602. 645. 649. 650. 653. 657. 665. 692. 712. 728. 734. 756. 762. 771. 809. 815. 821. 832. 893. 897. 901.

Longus, 840.

Lucanus, 2. 4. 19. 21. 78. 81. 100. 107. 110. 117. 118. 123. 128. 130. 137. 138. 145. 149. 151. 153. 157. 164. 177. 182. 183. 188. 198. 204. 207. 214. 215. 218. 223. 224. 225. 228. 233. 237. 245. 252. 257. 277. 282. 284. 286. 300. 304. 307. 308. 331. 346. 347. 355. 356. 365. 372. 373. 376. 377. 397. 402. 408. 410. 423. 431. 434. 440. 445. 452. 453. 469. 477. 486. 494. 499. 504. 514. 519. 535. 549. 576. 590. 591. 592. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 606. 607. 612. 619. 627. 634. 635. 637. 648. 651. 664. 670. 674. 680. 692. 699. 700. 701. 702. 726. 731. 735. 746. 749. 768. 802. 809. 811. 814. 820. 834. 838. 839. 849. 852. 857. 870. 894. 898. 899. 900. 912. 914. 916. 923. 943. 959. 964. 965. 973. 983. 985.

Lucianus, 35. 68. 366.

Lucillius, 41. 88. 103. 127. 167. 173. 192. 212. 213. 240. 254. 262. 319. 322. 355. 356. 414. 485. 513. 585. 593. 708. 713. 784. 805. 810. 831. 836. 847. 846. 850. 858. 860. 924. 942. 980.

Lucius in V. 88.

Lucretius, 39. 65. 71. 72. 79. 80. 84. 88. 90. 113. 123. 130. 135. 140. 142. 150. 151. 152. 165. 166. 168. 174. 175. 181. 183. 185. 186. 187. 188. 194. 204. 206. 207. 210. 216. 217. 220. 221. 237. 247. 258. 263. 318. 325. 411. 416. 418. 457. 494. 497. 515. 516. 524. 526. 528. 530. 536. 538. 542. 566. 571. 586. 596. 605. 631. 634. 652.

651.

858. 672. 688. 705. 706. 723. 726. 740. 756. 771. 799. 854. 873. 878. 896. 897. 913. 948. 968. 988.
Lactatius, 10. 222.
Lutatius communium historiar. 815.
Lycophronis interpres, 59.
Lycurgus, 558.
Lyrici antiqui, 26.
Lysimachus, 350.

MAcer, 9.
Mæcenas, 123.
Mago Afer, 328. 341.
de re rustica, 79.
Marcus Antoninius, 985.
Martialis, 63. 69. 77. 138. 149. 169. 200. 440. 442. 455. 470. 711. 760. 767. 956.
Martianus I. C. 87.
Maryllus, vel Marinus vel Martianus, lupercorum poëta, 3.
Maryllus Mimographus, 47. 685.
Masurius Sabinus, 352.
Mathematici, 625.
Mela, 412. 772.
Melissus. 484.
Melo. 772.
G. Memmius de Lucull. triumph. 251. 455. 937.
Menander, 439. 951.
Menecrates. 587.
Meto, 430.
Metrodorus, 99. 141.
Mezentius, 55.
Modestus, 161.
Moschus in Prolegomen.
Musæus, 637.

NÆvius, 258. 268. 400. 469. 496. 859.
bello Punico, 252. 256. 260. 398. 815.
Andromache, 103.
Neronis Troica, 558.
Nicander, 26. 134. 182. 188. 495.
Nigidius, 76. 80. 102. 281. 835. 930.
de diis, 25.
comment. grammat. 88.
in sphæra Græcanica, 79. 98.
de animalibus, 166.
de hom. natura, 253.
Nonius, 88. 166. 196. 206. 210. 221. 306. 434. 474. 610. 617. 758. 961. 966. 968.
Numanus, 490.

OLedius Nasso, 23.
Oraculum. 411.
Orosius, 295. 760.
Orpheus, 28. 74. 411. 617. 629.
Ovidius, 5. 23. 41. 60. 69. 70. 100. 111. 113. 131. 157. 183. 207. 219. 220. 236. 342. 350. 403. 429. 448. 462. 468. 485. 507. 513. 514. 534. 560. 581. 583. 584. 588. 597. 621. 626. 697. 700. 756. 832.
in Metamorph. 116. 179. 209. 212. 249. 264. 415. 525. 543. 552. 555. 631. 680. 715. 869. 897. 906. 967.
in fastis, 79. 285. 325. 712. 734.
de Ponto, 927.
in Epist. Oenon. 70. 499. 633.
Trist. 170.

PAcuvius, 216. 236. 380. 387. 469. 483. 514. 515. 537. 676. 899. 961.
in Antiopa, 978.
in Hermione, 538. 892.
in Medea, 920.
in Teucro, 242. 812.
Palæfatus, 149. 400. 409.
Palladius, 125. 195. 721.
Papinius, 13. 140. 455. 559.
Paterculus, 764.
Pausanias, 160. 208. 219. 355. 435. 502. 642.
Persius, 16. 82. 91. 113. 169. 177. 179. 202. 206. 209. 253. 305. 319. 322. 350. 379. 440. 449. 501. 537. 543. 546. 547. 550. 597. 601. 657. 726. 810. 855. 867. 893. 921.
Petosiris. 842.
Petronius, 139. 196. 405. 954.
Philistus, & Philisthenes, 6.
Philochorus, 755.
Philostephanus περὶ εὑρημάτων, 76.
περὶ νήσων. 256.
Phocylides, 530.
Pindarus, 75. 259. 465. 635. 731. 845. 870.
Isthmia, 77.
Piso, 395. 818.
Pius commentator, 576.
Plato, 33. 69. 141. 142. 324 446. 485. 507. 530. 539. 542. 543. 558. 610. 613. 620. 621. 626. 641. 642. 753. 884.
Phædone, 380. 583. 640.
Politicis, 200.
Symposio, 621.
de repub. 33. 200. 632.
Plautus, 16. 71. 82. 111. 127. 138. 152. 186. 201. 206. 208. 222. 223. 266. 288. 291. 293. 319. 322. 324. 329. 333. 335. 550. 365. 419. 4 3. 464. 478. 483. 488. 492. 520. 538. 537. 591. 593. 603. 604. 646. 700. 731. 791. 794. 79 . 837. 851. 860. 884. 905. 931. 973. 977.
Amphitruone, 97. 255. 266. 370. 420. 490. 492. 717. 753.
Asinaria, 811. 907.
Aulularia, 54. 109. 133. 404.
Bacchidib. 56. 329. 616. 853. 942.
Captivis, 65. 212. 490.
Casina, 112. 170. 301.
Cistellaria, 510. 863.
Curculione, 488. 510. 526.
Epidico, 891.
Menæchmus, 89. 95. 109. 496. 505. 758.
Mercatore, 103. 311. 375.
Milite, 34. 62. 129. 145. 261. 301. 526. 791. 858. 948.
Mostellaria, 6. 405. 545. 759. 914. 839.
Persa, 34.
Pænulo, 193. 196. 229. 348. 768.
Pseudolo, 77. 249. 281. 498. 801. 810. 839. 869.
Pyrgopolinice, 942.
Rudente, 141.
Addicto, 88.
Vidularia, 13.
Querulo, 424.
Trucul 65.
in Sticho, 327.
Plinius, 12. 16. 22. 26. 32. 47. 53. 58. 73. 81. 85. 90. 98. 112. 113. 115. 116. 117. 122. 125. 126. 130. 139. 143. 146. 148. 152. 155. 160. 162. 164. 165. 166. 167. 173. 180. 182. 183. 184. 186. 188. 191. 192. 194. 195. 196. 197. 198. 200. 201. 202. 203. 205. 207. 208. 218. 219. 253. 271. 288. 292. 302. 318. 335. 355. 387. 391. 438. 447. 469. 493. 519. 541. 542. 547. 611. 614. 618. 636. 663. 673. 689. 697. 704. 709. 766. 767. 771. 775. 813. 814. 818. 835. 842. 886. 888. 934. 950. 954. 977.
in Naturali hist, 9. 47. 113. 130. 284. 330. 410. 483. 473. 495. 519. 522. 535. 560. 601. 603. 658. 741. 761. 766. 815. 836.
Epist. 282.
Plotinus, 781.
Plutarchus, 89. 128. 155. 324. 407. 439. 519. 548. 544. 558. 605. 636. 649. 704. 730. 758. 765. 774. 768.
Pænias antiquus Tragicus. 533.
Poëta vetus, 78.
Polemon, 730.
Pollio vide Asinius.
Polybius, 292.
Pomponius, 449.
Pompejus, vide, Trogus, 213. 473.
Pollux, 483.
Porphyrius in Sole, 34. 518.
Postuinus de adventu Æneæ, 815.
Priscianus, 22.
Probus, 24. 27. 44. 73. 74. 82. 95. 96. 97. 99. 100. 104. 126. 128. 131. 138. 143. 148. 157. 159.

160. 161. 162. 175. 176. 181. 191. 198. 209. 212. 215. 217. 224. 230. 235. 289. 329. 347. 409. 510. 585. 600. 623. 647. 653. 681. 703. 742. 820. 823. 824. 828. 835. 836. 844. 852. 858. 921. 922. 936. 955. 978.
de temporum connexione, 681.
Proclus, 325.
Propertius 10. 51. 66. 78. 195. 198. 218. 235. 347. 397. 541. 577. 730. 766. 811.
Prudentius, 82.
Ptolomæus, 126. 160. 430. 539. 642. 697.
Publius in Mimis. 59.
Pythagoras, 210. 407. 543. 557. 610. 746.

Quadrigarius, 86. 89.
Quinctianus Stoa, 527.
Quintilianus, 29. 91. 119. 224. 241. 245. 250. 250. 324. 331. 335. 339. 355. 356. 405. 434. 462. 494. 528. 552. 565. 569. 598. 702 759. 765. 821.
Quintilius Varus, 81.

Rhetorica, 497.
Rubellius Blandus, 86.
Ruellius de nat. stirp. 61.

Sallustius, 10. 12. 14. 16. 30. 31. 48. 51. 52. 56. 73. 75. 77. 79. 81. 95. 97. 102. 105. 116. 126. 134. 144. 151. 161. 167. 180. 183. 184. 185. 186. 193. 194. 199. 202. 203. 205. 208. 224. 225. 226. 228. 229. 230. 233. 235. 239. 243. 245. 246. 250. 251. 252. 255. 258. 260. 262. 264. 266. 267. 269. 272. 273. 275. 277. 278. 281. 285. 286. 287. 288. 289. 291. 295. 295. 297. 305. 307. 309. 310. 318. 330. 331. 334. 337. 342. 345. 347. 348. 357. 362. 368. 372. 376. 385. 386. 392. 401. 412. 415. 422. 428. 429. 435. 442. 443. 444. 452. 453. 456. 458. 471. 476. 482. 489. 490. 493. 496. 497. 501. 509. 542. 550. 555. 559. 560. 564. 566 567. 571. 576. 577. 587. 588. 627. 659. 671. 675. 691. 694. 696. 697. 700. 704. 708. 717. 725. 729. 733. 735. 737. 740. 749. 752. 761. 768. 776. 784. 785. 792. 796. 801. 804. 810. 817. 825. 829. 830. 834. 843. 845. 847. 850. 858. 864. 875. 880. 886. 896. 912. 918. 921. 923. 925. 927. 928. 933. 935. 940. 952. 954. 958. 960 968. 970. 981. 982. 983. 990. 991. 993.
in Catil. 109. 153. 217. 255. 272. 281. 910.
in Iugurth. 9. 73. 273. 497. 567. 708.
Sammonicus, 77.
Sappho, 40. 588.
in Epithal. 77.
Saufeius, 277.
Scaurus, 489.
de vita sua, 958.
Seneca, 5. 64. 115. 126. 161. 171. 179. 189. 190. 205. 202. 291. 433. 599. 772. 758. 875.
Serenus Sammonicus, 86. 126. 329. 457. 545. 610. 817. 994.
Servius, 1. 2. 9. 60. 316. 440. 462.
reprehenditur, 6. 7. 18. 31. 41. 68. 165. 172. 174. 190. 246. 293. 312. 332. 339. 364. 387. 407. 434. 473. 488. 493. 494. 495. 511. 513. 516. 517. 518. 524. 534. 545. 572. 680. 744. 866. 870. 908. 927. 968.
Sibylla, 268.
Silius Italicus, 927.
Simonides, 315. 630. 655.
Sinnius Capito, 245.
Sisenna, 245. 262. 904.
Solinus, 130. 134. 164. 169. 182. 412. 484.
Solon, 403.
Sophocles, 226. 333. 393.
Laocoonte, 350.
Philoctete, 317. 448.
Sophoclis interpres, 513.
Statius, 28. 141. 145. 185. 196. 198. 207. 223. 254. 286. 330. 374. 356. 364. 367 392. 395. 396. 398. 403. 423. 425. 438. 462. 482. 532. 547. 574. 576. 594. 604. 610. 626. 628. 629. 633. 634. 644. 645. 675. 686. 693. 695. 700. 704. 706 714. 735 737. 744. 753.
Statius Tullianus de vocab. rerum, 920.
Stoici, 407. 410. 528. 643. 735. 739. 806. 811. 842. 854.
Strabo, 152. 236. 279. 292. 412. 415 444. 473. 649. 659. 897.
Suetonius, 22. 24. 126. 128. 158. 198. 270. 286. 390. 398. 542. 599. 604. 764. 767. 876. 556.
in vitiis corporalib. 693.
de genere vestium, 692.
de pueror: lusibus, 573.
Suevius, 936.
Suidas, 84. 139. 661.
Synesius, 243. 907.
Syro, 607.

Tabulæ XII. 58. 155. 341. 412.
Tacitus, 5. 63. 121. 286. 366. 442. 592.
Tagetis liber, 225. 741.
Terentianus, 133. 134. 383. 474. 509. 648. 715. 553.
Terentius, 11. 15. 17. 19. 23 25. 35. 41. 42. 45. 47. 54. 74. 81. 84. 54. 105. 111. 126. 159. 161. 175. 197. 198. 203. 208. 216. 222. 227. 233. 240. 248. 245. 248. 249. 250. 254. 256. 257. 258. 261. 265. 273. 284. 285. 288. 289. 291. 296. 298. 302. 304. 305. 307. 308. 312. 315. 317. 321. 327. 337. 345. 349. 354. 365. 366. 374. 378. 380. 392. 402. 417. 424. 427. 429. 437. 445. 450. 458. 461. 463. 468. 469. 472. 478. 479. 482. 488. 490. 498. 500. 501. 505. 506. 509. 512. 513. 515. 520. 525. 526. 557. 571. 572. 575. 586. 602. 613. 625. 627. 637. 655. 658. 672. 681. 688. 691. 714. 717. 732. 754. 756. 758. 761. 769. 784. 797. 800. 814. 818. 830. 831. 843. 852. 860. 862. 871. 876. 887. 891. 907. 908. 917. 920. 929. 934. 935. 951. 959. 961. 963. 964. 970. 974. 977. 982.
Andria, 9. 59.
Adelphis, 2. 27. 370 448.
Eunucho, 101. 175. 370. 376. 413.
Heautont. 68. 69. 302. 314. 789. 975.
Hecyræ, 81. 266. 511. 858. 919.
Phormione, 101. 216. 283. 314. 335. 353.
Tersander, 536.
Tertullianus, 252. 502. 534 643. 698.
Thales Milesius, 39. 213. 426. 893.
Theocritus, 5. 10. 13. 15. 16. 18. 32. 45. 50. 52. 56. 62. 63. 65. 66. 67. 68. 70. 71. 72. 174. 249. 259. 332. 355. 390.
Eidyll. 2. 450. 462. 529. 536. 558. 562. 563. 564. 725. 730.
Pharmaceutria, 355. 729.
Theognis, 984.
Theodatus, 232.
Theon, Arati interpres, 539.
Theophrastus, 80. 88. 122. 129. 137. 174. 194. 402. 955. 980.
Ἐν θαυμασίοις, 38.
Theopompus, 57.
Thessandrus, 350.
Thesias, 117.
Thucydides, 734. 761. 808.

Digitized by Google

Tiberianus, 597. 627.
Tibullus, 14. 59. 76. 106. 109. 116. 155. 184. 218. 258. 319. 438. 517. 551. 577. 631. 993.
Titianus, 823. 926.
in chorographia, 473.
Titinnius, 503.
in Setina, 914.
Trebatius, 940.
Trogus, 647.
Tryphiodorus, 231. 325. 331. 332. 334. 355.
Tubero, 329. 507.
Tucca, 223. 381. 584.
Turpilius, 406. 429.

VAlerius, 42. 117. 227. 250. 470. 545. 606. 748. 762. 767. 900. 990.
Valgius in Elegis, 46. 168. 914.
Varius, 63.
Varro, 6. 8. 43. 46. 48. 49. 51. 57. 58. 65. 72. 73. 76. 78. 93. 93. 104. 111. 116. 122. 128. 134. 145. 155. 156. 158. 169. 173. 176. 177. 183. 184. 192. 194. 230. 236. 247. 252. 254. 263. 268. 281. 284. 290. 296. 297. 300. 307. 312. 318. 324. 337. 343. 346. 356. 375. 377. 398. 400. 406. 409. 413. 429. 435. 437. 438. 439. 44 . 441. 446. 452. 456. 460. 475. 476. 483. 485. 510. 532. 535. 538. 547. 553. 555. 560. 561. 568. 581. 589. 5 2. 604. 608. 621. 635. 643. 689. 651. 656. 711. 725. 726. 729. 730. 734. 753. 755. 766. 769. 770. 782. 806. 809. 815. 828. 832. 855. 850. 878. 890. 8 5. 518. 920. 524. 528. 932. 934. 918. 578.
Varro, 81.
in lib. antiq. 712.
Divinar. 107. 352. 416.
I. 640.
II. 282. 427.
IV. 738.
V. 234. 4 8.
VI. 206. 377.
XIV. 552.
rer. Humanar. 386. 417. 419. 729. 807. 551.
de vita p. r. 322.
de gente pop. R. 158. 645. 666. 6.5. 807.
de familiis, 575.
de ling. latina, 83. 242. 267.
ad Ciceronem, 13. 74. 188. 235. 296. 560.
III. 952.
de re rustica, 2. 79. 165. 173. 552.
Epist. quæst. 79.
in Logistoricis, 541. 887.
in agemodo, 132.
in Caleno, 773.
in Cynistore, 150.
in Scauro de Scenicis orig. 74.
de ludis theatralib. 878.
de sæculis, 750.
de ora maritima, 245. 537.
in Satura de Salute, 141.
in Admirandis, 164.
in Aetiis, 53.
de Pudicitia, 474.
Atacinus, 168.
Varro Attacinus, 850.
Varus Tragædus, 14. 23. 381. 584.
Vegetius, 178. 592. 371. 545. 754. 900. 975.
Veratius Pont. 221. 728.
Verrius Flaccus, 49. 724. 890.
in Epistol. 743.
Vibius Sequester, 10. 130.
Victorinus, 212.
Virgilio mastix, 10. 566.
Vitruvius, 102. 111. 212. 375. 377. 589. 615.
Vlpianus, 138.
Vrbanus, 147. 507. 581. 564. 566. 632. 688. 755. 865.

XEnocrates, 668.
Xenophon, œconom, 79. 169. 324.
de Venatione, 481.

ZEnon, 141.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCUPLETISSIMUS, RERUM AC VERBORUM,

Quæ in SERVII, ac VARIORUM Commentariis continentur ac explicantur.

Prior numerus, Paginam: posterior Versum: A, primam columnam, B, alteram denotat.

A.

Abantis clypeus, & historia, 450. 186. a.
Abas comes Æneæ: plures fuerunt, 247. 125. a.
Abella malifera, 701. 740. b.
Abies fulminata, interitum dominæ significat, 329. 16. b.
Abiete puppes, pro in abiete, vel quæ erant de abiete, 573. 663. a.
Abietis species, apta navibus, 124. 68. b.
Abjurata rapina, quæ? 727. 265. a.
Abnuere, pro prohibere, 822. 8. a.
Abolescet, pro abolebitur, 670. 252. b.
Abscondere, pro præterire, 411. 251. a. b.
Absens, pro mortuo, 783. 255. b.
Ab usque, 674. 289. a.
Abydos & Sestos, civitates Hellesponti, 56. 207. b.
Acanthis, pro luscinia; & unde dicta, 177. 338. a. b.
Acanthina, vestis quæ? 312. 653. b.
Acanthus arbor, spinis plena, an pro Loti genere? 118. 119. a. b.
genus floris, 19. 45. a.
ridens, pro suavi, &c. 26. 20. a.
Acarnan, pro Epirota, 555. 298. a.
Acca sodalis Camillæ, 936. 820. b.
Accendere animos, 688. 550. b.
inde Accendones, ibid.
Accersere, an arcessere pugnæ tempus? 822. 11. a. b.
Accincta flagello, 629. 570. a.
Accinctos industrios dicimus, 258. 214. a. *discinctos negligentes,*
Accingere se operi, 353. 235. a.
Accingier, pro præparari, 517. 4-3. a.
Accingor, pro armor, instruor, 774. 74. b.
Accipe, pro audi, 3. 19. a. 831. 680. a. 335. 65. a. 526. 611. b.
Accipere, pro pascere, 437. 353. a.
Accipiter, sacer ales, 53 . 721. b.
Accisa dapes, pro consumpta, 663. 125. b.
Accius in collegio Poëtarum, I. Cæsaris Strabonis assurgere dedignatus est, 42. 66. b.
Acclinis trunco arboris, 875. 835. a. b.
Acer, audax, & fortis, 756. 614. a. b. 259. 124. a.
Acer, in tutela Stuporis est, 319. 16. b.
Acerbare crimen, 911. 407. a.
Acerbum funus, pro immaturo, 620. 429. a.
Acernæ trabs, 540. 112. a.
Acerra, ara quæ ante mortuum poni solebat, 577. 745. b.
Acerræ civitas Campaniæ, 135. 225. a.
Acesta urbs, ab Aceste, 576. 718. a.
Acestes, Crimisi & Egestæ filius, 538. 30. a. *de Aceste fabula,* 502. 554. a. b.
Achæmenides, an Agamemnides legend. 459. 614. b.
Achates, Æneæ comes, 273. 316. a. b.
& lapidis species, 253. 178. a.
Achelooa pocula unde dicta, 74. 9. a.
Acheron, fluvius inferorum, 595. 107. a. 610. 295. b.
avarus, cur dictus, 152. 492. a. b.
Acheronta affari, 661. 91. b.
Acheronte remissi manes, 544. 99. a.
Acheronte sub imo, quis honos? 882. 23. a. b.
Achilles Larissæus, 349. 197. a.
toto corpore invulnerabilis, 520. 57. b. *insidiis Paridis occisus est,* ibid.
Acidalia Venus, à fonte Acidalio, &c. 321. 724. a.
Acies, homonymum est, & multa significat, 363. 333. a.
de exercitu & oculis, 984. 731. b. 331. 30. a.
Aclides, sunt tela antiqua, 701. 730. a. b.
Aconitum natum de spumis Cerberi, 130. 152. a. b.
Acrisionæi coloni, 680. 41 . b.
Acron sternitur, 869. 730. b.
Actia bella, 763. 675. b.
Actia littora, 429. 280. b.
Actias Orithyia, Nympha Atheniensis, 217. 463. a. b.
Actis, pro furore compulsis, 58 . 7 3. a.
Actius Apollo, 766. 704. a. b.
Actius Nævius, augurum clarissimus, 283. 327. b.
Actor Auruncus, 948. 94. a. b.
Actus, pro impetu, 981. 687. a.
Actutum, confestim, 786. 255. a.
Acuens corda, pro exercens, 88. 183. a.
Acuere Martem, 949. 1 8. a.
Ad & apud, ut differant, 231. 28. a.
Ad auras, id est in die, 6. 57. a.
Adamas, hircino sanguine frangitur, 628. 552. a.
Addicere quid significet, 462. 653. b.
Addita, pro affixa & per hoc infesta, 593. 90. a b.
Addunt se in spatia, 119. 513. a.
Adeo, ornatus gratia additum, 754. 585 a.
Adeo, pro multum, valde, 475. 96. a. 681. 427. a.
Adesse, pro favere, 28. 56. b.
Adglomerant, pro adglomerantur, 363. 340. a.
Adjicere, pro consentire, 836. 182. a.
Adjuro & juro, an differant? 989. 816. a.
Adloqui, pro consolari, 876. 860. a.
Adludere pro ludere, 663. 117. a. b.
Admittere equum, admissarius equus, 365. 127. b.
Adnare terris, 527. 613 a.
Adnixus, antique pro adnisus, 249. 148. b.
Adolere. pro colere, & augere, 510. 708. a.
Adole, id est, incende. 56. 65. a.
Adolescunt, pro incenduntur, 213. 379. a.
Adonis fabula, 67. 18. b.
Adorandi verbum, unde ductum, 445. 43 . b.
Adorare, pro adloqui, 866. 677. b.
Adrastus, rex Sicyonis, 624. 480. a b.
Adorea liba, pro mensis, &c. 662. 1-9. a. b.
Adsciscere sibi generum, 916. 472. a.
Adsimilis, pro valde similis, 632. 6 3. a.
Adspirat, pro favet, 767. 385. a.
Advelis Teucros, ut dicatur, 718. 136. b.
Advertere agmen urbi, pro contra urbem, 575. 555. b.
Adulterum, Parim vocamus, 31. 70. a.

Adytus, locus templi secretior est. 340. 115. a
Æacida, pro Achille, 590. 58 b
Æacides, pro Pyrrho. 651 131. a.
Æea insula Circes, & unde dicta. 440. 386. b.
Ædes, de omni ædificio, dicuntur, 377 512. a.
Ædificare, de equo, 329. 16 a
Ægeon, qui & Briareus, cui centum brachia. 880. 565. b.
Ægeum pelagus, unde dictum, 428. 74. b. 565. 366. a. b.
Æger, & ægrotus ut diff. 257. 212. b. 2 13.
Æger animo, ægrotus corpore, 472. 35. b.
Ægeria nympha, Numæ amica 703. 763 a.
Ægis propriè quid, 744. 435 b.
Ægis nigrans, 737. 354. a b
pro procella, ibid
Ægra, pro mœsta, 278. 355. a.
Ægrescit medendo, 949. 46. a.
Ægrum, pro ægrotum. 417. 140 a.
Æmonides, Phœbi sacerdos, 858. 537. a. b.
Æmula, ejusdem rei studiosa, 549. 387. a. b.
Æneadæ, pro Troianis, 251. 161. a.
Æneas ex quo de Troia egressus est, Veneris stellam quotidie vidit, donec ad agrum Laurentum veniret, 282. 326. a.
Æneas post errores VII. annorum, in Italiam venit. 265. 263. a. à Latino susceptus, filiam ejus Laviniam duxit uxorem, occidit Turnum, &c. 265 263. a.
Æneas fatalis, id est perniciosus omnibus, 896. 232. a.
Æneatores, qui classicum canunt, 599. 165. b.
Æneide, patronymicum hoc, non est ab Ænea, 811. 653. a. b.
Æneis, ab Ænea: Stylo constat grandiloquo, &c. 223.
Ænigma, quod crucem Grammaticis fixit, 28. 106. b.
Æolia insula novem. Æolus rex ventorum, 236. 56. a.
Æolia Lipare, 743. 416. a.
Æolides, Vlysses, 626. 529. a.
Æquata vela sunt æqualiter tensa. 524. 387 b.
Æquata aura, pro prospera. 583. 844. a.
Æqui, pro exæquandi, 812. 674. b.
Æquicola gens pradura 703. 747 a.
Æquinoctia duo, vernale & autumnale, 85 100. a.
Æquor, ab æqualitate dictum. 335. 60. b. pro terra, 8.. 50. a. pro campo, 774. 61. a. 259. 201. a. 65. 57. a. 83. 57. b.
Æquor classibus allabi, 842. 269. a.
Æquore jusso cedere, 852. 444. b.
Æra arboris, pro cacumine, 128. 123. b.
Ærea, religioni magis apta et curt 290. 452. a.
Æripedem cervam fixit, pro æripedem, 648. 802. b.
Aeris motus ventos creat, 241. 82. a.
Æris vim, multa in priscis monumentis attestantur, 200. 151. b.
Aërius mons, 605. 234. a. b.
Æsculus arbor glandifera, 138. 201. a.
Æsculus Iovi frondet, 311. 16. a.
Æther, pro igne, vel ut alii, pro aëre, 635. 640.
Æthra & æther unum, 457. 585. a.
Æs grave, pro massis, 653. 861. b.
Æs, vi occulta minus quam ferrum corrumpit: vulneribus minus noxium, &c. 520. 518. b.
Æstas præceps, quæ prope exacta est. 318. 9. b.
Æstiva, loca umbrosa, 185. 472. a.
Æstus, propriè maris incerta commotio, 925. 627. b. 444 419. a.
Ætas, pro modo annorum, & pro tempore, 27. 37. a b. 269. 287. a. pro beneficio temporis, 725. 200. b mobilis, pro flexili, 168. 165. a.
Ætates quinque, 555. 295. a.
Æternum, adverbe. 618. 401. a.
Æther, pro aëre, 241. 94. a. 940. 113. a. 660. 65. a.
Æther altum, pro nostro habitaculo. 620. 436. a.
Æthiopia duæ, & unde dicta, 515. 481. b.
Æthon, nomen equi, 896. 29. b.
Ætna descriptio, & causa incendii, 456. 571. a. flammarum globos ejicit, 117. 472. a.
Ætnæa antra, 741. 419. a.
Ætnæi fratres, 464. 678. a. b.
Ætnæ ignes, 704. 786. a.
Ætola urbs, 896. 239. b.
Ætoli Arpi. 824. 28. a.
Æstas, pro anno, 326. 760. b. prima, adulta, præceps, 400. 8. a.
Ævum, pro ætate perpetua, 703. 776. a. b. pro tempore, 52. 27. b. 443. 415. a. pro vita, 826. 53. a.
Affectare dextram, gladiatorum verbum, 463. 670. a. b.
Affectus quatuor, 643. 731. a.
Affectus omnis tribus rebus ostenditur, 932. 41. a.
Afferimur urbem, pro ad urbem, 660. 217. b.
Afri, qui, 6. 65. b. primi inventores pompam triumphi. 473. 37. a
Agamemnon Dianæ cervum occidit, 340 116. a. b.
Aganippe Aonia, fons Bœotiæ, &c. 65. 12. a.
Agathyrsi picti. qui, 484. 145. a. b.
Agenoris urbs quæ? 276. 342. a.
Agere, pro impellere, 824. 33. b. pro insequi & agitare, 514. 465. b. Agere telis, pro urgere & persequi, 477. 71. Agere se est sine negotio incedere, 613. 337. a. b. pro venire, 814. 696. a
Agere ventos, 493. 245. a.
Agetur, pro regetur, 305. 578. a.
Agger, cujuslibet rei cumulatio, 805. 567. a. pro eminentia, 546. 446. b. pro munitione, 823. 24. b. pro fossa, 665. 155. a.
Agglomerare se cuneis, 970. 458. a.
Aggredi, decipiendi causa adire quempiam, 479. 52. a. b.
Agitare ævum, pro agere, 839. 235. a. pro moliri, 782. 187. a. pascere, aut curare, 174. 278. a. pro vexare, 591. 68. b.
Agitator aselli, unde dictus, 204. 273. a. Agitator equorum, pro auriga, 371. 476. a.
Agitatus scenis, pro celebratus tragediis, 515. 471. a.
Agmen, propriè quid, 755. 595. a. 254. 150. b. aquarum, 107. 3. 2. b. pro itinere & impetu, &c. 351. 212. a. 241. 86. a. pro fluore, 397. 782. a. 644. 749. b pro tractu, 541. 90. a. pro volatu, 283. 307. b.
Agmina sæva sororum, 629. 572. b.
Agna cur tempestatibus cædatur? 579. 772. b.
Agni subrumi qui, 46. 35. b.
Agnosco & cognosco, an differant. 720. 355. b.
Agonalis mos est, post sacrificia ad certamen venire, 556. 329. b.
Ἄγυρι μὴ φέρειν. 366. 374. b.
Agragas, mons muro cinctus, 466. 703. a.
Agri, cum primo arantur, proscindi; cum iterantur, offringi; cum tertiantur, lirari dicuntur, 84. 97. b.
Agros steriles incendunt & quare? 83. 84 b.
Agrippæ triumphus de Antonio, 764. 682. a. b.
Agyllina urbs, 695. 652. a. ejus sedes, 747. 479. b.
Agyllini, pro Etruscis. 560. 281. a.
Ajaces duo fuerunt, quorum alter tertiam manum post tergum habuisse dicitur, 234. 45. b.
Ala Camillæ, pro equitatu, 924. 604. b.
Alacer & alacris, ut diff. 963. 337. a. b. olim, masc. & fem. 639. 685. a.
Alæ equitum, unde sic dictæ, 481. 1. 1. a. b.
Alba, semper lætè, 33. 56. b.
Alba ab Ascanio condita, 227. 12. a.

Alba,

Alba à Tullo Hostilio eversa, 267. 275. a.
Albent campi ossibus, 945.36. a.
Albescit lux. 524. 586. b.
mare, vento, 687. 518. b.
Albula vetus, 734. 332. b.
Albunea alta, 661. 83. a. b.
Alburnus, mons Lucaniæ, 166. 147. a.
Alcides magnus, 596 323. a. 648. 801. b. ad inferos descendit, 617. 392. a.
Alcimedon artifex, 18. 37. a.
Alcinoi sylva, pro pomiferis arboribus. Alcinous enim rex Phæacum fuit, diligens cultor hortorum. 125. 87. b.
Alcon, Cretensis sagittarius peritissimus, 50 11. b.
Alecto luctifica, 676 324. a. b.
Alethes, maturus animi, 785.246.b
Alga, herba vilis, 48. 42. b
Alipedes equi, 673. 277. a.
Aliqua, pro aliquatenus, 16.15. b.
Alysothemi Neptuni filius, ejusque interitus, 75. 18. b.
Alius, de duobus non dicitur, sed de multis. 885. 76. a.
Allabi, pro celeriter venire, 585. b.
Allia fl. juxta quem exercitus Rom. deletus, 700. 717. a.
Allium, venenis adversatur, 9.11.a.b
Alma, ab alendo dicta, 74. 7. a.
Almon, filius Tyrrhi, 687.512.a.
Alnus, arboris species, 89. 136.a.
Aloidæ gemini, Othus & Ephialtes, 630. 582. b.
Alpes, muri vice Italiam tuebantur, 822. 33. a.
Aëriæ, 185. 474. a. b.
Alphea flumina Pisæ, 168. 180. b. 835. 179. b.
fluvius Elidis, 158. 59. a. b.
Alphesibæus, pastor quidam, 35. 73. a.
Alta pelagi. 775. 81. a.
Altaria superis, aræ terrestibus dicata, 34. 65. b. 377. 515. b.
Alte, pro diu, vel ex alto cadentes, 512. 443. a.
Alter, de duobus dicimus: & de femina, 17. 34. b.
Alter ab undecimo, est decimus tertius, 54. 39. a.
Alterna modulari, 30. 14. b.
Alternare, varia mente tractare, 497. 287. a.
Alterni pro secundus quisque, 958. 233. b.
Alternus, pro alternatim. 82. 71. a. & pro intermissis, 83. 79. a.
Altum, pro nobili, 814. 697. a.
Alvearia ubi ponenda sint, 191. 8. b
Alveo, pro alvo, 148. 453. a. b.
Alumnus, Græce θρέμμα 182. 33. b.
Alvus, Plautus masculino genere protulit, 333. 51. b.
Amantes, sibi somnia fingunt, 59. 108. b.
Amantis animus magis est, ubi amat, quam ubi animat, 69. 44. b. 478. 83. b.
Amaracus, regius puer unguentarius fuit, 318. 697. a. postea in herbam sampsuchum versus, ibidem, 318. 697. b. inde unguentum, quibus immiscum, 318. 697. b.
Amaryllis, 4. 37.
Amasene pater, fl. 697. 686. b.
Amata regina Lat. 677. 343. b.
Amata dotalis, 816. 737. a. b.
Vestales, Amata dicta, ibidem. b.
Amathus & Paphos Cypri insulæ civitates, 825. 55. b.
Amatores, tribus placere possunt, 10. 20. a.
Amazones quæ, & cur ita dictæ, 295. 404. a. unimammæ dictæ, 926. 649. b.
Threiciæ, 927. 660. a.
Ambarvale, & amburbale sacrificium, cur ita dicantur, 10. 77. b. 35. 75. a. b. 109. 338. a.
Ambesa mensa, 427. 257. a
Ambigua, pro incerta, ac gemina, 314. 665. a.
Ambiguum relinquere, pro partem præterire, 556. 326. b.
Ambire aliquem, 497. 283. a. hinc ambitores, ib. pro retinere, &c. 676. 333. b.
Ambo, pro ambos, 38. 18. a. 963. 342. b.
Ambobus, servus ut intelligend. 291. 461. a.
Ambrosia cibus deorum, 968. 419. a
Ambrosia coma, 285. 407. a.
Ambustus torris, 961. 298. a. b.
Amellum quid, αν μελανθεμον. 207. 271. b.
Amens, pro consternatus & attonitus. 497. 279. a.
Amenta torquent: & quid amentum, 812. 665. a.
Amerina retinacula quæ, 103. 265. a.
Amissi, ter vocari consueverant. 219. 223. b.
Amiterna cohors. 699. 710 a.
Amminæum vinum, unde sic dictum, 116. 97. b.
Amnis & amne in ablativo, 800. 469. a. & hic & hæc. 778. 124. a.
Amœbæum carmen quale, 17. 28. a.
Amœna, loca voluptatis plena, quasi amunia, 576. 734. b.
vireta, 635. 618. a.
Amomum, flos Assyrius, 21. 89. a.
herba odorifera, 26. 25 a.
Amor omnibus idem, 377. 244. a. ejus furor, ibid. b. definitio, 317. 692. a. b. vehementia, & incantatio, 509. 412. a. quanta vis, 369. 437. b. non adest illi modus. 14. 68. b. habitat in oculis, 320. 717. b. arboribus incidendi mos, &c. 70. 53. b. inter epulas facile conciliatur, 317. 690. b.
Amor primus, pro marito, 470. 17. a.
vincit omnia, 71. 65. a.
Amores in pl. non nisi turpitudinem significant, 557. 334. a.
Amphion & Zetus fratres, 10. 24. a.
Amphitryoniades magnus, 715. 103. a.
Amphrysia vates, Sibylla, 617. 398. a. b.
Amphrysus, fluvius Thessaliæ, 156. a. a.
Amsancti valles, omni parte sancti, 689. 565. a. b.
Amurca tristis quæ, 184. 448. a.
olei sordes, 95. 194. a.
Amyclæ, civitas Laconiæ, 163. 89. b.
Amyclæ tacitæ, 860. 564. a. b.
Amyclæus canis, pro Laconico, 178. 345. a. b.
Amycus Neptuni filius et Nymphæ Meliæ. 559. 371. a.
Amyntas, 11. 35.
Amythaonius Melampus, 190. 550. a. b.
Anchemolus, novercam stupravit. 849. 389. b.
Anagnia, urbs, 697. 684. b.
Anchises pastor fuit, & cum eo Venus concubuit, 109. 621. a. fulmine afflatus, oculoque privatus. 309. 621. a.
Anchora, & unde derivata, 252. 273. a.
Ancile, scutum breve, cælo lapsum, &c. 667. 188. a. b.
Ancora sine aspiratione olim proferebatur, 585 4. b.
Ancus, rex Rom. unde dictus. 649. 815.
Androgei lethum. 588. 20. a.
Andromache, uxor Hectoris, 371. 416. b.
Anethus, puer pulcherrimus fuit, 11. 48. a.
Angina morbus pecorum, fauces occupans, 186. 497. b.
Angitia nemus, 702. 759. a. b.
Angues, aquarum sunt, serpentes terrarum, 350. 204. a.
tres in cælo, 96. 205 a.
Angusta viarum, 561. 332. b.
Anhela equa, pro anhelantibus, 101. 250. b.
Anhelatus æger quatit artus, 810. 814. a.
Anima, pro aëre, 39. 32. a.
pro sanguine, 792. 349 a. b.
pro vento, 380. 562. b. 741. 403. b.

Digitized by Google

Animæ cæli pars, corpus umbræ inferorum, 586. 641. b. pro qualitate est corporis, 642. 7. 4. a.
Animalia, quæ diis sacrabant, ea e manu dimittebant, 453. 557. b.
Animæ, pro ἀνέμους. 129. 134 a b. quatuor in homine, & quæ, 542. 81. b. aliis tres, 753. 164. a.
Animæ biothanatorum non recipiuntur in originem suam, nisi fati tempus compleverint, 507. 585. a. per septem circulos ad corpora penetrant, 543. 84. a. hinc recedentes, alia corpora alibi sortiri, 101. 243. a. lacte & sanguine delectantur, 406. 66. b. Lethæo hausto in corpus redeunt, 640. 705. b. per alios deos ad inferos ducuntur, per alios transferuntur, per alios purgantur, etc. 607. 264. a. recedentes à corporibus, sordidiores sunt, donec purgentur, 613. 340. b. pro umbris, 493. 242. a.
de Animis hominum circa sepulchra errantibus, 406. 66. b.
Animi, pro viribus, 993. 892. a.
Animos mollire, pro ventos, 237. 61. a tollere, pro magnanimitate, 142. 250. a.
Animus consilii est, anima vitæ, 855. 487. a. pro ira, 509. 424. b. 727. 256. a.
Anio gelidus fl. 697. 683. b.
Anius rex Deli, Apollinis sacerdos, trium filiarum parens: & quicquid una attigisset vertebatur in fruges, &c. 409. 80. a.
Annales & historia, ut diff. 280. 377. a. annales maximi qui, ib.
Annorum tria genera lunaris, solstitialis & magnus: unde dictus sit annus, 267. 2. 3. a. Hieroglyphic. anni, ibid.
Anni centum, purgationi & emaculandis animis dedicantur, 613. 319. a. b.
Annos demorari, 587. 647. a.
Annuere, est nutu aliquid promittere, 263. 254. b.
Annus extremus quis, 175. 304. a. magnus qui: lunaris qui, &c. 430. 284. a.
Anno magno completo, omnia sydera, in ortus suos redibunt, 24. 5. a.
Annus maximus, quis? 25. 12. b. picto dracone caudam mordente, indicatur, 543. 85. a. pro nocte, & Sol pro luce, 648. 796. b.
Annus vertens, pro circumacto & finito. 571. 626. b.
Annuus orbis, 538. 46. a.
Anser, cur improbus dicatur, 87. 1 9. b. laurum fugit, & quare, 63. 36. b.
Anser inter olores, 63. 36. a. b. eorum honos, ob servatum Capitolium, 761. 652. a. b.
Antandrus civitas, unde dicta, 400. 6. a.
Ante diem, id est, ante fati necessitatem, 527. 620. a.
Ante focum si frigus erit, 35. 70. a.
Ante tubam trepidare, proverb. 912. 424. b.
Antennæ turrigeræ, 694. 631 a.
Antennæ velatæ, 454. 549. a.
Antenoris beneficio, Menelaus & Ulysses servati, 262. 246. a.
Antenoridæ tres, 624. 484. a.
Ἀντέρως, qui amores resolvit, Athenis coli dicitur, 520. 520. a.
Antes sunt ordines cujuscunque rei anteriores, 146. 417. a. b.
Anthores egregius, 872. 778. a.
Ἀντιgenes, pastor, 36. 89. b.
Antigona, in ciconiam conversa, 231. 31. b.
Antiqua, pro nobili, 229. 16. a. 281. 379. a. 300. 535. a. 964. 347. a.
Antiqua patria, quæ, 343. 157. a b.
Antiqui, res rebus mutabant, 27. 39. b.
Anubis latrator capite canino, 766. 693. a. b.
Aonius vertex, Musis dicatus, 157. 31. a. b.
Ἄωροι, tamdiu in superis vagari credebant, donec in morte reliquum tempus exegissent, quod in vita non impleverant, 533. 696. b
Apenninus, mons Italiæ, 983. 703. a.
Aperire, pro nudare ac proferre, 618. 406. a. pro ostendere, 245. 111. a. 422 206. b. 764. 681. b.
Aperire viam, pro dare aditum, 939. 884. a.
Apex, proprie quid, & apere? 842. 270. a.
de Apibus historia, 288. 454. a.
Apum mores & ingenium describitur, 200. 149. b. penitus amissæ, ut reparentur, 207. 281. a. amor & studium erga regem suum, 203. 210. b. ira, 205 236. b
Apibus Euri nocent, 202. 192. b. de procreatione apum, ibid. fumum ferre non possunt, 977. 588. b. gaudent tinnitu æris, illis inest auditus, sensus, 195. 64 b.
Apum generandarum materia in herbis & foliis latet, ibid. earum multa genera, 288. 419. b. vel maxima animalia ictu aculei sui necant, 205 236. b. mel non faciunt, 194. 57. b. oderunt fœdos odores, &c. 194. 48. a. b.
Apes revocat, lac vel aqua mulsa, 196. 88. b.
Apum stridor, bombus dicitur, 660. 65. b.
Apices lanigeri, qui? 761. 664 a. b.
Apio poetæ coronabantur, & ubi? 41. 68. a.
Apii coronas sepulchris imponebant, inde proverb. 542. 79. b.
Apollo idem, qui Liber pater, 592. 78. a. Medicinæ inventor, 967. 495. a. diversa nomina tributa. cur sagittæ ei data, cur Laurus consecrata? 275. 333. a. triplex ejus potestas, triaque insignia circa ejus simulachrum: Lyra, Gryphæneum, Sagittæ, & unde dictus, 34. 66. a. b. Actius, 766. 704. a. b. altus, cur dicatur, 877. 875. a. Λοξίας cur dictus? 410. 89. b. 593. 89. a. formidatus nautis, & cur? 429. 275. a. Nomius dictus, & unde? Admeto regi armenta pavit, pastor ab Amphryso dictus, 156. 2. a. 32. 35. a. Thymbræus dictus, 210. 323. b. 409. 85. b. Cassandram amavit, ejusque concubitum petiit, &c. 354. 246. a. jam regnat, 25. 10. a. b.
Apollo & Liber nuptiis contrarii, & quare, 475. 58. b.
Apprima, pro apprime & maxime, 129. 134. a. b.
Aprica terra, sine frigore, 612. 312. a
Apricimergi, Sole gaudentes, 346. 128. a.
Aptare, pro congrue ponere vel figere, 881. 8. a. pro eligere, vel adjungere, 302. 556. a. aptare classem, pro parare, 497. 289. a. Aptare habendo, pro adhabendum, 948. 88. a. b.
Aptum, pro colligatum & constrictum, 515. 482. b. vicinum, 648. 797. a.
Aqua, omnium rerum elementum, 233. 382. b.
Aqua & ignis, ad fœdera facienda adhibebantur, 950. 319. b.
Aqua & igni mariti uxores ducebant, 485. 167. b.
Aqua marina, tenuat, 252. 177. b.
Aquila in tutela Iovis, & cur fulmen ei ministrare dicatur? Solem recto lumine spectat. Fabula, 284. 398 a. 805. 564. a. cum Cygnis immortale odium, 283. 397. b.
Aquilices, scrutatores aquarum, 87. 109. a.
Aquilo densus, cur? 169. 196. b.
Ara Iovis Hercæi, in mediis ædibus erat, 377. 512. b. Ara sepulchri, pro pyra, 600. 177. a. b.
Aræ, saxa sunt, & cur ab Italis sic dictæ? 245. 1 3. a. b.

Aræ

Aræ sunt, apud quas hostiæ non cæduntur; sed deus prece tantum solenni veneratur, 409. 85. b.
Aræ, diis superis & inferis consecratæ sunt: altaria vero superorum tantum deorum, 34. 65. a.
Ara graminea, 950. 118. a. b. patria, quæ an Achillis, an Apollinis? 435. 332. a. b.
Aræ sopitæ, pro igne, 751. 542. a.
ad Ararum præsidium, periclitantes fugiebant, 577. 513. a. b.
Ararum ansas tenentes, rogabant deos, 596. 124. a.
Aras tenendi consuetudo, 491 219. b
Arabi & Arabes, 691. 605 a.
Aracynthus, mons Thebanus, 10. 24. a.
Arachne in araneam conversa, 206. 247. b.
Araneus & aranea confunduntur, 206. 247. a.
Arar, fluvius Galliæ, 6. 63. a. b.
Arare, de æquore, 450. 495. a.
Araxes, Armeniæ fluvius, 768. 728. a. b.
Arbores fœtus, pro pomis, 80. 55. a.
Arbores in India quæ lanam ferunt 312. 653. b. Arbores alienas incidere, capitale supplicium erat, 16. 11. a. Arbores biferæ, 130. 150. a
Arboris, cum aureo ramo, descriptio, 597. 137. b.
Arborum creandarum tria genera, 121. 9. a. Arborum & radicum, par altitudo, 512. 446. a.
Arbusta, quæ? 4. 40.
Arbustum, quid, 16. 10. a.
Arbuta, poma rubra, 90. 148. b. poma sylvestria, 154. 520. a.
Arcadum quatuor genera, 882. 31. b. equestri certamine valebant, 848. 364. b. à Musica studio commendantur. 45. 4. b. a. Proselenos se esse asserunt, 142. 342. a. primi, templum constituerunt, 737. 353. a. vivacissimi, 711. 51. a.
Arcadius magister, pro Aristæo, 207. 283. a. b.
Arcas, pater Evandri, 718. 129. a.
Arcere, pro continere & prohibere, 368 406. b. Arcere pecori, pro a pecore, 167. 155. a. periculis, 713. 73. a.
Arces, genus teli, unde dict. 230. 24. a.
Arcessere, evocantis verbum, 596. 1 9. a.
Archigalli, qui? 7:7. 116 b.
Arcitenens primus, pro Apolline, 408. 75 b.
Arctos clara, pro Helice, 89. 138. b.
Arctos metuentes tingi æquore & quare? 101. 215. a.
Arcturus stella, unde dicta &c. 5:5. 748. a. in Boote, 96. 204. a. post ursum, 452. 516. autumnali tempore oritur, 82 68. a.
Arculum, quid, 483. 157. a.
Arcus, aquam haurire creditur, 155. 380. b.
Ardea, qualis avis, unde ita dicta, 110. 364 b.
Ardea urbs, & unde dicta, 681. 411. a. b.
Ardere, nunc neutrum, nunc activum, 8. 1. a. b. Ardere armis, 694 644. a. pro cupere, accusat. & ablat. regit, 29 . 519. a. pro festinare, 585. 5. b.
Ardentes equi, pro candidis & velocibus, 293. 476. a.
Ardentes, pro festinantib. vel ingeniosis, 287. 4:7. a.
Area, pro loco vacuo, 93. 178. b.
Arena bibula cur ita dicta, 82. 70. b
Arena, pro terra, 252. 176 b.
Areos Pagos, quis locus: hinc Areopagita, 75. 18. b.
Arethusa, amnis, 405. 696. b. pro Musa Sicula, 66. 1. a.
Argi, ab Argo dicti, 338. 95. a.
Argileti nemus, 736. 345. a. b.
Argitis, uva ab Argis, 127. 99. a.
Argo, pro navi, ab Argo fabricatore ita dicta, 27. 34. a. & unde dicta, ibid. b.
Argolicum mare, pro Ionio & Adriatico, 539. 52. b.
Argos Inachia, 674. 286. a.
Arguere, pro accusare, indicare, 892. 164. a. 909. 384. b. pro probare ac ostendere, 470. 13. a.
Argumentum ingens, 704. 791. b.
Arguti, celeres dicuntur & qui celeriter loquuntur, 27. 34. a. b.
Argutum pro brevi, 162. 80. a. b. pro canoro & stridulo, 45. 1. a. 106. 293 a. 657. 14. a.
Arguta serra, id est stridula, sonora, 90. 143. a.
Argyripa urbs, à Diomede condita, 898. 246. a.
Aridus fragor quis, 110. 356 a.
Aries oblatus, homicidam exsolvit crimine homicidii, 27. 43. b. 18 . 387. b. si insolito colore sit infectus, felicitatem portendit imperatori, 27. 43. b.
Arietare in portas, 940. 890. b.
Arion, Lesbius citharœdus, eiusque historia, 55. 56. a.
Arisba, ab Achille devicta, 787. 264 a.
Arista, unde dicta, 706. 809. a. pro annis, 7. 70 a. pro frumento, 74. 8. a.
Aristæus, Apollinis et Cyrenes filius, 75. 14. a. 209. 317. a.
Aritia, civitas juxta Albam, 703. 762. a.
Ariusia, vel Arvisia vina, quæ & unde dicta, 35. 72. a.
Arma sunt, quæ armos tegunt, 5:7. 455. a. pro uniuscujusque rei possibilitate, 942. 6. a. pro bello 224. 5. a. aliarum artium instrumenta, 24 . 123. b. pro clypeo, 4 0. 288. b. pro consilio, 301. 546. a.
Arma, in puppibus religabant milites navigantes, 254. 187. a.
Arma versa, quæ? 887. 93. a. b.
Armorum quorundam, inventores, 802. 505. a.
Armenta unde dicta, 454. 540. a.
Armentalis equa, pro indomita, 922. 571. b.
Armi, proprie quadrupedum, 926. 644. a. equi, 654. 881. a.
Armos inhorruit, 868. 711. b.
Arrectis auribus, Adag. 250 156. b.
Ars τέχνη plerumque est, & pro dolis artes ponebant, 514. 681. a. 339. 106. a. 338. 99. b. pro auxiliis, &c. pro fraude, 9:9. 692. a.
Artem aliquam, qui desinebant, ejus instrumenta diis artis istius præsidibus suspendebant, 47. 24. b.
Artes, pro virtutibus, 164. 501. b.
Artus, pro elementis, 642. 726. b.
Arva, pro littore, 310. 209. b
Arvina pinguis, 693. 827. a.
Arundo fluminibus ubique datur, 709. 34. b.
Aruns, Lucretiæ stuprum infert, &c. 760. 646. a.
Auspex secundus, pro sacra prospera, 931. 739. b.
Aurea mala, vel matura, vel aurei coloris, 55. 52. a.
Ascanius, Iulus & Ilus etiam dictus, 485. 159. a. occiso Mezentio. Iulus vocatus, & cur? 266. 271. a.
Ascanius, amnis Mysiæ. pro quibuslibet fluminibus, 373. 270. a. b.
Ascræus senex, pro Hesiodo 43. 70 a. carmen, 132. 176. a.
Asia palus, 699. 701. a.
Asia prata, 111. 382. b.
Asilus, musca, bubus maxime nocens, 166. 147. b. myops primo vocabatur, postea œstron, ibid.
Ἀσκώλια, festa in honorem Bacchi, 144. 384. b.
Aspera signis pocula quæ? 553. 267. b.
Asper, pro aspernator. 738. 361. b.
Aspirare, pro accedere, 954 552. b. pro favere, 8:3. 525 a.
Assaracus, avus Anchisæ. 109. 35 a. pater Capyos, 811. 643. a. 645. 778. a.

Assaraci domus, id est Troiani, 169. 188. a Assaraci Lar. 726.259. b.
Assurgere alicui, 42. 66. b.
pro cedere, 127. 98. a.
Assyrii populi Syriæ adjacentes, 149 465. b.
Astare, pro esse sub hoc, 415. 125. a.
Astra, movent & implent fata hominum, 61. 23 b.
quæ cadere dicantur, 711. 59 b.
Astrum, pro stella, 64. 47. a.
Astu, pro malitia, 929. 704. b.
scientia bellica, 857. 522. a.
Astyanactis imago & fabula, 450. 489. a. 572. 456. b.
Asylas Chorinaeum sternit, 1005. 571. b.
Asylum, unde dictum, 395. 761. a.
quando positum, &c. quibus, 735. 342. a.
Atalanta ab Hippomene victa, 42. 61. a.
de hac fabula. 412. 112. b.
Athamas & Thoas, duces Græc. 555. 262. a.
Athena, primo Ἀκτὴ dicta, 10 42. a.
Athesis, Venetiæ fluvius, 825. 680. a.
Athos mons Græciæ, 108. 332. a.
vel Athon, mons Thraciæ, 983. 701. a.
Atina, civitas juxta Pontinas paludes, 695. 630. b.
Atinas acer, inde Atinates, 980. 661. b.
Atlas maximus, 515. 481. b.
cur cœlum sustinere dicatur, 324. 745. a.
pomarium habuit, in quo mala aurea nascebantur: fuit & peritus astrologiæ, 493. 247. b.
Atlantes tres fuerunt, 718. 535. b.
Atlantides stellæ, quæ & quot, 58. 221. b.
Atomi, quid, 5°. 31. a.
Atque, pro statim, 56. 203. a.
de Atreo & Thyeste fabula. 304. 527. a
Atridæ, pro Agamemnone & Menelao, 291. 462. a. b.
Atri dies, infausti, 620. 419. b.
pro noxiis, 88. 129. b
Atrum lumen, pro furiali & inferno, 683. 456. a
Atrium, dicitur, quod atrum ex fumo, &c. 322. 730. a.
in Atriis antiqui epulabantur, 322. 730. a.
& pecunias suas ibi habebant, & liminum custodes. ibid.
ibi & culina.
Attalus, rex Asiæ populum Romanum scripsit hæredem, 818. 7·1. a.
Attonitæ pro stupenda, non stupente, 550. 53. a.
Attonitus proprie quis dicatur, 420. 172. a. 497. 282. a.
Attrita ansa, 38. 17. a.
Atys, unde Atyi Latini, 568. 561. b.
plebeji fuerunt, ibid.
Avaritiæ comes, crudelitas, perfidia, 278. 353. b.
Audentes fortuna juvat, 848. 284. b.
Avena nomen veteribus in frumenti vitio tantum habita; nusquam inter fruges, 32. 37. a. b.
Avenæ steriles, 91. 154. a.
tenuis, quæ, 1. 2.
Aventinus, & rex & mons, 695. 657. a.
Avernus, lacus in pl. Averna facit, 446. 442 a. 576 732. a.
fons, per quem descensus ad Inferos, 519. 512. a.
fretum, 231. 164. b.
Aversa, pro irata, aspernans, 294. 485. a. b. 504. 162. a.
Avertere numen, advertere legend. 526. 611. b.
Avertere, pro pervertere &c. 56. 66.
A vertice, an ab Aquilone? 339. 310. a.
Avertit, pro avertitur, 244. 108. b.
Aves auspicatæ, & inauspicatæ quæ, 283. 397. b.
Aves colli longioris, recto ordine volant, & cur, 234. 402. a.
Aves singulæ numinibus consecratæ, 566. 516. a.
Aufidus, Apuliæ fluvius, 910. 405. b.
Augures spatia designant lituo, tum dextrum, tum sinistrum 61. 15. b.
Augurium quid, 391. 703. a.
quasi avigerium. 566. 523. a.
ut differat ab auspicio, 284. 403. b.
pro conjectura, 536. 7. a.
pro oraculo, &c. 410. 89. a
Augurium, maximi faciebant veteres; ejus species, auctores. 283. 397. b.
Auguria minora, licet priora sint, majoribus cedunt. 61. 13. b.
in iis non solum aves consideranda, sed etiam volatus, 283. 397. a.
Augurium jugæ, quod, 559. 537 a.
aut oblativa, aut impetrativa sunt, 603. 190. a b.
Auguria pullaria captabant in bellis gerendis 602, 198. a.
unum vidisse non sufficit, nisi confirmetur ex simili, 390. 691. b.
Auguro & auguror, ut diff. 673. 275. a.
Augustus filius Atiæ, 813.
Augustus à Venere originem ducit, 77. 28. a.
Augustus Cæsar, hoc nomen accepit a patre adoptivo, 648. 792. a.
vivus, divinos honores meruit, 76. 24. b.
Augusti cum Antonio bellum, 761. 678. b.
igneos oculos habuisse dicitur. 764. 680. a.
illo imperante, à Parthis repetita signa, 691. 606. a.
illi simulacrum factum, cum Apollinis insignibus conjunctis, 25. 10. a. vivus templa emeruit, 2. 7.
Avia, loca secreta nemorum. 147. 430. b.
Aulea, unde dicta, 151. 25. b.
318. 701. a.
Aulai, pro aulæ, 437. 354. a.
Auletes gravis, pro navi, 838. 207. a.
Aulis, insula in Ægeo mari, 510. 426. b.
Aunus Apenninicola, 929. 760. b.
Aura auri, pro splendore, 602. 204. b.
Aura, pro favore, 649. 816. b.
omnia discerpunt. 790. 313. b.
Auras ferre, quod, 147. 428. a.
Auras vocat, naturam, 643. 755 a.
Aurea, pro pulchra. 114. 431. b.
Aurea mala quæ. 20. 71. a. b.
Aurem vellit, pro admonuit. 56. 1. b. 37. 4. a.
Auri sacra fames, 405. 57. a.
Auris, memoriæ consecrata, frons genio, &c. 37. 4. a. 459. 607. a.
Auroræ filius, Memnon. 320. 755. a.
Aurora, pro populis, 692. 606. a.
Aurum coronarium quid? 767. 7·1. a b.
Aurunci, Græce Ausones, 700. 727. b.
Aurunci & Arunci, populi diversi, 66·. 206. a. b. 904. 128. a. b.
Ausonia terra, pro Italia: & unde dicta, 420. 171. a. 449. 479. a.
Ausones, unde cognominati? 734. 32°. a.
Ausonidæ agri, 860. 564. a.
Ausonii antiqui, 898. 253. b.
Auspicia omnium rerum sunt, augurii certarum, 401. 20. b.
pro dispositionibus, voluntate, ibidem. 502. 341. a. b.
Auspicia majora quæ, 439. 475. b.
pro potestate, 672. 257. a.
piacularia quæ, 35°. 223. b.
Auster floribus noxius, 11 58. a. b.
Austerales, pro Autumno. 741. 440. a.
Author hic & hæc, 954. 155. a.
ab augendo dictus, 77. 27. b.
Author Jupiter, ut dicatur, 536.
Autolicus, fur quidam fuit, unde Sinon natus, 336. 79. b.

Digitized by Google

Automedon, Pyrrhi armiger, 374. 477. a.
Autumnus, cur morbis abundet, 185. 579. b.
Axis ætheris, 377. 512. a.
Axis, pro cælo, 515. 482. b.
pro Septentrione. 237. 271. a.
378. 351. a. b.

B

Baccar, herba fascinum depellens, quidam nardum rusticum appellant, 26. 19. a. b. 47. 27. a.
Baccatum, est margaritis ornatum, 383. 654. b
Bacca & acini, ut differant, 68. 27. b.
Baccæ, fructus arborum agrestium, 462. 649. a.
Bacchari, furere more bacchantum, 498. 301. a.
Bacchus, unde dictus, 38. 15. a.
Bacchi orgia, in montibus celebrari solita, 181. 487. b.
Baccho dedicabant comam, 679. 391. b.
de sacris & ritu ejus ibid.
Bactra ultima, quæ? 765. 633. a. b.
regio juxta Assyrios, 129. 138. a.
Bajarum littus Eboicum, 815. 710. a.
Balearis funda, 107. 309. a. b.
Balsamum, arbor est, Opobalsamum succus, 128. 119. a.
Balteus quid, 555. 313. b.
baltea in pl. 855. 496. b.
Barathrum, immensæ altitudinis nomen, 444. 421. a.
Barba de quadrupedibus, barba hominum, 176. 311. a. 357. 277. a.
Barbam heroes non solebant tondere. 458. 504. a
Barbaricum aurum, quod? 376. 504. a.
Barcæi late furentes, 491. 41. a. b.
Barce, nutrix Sichæi, 528. 632. a.
Barinulæ, scrutatores aquarum, 87. 109. a.
Bavius & Mævius, pessimi poëtæ, 21. 90. b.
Bebrycia, pro Bithynia, 559. 371. a.
Belgæ, civitas Galliæ, 170. 104. a.
Bellantur, pro bellant, 927. 660. b.
Bellum ac arma, ut diff. 401. 54. b.
Belli indicendi, mos, 773. 53. a.
Bello indicto, in Martis sacrario ancilia movebant, 691. 603. b.
Bella sumebant, nuncupatis votis, 684. 471. a.
Bellum Cononi curæ fuerit, 682. 444. b. viri gerant, 6 2. 414. b.
Bellona pronuba, 675. 319. b.
sanguineo flagello, 766. 703. a. b.
Bellua a ... aqua, 615. 491. b.
Belus, primus rex Assyriorum, 312. 646. a. 322. 733. b.
Benacus, lacus Italiæ, 131. a. b.
ac Venetiæ, 338. 205. a.
Benevolentia quatuor modis conciliatur, 298. 526. a.
Berecynthia, mater deûm, 775. 82. a. Phrygia, 647. 784. b.
Beroë, Rhœteia conjux Dorycli, 572. 646. b.
Bianor, qui & Hœnus dictus, 65. 60. a.
Bibere amorem, 325. 753. b.
Bidentes, quasi biennes, 471. 57. a.
pro ovibus, 589. 39. b.
Biforem dat tibia cantum, 809. 613. a.
Bigæ, Lunæ tribuuntur, & cur? 576. 721. a. b.
Bigæ albæ, 954. 164. a.
Bijugus, 861. 575. a.
Bilicem loricam rumpit, 965. 135. a.
Bilinguis, pro fallaci, 314. 665. a. b.
Bina, de his quæ sunt numeri tantum pluralis, 721. 168. a.
Bipatentes portæ, 362. 330. a.
tecta cæli, 811. 5. a. b.
Bipennis, 374. 479. a.
Bipenni ferro, 890. 135. a.
Biremes, an Troiis temporibus fuerint? 254. 186. a. 713. 79. b.
Bis mulget in hora, 15. 5. b.
Bis nupta à sacerdotio repellebantur, 470. 19. b.
Bis solem, bis frigora sensit, ut intelligendum, 10. 48. a. b.
Bisaltæ, populi Scytharum, 184. 461. a.
Bitias, præfectus classis Punicæ. 323. 742. a. b.
Bitumen ex fulmine procreari dicitur, 57. b.
Bolum è faucibus præripere, 679. 388. b.
Bonus pro dextro, 29. 1. a. pro largo & liberali, 255. 399. a. b.
pro forti, ibid.
Bonum sit, bene ominandi ritus, 59. 106. b.
Bootes occidit verno tempore, 99. 229. b.
Bovem comesse majores nefas putabant, 455. 537. a. b.
Bractea, tenuissima lamina, unde dicta, 603. 219. b.
Brenno duce, Roma vastata, 761. 652. a.
Brevia & Syrtes quid, 245. 115. b.
pro vadis, 844. 229. a.
Breviloquium, regum est, 303. 565. a.
Briareus centumgeminus, 610. 287. a.
Britannia, olim juncta orbi terrarum, 7. 67.
Brontes, Steropesque, 743. 415. b.
Bruma, à brevioribus diebus dicta, 97. 211. a. 374. 472. a.
Bruti historia, 431. 96. a.
Bruti ultoris fasces, 650. 818. a.
Bubo, si cujus ædes insederit & vocem miserit, mortem significare dicitur. Si de busto sudem ad tectum detulerit, incendium, 814. 462. a.
Bubulci, pastores boum. 68. 19. b.
Buccina rauca, 916. 475. b.
Bucula, bovis diminutio, 58. 16. a.
Bufo, rana terrestris, 24. 114. a.
Bulla, pro ornamentis, quibus cingula decorantur, 995. 941. b.
Bumaste, uva, ob similitudinem mammæ bovis, 127. 102. a.
Buris, curvamentum aratri, 91. 170. a. b.
Byrsa, Græcè corium dicitur, 279. 371. a. b.
Busiris rex Ægypti, hospites immolabat, 156. 5. b.
Bustuarii, qui? 857. 519. a.
Bustum, pro sepulchro, 937. 850. b.
Butes antiquus, 811. 647. a.
Buthroti urbs, 431. 293. a.
Buxus Berecynthia, 809. 619. a. b.
pro tibia.
Buxum rasile, 148. 449. a.
Byssina, Bombycina & Serica, ut diff. 128. 120. a.
Byssum è terra gignitur, ut linum, 128. 120. b.

C

Cacus, Vulcani filius, unde sic dict. 723. 194. a.
Cadavera lavare, proximus concedebatur, 532. 683. a.
Cadaver insepultum qui præteriisset, porca præcidanea contra scelus expiabat, 615. 365. b.
domi, septem diebus reservabantur, octavo incendebantur, nono sepeliebantur, 540. 64. b.
Cadavera, cur Ægyptii diu condita reservent? 407. 68. a. Romani, non ibid. per diem non incendebantur, 535. 1. a. sed per noctem olim proferebantur cum facibus, 890. 142. a.
Cadet hostia, 276. 338. a.
Caducus, pro morituro, 863. 622. b.
Cea insula, in Ægeo mari, 75. 14. b.
Caculus, filius Vulcani habitus, 697. 681. a.

Cecafores, non ... 453. a. b.
Cæcum latus, & cæcus homo, diversimode dici, 330. 19. a.
Cæco Marte resistere, 362. 335. a. b.
Cæci tumultus, qui, 116. 464. a.
Cadere, pro occidere, 872. 756. a.
Cædes, pro sanguine, 799. 456. a. b.
Cædicus Alcathoum obtruncat, 870. 747. a.
Cælare in auro, 836. 490. a.
Cælata, quæ dicantur, 22. 37. a.
Cælata, facta, in auro, 321. 644. a.
Cælatores laboriosi dicti, 18. 37. a. b.
Cælii sepulchrum & ænigma, 22. 105. a. b.
Cælum, pro aëre, 237. 61. a. 537. 18. a. 642. 724. b. Cælum apertum, pro sereno, 550. 523. a.
Cælum claudi & aperiri dicitur, 821. 1. a. b. non tractabile, 474. 53. b. Cælum terræ miscere, 241. 737. b.
Cælo æquare, pro ad cælum efferre, 715. 103. a.
Cælo, pro in cælum, 464. 678. a.
Cælus, pater Saturni, 580. 201. a. b.
Cænarum 3. genera, 35. 74. b.
Cæneus, virgo fuit, quæ à Neptuno pro stupri pretio, meruit sexus mutationem, 621. 448. b.
Cænei hasta, ibid.
Cæneus, pro homine molli, 621. 448. b
Cærete domo, qui sunt, 836. 181. a.
Ceritis amnis, 755. 597. a.
Cæruleum est viride cum nigro, 668. 198. a. pro atro olim, 556. 10. b. 406. 64. a.
Cæruleum, pro mari, 763. 672. a.
Cæsar, cur ita dictus, vicit LXIV. civitates Galliarum, & cur bellum civile gesserit, à Pompeianis occisus, in deorum numerum relatus, 269. 290. b. illo occiso, Solis defectus fuit. 116. 467. a. b.
Cæsaris & Pompeii gesta, 671. 827. b.
Cæsares, & qui de sectio matris ventre procreantur, Apollini consecrati, 545. 315. a.
Cæsar ab hoste raptus, ut evaserit, 912. 742. a. primum sacra Liberi patris, Romam transtulit, 32. 29. a. in Senatu, xxxiij. vulneribus interemptus, 31. 20. a.
Cæsaries, à cædendo dicta, & virorum tantum, 306. 594. a.
Cæsaries aurea, 761. 659. b.
Cæstus crudus, pro duro, 158. 20. a. 541. 69. a. b. immani pondere, 560. 401. b.
Cætera Graius, 458. 594. a. b.
Cætus, pro convivio, 325. 739. a.
Caiete portus unde dict. 655. 590. a. 656. 2. a. b.
Calamus, pro fistula, 43. 69. a.
de Calamo fabula, 31. 48. a.
Calabria chersydris frequentissima, 182. 425. b.
Calathus & colus Minervæ, 703. 805. b.
Calathus, latina quasillum, 32. 46. a.
Calcem calce terere, 556. 324. a.
Calchanti vites serenti, augur quidam dixit, non fas esse inde novum gustare vinum, pre risu interclusus ei spiritus, 43. 72. a.
Calchante ministro, st. me destinat aræ, 339. 100. a. b.
Calchis, civitas Eubœa, de qua Euphorion, 41. 72. b.
Calculus, cur ita dictus, 332. 18. b.
Cales civitas Campaniæ, 700. 728. b.
Callis, semita & via, ut diff. 509. 405. a.
Calones unde dicti, 585. 1. a.
Calor, pro anima, 534. 705. a.
Caltha, violæ genus, 12. 50. b.
Calydon, Ætoliæ urbs, 900. 270. b.
Calydonis rex, Oeneus, 675. 306. a.
Calx ferrata, 930. 714. a.
Camena, à priscis Casmena dicebantur, 920. 541. b.
alterna amant, 19. 59. b.
Camerina, palus; deque ea responsum Oraculi, 466. 701. a.
Camertes silvas, 860. 562. a.
Camilla de Volsca gente, 705. 803. b. 913. 432. a.
Camilli & Camillæ, juvenes nobiles dicti, 920. 543. b
Camillus absens dictator factus, & ejus gesta, 650. 825. b. à Gallis sublata signa revocavit, 832. 169. a.
Campi liquentes, pro mari, 642. 724. b. patentes, pro aëre, 195. 77. a. pro saxi latitudine, 546. 128. a.
Camura cornua, pro curvis, 261. 55. a. b.
Canarium sacrum Romæ celebratum, 218. 425. b.
Candens, pro candidum, 209. 628. b.
Candidus, pro deo; niger, pro mortuo, 33. 56. b.
Canentia lumina, quæ, 853. 418. a.
Canis species triplex, 181. 404. b.
Canes, pro furiis, 607. 257. a.
Canis latratus carmina magica solvit, & Hecatæ immolatur. 59. 107. b. ut adverso astro occidere dicatur, 98. 218. a.
Cano, tria significata habet 224. 5. a.
Canere ad myrtum: proverb. de imperito, 324. 744. b.
Canopus, civitas juxta Alexandriam, 208. 287 a. b.
Capeni luci, 698. 697. b.
Capere, verbum augurale, 284. 400. b.
Caper, Tragœdiæ premium. Libero immolatur, 143. 380. a.
Capessere est sæpe capere, 240. 81. b. pro occupare, 503. 346. a.
Caphareus ulter, 899. 260. a.
Capi, pro delectari, 735. 311. a.
Capillor, quid, 871. 423. a.
Capillos deformabant pulvere, in luctu, 875. 844. b.
in Capitolio omnium deorum simulacra colebantur, 361. 320 a. b.
Capitoli immobile saxum, 798. 448. b.
Caprea, Telebouum regna, 701. 735. a.
Capreæ sequaces, cur. 145. 374. a.
Capra, Baccho, Æsculapio & Minervæ immolantur: earum morsus arboribus exitiales, 243. 379. b.
Captivus sanguis, pro captivorum, 857. 520. a.
Capua dives, 135. 224. a.
Caput horum malorum, 907. 361. b.
Caput in luctu pulvere conspergebant, 978. 611. b.
Caput velare in re divina solebant, præterquam Saturno, 442. 409. b.
Capitis integumenta, heroicis temporibus, in usu non erant, 813. 133. b.
Capiti suo fuere, 758. 484. b.
Capys, an Capuam condiderit? 332. 35. a. 832. 145. a. b.
Cara, populi insulani, 768. 725. a.
Carbasus genus lini est, 709. 34. b. pro velo, 437. 357. a.
Carcer & carceres, ut diff. unde dicatur, 236. 58. a. 547. 145. a.
Carceres dicti, ubi coercentur equi, 119. 512. a b.
Carchesia, poculorum genera sunt, 213. 380. a. 542. 77. a.
Cardo, quasi cor januæ, cur arcus esse debuerit. 290. 453. a. b.
Cardo, pro puncto ac momento occasionis, 316. 676. b.
Carduus, spinæ genus, 32. 39. b.
Carduus segnis, pro infacundo, 92. 152. a.
Carecta, loca caricis plena. Carex vero herba est, 16. 20. b.
Carex, herba acuta & dura, 171. 231. a.
Carina lauta, quæ? 738. 361. a.
Carinare, quid? ibidem.
Carmentalis porta, postea Scelerata dicta. 735. 338. a.
Carmentis Nympha monita, 735. 336. a.
Carmen dicitur, quicquid pedibus continetur, 430. 287. b. etiam de duobus versibus, 33. 42. a.
Carne elixa olim non vescebantur, 158. 217. a.
Caro morbosa non coquitur, 186. 490. a.
Carpathium mare inter Ægyptum & Rhodum, 670. 595. a.

Digitized by Google

Carpathos, insula contra Ægyptum, 213. 387. a.b.
Carpere, pro accipere, 283. 392. a.
Carpere summas fetas, 608. 245. b.
Carpitur, pro paulatim consumitur, 468. 2. b.
Carthago, lingua Pœnorum nova urbs, 279. 370. a. b. ante Byrsa, post Tyros dicta, 531. 670. a.
Carthaginis vetus nomen Caccabe, 289. 447. b.
Caryatidi Dianæ templum à Lacenibus consecratum, 53. 50. a.
Casa, mapalia dicuntur, 11. 29. a.
Casia, herba suavissimi odoris, 12. 49. b. unde unguentum fit, 350. 466. a.
Casia & rosmarinus, apibus apta herba, 134. 213. a.
Caspia regna, Assyriorum fines, 648. 798. a.
Casperia, urbs, 699. 714. b
Cassandra divinationem ab Apolline acceperat, 411. 183. a.
Cassida, pro cassis, acc. pro nom. 914. 775. a.
Cassus lumine, id est privatus, &c. 337. 85. b.
Cassum vetum, pro inani, 987. 780. a.
Castalia, fons est Delphis, 175. 292. a. b.
Castaneæ nuces dictæ, quare, 13. 52. a. hirsuta, quæ? 49. 53. a.
Castigare, pro increpare & objurgare, 559. 387. a.
Castorea virosa, quare & unde 81. 59. a. b.
Castra movere, 914. 446. a.
Castra, pro classe: hinc castra nautica, 452. 519. a. 526. 604. a. 573. 669. a.
Castrum Inui, id est Panos, qui illic colitur, 646. 775. b.
Casus, pro ruina, 510. 617. a.
Cataphracti descriptio, 955. 770. a.
Cateja, tela Gallica, 701. 741. b.
Catilinæ pœna, 762. 668. b.
Catillones, quibus Catillatio grave opprobrium, 15. 5. b.
Catillus, 696. 672. b.
Cato Censorius, 652. 841. a.
Cato Uticensis, 763. 670. a.
Catuli, de serpentibus, &c. 183. 438. a. 565. 157. a.
Cavedium, quid? 775. 427. b.
Caucasus mons Scythiæ, 148. 440. a. 504. 367. a.
Caudex pro codex, 122. 30. a. b.
Cavea, consessus est populi, 557. 340. a. 751. 636. a.
Caverna, 330. 19. a. umbrosa, 726. 241. a.
Caula, septa ovium, 774. 60. a. b.
Caulon, mons Calabriæ, 455. 553. a. b.
Caurus, pro Corus, 174. 278. a.
Causa rebus novandis, 407. 290. b.
Causa in ordine dicebantur propter multitudinem, 339. 102. a.
Causare, quid? 85. 56. a. b.
Caystrus, Asiæ fluvius, 111. 383. b.
Cecropia, id est Atheniensis, 201. 177. a. à rege Cecrope, 588. 21. a.
Cedere amicitiæ, 904. 321. b. æquore, foro, patria, 851. 444. b.
Cede deo, 563. 567. b.
Cedere, de jure, 431. 297. a.
Cedere loco, pro vinci, 616. 332. a.
Cedrus cariem non sentit, 666. 278. b.
Cedrus olens, pro Iunipero, 290. 137. b.
Celemna, locus sacer Iunoni, 701. 739. b.
Celerare, celeriter facere, 314. 660. a. b.
Celeus rex Eleusinorum, 12. 165. a. b.
Cella, pro cavernis favorum, 283. 437. b.
Centaurea graveolentia, 207. 270. a sed terra appellatur, ibid.
Centauri unde dicti, 264. 215. b. Stabulant, pro habitant. & unde nati, 609. 286. a. b.
Centaurus pro navi, 546. 122. a.
Centum quadrijugos, id est Circenses exhibebo, 158. 18. a.
Cerasus arbor, civitas Ponti, & cerasum pomum, 121. 18. b.
Ceraunia, montes Epiri, 108. 332. a. 451. 506. a.
Cerberus, custos tartareus, 617. 305. a.
Cereale papaver quod in segete nascitur, 97. 222. a b. solum, 661. 111. b.
Ceres, Pales & Fortuna, Tuscorum penates, 162. 125. a.
Ceres à creando dicta, 74. 7. a. b. agriculturam docuit, 90. 147. b. sacra instituta, quæ θεσμοφόρια dicta, 76. 19. a. 109. 330. a. b.
Ceres & tellus dicta, Magna mater, ibid. nuptias exsecratur, & cur, 475. 58. b. deserta cur dicatur, 392. 714. a. b. flava, 84. 96. a. laborata, 722. 181. a. legifera, 475. 58. a. b. pro frumento, 253. 181. a. pro pane, & tritico, 319. 705. a.
Cerevisiæ descriptio, 210. 480. a. b.
Cerinthæ gramen ignobile, 294. 63. a. b.
Cernuus equus, & cernuare quid? 378. 194. a. b.
Certamen erat Corydon, pro Corydoni, 46. 16. a.
Certamina ponere in ulmo, 154. 530. b.
Certare laudibus, pro cum, 129. 138. a.
Certo tibi, pro tecum, 50. 2. b. Græco more, ibid. b.
Certi, pro veloces, aut fideles, 705. 580. a.
Certus, pro indubitabiliter pergens, &c. 535. 1. a.
Cervi, unde sic dicti, 254. 133. b. juvenescunt esu serpentum, 47. 30. a. rubra penna aspectu terrentur, 279. 372. b.
Cervix singulari numero, collum; plurali superbiam, notat, 393. 707. a.
Cervix plurima pro longa, 181. 52. a.
Cervos figere, quo sensu, 11, 19. a.
Cespes, quid, 7. 69. a. pro campo, 912. 566. a. pro radice, 207. 273. b.
Cessare in rem vel in re, diverso sensu? 590. 51. a.
Cete immania, 581. 821. a.
Cetra, scutum loreum, 701. 732. a.
Chalcidica arx, 587. 17. b.
Chalcidicus versu quis, 70. 50. a. b.
Chalybes, gens in Ponto, 21. 58. a. 745. 421. a.
Chaonia unde dicta, 431. 293. b 435. 334. b. 436. 335. a.
Chaonia columba, pro Epiroticis, 61. 13. b. glans, 74. 8. a. b.
Chaonius pater, Iupiter Epiroticus, 124. 67. a.
Chaos, Elementorum confusio, 607. 265. a.
Characteres dicendi tres, 15. 2. a. in Bucolico carmine requisiti, ibid.
Charon portitor, 611. 299. a. ejus cymba, è juncis confecta, 619. 414. b.
Charybdis, fœmina fuit voracissima, 444. 420. a. b.
Chasma, quid, 771. 20. a b.
Chelæ, Scorpii brachia sunt, 78. 31. a.
Chelydri, quasi chersydri, & unde dicti, 182. 415. a.
Chelydrus, seu hydrus niger, 134. 214. a.
Chimæra, triplex monstrum, à Bellerofonte vict. 545. 118. a. b. ore leo, postremis partibus draco, 610. 238. a.
Chiron Medicinæ peritiss. Æsculapium docuit, 150. 556. b.
Chlamys Sidonia, 483. 137. a. b. ejus usus, ibid.
Chlamydem acu pictam, 806. 582. a.
Chloreus, sacer Cybele, 953. 768. a.
Choræbo stultior, 363. 341. a. b.
Chorus, coævorum est cantus, 209. 346. b.
Chori diducti, pro aciebus, 569. 581. a. b.
Choros instaurare, id est sacra, 414. 145. a.
Chromis et Mnasylus satyri, 57. 35. b.

Cicadarum cantus, maximum æstum insinuat, 9. 13. b. 177. 328. a.
Ciceronis uxor, libare volens in cinerem, flamma inde surrexit: quidque portenderit, 59. 106. a.
Cicones, Thraces mulieres, 220. 520. a.
Ciconiam occidisse, capitale in Thessalia, 339. 320. a. b.
Cicuta quid. 11. 16. b. pingues reddit capellas, 516. 486. a.
Cicuta, pro fistula, 36. 85. a.
Ciere gemitus, pro dare, 188. 517. a. 949. 104. a.
Ciere lachrymas, 623. 468. a.
Cient, pro movent, verbum grave, 301. 545. a. ibid. b.
Ciere Manes, 517. 490. b.
Cincinnato aranti, Dictatura oblata, 355. 512. a.
Cinclus Gabinus, 692. 611. b.
Cinerum & purgamentorum in mare jaciendorum ritus, & caussa, 58 10?. b.
Cingi in prælia, pro accingi, 937. 4?6. a.
Cingulum & cingula, ut diff. 753. 360. a.
Cinislones qui, 940. 100. b.
Cinna, poëta optimus fuit, 63 35. a.
Circe, cur Solis filia fingatur, 657 20. b. Dedala, 673. 182. a. b.
Circæum jugum, 705. 799. a.
Circæa terra, 657. 10. a.
Circenses ludi qui, 358. 18. a. 758. 636. a.
Circlus, pro circulus, 168. 166. a.
Circum, pro adverbio loci, 831. 128. a.
Circumferre, pro purgare, 604. 220. a. b.
Cisseis, Hecuba filia Cissei, 676. 320. a. 868. 705. a.
Cisseus, rex Thraciæ, 56?. 537. a.
Citati, pro concitati equi, 965. 373. a.
Cithæron mons Bœotiæ, ubi Trieterica Bacchi celebrabantur, 160. 43. b. pars Parnassi montis, 16. 43. a. b. 498 303. b.
Citharæ usus, quomodo repertus sit. 217. 464. a. arshonesta, in sacris certaminibus coronabatur: per hanc Orpheus plurimum potuit, 324. 744. b.
Civilis quercus, pro civica, 6?6. 772. a.
Civitates plerumque ad tubam evertunt, 360. 113. a.
Clœlia Tyberim transnatavit. statua ei erecta, 760. 651. a.
Clamor militum, ante prælium, ejus caussa, 970. 462. b. 560. 315. b.
Clanius, fluvius, 255. 225. a.
Clarigatio, quid, 773. 51. a. 812. 31. b.
Clarium oppidum in finibus Colophoniorum, 438. 560. a.
Classis, unde dicta, 587. 1. a. classi immitere habenas, ibid pro equitibus, 458. 602. a. pro navi una, & unde dicta, 234. 434.
Classicum, de tuba & de signo, 694. 637. a.
Claudite jam rivos pueri, &c. 23. 111. a.
Clausus Sabinorum dux. 699. 707. a.
Cleopatra, Isis videri voluit, 765. 696. a.
Clientes, quasi colentes, 632. 609. a. b.
Clitumnus fluvius in Mevania; cur albus, 330. 146. a. b.
Cloare, olim pugnare, unde Cloacina Venus, 321. 724. a.
Cluere, pugnare significat, 77. 28. b.
Clunis, male ab Horat. fœminino genere, &c. 380. 554. a.
Clusi mœnia, 834. 167. b.
Clusina ora Tusciæ civitatis, 865. 655. b.
Clypeus, unde dictus sit, 367. 389. a. 697 686. b. & clypeum neutro gen. 430. 286. a. 815. 709. a.
Cnossia, Cretensia. Gnosus civitas Cretæ, 555. 306. b.
Coclis facinus, 760. 650. a.
Coclites, lusci, ibid. b.
Coctilium robur, pro egregie indurato, 921. 553. a. b.
Cocyti amnis, 159. 58. b. inferorum, 218. 279. b. 597. 112. a.
Cocyto eructat, pro in Cocytum, 611. 29?. a.
Codrus dux Atheniensium, ejus historia, 30. 11. b.
Codrus, poëta, 46. 22. b.
Cœus, Iapetusque nomina gigantum, 155. 279. a.
Coëmptio quid, 480. 103. a.
Coërcere postrema, 771. 17. b.
Cogere in sulcum, pro arare, 124. 62. a.
Cohors, pro turma, & ut diff. 918. 500. a.
Coitus, blandus labor dicitur. 165. 127. b.
Cola prælorum, 335. 242. b.
Collatio urbs, à Tarquinio condita dicitur, 646. 774. a.
Colligere arma, pro vela contrahere, 536. 15. a. b.
Colligere se in arma, 975. 491. b.
Collum, de trunco arboris, 881. 11. a.
Colo vitam tolerare, 742. 30?. a.
Colocasia sunt flores fabæ Ægyptiæ 26 20. a. b.
Colonia definitio, et unde derivetur, 219. 16. a.
Coloni sunt cultores advenæ, & in coloniam deducti, 219. 16. a.
Color quis, pro quæ species, 110. 178. b.
Colostrum, quid? 10. 22. a.
Coluber, 373. 471. b.
Columbæ Veneri consecratæ, & cur, 602. 193. a. b.
Columbarum augurium ad reges pertinet, 601. 190. b.
Columbæ vocales, & responsa dederunt, 74. 8. b. duas, humanam vocem edentes, Iupiter Hebæ filiæ dedit, 437. 466. b. 61. 13. b.
Columnæ ære surgentes, 159. 29. a. b.
Coma, proprie, non casi capilli, 568. 556. a.
Comam mulieres in luctu detondebant; viri barbam & capillum summittebant, 800. 478. b. pro ramus, 385. 619. a.
Comans galea, pro cristata, 367. 391. a.
Cometarum differentia et effectus, 842. 272. a. b. diri, 818. 488 a.
Cominus, pro statim, sine intermissione, 86. 104. a. b.
Commaculare, pro polluere, 54. 48. b.
Commercia belli, 853. 532. a.
Commissa porta, pro clausa. 831. 675. a.
Compages & compago, 271. 297. a.
Comparativi loco, particula magis additur, 472. 31. a.
Comparativum ponit, pro positivo, 260. 232. a.
Compellere, quid. 45. 2. a. b.
Compensatio, quid. 261. 241. b.
Compescere quid, & dispescere, 45. 2. b.
Compita sunt quadrivia, unde dicta, 143. 282. b.
Componere, pro finire, disponere, comparare. 280. 5?8. a. ibid. 4?4. 109. a. 23. 108. a.
Componere opes, pro reservare &c. 733. 317. b.
Compostus, pro compositus, 265. 253. b.
Concedere, pro decedere, 338. 91. a.
Concentus & symphonia avium, 314. 422. a.
Concessere iræ, pro cessere, 710. 41. a.
Concha veteres usi, ante tubam, 600. 171. b.
Conciliantur novi, reconciliantur antiqui, 243. 83. a.
Conclamare, inde res conclamata, pro perditis, 352. 233. b.
Conclamare, militare verbum, 570. 738. a.
Concreta, conjuncta & conglutinata, 649. 738. b.
Condere, pro abscondere, 331. 24 a. pro componere, 37. 7. a.
Condere Soles, pro finire, 64. 52. b.

Condictio

Condictio seu denuntiatio, 414. 117. a.
Conduntur, pro sedem stabilem locant, 675. 303. a.
Conferre signa, 919. 517. a.
Confidentia, pro impudenti audacia, 216. 445. b.
Confieri, pro confici, 481. 116. b.
Congerere, pro aedificare, 20. 69. a.
Congredior tibi, pro tecum, 293. 479. a.
Conifera cyparissi, 464. 680. a.
Conjunctiones duas separatas, naturaliter nemo conjungit, 206. 8. a. b.
Conjuratio, de re bona, 707. 5. b.
Connixa, pro enixa, 2. 15
Connubia, u v, pro brevi, per systolen, 240. 77. a. 482. 126. a.
Conon dux fuit, & Samius astrologus, 18. 40. a. b. Archimedis familiaris & contemporaneus, 18. 40. b.
Consecrationibus certis solebant homines facere ut muniti essent adversus fortunae impetus: nec poterant mori nisi exauctorati illa consecratione, 533. 694. a.
Conserere praelia, 368. 398. a.
Considere dicuntur profugi, 304. 576. b.
Consilium caecum, 691. 597. a. malum, consultori pessimum, 970. 460. b.
Constare, pro suppetere, 452. 518. a.
Consternere, pro implere, cumulare, 511. 444. a.
Consualia ludi Neptuno instituti, 581. 817. b.
Consuetudo olim, ut qui in familiam transiret, prius se abdicaret ab ea in qua fuerat, & sic ab alia recipiebatur, 345. 156. a.
Consulere rem, pro de re, 906. 344. a.
Consulta, consultor & consultus, ut diff. 911. 410. a.
Consurgere in ensem, 817. 749. a.
Consus, deus consiliorum, 358. 636. b.
Contemplator, pro contemplare, 94. 157. b. 194. 61. a.
Conti duri, 802. 510. b.
Continet, pro detinet & impedit, 102. 259. a.
Continuo, pro in aeternum, 81. 60. b.
Conventio in manum, 410. 103. a.
Convexo, pro curvo, 28. 50. a.
Convexa caeli, 532. 451. b. 601. 241. a.
Convexa lustrabunt, 308. 612. a. b.
Convexa per auras, alii convecta, 688. 543. a. b.
Conus curvatura quae in galea prominet, 448. 468. a.
Copia, pro exercitu sing. numero, 310. 564. b.
Coquebat illam, pro macerabat, 677. 145. a.
Cor veneno interempti, cremari non potest, 186. 490. b.
Cor ne edito, 981. 101. b.
Coras, cum fratre, 915. 465. b. à cujus nomine civitas in Italia, 696. 672. b.
Corithus, mons Tusciae, 770. 10. a. & civitas, 869. 719. a.
Coritum, oppidum, & unde dictum, 419. 170. b. & mons, 669. 209. a.
Coriti, arcuum et sagittarum theca, 834. 169. b.
Corna lapidosa, 122. 34. a. 462. 649. a.
Corniger fluvius, 711. 77. a. b.
Cornix sinistra, infausta, 3. 18. 61. 15. b.
Cornua arborea, 155. 194. a.
Cornua, pro antennarum extremitatibus, 582. 832. a.
Cornua cristae, 948. 89. a.
Cornus Itala, pro telo de Itala cornu, 814. 695. a. Cornus apta hastilibus, 148. 448. a.
Cornus, in genitivo pro cornu; & genus pro genu, 402. 22. a.
Cornu Lycium, pro arcu, 934. 773. a.
Corona duplex, feminae ea utebantur, 313. 659. b. Corona nautarum, quae? 510. 418. a. b. puppibus imponebant, 106. 304. b.
Corona pressa, pro galea & σφαῖρα 568. 556. a.
Coronare crateram, 154. 521. a. b. pocula, 312. 728. a. b. vina, 664. 147. b. Corona induere cratera. 452. 525. b.
Corporis partes singulae numinibus consecratae. 459. 607. a.
Corpus dicitur, quicquid videri potest. 611. 303. a.
Corripere spatia, pro raptim ire, 556. 316. a. 635. 634. a. b.
Corripere viam, 286. 421. b. impensas, pro immunere, b.
Corrumpitur, quicquid desinit esse, quod fuit, 150. 460. b.
Cortina, locus est unde Oraculum datur &c. 410. 92. b. Phoebi, quid, 614. 347. a. b.
Cortynia spicula, 934. 773. a. stabula, à Cortyno oppido Cretae, 42. 60. a.
Corvi, valde obliviosi, 113. 410. a.
Corusca fulmina, 108. 318. a.
Corybantia aera, unde dicta. 415. 321. a. b.
Corycius senex quis & unde sic dictus. 1. 8. 127. a. b.
Corydon, ab avo Corydalo dicitur, 8. 5. a.
Coryli, avellanae sunt, 124. 65. a.
radices nocent vitibus, 231. 299. a. b.
Corymbi uvae hederarum, 18. 39. a.
Cosae urbs Tusciae, 814. 168. b.
Cossus tribunus militum consulari potestate, 652. 841. a.
Costa, pro lateribus, 681. 463. a.
Cothurnus, genus calceamenti, 47. 32. b. 51. 10. a. Adag. cothurno versatilior. 121. 8. b. Bacchus cothurnatus, ibid. 276. 341. b. pro calceamentis venatoriis, 276. 341. a.
Crater, unde dictus, 322. 728. b. tres in coena statuebant antiqui Graeci, & quibus, ibid.
Crebra, pro crebro, 187. 500. a.
Κρατῆρα, quid, 14. 72. b.
Crematorum ossa tertio die legebantur, 854. 110. b.
Crepido est abrupti saxi altitudo, 861. 653. a.
Crepitantes flammae, & sonantes, 83. 85. b.
Cressa genus, pro Cretensi, 559. 285. a.
Cressia nemora, pro Cretensia, 477. 70. a.
Cressia prodigia quae? 731. 294. a. b
Creta, hodie Candia, ejusque descriptio, 412. 104. b. tenax & argillosa, 93. 179. b.
Cretenses, in amores puerorum intemperantes, 846. 325. a. primi invenere religionem, 412. 104. b.
Cretes, Dryopesque qui populi, 484. 146. a.
Crimina belli, pro caussis, 677. 339. a.
Crimine ab uno, disce omnes, 313. 65. b.
Crines flavos, alii flores legend. 978. 605. a.
Crinis madens, pro unguentato. 4?0. 216. b.
Crispare hastilia, Gr. [illegible], 279. 337. b. 914. 16. b.
Cristarum duplex usus, 292. 472. b.
Crista, pro galea, 667. 185. a.
Cristatus Achilles, 292. 472. a.
Crista comantes quae, 448. 468. b.
Crocus rubens, 202. 182. a.
Crudescit morbus, cum valde or fit, 18?. 504. a. pugna, 937. 833. a. b.
Crudum, pro crudeli & cruento, 867. 682. a.
Crudus cortex pro viridi, 817. 743. a.
Cruores & sanguines, pl. numero non dicimus, 532. 687. b.
Crusta, & crustum ut diff. 7 b. 360. a. Crustum ferale, 663. 115. b.
Crustumerium urbs, unde dicta, 69?. 631. b.
Crustumia pyra, unde dicta, 2?6. 28. a.

Cujum, antique, pro cujus, 1511. a.
Culmen, unde dictum, 7. 69. a.
à Culmine ruit urbs id est concidit. 358. 190. a. b.
Culmus levis, 507. 321. b.
Culta, pro arvis, 832. 141. a.
Cultus, quid significet, 73. 3. a. pro lege & imperio, &c. 718. 516. a.
Cum præpositio, subinde omittitur, 724. 216. b.
Cum Deo flere vel videre, 370. 428. b.
Cuma civitas in Campania, 585. 2. b. unde dict. ibid.
Cumæa Sibylla, 594. 98. a. urbs & unde dicta, 445. 441. a. b.
Cumæi ætas id est Sybellina, 24. 4. a.
Cumulo, pro augmento, 575. 498. a.
Cumulata venia, pro solida ac plena. 511. 456. b.
Cumulare altaria donis, 885. 50. b.
Cunabula, sunt lectuli infantium, 26. 23. a.
Cunabula gentis, 452. 105. a.
Cunctantes glebæ, pro gravibus & magnis. 135. 236. a.
Cunctari in omnes partes, 861. 717. b.
Cuncti & omnes ut differant, 257. 522. a. b.
Cunei, loca in theatro seu graduum ordines, 253. 509. b. pro spectatoribus, 573. 664. b. sunt globi cuneatim stipati, 970. 487. b.
Cuneis coactis scindere, 616. 509. a.
Cuninus Deus, quis, 22. 103. b.
Cupavo, quis? 836. 186. a. b.
Cupencus, Sabinorum lingua sacerdotes, 974. 539. b.
Cupido ex Venere tantum progenitus; alii ex ipsa & Marte: alii ex ipsa et Vulcano &c. 315. 668. a. cur aliger dicatur, et cur sagittas ferat, 314. 667. a. Cupido et amor, ut differant, 488. 194. a.
Cupressus. 3. 26. inferis consecrata, & cur? fabula, 406. 64. a. ante domum funestam poni solebat & cur? ibid. 518. 506. a. 598. 150. b. & cur ad funera adhibebatur? 603. 216. a.
Cura dicta, quod cor urat, 257. 252. b. 461. 1. a. pro amore, 68. 22. b. pro filio, 639. 691. a. pro cogitatione, ibid. b.
Cura, pro conscientiis, 601. 274. a.
Curare corpus, 756. 607. b.
Cures, oppidum Sabinorum, 649. 811. b. *Cures severi*, 759. 638. a.
Curetes, matris deûm ministri, 415. 131. b.
Curgulio, quasi *Gurgulio* & quare. 94. 186. a.
Curiam olim ingrediebantur duces, cum sceptris, 8, 6. 231. b.
Curio Cæsari Romam vendidit, 614. 621. a.
Curia, non nisi in augurato loco. 666. 174. a.
Curibus advenit, id est de Curibus, 847. 545. b.
Curotrofæ nymphæ, quæ, 70. 61. b.
Curriculum, pro tempore, 742. 408. a.
Currite, pro volvite, 28. 46. a.
Currus, pro equis, 665. 163. b. non audit habenas, 119. 514. a. b.
Curru, pro currui, 52. 29. a. 454. 541. a.
de *Cursoribus admiranda*, 706. 807. b.
Cursus, pro navigatione, 498. 299. a. 582. 834. b. pro volatu, 44. 80. b.
Custodia, quæ custodit, 610. 574. a.
Custos ad limina pro servo atriensi. 811. 648.
Cyllene, mons Arcadiæ, 719. 139. a.
Cybele ops & terra dicta, 397. 718. b. mater deûm & unde derivata, 839. 120. a.
Cybeli cultrix, id est montis Phrygiæ, 433. 111. a.
Cycladis descriptio unde dicta, 312. 693. a. b.
Cyclades sparsæ quæ, 415. 127. a.
Cyclas, genus vestis muliebris, 320. 515. b.
Cyclops filius Neptuni, 10. 26. b.
Cyclopum mœnia, 634. 630. a. b.
Cyclopea saxa, quæ, 256. 205. a.
Cycne, Ligurum ductor. 836. 185. a.
Cydon infelix, 846. 325. a.
Cydonia spicula, pro Creticis, 70. 59.
Cydonii mali, cum Medico, ejusdem pene efficaciæ, 128. 126. b.
Cygni, inter augurales aves non inveniri, ajunt, 284. 402. b. augurium dant nautis, 283. 397. a. rauci & loquaces, 915. 458. a.
Cygni, pro poetis, 62. 14. b. cur suavius canant? 698. 659. b.
Cylindrus, lapis teres, instar columnæ, 93. 178. b.
Cyllene, mons Arcadiæ, 719. 139. a.
Cyllenius pro Mercurio, 494. 252. a. ignis, pro Mercurii stella, 108. 317. b.
Cymba futilis, an fictilis legend. 628. 413. b.
Cymbala Cybeles sacris, & Bacchi orgiis adhibita, 195. 64. a. b.
Cymbia, 406. 66. a. pocula in modum cymbæ, 551. 267. a.
Cymenus lacus, 698. 697. a. b.
Cymodocea doctissima, 839. 225. a. b.
Cymothoe & Triton, dii marini, 149. 442. b.
Cynsphus hirci, id est Libyes, 876. 312. a. b.
Cynthius, Apollo à monte Cyntho, 16. 2. b. author Trojæ, 559. 36. a. b.
Cynthus, mons Deli, in quo Diana nata, 196. 502. a. 484. 147. a.
Cyparissus conifera fabula, 464. 680. a.
Cyprus, à Teucro superata, 310. 626. a.
Cyrnæa taxus, id est Corsicana, 61. 30. b.
Cythera, insula Veneri consecrata, 825. 51. b. neutro genere pluraliter dicitur, 317. 684. a.
Cytheris meretrix, eadem cum Lycoride, 37. 11. b.
Cythisus, herba est, 14. 64. a. arbor, à Cythiso insula, 181. 394. b. virgulta, 147. 411. b.
Cythisum, genus fruticis, 8. 79. a.
Cytorus, mons Macedoniæ, aut civitas, 148. 437. a. b.

D

DA, pro dic, 3. 19. 409. 85. b.
Daæ, Scythiæ populi, 768. 721. a.
Dacorum mos, in bellum euntium, 152. 497. b.
Dædala Circe, 673. 282. a. b. tecta, id est ingeniosa, 201. 179. a.
Dædali, historia, 587. 14. a.
Dama, masculini & fœminini generis, 52. 28. b. timida, 189. 539. a.
Damnare votis, pro obligare & obnoxios reddere & Damnati, qui dicantur, 55. 80. a. b.
Danai, unde dicti, 327. 5. a.
Danaidum nefas impressum, 856. 497. a.
Dapes, deorum. Epulæ, hominum sunt, 424. 224. a. Dapes, regum sunt: epulæ privatorum, 3. 9. 710. a.
Daphne Ladonis filia, ab Apolline dilecta, & in laurum conversa. 20. 63. a.
Daphnis filius Mercurii. 10. 26. b. venationis & musicæ peritissimus, &c. ejus tota historia, 51. 20. a. adamatus ab omnibus fœminis ejusque historia, 56. 61. a. b.
Dardania, pro Troja, 361. 345. a. 418. 156. a. Dardania proles, pro Albanis regibus, 6. 5. 756. a.
Dardanus, pro Dardanius, 531. 661. a. 902. 187. a.
Dardani ortus & hist. 669. 207. a.
Dare, maximum habet in sacris usum, 715. 106. b. pro facere, 474. 481. a. 970. 453. a. pro reddere, 891. 162. b.
Dare dextram, pro auxiliari, 615. 370. a.
Dare cuneum, se in cuneum componere, 976. 575. a. b.
Dat ferre, 552. 248. a.

Dares

Dares, Daretis; & Dares, Daris. 563. 456. a.
Dares Entellum provocat. Proverb. 558. 369. b.
Daunia dea, pro Iuturna, 987. 725. b.
Daunia gens, pro Rutula, 720. 146. a.
De, Augentis, 285. 110. a.
De more, ... 183. 35. b.
De te, pro in te. 685. 502. a.
Dea, ... circa fluvios, vel nemora, 309. 621. a.
Deceptus, pro captus, 58. 18. a.
Decernere, pro pugnare, 687. 525. b.
Decernere ferro, 932. 695. b.
Decii duo fuerunt, 132. 169. a. pater a filius. Mures dicti, 650. 824. a.
Decimo sexto anno militabant Rom. 685. 362. a.
Decolor atas, 734. 326. a.
Decoquere humorem, 106. 295. a.
Decurrere rogos, pro circum rogos, 893. 189. b.
Deducere, pro secare, 87. 114. a. 104. 269. a.
Deductum carmen, pro tenui & bucolico. 37. 5. a.
Defendere, pro prohibere & excludere, 49. 47. a. 879. 905. a.
Defensum dare, pro defendere, 960. 437. a.
Defluere ad terram, 918. 501. a.
Deformare domum, 988. 805. b.
Defringere plantas, 138. 300. b.
Defunctus liberatus, 593. 83. a. b. 776. 98. a. b.
Degener quis dicatur, 379. 549. b.
Degeneres animos timor arguit, 470. 13. a.
Degenerare, in pejus & melius verti, 124. 59. a.
Degustare, pro leviter tangere, 965. 376. b.
Deiicere oculos, humilitatis indicium. 926. 480. b.
Deiopeia Nympha pulcherrima, 239. 76. a. b.
Deiphobus Helenam duxerat, mortuo Paride, 624. 495. a.
Deiphobe Glauci filia, sacerdos Triviae, 589. 36. a.
Delia, pro amica & Diana sumitur, 20. 67. a.
Deliciae, ut de hominibus dicantur, 8. 2. b.
Delius vates, pro Apolline, 516. 12. a.
Delos, post Latona partum Ortygia dicta, 407. 72. a. 408. a. Latonia, 157. 6. a.
Delos civitas & insula, 408. 73. a.
Delphico gladio perire, 435. 332. b.
Delphinus, 369. 594. a.
Delphinus inter sacrata Apollinis receptus, 415. 332. b.
Delubrum, unde dictum, 475. 56. a.
Delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, 352. 225. a.
Delus materna, 484. 144. a.
Demissa vox, pro humili & tenui, 435. 120. a.
Demittere mentes pro desperare, 978. 609. b.
Demophoon, Thesei filius, 30. 10. a.
Demorari, pro exspectare, sustinere, 824. 30. a.
Demoror Austros, 449. 481. a.
Dense, pro dense, 137. 275. a.
Densare, pro dense jacere, 926. 650. b.
Densi tela, pro densa tela, 803. 534. b.
Denso, & denseo, 704. 794. b.
Denso pingui distendere, 165. 124. a.
Dentale quid, 93. 172. a.
Deorum potestas triplici signo ostenditur, 57. 75. a.
Deos invocandi ritus, 902. 301. a. b.
Deos tutelares cur Romani in obsidione urbis evocaverint, 364. 351. a. b. Deos, veteres, patres dicebant, 251. 159. a.
Depectunt, pro decerpunt, 128. 121. a.
Depellere quid, 3. 21.
Deponere, quid, 17. 32. b.
Deponere animos, 572. 751. a. b.
Depositi, pro desperati, 966. 395. a. b.
Deprensus, pro occupatus, 559. 52. b.
Deprensis, pro periclitantibus, 215. 411. a.
Decennis regis bustum, 937. 850. b.
Desaevire, pro valde saevire, 860. 569. b.
Desilire ab equo, 918. 500. b.
Despumare undam foliis, 106. 296. b.
Desuper venire, pro opprimere, 331. 47. a.
Detexere, pro perficere, 14. 72. b.
Detinere, pro delectare, 903. 349. a.
Deturbare terra, pro in terram, 859. 555. b.
Devotionis vis et modus, 362. 326. b.
Devotionum formula, 938. 234. b.
Deus, more Graec. utriusque generis, 685. 498. a. b. Deus dabit his quoque finem, 256. 203. a. b. Deus, pro somno vel vino, 701. 337. b.
Δεύτερον πλοῦν, Proverb. 564. 483. b.
Dexter an sinister locus antiquis honestior? 833. 160. b.
Dexter modus rebus, pro optimo eventu, 498. 294. a.
Dexter, pro propitius, 367. 388. a. 758. 302. b.
Dextra, olim fidei consecrata, 633. 613. b.
Dextra dextram jungere, salutatio majorum, 285. 412. a.
Dia, pro generosa, 927. 657. a.
Diana a parturientibus invocatur, 408. 73. a. Diana tria ora, 518. 511. b. ara placabilis, 763. 764. a. b.
Diaereses quatuor in toto Vergilio, 683. 404. a. b.
Dic quibus in terris &c. ejusque aenigmatis expositio, 22. 105. a. b. 23. b.
Dicabo, pro dabo, 240. 77. a.
Dicendi genera tria Humile, medium, &c. 323.
Dicere, pro designare, 165. 337. b. pro dicare & consecrare, 736. 344. a.
Dictaea arva quae, 410. 171. a.
Dictaeus rex, pro Iove, 155. 536. a.
Dictaei saltus, pro Cretenses, 477. 73. a.
Dictamnus herba qualis? 987. 412. b. ferrum inhaerens expellit, 420. 171. a. 477. 73. a.
Dictis, mons in Creta, 42. 56. a.
Dicto citius, 249. 146. a.
Dictus, pro dictatus, 593. 138. a.
Didita, pro divulgata, 738. 132. a.
Dido Phenissa, 316. 674. a. Elissa ante dicta, & cur? 276. 344. a. 471. 36. a.
Dido, potest & accusativus esse, 507. 383. a.
Didymaonis artes, 558. 359. a.
Diei descriptio, 950. 113. a. b. partes quae, 356. 268. a. brevium & longorum causa, 181. 482. a. b. 325. 749. a. b.
Dies an inchoet ab occasu, an ab ortu Solis &c.? 577. 739. a.
Dies Romani a medionocte incipiebat, 606. 255. a. Dies, pro nocte, 323. 736. a. pro tempore, 912. 425. b.
Die pro diei genitivus regularis apud antiquos, 97. 208. a.
Dies felices operum, 104. 277. b.
Dies procedere, pro proficere, 25. 12. b.
Differre pro dissipare, 169. 197. a.
Digerere omina, pro interpretari, &c. 348. 188. a.
Digna indigna pati, proverb. 983. 811. b.
Dignatus, pro digne habitus, 445. 475. a.
Dignor & digno, 892. 169. a.
Dii, pro dies, 311. 640. a.
de Diis triplex opinio, 506. 380. b. cur per Stygem jurabant? 612. 324. b.
Dii communes, qui? 990. 118. a. b.

Digitized by Google

Dii fluminum, cur cornuti fingebantur, 212. 371. b. Diis hospitalibus & Iovi in mensa libabatur, 323. 740. a. Dii marini fere omnes senes sunt & quare, 214. 403. a. Dii omnes, sunt ... 591. 64. a. Dii penates, à Samothracia ab Ænea in Italiam advecti sunt, 400. 12. b. & qui fuerint. 281. 182. a. Diis superis libabant tantum: inferis sacrificantes, etiam vasa in ignem mittebant, 604. 225. a.
Dii non gradiuntur sed fluunt, 285. 409. b. Dei proprii præsunt singulis actibus, 143. 141. a. stemmatis coli solebant & quid stemma, 333. 459. b. Dii tribus coluntur, precibus, votis, donis, 445. 438. b. Dii, tum tantum calendis, tum idibus vaticinabantur, 589. 37. a. venerantur operto capite, 439. 370. b.
Dii umbris contrarii, 12. 46. a.
Dei vocem, scriptores tribuebant, qui in re aliqua excellebant, &c. a. 7.
Diluere Baccho favos, id est sacrificare mella, 109. 144. a.
Dimittere ab armis, 990. 841. b.
Dindyma, mons Phrygiæ, 141. 252. a. 808. 617. b.
Diomede, Græcus accusativus, 197. 243. a. b. Beneventum, Argos &c. condidit, 708. 9. a. equos habuit, qui humanis carnibus vescebantur, 405. 51. a. socii ejus in aves conversi, 901. 271. a. Trojanis Palladium reddidit, & cur? 443. 407. a.
Dionæa mater, pro Venere, 401. 19. b.
Dionæus Cæsar, unde ita dictus, 64. 47. a. b.
Dira, abominanda & magna, 271. 217. a. 78. 37. b.
Dira appellant Sabini, quæ nos mala, 425. 235. b.
Diræ in cœlis: Furiæ in terris: Eumenides apud inferos, 326. 610. b. sunt ultrices deæ, 266. 701. a. geminæ pestes, 990. 845. b.
Diripta, pro diripienda, 380. 563. b.
Dirripere tergora, an derripere legendum, 258. 215. b.
Discincti, qui? 768. 724. a.
Discite justitiam moniti, &c. 633. 620. b.
Discordia, pro avaritia, 152. 496. a.
Discordia repens, 962. 313. a. b.
Discrimen, pro intervallo, vel cursu, 547. 154. b.
Discriminare, pro dividere, 890. 144. b.
Discumbentes & sedentes olim vescebantur, 320. 712. a.
Dissimulare & simulare, ut diff. 297. 520. a.
Διστάζειν quid. 709. 20. b.
Distendere, pro implere, 128. 457. b.
Distinere hostem, arcere, repellere, 901. 281. a.
Ditis domina, pro Proserpina, 617. 397. a. b.
Divi & dii, ut differant, 519. 45. a. 572. 139. a.
Divinandi peritia, in duas partes dividitur, 438. 359. a.
Divini honores merentur duplici ratione, 241. 83. a.
Divinum rus cur dicatur, 93. 168. a.
Divortia, viam diversa tendentes, 794. 379. b.
Dodona, civitas Epiri, juxta quam nemus Iovi sacratum, glandibus abundans, 90. 149. b.
Dodonæi lebetes, qui, 447. 466. a. b.
Dolere dolore, 115. 673. b.
Dolones, à fallendo sic dicti, 696. 664. a.
Dolopes, Pyrrhi socii, 328. 7. a.
Dolon explorator Trojanorum, 564. 347. a.
Dolos versare, pro exercere, 835. 62. a. b.
Dolus an virtus, quis in hoste requirat, 367. 390. b.
Domina Ditis, 617. 397. a. b.
Domitia, crinem suum execuit ad tormenta facienda, cum Galli Capitolium obsiderent, 311. 724. a.
Domus, pro familia, 387. 652. b.
Domus singulæ partes diis sacratæ, 373. 469. a.
Domus placida, pro campis Elysiis, 640. 705. a.
Donaria, abusive pro templis, 139. 533. a.
Donum & munus ut diff. 356. 269. a. 331. 31. a. pro sacrificiis, 476. 63. a.
Donysa viridis, 415. 125. a.
Dorica castra, pro Græcis, 328. 88. a.
Doris amara, pro mari, 66. 5. b.
Dorsum duplex in vomere, quid? 93. 172. a. Dorsum, de saxo, 245. 114. a. Dorsum iniquum, pro duriore arena, 844. 303. a.
Dorus Neptuni filius, unde Dors, 331. 27. a. b.
Dotalis regia, 908. 467. a.
Draco facer heroibus, 544. 96. b.
Drances Turno infensus, 88. 122. a.
Drepanum civitas, & unde dicta, 466. 707. a. b.
Drusi duo, prior Asdrubalem vicit, 6. 0. 824. a.
Dryades, Nymphæ quales, 160. 40. a. Unde dictæ. ibid. 74. 11. b.
Drymoque, Xanthoque, &c. Nympharum nomina, 210. 336. b.
Ducere, pro abducere, 678. 359. a. pro educere, 965. 378. b. Ducere annum, quo sensu, 73. 6. b. bellum, 711. 55. b. Ducere muros, 147. lin. penult. b. pro exædificare, 287. 427. a.
Duces interemptos, omnis exercitus vulnerabat. 811. 9. a.
Duci, pro ductum iri, 230. 23. a.
Dulce meum, ut intellig. 500. 318. a.
Dulichia rates, à Dulichio insula, in qua Vlysses habitavit, 44. 76. a.
Duobus simul euntibus, Proverb. 273. 316. b. Duo, pro duos, 34. 68. b. 460. 623. b. 902. 285. b.
Duplex amictus, 561. 421. a.
Duplicare, quid? 926. 643. b. pro augere, 14. 67. a.
Duplicare vota, 752. 556. b.
Duplices, pro duas, 248. 97. a. 664. 140. a.
Durare, pro sustinere, 754. 577. a.

E

Ebulum, genus herbæ, 68. 27. a.
Ebur à barro dictum, 306. 596. a. illachrymat templis, 117. 480. a. b.
Echionium nomen, pro Thebana gloria, 973. 515. a.
Ἐκχεῖν ... 333. 44. b. 894. 195. b.
Ecloga unde dicta, 1. 1. Eclogæ nunquam sibi similes sint, 15. 1. a.
Edice, pro edic. 915. 463. a.
Edisserere, ordine cuncta narrare, 344. 149. a. b.
Edon, mons Thraciæ, 965. 365. a.
Educere, pro educare, 812. 673. b.
Edura, nimium dura, 199. 145. a. b. Edura, quasi non dura, 124. 65. a.
Effata, dicuntur loca sacra, ab augurib. inaugurata, 447. 463. a.
Effigiem toro locat, & quare? 518. 508. a. b.
Effodere & fodere, ut diff. 289. 447. a.
Effœtus ager, quis, 83. 81. a.
Effœta veri senectus, pro cassa veritatis, 682. 440. a. b.
Effugia, dicitur hostia quæ effugit, ad aras adducta immolanda, 143. 140. a.
Effultum, super quod unusquisque jacet, 719. 368. a.
Effundere iterum habenas, 972. 499. a.
Effundere tela, 802. 509. b.
Egelidum, nimis gelidum, 756. 610. a. b. pro tepido, ibid.
Egere, pro coegerunt, 735. 335. a.
Egeo hanc rem. Plaut. 505. 373. a.
Eges illa re, & illius, dicimus, 34. 71. b.

Digitized by Google

Egregius animi, 912. 417. b.
Egressus fines, cum accusat, 392. 713. a.
Eheu, quam pingui macer est tibi taurus in arvo, 22. 100. b.
Ei diphthongus apud Græcos, in E apud Latinos producitur, 265. 261. a.
Elabi, pro celeriter præcurrere, 546. 151. b.
Electrum, succinum est, 181. 522. a. b. 757. 624. b.
Electri tria genera, 741. 402. b. pinguia, 55. 54. a.
Eleimetæ, id est, fines Circi, 169. 212. a. b.
Elementa quatuor, & de Elementis & Deo nascuntur omnia: ab elementis habemus corpus, à Deo animam, 642. 724. a.
Elementa, animalia esse voluerunt, 520. 524. a.
Elephanti & in Aphrica, sed in India majores, 81. 57. a.
Eleusina mater pro Cerere, & unde sic dicta, 92. 163. a.
Elidere, pro præfocare, 730. 289. b.
Elidis urbs, 631. 588. a.
Elis & Pisæ civitates Arcadiæ, 465. 691. b.
Elisa spuma, pro expressa, exclusa, 456. 567. a.
Elisa, pro Didone, lingua Punica virago, 501. 335. a. b
Elisyum, 627. 542. b. ubi piorum animæ habitant, 576. 735. b.
Elisyorum camporum descriptio, 635. 638. a.
Elorus, fluvius, 465. 698. b.
Eloquentiæ effectus, 250. 157. b.
Eluctari, ut aqua dicatur, 135. 244. b.
Elyces, sulci ampliores, ad siccandos agros ducti, 87. 109. a. b.
Emathia, Thessalia est, 118. 492. a. pro Macedonia. 213. 390. b.
Emicare, verbum celeritatis, 557. 337. b.
Emicuit, pro exiluit, 347. 175. a. b.
Ἡμίθεοι cum volunt, tantum videntur, 38. 24. b.
Enare, de volatu, 587. 16. b.
Enceladi corpus in Sicilia, 456. 573. b.
Enipeus, Thessaliæ fluvius, 212. 368. a.
Enses ab humero antiquitus pendebant, 789. 303. b.
Ensis crudus, pro duro ac crudeli, 972. 507. b.
Eoas domos Arabum, 127. 115. b.
Eoæ, pro matutinis, 58. 221. b.
Eoo primo, sc. tempore, vel aurora, 880. 4. a.
Eous, E, naturaliter longum habet, 369. 417. a.
Eous fluctus, pro Euroo, 453. 538. a.
Eous, pro Lucifero, 105. 288. b.
Epeus, equi Trojani fabricator, 355. 264. b.
Ephyreia æra, id est Corinthia, 149. 464. b.
Epicurei, duo principia rerum statuunt, Corpus & inane, 39. 31. a. plures cælos esse asserunt, 275. 335. b.
Epidaurus, civitas Illyrii, Æsculapii tutela nobilis, 160. ibid. domitrix equorum, 160. 44. a. b.
Epirus optimas equas creat, 81. 55. b.
Epitaphion & Epicedion, ut differant, 30. 14. a.
Epitheta, nunquam vacant; sed aut ad augmentum, aut ad diminutionem, aut ad discretionem ponuntur, 253. 182. b. 275. 327. a.
Epulæ repostæ quæ, 188. 527. a. b.
Equas, è vento concipere, & ubi, 173. 273. a. b. Equarum prægnantium cura, 166. 138. b.
Equicolus pulcher armis, 813. 684. b.
Equidem, pro ego quidem, & quidem, 805. 580. a.
Equi fata dominorum præsentiunt, 876. 860. a. b.
Equi, caput effossum quid designarit, belli omen, 289. 445. a.
Equus à Neptuno progenitus, ut dictus, 75. 14. a. Neptuno consecratus, 581. 817. b. bellator, 378. 891. a. b.
Equus immolatus Romæ, sacris publicis, 167. 160. b.
Equus infrenis, 870. 750. a. lachrymas & doloris affectum sentiens, 886. 90. b.
Equus Trojanus quid fuerit, an machinamentum, an porta, an signum, &c. 329. 15. a.
Equini pulli, in fronte carnem quandam habent Amor matris, vel Ippomanes dict. 519. 513. a.
Erato, pro Calliope, vel qualicunque Musa, 658. 37. b.
Erebus, pars inferorum, 618. 404. a.
Erebi umbræ pallentes, 471. 26. a.
Ereti manus, 699. 711. a.
Ergo, pro gratia vel caussa, 638. 670. a. b. pro merito, 34. 58. a. 145. 393. b.
Erichthonius primus, usum currus docuit, &c. 164. 113. a. b.
Eridanus fl. Italiæ, qui & Padus vocatur, 212. 372. a. b. & cur in Elysio 637. 659. a. b. fluviorum rex, 117. 482. a. b.
Erigone, virgo est, signum cæleste, 78. 33. a.
Erinnys, pro furore bellico, 363. 337. a. b.
Eripere fugam, pro accelerare, 385. 619. a.
Eriphyle, Amphiarai auguris Argivi uxor, 621. 445. b. monili allecta, virum suum prodidit, 314. 463. b.
Eris mihi magnus Apollo, 22. 104. a.
Errabunda vestigia, pro errantia, 42. 58. a.
Errare, pro pascere, 254. 189. a. 685. 491. a. pro pasci, 2. 5.
Error, pro furore, 187. 518. b. alibi pro noxa &c. ibid.
Ervum quid, 22. 100. b.
Erycinum littus, 824. 35. b.
Erymanthus, mons Arcadiæ, 562. 448. a.
Erymanthi nemora, 648. 802. b.
Eryx Butæ & Veneris filius, 537. 24. b. 561. 412. a.
Erycis fines, pro Sicilia, & quis ille Eryx, 304. 574. a.
Eryx, mons Siciliæ supra Drepanum, 578. 750. b. 983. 701. a.
Esseda, Gallicana vehicula, 170. 204. a. b.
Esset id est comesset, consumeret, 91. 151. a.
Est, pro edit, 476. 66. a. b.
Esto, pro sit, 843. 280. a.
Esto concedentis adverbium, 827. 67. a.
Etiam, pro adhuc, 169. 189. b.
Etiam, pro eja, adverbium hortantis, 908. 373. a.
Etruscorum maximum in Italia imperium, 155. 533. b.
Euadne, uxor Capanei, 6 1. 447. b.
Eua Bacche, Bacchantis vox, 679. 389. a.
Euandrus rex, 722. 185. a. Arcas fuit: ejus historia, 711. 52. a. arcis Romanæ conditor, 713. 313. a. ut Atridis coniunctus? 718. 129. a.
Euandrus, pro Euander, 751. 545. a.
Euantes, Bacchantes à Libero, qui Evan. 6 6. 517. a.
Eubœa insula est in qua Calchis civitas est, 515. 2. b.
Euboicum littus Bajarum, 815. 710. a.
Euboica rupes, pro monte Cumano, 589. 42. b.
Evincla suras, 47. 32. a.
Eviscerare & exenterare, 933. 713. a.
Eumenides quæ, & cur ita dictæ, 105. 278. a. Eumenidum mater, pro Nocte, 606. 350. a. thalami, pro Furiarum sedibus, 609. 280. a. b.
Evocati milites qui, 698. 694. b.
Euphrates, Orientis fluvius, 119. 509. a. 212. 561. a. b. 765. 726. b.
Euripus, circa Chalcidem, 70. 50. a.

Europa dicta, ab Europa Agenoris filia, 281. 189.a.
Eurotas, fluvius Laconum, 44. 83.b. 295. 502.a.
Eurystheus durus, rex Graeciae fuit, 156 4.a. *ejus imperia in Herculem,* 751. 292.a.
Eurytion bonus, 856. 499.a. *apud Lycios colitur, ut heros,* 566. 514.a.
Ex alto causas petere, 741. 395.a.b.
Ex ordine, rite, & sine mora, 579. 773.b.
Exacta, pro exquisita, 273 313.a.
Exacti menses, qui, 114. 435.b.
Examen, proprie est filum, quo trutina regitur, 984.
Exardere in iras, 681. 445.a.
Exanimus & exanimis dicitur, 294 488.a.
Excantare, est magicis carminibus obligare, 56. 71.b.
Exceptus, pro fraude circumventus, 928. 684.b.
Excierat, pro evocaverat, 544. 307.a.
Excipere est, insidiis opprimere, 600. 173.a.b. 16. 18.b. 435. 352.a. *pro insidiose respondere,* 481. 114.a.
Excipere sorti, quid? 787. 271.b.
Excitare, pro consternere, 391. 728.a.
Excreti hædi, id est validiores, 181. 398.a b.
Excubia, diurnæ: vigiliæ, nocturnæ, 780. 159.a.
Excudere, est feriendo elicere, 253. 178.a.
Excussa magistro navis, 614. 353.a
Excussi patrias, 674. 299.b.
Excussisse, pro excutere, 592. 79.b.
Exegit, pro exclusit de latebris, 365. 357.a.
Exercere, pro fatigare, 288. 435.a.
Exercere diem, 873. 808.b
Exercitus, pro exercitatus & peritus, 421. 182.a. *Exercitus, duobus modis deletur,* 239. 74.a.
Exerta mamma, pro nudata, 295. 496.b.
Exhausta bella, 470. 14 a.
Exhaustus omnibus, 307. 603.a.
Exigere ensem, pro agere, 874. 815.a.
Eximii sacrificii vocabulum, 221. 550. b.
Exire, pro vitare, 561. 438.a.b.
Exire vim, pro evitare, 732. 750 a.b.
Exit flumen, cum abundat, 87 116.a
Exolvit se corpore, 936. 819.a.
Exorare, & orare, ut differant, 439. 372.a.
Exorsa longa, 123. 46.b.
Exorsa rerum, 870. 111.b.
Expectata pro probata, 639. 687.a.
Expectate venis, pro expectatus 357. 283.a.
Expedire, pro ferre, 519. 706.a.
Expedire manus, 959. 258.a.
Expendere, quid, 352. 229.a.
Experientia, pro notitia, 73.4.a.
Explere numerum, pro minuere, 628. 545.a.b.
Explorare, pro deliberare, explanare, statuere, 240. 81.b.
Exsors, pro optimo & præcipuo, 752. 552.a.
Exsors vitæ, 619. 428.b.
Exstinxem, pro exstinxissem, 526. 606 a.
Exsudat, pro exsudatur. 83. 18 b.
Exta consulere, 476. 64.a.
Exta tristia, 117. 484 b.
Extemplo, pro ilico: & unde derivatum, 242. 96.b.
Exterrita, pro turbata, 512. 450.b.
Extorris finibus, 527. 616.a.
Extremum, pro summo, vel primo, 209. 319.a b. 669. 218.b.
Extremus labor, quis, 66. 1.a.b.
Extrema, pro pessima, &c. 487. 179.a.
Extundere, pro studiose reperire, 89. 133.a. 209. 315.a.
Exuberare, pro super abundare, 94. 191.b.
Exultare, gaudere, 864. 643.b.
Exurere, & urere, ut diff. 234. 41.a.b.
Exuvia, de corio serpentis, 374. 472.a.

F.

FAbaris qui & Farfarus dicitur, 702. 715.a.
Fabii trecenti sex, de una familia, 652. 845.a.
Fabritius, paupertate gloriosus, 652. 844 a.
Fabula & Historia, ut diff. 261. 239.b. *Fabula inventa, delectationis causa,* 40. 41.a.
Facere, pro sacrificare, 20. 77.b.
Faces præire solent nubentes puellas, 53 29.a.
Facesso, pro facio, 221. 548 b.a. *sed cum studio,* ibid. 772. 45.b.
Facies, pro totius corporis forma, 156. 95.b. *pro speciebus,* 629. 560.a. *pro vultu,* 317. 687.a.
Faciles qui, 16.9.a.
Facilis descensus Averni, 596. 126 a.
Facilis victus, est copiosa, dives fertilis, 289. 449.a.b.
Fagus, arbor glandifera, unde dicta, 1.1.
Falcatus ensis, 701. 732.a.
Falernus mons Campaniæ, ubi optima vina nascuntur, 126. 56.a.
Faliscos, Haliscus condidit, 698. 695.a.
Fallere, pro latere, 394. 744.b.
Fallere dextras dominorum, 633. 613.b. *Fallere faciem, pro simulare & mentiri,* 117. 687.b.
Fallax herba, quæ, 16. 24. a.b.
Falsum, pro simulato, 432. 302.a.b.
Fama, cur monstrum, horrendum, ingens, 487. 181.b.
Famæ descriptio, 486. 174.a.
Famelicus non interpellandus, 259. 220.b.
Fanatici, futura præcinunt, 74. 10.b.
Fandum atque nefandum, pro justitia ac injustitia, 301. 347.a.
Far pium, quid? 577. 745.a.b.
Fas, est omne quod permittente fatorum lege præstatur, 533 696.b.
Fas versum atque nefas, 118. 505.b.
Fas nobis dicimus, 503. 305.a.
Fascelis, quid, 340. 116.b.
Fasces attollere & submittere, quid, 666. 173.b.
Fasces populi, 351. 495.a.
Fascis, pro onere, 65.65.a.
Fascinus deus, quis, 22. 103.b. & *fascinum,* ibid.
Fascis injustus, cur dicatur, 178. 547.a.b.
Fastigia, quæ, 372. 458.b.
Fastigia rerum, id est primordia, 277. 346.a. *pro operis summitatibus,* 289. 442.a. *de infima parte,* 257. 62.b.
Fatalis manus Trojanor. 951. 251.a.
Fatalis virga, 618. 409.b.
Fatiferus ensis, 757. 621.a.
Fatigare, pro exercere & sollicitare, 269. 284.a.
Fatigare sylvas, 807. 605.a.b.
Fatigans, pro fatigantur, 714. 94.b.
Fatiscere, pro abundanter aperire, 247. 127. a. 182.a.b.
Fatum quid, ejusque definitio, 447. 376. a. *à fando dictum,* 28. 46. a.
Fata, pro calamitatibus, 354. 246.a. *pro casibus,* 470. 14.a. *sunt & denuntiativa & conditionalia,* 533 696.a.
Fatis necessitas impediri potest, non penitus eludi, 526. 610.b. 265. 261.a. *differri possunt, sed non immutari,* 741. 398.a. 394. 738.b.
Fatis pro malis, an pro responsis? 512. 450.b.
Fata responsa, 341. 121.a. *pro morte,* 519. 519.b. *pro voluntate,* 232. 36.b. 527. 614.a. 619. 50. a.
Fauces, itinera inter duos montes, 9. 9. 516 a. *pro angustiis,* 56. 207. b.

Fauces prima Orci, 608. 273. b.
Favere, pro velle. 75. 18. b. tacere, ibid.
Fauni unde dicti, 38. 27. b.
Fauni, sylvicolae, 859. 551. a. b.
Faunus Pici filius: Omam filiam habuit, 733. 314. a. à fando dictus, 74. 10. b. Rex Aboriginum, ibid. 659. 47. a. ejus oracula. 661. 81. a.
Feretrorum constructio, & quibus partibus constet, 192. 22. b.
Fax atra, pro bello, 828. 77. a.
Fax, pro lumine, 391. 694. a.
Faxo, pro faciam, 962. 316. a.
Febris à fervore dicta, tamen & frigida datur, 184. 458. a. ante hebris dicebatur, 698. 695. a.
Februus, Ditis pater, 79. 43. a.
Fel veneni, 991. 857. b.
Felicior, pro peritior, 818. 772. a.
Felix sis, id est propitius, 34. 65. a.
Feminae olim non utebantur vino, 823. 741. a.
Femur; & an femen dicatur, 847. 344. a. b.
Fera ac rabida ad minima consternantur, 179. 372. b.
Fera, de omnibus prope quadrupedibus, unde dicta, 258. 219. b.
Ferale carmen, pro funebri, 514. 462. b.
Fere, ultima syllaba longa. 416. 135. a.
Ferendo, dum fertur, 575. 710. a.
Ferentes venti, pro propitiis & prosperis, 511. 430. a.
Feriae aut legitimae sunt, aut indictae, 310. 636. b.
Feriis, terram ferro tangi, nefas, 103. 268. b.
Ferire foedus, 833. 854. a.
Feronia mater, nympha Campaniae, libertorum dea, 783. 564. a. gaudens luco, 705. 100. a.
Ferre, pro adferre & nuntiare, 336. 75. a. Ferre, pro auferre, 960. 285. b. 237. 63. b. 64. 51. a.
Ferre animum caelo, 859. 548. a. b.
Ferre manum, pro contendere, 560. 403. a.
Ferri equis, pro trahi, 293. 480. a.
Ferre lethum, pro inferre, 939. 872. a.
Ferre pedem, quo sensu, 74. 11. b.
Ferreus ager hastis horret, 524. 601. a.
Ferro flammaque res geritur, 363. 337. b.
Ferrugineum pro nigro colore, 202. 183. a. b. 611. 303. a. b.
Ferrugo quid, 116 467.
Ferrugo Ibera, coloris genus, 806. 582. a. b. peregrina, 933. 772. b.
Ferrum unde sic dictum, 333. 51. b.
Ferrum anceps, pro utrinque noxio, 687. 325. a.
Ferrum recipere, quid? 879. 907 b.
Fervere pro impleri & aestuare, 116. 416. a.
Fervet opus, 288. 440. b.
Fervor 3. conjugat. 509. 409. a. 523. 567. a.
Fescennina acies, 658. 695. a.
Fessus & fatigatus, ut diff. 725. 232. b.
Festinae, pro festinans, 801. 488. a.
Fibra, quid proprie, 88. 120. a. b. 631. 600. b. littoris extremitates, 835. 176. a.
Fibrae minaces, 117. 424. b.
Fibri, canes Pontici, 81. 59. a.
Fidena urbs Lat. 646. 773. a.
Fidei magna cura, apud majores, 850. 134. a. cana, cur dicatur, 270. 296. a.
Fiducia in bonis, confidentia in malis rebus, 248. 136. a.
Fiducia, & pro crimine ponitur. 184. 61. b.
Fidus & fidelis, an diff. 246. 117. a.
Figere, pro consecrare, 263. 252. a.
Figere atque refigere leges, 834. 612. a. b.
Filii non nobilitantur ex parte matris, 906. 304. b.
Filios, scelera paterna non maculant, 248. 136. b.
Fineus Thracum rex, de illo fabula, 423. 209. a.
Fimus, laetamen agri dicitur, & quare, 83. 80. b.
Fingere, pro componere, 484. 148. a.
Fingere lingua corpus, 758. 634. a. b.
Fingere premendo, quid? 592. 80. b.
Fiscellum texere, 71. 71. a.
Fiscina facilis, cur ita dicta, 103. 266.
Fissus dies est, non totus religiosus, 589. 37. a.
Fistula vetus, ut compacta, 31. 36. b.
Flabra, caret singulari numero, 138. 293. a. b.
Flagella, summa arborum partes sunt, 138 209. a.
Flagitare, pro invidiose poscere, 341. 124. a.
Flamen Martialis & Quirinalis, non tenebatur omnibus ceremoniis, quibus Flamen Dialis, 752. 552. a.
Flamines, unde dicti, & eorum ritus, 762. 664. a.
Flamini, à Flaminica vestis fiebat, 495. 263. b.
Flamini diali, mensa inanis non adponebatur, 319. 710 b. si quis ejus pedes vel genua amplexus fuisset, verberari non licebat, 459. 627. a.
Flamini, post Solis occasum apicem ponere non licere, 272. 309. a. b.
Flamines, farinam fermentatam contingere non licebat, 253. 113. b.
Flaminicam non licet, nisi unum virum habere. 471. 29. b.
Flaminicam scalas plus tribus gradibus nisi Graecas scandere non licebat, et ratio additur, 529. 646. b.
Flaminica non licebat soleas morticinas habere, 519. 518. a.
Flaminis ac Flaminicae per farreationem in nuptias conveniendi, mos, 505. 374. b.
Flammis adolere penates, ut intelligendus locus ille, 319. 708.
Flatus remittere, 906. 346. b.
Flavinia arva, 698. 696. a.
Flavum, pro viridi, 555. 309. b.
Flectere, pro regere, 251. 160. a.
Fletus, pro verbis flebilibus. 511. 437. b.
Flictus, pro inflictu & ictu, 812. 667. a.
Florentes aere catervae, 705. 801. b. 913. 433. b. florentes aetatibus, 45. 4. a.
Floribus aspergere tumulos, mos antiquus, 542. 79. a. b.
Fluctuare, pro splendere. 137. 281. b.
Fluctuare aestu curarum, 709. 19. a.
Fluens crinis, an unguentatus, an prolixus? 484. 147. a.
Fluere, pro delabi; τῶν μέσων est, 847. 269. a. pro festinanter incedere, 896. 236. b.
Flumen pictum, 820 814 a. b.
Flumina, cur cum cornibus pingantur? 723. 77. a. b. illis simulacra fiebant ex lapide candido: Nilo vero ex nigro, & quare, 208. 293. b.
Fluvio secundo defluere, 685. 494. a.
Fluvius, pro fluvio, 723. 77. a.
Fluxae res Phrygiae, pro mollibus, 828. 88. b.
Foci penetrales, qui. 573 660. b.
Focos amare, quid sit. 416. 134 a. b.
Focus, pro privata cujusque domo. 416. 134. b. pro pyra. 895. 212. a.
Focus vocatur, quicquid ignem fovet. 950. 118. a.
Faeciales, olim fedales dicebantur & unde. 237. 66. b.
Faecunda poenis, pro in poenam. 631. 598. b.
Foedare, pro cruentare, 426. 248. a. b. pro dilacerare, &c. 334. 55. a. b.
Foedus, quid, unde derivatum. 237. 66. b. 759. 631. a.
Foedere pepigit, quo sensu? 879. 902. a.
Felix, pro propitio, 275. 334. b.
Femina, varium & mutabile semper, 523. 570. b.
Feminae, & olim regnavere, 313. 657. a.

Fenilia tecta sunt, sub quibus fenum reponitur, 176. 321.b.
Feta, pro plena & gravida, 236. 55.a. 353. 238 a.
Fetura gregem supplet, 41. 36.a.
Fons, pro aqua, 950. 119.b.
Fontes omnes sacri, 661. 84.a.
Forceps, Gr. ... 967. 404.a.
Forcipes, quasi formi capes, 746. 451.a.
Forent, pro essent, 371. 439.a. 718. 130.a. pro præterito tempore, 443. 417.b.
Fori, tabulata navium, 526. 605.a.
Formica, unde dicta. Fabula, 508. 402.a.
Fornix est camera in arcum ducta, 634. 631.a.b.
Fornix alti saxi, 873. 826.b.
Fors & virtus miscentur in unum, 983. 714.a.
Fortunatus laborum, 911. 416 b.
Fortuna varietas describitur, 912 425.b.
Foruli, urbs, 699. 714 b.
Forum insanum, pro litigioso, 153. 502.a.
Fossa, pro sulco, & contra, 665. 157.a.
Fotum gremio, & complexum, 318. 696 a.
Fovere, quid significet apud Medicos, 968. 420.b. pro amplecti, 15.4.b. pro incolere & inhabitare, 488. 393.a. 773. 57.b.
Fraga, quæ, 21.92.b.
Fragmen, pro fragmento, 844. 106.b
Fragrantia & flagrantia ut diff. 288 440.b.
Frangi, sæpe utitur in adversis, 329. 13.a.
Fraus, pro periculo, 827. 72.b.
Fremere ore, pro consentire, 303. 563.a.b. 559.385.b.
Frendere quid, 216. 452.b.
Fremere, cum clamore deposcere, 683. 460.a. imperia recusare, 237. 60.a. alias velle, ibid.
Fremere, de aquæ sonitu, 902. 259.a.
Frenum accipere, 976. 558.a.
Frequens, pro frequenter, 85.99.a.
Freta, dicta à fervore, 6 61.a. 303. 561.a. pro mari, 302. 611.a.
Frigidus anguis, id est nocens, 56. 71.b.
Frigus penetrare & urere dicitur, 84. 93.a.b.
Frigus sceleratum, 136. 256.b.
Frigus, pro morte, 996. 951.a. pro timore, 242. 9.a.
Frondator, 6.57.a. tria genera frondatorum, ibid.
Frondes atra, quæ? 603. 215.a.
Frondens & frondosus, ut diff. 255. 195.a.
Frons, pro prima parte hominis. 838.211.a.
Fruges, à frumentis non discerni, 255.18.b.
Frumenta lactentia, 107. 315.a.
Fuat, pro fuerit, 130. 108.a.
Fuci, imperfectæ sunt apes, 201. 168.b.
Fucinus, vitrea unda, 702. 759.a.
Fucus, genus herbæ vel ceræ, 193. 39.a b. de equis oriuntur, 281. 419.b.
Fuga de profectione & cursu, 105. 286.a. 579.769.a. Fugæ medio, id est dum fugit, 9.1.547.a.
Fugax, pro veloce & fugiente, 867. 697.b.
Fugere patriam, 1. 4.
Fuimus Troës, 562. 325.a.
Fulgo, gis, 651. 826. b.
Fulgor, pro fulgetra & tria genera fulgorum, 750. 524.a.
Fulica marina, 110 362.a.b.
Fulmen, pro tonitru, 994. 522.a.
Fulmina de sexdecim partibus cali jaciuntur, 744. 427.a. tria genera, 387. 649.a. si fulmen principem vel regem afflaverit & supervixerit, posteri ejus nobiles futuri sunt, ibid. alii quatuor genera, 2. 5. 7.a. diis adsignantur, & duodecim genera fulminum, 234. 46.b. ex nubium collisione fieri.
Fulminis ventus afflare, pro amburere, 387. 649.b.
Fulminis triplex vis, 108. 331. a. 744. 430. a.
Fulmineus ensis, pro fulgenti, 524. 580.a.
Fultus hyacintho, 41. 53.b.
Fumantia excidia Trojæ, quæ fumaverunt, 825. 45.a.
Fumare pro sacrificare, 5. 44.
Fumus tardus, qui, 574. 68.b.
Funalia, faces ex funibus, 322. 731.a.
Funda genus retis, à fundendo dicta, 90. 141. a.
Funda stridens, & de funda veterum, 806. 586.b.
Fundat anchora naves, id est sistit, 555.4.b.
Fundunt, se agmina portis, 951. 122.b.
Fundum, cum olim venderent, sæpe locum sepulchri excipiebant, 23. 105.b.
Fundus, unde dictus, 150.458.a.
Funus propriè est incensum cadaver, 406. 6.a.
Funera, unde dicta, 890. 143.a b. differentiæ, 379. 539. a.
Funus, pro cadavere, 801. 491. a.
Funus acerbum, pro immaturo, 182. 28. b.
in Funere clarissimorum virorum cibo abstinere, veterum mos, 31. 24.b.
Funera maioris ætatis ad tubam solebant efferri: minoris vero ad tibias, 547. 138.a.
Funere polluti Romani, non sacrificabant, 110. 2.a.
Fur, unde dicatur, à furvo i.e. nigro, 18. 407.a.
Furens, pro vaticinans, 361. 34.a.
Furere furorem, 5.2 610.a.
Furiæ, templum Apollinis non ingrediuntur, 515. 473.b.
Furias, pro amore, 234. 45.b.
Furiarum maxima, pro fame, 631. 605.a.
Furiatus & furiosus, ut diff. 369. 407. a.
Furibunda Dido, 529. 646.b.
Furor & ira, mentem præcipitant,
Furore corripitur, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus impu-tatis, 14. 70.a b.
Furtum, pro adulterio, 829. 91.a. pro insidiis, 8 9. 735.b. pro nocturno prælio, 792. 350. a.b.
Furta belli, pro insidiis, 918. 515 b.
Furta servorum propriè, 16. 16.b.
Fusi labores, 681. 421.a.
Fusis. fuis, pro vaticinationibus, 18. 46.a.
Futilis author, inanis, 505. 33.a.b.
Futilis glacies, pro fragili, 985. 740.a.b.
Futura tribus modis prædicta, 446. 444.a.

G

GAbinus cinctus, 6.2. 612.b.
Gesa Alpina quæ? 762.662.b.
Galateam Nympham Polyphemus adamavit &c. 48.17.a. 63.39.a.
Galbaneus nidor, 182. 415.a.
Galbanes odores quando & cur incendendi, 206. 264.a.
Galeæ inanes quæ, 118. 496.a. cur insideant iis leones, dracones etc. 704. 785.b.
Galerus, genus pilei, 698. 681.a.
Galesus fluvius Calabriæ, cur niger dictus, 198. 126. a.b.
Galesus senior, 627. 535. b.
Gallam, multi pilas cyparissi accipiunt, 206. 26.a.
Gallus, poëta eximius &c, 42. 64.b. Ægypti præfectus, 66.2.a.
Gargara, acumina sunt montis Idæ, 775. 16.b.
Garganus mons imminens Sipontinæ civitati, 898. 147 a.
Gangaridæ populi, qui, 158. 27.b.
Ganges, Indiæ fluvius, 129. 137.a. 772. 31.a.

Digitized by Google

Ganymedis honores, cuius filius &c. 32. 32.a. Catamitus
Garamantes populi Africæ, 54 44.b.
Garamantæ populi inter Libyam & Africam, 648. 794 a.
Garamantis Nymphæ, quæ, 488. 198.b.
Gargara, Idæ promontorium, &c. 86.1 3.a.b. pro quibuslibet montibus; 373. 169.a.
Gaudia falsa, an dici possint, 626. 513.b.
Gaza, Persicum verbum, pro divitiis, &c. 246. 123.b.
Gaza agrestis quid? 538. 40.b.
Gela, civitas à fluvio nominata, 466. 702.a.
Geloni picti, & stigmata habentes, 127.115.b. populus Scythiæ, 768. 725.a.
Gemere, pro canere, 6. 59.a.
Gemini, vel simul nati, vel duo, 696.670.b. pro duob. 350 203.a. 369. 415.a. 713.79.a. 718. 130.a.
Gemma bibere, 353. 506.a.
Gena, pro palpebris, 639. 686 a.
Generatim & generaliter, ut diff. 121.35.a.
Generos rogare, antiquis mos, 672. 263.a.
Genialis hyems, 106. 302.a.
Geniales tori qui? 632. 603.a.b.
Genitivus pluralis, tertiæ decl. in VM & IVM exeunt, 283.454.a.
Genius, deus naturalis uniuscujusque loci, 106. 302.a.
Genios duos sortimur, cum nascimur, 644. 743.a.
Gens, pro genere, 847. 750.b. de equis, 673.282.a.
Genua labant, 161. 432.a.
Geometria unde derivata, 18. 41.a.
Gerit pro habet, 121. 122.b.
Germani, aquâ explorabant partus suos, 807. 601.b.
Geryones rex Hispaniæ trimembris fingitur & bicipitem canem habuisse; hunc Hercules vicit, 696. 662.a 610.289.b. 724. 202.a.b.
Gestire incassum, 112. 387 a.
Getæ, populi Mœsiæ, 403. 3.a.
Getulæ Syrtes, 539. 31.b. pro Africanis, 549. 192.a.
Gigantes, per hastam tanquam per numen jurabant, 871. 773.b.
Gignere patris, parere matris est, 309. 622.b.
Gilvus, melinus est color, 162. 83.b.
Gladium ne tolle mulier, 682. 444.b.
Glandibus olim homines vesci soliti, 3. 1
Glarea jejuna, pro sterili terra, 134 212. a.
Glaucus, dilaniatus ab equabus, &c 173. 67.a.b. conversus in marinum numen, 125. 437.a. Fabula, 581. 823.b.
Glaucus, cæruleus est color, 161. 82.a b. cur fluviis detur, 709. 33.b.
Glaucus amictus, 992. 885.a.
Gliscere, pro crescere, 945. 9.a.
Glomerare quid, 484. 155.b.
Glomerare gressus superbos, 165. 117.a.
Gnosia regna, pro Cretensia, 424. 115 a.
Gnosia stella Corona, quæ & unde dicta, 99. 222.a.
Gorgona, lumina vertentem, 745. 418.a.
Gorgones tres fuerunt, Stheno, Euriale, Medusa, 384. 610.b Phorci filiæ, 610. 289.a.
Gorgoneum venenum, 677 341.a.b.
Graccli genus, 632. 542 a.
Gradivus pater, cur sic dictus Mars. 403. 35.a. 858. 542.b.
Græcorum mos, epulis remotis, potationem instituere majoribus poculis, 322. 728.b.
Gramen, de omni herba dicitur, 950. 119.a b. 968. 412.a.
Gramina mala, pro herbis venenatis, 373. 471. b.
Gramineum & graminosum, ut diff. 554. 287. a.
Gratare, pro gratulare, 535. 478. a. 538. 401 b.
Gratiæ, cur nudæ, & connexæ pingantur, & una aversa & duæ nos respicientes? 321. 724. a.
Gravari, pro negare, & graviter ferre, 864. 628. a.
Gravatum, pro grave, & ut diff. 725. 220 a.
Graviscæ intempestæ, 836. 184. a.
Gravida imperiis Italia, 452 229.a.
Gravis, id est gravida, 5. 50. a. pro venerabili, 250. 155. b.
Grex, de armento, 589. 38. a. de bobus, 42. 55.a.
Grus Strymonia, 923 580. a.
Grues aëriæ, 111. 375. a.
Gryneum nemus, in finibus Ioniæ, 43. 72. a.
Grynæus Apollo, unde dicatur, 502. 345. b.
Gryphes, quæ. 52. 27. b. Apollini consecrati, ibid.
Gurges, pro fluctu, 455. 564. b.

H

Habena undantes 971, 471.a.b.
Habendo pecori, pro habendorum, 73. 3.a.
Habere, pro habitare, 663. 131.b
Habet, pro percussus est, 961. 256.a.
Habilis, pro bene composita, 921. 55. b.
Habilis vigor, pro vegetabili, 215. 418 a.
Habitare rem aliquam, melius dicitur, quam in illa re, 11. 29. a.
Habitare casas, 291. 456. a.
Habitus locorum, Id est, natura, 80. 52.
Hac Mea sunt, ejusque ritus, 60.4. b.
Hœdi petulci & lascivi cur ita dicti, 291. 10 b.
Hœdi pluviales, stella, 812. 668 a.b.
Hœdorum ortus pluvias faciunt, 96. 205.a. b.
Hæmon Mavortius, id est bellicosus, 813. 685. b.
Hæmus mons Thessaliæ vel ut alii Thraciæ, 18. 488. a
Hærere pro dubitare, 458. 594. a.
Halant, pro olent, 186 421.b.
Halcyones dilectæ Thetidi aves, earumque historia: inde dies ipsi Halcyonia, 112. 399. b.
Halesus Agamemnonius, 700.723.b.
Hamadryades Nymphæ, quales, 70. 61. a.
Hammon Iupiter, unde sic dictus, 488. 156. a. b.
Harpalice, maxima velocitatis virgo, 274. 321. a.
Harpyæ, canes Iovis dicuntur & Ponti & Terræ filiæ, tres sunt, 413.209.a 426.241.a.610.289.b.
Hasta pura, sine ferro, 645. 76. b.
Hasta, pro boum stimulo, 808.610.b.
Haud tanto cessabit cardine rerum, 876. 676. b. a.
Haurire, pro accipere, videre, audire, &c. 324. 743. a. 995. 946.b. pro exhaurire & emovere, 547.137.b. pro ferire, 864 105.a. 845. 314. a. Haurire animo, pro percipere, 944 26.a.
Haurire supplicia, pro luere et dare, 507. 383. a. b.
Haurire vocem auribus, pro percipere, 504. 359.a.
Haurit ensis, pro percut. 332 600 b.
Hauserat, pro temueras, 215.427. b. invaserat, ibid.
Haustus æthereus, pro spiritu divino, 204. 220. a.
Hebenum & hæc hebenus dicitur. 128.117. a.
Hebrus Thraciæ fluvius, 71. 65. a. 217. 463. a. 220. 524.b.
Hebrus fl. an volucris recte dicatur. 274. 321. b.
Hecate tergemina, & unde? 518. 511 b. 595.118. b. cœlo, Ereboque potens, 606. 247.a.
Hecate ululata, pro ululatu quæsita, 526.609. a.b.
Hector, lux & spes Trojanorum, 357.281. a. b.

Digitized by Google

Hedera ab herendo dicta, 28. 39.b. ea Poëta coronantur, 47. 25.a. & quare, 51. 13.b. alba & nigra, 48. 38 a. flexipedes dictæ, 26. 19.a. & quare, ibid.
Helena adeo formosa fuit, ut pingi non potuerit, & omnes formosæ, Helena appellantur, 313.654 b. vi à Paride rapta, &c, 311. 655.a. à Protheo, Paridi subtracta, 381. 601.a. 382. 592.a. Trojam nunquam venisse asserunt quidam, 382. 592.a.
Helenor & Lycus elapsi, 804.544.a. furtim sublatus e serva Helenor, ibid.
Helenus vates, non omnia dicit, quæ scit, 440. 580.a.
Helicon mons, Musis dicatus, 157. 11.b.
Parnassi montis pars, 854.163.a. Apollini sacer, 694.641.a.
Helleborus herba, quæ & radicla dicitur, 184. 452.b.
Helymus, princeps Trojanorum, 542. 71.a.
Helymus, Panopesque, 555.300.a.
Herbæ ad Lunæ lumen lectæ efficaciores veneficiis, 519. 513.b.
Herbam dare, pro victoriam cedere, 717.128.b.
Herculea corona, 124. 66.a.
Hercules mente magis, quam corpore fortis, 617. 392.a. philosophus fuit & cur cælum ab Atlante suscepisse dicatur, 324.745.a. ἀλεξίκακος appellatur, 728. 186.b. communis deus vocatur, 729 275.a.
Herculis facta, 732. 500.a. Trojam evertit, & quare? 731. 251.a. illi ara maxima consecrata, 728. 469 a.b. eique operto capite sacrum fiebat, & cur? 730.288.a. sacris ejus servi non intererant; 722. 179.a.
Herminius, ingens corpore, 926. 641.a,b.
Hermione, Oresti & Pyrrho desponsata, 435. 330.a.
Hermus Lydiæ fluvius, arenas aureas trahens, 229. 137.a. 700. 721.a.
Hernica saxa, 697. 684.b.
Heroes, unde ita dicti, 27. 35.a. non tondebantur, 781. 181.a. mortem perhorrescebant in aquis, & cur? 644. 730.b.
Heros, nomen & præsentia virtutis, 746. 464 b. vir fortis, semideus, 256. 207.a.
Heroum animæ, vel in fontibus, vel in nemoribus habitant, 32. 40 b.
Hesiodus Cumæus fuit, 24. 4.b. de Ascra civitate, 72.
Hesiona, Laomedontis filia ad scopulum religata, 312. 554 a.b.
Hesiones regna, & fabula, 720. 257.b.
Hesperia quæ, 451. 503.a. unde dicta, 419.163.a. Hesperia magna, Italia dicta, 304. 573.a.b. ad discretionem Hispaniæ, 656. 4.a.b. 295.534.a.
Hesperidum horti circa Atlantem, 516. 484.b.
Hesperidum templi custos, 516. 484.a.
Hesperides quæ, ibid.
Hesperium littus, pro Italia, 516. 6 a.
Hetruria, unde dicta, 924. 598.a.
Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis! 368. 402.a.
Hiantes venæ, sunt apertæ & patentes, 84. 91.a.
Hibiscus, genus herbæ, 11. 30.a.b.
Hibisco viridi, 71. 71.a.
Hic, pro illic, 252. 172.a. 331. 29.a. pro talis, 492. 237.b. pro tunc, 541. 121.a.
Hiera sylvestris, an Hyæna legend. 812. 673.b.
Hilarus, ab ἱλαρὸς descendit, 54. 69.b.
Hinc, pro deinde, 818. 763.a.
Hippodame, filia Oenomai regis Elidis, 157. 7.a.
Hippolyte, Amazonum regina, 927. 061.b.
Hyppolyti proles, 702. 761.a.b.
Hippomanes, quid, alii herbam; alii virus ex equarum inguinibus defluens, &c. unde ita dicatur, &c. 174. 280. a. b. 519. 515. a. b.
Hippomenes Atlantem cursu superat, 413. 113.b.
Hirci & Hirqui, ut differant, 16. 8.a. Hirci libidinosa sunt animalia. Hirqui, oculorum anguli, ibid b.
Hircos mulgere, 21. 91.b.
Hirmos, est unus sensus portentus per multos versus, 640. 703.a.
Hirpini, illæsi per ignem ambulabant, 934. 788.b.
Hirta capella, id est setosa, 174. 287.a.
Hisco, quid, 433. 314.a.
Hiulca, arva, id est fissa, 142. 353.a.
Hoc, pro hunc, 741. 423. a.
Homœomeria Anaxagoræ, 528. 625 a.
Homerum cur Virgilius non citavit in opere suo, 163. 90.b.
Homines, unde orti, 325. 747.a. ut dicantur ex arborib. procreati, 733. 315. a. cur per se non sentiant qualitatem aëris futuram, sed ex animalibus eam colligant, 711. 415.b. in lupos mutati, 78. 97.b.
Homo, arbor inversa, à Platone dicitur, 142. 355.b. sua sponte, 502. 341.b. trium literarum, pro fure, 16. 16.b.
Homole, Othrysque montes Thessaliæ, 696. 675.b.
Honestatis cultores omnia commoda consequuntur, 637. 665.b.
Honestum, pro pulchro, 811. 133.b. 270. 293.a.
Honor, pro honorario, more Jurisconsult. 567.534.b. pro sacrificio, 276. 339.a. 420. 178.b.
Honorem aris imponere, id est, victimam, 236. 53.b.
Honori non cedit, 449. 434.a.b.
Horatii Pulvilli responsum, Cadaver sit, 850.2.a.
Hordea qui dixit, superest ut triticea dicas, 97. 210.a.
Hordeum, mel, triticum, numeri tantum singularis, 82. 16.a.
Horrea, pro spatiis alveariorum, 206. 250.b.
Horrendum, pro venerando, 666. 173.a. & admirabilis, 913.507.a. 586. 10.a.
Horrere, pro abundare, 91. 151.a.
Horrida arbutus, pro hispida, 124. 69.b.
Horridior, id est spinosior, 18. 42.b.
Horridus, pro terribili, 538. 37.b.
Horrificare, pro horrorem incutere, 524. 465 a.
Hortinæ classes, 700. 716.a.
Hospes, qui suscipit, & qui suscipitur, 751.532.a.
Hospita plaustris unde quæ, 179. 562.a.
Hospitalis homo quis, 179.362.a.
Hospitii violati exemplum, 405. 55.b.
Hostia, quid, & unde dicta, 345. 156.a. a victima ut diff. 276.338.a.
Hostia effugiens quæ: succidanea, forma, taurea, 343.140.a.
Hostiarum duo genera, 471. 56.a.
Hostis miserandus. Proverb. 328.7.b.
Hostis, pro hospite, 510. 414.b.
Hunc, pro in hunc, 971. 488.b.
Humana vita tribus continetur, Natura, fato, fortuna, 530.653.a.
Humi jacere est despici & nihili fieri, 157.9 b.
Hyacinthus unde natus, 23. 106.a. & quid ibid. tam à Borea, quam ab Apolline amatus, disco interemptus, & in florem mutatus, 20. 63.a.
Hyacinthus languens, 855. 60. a.
Hyades, signum in fronte Tauri, unde dicta: latine Suculæ, numero quinque, earum nomina &c. 89. 131. b. 325. 748. a.

Hyades

Hyades pluviasque, 452. 516. a.
Hyali saturo colore, pro vitreo & viridi, 210. 335. a. b.
Hybla, oppidum Siciliæ, 5. 55. b.
Hybrida, quid, 690. 579. b.
Hydaspes, fluvius Mediæ, 203. 211. a.
vel potius Indiæ, ibid. b.
Hydra graviter spirantes, 702. 755. a.
Hyems pro tempestate, 247. 125. a. 422. 391. a. 536. 21. a.
Hylas, Theodamantis filius; ei statuta sunt sacra, 41. 44. a. socius Herculis, à Nymphis raptus, 157. 6. a. b. 309. 613. a.
Hylæus, Pholusque 731. 294. a.
Hymella fluvius, 699 714. b.
Hymenæus, cujus filius, pro nuptiis &c. 481. 127. a. pulcher adolescens fabula, 479. 59. a. b. ab Hespero adamatus, &c. 53. 30. b.
Hymenæus, nuptiarum deus, &c. & cur apud Romanos Talasio invocetur, 313. 655. a. pro carmine nuptiali, 680. 398. a.
Hymenæi vetiti, 634. 623. a.
Hymettia littora, an Humentsia legend. 703. 769. b.
Hypanis, Ponti fluvius, 212. 370. a. b. vel Scythiæ, ibid.
Hyperborea regio quæ, 180. 381. b.
Hyperborei montes Scythiæ, 169. 196. a.
Hypermetrus versus, 275. 336. b.
Hyrcania sylva est Arabiæ, 504. 367. b. unde Hyrcani dicti, 692. 605. a.
Hyrpex crates ferrea cum dentibus, 34. 94. a. b.
Hyrtacides, acerrimus armis. 781. 177. b.

I

IAcchus pro vino, aut Libero patre, 98. 15. a.
Iacit salutem, pro habet ponit, 208. 294. a. b.
Iactare, pro inaniter loqui. 244. 106. b. pro incassum fundere, 9. 5. a.
Iaculari puppibus, pro in puppes, 357. 275. a.
Iamdudum, pro nimium aut vehementer, 468. 1. a. pro quamprimum, 319. 103. a. pro olim 305. 384. a &c.
Iampridem, 641. 717. a.
Ianus, anni deus, hinc quadrifrons, 692. 607. a. bifrons, 667. 180. b. 956. 193. a. b. Eanus dictus, Clusivius, Patulcus, 692. 610. a. b. in Ianiculo habitavit, 737. 357. b. de ejus nomine & forma, ibid.
Iani templum ter clausum, & quando, ratio aperiendi, vel claudendi varia, 270. 295. a.
Ianua, sic dicta, quia Iano consecrata, 290. 453 a.
Iapidia, pars Venetiæ, 185. 475. a.
Iapis Phœbo dilectus 966. 391. a. b.
Iapygia, pars Apuliæ, in qua mons Garganus. 198. 247. a.
Iapyx equus, pro Appulo, 918. 675. a.
Iapyx ventus de Apulia flans, 786. 710. b.
Iarbas, filius Iovis Hammonis. 488. 156. a. rex Lybiæ, 471. 36. a.
Iasius quis, frater Dardani &c. 419. 168. a.
Iaspis fulva, pro viridi, 495. 261. a. ejus vires. ibid. b.
Ibat, pro erat, 763. 671. a.
Iberi impacati. 182 408. a. b.
Iberus gurges, pro Hispano Oceano. 941. 913. a. b.
Ictus, pro jaculatione, 665. 158. b.
Ida magna, 562. 449. b. in Phrygia, & Creta, 775. 80. a. mons, 398. 801. b.
Ida venatrix, 781, 177. a.
Idæa alma parens deum, 841. 252. a.
Idæus mons, 412. 105. a. nemus, 433. 112. b. pus, 184. 460. a.
Idalium, Cypri nemus, 317. 685. a. & civitas, 825. 52. b.
Idomeneus rex Cretensium, historia, 414. 121. b. 900. 265. a. Lyctius. 442. 401. a.
Idumæa palmæ, 157. 12. a. b.
Iejunia, pro macie. 165. 128. a b.
Ignarus, pro ignoratus, 862. 706. a.
Ignes, unde, 385. 747. a.
Ignis, τῶν μέσων; nam & nocere potest. 59. 106. a.
Ignis forma in silice, potestate latere, 516. 6. b.
Ignes æterni, qui, 345. 154. a. atri, qui, 607. 384. a. 893. 186. a.
Ignes cæci, pro fulmine. 489. 209. b.
Ignis vigil, quis? 488. 200. b.
Ignis pro amore. 20. 63. a. pro ira. 381. 575. b.
Ignobilis, pro ignoto. 703. 776. a. pro stulto. 250. 151. a.
Ignotus, pro ignobili. 980. 795. a.
Ilex nigra, quæ, 41. 54. b.
Ilia, Numitoris filia, Vestæ sacerdos, a Marte compressa, geminos peperit, &c. 260. 278. a. 685. 499. a.
Ilia tellus, pro urbe, 897. 245. b.
Ilia illis rumpantur, 47. 26. a. b.
Ilicet, ab ire licet, & unde, 370. 424. a. b.
Iligna canalis, facta ex ilice, 377. 330. a.
Ilium tum maximus, quando, 198. 225. a.
Ilium, neutro genere, & feminino, 329. 3. a. b. divûm domus, 353. 241. a. Ilion captum plenilunio, fine veris, anno mundi 2767. 355. 255. b. Ilium, pro rebus Iliensibus, 239. 72. a.
Illætabile murmur, 975. 619. b. portus, 466. 707. b.
Illaudatus, qui laudari non meruit, 156. 5. b.
Ille, antiqui magnitudini assignabant, 861. 707. a. b.
Illisit in ossa. Hypallage, 564. 480. a.
Illudo tibi & te, & in te dicimus, 335. 64. a.
Illusa vestes auro, 149. 464. a.
Illuvies, pro sordes, 454. 593. a.
Illyrici sinus, qui, & cur sic dicti, 262. 247. a.
Ilva, insula adiacens Tusciæ, 835. 173. a.
Ilus, Assaracusque, reges Trojani, 636. 650. a.
Imagines maxime fallunt, 21. 27. a.
Imago cur magna? 530. 654. a. b.
Imbelle telum, 379. 544. a.
Imber unde, 385. 747. a.
pro quavis aqua, 247. 127. a.
Imbrasides, 831. 123. a.
Imbrex angusti tecti, 208. 196. a.
Imbuere quid, 2. 8.
Imbuere sanguine bellum, pro initiare, 618. 542 a. b.
Immane, pro malo, ejusque etymologia, 245. 114. b.
pro supra modum, 686. 510. b.
Immissa, pro ultra modum grandi, 458. 593. b.
Immolari quando dicantur hostiæ, 258. 543 b.
Immolandi verbum, quibus assignetur, 906. 949. b.
Immunis, proprie quis, 975. 559. b. qui munere non fungitur, 205. 244. b.
Impar numerus immortalis, 77. 75. a.
Impedire, pro connectere, 742. 449. b. pro implicare & intexere, 569. 593. a.
Imperare arvis, quo sensu, 85. 99. a. b.
Imperatores post mortem in numerum deorum referebantur, 2. 7.
Imperatorum in funere nomina, sub titulis hostium victorum prælata, 886. 24. b.
Impedita corpore, 852. 430. a.
Imperterritus, 871. 770. b.
Impii, omnium, quæ in vita gesserunt, post tergum apud inferos signa deferre, 632. 604. b.
Implicare, pro impedire, 878. 894. a.

Impli-

Implicare bello, pro involvere, 881. 109. a.
Implicare ignem, pro inferre amorem, 384. 664. a. b.
Implorare proprie quid, 123. 19. a.
Importunum bellum, 903. 305. a. b.
Importunæ volucres, 116. 470. b.
Improbum, est quicquid nimium est, 90. 146. a. b. pro insatiabili, 182. 431. a. b.
Imprudentibus imber non obest, 111. 373. a.
Impune, sine periculo, 890. 154. a.
In pro circa, 656. 8. a. pro contra & pro, 261. 235. a. In Daphnide, pro Daphnidis loco, 58. 83.
In hoste, pro in hostem, 379. 541. a.
In limine primo deficere, 912. 423. b.
In manibus terra, id est in promptu, &c. 123. 45. a.
In medium quærere, 83. 127. b.
In numerum, id est in modum, 204. 227. b. & in ordinem, 746. 455. a. b.
In suum ipsius caput, proverb. 349. 190. b. In unguem, id est ad perfectionem, 137. 277. b.
Inaccessa, participium sine verbi origine, 723. 195. b.
Inaccessus lucus, 657. 11. a.
Inachus pater Ionis, 904. 7. a. b.
Inachus Acrisiusque patres, 678. 372. a.
Inarime, mons Prochytæ insulæ, 815. 716. a. b.
Incestare, polluere, 598. 150. b.
Incana, nimium cana, 175. 311. a.
Incassum cur dicamus, 179. 371. b. 681. 421. a.
Incedere, nobilium personarum proprium, 235. 50. a. b.
Incedere, pro implere, 891. 147. a.
Inceptis non desistendum esse, 233. 41. a.
Incessit, pro supervenit, 295. 501. b.
Incessit regibus discordia, 195. 61. a.
Incessus, sæpe pro honore ponitur, 285. 409. a. b.
Incestare thalamos, 849. 589 b.
Inchoare, perficere, 606. 251. a.
Incidere, pro decidere, 61. 14. b.
Incidere hunc, pro in hanc, 929. 699. a
Incita hasta, cum impetu veniens, 972. 491. a.
Inclytum, Græcum est, à κλυτὸν gloriosum, 647. 781. a.
Incondita quæ dicantur, 9. 4. a. b.
Inconsulti, id est sine responso, 446. 452. b.
Incrementum Iovis, 28. 49. a.
Increpare, pro sonare, 961. 332. a.
Increscere, pro revirescere, 404. 46. a.
Incubare qui dicantur, 661. 88. a.
Incubare, est per vim rem alienam tenere, 242. 93. a.
Incubi descriptio, 994. 909. b.
Incusare & accusare ut diff. 285. 414 b.
Indagine cingere, quid, 481. 121. a.
Inde, pro deinde vel tunc, 327. 2. a. 754. 187. a.
Indecores, 670 231. a. penult. pro brevi, 912. 423 a.
Indicere, verbum juris, 578. 758. a b. & sacrorum verbum 4. 8. 263. a.
Indicere honorem templis, pro supplicationib. 310. 636. b.
Indicia versa viarum, 724. 211. a.
Indicium, pro delatione, 337. 84. b.
Indictiva sacrificia, quæ, 310. 636. b.
Indigenæ, id est inde geniti, 713. 314. a.
Indigetes, dii ex hominibus facti, 118. 491. a b. 981. 794. a. b.
Indignus amor, pro magno vel impari, 52. 18. a. 67. 10. a
Indignus avorum. Gr: 980. 649. a.
Indocile, pro indoctum; ut diff. 733. 321. b.
Indoles, imago quædam virtutis, 874. 826. b.
Indorum consuetudo, cum reges moriuntur, ut cum his dilecti equi vel servi, occisi circa rogum, incendantur, 543. 95. b.
Indubitare, pro dubitare, 742. 404. a.
Inducere, pro tegere & cooperire, 62. 20. a.
Induere se mucrone, pro ferire, 866. 681. b.
Induet se in florem, quo sensu, 94. 188. b.
Indulgentia, veteres indulgitas, 141. 345. b.
Indulgere, pro operam dare, 137. 277. a. pro operam dare, 474. 5. a
Induor illa re, & illam rem, 624. 640. a.
Indutus exuvias, pro armis, 357. 275. a.
Ineluctabile tempus, 361. 324. b.
Inermus & inermis, 851. 421. b.
Iners quis, 3. 18. 485. 158. a.
Inertes glebæ, id est pigræ & nil creantes, 84. 54. a
Inexorabilitas mortis, 161. 61. a.
Inexpletum lachrymans, pro inexplebiliter, 752. 559. b.
Inextricabilis, pro indeprehensibilis, 588. 27. b.
Infantes ne frendes, quid 725 230. a.
Inferi, an sint, & de pænis eorum, 596. 126. b. novem circulis cincti dicuntur, 619. 425. a. pars gaudent numero: Superi, impari, 432. 305. a.
Inferiæ, ab inferendo dictæ, 281. 553. b. sacra mortuorum, 857. 519. a. 886 82. a.
Infernus lacus, qui, 440 380. b.
Infixit scrupulo, an inflixit legend. 235. 49 a.
Infit, pro incipit & inquit 897. 242. b.
Inflatum venas Iaccho, 38. 15. a.
Informare quid? 743. 416. b. pro designare, 715. 447. b.
Informe cadaver, 757. 254. a.
Infracti Latini, 942. 1. a. b. tela, quæ? 869. 731. a.
Infracta, valde fracta, 579. 754. a. 676. 332. b.
Infrenare currus, 961. 287. a.
Infrendens dentibus, 725. 230. a.
Infreni Numidæ cur dicantur, 473. 41. a. b.
Infula; fascia in modum diadematis, 858 538. a.
Ingenia arvorum, pro natura, 132. 177. a.
Ingenio, nihil excellentius, 18. 61. b.
Ingluvies quid, 183. 435. a. b.
Ingravare, pro graviora facere, 895. 210. a.
Ingredi donis, pro ad dona, 567. 543. a.
Ingruere, pro impetum facere, 940. 899. a.
Inhiare, quid, 476. 64. a. b. attonitus animus, 706. 814. b. Inhiare rem aliquam, 149. 463. a. b.
Inhorret messis campus, 107. 314. a.
Inire, pro inchoare, 25. 11. a.
Inludere virtutem, 810. 634. a.
Innabilis palus quæ, 218. 479. b.
Innare, pro navigare, 615. 369. a.
Innectere causas, pro prætendere, 474 51. b.
Innexa pedem, pro innexu pedem habens, 565. 511. b.
Innocuum & innoxium, ut diff. 844. 102. a.
Innocuum littus, 670. 230. a.
Inolescere, pro concrescere καὶ συμφύειν 121. 77. a. 641. 738. b.
Inopina facies, 594. 104 a. b.
Inops, sine pulveris jactu, 612 325. b.
Inous Melicerta, 115. 437. a.
Inous Palæmon, 581. 823. b.
Inque ligatus, pro illigatus, 873. 794 a.
Inque salutata, pro insalutata, 739. 188. a.
Insanum, pro magno, 597. 135. b. 363. 343. a. 63. 43. b.
Insanus labor, quis, 396. 776. a. vortex, 117. 481. a.
Inscribitur, pro laceratur, 293. 482. b.
Inserta, pro inserata & non clausa, 418. 252. a. b.

Insidere,

Insidere, dolose aliquem exspectare, 919. 531. b. *quasi in sinu sedere,* 310. 723. b.
Insido illi rei, 640. 7 8. b.
Insignia, pro fascibus, 749. 506 a.
Insignire, pro nobilitare, 909. 386 b.
Insignire auro, 704. 790. a. b.
Insinuat, pro insinuatur, 552. 229. a. b.
Insistere illam rem, non rei, 629. 563. a.
Insitio & inoculatio, ut diff. 125. 73. a. b.
Insitionum genera tria, 122. 30. b.
Insomnia, ea quæ per somnum videmus, 469. 9. a. b.
Inspicare faces, 106. 292. a. b.
Inspoliata arma, 924. 594. a.
Instamus immemores, 353. 244. b.
Instar, indeclinabile, 329. 15. a. ib. *ad instar non dicitur,* 653. 865. b. *an recipiat præpositionem,* 594. 925. a.
Instaurare diem donis, 476. 63. a. b.
Instaurare, & de feriis & de scenis, 388. 669. b.
Instaurare funus, 406. 62. a.
Insulæ extra orbem dicuntur, 7. 67.
Insultare, & exultare, ut diff. 362. 330 a. 321. 20. a. b.
Insultare nemora, 690. 580. a.
Integer ævi, 786 255. a.
Integrare, pro renovare, 220. 515. a.
Intemerata, incorrupta vel integra, 344. 143. a. *sacra* 420. 178. a.
Intempesta nox quæ dicatur, 301. 247. b 457. 587. a.
Intempesta, pro pestilens & sine temperie, 836. 184.
Intendere, pro illigare, 353. 237. a. *& circumligare,* 518. 506. b.
Intendere brachia, 560. 403 a.
Intentare, pro minari & ingerere, 242. 95. a.
Intentata sors, 825. 39. b.
Intentos ora tenere, 327. 1. a.
Inter, pro ad, 969. 417. a.
Inter, pro per, 715. 107. b. *Inter manus, ...,* 903 311. b.
Intercalaris versus, quis, 52. 21. a.
Interfari aliquem, pro interpellare, 282 390. b
Interior, quis dicatur, 548. 170. b. 550. 203. a. b.
Interpres, pro judice & arbitra & conscia, 526. 608. a.
Interpres divum, Hermes, 503. 356. b.
Intonsi montes qui, 31. 63. a.
Intorquere hastam equo, pro in equum, 916. 637. a.
Intra jactum telorum. Proverb. 914. 608. b.
Intractabile, pro insuperabili & sævo, 276. 343. a.
Intus, pro in, 668. 192. b.
Intus & foris canere, quid, 636. 647. b.
Intyba, pro cichorea, 18. 120. a. b. *segeti noxia,* ibid.
Invadere viam, pro ingredi, 607. 260. a.
Invergere vinum, quid? 605. 214. a.
Investis puer, pro imberbi, 721. 160. b.
Invideo tibi illam rem, 49. 58. b.
Invigilare venatu, pro venatui, 807. 605 a.
Inundare, more undæ fluere, 960. 280. a.
Invocatio, quid, 428. 265. a.
Involvere diem, 422. 198. a.
Inus, Pan dictus & unde? 646. 775. b.
Inutilis, pro vulnere debilitatus, 873. 754. a.
Io, vox clamantis, 680. 440. a.
Io Inachi filia, à Iove adamata, 704. 789. a.
Io in vaccam conversa, 167. 152. a. *Isis, dicta,* ibid. b.
Iolas, quis, 15. 57. a.
Ionium mare unde dictum, 423. 211. a. 549. 193. a.
Iopas, unus de procis Didonis, aut puer, 324. 744. a.
Iovem, à juvando dictum volunt, 235. 50. b.
ab Iove principium, 19. 60. b.
Iovi juvencus immolandus, non taurus, 402. 21. a. 809. 627. b. *fabula de Iove nato,* 412. 104. a
Iovis omnia plena, 19 60. b.
Iphigenia, ut immolata, & ejus fabula, 340. 116. a. b.
ἱππος ... Proverb. de insidiis occultis, 330. 17. b.
Ira, animi perturbatio est, &c. 381. 575. b. *fortitudinis incitabulum,* 931. 718. b.
Ira bellica, inanis, 871. 758. a. *senescit tardissime,* 216. 8. b.
Iræ esse, pro odio esse, 668. 714. b.
Irascimur felle, splene ridemus, 725. 219. a.
Ire, pro esse, 77. 29. a. *pro venire,* 354. 254. b. *& contra,* 365. 375. a.
Iris, dicta quasi εἴρις, 570. 606. a. b. *deorum ministra,* 769. 2. a
Iris roscida, 534. 700. a.
Irrigare, pro infundere, 318. 696. a.
Irrigare auro, 832. 142. b.
Irrita tela, pro inertia, 931. 735. b.
Irrorare quid, 105. 283. b.
Isis genius Ægypti, 765. 696. a.
Ismara, civitas, 847. 351. b. *& montes Thraciæ,* 122. 37. b.
Ismara, nomen proprium 832. 139. b.
Ismarus, aut Rhodope montes, 54. 44. b.
Ismarus Dorycli conjux, 571. 620. a.
Ister, fluvius Scythiæ, 152. 497. a. b. *Danubius dictus,* 178. 350. a.
Isti, pro istic, 388. 061. a.
Istic, pro hic, 160. 557. a.
Itali, qui Latine loquuntur, 245. 113. a.
Italia, plurima nomina habuit, 734. 328. b. *pars Europæ, ab Italo rege sic dicta,* 225. 6. a. *alii aliunde,* 300. 537. a. *humilis cur dicatur?* 451. 522. b.
Italiæ umbilicus, 689. 563. a.
Italiam adigere, pro ad Italiam, 807. 601. a.
Italides, ut Sicelides, 927. 657. a.
Iter liquidum, pro puro aëre, 551. 217. a.
Ithacus, pro Ithacensis, 339. 104. a.
Ityræi arcus, pro Parthicis, 148. 448. a. b.
Iuba crinita triplex, 704. 785. b.
Iuba, pro cristis; proprie equorum, 350. 206. a. b. 364. 412. a.
Iuba capiti discussa, 820. 810. a.
Iubar, pro Lucifero, & quare, 482. 130. a. *pro Sole,* ibid.
Iudices subsortiti qui, 162. 71. b
Iuga, pro transtris, 618. 412. a.
Iugalis, pro conjugalis, 676. 320. a.
Iuga, pro equis jugalibus, 547. 147. b.
Iugis pendet, pro frænis junctorum equorum. 965. 374. b.
Iuglandes, quasi Iovis glandes, 53. 30. a.
Iulia unda, unde dicta, 231. 163. a. b.
Iulius & Augustus menses, antea Quintilis & Sextilis dicti, & quare, 25. 12. a.
Iulus, olim cognomen Iulorum fuit. proprie juli sunt teneræ lanugines, flores antecedentes, 266. 271. b.
Iuncus, pro fæno, 5. 48. a.
Iungentur jam gryphes equis, 52. 27. b.
Iuniperus, quid, 49. 53. a. *ejus umbra an gravis?* 71. 76. b.
Iuno multa habet nomina, est Curitis, est Lucina, 228. 12. a. *à juvando dicta,* 236. 8. a. *cur Iovis soror & conjux dicatur,* 255. 50. a. *cælestis & inferna,* 123 718. a. 445. 437. a. 476. 59. a. *Gabina,* 697 682. b. *pro aëre, terra & aqua accipitur,* 140. 325. a. 239. 75. a.

Digitized by Google

Iunonis festa Romæ celebrata, 960. 8.0. b. *Iovis consilium est*, 953. 140. b.
Iuno iugalis, 470. 16. a.
Iuno inferna, pro Proserpina, 598. 133. a. b.
Iunonis Laciniæ templum. miraculum, 455. 552. a. b.
Iunonis Lucinæ sacra, non licet accedere, nisi solutis nodis, 519. 312. a.
Iuno maxima, quæ? 714. 83. a. *portarum dea, & quare*, 384. 61. a. *pronuba*, 474. 45. a. 476. 59. a. *nubentibus præest*, 485. 166. a.
Iunonia hospitia, pro Carthagine, 316. 675. a. b.
Iunonio incessu ambulare 235. 50. b.
Iuppiter, quasi iuvans pater, 778. 128. a *in capitolio, in quadriga miniata*, 38. 22. a. *duas lances sustinere dicitur*, 984. 725. a. b.
Iupiter Anxurus, 705. 799 a. b. *Hospitalis*, 323. 735. a. b. *Idæus, à Troianis colebatur*, 812. 672. b. ... 43. 60. b.
Iupiter hac stat. 976. 565. a. *quicquid irradiaverit felix facit*, 390. 689. b.
Iupiter, pro aëre, 114. 418. a. *æthere*, 140. 325. a. 812. 690. b. *cur Ζεὺς dicatur, & unde*, 283 372. a.
Iupiter Stygius, pro Plutone, 529. 638. a. b. *terras diluvio mundavit, & quare*, 40. 41. a.
Iura ferrea quæ, 153. 501. a. b.
Iurare per terram, mare &c, 956. 197. b.
Iusso, pro iussero, 915. 407. b.
Iustum & æquum, ut diff. 370. 416. a.
Iuturna, fons in Italia saluberrimus, 952. 139. a. *unde Iuturnæ feriæ*, ibid. b.
Iuvenes, non amatos fuisse, apud Cretenses infamiæ genus, 12. 51. b.
Iuvenes mortui, ante Solis exortum à propinquis efferri solebant, 620. 429. b.
Iuventus & iuventas, ut diff. 306. 594. a. 47... 32. a.
Iuventa, pro lanugine, 781. 181. b.
Ixionis angues, 55. 38. b. *pœna apud inferos*, 633. 616. a. b.

L

Labefactus animum, 508. 395. a.
Labes, pro ruina, 338. 97. b.
Labici picti scuta, 705. 796. a.
Labor actus in orbem redit, 145. 401. a.
Labor improbus omnia vincit, 90. 145. a. b.
Labra & labia an differant, 11. 31. b.
Labrusca, vitis agrestis, & unde dicta, 30. 7. a.
Labyrinthus, à Dædalo factus, 569. 588. a. b.
Lac augetur frigore, calore minuitur, 22. 98. a.
Lac novum, quod? 541. 78. a.
Lacedæmonii Hymenæi, 434. 318. b.
Lacertus, genus serpentis, 9 9. a.
Lacessere ferrum, pro ferro, 112. 10. a.
Lacessita æra Sole, 687. 527. a.
Lachrymæ rerum, 2.2. 466. b.
Lachrymis tempus, pro lachrymarum, 953. 156. b.
Lacinia diva quæ, ejus templum, 455. 552. a. b.
Lactans deus quis; & ut lactans & lactens differant, 207. 315. a
Lactis alimonia, mores pueris infundit, 504. 367. b.
Lacunæ, fossæ sunt, 87. 117. b.
Lacus, unde dictus, 713. 74. a. *pro aqua*, 476. 451. a.
Ladas, Alexandri cursor, 169. 195. b. 706. 807. b.
Lana, genus vestis, 497. 262. a.
Lætamen quid, 73. 1. a.
Lætor malorum, 901. 280 b.
Lætum, diversimode accipitur, 82. 74 b.
Lætæ segetes, pro fertilibus, 73. 1. a. b.
Læti, pro, alacres vel festinantes, 223. 39. a. 681. 410. a.
Lætus, pro victore, 551. 236. a.
Lætus laborum, 885. 73. a. b.
Lævum, de cælestibus prosperum, de humanis rebus contrarium, 334. 54. a *pro noxio*, 843. 275. a. b.
Læva numina, id est prospera, 151. 7. a. b. 810. 651. a. b.
Læva id est stulta, 2. 16. b.
Lageos latine leporaria, 126. 95. a.
Lamentabile regnum, 327. 4. a.
Lanificium Romanis impensa cura, 705. 805. b.
Laodamia, uxor Protesilai, 621. 447. b.
Laomedontea gens, pro fraudulenta. 521. 542. a. 111. 502. b.
Laomedontiadæ, id est, perfidi, 426. 248. b.
Laomedontius heros, 708. 18. b.
Laomedontis historia, 309. 3. b.
Lances pandæ & patulæ, 133. 194. a. b.
Lanistis cura, 180. 384. a. b.
Laocoon Neptuni sacerdos sorte ductus, &c, 349. 201. b.
Lapis bibulus seu arenarius, 141. 348. a. b.
Lapis incusus, pro mola manuali, 104. 274. b.
Lapithæ Pelethronii, sunt Thessali, 164. 123. b. 631. 601. b.
Lapitharum & Centaurorum bellum, 675. 307. a.
Lappa, species herbæ hirsutæ, 91. 151. a. 180. 315. a. b.
Laquearia unde dicta, 322. 730. a. 709. 25. a.
Laqueo vitam finiens, insepultus abiiciatur, 978. 603. a.
Largus opum, abundans opibus, 505. 358. a.
Larius, lacus est, vicinus Alpibus, 131. 159. a. b.
Larina, Tullaque virgo, 927 155. a.
Lasthenes Olynthum Philippo vendidit, 634. 621. a.
Latagum os occupat, pro Latagi, 867. 698. b.
Latet anguis in herba, 21. 93. b.
Latex, propriè aqua, & pro vino, 317. 650. a.
Latini prisci, qui, & unde dicti, 570. 5.8. b. 227. 10. a.
Latinus, Vlyssis & Circes filius, 954. 164. a.
Latium, cur dicatur? 734. 322. a. *duplex & unde dictum*, 227. 10. a. *vetus & novum*, 6.8. 38. b. 691. 601. a. *sequax*. 843. 365. a.
Latio, pro in Latio, 890. 141. a.
Latona in coturnicem mutata, 407. 72. a.
Latona duplex genus, 956. 198. a.
Latro, pro venatore, 942. 7. b.
Laudari antiqui metuebant, & quare, 4.. 27. b.
Laudato ingentia rura, exiguum colito, 146. 412. a b.
Lavinia, civitas, tria habuit nomina, 225. 6. a.
Lavo, lavis, 869. 727. a.
Laurente Marica, pro Circe, ut Turnebus, 659. 47. a. b.
Laurentes superbi, 756. 613. a.
Laurentia arva, 695. 661. b.
Laurentia palus, 868. 709. b.
Laurus, Daphnis filia, &c. 377. 513. a. *Parnasia*, 121. 18. b. *Apollini consecrata, fabula de Lauro*, 410. 91. b. *cur fragiles dicantur*, 57. 52. b.
Laurus in palatio, eo die nata, quo Augustus natus, 604. 210. b.
Lauro triumphantes coronantur, 51. 13. a. *& quare*, ibid.
Lauri, pro vatibus, 44. 83. b.
Laurus, divinationis symbolum &c, 438. 360. b.
Laus, pro virtute, 291. 465. b. 310. 629. a.
Lausus Cæribus advenit, 847. 345. b. *exanimus*, 875. 811. b.
Lauta carmina quæ? 738. 361. a.
Laxant arva sinus, 340. 331. b.
Laxare foros, pro tabulata vacuare, 618. 412. a.
Laxum, pro laxatum, 247. 126. a.

Digitized by Google

Leana lupum sequitur, 33. 63. b.
Leander de Abydo fuit; ejusque historia, 96. 207. b. *& amor*, 172. 258. b.
Lectisternium in templo Herculis non licebat esse, 772. 176. a.
Ledæa Hermione, pro Helena, 434. 323. b.
Legatorum excipiendorum consuetudo, 666. 168. a. *olim eos in fanis audiebant*, 668. 192. b.
Lege oram litteris, 123. 44. a.
Legere, pro colligere, aut rumpere, 874. 815. a. *pro furari*, 128. 79. a. *considerare*, 645. 755. a. *pro præterire*, 415. 127. a. 550. 208. a.
Leges figere atque refigere, 634. 622. a. b.
Legibus scriptis, Locri primi usi, 257. 511. a.
Legiones peditum, turmæ equitum 794. 303. a. b.
Legumdictio, species augurii, 410. 89. a.
Legumen dicitur, quicquid manu legitur, 81. 74. b.
Legumina ut majora fiant, 55. 193. a.
Lelega, pro Thessalis, 768. 725. a.
Lembus, genus naviculæ breve, 95. 201. b.
Lemnius pater, pro Vulcano, 716. 454. a.
Lenæus, pro Baccho, 120. 4. a. *& cur?* 489. 207 b.
Lenibat, pro leniebat, 623. 468. a.
Lentandus remus, 440. 384 b.
Lentescere pro cohærere, 116. 250. a.
Lentum, quid, 1. 4. *Lenti, otiosi*, 958. 237. a. *Lentum argentum*, 694. 634. a. b. *vimen* 597. 137 b.
Leo, communis generis, 172. 245. a. 13. 63. b. *Leones, mappa prorïtat*, 879. 372. b.
Lepores auriti, 107. 303. a.
Lerna, palus, pro Hydra, 648. 803. b. *serpens immanis magnitudinis*, 610. 28[illegible]. a.
Lernæus anguis, 732. 300. a.
Lesbos, insula Asiæ, 126. 50. a. b.
Lethæus amnis, 630. 705. a. *an sit de IX. inferorum fl.?* ibid.
Lethæus ros, 583. 554 b.
Lethæus somnus, 83. 78. a. b.
Lethum informe, 978. 603. a.
Levare, pro relevare & recreare, 689. 571. b. *Levare auxilio pro juvare*, 3[illegible]2. 452. a. *Levare nemus fronde, pro spoliare*, 145. 400 a.
Levatum ferrum, pro nitido, 555. 306. b.
Leucata mons altissimus, 428. 274 a. 763. 67[illegible]. a.
Leucen Oceani filiam Pluto adamavit, 50. 66. b.
Levi de marmore, pro polito. 47. 31. b. *Leve pectus, pro pulchro, non setoso*, 883. 40. a.
Lex Iulia in adulteros, 633. 612. b.
Liba, placenta, 48. 33.
Libare pro leviter tangere, 264. 210. a.
Libare dapes, &c. 545. 92. a. b. *pro sacrificare*, 213. 381. b.
Libare amnem, 31. 25. b.
Liber 2. Æneid. inter præcipuos judicatur, & viginti aureis emptus, 327. a.
Liber propriè pater vocatur, 120. 4. a. *cum Musis esse creditur*, 160. 43. b.
Liber pro Sole, & quare, 74. 7. b.
Liber, corticis pars interior, 71. 67. a. 521. 554. a.
Liberi civium, tanquam reipub. oppignorati & dati obsides, paterna luebant delicta, 343. 139. b.
Liberis dabantur præmia, post obitum parentum, 789. 302. b.
Libethrides Nymphæ, à fonte Libethro, 46. 21. b.
Librare telum, 797. 41[illegible]. a.
Librorum Sibyllinorum custodes quot, 592. 73. a.
Liburni, qui, ab Amazonibus orti, 262. 248. a.
Libystidis ursæ pellis, pro leonina, 538. 37. b. 735. 368. a.
Licia, stamen implicant. 57. 78. a.
Licia telæ addere, 105. 285. b.
Ligur assuetus malo, 331. 168. a.
Ligustrum quid, 10. 18. a.
Lilia, pro quibusvis floribus, 640. 709. b.
Lilybæum littus, 466. 706. a.
Limbus quid, 453. 137. a.
Limen, pro littore, 847. 355. b.
Limen, pro signo creta facto, 556. 316. b. *Limina & postes amplectendi mos*, 437. 351. b. *Limina, pro interiori familiaritate*, 153. 504. a. *Limina prima, vel imperii, vel littoris*. 900. 267. b.
Limite campum signare, 88. 126. a.
Limus, pro vestis genere, 951. 120. a. b.
Lina trahit, inde tragum dictum, 90. 142. a.
Linea terga, quæ? 872. 784.
Linguis trisulcis micare, quid, 183. 439. b.
Lingua bellare, 808. 617. b. 909. 390. b.
Lineis vestibus, nunquam Feciales utebantur, 551. 120. a.
Lini seges, urit campum, 83. 77. a.
Liniferæ arbores, byssum ferentes, 128. 120. b.
Linquere, pro derelinquere & deficere, 507. 390. b.
Linus, Apollinis & Psamatis filius, 28. 56. b. 42. 67. b.
Liquentia mella, pro defæcata. 288. 435. b.
Liquetia, Venetiæ fl. 813. 679 b.
Liquida, quæ dicantur, 39. 35. b.
Liquida vox, 113. 410. b.
Liquitur, pro defluit ac resolvitur, 79. 44 b.
Lita corpora, id est illita & distincta, 196. 99. a.
Litare, est sacrificiis deos placare. 341. 118. a. b.
Litare & sacrificare, ut differant, 474. 50. b.
Littus, jure gentium, omnibus commune, 301. 544. a. *pro quavis terra, quæ aquis alluitur*. 10. 26 b. 441. 350. a. 548. 163. a.
Littus, & terra mari vicina dicitur, 225. 6. b. *Littus, de flumine*, 705. 798. a.
Littus rubrum, pro Erythræo mari, 764. 686. b.
Lituus Quirinalis, 667. 187. a. b.
Lividum, pro nigro, 612. 32[illegible]. a.
Locare, pro collocare & jacere, 496. 266. a.
Locri, primi usi scriptis legibus, 297. 511. a.
Locri, vel Epizephyrii vel Ozoli, 900. 265. a.
Locus nullus sine genio, 543. 8[illegible]. a.
Lolium infelix, cæcitatem parit, 32. 37. a. 91. 154. a.
Longævus, pro deo. Ævum enim æternitatis est, 646. 764.
Longe, pro multo post, 845. 317. a. *pro valde, porro, præcipue*, 229. 17. a. 392. 711. a. 560. 4[illegible]6. a. *pro longe*, 870. 740. a. *pro multo*, 819. 549. a.
Lora trajectus, pro trajecta habens, 336. 273. b.
Loricam induor, 694. 640. a.
Loricam trilicem, 442. 467. a.
Lotos arbor, faba Syriaca dicta, & Nympha quædam fuit, vide Adag. Lotum gustavit, 125. 84. a. b. bona, 181. 3[illegible]4. b.
Lubricum, quid. 374. 474. a.
Lucens & lucibile, ut diff. 642. 7. 5. b.
Lucetius, lingua Osca est Iupiter, 805. 570. a. b.
Lucifer, Veneris stella. 198. 801. a.
Lucina, pro Diana. 15. 10. a. *& pro Iunone*, ibid. *cur*. 161. 60. b.
Lucretiæ mors, & historia, 760. 646. a.
Lucrinus lacus & cur claustra ei addita, 131. 161. a. b.
Luctari cum mortuis, proverb. 888. 104. b.
in Luctu fœmina Rom. solutis comis erant, 293. 484. b.

Lucumones, lingua Tuscorum, reges sunt, 357. 278. a.
Lucus ubi ponitur, & consecratio sequitur, & heroum animæ lucos tenere dicuntur, 189. 44. a.
Ludere, pro decipere, 178. 56. a. 912. 426. b.
pro moveri, 758. 632. a.
Ludere in numerum, saltare ad modum rhythmi, 38. 27. b. pro scribere, 2. 10.
Ludi Apollinares, & quo tempore instituti, 59. 70. b.
Ludis festis, omnis ætas coronata spectabat, 54. 71. a.
Ludorum finis, tum religio, tum voluptas, 545. 113. b.
Ludus, pro cantilena, 46. 17. a. pro voluptate, 63. 39. b.
Luere peccata, pro absolvere, 824. 32. a.
Luere supplicium, 937. 841. a.
Lues, pro scelere, 216. 454. b.
Lugendi morem, Ægyptios invenisse dicunt, 902. 287. a.
Lugentium est, corpori inhærere, 31. 22. b.
Luna, pro nocte, 177. 337. a. quando colligat revertentes ignes, 124. 427. a. b. errans cur dicatur, 324. 716. a.
Luna incerta, incipiens, 608. 270. a. tacita, 355. 255. a. b.
Lunæ labores, 151. 478. a. b. illam veneficiis præesse censent, 519. 513. b.
Lumen & lux, pro vita, 955. 535. b.
Lumina vitæ attingere, an limina, 651. 828. b.
Lupatis parere, & unde, 170. 203. a. b.
Lupercal, & Lupercalia, 736. 343. a. b.
Luperci nudi, cur? hinc Lupercalia, 762. 663. a.
Lupinus tristis, pro amaro, 85. 75. a.
Lupus in tutela Martis, 364. 355. b. eius cauda, virus amatorium inest, 173. 264. b.
Lupus est in fabula, 64. 54. b.
Lustra, quæ, 434. 351. b.
Lustra ferarum & meretricum, 150. 471. a.
Lustra, & lupanaria dicta & cur? 461. 647. b.
Lustralia exta, 722. 135. a. b.
Lustramus oculis, recolimus animo, 638. 682. b.
Lustrare, pro circuire, 35. 75. a. b. pro circumdare, 139. 224. a. pro inumbrare, 368. 612. a.
Lustrari diis, id est expiari, 429. 179. a.
Lustrum, unde dictum, hinc ambilustrum, 269. 287. a.
Lutea Aurora, 651. 26. a.
Luto croceo, pro croco luteo, & rubicundo, 37. 44. b.
Lux, pro die, 48. 43. b. alma cur dicta, 115. 310. a.
Lux ultima vocat nos, pro moriendum nobis est, 388. 668. a.
Luxurias toris pectus, 162. 81. a.
Lybia, pro Carthagine, 230. 26. b. unde dicta, ibid.
Lycæi summa, 175. 314. a.
Lycæus, mons Arcadiæ, 75. 16. b.
Lycanthropia, qualis morbus, 58. 57. b.
Lycaon in lupum versus, 325. 735. a.
Lycaon Gnosius, 790. 304. a.
Lyciæ arva, 700. 721. a. Apollinis, 573. 516. a.
Lycia hyberna, quæ & cur? 481. 143. b.
Lycia pharetra, 706. 816. a. sagittæ, 721. 166. a. fortes, 505. 346. a. & 506. 377. a.
Lycii, socii Æneæ, 246. 117. a.
Lycisca, canis ex lupo & cane, 16. 18. b.
Lycoris, pro Cytheris, 66. 2. a.
Lyctius Ægon, id est Cretensis, 35. 72. a. Idomeneus, 442. 401. a.
Lycurgus, filius Dryantis, Bistonum rex, 401. 14. a.
Lydia gens, quæ? 747. 479. b. 833. 35. a.
Lydius Tybris unde sic dictus, 397. 752. a.
Lympha, pro aqua, 532. 681. a.
Lymphata, pro furore percussa, 679. 377. a.
Lymphis vulnera siccare, ut intellig. 875. 834. a.
Lynces, in tutela Liberi, 52. 5. b. currum eius trahunt, 173. 264. a.
Lyncis perspicacia. Proverb. 275. 327. b.
Lyncus, rex Scythiæ, 275. 327. a.
Lyrnesius Acmon, 831. 128. b.
Lyrnessi domus alta, 575. 547. a.

M

Machaon Æsculapii filius, 355. 263. a.
Mactantur corpora morti, 894. 197. a.
Mactare, verbum sacrorum, magis augere, 475. 57. a. ornare &c. 402. 21. b.
Macte, pro mactus, verbum è sacris tractum, 810. 641. a. b.
Maculæ in Sole, quid designent, 155. 441. b. Maculæ albæ, 778. 49. a.
Madere, antique, pro coqui, 95. 196. a. b.
Mæandro duplici & flexuoso, 552. 252. a. b.
Mæcenas, & carmina composuit, 123. 41. a.
Mænala, mons Arcadiæ, & unde dictus, 75. 17. b.
Mænalus mons, 52. 22. a. 67. 15. a.
Mœnia, dicta quasi munia, 522. 567. a.
Mæonia, pro Lydia, 832. 141. a.
Mæonidæ, pro Lydiis, 932. 759. b.
Mæonii Bacchi, 213. 380. a.
Mæotica palus Scythiæ, 178. 349. a. tellus, 648. 759. a.
Mærere, plorare, plangere, lugere, ut diff. 895. 211. a.
Mæsia, provincia Thraciæ, vicina Scythiæ, 86. 102. a.
Magalia, an magaria, casæ Pænorum past. 257. 425. a. Magalia & mapalia, ut diff. 495. 25. a.
Mage, pro magis, 855. 481. a.
Magica semper damnarunt Romani, 517. 493. a. b.
Magistratus olim post res sacras, quæ consulto peragebantur, in fine actus addebant, Diis honorem dico, 510. 636. b.
Magna, non fiunt sine magno labore, 252. 37. b.
Magna parvis componere, 3. 24.
Magnus, pro pulchro, 25. 12. a.
Magni dii, qui, 470. 12. b.
Magni menses, qui, 25. 12. a. b.
Magnum aliquid dixit, an vere magicum? 859. 547. b.
Maia, una de Atlantibus vel Vergiliis, 99. 215. a. b. mater Mercurii, 719. 138. a.
Maiestas quid, & lædere maiestatem &c. 989. 810. b.
[illegible] vel, ut intelligendum, 874. 280. b.
Major, vel natu, vel merito, 29. 4. b.
Maiores natu anteacta posteris indicabant, 669. 206. a.
Maiores nostri sedentes epulabantur, 660. 176. a.
Mala homines conciliant. Proverb. 310. 632. b.
Mala Hesperidum, 42. 61. a. pro ovibus, quæ Gr. μῆλα, 516. 434. a.
Mala cana tenera lanugine, 12. 51. b.
Male, sæpe pro non, 86. 105. b. 115. 448. b. minus, & perniciose, 469. 8. a.
Male amicum numen, 393. 735. b.
Maleferiati, qui dicantur, 354. 349. b.
Malefida statio quæ, 131. 23. a.
Male temperare carinis, non parcere, 210. 360. a.
Malea, promontorium Laconicæ provinciæ, 549. 193. a.
Malignum pro obscuro, 608. 279. a. 919. 525. a. pro infæcundo, 131. 179. b.

Digitized by Google

Malum pro labore, & contra, 135. 168. b.
Malum veneri sacrum. eius esum in somniis res venereæ fruitionem portendere, 20. 64. b.
Malus, de navi & arbore, 564. 487. a.
Manalis lapis trahebatur à Pontificibus in siccitate, 420. 175. a.
Mandare sulcis, 32. 36. a.
μανδρα, nunc pro stabulo, nunc pro antro usurpatur, 7. 67.
Manere, pro exspectare, 93. 168. a. 591. 71. b.
Manes, qui, unde dicti &c. 406. 63. a. Manes mortuorum, infesti quibusdam viris, 507. 386. b. 517. 490. a.
Manes pro suppliciis quæ sunt apud Manes, 644. 743. a
Manibus demissis ad terram, inferos: levatis ad cælum, celestes invocamus, 489. 205. a
Manibus æquis tangere, 938. 861. a.
Manipli, 113. 400. a.
Manipuli triginta in legione, 915. 463. a. b. sunt signiferi, & unde dicti, 939. 870. a.
Manlii virtus, in Capitolio defendendo, 761. 651. a.
Mantilia, à tergendis manibus dicta. & majores, Mappas villosas habebant, quibus in sacris utebantur, 319. 706. a. 212. 377. a. b.
Mantua dives avis, 837. 201. a. b.
Mantua væ misera nimium vicina Cremonæ, 62. 28.
Manum extremam imponere, pro perficere, 689. 573. b.
Manus, pro artificibus, aut remigibus, 505. 329. a. b.
Manus dare, pro consentire, 922. 568. a.
Manus, pro multitudine, 564. 487. a. 637. 66 . a. Manus, pro unguibus, 424. 217. a.
Mapalia, casæ Maurorum sunt, 177. 140. b.
Marcellus, opima retulit spolia. Ensis Rom. dict. 653 555. a. b.
Mareotides uvæ unde dictæ, 126. 91. a. b.
Mare, quare imaginem non reddat, 10. 26. b.
Maris color non est certus, sed pro qualitate ventorum mutatur, 535. 2. a. cur noctu quiescat, 520. 523. b.
Mare inferum, & superum quod? 720. 149. a.
Mare, pro omni aquarum congregatione, 10. 26. b.
Mare cælo miscere, 950. 790. b.
Mares, decimo mense, fœmina nono nascuntur: & quare olim decimo parerent, jam nono, 12. 61. a. b.
Margarita & margaritum, dicitur, 313. 659. b. ut differat à gemma, ibid.
Maria, an uxor Fauni? 659. 47. a. b.
Maris, multi fuerunt, 132. 169. a.
Maritare vites, 73. 2. a. & quæ arbores maritandæ, ibid. b.
Marmor infidum, pro mari, 102. 254. a. lentum, 658. 28. b. 703. 718. a. 83. 208. a.
Marpesia cautes, pro Pario lapide, 623. 471. a.
Marrubia gens, 702. 750. a. b.
Mars cum sævit, Gradivus dicitur, cum tranquillus est, Quirinus. duo ejus templa, 270. 296. b.
Marsi, 132. 167. a.
Marsi montes, 702. 758. a.
Marsyas, minister Bacchi, libertatis indicium est, 475. 58. b.
Martis simulacrum vinctum, & ab Apelle pictum, 271. 299. b.
Martius, olim anni initium, 79. 43. a. 175. 304. a.
Masculum, non semper sexum significat, sed quicquid vegetum ac robustum, 56. 65. a. b.
Massicus humor, pro vino Campano, 130. 143. a. b.
Massicus mons, unde & Massicum vinum, 834. 166. a.
Massiliensium peste laborantium, mos, 405. 57. a.
Massyli, qui, 481. 132. b. populi Mauritaniæ, 516. 483. b. 591. 59. a.
Mater, nomen divinitatis & dignitatis, 120. 4. b.
Mater deûm, cur curru vehatur. &c. 413. 113. b.
Mater antiqua, pro Terra, 411. 96. a. vel arbore, 957. 209. a. b.
Matres, nutrices olim dictæ, 758. 632. a.
Matrum de more loqui, 678. 557. a.
Matrimonia contracta cum peregrinis, incesta, 690. 579. b.
Matrona & materfamilias, ut diff: 916. 476. a.
Matronis nunquam flava coma dabatur, 534. 698. a.
Matura lux, 841. 257. a.
Maturi Soles, pro vehementer fervidis, 81. 66. b.
Matura fugam, 248. 141. b.
Mavors, magna vertens Deus, 217. 461. b. sanguineus, 563. 332. a.
Maurusia gens, pro Maura, 489. 206. a.
Medea, Angitia dicta, & unde, 702. 750. a.
Media, provincia est, 123. 126. a.
Media, pro ignota, 527. 620. b.
Media mors, pro manifesta, 518. 535. a.
Medica arbor, duo genera florum habet, 129. 134. b. qualis herba sit, 97. 215. b.
Medica ars, à Marone muta dicitur, 567. 357. b.
Medicina, aut à contrario, aut à simili quæritur, 9. 11. a.
Medico & medicor veteres dixere, cum acc. 95. 193. a. b. & dativo, 702. 756. a.
Medioximi dii, qui, 729. 273. a.
Meditari, quasi melitari, 1. 1.
Meditante, pro canente, 44. 82. b.
Meditatur, pro exercet, 486. 171.
Medium, quid, 535. 1. a.
Medius locus honoratior, apud Romanos, 157. 16. b. 328. 702. a. b.
Medius, pro incongruus, importunus, 317. 686. a.
Medonta, an Mydona legendum, 624. 483. b.
Medusa fabula, 514. 616. b.
Megæra, 630. 575. a. tartareas 991. 246. a.
Megara, oppidum juxta Syracusas, 465. 689. a.
Mel ex rore colligitur, & cur æreum dicatur, 191. 1. a. b. arboribus fluxit, 89. 111. a.
Mella illis fluant, 21. 89. b. sunt & amara, ut Corsicana &c. 197. 101. a.
Melibæa, civitas Thessaliæ, 551. 251. b.
Melibæus & Alexis, ut se mutuo dilexerint, 321. 724. a.
Melior pars dici, quæ, 782. 156. a. b.
Melisphylla, apiastrum dicta, 194. 63. a. b.
Melissa, latine apes, eius historia vel fabula, 288. 434. a.
Mella fluvius Galliæ est, 207. 278. a. b.
Melus, unde nomen traxerit, ejusque fabula, 54. 37. a.
Memmii, pro Memmiorum, 545. 117. a.
Memnonis nigri arma, 295. 498. a.
Memor, olim dicebatur non tantum ὁ μνήμων, sed & ὁ μνήμων.
226. 1. a.
Menelaus, frater Agamemnonis, 355. 264. b.
Mens & animus, unum est, 526. 11. a. alii diversum, ibid. b.
Mens, pro consilio, 975. 954. a.
Mensa duæ apud Romanos, una epularum, altera poculorum, 322. 727. a.
Mensæ perpetuæ, 666. 176. a. secundæ diis statuebantur, 321. 727. b. 730. 285. a. b.

Mensa, pro discis. Mensa carnis & pomorum, 259. 220. a.
Menses, olim tantum decem erant. 79. 48. a. *unde dicti, & nomina sua habeant*, ibid.
Menses incerti, qui, 87. 115. a. b.
Menses veterum, nostris breviores erant, 29. 61. b.
Menstrua sacra diis maximis celebrabant, 5. 44. b. ἐμμήνια Gr. *dicta*, ibid.
Mente dare, nutu ac renutu. *Proverb.* 915. 755. b.
Mentitur lana colores, 27. 42. b.
Mephitis, terra putor, dea &c. 661. 84. a.
Merces pro labore, 124. 62. a.
Mercurii descriptio, genus, inventa, &c. 719. 338. a.
Maiæ filius, 271. 301. a. *orationis & palæstræ deus*, 522. 558. b.
Mercurii tres, & qui, alii quatuor esse tradunt, 524. 57?. a.
Meretrices lupæ dictæ, hinc lupanaria, 268. 279. a.
Meretrices, uno tempore nobiles, quæ, 66. 6. b.
Mergites, manipuli sunt spicarum, 154 517. a. b.
Mergus, à mergendo dict. 546. 138. b.
Meropes, aves sunt, apiastra dictæ, 192. 14. a. b.
Mersit acerbo funere, 882. 28. b.
Messapus, Neptuni filius, invulnerabilis, 698. 691. a. 913. 429. b.
Metabere, pro eliges, 137. 274. a.
Metabus, dux Græci agminis, 920. 540. b.
Metalla sublata & effossa renasci, 835. 174. a.
Metere, tam ad vites, quam ad segetes refertur, 146. 410. b.
Methymna civitas pretiosissimum habet vinum, 126. 99. a. b.
Metius Suffetius distractus, 759. 642. b.
Metor metaris & metior metiris ut diff. 137. 274. a.
Metus, pro relligione, 660. 6?. a.
Mezentius contemptor deûm, 708. 7. b.
Micon parvus, 47. 30. a. b.
Milesia vellera, à Mileto civitate Asiæ, 175. 306. b. 210. 334. a.
Milesii, luxu, deliciisque notabiles, 175. 306. b.
Milites evocati, 693. 694. b.
Milites obeso ventre ab Imperatoribus rejiciebantur, 196. 94. b.
Militia tria genera, 345. 257. a. 693. 614. a. 70?. 1. a.
Mina, eminentia murorum, pinnæ dictæ, 478. 88. a. b.
Minari, pro eminere, 251. 166. b. *vel minitari*, 553. 240. a. *movere*, 355. 628. a.
Mincius fluvius, prope Venetiam, 46. 13. a. 858. 106. a.
Minerva, artium dea & cur, 384. 615 a.
Minerva tenuis, quæ? 742. 409. a.
Minervæ triste sidus, 899. 260 a. b.
Minio rubens, 68. 27. a.
Minio, Tuscia fl. 835. 183. a.
Minoia regna, pro Creta, 587. 34. b.
Minores qui? 727. 268. b.
Minorum est majores revereri, 29. 4. b.
Minores, à majoribus suo nomine nominari, honestum, secus in majoribus, 233. 42. a. b. 238. 69. a.
Minos Quæsitor, 620. 432. a.
Minotaurus, monumentum Veneris nefandæ, 588. 26. b.
Minyæ, appellati socii Iasonis, 27. 34. a. & *unde*, ibid.
Mirari, pro imitari, 749. 517. b.
Mirmix puella in formicam conversa, & cur? 508. 402. a.
Miror illius rei, 889. 126 a.
Miscere, pro perturbare, insequi. 255. 195. a. 869. 721. a. *pro replere aut commovere*, 50. . 4? 1. a.
Misenus tubicen, Æolides, 425. 239. b. 599. 164. b.
Miserari, quid, 557. 350. b.
Miseresco, 866. 676. b.
Miseror & misereor, unum significant, 307. 608. a. *genit. regit*, 505. 370. a.
Miserebitur hostis, 887. 645. a.
Miseri, pro mortuis, 471. 20. a.
Missi, pro profecti, 973. 516. a.
Missus x x v. cur olim ærarius dicebatur, 158. 18. a.
Mitia, pro matura, 8. 81 a.
Mitra Mæonia, quæ, 490. 216. a. b. *fœminarum est, ut pileum virorum*, 808. 616. b.
Mittere, pro immittere, 97?. 554. a.
Mittere, pro omittere, 257. 207. a.
Modus, pro fine, 479. 98. a.
Mœris, pro amico, Menalcas pro Virgilio, 61. 16. b
Mœri, pro muri, 823. 24. b.
Molam spargendi & præparandi ritus, 5?. 82. b.
Molaribus instare, 726. 250. b.
Molarum usus olim incognitus. 253 183. a.
Moles, pro difficultate, 232. 37. b. *pro molitione & agitatione*, 462. 656. a. *pro pompa*, 954. 161. a.
Μολοσσοί, *qui & unde dicti*, 15. 5. b.
Moliri, pro agitare & jacere, 108. 329. a. *cum difficultate quærere*, 554. 477. b. *pro fabricare & parare*, 400 6. a. *pro movere*, 499. 309. a. 665. 158. a. *pro struere & facere*, 286. 418. a.
Moliri fugam, 340. 109. a.
Moliri habenas, pro regere, 963. 127. a.
Moliri ignem, 831. 131. b.
Moliri iter, pro peragere, 623. 477. a.
Molle, pro fertili, 26. 21. b. *flexibili*, 19. 45. b.
Molle, pro tepido, 175. 295. b.
Mollis aditus, pro facilis, 510. 423. a.
Molle collum, pro domito, 170. 204. a. b.
Molles Sabæi quare dicantur, 81. 57. a.
Molli clivo, pro facili descensione, 175. 293. a.
Mollissima fandi tempora, 498. 293. a.
Molorchi lucus, id est sylva Nemea, 158. 19. a. b.
Monaci arx, Liguria, 651. 830. a.
Monile, ornamentum gutturis, 513. 6. 8. b.
Monilia, pro phaleris, 673. 278. a.
Monita & monitus dicimus, 501. 331. a. 567. 689. a.
Mons improbus, 982. 687. a.
Monstra mala & bona, 40? 59. b. τῶν μὲν unde dict. 389. 680. b.
Monstra hæc Trojanos petunt, 778. 128. a. b.
Monumenta, unde dicta, 449. 486. a. 615. 512. a 995. 945. b.
Mopso Nisa datur, 52. 26. b.
Mora libera mortis, 947. 74. a. b.
Morbi, aut à contrariis, aut à similibus pelluntur, 73. 65. a.
Mores sumuntur à conversantibus, 5. 55. b. *Mores, pro legibus*, 266. 268. a. 652. 852 b.
Mores gentium, temperie plagarum metiuntur, 304. 571. b.
Moribundus, morienti similis, 847. 341. a.
Moribunda membra, 643. 732. a.
Morini, populus in Galliæ finibus, 768. 727. a. b.
Moris sanguineis, ejusque fabula, 58. 22. a.
Mors in aquis, interitus animæ existimabatur, 243. 98. b.
Morsus coporis, pro tenacitate radicis, 98?. 782. b.
Mortalia, pro adversis & casibus, 292 466. a.
Mortes per omnes, 876. 354. a.
Mortis meta, periphrasis, 975. 546. a. 507. 38?. a.
Mortis via simplex quæ, 186. 482. a. b.
Mortuis, ter vale dici solet, 387. 644. a.
Mortui cur calida abluebantur? 603. 218. b. *hinc pollinctores*, 803 487. a. *ante ad tubam deducebantur*, 893. 189 b.
Mos appellandi manes, 407. 68 b. & *mortuos*, ibid.

Mos inveteratus, consuetudinem facit, 691. 601. a.
Motus populi, tempestati comparatur, 250. 152. a.
Mox, pro postea, 76. 24. b.
Mucro, pro gladio, 984. 735. b.
Mulcere, pro delinire & mitigare, 238. 70. a.
Mulcere athera cantu, 658. 34. b.
Mulciber pro Vulcano, & unde sic dict. 768. 724. a. b.
Mulctatus morte, 937. 839. a. b.
Mulctra, vas in quo mulgetur, 17. 30. b.
Mulier imperator, proverb. 279. 361. b Mulier & virgo, indiscrete sumuntur, 929. 687. a.
Mulier quadam Tarquinio obtulit IX. libros, &c. 592. 72. a.
Mulieres in exsequiis & luctu ora lacerare solita & cur, 406. 67. b.
Mulierum ingenium, varium semper, 308. 614. b. Mulierum laus, à religione, 767. 718. b.
Multa, pro magna. 461. 5. b.
Munera, pro obsequiis & muniis, 973. 520. b.
Munus, pro beneficio, 74. 7. a.
Munus inane est non profuturum, 654. 815. a.
Munuscula, 26. 18. a.
Murex quid, 495. 262. b. Murex acutus, pro saxo, 950. 205. a.
Murex, unde purpura tingitur, 27. 44. b.
Muri & mœnia ut diff. 353. 234. b.
Murmur in sylvis ante ventorum adventum, 129. 99. b.
Muros jacere, pro fundamenta, 572. 631. a.
Murrani, Latinorum reges dicti. 974. 529. a. b.
Musas alii IX, alii VIII, alii VII, dixerunt. 228. 12. a. his Numa adiculam aneam brevem fecit. ibid. an Bœotia, an Attica &c.
Musæ tantum tres, 46. 21. b.
Musæ sylvestres quæ, I. 2.
Musæus, Theologus fuit, 637. 667. b.
Muscosi fontes qui, 48. 45. b.
Musici tanto olim in honore fuerunt, ut & vates & sapientes judicarentur, 324. 745. b. an in convivio adhibendi.
Mussare, pro dubitare, timere, tacere, 980. 657. b pro murmurare, 2 2. 188. b. pro queri, 914. 4 4. b. pro vereri, 906. 345. a.
Mustum numero tantum singulari dicimus, 120. 7. b.
Mutare, pro tingere, 27. 44. b.
Mutuitare, pro mutua convivia agitare. 106. 301. b.
Mutusca olevifera, Trebia postea dicta, 659. 711. a.
Mycenæ, Agamemnonis patria, 269. 288. a. 539. 52. b. pro Græcia, 331. 25. a.
Mycon & Gyarus, 4 8. 76. b.
Myrica, vulgo tamaritium, virgulta sunt humilia 24. 2. a. 55. 54. a. per Myricas & nemora, bucolica significat 37. 10. a.
Myrmidones Achillis socii, & unde dicti &c. 328. 7. a.
Myrmidonum proceres, 910. 403. b.
Myrrha madentes crines, pro unguentatis, 949. 200. a.
Myrta cruenta, unde dicantur. 108. 306. b.
Myrtetum locus ubi myrti nascuntur, 127. 112. b.
Myrtus, & fabula de myrto sepulcralis, 402. 23. a. b. quare dicata Veneri, 49. 62. b. 77. 28. a. b. Fabula, 541. 72. a. apta mulierum necessitatibus 124. 64. a.
Myrtea sylva, Veneri consecrata, 621. 443. a.
Mysia, civitas Phrygiæ. 86. 102. a. regio Asiæ, ibid. b.
Mysusque Caicus, fl. qui per Mysiam labitur, 212. 370. a.

N

Naiades, quæ, fontium nymphæ, 67. 10. a.
Nandi inscitia, probro olim habebatur. 584. 868. b.
Napææ Nymphæ, quæ & Dryades sunt, 221. 535. a.
Nar fluvius sulfurei coloris, 686. 517. a. b.
Narcissus, puer pulcherrimus fuit, 12. 48. a.
Narcissus purpureus, 32. 38. a.
Nare, pro volare, 194. 59. b.
Narycia pix, 148. 438. a. b.
Narycii Locri qui, 442. 399. a.
Nascentibus aderant, mares, Genius, qui Deus mensæ: fœminæ, Iuno dea cubilis, 29. 63. b.
Natantia lumina, quæ. 583. 856. b.
Natura dicta, ab eo, quod nasci aliquid faciat, 123 45. b.
Navalia, ubi stant naves, 525. 591. a. pro rebus navalibus, 505. 329. a.
Naves in Nymphas mutatæ, 775. 82. a. omissæ convitiis Proverb. 503. 346. b.
Navigantibus malum omen est, si rogalis flamma videatur, 531. 663. a.
Navigaturi hecatomben faciebant, 311. 638. b.
Navigia, ex arundine olim conficiebantur, 218. 478. a. b.
Navis gubernandæ peritia commendatur, 584. 868. b.
Nautiorum familia Minervæ sacra, & unde? 413. 407. a. 575. 704. a. b.
Naxos Bacchata, cur dicatur, 413. 125. a.
Neæra quæ, 35. 3. b.
Nebulæ, quæ pluviam, quæ serenitatem portendant, 111. 374. b. de terris orta nostris obtutibus obest. 383. 604. a.
Nectar, pro melle, 288. 437. b.
Nefasti dies, proverb. 405. 55. b.
Nemea sylva vicina Thebis, 738. 295.
Nemo, pro nullus 770. 6. a.
Nemo repente fit bonus vel malus, 321. 724. b.
Nemus, sylva & lucus, ut diff. 273. 314. a.
Neoptolemus, quis, 7 5. 265. a.
Neptunus omnibus aquis præest, 75. 14. a. cum Minerva de Athenarum nomine contendens, 75. 16. a. cum Apolline, Troja muros fabricavit, 384. 610. cur ei tridens adsignetur, 249. 142. a. Ægeus dictus & cur? 408. 74. a. b. taureus, & unde, 414. 119. b. prodigiorum omnium pater, 426. 241. a.
Nequicquam, pro non, 113. 405. a. 95. 192. a. 379. 546. a. 979. 634. a.
Neres filia, 740. 383. a.
Nereja Doto, 776. 102. b.
Nereidum mater, pro Doride, 408. 74. a.
Nerine Galatea, amica Corydonis, 48. 37. a.
Neritos mons Ithacæ, 428. 271. a.
Nescia mens hominum fati, 856. 501. a. 477. 72. a.
Neutra, femininis iungebant veteres, 175. 305. b.
Ni pro ne antiqui tenebant, 464. 686 a b.
Nidor, pro putore, 961. 505. b.
Nigri, pro mortuis & malis, 31. 56 b.
Nihil, & quando nil, ponendum, 594. 104. a.
Nihil Sui cum amaraco, 318. 697 b.
Nilus fl. antea Melo dicebatur. 208. 291. a. quasi vivo ίλυϊ, 771. 31. a. ejus origo nescitur, 767. 711. a.
Nimbi, tum ventos, tum pluvias &c. significant, 236. 55. pro fulminibus, 737. 354. a. pro nubibus, 536. 35. a.
Nimbus, deorum capita ambire fingitur, 457. 586. a. 777. 113. a.
Nimbo effulgens, 314. 616. b.
Niphates, fluvius & mons, 159. 30. a.
Nisus & Eurialus, inter amicorum paria, 681. 176. b.

Digitized by Google

Nisus rex Megarensium, pater Scylla, 113. 404. a.
Nitens, pro volans, 494. 252. a.
Nitens lumi, 366 310. b.
Nitentes equi, pingues, 636. 654. a.
Nitis gradibus, 371. 443. a. b.
Nitrum, quid, 95. 194. a.
Nives, Gr. χιόνες, & unde, Fabula, 494. 250. a.
Nixibus, pro partubus, à nitendo, 202. 199. a.
Nobiles nunquam soli comburebantur, 604. 228. a. in montibus altis sepeliebantur, 937. 849. b.
Nobiles familia à Trojanis fuere, 545. 117. a.
Nocte se melius dare, id est per noctem, 105. 287. b.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis, 596. 127. b.
Noctis initium describitur: partes, 356. 268. a.
Noctis media descriptio, 520 524. a.
Noctis septem tempora, 457. 587. a.
Noctivagus currus Luna, 838. 216. b.
Noctua, quando pluviam portendat, fabula, 113. 403. a. b.
Nodis paribus, id est intervallo pari, 36. 90. b.
Nodus Herculanus, 727. 260. b.
Nodus pugna, pro difficultate &c. 851. 428. b.
Noli cum diis pugnare. Proverb 650. 173. b.
Nomadum genus, 768. 724. a.
Nomen cum adverbium esse ceperit, fit indeclinabile: adverbium cum nomen esse ceperit declinatur, 557. 10. a.
Nomen pro generositate, 135. 240. a. b. de vino ut dicatur.
Nomen, pro gente, 645. 755. a pro gloria, fama, 937. 846. a. pro forma, 616. 337. b. pro nobilitate, 263. 252 a.
Nomentum & Gabii, urbes priscorum Latinorum, 646. 773. a. 699. 712. b.
Nomina, qua in Graco aspirationem habent, pro aspiratione S ponimus; ut pro ἕξ sex, &c. 9. 11. a.
Non pro nempe, 801. 152. a.
Non movenda moves. Proverb. 408. 7. b.
Non obtusa adeo gestamus pectora, 304. 571. a. b.
Non usque adeo cornea fibra. Proverb. 304. 571. b.
Noricum, pars Illyrici, 185. 474. a b.
Nostri & vestri, genit. plurales antiqui, 382. 595. b.
Novalia que, 7. 71. a. b.
Novalis ager, quis dicatur, 82. 71. a. b.
Novare, pro renovare, 723. 189. a.
Novendialia sacra & ludi, 540. 64. b.
Novensiles dii, 723. 187. a.
Novissima verba dixit, sc. ILICET, 605 231. a.
Novum, multa significat, 70. 41. a. pro insperato, detestando, incipiente, 457. 591. b. pro mirando & magno, 21. 86. a. 469. 10. b. 352. 228. a. b.
Nox dicta, quia oculis nocent, 241. 93. a. umbra terra est, 417. 184. b. pro tenebris, 523. 570. a. εὐφρόνη dicta, 272. 309. b.
Nox intempesta, qua, 457. 587. a. calo precipitat, 328. 8. b. ruit, 627. 539. a. b.
Noxa, pro noxia: & ut differant inter se, 234. 45. a.
Nubes tantum dicimus, non nubs, 506. 591. a. ardens, pro fulmine, 664. 142. b.
Nubes, pro agmine & 71. 699. 705. b.
Nubem belli detonare, 873. 809. b.
Nubes pulverea, 755. 593. a.
Nubigena bimembres, pro Centauris, 731. 293. a.
Nuces qua dicantur, 13. 52. a. b.
Nuces à novo marito, cur spargantur, 53. 30. a. Fabula de Nucis origine, ibid. Nuces in tutela Iovis sunt, ibid. b.
Nudus ara, fere nudus, 106. 299. a.
Nuda genu, 274. 324. b.
Nudatum & nudum, ut diff. 502. 312. a.
Nulla salus bello, &c. 907. 362. b.
Nulli, pro non, 88. 125. a.
Numa Pompilius unde dictus, 649. 828. a. b.
Numen, pro Palladio, 348. 178. a. pro oraculo, 341. 121. a. 431. 363. b. pro promisso, 713 78. a. pro simulacro, 290. 451. a.
Numeri, pro rhythmis & sonis, 636 646. a.
Numero deus impare gaudet, 34. 65. a. 75. 75. a.
Numeros intendere nervis, 818. 776. b. Numeros memini, si verba tenerem, 64. 45. a. Numeros & nomina stellis facere, 89. 137. a.
Numici fontis stagna, 664. 150. b. Vesta non nisi de hoc fonte libari licebat, ibid.
Numici littus sacrum, 705 797 a.
Numida infreni, cur dicantur, 473. 41. a b.
Numina magna qua sint, 428. 264. a.
Numina, utriusque sexus participationem habent, 385. 632. b.
Numina videri nolunt, 59. 102. a.
Numinibus nomina ex officiis imposita, 76. 21. b.
Numinibus diversis, vel bene, vel malefaciendi potestas dicata, 416. 139. b.
Nunquam, pro non, 389. 670. a.
Nuntius, & qui nuntiat, & qui nuntiatur, 814. 692. a.
Nuntius & nuntium, ut diff 940. 897. a.
Nuntius ingratus, rulnus avium est, 754. 583. b.
Nuptia, unde dicta, 885. 77. b.
Nuptiis auspices adhibebantur, 485. 166. b. captatis auguriis fiebant, 474. 45. a.
Nuptiarum antiquum ritus; tribus modis fiebant; usu, farre, coëmptione, 77. 31. a.
Nursa montosa civitas, 701. 744. b.
Nursia frigida, Picens civitas, 700. 716. a.
Nurus centum, ut intellig. 576. 501. a.
Nusquam tuta fides, 505. 373. a. b.
Nutans mundus, 28. 50. a.
Nyctelia sacra qua, 498. 303. b.
Nympha aquis prasidens, 5. 53. a. cur Poeta eas invocent? 46. 21. b.
Nympharum diversa nomina, 70. 62. b.
Nympha sorores qua utrumque nomina, 152. 454. a. b. eadem cum Musis, ibid. 46. 21. b.
Nympha & fauni, nec omnia sciunt, & moriuntur, 280. 376. a.
Nymphis, pietas naturaliter insita, 31. 20 a.
Nymphis vino libari, Pontifices negant, 213. 310. a.
Nyphai, 161. 570. a.
Nysa mons India; est & Nisa civitas, 648. 805. b.

O

O Brevis fit sequente vocali, 553. 261.
O fortunatos Agricolas &c. 149 458 a.
O mihi tam longe maneat pars ultima vita, 28. 53. a.
Oaxis fluvius Scythia Orientalis, non Mesopotamia, ut Servius vult, 6. 66. b. Apollinis & Anthilena filius, ibid 10. 24. b.
Ob, pro juxta, circa, 261. 237. a. ante, propter, ibid.
Obductus dolor, pro celato, 827. 64. a.
Obex, hic & hac, 849. 377. a. 725. 227. a.
Obices maris, 151. 480. a. b.
Obice se tegit, 215. 422. a.

Obita morte, pro suscepta & completa, 164. 641. b.
Oblimet sulcos, pro obturet & obcludat, 166. 336. a.
Obliquus cursus, 569. 580. a.
Oblivisci, pro contemnere & negligere, 344. 148. a.
Obloqui numeris, 636 646. a. b.
Obnubit, pro velavit, 885. 77. b.
Obscanum, unde derivetur, 428. 263. b. mali ominis, 513. 455. a.
Obscoeni canes, 116. 470. b.
Obscoena fames quæ, 439. 367. a.
Obsitus ævo, 732. 307. b.
Obtenta nox, pro obducta, 101. 248. b.
Obtentu frondis inumbrare, 885. 66. a.
Obtestor, quid, 786. 260. b.
Obtestari aliquem, 660. 576. a.
Obtusiores dicuntur populi septentrionales, 304. 571. b.
Obtutus, pro adspectu, 295. 499. b. pro vultu, 981. 666. a.
Obtutu tenet ora, 671. 250. a.
Obumbrare, pro tueri ac defendere. 895. 223. b.
Occator deus, unde dictus, 76. 21. b.
Occulit, pro occuluit & abscondit, 273. 316. a.
Occupare, prævenire, 961. 300. b.
Occupare aditum, raptim ingredi, 619. 424. a.
Occupet extremum scabies, 550. 196. b.
Ocium ignobile, pro poësi, 222. 564. a.
Ocnus vel Aucnus, Mantuæ conditor, 837. 198. a. b.
Ocreæ leveis, 757. 624. a.
Octaviano, tria nomina à pop. Rom. oblata, 270. 296. b.
Oculi, amoris illices sunt, 320. 717. b.
Oculi faciles qui? 733. 310. a.
Oculos imponere, moculatio dicitur, 125. 73. a. b.
Odi, præsens & præteritum: olim osus sum, 574. 687. a.
Odor ater, 977. 551. a.
Odora canum vis, & quid odorum, 482. 132. b.
Odorata cedrus, pro odorifera, 657. 13. a.
Odoratum, pro odorum, 636. 658. b.
Oeagrius Hebrus, fl. 220. 524. a. b
Oebale, filius Telonis & Sebethidis, 701. 734. a.
Oebalia, Laconia est; vel arx Tarentina, 198. 125. a. b.
Oechalia, civitas in Eubœa insula, 731. 291. a.
Oedipi exsecratio, 378. 527. b.
Oenotria, unde dicta, 300. 536. a. b. 661. 85. a.
Oenotri, 419. 165. a.
Oeta mons Thessaliæ, 53. 30. b.
Offa soporata, 610. 420. a.
Olea arbor, oliva fructus & arbor, 124. 63. a.
Olearon, 415. 126. a.
Oleaster sacer, 986. 766. a. b.
Olentia ora, pro male olentia, 129. 134. a. b.
Olei humor, cur Minervæ conveniat. 75. 11. b.
Oleo perfundi solebant luctatores, & cur? 547. 135. b.
Olere & redolere, ut diff. 288. 440. b.
Olim, pro quovis tempore, 133. 150. a. 230. 24. a. 257. 207. b.
Olim, pro futuro tempore, 69. 34. a.
Oliva Minervæ sacra, 555. 309. b
tarde crescit, 120. 3. a. pacis insigne, 75. 14. a.
Oliva ramus in pacis petitione cum vittis offerebatur. 717. 128. b.
Oliva tonsa quæ? 358. 22. a. b. 579. 774. a.
Oliva verax, 135. 181. a.
Olivum & oleum; oliva & olea dicitur, 34. 68. b.
Olli, pro illi, 896. 236. a.
Olor albus, 923. 580. a.
Olympiaca palma, quæ, 160. 49. a
Olympicorum ludorum origo, 160. 49. b.
Olympus, pro cælo & monte, 496. 268. a. mons Macedoniæ, 105. 281. a.
Omina vel improbare, vel recipere, nostri arbitrii est, 566. 530. b.
Omina repetendi mos, redauspicare dict. ibid. 348. 178. a. b.
Omina secunda, saltat senex, 429. 279. a.
Omina turbare, quid, 413. 407. a.
Omina, pro nuptiis, 277. 350. b.
Omne pro toto, & ut differant, 481. 122. b.
Omnes generale, plerique speciale, 254. 185. a.
Omnia fert ætas, 64. 51. a.
Omnia vel medium fiant mare, 55. 58. b.
Omnia vincit amor, 71. 69. a.
Onagri, sunt asini agrestes, 182. 409. a. b.
Onerare æthera votis, 771. 24. a. b.
Onerosum, plus quam oneratum, 558. 352. a.
Onustus & oneratus, ut diff. 270. 293. a.
Onytes mastus, 973. 511. a.
Opaca locorum, 393. 726. a.
Opacum frigus quid, 5. 53. a.
Operari in herbis, pro sacrificare 109. 339. a. b.
Operum haud ignara Minervæ, id est, lanificii, 554. 284. a.
Opes, pro militibus, 721. 171. a.
Opicerda, quid, 68. 19. b.
Opim velocem, vocat Nympham, 920. 532. a. b.
Opima, pro opulenta, 310. 625. a.
Opis, pro possibilitate, 307. 605. a.
Oppetere, pro mori, unde derivatum, 243. 100. a.
Oppidum unde dict? 8 8. 108. a.
Opponere morti, pro obycere, 341. 127. b.
Oppositus, pro, obstans, fortiter pugnans, 851. 428. b.
Optare, pro eligere & est verbum militare, 287. 429. a. b. 413. 109. a.
pro velle, 240. 80. b.
Opus, pro officio, 854. 469. a.
Opus intextum tauris, pro tergis, 872. 785. b.
Orantes, interdum ima, subinde summa respicere, 411. 93. a.
Orare, pro loqui, 682. 446. a. 829. 96. b.
Oras, terras generaliter accipimus, 224. 5. b.
Oras abducere, pro ut abducat, 12. 41. a.
Oratores, pro legatis, & causarum actorib. 665. 153. b. 887. 100. b.
Oratoris virtus, quanta, 271. 301. a.
Orbis, olim terra continens, quæ Oceano alluitur. 7. 6.
Orbis, pro certo annorum numero & conversione sumitur: etiam absoluta pro annis, sæpius pro cælo, 18. 41. b. 267. 273. b.
Oracula antiquitus sortibus dabantur, 503. 346. b.
Orchites, à testiculis derivantur, 125. 86.
Orcus, idem est Pluto, 608. 273. a.
pallidus cur dicatur? 104. 277. b.
fluvius Thessaliæ, 219. 502. b.
Ordine respicere, 114. 425. a.
Ore excidit, 38. 6. 8. b.
Ore favete, 541. 71. a. b.
Ore terram mordere, 912. 418. b.
Oreades, montium Nymphæ, 67. 10. a. 296. 04. a.
Orestes Agamemnonius, 515. 471. a. furiis agitatus, 43. 331. a.
Orgia, sacra Liberi, unde dicta, 498. 503. b.
Orichalcum album, auri comparatione, 948. 87. a. b.
Oricia terebinthus, 832. 136. a.
Oriens sævus cur dicatur, 577. 739. a. b.

Digitized by Google

Orion, rex, unde sic dictus, 300. 535. a. venator factus, Dianæ vim inferre voluit, inter sydera relatus, ibid. ortu suo & occasu tempestates movet, ibid. b. & 871. 763. a. stella qualis, cur auro armatur, ibid. b. 452. 517. a.
Orion nimbosus, 474. 52. a.
Orithya, Erechthei & Praxiotelis filia, 217. 463. b. equos dedit Pilumno, 947. 83. a.
Orodes altus, 869. 737. a. b.
Orpheus, primus deprehendit harmoniam, 635. 645. a. ejus Musica capti Manes, 217. 471. b.
Orpheus & Linus, me non vincent, 28. 55. b. revocare conatus est uxorem, 596. 119. a.
Orsa, pro dictis & fatis, 864. 632. a.
Orsus, pro locutus, 812. 656. a.
Ὀρθοπάλη Græcorum exprimitur, 878. 854. a. b.
Ortygia, 418. 154. a. 465. 694. a.
Os, pro fonte vivo, 465. 696. b. pro voce, 981. 692. b.
Os humerosque deo similis, 306. 591. a.
Oscilla mollia, unde dicta, fabula, 144. 389. a. b.
Oscorum manus, pro Capuensibus, 701. 780. a.
Osculum, basium & suavium, ut diff. 264. 260. a. b.
Osinius rex, 865. 655. a.
Osiris docuit ex hordeo potum fieri, 180. 380. b.
Ossa grandia, 118. 497. a. molliter quiescant, 69. 83. a.
Ostia, exitus fluviorum dicuntur, 284. 401. b. pro portu, 554. 281. a.
Ostrum, pro purpura, 329. 704. a.
Ostrum superbum, 311. 643. a.
Osyris, monstrator aratri, 76. 19. a.
Otus & Ephialtes, filii Neptuni, cœlum evertere voluerunt, 305. 280. a.
Ovantes, pro alacres, 421. 189. a. lætantes, & quid Ovatio, 528. 541. a.
Ovantes gutture corvi, 314. 423. b.
Ovare, pro jactare & gloriari, 856. 500. a.
Oves, antiquitus opes appellatæ, 68. 19. b. lanæ causa non debent pinguescere, 180. 384. a. b.
Oves ultro fugiat lupus, 55. 52. a.
Ozolei, qui & unde dicti, 442. 399. a.

P

Pacem petere à diis, solenne fuit. 221. 535. a.
Pachynum, promontorium, 465. 699. b.
Pacisci dies aliquot, 189. 133. a. b. vitam pro laude, 551. 230. b. letum, 945. 49. b.
Pacta, pro sponsa, 121. 79. a.
Pactolus & Hermus fl. aurum trahentia, 832. 142. a.
Padus Italiæ fluvius, 813. 680. a.
Padusa, pars Padi fl. 914. 457. b.
Pæana, propriè Apollinis laudes, 636. 657. a. 870. 738. a.
Pane antiquorum, omnes pecuniariæ erant, 248. 140. b.
Panitet, parum videtur, 302. 553. a.
Pæoniis herbis revocatus, 703. 769. a.
Pæonius mos, pro Medicinali, 967. 401. a. b.
Palamedis historia, 337. 82. a. ut φ. χ. invenerit, ibid.
Palæstræ usus apud Athenienses repertus, 429. 281. b.
Palæstra agrestis, & unde dicta, 154. 531. a.
Palæstra graminea, 635. 642. a.
Palea, numero singulari contra artem, 95. 152. a.
Palearia, pelles è gutture dependentes, 161. 53. a. b.
Pales, dea pabuli, huic sacra solvuntur xi. kal'end. Majas die, qua Palilia vocantur. Pales vero deus, alius à Pale dea, 156. 1. a. b. 175. 294. a. 82. 35. a.
Palici placabilis ara, 806. 515. a.
Palinurus, filius Iasi, 583. 813. a. gubernator Æneæ, 422. 202. a.
Paliurus, non est herba, ut Servius vult, sed frutex arborescens differt ab alba spina, 31. 39. b.
Palla & pictum velamen, pro cyclade, 320. 715. b. muliebris vestis, 9. 3. 576. b.
Palla rigens, quæ, 312. 652. a. b. scissa, 766. 702. a.
Palladium, ut raptum, Romam translatum, &c. 346. 166. a. b.
Pallantea mœnia, 782. 196. b.
Pallas armorum dea, 13. 61. b. unde ita dicta, 234. 43. a.
Palladis rami, pro olivæ ramis, 665. 354. b.
Pallas turbata quæ? 744. 415. b.
Pallatinus mons, unde dictus? 711. 54. a.
Pallene est Chersonesus in Thracia, 213. 393. b.
Pallentes herbæ, quæ, 41. 54. b.
Palmam ferre. Proverb. 593. 95. b.
Palmula, extrema pars remi, 548. 161. a.
Paludis humor, est aqua in agris collecta, 87. 114. a.
Palumbes, tetæ dicta, 6. 58. a.
Palus, pro lacu, 595. 107. a.
Pampineus autumnus, 120. 5. a.
Pampinea hasta, 679. 396. a.
Pan quis, & unde dictus, 11. 31. a. b. Arcadiæ deus est, 51. 24. b. Ithacesius est, 75. 17. b.
Pan, an Endymion, Lunam adamaverit, 183. 312. a.
Panacea odorifera, 568. 419. a.
Panchaja, regio Arabiæ, ubi templum Iovis, 329. 139. a. b.
Panchæis ignibus, pro ture & Arabicis odoribus, 213. 379. a.
Panda carina, id est curva, 148. 445. a.
Pandarus, Lycaonis filius, 565. 456. a. 132. 671. b.
Pandere, pro expandere & extendere, 609. 282. a.
Pandere mœnia urbis, pro diruere, 353. 234. a. b.
Pangæa, montes Thraciæ, 217. 402. a. b.
Pangere tentamenta, 719. 144. b.
Panis olim, non argenteis, sed vimineis vasculis inferebatur, 339. 705. b.
Panopea, Nympha marina, 135. 437. a. 552. 140. a.
Pantagia fluvius Siciliæ, 465. 689. a.
Panthus Otriades, sacerdos Apollinis, 361. 319. a. Panthu vocativus Græcus, 370. 429. a.
Papaver, puer pulcherrimus fuit, 12. 47. a.
Papavera apud Romanos in honore fuere, 12. 47. b.
Papaver soporiferum, cur vigili Draconi datum, 516. 486. a. b. 83. 78. a. b.
Papaver vescum, quod, 199. 131. a.
Paphus, civitas Cypri, ubi templum Veneris, quo nunquam impluit, 286. 420. a. centum aris inclytum, ibid. b.
Paphia, id est Veneria, à Papho insula, 124. 64. a.
Papilla exerta, 935. 103. b.
Papulæ ardentes, 190. 564. a.
Parcarum officia, cur ita dictæ, nomina &c. 230. 26. b. 28. 47. a.
Parcæ injecere manum, 851. 419. a.
Parcere, cum accusativo, & pro servare, 858. 531. a. pro abstinere, 141. 339. b.
Parens, pro patria, 436. 541. b.
Parentes, nomine vocare, invidiosum est, 209. 321. a.
Parere, pro apparere ac patere, 8. 5. 176. a.
Paribus alis, pro leni volatu, 494. 252. a.
Parietibus textum iter cæcis, 569. 589. a.
Paris fortissimus, 558. 370. b. sylvas habitavit, 13. 61. b. Trojani belli fax, 861. 705. b. ejus judicium, 231. 31. b.

Digitized by Google

Parius lapis, pro marmore, 189. 34. a. b. 306. 597. b.
Parma, est equestre scutum, 925. 619. a.
Parmam albam gestare, probro fuit, 930. 711. b.
Parnassus, mons Bœotiæ, 67. 11. a. 39. 29. a.
Paros nivea, 415. 127. a.
Parrhasius Evander, 882. 31. b.
Parrhasius mos, pro Arcadico. 786. 344. a.
Parthenia, qui & unde nati, 454. 551. a. b.
Parthenius, mons Arcadiæ, & unde dictus, 70. 57. a.
Parthenopæus, rex Arcadiæ, 629. 980. a.
Parthenope, Neapolis est, & unde dicta, 222. 564. a. b.
Participium, pro nomine, 417. 350. a.
Partio & partior dicimus, 255. 198. a.
Parturire, de arbore, 19. 56. a.
Pasco & pascor illam rem dicimus, 184. 458. a. 137. 285. b.
Pascere, pro delectare, 292. 468. a.
Pasci, pro crescere, 390. 684. a.
Pascor, 175. 314. a. pro depascor, ibid.
Pasiphae, tauri amore flagravit &c. 41. 46. a. unde & Minotaurus natus, 587. 14. a. 588. 26. b. 621. 447. b.
Passiones quatuor, & quæ, 643. 733. a.
Passis palmis, id est apertis, 428. 263. a.
Passum, à patiendo dictum, 226. 93. a.
Pastorum tria genera, 68. 19. b.
Patavium, unde sic dict: 262. 246. a. 263. 251. a.
Patefacere fenestram, Proverb. 374. 482. a.
Patent, pro pacata sunt, 272. 302. a.
Pater sæpe nomen divinitatis est, 120. 4. a. b. & dignitatis, ibid.
Pater, religionis nomen, 410. 85. a. 709. 23. b.
Paterfamilias, an utrumque declinetur, 935. 801. a. *Pater quartus*, pro abavo, 563. 619. a.
Patiens manuum, 68?. 4 0. a.
Patres conscripti, qui, & unde, 287. 430. b. & Senatores 3 5 8. 758. a. b.
Patribus in libros olim maxima potestas, 650. 822. b.
Patria, civitas in provincia esse potest, non ipsa provincia, 281. 384. b.
Patriam qui vendiderint, 634. 631. a.
Patroclus, ut armis Achillis indutus, interfectus, 294. 487. a.
Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto, 532. 609. a.
Patulum quid, 1. 1. ut differat à patens, 1. 1. 642. 725. b.
Pauci, quos æquus amavit Iuppiter, &c. 596. 129. b.
Pavidus, & timens, ut diff. 375. 489. a.
Pauper domus, 973. 519. a.
Pausia amara bacca, 125. 26. b.
Pax, pro benevolentia, 475. 56. a. 824. 31. a. pro fœdere, 672. 266. a.
Pax iniqua, quæ, 227. 10. a.
Pecora inertia quæ, 485. 158. a.
Pectine telas percurrere, 657. 14. a.
Pecten eburnum, 636. 647. a. b.
Pecuaria, unde dicta, 161. 64. a. b.
Pecudes, de omnibus animalibus dicimus, 210. 327. b. domita, sacris impura, 589. 38 b.
Pecudes locutæ, 817. 478. a. b.
Peculium, antiquorum patrimonium, 4. 33.
Pecunia, unde dicta, ex corio bubulo olim, 280. 372. b.
Pede secundo, pro omine prospero, 781. 302. b.
Pedes, sunt funes ad angulos velorum, 582. 830. b. *Pedem facere*, quid, 582. 830. a. b.
Pedibus trahere, 727. 264. b.
Pedica, quæ, 106. 307. b.
Pedum, virga est incurva, qua retinentur pecudum pedes, 36. 88. a.
Pelagus, pro aquarum abundantia, 263. 250. a.
Pelagus languens, pro tranquillo, 844. 289. a.
Pelagi extrema, 735. 333. a. b.
Pelasgi, a Pelasgo terræ filio, dicti, 337. 83. b. à Thessalis orti, 755. 600. a.
Peletronium oppidum Thessaliæ, ubi primum repertus est usus domandorum equorum. 164. 115. a. b. ejusque antrum, ibid.
Pelion, mons Thessaliæ, 163. 54. a.
Pelio Ossam imponere, 105. 281. a. b.
Pella Macedoniæ civitas, patria Alexandri, 208. 287. a.
Pellax, an à pelliciendo, an à pellando deducatur, 338. 90. a.
Pellacis Vlysses, id est, per blanditias decipientis, 338. 90. b.
Pelles leonum gestare solebant, ad terrorem incutiendum, 393. 722. b.
Pelopeia, pro Argiva, 349. 193. a.
Pelops Tantali filius, eburneo humero, 157. 7. a.
Pelori sedes quæ, 464. 637. b. promontorium Siciliæ, 413. 411. a.
Pelta ærata, 701 743. b.
Pelta lunata, quid, & ut à scuto, clypeo &c. diff. 295. 494. a. b. 927. 661. b.
Pelusiaca lens, quæ, 99. 228. a.
Penates, sunt dii, qui domi coluntur, 377. 514. a. lignea vel lapidea sigilla erant, 417. 148. b.
Pendere, desiderare aliquid audire, 598. 151. b.
Penetrabile telum, pro penetrale, 855. 481. a.
Penetrale, interior pars domus, 660. 59. a.
Penetralia, unde dicta: propriè deorum, 3?4. 484. 376. 508. b.
Peneus Thessaliæ fluvius, 209. 317. a. b.
Penitus, pro omnino, 7. 67.
Pennata fama, 800. 473. a.
Penso longo exercere famulas, 742. 412. b.
Penthesilea, Martis & Otreres filia, 295. 495. a. 527. 662. b.
Penus & cellarium, ut diff. 319. 708. a.
Pentheus furens de quo fabula, 514. 469. b.
Peplum, palla picta fœminea est, 293. 484. b.
Perdix, serræ usum primus invenit, 89. 133. b. 90. 143. a.
Peregrini, olim male audiebant, 490. 211. b.
Peregrini, Neptuni filii dicuntur, 426. 241 a.
Perfringere dextra, pro fortiter facere, 843. 279. a.
Pergama, de omnibus altis ædificiis, 243. 99. a. Troyana arces, 380. 556. a.
Pergamea urbs, 416. 133. a.
Permensi æquor, pro evectis, 418. 157. a.
Permessus ex Helicone monte fluens, 42. 64. b.
Pernix, pro perseverans. 171. 230. a. & pertinax, ibid. b. velox 930. 718. b.
Pero crudus, rusticum calceamenti genus, 698. 690. a. b.
Perosi lucem. 620. 435. a.
Perpetuo tergo bovis vescitur, 722. 183. a.
Perseus, ut Medusæ caput amputaverit, 610. 289 a. b.
Personare latratu, 619 418. a.
Pertentare, pro vehementer tentare, 296. 06. a. pro sollicitare, 512. 813. a.
Perversum numen, pro irato 650. 514. a.
Pes pede hæret, 848. 361. a.
Pestilentiæ ordo, 416 131. a.
Pestis, pro amore vel malo, 320. 716. a. 478. 90. b. pro incendio, 574. 633. a. 803. 540. a. pro furiis, 686. 505. a.

Peſtis belli, 826. 55. a.
Peſtanum oppidum Calabriæ, 198 119. a. b. vel Lucaniæ, ibid.
Petendum pacem, & ſimiles locutiones, 864. 628. a. 596. 230. a b.
Petere, propriè eſt inſidiari, 320. 7. 1. a. ſine inſidiis dictum, 811. 646. a.
Petelia, civitas, & unde dicta, 442. 402. a. b.
Petitiones, impetus gladiatorum, 793. 439. a.
in Petitione, quæ obſervanda, 238. 63. a. Petitionis ars eſt, ut minora impetrare cupientes, majora poſcamus, 239 74. a.
Phæacum arces, pro Corcyra inſula, 431. 291. a.
Phœbe, pro Luna, 114. 431. b.
Phœbigena, pro Æſculapio, 703. 773. a. b.
Phœbus Apollo, id eſt purus, 427. 251. a præeſt auſpiciis urbium, 475. 58. b.
Phœbo digna locuti, 637 662. b.
Phædra filia Minois & Paſiphaes, Fabula 628. 445. a. de ſtupro interpellat Hyppolitum, 702. 761. a. b.
Phaëtontiadæ, Clymenes & Solis filiæ, 42. 62. a.
Phaëton Clymenes & Solis filius, 836. 189. a. b. Phaëtontis equi, pro Sole, 544. 105. a.
Phalantus, dux Partheniarum, 454. 551. b.
Phalanx, quid, 975. 544. b. pro legione & exercitu, 354. 254. b. pro legione, 962. 297. a. 887 92. a.
Phalarica, quænam ſpecies teli, 814. 705. a. b.
Phaleræ, equorum ornamenta, 555. 310 b. 793. 359. a
Phanæus, mons in promontorio Chii, 127. 98. a.
Pharon, & Pharo legitur, 845. 322. b.
Phaſelus, genus navis, 208. 289. a. b.
Phaſis fluvius Colchidis, 212 367. a.
Phegeus, Sagariſque famuli, 553. 263. a.
Phenei mania, 721. 165. a.
Pharetrum, capulus dicitur, 604. 222. a. b. à ferendo, latinè capulus, 884 64. b.
Philoctetа Melibæus, Herculis comes, 442. 402. a.
Philippi, civitas Theſſaliæ, 118 490 a.
Phillyrides Chiron, Medicinæ inventor, 190. 550. a. b.
Philomela, pro quavis ave, 210. 511. a. de cantu ejus, mira, ibid. dapes parat, 44. 79. b.
Philoſophiæ cognitione, mortis metus &c. tollitur, 132. 492. b.
Philoſophorum variæ opiniones, de rerum origine; aliis ex igne; aliis ex humore omnia procreata, 39. 31. a.
Philyra à Saturno adamata, 163 93. a. b.
Phinëia domus, à Phineo Arcadiæ rege, 423. 212.
Phineus, oculos filiis ſuis eruit. pœna ejus, 632. 604. b.
Phlegethon, inferorum fl. 607. 265. a.
Phlegyas, an ſit accuſativ. an nomin. 633. 618. b.
Phocæ, vituli marini ſunt 189. 543 b. 214. 395. a. b.
Phœnix, Achillis magiſter, 395. 762. b.
Pholoe, nomen proprium, 554. 283. a.
Phorcus, deus marinus, 552. 240. a.
Phorci exercitus omnis, 581. 824. b.
Phryges, bis capti, 807. 599. a. b. inventores veſtium acu pictarum, 808. 514. a.
Phrygia, pro Trojana, 254. 186. a. unde dicta, ibid.
Phrygia chlamys, 449. 484. a. mater, 664. 139. a. æquor, pro Helleſponto, 281. 385. a.
Phryx flagris emendatur, proverb. 381. 580. b.
Phyllis Sithonis filia, ut Demophoontem dilexerit, &c. in arborem amygdalum converſa, &c. 30. 10. a.
Piacula, purgationes, ſacrificia, 528 636. b.
Piacula commiſſa, 629. 569. a. b.
Piare, pro expiare, 343 140. a. 348. 184. a. Placare, 616 379 a.
Picea, cedri ſpecies, 608. 180. a. b.
Pictura manus, cur dicatur, 292. 468. a.
Picturata veſtis, 449 483. a.
Picum, Circe mutavit in avem, 668. 189. a.
Pierides, pro Muſis, 37. 13. b.
Piget ad futurum: pudet ad præteritum ſpectat, 501. 335 a.
Pignora ſui, 58. 92. b.
Pila ſaxea, pro columna, 815 711. b.
Pilata agmina, pilis armata, 958. 121. a. b.
Pilenta vehicula ſunt, & eorum uſus. 762. 665. b.
Pileorum, quibus ſacerdotes utuntur, tria genera, 590. 683. a.
Pilum, pro haſta Romana, 696. 665. a.
Pilumnus à piſtoribus colitur, & cur? 769. 4. a. b. Turni avus, inſanientium deus, 8. 8. 76. a.
Pinaria domus, cuſtos Herculei ſacri, 728. 270. a. b.
Pindus, mons Theſſaliæ, 67. 11. a.
Pineus ardor, pro igne, 934. 786. b.
Pinguedo, nec pinguetudo latinum eſt, 165. 124. a.
Pingues paſcere, id eſt, ut pingueſcant, 37. 4. a.
Pingueſcere campos, 118. 492. a.
Pinna, pro muro, 665. 159.
Pinus, an laurus ſylveſtris? 157. 212. b. ſecundæ & quartæ declin. 839. 210. b. matri deûm conſecrata, 47. 24. a. 529. 16. b. 775. 85. b.
Pinus, an tinus legendum, 199. 141. b.
Piplea, ſeu Italia à Daphni adamata, 56. 68. b.
Pirami & Thiſbes fabula, 38. 22. a.
Pirithous, unus de Lapithis, 638. 631. b.
Piſæ conditæ à Peloponeſſo profectis, 835. 179. b.
Piſtores, olim pinſores dicti & unde, 253. 183. b.
Pithumnus uſum ſtercorandorum agror. invenit, 762. 4. a.
Pius, pro purus, & piare, purgare, 281. 382. a.
Plagæ, ſunt funes, quibus retia tenduntur, 452. 131. a.
Planetæ ſeptem, 324 746. a.
Plangunt littora, 108. 334. a.
Planta & plantaria, ut diff. 121. 23. b.
Platani arbores, vino exhilarantur, 200. 146. b.
Platani, malos geſſere, 124. 70. b.
Plato, athleta fuit, & poſt victoriam omnium ſe philoſophiæ tradidit, 638. 667. a.
Plauſtra, qualia vehicula ſint, 92. 163 b.
Plauſtra gementia, 890 138. a.
Plejades ſeptem 89. 138. b.
Plejades, ſignum ante genua Tauri, unde dictæ. 89 138. b.
Plemmyrium undoſum, quid, 465. 693. a.
Pluma, & plumata veſtes, quæ, 933. 771. b.
Plumbum, nimio rotatu diſſolvi, 806. 518. b.
Pluralis pro ſingulari, 338. 89. a.
Plurima mortis imago, 366. 369. a.
Pluvia tenuis, quæ, 84. 52. a.
Pluviarum generatio, 40. 28. a.
Pocula olim non in manus dabantur, ſed menſis apponebantur. 319. 710. b.
Podagra turpes, cur ita dictæ. 175. 293. a.

Pani

Poeni primi, vias lapidibus stravere, 287. 426. a.
Poetæ Musarum sacerdotes, 150. 476. a. b.
Poëtæ, insani dicuntur, 18. 36. a. 4?. 2?. a.
Polites, à Pyrrho occisus, 562. 564. b.
Polliceri, & promittere, ut diff. 261. 241. b.
Pollio, tragœdiarum & historiarum scriptor, 21. 84. a.
Polluere, pro contingere, 425. 234. a.
Pollux, pro Castore positus, 163. 89. a. fratrem alterna morte redemit, 556. 121. a.
Polus, pro cœlo, 308. 611. a.
Polyberes sacratus Cereri, 614.
Polydori historia, 404. 49. a.
Polyphemus cur oculum in capite habuisse dicatur, 461. 636. a.
Polyxena, manibus Achillis immolata, 434. 322. a.
Pompa exequialis, 892. 163. a. b.
Pomum, de iis dicitur, quæ molliorem & tenuiorem corticem habent, 13. 52. b. a.
Pone, pro post, 350. 208. a. 893. 725. a.
Ponere, pro deponere, 734. 329. b. pro facere, constituere, &c. 863. 628. b. pro quiescere, 658. 27. a.
Pontes, pro tabulatis, 803. 530. a.
Pontificibus, per liberos jurare non licebat, 78?. 300. b.
Ponto jaciunt, pro contra Pontum, 815. 712. a.
Pontus, pro unda, 246. 118. a.
Poples succisus, 817. 762. b.
[illegible] & [illegible], quid, 169. 116. b.
Populi, λαοὶ dicuntur à lapidibus, 81. 65. b.
Populi Romani tres partes, Tatienses, Rhamnetes, Luceres, 568. 560. a.
Populi Romani erat jubere: Senatus autem censere, 559. 386. b.
Populo, veteres dixere, pro populo, 94. 185. a. 299. 531. a. 508 403. b. 959. 263. a.
Populonia, civitas Tusciæ, 185. 171. a.
Populos in plurali, urbes significat, 260. 219. a.
Populus Alcidæ gratissima, 50. 66. a. 546. 134. b. Herculea, 729. 276. a. bicolor. ibid.
Porca silice feriebatur, 755. 641. a.
Porgere pocula, 728. 274.
Porricere exta in fluctus, 579. 776. b.
Porriciam, an projiciam legend. 551. 237. a. 552. 238. b.
Porro, post longum intervallum. 570. 600. a.
Porsenna, rex Tusciæ, Romam obsedit, 760. 646. a. b.
Porta, de omni exitu dicitur, 241. 87. a.
Portendere, 421. 184. a. prædicere, 672. 256. a. præsignificare, 575. 706. a.
Portenta, & bona & mala sunt, 660. 58. a. 751. 533. a.
Porticus ad nationes, quæ? 767. 721. a.
Portitor, qui portat. 611. 298. a. b.
Portitor Orci, pro Charonte, 219. 502. a.
Portunus deus marinus, qui portibus præest, 552. 241. a.
Poscere, & petere, ut diff. 712. 194. a. pro inquirere, 256. 418. a. pro provocare, 756. 614. b.
Poscor Olympo, 751. 533. a.
Posita, pro exanimata, 532. 681. a.
Post, cum ablativo junctum, 4. 30.
Postes & limina, cur osculentur? 375. 490. b.
Postes sacri, 667. 183. a.
Posthabui mea seria, 46. 17. a.
Posthumus quis? 645. 763. b.
Potior, cum accusativo, 429. 278. a 405. 56. a. modo iij. modo iiij. conjugationis, 917. 493. b.
Potiri hostium, pro ab hostibus capi, 490. 217. b.
Potis, nomen est, 463. 671. a.
Potitiis, sacra Herculis commissa, 728. 269. a.
Potniades quadrigæ, è Potnia civitate, 173. 268. a.
Pra se jactare, pro præferre. 778. 154. b.
Præcipere, pro præoccupare, 22. 98. a. b.
Præcipitat, pro præcipitatur, 328. 9. a. 873. 804. b. 925. 617. a.
Præcipitare moras, 745. 44?. a.
Præcipitant curæ, pro urgent, 880. 3. a.
Præceps, festinus. 377. 516. a. 490. 895. a. 52?. 565. a. 547. 144. a. celer, 563. 456. a.
Præcipere spe hostem, 917. 491. b.
Præcordia, loca cordi vicina, 6??. 347. b.
Præfiscine, quid, 47. 27. b.
Prægnantes, fastidia pati solent, 29. 61. a.
Prælia, pro coitu, 363. 91. b.
Prælium, bellum & pugna, ut diff. 358. 197. a.
Præneste sub ipsa, 7?3. 561. a
Prænestina urbs, 697. 678. a.
Præneste altum, ibid. b.
Præpes, volans, 553. 234. a.
Præpetes aves quæ, 43?. 361. a.
Præpetes pennæ, pro velocibus, 587. 15. b.
Præpetes & inhibræ quæ dicantur, 416. 246. a.
Præsens animus, pro forti, 558. 363. a.
Præsentes divi qui? 5. 42. b.
Præsentia numina, id est propitia, 74. 10. a.
Præsentius, pro efficacius, 553. 152. a.
Præsepe, pro alveari, 288. 419. b. pro cavea, 657. 17. b.
Præstans corpus, quod, 239. 75. b.
Præstat illum & illo, 2. 8. 139. a. illi, 913. 438. b.
Præsumere spe bellum, 881. 18. b.
Prætenta arva, circumfusa, 591. 60. a.
Præterea, pro postea, 236. 53. a.
Prætexere, prævelare & abscondere, 517. 500. b. 46. 12. a.
Prætides, Prœti & Stenobœæ filiæ: Iuno iis furorem immisit, &c. 41. 48. b.
Prætorium est, ubi præfectus exercitus præsidet, 195. 75. b.
Prævertere, præoccupare, 321. 725. b.
Præverti fuga, pro transire, 274. 321. b.
Prasin præustis brevis, 687. 524. a.
Prata recentia rivis, 638. 674. b.
Precantium gestus, 956. 196. b.
Precari, cum dativo, ut & orare, 717. 127. a.
Precatio maxima, 955. 176. b.
Precia, uva, quæ cito maturescunt, 126. 55. a.
Premere, pro compellere, 678. 368. a. pro insequi, 275. 328. a.
Premere feram, ut intelligendum, 182. 413. Premere hasta, pro interficere, 378. 530. a.
Premere, pro opprimere, occidere, 791. 330. a.
Premere vocem, 791. 324. a.
Premere pro populari & vastare, 263. 250. a.
Premere umbras, pro imminuere, 58. 157. b.
Prendimus, pro occupamus, 368. 322. a.
Pressa carina, quæ, 106. 303. a. b.
Pressus & myrteus color, idem. Georg 3. 82. com. 162. 81. a. b.
Pretium, pro pœna, 564. 352. a.
Pretium moræ, 784. 232. b.
Priamus, ἀπὸ τοῦ πρίασθαι dictus, 309. 7?3. b. ut tentorium Achillis ingressus &c. 294. 491. b. 379. 542. a.
Priamo narrare Achillem. Proverb. 817. 742. b.

Digitized by Google

Priami mors, 376. 506. a. b. & ubi occisus, 380. 557. b.
Priapus, hortorum deus, 48. 33. a. b. 197. 111 a.
Prima fides pelago, 407. 69. b.
Prima tellus pro littore, 75. 13. a.
Primi, principes, 412. 133. b.
Primitia victoriarum, 381. 16. b.
Primitia & rudimenta belli, 891. 156. a.
Primores, sicut proceres, 790. 309 a.
Primus, ante quem nullus, 5. 45. 224. 5. a. b. 231. 28. a. 332. 40. a. b.
Primus mensis, pro primis diebus mensis, 612. 453. b.
Prima tellus, pro Italia, 411. 95. a.
Prima terra, pro litore, 301. 545. a. b.
Prima urbs, id est primam partem urbis, 785. 244. b.
Principis veri typus, 632. 585.
Prior, præstantior, melior, 902. 292. a.
Prisci cum mortuis, carissima quæque cremabant, 886. 89. b.
Pristis de nave, pistrix de bellua, 444. 417. b.
Pristis, à tutela depicta, 545. 116. a.
Privernum, antiqua urbs, 920. 540 b.
Prò tempore, pro necessitate &c. 48. 35. a.
Πρὸ ὥρας, & πρὸ μοίρας θανεῖν, ut diff. 533 696. b.
Procas, sextus rex Albanorum, 646. 767. a.
Procax, petax & impudens, 300. 540. b.
Procedere, quid, 25. 12. b.
Procella, quid, & unde dicta, 242. 89 a
Proceres, cur ita dicantur, 324. 744. a.
Prochyta, insula, ab effusione dicta, 815 715. a. b
Procris, filia Iphidi, uxor Cephali. Fabula, 621. 415. a.
Procudere, cudendo extenuare, 102. 261. b.
Procul, quod pra oculis est, & porro ab oculis, 586. 10. a. pro juxta ac prope, 38. 16. a. b. 875. 835. a.
Procumbere, de lupa, 757. 631 b.
Procursus, pro impetu 965. 179. a.
Prodere, pro decipere vel perdere, 511. 431. a. pro protendere & propagare, 492. 231. a.
Prodigium, portentum & monstrum, ut diff. 419. 566. a.
Prodigium, de bono, 572. 639. a.
Prodimur, pro porro damur, 264. 256. a. b.
Prodire volando, 602. 199. b.
Prodit in æquor, pro extenditur, 867. 693. b.
Producere funera, quid? 801. 486. a. b.
Profani, qui non sunt initiati, 607. 218. a. b.
Profanum proprie quid? 917. 709. a. b.
Profecto, pro expletiva conjunctione, 751. 532. a.
Profugus, quasi porro fugatus, 225. 6. a.
Progne, pro hirundine, 112. 25. a.
Projecta saxa, quæ, 465. 699. b.
Projicere animas, 620. 436. a. b.
Proludere ad pugnam, 949. 106. a. b.
Proludia pugnæ, προαγῶνες Gr. 171. 231. b.
Proluere se auro, 324. 745. a. b.
Proluvies, pro sordis effusione, 424. 217. a.
Promethei fabula, ut ignem furatus sit, &c. 40. 42. a. unde dictus sit, ibid. b. primus bovem occidit, 155. 537 b.
Promittere, pro minari & contra, 518. 56. a.
Promunt se robore cavo, 385. 260. a.
Pronomina quædam, addita nominibus dignitatem faciunt, 27. 43. b.
Properare, antiqui, pro dare, 968. 425 b.
Properare mortem, 795. 401. b.
Properi auriga, 947. 85. b.
Propexam fusus in pectore barbam, 815. 838. a.
Propinquare, properare, maturare, 841. 254. a.
Propius, pro citius, 713. 71. a pro diligentius, 957. 211. b.
Propius aliquem aspicere, 259. 530 a. b. proprium, ut commune fiat, 305. 577. b. pro perpetuo & firmo, 47. 31. a. 240. 77. a. 409. 85. b 654. 871. a.
Propter, pro juxta, 58. 87. a.
Prorumpere nubem, pro evomere & fundere, 456. 572.
Proscenia, sunt pulpita ante scenam, 143. 381. a b.
Proserpina & Diana eadem, 17. 26. a.
Proserpina ad superos remeare non poterat, quia gustaverat in Elysio grana Punici mali, 78. 39. b.
Prospiciens alto, quo sensu, 247. 131. b.
Prosubigit pede terram, 172. 256. a.
Protenus & protinus ut differant, 2. 13.
Protinus, pro deinceps, 191. 1. a. pro jugiter, deinde, 691. 601. b.
Protei columnæ, usque ad fines Ægypti, 899. 262. a.
Proteus deus maris, solitus se in omnes figuras convertere: hinc adagium, Πρωτέως πολυμορφότερος, 215. 429. b. rex Ægypti, 214. 406. b.
Proturbare, pro confodere, 798. 441. a.
Provincia una, ferre non potest omnia, 81. 56. a.
Proxima myrte, quo sensu, 13. 54. a.
Pruina, pro hyeme, 99. 230. b. pro nive, 179. 368. b.
Pruna & carbo, ut diff. 914. 788. b.
Pruna cerea, quæ, 33. 51. a.
Pseudothyrum, quid, 372. 453. b.
Psythia passo utilior, 126. 93. a.
Pubentes herbæ, 165. 116. a. 519. 514. a. b.
Pubera folia, quæ, 968. 413. a. b.
Pudor pro pudicitia, 471. 27. a.
Puer, pro filio, 312. 598. b.
Pueri, qui bello gloriam reportarunt, 806. 590. b.
Pueris nobilibus editis, in atrio domus, Iunonis lectus, Herculi mensa ponebatur, 29. 63. b.
Pugilatus lege, collapsum erigere licuit, 562. 452. b.
Pugna, prælium & bellum ut diff. 291. 460. a.
Pugnare, pro repugnare, 924. 600. a.
Pulcher, pro forti, 695. 656. a.
Pulchri, olim exsoleti dicti, 414. 119. a.
Pulchritudo personæ dignitatem habet, 721. 162. b.
Pullæ maculæ, sunt nigræ, 180. 389. b.
Pulsati divi, pro violatis, 960. 286. b.
Pulveratio quid, 147. 418. a.
Pulverulenta terga, 970. 463. a.
Pulvis, pro siccitate, 94. 180. b.
Pumex latebrosus, 977 519. a. b.
Punica fides. Proverb. 314. 665. b. 376. 342. b.
Punici ex ossibus dicunt oriri posteros, 528 625. a.
Puppes turritæ, 765 693. a.
de Purgatione animarum. Purgatio omnis triplex, 644. 741. a.
Purpuræ usus in funeribus, 604. 231. a. b.
Purpureos spargere flores, 654. 884. a. b.
Purpureum, pro alto, nigro & cæruleo, 212 373. a. b.
Purus campus, qui? 986. 771. b.
Pura vestis, quæ? 954. 169. b.
Putare, pro cogitare, 750. 522. a. b. pro reputare, 613. 332. a. b.
Puteus altissimus, trium ulnarum, 23. 105. b.
Putres glebæ, id est solubiles, 79. 44. b.

Pyra,

Digitized by Google

Pyra, *rogus*, *bustum*, *ut diff.* 893. 185. a.
Pyracmon nudus, 743. 425. b.
Pyrgi veteres, *qui?* 836. 184. a.
Pyrrha & Deucalion, *hominum genus repararunt*, *& quomodo*, 40. 41. a.
Pyrrhus ex Andromache Molossum suscepit, 411. 296. a.
Pythagoras, *cuncta crescentia animam habere dicit*, 210. 330. a. *vitam nostram divisit in* x. 597. 136. b.
Pythagorici dicunt, *omne quod crescit*, *animam habere*, 86. 107. b.
Pythia, *Achillis patria*, 269. 288. a.

Q

QVa, pro *qua*, 84. 90. a.
Qua, pro *unde*, 59:. 758. a.
Quadra, pro *mensa*, 663. 815. a.
Quadret, pro *consentiat*, 137. 277. b.
Quadrifida quercus, 686. 509. a.
Quadriiuges equi, 861. 571. a.
Quadrupes dubii generis. 31. 26. b.
Qua, pro *qualis & quanta*, 474. 47. a.
Quaesitor Minos, *& qui Quaesitores*, 620. 452. a.
Quaesitus, *qui quaeritur*, *an requirendus?* 805. 565. a.
Quali, *spisso vimine*, 135. 241. b.
Quando, pro *siquidem*, 497. 291. b.
Quanta vix caelo capi possit. Proverb. 269. 291. b.
Quatere, pro *exagitare*, 963. 338. b.
Que, pro *longa*, 410. 91. a. b.
Que, pro *vel*, 483. 143. b.
Quercea corona, *ob civem in bello liberatum*, 646. 772. a.
Quercus in tutela Iovis, 2. 17. *huius fructu olim homines vescebantur*, ibid. 177. 338. a.
Quercus, *oracula habita*, 121. 16. a.
Ques, pro *qui*, 243. 99. a.
Qui, *de Venere*, 829. 89. a.
Quicquid, pro *quodcunque*, 855. 493. a.
Quid domini facient, *audent cum talia fures*, 16. 16. b.
Quid vesper serus vehat, 116. 161. a. b.
Quiesco, *duplicem habet significationem*, 51. 4. a.
Quietem dare per membra, 709. 50. a.
Quina, pro *quinque*, 687. 538. b.
Quintam lunam fuge: *& quintus numerus Minervae consecratus*, 1c4. 27'. b.
Quirinalis trabea, pro *regali*, 692. 6 2. b.
Quirino patri arma suspendere, 653. 860. a.
Quirites prisci, pro *Sabinis*, 699. 710. a.
Quisque suos patimur Manes, 644. 743. a.
Quod nec bene vertat, *unde tractum*, 60. 6. b.
Quod quisque intriverit, *erit illi exedendum*, 830. 111.
Quondam, pro *expletiva positum*, 815. 710. a. pro *aliquando & semper*, 389. 678. a. *de praeterito & futuro*, 654. 876. a.

R

RAbiem, *an rabiam dicend.* 256. 204. a.
Racemus, *botryonis est pars*, 124. 60. a.
Radamanthus, *Minos & Æacus*, *iudices Inferorum*, 629. 566. a.
Radere quid, 466. 700. a. pro *secare*, 551. 217. a.
Radii, *olivae species*, 125. 86. a. b.
Radius est virga Philosophorum, 18. 41. a.
Ramus aureus, *virtutis simulacrum*, 597. 337. b.
Ranae querelam veterem canentes, *& unde*, 111. 378. a.
Rapere, pro *festinanter ferre*, 8:0. 143. a. pro *raptim adducere*, 700. 725. b.
Rapuit flammam, *id est raptim fecit*, 253. 180. a.
Rapidus aestus, 9. 10. a.
Raptae pecudes, pro *raptim advectae*, 894. 198. a.
Rara arbutus, *vel egregia*, *vel frondibus raris*, 48 46. b.
Rarum, pro *praecipuo & summo*, 199. 130. a.
Rastra, *cur ita dicta*, *& rastros dicimus*, 84 94 a.
Rata vita, pro *firma & perpetua*, 864. 629. a.
Rates, pro *navibus*, 235. 47. a.
Rauca volucres, 699. 705 a.
Rebar, *arbitrabar*, 639. 6 0. a.
Rebellis, *rebellio*, *non rebellatio*, 956. 185. a.
Reboant sylvae, pro *resultant & remugiunt*, 170. 223. a.
Rebus deploratis, *antiqui signa deorum vestibus ornare solebant*, 293. 484. b.
Recalere, 945. 35. a.
Receptare hastam, 849. 583. a.
Recidiva Pergama, 502. 344. b.
Recidivus annus, ibid 826. 58. a. b.
Recinus, *quid*, *vulgo Mavorte dicunt*, 269. 286. a.
Recipere, pro *educere*, 792. 348. a.
Recusare, pro *retardare*, 985. 747. a.
Reddere, pro *dare*, 435. 833. b. pro *reconciliare*, 515. 47'. a.
Reddi, *exta dicuntur*, *cum elixa*, *arae subperponebantur*, 233. 194 a. b.
Reducere, pro *placare & reconciliare*, 348. 178. a.
Reduces, *qui pericula evaserunt*, 283. 394. a.
Reducta hasta, pro *longa*, 859. 552. a.
Refellere dicta quid? 506. 38c. b.
Referre numerum, pro *recensere*, 44. 85. b.
Referre, pro *ferre*, 871. 766. b. vel *inferre*, 927. 662. b. *prodesse*, 190. 543. b. pro *reiicere*, 792. 550. a. pro *retro ferre*, 972. 495. a.
Reficere in praelia, pro *restituere*, 931. 731. a.
Refluere campis, 772. 32. b.
Refusum pro refluente, 670. 225. b.
Regem, pro *regnaturum*, 230. 25. b.
Reges antiqui, *nomina deorum sibi vendicabant*, 667 180. a. *olim sacerdotes & pontifices*, 409. 80. a. 791. 327. b.
Regia, *domus Pontificis dicitur*, 758 363. a.
Regificus luxus, 632. 605. a.
Regna, *lepide possessiones nostras vocamus*, 7. 70.
Regna invia, 599. 154. a.
Relaxare, pro *aperire*, 84. 89. a.
Relegare nemori, 703. 775. b.
Relegere, pro *renavigare*, 465. 650. a.
Religatus, pro *diligenter ligatus*, 792. 552. b.
Religio, pro *metu*: *unde dicta*, 787. 349. a. b.
Religiosa limina, *religionis plena*, 365. 365. a. b.
Remetiri astra, 537. 25. a. b.
Remigium alarum, 272. 305. a. pro *arte volandi*, 58819. a.
Remigio aptare, pro *ad remigium*, 71'. 1c. a.
Remis velisque. Proverb. 455. 560 b.
Remittere, pro *cedere & renuntiare*, 561. 419. b.
Remordet, pro *sollicitat*, 265. 265. b.
Remulcere caudam, pro *reflectere*, 935. 812. b.
Remulus Tyburtinus, 793. 360. a.
Remus à militibus Romuli occisus est, 647. 779. a.
Renus, *lorum dicitur quod continet iubam*, 605. 233. a.
Renovare, pro *retexere & iterare*, 327 5 a.
Rependere, *compensare*, 261. 243. a. b. *persolvere*, 145. 161. b.
Reponere vina, 664. 134. a. b.
Reponere in sceptra, *est in regna restituere*, 264. 257. a.
Reportare, pro *adportare*, 666. 167. a.
Repostum, pro *repositum & remotum*, 438. 364 b.

Reposita

Reposta gentes, pro longe remotis, 591. 59. a.
Requies, pro solatio, 800. 432. b.
Res, pro imperio, aut universo statu, 399. 1. a.
Res in cardine est, id est in articulo &c. 16. 676. a.
Resident bella, pro sedabuntur, 811. 643. a.
Resides animi, pigri & inertes sunt, 321. 726. b. viri, 649. 313. a.
Resignare, pro claudere, perturbare, &c. 493. 244. a. b. pro auferre, ibid. aperire.
Respicere, pro opem ferre, inde Fortuna respiciens à Romanis culta. 249. 530. b.
Restare, pro esse, 8 1. 161. b.
Restat hoc Latio, id est, manet, 673. 271. a.
Retegere radiis, pro illuminare, 481. 119. a.
Reticulum, Græce κεκρύφαλος, 483. 138. a.
Retulit, renovavit, 570. 598. a.
Revelli non revulsi, 510. 427. b.
Revellit, pro revulsit, 805 562. a.
Revocare animos, 256. 206. a.
Revolutum, pro aperto, 841. 256. a.
Reus voti, debitor, 551. 237. a. b.
Rhea sacerdos, mater Romuli, 695. 659. b.
Rhœteius, pro Trojanus, 970. 456. a
Rhenus bicornis, 708. 727. a. b.
Rhesus, dux & rex Thracum, 217. 462. a. b. 292. 473. a. ut interfectus &c. ibid.
Rhetica uva à Catone laudata, & vina Rhetica grata fuere Augusto, 126. 96. a. b.
Rhodia uva, 127. 10:. a.
Rhodope & Ismarus montes Thraciæ, 39. 30. a. 108. 332. a. 178. 351. a. 217. 461. a. b.
Rhœteum promontorium Troadis, 413. 108. a. littus, 625. 505. a.
Rhœtus Marrubiorum rex in Italia, 849. 388. b.
Rhœtus, Pholusque centauri, 149. 456. a. b.
Rica, genus vestis, 483. 137. a.
Rident, id est læta sunt, 49. 55. a.
Rigidum, pro duro & acuto, 962. 30:. a.
Rigor ferri, id est durities, 50. 145. a.
Rima micans, pro fulgetra, 741. 392. a.
Rimari, pro inquirere, 932. 748. a. pro pasci, 112. 384. a. 631. 59:. b.
Riphææ arces, Scythiæ montes, 100. 240. b.
Riphæus Eurus, 180. 38:. a. b.
Risus solutus, pro cachinno, 144. 386. a.
Risu matrem cognoscere, 28. 60. b.
Rite, pro recte, 454. 546. a.
Rivis, more rivorum, 550. 2:0. a.
Robore se promunt, pro equo, 355. 260. a.
Robur vocamus, omne quod forte est, 6:2. 610. a.
Robur coctum, 921. 553. a. b.
Roma, unde dicta, an à Romulo, an à Rome Telemachi filia, antea Valentia vocitata, 268. 278. a. ante Romulum fuit, 3.10. & ab Roma Æsculapii filia, urbs nomen impositum, ibid.
Romæ verum nomen, nemo vel in sacris enuntiare ausus, & hanc ob causam Val. Soranus occisus, 268 281. b. triplici olim nomine insignita, 4. 31.
Romæ septem montes, eorumque nomina, 155. 35. b.
Roma, septem montes inclusos habet, 647. 783. a b. cur alta dicatur, 227. 11 b.
à Roma ortu et inter excidium Trojæ, anni CCCLX. inveniuntur, 266. 271. b.
Romani, cur celatum voluerint, in cujus dei tutela urbs Roma sit? 364. 351. a. b. ante bella vota nuncupantes, se aqua lustrabant, 771. 23. b. bella gesturi, partem prædæ numinibus pollicebantur, 424. 221. a. egressi, si male pugnassent, revertebantur ad auguria rursus captanda, 348. 178. a. panicea sacrata, quæ mensas habebant, in quas libabant, 323. 740. a. duobus tantum cibis utebantur, 311. 641. a. Imperatores eorum Augusti vocantur, &c. 645. 760. b. reges septem, 64.. 808. a.
Romani proceres, in urbe lucos in domibus habebant, 359. 300. b.
Romanum forum, 735. 303. a b.
Romanus sedendo vicit, 652. 846. b.
Romula tellus, pro Romulea, 654. 876. a.
Romuli & Remi nativitas, ut avum suum in regnum restituerint &c. 268 278. a. b. ex Ilia & Marte nati, 645. 777. b.
Romulus omnia duplicia habuit, quasi cum fratre communia, 647. 779. a. cur Quirinus dictus, 270. 306 b.
Romulida, 753. 638. a.
Rorantia astra, 456. 567. a.
Rorem, pro roremarino ponit, 134. 213. b.
Ros Lunæ silente non multus: contra vero in plenilunio. Iovis ac Lunæ filius, 177 337. b.
Ros, pro humore & aqua usurpatur, 583. 854. b.
Roscida mala, quæ, 54. 37. a.
Roscida mella, id est fragrantia, 26. 30. b.
Rosea, pulchra, 285. 406. a.
Roseta sunt, ubi rosa nascuntur, 31. 17. a.
Rostrata corona Agrippa data, 764. 654. b.
Rota pro curru, 862. 594. a.
Rotantia saxa, 848 362 a.
Rubea virga quæ, 103. 266. a.
Rubens color deorum est, 38. 22. a.
Rubigo, vitium frumenti, 91. 151. a. calamitas dicta, ibid.
Rubigo, quasi scabies ferri, 134. 220 b.
Rubigus deus, ejus sacra Rubiginalia dicta, 91. 151. a.
Rubus, 21. 89. b.
Rudentes leones, 657. 16. a. Ruditus asinorum est, ibid.
Rudens prora, pro stridenti & sonante, 455. 561. a.
Rudentes velis immittere, 839. 229. b.
Rudere, pro clamare, propriè asinorum est, 726. 248. b.
Ruit, pro emittit & egerit, 139. 308. a.
Ruere, pro eruere, 895. 218. a. *Ruere ossa confusa*, ibid. 970. 454. a. dissipare, 86. 205. b. pro magno impetu se inferre, 962. 305. a. b. pro oriri, 841. 256. a. pro venire, 765. 689. a.
Ruit nox Oceano, 354. :50. a.
Ruit ver, pro in fine est, 107. 313. a.
Rufa, Batulusque Castella Campaniæ, 701. 73:. a.
Ruminare, quid, & ruminatio unde dicta, 41. 54. b.
Rumor secundus quis, 714. 90. a. b.
Rumpantur ut ilia Codro, 47. 16. a. b
Rumpere, pro complere, 177. 328. b. pro interrumpere, 716. 110. a.
Rumpere vocem, 342. 129. a. b. 426. 246. a. silentium, 826 63. b.
Rumpi, pro fatigari, 974. 527. a.
Rumpi amnes fontibus, ut dicantur, 18:. 428. b.
Rursus, pro contra, 166. 138. b. 186. 484 b.
Ruscum, virgulta brevia &c. unde in sacris scopæ fieri solebant, 48. 42. b. 146. 413. a.
Rustica vita, non fugienda est, 13. 60. b.
Rustici maxime Bacchum Ceremque colunt, 35. 79. a.
Rutuli colles, 705. 795. a.
Rutulus ignis, 744. 430. a.

S

Sabæi, populi juxta Syriam & Arabiam, 81. 57. a. 766. 706. a.

Sabaeum, pro Arabico, unde sic dict. 286. 420. a.
Sabella gens, quae, 132. 167. b.
Sabellicum sus, 172. 255. a.
Sabinarum raptus, 758. 635. a.
Sabini, & Servini appellati, & unde? 155. 532. b.
Sacellum, pro sacro loco, 16. 9. a.
Sacer homo quis, qui eum occiderit, parricidii non damnatur, 405. 57. b.
Sacer ignis, proprie Erysipelas, vel ignis S. Antonii, 190. 566. b.
Sacerdos longaeva, pro Sibylla, 612. 321. a.
Sacranae acies & gentes, 705. 796. a.
Sacrarium, ubi sacra reponuntur, 956. 199. b.
Sacrificantes diis inferis, aspergebantur aqua, 528. 635. a.
in *Sacrificiis omnibus castitatis* observatio, praeter diei natalis sacrificium, 20. 76. b.
Sacrificium tunc aptum, cum animal victimae dedicatum patiens invenitur, 145. 395. a. b.
in *Sacrificio*, aliquid religatum esse, piaculum, 541. 134. a.
Sacrificia resolutoria, 519. 518. a.
Sacrificia interrumpere, piaculare erat, 716. 110. b.
Sacrum & *sanctum*, ut diff. 150. 473. b.
Sacra, pro diis, 474. 50. a.
Sacra sunt, quibus animae humanae in deos vertantur. 419. 168. b.
Sacra commovere, quid, 492. 31. a.
Sacrum pro execrabili, 145. 395. a. 310. 636. b. 405. 57. a. 629. 573. b. 692. 608. a. 736. 345. a.
in *Sacris nil solet esse praeligatum*, 519. 518. a.
Sacrum minusculum, quod, 476. 62. a.
Sacra hyemalia & *aestivalia*, 35. 70. b.
Sacrorum Proserpinae, duo genera, 598. 149. a.
Sacra suovetaurilia quae, 544. 96. b.
Saevum, olim magnum, 226. 8. a. b. &c. 244. 103. a. pro forti ac irato, 941. 910. a.
Saevire, pro irasci, 627. 544. b.
Saevit toto Mars impius orbe, 119. 511. a.
Sagulum virgatum, 761. 660. b.
Sal, pro mari, 233. 39. a. *Sales*, pro jocis &c. ibid.
Sale tabentes, id est aspergine madefacti, 252. 177. b.
Salentinum, promontorium Italiae, 44. 400. a.
Salicta, locus salicum, 121. 13. a.
Salictum virgulti genus, 5. 55. b.
Saliere, à salio, salui, 144. 384. a.
Saligna crates umbonum, 694. 632. a.
Saligna falx, de salice facta, 197. 110. a.
Salii, qui, & unde dicti, 762. 663. a. b. Penatium Antistites, 361. 325. a. eorum duo genera, &c. 730. 215. a. b.
Saliunca, Orcitunica dicta & unde: & est ipsissima montana nardus, ibid. b. 31. 17. a. b.
Salius & *Patron*, 555. 298. b.
Salix lenta, 21. 83. a. arbor vilissima, 30. 16. b.
Salicis semen esum, infecunditatem gignit, 113. 48. b.
Salmacis fons, evirandi habet facultatem, 131. 161. b.
Salmoneus tonitru imitabatur &c. 630. 585. b.
Salona Dalmatiae civitas, 24. 1. a.
Salsa fruges, pro mola salsa, 142. 133. a. b.
Saltatio in religionibus, & quare, 35. 73. a. b.
Saltatores, olim una canebant, 35. 73. b.
Saltem, unde derivatum, 500. 327. a. b.
Saltuarii pastores, 30. 8. b.
Saltus, pro campi spatio &c. 166. 143. b.
Salva res est, saltat senex, 716. 110. a. b.
Salve & *vale*, in salutatione & execrationibus utimur, 542. 10. a. cur mortuus dicatur? 887. 97. a. b.
Salum, pro mari & unde, 350. 209. a.
Salus, pro remedio, 364. 364. a.
Salutare augurium, pro venerari, 959. 257. a.
Salutatores, communes amici dicti, 149. 462. b.
Same Cephaleniae civitas est, 428. 271. a.
Samothracia, unde derivata, 669. 208. a.
Sancire foedera, confirmare &c. 956. 200. b.
Sanctum, pro non corrupto, 891. 158. b.
Sandyx, herba vel frutex, cocco similem colorem faciens: hodie Garantia dicta, 28. 45. a. b.
Sane, pro valde, 125. 48. b.
Sanguis, an anima sit, 244. 102. a. b. pro ipso homine, 930. 720. b. sedes vitae, 378. 532. a.
Sanguis hebet, frigetque in senibus, 560. 396. a. per aetatem minuitur, 316. 638. a.
Sanguis humanus ante rogos effundebatur, 978. 606. a.
Sanguis non fluit de effosso oculo, 462. 663. a.
Sanies, à tabo, ut differat, 748. 487. a. pro sanguine, 351. 221. a.
Sanies jejuna, pro sicca & exigua, 186. 493. b.
Sardois herbis, in Sardina nascentibus, 48. 41. b.
Sardonica herba, apiastri similis, 26. 24. a.
Sardonius risus, 48. 41. b.
Sarpedon, Iovis & Laodamiae filius, 244. 104. a.
Sarpedonis germani, 831. 125. a.
Sarrano dormire ostro, 153. 506. a. b.
Sarrastes, populi Campaniae, 701. 738. a.
Sarritor deus, unde dictus, 76. 22. b.
Sat prata biberunt, 23. 111. a.
Saticulus, populus Campaniae, 700. 729. b.
Satis, pro segetibus, 76. 23. b. pro agris satis, 86. 106. b.
Satura palus atra, 705. 801. a.
Saturare, pro recreare, 83. 80. a.
Saturnia, nomen ad crudelitatem quasi aptum, 251. 27. a. de Iunone, ubi nocitura est, 479. 92. a.
Saturnus, rex fuit Italiae, 667. 180. a. pulsus à Iove, 733. 319. b.
Saturni curvus deus, 145. 406. b.
Saturni in templo aerarium fuit, &c. 153. 502. a. legibus praeesse docent, 714. 322. a.
Saturno inter sacrificandum, caput aperiebant, 442. 405. b. cur fingatur filios suos comesse, 412. 104. a. quare ei falx attributa, 64. 51. b.
Saturni stella, cur frigida, 108. 336. b. & tardissima, 163. 93. a.
Saturnia regna, quae, 24. 6. b.
Saturnios appellat Iovem vel Iunonem, ubi eos infestos vult ostendere, 505. 372. a.
Saturus color est largus, vineus & pressus color, 210. 335. a. b.
Saucius pectus, pro saucium habens pectus, 948. 5. a.
Saxum, pro Capitolio, 737. 350. a.
Saxum magno pondere, pro ponderis, 849. 381. a.
Saxum, pro monte, 362. 308. a. 484. 152. b.
Saxum in arce Trojana fuit, quod contritum, sanguinem emittebat. 331. 33. b.

Digitized by Google

Saxum Sisyphi, 159. 39. b.
Scabra rubigo, 818. 495. a.
Scatebra seu ebullitiones aquarum, 87. 110. a.
Scæa porta quæ & unde dicta, 437. 351. a.
Scelerare, pro polluere, 404. 42. a.
Scelerata hasta, & porta quæ, 352. 231. b.
Scelus, pro supplicio, 352 229. a.
Scena, pro inumbratione, ejusque derivatio, 252. 168. a.
Scena, versilis & ductilis quæ, 158. 24. a.
Sceptra adhibebantur ad fœdera, 957. 206. a.
Scilicet is superis labor est, 506. 379. b.
Scindi in contraria studia, 332. 39. a.
Scipiades duri bello, 132 170. a.
Scipio Africanus, vix annorum 17. patrem suum defendit in bello. 873. 800. a.
Scipiones duo fulmina belli, 652. 841. a.
Scitatum, pro scitaturum, 340. 114. a.
Scopulus unde sic dictus, 235. 49. a.
Scopuli turriti, qui, 453. 536. a.
Scorpius ardens, 78. 34. b.
Scrobes, masculini generis, 138. 288. a.
Scrobe exigua, Lucanus dixit, 125. 50. b.
Scrupea, lapillosa, 605. 238. a.
Scuta equitum, clypei peditum, 794. 370. a.
Scuta è vimine contexta, γέῤῥα. 694. 632. b.
Scuta virorum fortium picta, 705. 796. a.
Scuta & insignia describuntur à diversis, 804. 548. b.
Scylaceum navifragum, unde dictum, 455. 553. a.
Scylla, & helleborus, genera herbarum, 184 451. a. b.
Scylla & Charybdis descriptio, 444. 410. a.
Scyllæ biformes, 609. 286. b.
Scyllæ duæ fuerunt, 43. 74. b. *quarum una in monstrum marinum mutata: altera in avem Cirim*, ibid.
Scylla, patri comam purpuream abscidit, 113. 405. a.
Scyllæa rabies, quæ, 256 204. b.
Scyphus Herculanus, 729. 278. a. b.
Scyrus, una de Cycladibus, 374. 477. a.
Scythia, regio frigidissima, 6. 66. b.
Secare, pro prosequi & tenere, 830. 107. a. b. 655. 899. a.
Secespita, culter oblongus, &c. 495. 262. a.
Secessus, pro sinu secreto, 251. 163. a.
Secludere, pro includere, 446. b.
Seculum, centum annorum, 24. 5. a. 749. 508.
Secundi dii, id est propitii, 127. 101. b.
Secundus illi & ab illo, 914. 441. a.
Secures sævæ Bruti, 650. 819. a.
Securus amorum, id est negligens & non curans, 278. 354. a.
Sedentes, id est pigri, 915. 460. a.
Sedentes, olim vescebantur, 241. 83. a. 258. 218. a.
Sedere, pro considerare & curare, 237. 80. a. *pro esse, consilium capere &c.* 769. 4. a. b. *pro placere*, 470. 15. a. *pro remisso animo esse*, 184. 456. a. b. 943. 15. b.
Sedet sententia, pro firma est, 692. 621. b.
Seditio, quid, & unde dicta? 250. 153. a.
Seges est, quod aratum, satum est, 7. 71. b. *pro terra*, 73. 1. a. 80. 47. a. 199. 129. a. *frumento*, 417. 141. a.
Segetem alienam ne pellexeris, 58. 97. a.
Seges telorum, pro multitudine, 404. 46. a.
Segnities sera, 366. 374. a.
Selinis palmosa, urbs juxta Lilybaum, 466. 705. a.
Sella & trabea, insigne fuit Rom. Imperator. 905. 334. a.
Semel, pro cito, 912. 418. a.
Semesa ossa, 731. 297. b.
Semesa præda, 916. 144. a.
Semesa vox, 433. 314. b.
Semina, id est atomos, 39. 31. a.
Semina, pro arboribus, 142. 354. b.
Semina flammæ, quæ? 586. 6. b.
Semina sæva leonum, id est genera, 130. 853. a.
Seminex, 853. 461. a.
Semiputata vitis, 14. 70. a. b.
Senatus, unde dictus, 287. 430. b.
Senatusconsultum facere non licuit, nisi in loco per augures constituto, 297. 511. b.
Senecta, sc. ætas, 892. 165. a.
Senectus cruda ac viridis, 611. 304. a. b.
Senex saltat, omina secunda, 429. 279. a.
Sensus, pro animo, 56. 66. a.
Senta situ loca, 622. 462. a.
Sententia versa retro, 821. 7. b.
Sentes, pro spinis & frutetis, 26. 20. b.
Senum consilia, robur juvenum. Proverb. 561. 430. b.
Sepeliebantur olim omnes, in suis domibus, 593. 152. b.
Septa, quid sint, 4. 34.
Septem paria, quæ Imperium Rom. tenent, 667. 188. a.
Septena tela, pro septem, 846. 329. a.
Septenarius numerus, pro infinito, 219. 507. b.
Septima post decimam felix, ut intelligendum, 105. 284. a.
Sepulchra veterum, cur juxta vias, 65. 59. a. b.
Sepulchrorum violatoribus supplicia proposita, 403. 41. b. 580. 427. b.
Sepulchris inscribi solitum S.T.T.L. 69. 33. b.
Sepulturæ diversa fuerunt genera, 893. 186. a.
Sepulturæ genus, injectio pulveris, 600. 176. a.
Sepultus vino, 460. 630. a. *somnoque*, 782 189. a.
Sepultus, pro dormiente, 619. 424. a.
Sequaces undæ, 549 193. b.
Sequestra pax, pro inducus, 889. 133. b.
Sequi, pro imitari, 543. 74. a. *persequi*, 928. 674. a.
Sera, pro sero, 101. 251. b.
Sera frondes, id est sero cadentes, 145. 403. b.
Sera mors, pro gravi, 629. 569. a. 566. 524. b.
Serenare quid, 264. 259. a.
Serenum, à serendo, id est aperiendo dictum, 112. 393. b.
Serenus vultus, pro hilari, 357. 285. b.
Serere multa sermone, 599. 160. b.
Seres vellera foliis depectant, 128. 111. a.
Sergia domus, pro familia, 546. 121. a.
Sero sapiunt Phryges. Proverb. 691. 597. b.
Serpere, pro humiliter procedere, 52. 13. b.
Serpens, pro repens, 543. 98. a.
Serpens unam tantum linguam habet, 350. 213. b.
Serpentum renovatio, 183. 437. b.
Serpyllum, venenis adversatur, 9. 11. a. b.
Serranus à serendo dictus, dictator fuit, 652. 844 a.
Servare, pro observare, 96. 205. a. *pro tenere & possidere*, 656. 3. a.
Servi Romanor. nec colobia, nec calceos habebant, 269. 286. a. *à militia prohibebantur*, 804. 547. a.
Serum, pro tristi, 991. 864. b.
Setæ comantes in usum castrorum, pro ciliciis, 176. 312. a. b.
Severus mons, 699. 713. b.
Sextus liber Æneidos cæteris anteponendus, 585. 1. b.

Sibilus

Digitized by Google

Sibilus Austri, 35.81. b.
Sibylla, unde dicta, quot fuerint &c. 446. 445. a. 586. 10. a.
Sibylla Cumana, 592. 72. a. Apollinis vates, 435. 332. b. Sibyllæ folium, 446. 443. b. Sacerdotes, 592. 74. b.
Sic omnia fatis in pejus ruere, 95. 199. b.
Sicania, pro Italia, & unde dicta, 503. 560. a.
Sicans fines, 904. 317. a.
Sicani veteres qui, 705. 795. a.
Sicani, populi Hispaniæ, 734. 328. a.
Sicanium insula, 743. 416. b.
Sicanos fluctus, 66. 4. b.
Siccare ubera, 12. 42. a.
Sicelides Musæ, pro Theocriti, 24. 1. a
Sichæus, Sicharbas dictus, 277. 347. a
Sichæo cineri promissa, 522. 552. a.
Sicilia, cur Trinacria dicta? 464. 687. b.
Sicyonia bacca, pro oliva, 154. 519. a. b.
Sidicina æquora, 700. 727. b.
Sidonia, pro locuplete. Sidon urbs Phœniciæ. 290. 450. a. pro Tyria, 309 617. a. Sidonia opes, pro Pygmalionis, 477. 75. a.
Sidus, pro tempore, 499. 509. a.
Sigæum, Trojæ promontorium, 560. 312. a.
Signa cælestia, undecim Chaldæi statuunt, 78. 33. a.
Signa Rom. figebantur in castris, & captatis auguriis avellebantur, 882. 19. a.
Signum clarum, an facula, an vox? 452. 519. a. b.
Sila, mons Lucaniæ, 170. 219. a.
Silarus flumen vel mons Lucaniæ, 166. 146. a.
Sileni, satyri sunt, priusquam senescant, 37. 14. b.
Sileno ferula attributa, 37. 14. b.
Silentium fiebat olim, lumine incenso, sublatisque mensis primis, 323. 734. a.
Silentia rumpere, pro loqui, 826. 63. a.
Siler molle, genus arboris, neutro genere, 121. 12. a.
Silex acuta, 726. 233. a
Silex atra. Tantali lapis, Proverb. 631. 602. b.
Silex dura, 623. 471. b.
Siliqua, theca leguminis est, 82. 74. b
Sima capella, id est pressis naribus, 66. 7.
Simois, Trojæ fluvius, 244. 104. a. 553. 261. a. 593. 88. a.
Simon, premit viros, 898. 257. b.
Simulachra deorum sunt, umbræ inferorum, 396. 772. a.
Simulata, pro veris accipiunt in sacris, 340. 116. b.
Simulati latices, 519. 512. a.
Sine mente sonus, Proverb. 864. 640. b.
Sine more, id est, sine exemplo, 574. 694. b. 679. 377. a.
Sine nomine plebs, 792. 343. a.
Singultans sanguine, 791. 333. a.
Sinistri mores, pro contrariis, 906. 347. b. Sinistrum auspicium, quare infaustum? 3. 18.
Sinistrum augurium, cur prosperum &c. 390. 693. b.
Sinuare, pro curvare, 350. 208. a.
Sinum, genus vasis, 48. 33. a.
Sinum lachrymis implevit, 472. 30. a
Sinus est reductus littoris secessus, 331. 23. a.
Sinus reducti, id est replicabiles, 251. 165. b. 925. 616. a.
Sirenum descriptio & fabula, 584. 864. a. b.
Sirius, ardens stella in ore canis, 215. 425. a. b. 843. 273. a.
Siron, præceptor Virgilii & Quintilii Vari, 36. 1. b. 37. 13. a. b.
Sistere, pro adducere, 528. 634. a. pro confirmare & roborare, 653. 858. a.
Sistrum, pro classico, 765. 696. a. b.
Sisyphi pœna, apud Inferos, 633. 616. a.
Sitire Venerem, 166. 137. b.
Situs, lanugo quædam ex humore procreata, 622. 462. a.
Situs, pro otio, 82. 72. a.
Spartam quam nactus es, orna, 37. 4. b.
Socios, quos Romani appellent, 538. 36. b.
Socrates per canem & anserem jurare solebat, 789. 300. b.
Soles, pro diebus, 325. 749. a. pro serenitate, 112. 393. a.
Sol corruscus, pro ardenti, 100. 233. a.
Sol decedens duplicat umbras, 14 67.
Solis defectus ut fiat, 151. 478. a. b.
Sol iniquus, pro intemperato, 670. 227. a. Solis labores, 324. 746 a.
Sol novus, pro oriente, 105. 288. b. 700. 720. b.
Solem quis dicere falsum audeat? 116. 463. a.
Solennes araque. 350. 202. a.
Soleo, caret præterito, 373 462. a.
Sollicitare spicula, 967 404. b.
Solidum marmor, quid? 551. 69. b.
Solium, sella regalis & unde dictum, 297. 530. a. 666. 169. a.
Solvent perpetua formidine, pro in perpetuum, 25. 14. b.
Solvere, pro absolvere, 830. 111. b. pro cura liberare, 516. 487. b.
Solvere pudorem, 474. 55. b.
Sola pro deserta, 571. 613. a.
Sola, id est magna ac præcipua, 77. 30.
Sola, id est terra, 83. 80. a.
Solstitium pro æstate sæpe sumitur, quamvis etiam solstitium hyemale sit, 85. 100. a. b.
Solum cereale, 662. 111. b.
Solum, pro mari, 550. 199. a.
Somnia, spes vigilantium, 59. 108. b.
Somniorum duo genera, 60. 284. a.
Somni portæ geminæ, cornea & eburnea, 655. 893. a.
Somnus, somnium & insomnium, ut diff. 582. 838. a.
Somnus ferreus, 870. 745. b. 962. 310. a. b. Somnum inire, 6. 56. a.
Somnus primus, pro prima parte noctis, 292. 474. b.
Somnus, pro nocte, 97. 208. a.
Sonipes, pro equo, 482. 135. b.
Sonorum & sonans, ut diff. 236. 57. b.
Sophocleo cothurno, 51. 10. a.
Sopitus somno, pro irrigatus, 317. 624. a.
Sopor, consanguineus lethi, 278. 609. a.
Soporatum, quid? 583. 855. b.
Soracte, mons apud Irpinos, 658. 696. a. 934. 785. a.
Sorbilis sopor, 791. 326. b.
Sordere, quid significet, 12. 44. b.
Soror magna, pro terra, 606. 250. a.
Sors omnia versat, 14. 73. b. 60. 5. b.
Sors senecta, quies & otium, 595. 114. b.
Sors iniqua quæ, 613. 331. a.
Sors, pro judicio, 620. 431. a. b. pro casu & fortuna, 853. 450. a.
Sortes pro oraculis, 672. 269. b. pro responsis Sibyllinis, 592. 72. a.
Sortire, pro substitue, & elige, 162. 71. a. b.
Sortiri dicas & causas, 620. 431. b.
Sortiri, periculum, 781. 174. a.
Sortiti, qui dicantur, 451. 510. b.
Sortitus non pertulit, 434. 323. a. b.
Spadix color albus & fuscus, 162. 82. a. b.
Spargere, pro conficere, 702. 754. a. b. pro miscere, 516. 486. b.
Spargere voces, 331. 98. b.
Sparta, Laconiæ est civitas. 381. 405. a. Spartana, pro Lacæna, 274. 320. a.
Sparus, rusticum telum, 528. 682. b.
Spatiari ad aras, quid, 476. 62. a.
Species rerum præsentium est, fama absentium, 486. 170. a.
Specimen, pro argumento, 135. 241. b.
Spectata, probata, 95. 197. a.
Specula montis, de Leucate petra, 55. 59. a.
Specus, trium generum, 689 563 a.
Specus, pro cavatione, 814 700. a.
Speluncæ, pro speluncis, 75. 52. a.

Digitized by

Spirare, pro timere, 51.26.b. 501.547.a. 511.419.a. 901.275.a.
Sperchius, fluvius Thessaliæ, 151.487.b.
Spes, pro lætitia, 257.213.b.
Spicula cæca apum, 205.287.a.
Spicus & spicum dicimus, 87.111.a.
Spina duplex, pro lata, 163.87.a.
Spinus, prunorum arbor, 199.a.
Spira serpentum, 131.154.a.
Spiræ, pro nodis, 551.217.a.
Spirabile numen pro vitale, 458.600.a.b.
Spiracula Ditis. 689.568.a.
Spiramenta animæ, pro pulmonibus, 806.580.a.
Spiramenta cæca, sunt cavernæ latentes, 84.90.a.
Spirantes auræ, pro vitalibus, 811.645.a.
Spirantia æra, 652.847.b. *signa quæ,* 159.34.a.
Spirare, pro exhalare, 285.408.a.
Spiritus, mens, animus, unum est, 642.726.b.
Spiritus, pro odore, 572.648.b.
Spissa harena, pro tenui, 557.336.a.
Spolia opima, quæ? 853.449.a.
Spolia postibus appensa, 667.183.a.b.
Sponda, pro lecti latere vel stragula, 318.702.a.b.
Sponderi, propriè puellæ est, 818.79.a.
Sponte, modo nomen, 121.11.a.
Spuma argenti, Lythargyrum vulgo, 114.449.b.
Spuma cruenta, signum equi fortissimi, 170.201.a.
Spumeus, pro spumosus, 375.496.a.
Squalens auro, pro splendens, 845.314.a.b. 196.91.a.
Squalentes, id est sordidæ, 141.148.a. 557.277.a.
Squama & auro, pro squamis aureis, 815.707.a.
Squama ænea, pro laminis, 933.771.a.b.
Stabulo, pro stabulor & habito, 609.236.a.b.
Stagna, profunda maris, 247.130.b.
Stare parvo, pro constare, 855.491.b.
Stat, pro est & placet &c. 312.650.a. *certum est,* 931.678.b.
Stat, quod firmum salvumque est, 49.53.a.b.
Stat, pro horret, 363.333.a. 611.300.a.b.
Stant belli caussæ, manifestæ sunt, 688.553.a.b.
Stare hosti, pro contra hostem, 178.348.a.b.
Stare pulvere cœlum, 967.408.a.b.
Stat sua cuique dies &c, 854.467.a.b.
Statio & portus, ut diff. 331.23.a. *pro sicco littore,* 844.297.a.b.
Stellæ cadere non possunt, 110.366.b.
Stellio, animal hominibus valde noxium, 205.243 b. *pellis ejus comitialem morbum depellit,* ibid. *hinc stellionatus crimen,* ibid.
Sterilia omnia, quinta luna nata dicuntur, 104.277.b.
Sternax equus, quis, 955.364.a.b.
Stimichon, quis, 33.55.b.
Stipare, à stipa derivatum, 447.465.a.
Stipare, pro densare, 288.43[?].b.
Stipula, pro culmo, 107.315.b.
Stiria, pro gutta, 179.366.a.b.
Stirps, pro origine, & ligno, ut diff. 310.630.a. 411.94.a. *pro arbore, m. & f.* 662.99.a.
Stirps, masculini gen. 957.208.a.
Stirps, de patre dicta, 859.543.a.
Stirps sacer, pro arbore, 586.770.a.b.
Stirpes, pro radicibus, 142.367.b. 987.781.b.
Stiva, est manica aratri, 93.174.a.
Stoici dicunt, non esse, nisi unum deum, qui pro ratione officiorum, variis nominibus appellatur, 735.a. 529.638.a.
Strictura chalybum, 743.421.a.b.
Stridere, 2ª. & tertia conjugationis 222.556.a. 369.418.b.
Stridor, pro sonitu alarum, 113.407.a.
Stringere, pro leviter vulnerare, 805.577.b. *pro radere,* 548.163.a. 712.63.a.
Stringere frondes, pro amputare, &c. 65 61.a.b. *secare,* 107.317.a.
Stringere ramos, pro defrondare, 302.556 b.
Strinxit hoc animum, pro momordit &c. 789.294.a.
Strophades insulæ quæ, 423.210.a.
Struere, pro adstruere, 334.60.b. *pro ordinare, inde structores,* 319.708.a.
Strymon, fluvius Thraciæ, 219.508.a.b.
Strymoniæ grues, à lacu Thraciæ sic dictæ, 88.120.a. 841.265.b.
Stulti, frigidioris sanguinis sunt, 151.484.a.
Stupa, à stipando, 574.682.a.
Stygii lacus, 731.296.b.
Styx, palus apud inferos, 218.480.b. 597.134.a. *dii jurantes per eam, non audent fallere.* ibid. &c. 599.154.a.
Suadere, cum accusat. 822.10.a.
Sub, cum tempus significat, accusativo gaudet, 12.68.a.
Sub, pro in, 291.457.a. 809.483.b
Sub, pro prope, & infra, 352.227.a.
Sub imagine, quid, 666.179.b.
Sub ipso, pro post & juxta ipsum, 556.323.a.
Sub vertice torsit; an sub vortice legend. 210.519.b.
Subaquanea saxa, 466.707.b.
Subducere classem, & deducere ut diff. 302.555.b.
Subducere colles, quid, 61.7.a.
Suberunt, pro erunt, 26.31.b.
Subigere, pro rursum agitare, 95.202.b. *impellere,* ibid. *pro sursum agere & non sine labore,* 611.302.a.
Subigere arvum, pro mollire, & domare, 88.125.a.
Subjicere corpora in equos, 561.288.a.
Subjicere epulis, 662.110.a.
Subjicit se, pro attollit, 71.74.b.
Subire, cum dativo. 717.325.a. 665.161.a.
Subit, pro sequitur, 391.725.a.
Sublatus, pro elatus, 856.501.a.
Sublatum, pro susceptum, 781.203.a.b.
Sublegi, pro furatus sum, 62.21.a.
Sublimes animæ, pro nobilibus, 641.720.b.
Sublime expulsam eruere, 107.310.b.
Sublustris nox, quæ? 794.373.a.b.
Submittere tauros, pro terram exercere, 5.46.
Subnectit, est sursum nectit, 483.139.a.
Subnixa, pro subnisa, 297.510.a.
Subnixus crinem, an Subnexus legendum? 490.217.
Subremigare, pro subnatare, 839.227.a.
Subsedit, pro remansit, 565 498.a.
Subsidere, pro remanere ac latere, 990.836.a. *pro dolo possidere. &c.* 900.263.a.b.
Subtegmen, filum quod intra stamen currit, 449.483.a.b.
Subulci, pastores porcorum, 68.19.a.
Succedere, dativum & accusativum regit, 30.6.a. 717.123.a.
Succedere tectis, & tecta, 310.631.a. 669.214.a.

Digitized by Google

Sacridanea hostia, quæ, 364. 483. b.
Succipere, pro suscipere, 253. 179. a.
Succurrit, pro in animum venit, 361. 317. a.
Sudare, pro defluere, 26. 30. b.
Sudes quadrifidæ, quæ, 122. 25. a.
Sudum, quasi sub udum, 750. 539. b.
Sudum ver, id est serenum, 195. 72. b.
Suffecti, pro infecti, 350. 210. b.
Sufficere, pro subministrare, 147. 424. a. 161. 65. b. *suggerere,* 384. 618. b. 819. 803. b.
Suffusi equi, vulgo incespitatores, 928. 671. a.
Suilli pecoris cura, cur à Virgilio neglecta, 156. 1. b.
Sulcus, pro fossa, 287 a.
Sumere, pro percipere, verbum Iurisconsf. 567. 533. a.
Summanus Pluto, cur dictus, 152. 492. b.
Summum, pro extremo, 373. 463. a.
Summa dies, pro ultima, 361. 324. a.
Super, pro de, 326. 754. a. 825. 42. a. 875. 839. b. *pro insuper,* 364. 348. 895. 226. b. *pro valde, vehementer,* 450. 489. a.
Super laude, id est, pro laude, 491. 233. a.
Supera convexa, 841. 251. a.
Superanda omnis fortuna ferendo est, 575. 710. a.
Superare, pro abundare, 94. 159. b. *pro superesse,* 139. 314. a. *pro supervivere,* 382. 597. b. *pro transire,* 714. 95. b. *pro vivere,* 436. 339. a. 979. 639. b.
Superbum, pro nobili, 230. 25. b. 318. 701. 399. 2. b. 906. 304. a.
Superbum bellum pro injusto, 716. 118 a.
Supercilium, nota severitatis, 53. 34. b.
Supercilium, pro edito loco, 86. 108. b.
Superintonare clypeum, 815. 709. a.
Superis omnia debemus donec vivimus, 884. 52. a. b.
Superstitio quid, & unde dict, 723. 187. a. 989. 817. a.
Supplicia, supplicationes dicuntur, quæ sunt de bonis, supplicia passorum, 310. 636 b.
Supplicum mos explicatur, 994. 930. b.
Supponere cultros, pro victimas cadere, 606. 248. a b.
Supposita mater, pro partu, 673. 283 b.
Supra morem, pro plus æquo, 135. 227. a. b.
Supremus labor, pro ultimo, 318. 11. b.
Surgit, pro oritur, 305. 586. a.
Sus setigera, 954. 170. b.
Sus hostia prima animalium, & quare? 143. 380. b.
Sus, triginta fœtus enixa, & quid portendat, 441. 390. a. b.
Suspensus, pro sollicito, 340. 114. a. 303. 729. a. *incerto,* 641. 722. a.
Suspicere, pro mirari, 289. 442. a.
Sustentatum, pro suspenso, 844. 304. b.
Sybillarum, nomina & numerus, 24. 4. b.
Sydera, pasci aquis marinis, 308. 612. a. b.
Sydera cadentia, 328. 9. a.
Sydera, pro ventis, 524. 578. a.
Sydus, pro anno, 12. 73. b. *pro tempore, &c.* 73. 1. a. *pro una stella,* 764. 681 a. b.
Sydus abruptum, pro magna tempestate, 970. 451. a.
Sylis, mons Lucaniæ, 983. 715. b.
Sylva, pro frutice, 207. 273. b. *& de herbis dicitur,* 91. 152. a. *& de vitibus,* 112. 26. b.
Sylva corusca, id est tremula, 252. 161. a.
Sylvarum cura, inter officia Consulum, 24. 3. b.
Sylvanus, deus sylvarum: Cyparissum amavit, 76. 20. a. *arvorum, pecorisque deus,* 755. 600. a.
Sylvii dicti, omnes Albani reges, 645. 760. b.
Sylvius Æneas, 646. 769. a.
Symethos fluvius Siciliæ, 806. 584. a.
Syracosio versu, quia Theocritum sequitur, 36. 1. a.
Syrius, stella in ore canis posita, 417. 141. a.
Syrtes, ubi arenosa littora, 866. 678. b.
Syrtis inhospita, 473. 41. a.
Systole, quid, 240. 77. a.
Sython, mons Thraciæ, 71. 66. a.

T

Tabo, pro corrupto sanguine, 402. 29. b. *pro pestilentia,* 186. 481. b.
Tabularia sunt, ubi actus publici continentur, 153. 502. a. b.
Tabulata, sunt rami in plana tendentes, 142. 361 a. b.
Taburnus, mons Campaniæ, 122. 38. b. 983. 715. b.
Tacitum pro tacite, 296. 506. a.
Tacitum cœlum, 451. 515. b.
Tædæ pingues, quæ, 49 49. a.
Tænarus Laconiæ promontorium, 217. 467. a.
Tænia est vittarum extremitas. 677. 352. a.
Tæniæ puniceæ, sunt vittæ roseæ, 553. 269. a.
Talaria nectere, Proverb. 492. 239. b.
Talenti, varium pondus, 545. 112. a. *magnum, & Atticum,* 552. 248. a. b. 787. 265 a. b.
Talenta defossa, 857. 526 b.
Talorum jactus, quando & quare inventus, 238. 71. a.
Talpæ, capti oculis quomodo? 94. 133. a.
Tanager, fluvius Lucaniæ, 167. 151. a.
Tanais, fluvius Scythiæ, 220. 517. a.
Tangere, pro tingere & imbuere, 181. 403. b.
Tangere curas, pro tangi curis, 522. 551. b.
Tangit honos animum, 946. 57. b.
Tantum, pro tantummodo, 788. 282. a.
Tantalus rex Corinthiorum, apud Inferos damnatus, 632. 603. a.
Tapetum, & hoc tapete, 675. 277. a.
Tapeta pulchri, 793. 358. a.
Taprobane insula, ubi duas æstates habent, 80. 48. a.
Tarcho & Tyrrheni, 755. 603 b
Tardi, id est stulti, 68. 19. a.
Tardi menses, sunt æstivi, 77. 32. b.
Tardus sapor, id est vix intelligibilis, 128. 126. a. b.
Tarentum, à quibus conditum, 454. 558 a. b.
Tarentum saturum, cur ita dictum, 133. 197. a. b.
Tarmes, ligni vermiculus, 102. 256. a. b.
Tarpeja sedes, 736. 347. b. 737. 348. a.
Tarquinius, Superbus cur dictus? 650. 818. a 649. 817. a. *ejectus,* 760. 646. a.
Tartara, locus inferorum profundus, 597. 335. b.
Tartari descriptio & derivatio, 630. 577. a.
Tartarea vox, pro terribili, 686. 534. a.
Taurea terga, pro taurina, 815. 7-6. a.

Taurei ludi, unde dicti, 341. 140. a.
Taurino vultu Eridanus, 211. 371. b.
Taurobolium quid, 351. 224. b.
Taurus aperire annum dicitur, 98. 217. a b.
Taurum excitat color rubicundus, 179. 372. b.
Taurus, rite Neptuno & Apollini immolatur: Iovi non licet, 350. 202. a.
Taurus, cur maxima victima, 130. 146. a. b.
Tauri, ignem naribus spirantes, 129. 140 b.
Taygeta, mons Laconum Baccho sacratus, 182. 481. a.
Taygete, una de septem Pleiadibus, 105. 232. a.
Taygetis canes, id est Lacones, 160. 44. a. b.
Taxus, venenata arbor, 193. 47. b. 62. 30. b.
Tectum, pro tentorio, 178. 344 a. b.
Tectus, pro multitudini se subtrahens &c. 341. 126. a.
Tegaeum oppidum Arcadiae, 75. 18. b. 555. 299. a.
Tegeaeus ensis, pro Arcadico, 746. 459. a.
Tegere, pro protegere, & servare, 370. 430. b.
Tellus, rerum omnium parens, 486. 178. b.
Tellus extrema, quae? 670. 225. a.
Tellus justissima cur dicta, 149. 460. a. b.
Tellurem, & praeesse nuptiis tradunt, 485. 166. a.
Telum, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, *derivatur,* 375. 468. a.
Telum, omne quod jaci potest, 726. 249. a. 802. 505. b.
Tela, pro ictibus, 562 438. a.
Telum immedicabile, 991. 858. b.
Temere, pro passim, fortuito &c. 791. 329. a.
Temnere, pro contemnere, 301. 546. a. 315. 669. a. 869 737. b.
Temo, quid, 95. 171. a.
Tempe, loca amoena Thessaliae, 150. 469. a. 209. 317. b.
Temperare, pro abstinere, 328. 8 a.
Temperare aequor, pro tranquillum reddere, 250. 150. a.
Tempestas, τῶν μέσων *est,* 771. 20. a. *pro vi bellorum,* 670. 223. a.
Tempestatum prognostica, quae ex Sole, 115. 438. b.
Tempestiva pinus quae, 102. 256. a. b.
Templa, in modum testudinis fiunt & cur, 296. 509. a. *velamentis religiosa,* 513. 458 a.
Templum Iovis praedatoris, 424. 223. a.
Tempora tantum duo admittunt Philosophi, 267. 273. b.
Temporum felicitas comprobatur ex nascentium meritis, 308. 609.
Tendere, pro contendere, 351. 220. a. 975. 553. a. 537. 27. a. b.
Tendere, pro tentoria habere, 331. 29. a. 756. 605.
Tendere nihil contra, pro nihil respondere, 794. 377. a. b.
Tendunt, pro tenduntur ilia, 187. 507. b.
Tenedius homo, in aspectu formidabilem, 330. 21. b.
Tenedos insula, ante Leucophrys dicta, 330. 21. a b. *ubi sita,*
Tener orbis, id est recens factus, 39. 34 b.
Tenere, pro defendere, 761. 653. a.
Tenere fugam, pro implere, 430. 283. a.
Tenet, pro habet & amplectitur, 34. 59. a.
Tennes vel Tennus Cygni filius, 330. 21. a. b.
Tenor, pro ductu & continuatione, 141. 337. a.
Tenorem servare, 847. 340. a.
Tentamenta tui per artem non pepigi, 719. 144. b.
Tentare Tethim ratibus, pro navigare, 27. 12. a.
Tentatura pedes, 126. 94. a.
Tentoria, papiliones vocant, 292. 473. b.
Tenuia, proceleusmaticus, pro dactylo, 112. 397. b.
Tenus cum genitivo & ablativo & pro fine, 161. 53. a. b.
Tenus, gaudet postpositione, 444. 427. b.
Terebinthus Oricia, nigrum lignum habet, 531. 136. a.
Terebrare, pro aperire &c. 332. 38. a.
Terere otia, 496. 271. a.
Teres, rotundum & oblongum est, 51. 16. b. 603. 207. a
Tereus rex Thracum, ejusque historia, 44. 75. a.
Terge spicula, 693. 626. a.
Tergus tergoris, & tergum tergi, ut diff. 258. 215. a. 280. 372. a.
Tergum, pro coriis, 662. 54. a.
Tergum immane leonis, 557. 351. b.
Tergum, pro scuto, 868. 718. b.
Tergum, pro superficie terrae, 84. 97. b.
Terminus deus exaugurari non potuit, 798. 448. b.
Terminus hic haeret, immutabile est, 527. 614. a. b.
Terra, quadrifariam dividitur, 72. *inferiorem aquam Physici . . . fferunt,* 281. 285. b.
Terra & vesta, dicitur, 58. 93. a.
Terra jacens, quae bruta, iners, 260. 228. b.
Terram certis temporibus patere, ac tum manes libere vagari, credebant antiqui, 432. 310. b.
Terra injectio fieri poterat & circa absentium corpora, 615. 365. a.
Terra mihi dehiscat. Proverb. 471. 24. b.
Terra, pro in terra, 886. 87. a.
Terra stupent, id est homines, 39. 37. b. *Terra quidem non profuit. Proverb.* 301. 544. b.
Terrae motus, unde, 151. 479. a.
Territare caelum, 907. 351. b.
Terror & metus, ut differant, 907. 357. a.
Tessera dabatur olim hospitibus dimidiata, quam quicunque attulisset ad hospitem, hospitio recipiebatur, 121. 715. a.
Tessera, symbolum bellicum, 654. 637. a. b.
Testor, pro juro, 345. 155. a. *pro obtestor,* 458. 599. a.
de Testudine fabula, 296. 509. b.
Testudo, scutorum est connexio. Artemon Clazomenius ejus inventor fertur, 802. 505. a.
Testudo templi, camera est incurva &c. 296. 509. a. b.
Tethys, uxor Oceani, nympharum mater, 77. 81. a.
Tetricus mons asperrimus, inde homines tetrici, 659. 713. b.
Teucer, pro Dardano, 261. 239. a.
Teucer, unde natus, & ut Sidonam venerit, 309. 625. b.
Teucrus, & fabula de illo, 413. 108. a.
Texere, pro spoliare, 851. 424. b.
Texere naves, 904. 326. b.
Thalami Eumenidum, pro sedibus Furiarum, 609. 250. a. b.
Thalia, Musa, 36 2. a.
Thapsus, insula, 46. 689. a.
Thasia vites, à Thaso insula, 126. 91. a.
Thaumantias, quae, 769. 5. b.
Theano mater Minantis, 868. 703. a.
Theatri circus, pro spatio spectaculi, 554 288. b.
Thebae, civitas in Boeotia, 514. 470. b. *alia Aegyptia, alia Boeotia, alia Frigia,* 314. 697. a.
Themillas, Themille, ut Aeneas, 805. 576. b.
Thensa, ἀπὸ τοῦ θεῖν *dicta,* 230. 21. a.
Theocritus Syracusanus fuit, 24. 1. a.
Thermodoontis flumen, 927. 659 a.
Theseus infelix, 633. 618 a. *cum Pyrithoo Proserpinam rapere tentat,* 396. 122. a.

Thesida-

Digitized by Google

Thesida, Athenienses sunt, 143. 383. b.
Thestylis, mulier rustica, 9. 10. a.
Thetys & Melite, &c. Nymphæ marinæ, 582. 825.
Theutras optimus, 850. 402. a.
Thiasus, pro quovis cætu saltantium, &c. 690. 581. a. b.
Tholus, quid 796. 408. a. b.
Thorax, indumentum militare, 846. 317 b.
Thoraces aheni, 694. 633. a.
Thraca, pro Thracia, 963. 335. a.
Threicius sacerdos, pro Orpheo, 635. 645. a.
Threissa, pro Thracia, 274. 320. a.
Thule, insula qualis, 77. 30. a. b.
Thus, unde derivatum, modo sine aspiratione dicitur. 81. 57. a.
Thura mascula quæ, 56. 65. a. b.
Thuricremæ aræ, 512. 453. b.
Thyasi quid, hasta variis sertis induta &c. 32. 30. a. b.
Thyas, Baccha, 498. 302. b.
Thybris senior, cum Castore, 831. 124. a.
Thymœtes, quis, 331. 32. b.
Thymbra, quale genus herbæ, 193 31. a. b. *Satureia dicta,* 409. 85. b.
Thymus dulcis apibus, non hominibus, 48. 37. a.
Thyrsi molles, 679. 590. a.
Tiaras, pileum Phrygium, 671. 247. a. b.
Tibi, id est, in tuum honorem, 78. 34. a. 109. 343. a.
Tibiæ aut serranæ sunt, aut Phrygiæ, 809. 618. a.
Tigris, Armeniæ fluvius, 6. 63.
Timavus, fluvius Venetiæ, 51. 6. a. 185. 475. a. b
Timavi fons, in Histria est, 262. 248. a. 263. 249. a.
Timentes, cur frigeant, 403. 50. a.
Timidus & timens, ut differant, 58. 20. a.
Timor de futuro, odium de præteritis, 231. 27 a.
Timor ater, pro turpi, 816 719. b.
Tingere, pro mergere, 706. 811. a.
Tingere jugulo, pro demergere in jugulum, 964. 352. b.
Tiphys, Argonautarum gubernator, 27. 34.
Tirynthius, Hercules dictus. 696. 662. a. 725. 218. a.
Tisandrus, & Sthenelus, qui duces, 355. 262. a.
Tisiphone pallida, pro peste, 190. 552. b. 618 555. b. 871 761. a.
Titanes in Tartaro, 630. 580. a.
Titania astra, 641. 725. b.
Tithonia conjux, 740. 384. a.
Tithonum, pro Sole ponit, 160. 48. a. b.
Tithonus adamatus ab Aurora, in cicadam conversus, 115. 447. b. 177. 328. a. 524. b. 585. b.
Tityrenus quid, 1. 1.
Tityrus quid, & unde derivetur, 1. 1.
Tmesis insolita. 186. 416. a.
Tmolus, mons Ciliciæ & Lydiæ, 81. 56. a. 127. 98. a.
Toga, omnis sexus & conditio utebatur, 269. 286. a.
Togam virilem sumentes, ad Capitolium eunt, 28. 50. a.
Tolerare vitam colo, 742. 409. b.
Tollere, pro differre &c. 745. 419. a.
Tollere se humo, est nomen sibi parare, 157. 5. b.
Tonare ore, quid? 518. 510.
Tonitrus, quartæ decl, 571. 694. b.
Tonsa quid? 844. 299. b. *remi dicti,* 658. 28. a.
Tophus scaber, seu lapis asperrimus, 134. 214. a.
Tornatura, nihil facilius, 18. 58. a. b.
Torquatus, à torque sic dictus, 650. 125. a.
Torquere, pro freno regere, 955. 180. b. *pro jacere & immittere &c.* 245. 112. a. *pro regere & sustinere,* 496. 269. a 641. 797. a. 696. 667. b. 776. 93. a. *pro vertere,* 93. 174. a. *pro volvere & trahere,* 618. 551. a.
Torrens rapidus, 359. 305. b.
Torrens aqua, 862. 603. a
Tortus, 554. 276. a.
Tortus imber, pro constrictus in grandinem, 744. 429. a
Torti orbes, 921. 481. a.
Torvum, pro torve, 623. 467. a. 610. 399. a.
Torus pictus, 320. 712. a. *à tortis herbis dictus,* 559. 388. a. *Torus altus, id est summus,* 327. 2. a. b.
Totum, & omne, ut diff. 254. 189. b.
Toxicon, unde dictum, 818. 773 b.
Trabale telum, 961. 294. b.
Trabea, toga Augurum, 667. 181. a. b. *Trabearum tria genera,* 692. 612. b.
Trabea, insigne fuit Rom. Imperatorum, 905. 334. a.
Trabes, de arboribus, 775. 88. b. *pro navibus vel remis,* 523. 565 a
Tractim, pro jugiter, & sine intermissione, 206. 260. a.
Tractus, pro plaga & regione, 133. 182. a. *Tractus maris,* 28. 51. a.
Trahea, vehiculum, sine rotis, 92. 164. a. b.
Trahit sua quemque voluptas, 14. 65. a.
Tranare, pro transvolare, 493. 245. b.
Transcribi, pro tradi, 681. 422. a.
Transcripti in colonias deducebantur, 578. 750. a. b.
Transmittere, pro celeriter transire, 481. 154 b.
Transmittere classem, 442. 403. b.
Transverberare, proscindere, 846. 336. b.
Trapetum, mola olivaris est, 154. 519. a. b.
Tremit artus, pro artubus, 162. 84. b.
Trepidare, pro festinare, 481. 121. b. 777. 114. a. b. 785. 233. a. *Trepidus, festinus,* 460. 616. a. 463. 666. a.
Trepidi rerum, 977. 589. a.
Tria vides è duobus, Proverb. 514. 470. b.
Tribula, genus vehiculi, 52. 164. a.
Tribuli, genus spinæ, 91. 153. a.
Tribunus plebis, abnoctare ab urbe non poterat, 577. 738. a.
Triclinia in media cœnatione strata, & cur? 311. 642. b.
Tricorpor umbra, 610. 289. b.
Trieuphia, quid, 246. 120. a.
Trieterica, sunt triennalia sacra Bacchi, 498. 302 b.
Trilices loricæ quæ, 553. 250. b.
Trilicem, pro trino nexu intextam, 448. 467. a.
Trinacria, latine Triquetra, 440. 384. b.
Trinacrium littus, unde sic dictum, 256. 200. a.
Triones, pro Septemtriones, Helice & Cinosura, 325. 748. a. *qui,* 452. 326. a.
Tripodes, quid. eorum genera. cur victoriæ præmium, 544. 110. b. *mensa in templo Apollinis,* 438. 360. a. b.
Tripodes gemini ex auro, 787. 265. b.
Triptolemus, Cererem hospitio excepit, 76. 19. a. *& fabula de eo.* ibid. *Cereris sacra instituit.* ibid. b.
Tripudium sonubium, augurii species, 410. 90. a.
Triton, 600. 173. a.
Triton immanis, pro navi, 838. 209. a.
Tritones citi, 581. 824. b.
Tritonia, pro Pallade, unde sic dicta. 347. 171. a. *virgo armipotens,* 916. 483. b.
Tritura magna, pro abundantia frugum, 94. 19. b.
Trivia, pro Diana. 586. 13. a. b.
Triviæ donum, 922. 556. a.
Triviæ lacus, 616. 536. a. b.

Digitized by Google

Triviæ templo equi arcentur, 703. 7.8. b.
per Trivia solebant flebile quiddam cantare in honorem Dianæ, 17. 26. a.
Triviale carmen, 17.26 a. b.
Triumphantes, omnia Iovis insignia habent, 68.27. b.
Troja, regio est Asiæ, 224.5. a.
Trojæ urbs, 304.569. a.
Troja Neptunia, unde? 359.3. b.
Troja perjura cur dicatur? 581. 811. b.
Troja, pro Trojanis, 838 214. a. b.
Troilus, cur puer dicatur? 293. 478. b.
Trojugena, pro generoso, 438. 359. a.
Tropæum, unde dictum, 872. 775. a.
Trophæa rapta quæ, 159.32. a. b.
Trophæa, eminentioribus locis figebantur, 880.6. b.
Tros parens, rex Trojanorum, 159. 36 a.
Tros pro Troius, 590.52. a.
Tros Tiriusque mihi nullo &c. proverb, 305.578. b.
Truditur, pro urgente natura procreatur, 122.31. a. b.
Trunca, pro truncata, 625.497. a.
Tu ne cede malis &c. 593.95. b.
Tua res agitur, Proverb. 360. 311. a. b.
Tuba inventio, Tyrrhenis attribuitur, 750.526. b.
Tueri, pro intueri, 850.397. a.
Tugurium à tegendo dictum, 7. 69. a.
Tui caussa, & tua caussa feci, ut diff. 544.29. b.
Tulerit, pro genuerit, 7..? [illegible]. b.
Tulerunt, media syllaba brevi, 29. 61. a.
Tulisset, pro abstulisset, 532.679. a.
Tulit, pro impetravit, 36.89. b.
Tullus Hostilius, igni exustus, 40. 42. b. 759.644. b
TUM, ordinis esse volunt, TUNC temporis, 431.114. a.
Tumens vana, 938.854 a.
Tumulus, pro sepulchro, 402. 22. a.
Tunica, pro libra interiore arboris 125.75. a.
Tunica recta, quæ, 312.651. b.
Tunica manicas habentes, 808. 616. a. b.
Turba, de tribus dicitur, 425.233 a. pro multitudine: & turba, pro strepitu, 852.432. a
Turbans per ovilia, pro perturbans, 791.339. a.
Turbant, pro turbantur, 648. 800. b.
Turbidus, plenus perturbationis, 943.10. a. pro terribili, 503. 353. a. pro terribilis, 932.742. a. pro timido, 936.814. a.
Turbidus, pro tumens & elatus arrogantia, 865.648. a.
Turbo, 679.378. a. pro vehementia, 562.320. b. vis venti, 866. 665. a
Turnus describitur, à forma decore &c. 660.56. b. origo ejus, 678. 371. a.
Turpe caput, pro magno. 161. 52. a. b.
Turrita mater, terra, 647. 785. b.
Turtur, & masculino & fœminino genere invenitur, 6.59. a.
Tuscia, duodecim Lucumones habuit, 747.473. a.
Tusci, qui populi, unde dicti? 834. 164. a.
Tuscus amnis, finis Romani imperii, 747.473. a. pro Tyberino 904.316. a.
Tyberinus deus, 709.31. a. 778. 125. a.
Tyberis, unde dictus? 712.72. b. antea Albula dicebatur, &c. 450.500. b. in Tuscia oritur. 700.715. a.
Tybris, pro rege & fluvio, [illegible] ὕβρεως, 714.330. b.
Tybur superbum, 693.630. b.
Tyburti mænus, 919.519. a.
Tyburtia mœnia, à Tyburte, 696. 670. b.
Tydeus, Altheæ & Oenei filius, 623. 479. b.
Tydides, pro Diomede, & cujus filius fuerit, 243.?01. b. 252. 475. b. 524.28. a.
Tympana, sunt tecta vehiculorum, 148 444. a.
Tyndaridis, pro Helena, 383. 601. a.
Typhoëa tela, quæ, 315.669. a.
Typhœus arduus, 731.292. b.
Tyranni à regibus olim non diversi, 500.320. a. 672.266. a.
Tyria, pro Carthagine, 283.392. a. 230.24. a.
Tyrius rubor, pro purpura, 176. 307. a. b.
Tyro despectus, pro in Tyro &c. 473.36. a. b.
Tyrrhenus clangor, 750.526 a. æstus, 131.164. b. fides, 827. 71. a.
Tyrrhenum mare, unde dictum, 238.71. a.
Tyrrhena ora, 695.647. a.
Tyrrhenus pinguis, & cur? 181. 153. a. b.
Tyrrhena vincula, pro crepidis, 746.458. a. b.
Tyrrhida pueri, 684.484. b.
Tytius terræ filius, ejus jecur vultur exedit, 631.595. a.

V

Vacat, pro sufficit, 864. 625. b.
Vacca sterilis diis Manibus dicatur, 606.251. b.
Vaccinia sunt violæ, vel hyacinthi, &c. 10.18. a. b.
Vaccinia mollia, 12.50. b.
Vacuis, pro magnis aut latis, 395. 761. a. 971.476. a.
Vada fervida, 658.24. a.
Vallare dicuntur, & qui tuentur, & qui obsident, 941.915. b.
Valles, pro vallis, 919.522. a.
Valli & sudes, idem sunt, 122. 25. a. sustes fossarum, 851. 120. a. vitium sustentacula, 146.409. a.
Vallos exacuare quid, 103.264. a.
Vallus reducta quæ? 640.703. b.
Vallum, dicitur ipsa munitio, 779. 146. b.
Vannus mystica Iacchi, & unde 92.166. a. b.
Vanus quis, & pro stulto sumitur, 337.80. a.
Vana veri, pro ignara, 864. 631. a.
Varius poëta fuit, 63.35. a. Varus vero dux, ibid.
Varus, cum tribus legionibus interiit, 37.7. a.
Vastum, pro desolato, 216.56. b. & deserto, 401.13. a.
Vatis nomen dignius poëta, 68. 32. b. & pro excellentissimo in qualibet arte usurpatur, ibid.
Vates, unde dicti, 446.443. a.
ἐκ τῶν φάγων dicti, 438. 60. b.
Vaticinantium mos, 591.77. b.
Uber, pro fecunditate, 300.535. a.
Uber agri, pro ubertate, 672. 262. a.
Ubi, pro cum, 481.118. quando, 601.271. a.
Ucalegon, in consiliis & amicitia Priami fuit, 360.312. a.
Udo sub robore, vicino sc. aquis, 574.681. a.
Udum venenum, 677.354. a.
Uda vocis iter, 637.534. a.
Vector, dicitur, tam is qui vehit, quam qui vehitur, 27.38. b. 477.72. a.
Vela dare, pro favorem præstare, 123.41. a.
Vela aquata, quæ? 524.587. b.
Vela suspendi solebant, ad pulverem excipiendum, quia usus cameræ ignorabatur, 318.701. a.
Velamen acantho circumtextum, 312.653. a. b.

Velare

Digitized by Google

Velare fronde, pro coronare, 354. 240. a. b. 558. 366. a.
Velata coma quæ, 420. 174. a. b.
Velati lino, an limo legend.? 951. 120 a. b.
Velati ramis oleæ, 887. 101. b.
Velini fontes, 686. 517. a. rosea rura, 699. 711. b.
Velinus portus, 615. 366. a.
Vellera, à vellendo dicta, 576. 307. b.
Vellere signa, quid? 882. 19. a.
Velivolum, quid, 260. 228. a.
Venabula, unde dicta, 482. 131. b.
Venatorum quatuor genera, 481. 121. b.
Venator canis, pro venaticus, 985. 758. b.
Venefica, cur cereas, cretaceas & laneas imagines adhibeant, 57. 80. b.
Venena pellentes herbæ, olim ante alias epulas, mensis apponebantur, & quæ. 129. 150. a.
Venenatum, pro infecto, 483. 137. a.
Venenum dictum, quod per venas eat, 317. 692. a. nigrum, cur dicatur? 519. 514. a.
Venenum, pro colore, 149. 465. b.
Venerandi verbum, omnes divini cultus species complectitur, 221. 547.
Venetia, unde dicta, 262. 247. a.
Veni, vidi, vici, 178. 348. b.
Venia, pro beneficio, 581. 435. a. 8 9. 903. a. pro culpa. verbum pontificale, 298. 523. a.
Venias, pro sis. 77. 89. a.
Venilia diva, mater Turni, 828. 76. a.
Venire, pro crescere, 80. 54. a. 557. 344. a.
Venti ex Astræo & Aurora nati, 248. 136. a.
Ventorum origo, 257. 58. b.
Ventus creatur motu aquæ, 658. 25. a.
Venti ferunt gaudia. Proverb. 865. 652. a. b.
Ventos ictibus lacessere, 171. 233. b.
Venti non turbant superiora, 237. 61. a.
Vento, pro adventu, 218. 484. b.
Ventosa gloria, 930 708. a.
Venturum excidio, pro futurum, 230. 26. b.
Venulus, Argivus, 708. 9. a.
Venus, de maris spuma nata, unde ἀφροδίτη. 580. 8. 0. a. b.
Veneri multa nomina imposita & quæ. 321. 724. a.
Venus, pro amica, 20. 68. a.
Veneris barbatæ simulacrum, 385. 632. b. cui viri in veste muliebri, mulieres in viris veste sacrificant, ibid. b.
Venus Cluacina, 77. 88. b. Idalia, id est Cypria, 578. 760. b.
Veneris præmia, 472. 33. b.
Veneri, thure & floribus sacrificatur, 276. 339. a. b.
Vepres, pro masculino & fœminino genere, 183. 444. b.
Ver novum, adultum & præceps, 79 43. a.
Ver rubens, 139. 319. a. b.
Verbenæ sunt virgulta & frondes, quæ semper virent, religioni apta, &c. 56. 65. a. b. 951. 120. a.
Verbera insonat, pro verberibus, 683. 451. a.
Vere tument terræ, 140. 324. a
Verum, pro justum, 982. 694. b.
Vernum tempus, Veneri genitrici dicarunt. Mathematici inde augurato annum incipiunt, 140. 324. b.
Verrere, pro trahere, 169. 201. a. 237. 63. b.
Versa cornua, id est infesta, 170. 222. b.
Versare pro considerare, 560. 408. a. pro pascere, 71. 68. a. pro vertere, 676. 336. b.
Versare telum, pro jactare, 817. 747. a.
Versi, pro fugati, 856. 512. b.
Versu triplici, pro ordine, 545. 119. b.
Vertere, pro avertere, 299. 532. a.
Vertere lumina, ut intellig. 743. 438. a.
Vertex, an pro puppi, an pro aquilone? 246. 118. a.
Vertit, pro agit, 704. 784. a. 928. 683. a.
Vertitur cœlum, 554. 150. a.
Veru Sabellum, 696. 665.
Vesci aura ætheria, pro frui, 302. 550. a.
Vescum tria significat, 199. 131. b.
Vescæ frondes, id est siccæ, teneræ, 168. 175. a. b. & edaces, ibid.
Vesevus mons Liguriæ, vel Campaniæ, 135. 224. a. b.
Vesper stella, quæ Venus & Lucifer dicitur, 103. 251. b.
Vesta dea ignis, & pro terra sumitur, 359. 296. a.
Vesta mater, 118. 498. a. cur casta dicatur? 577. 744. a. b. 786. 259. a.
Vesta, pro igni, 213. 384. b. pro religione, & terra, 270. 296. a.
Vestibat genas, 721. 100. b.
Vestibulum quid, & unde derivatum, 373. 469. a. 608. 273. a. b.
Vestigare, pro inquirere, 971. 482. a.
Vestigia, pro indiciis, 136. 218. b.
Vestigia sceleris nostri, pro bella civilia, 25. 23. a. b.
Vestigia referre, pro repelli, 908. 290. a.
Vestire, pro implere, 222. 38. b.
Vestis duplex veterum qualis, 885. 72. b.
Vestes arte laboratæ, 311. 643. a.
Vestes bilores, trilores dictæ à multitudine pannorum, 552. 251. b.
Vestis aurea, pro barba, 761. 659. b.
Vesulus pinifer, mons Liguriæ, 868. 708. a.
Veteres festis diebus & lætis, templa & postes suos sertis & infulis decorabant, 354. 249 b.
Veternus, pro pigritia & otio, 88. 124. a.
Vexare rates, pro evertere, &c. 44. 76. a.
Vexillum roseum, peditum: cæruleum, equitum, 707. 1. a.
Vfens in mare conditur, 705. 802. b.
Via, olim veha dicta, 8. 83. b.
Via, mari datur, 422. 202. a. pro ratione, & remedio, 515. 478. a. pro oportunitate, 593. 96. b.
Vibrans lingua, pro mobili, 350. 283. b.
Vibrati crines ferro calido, 949. 100. a. b.
Viburnum quid, 3. 26.
Vicarii, in vicem aliorum exitio devoventur, 342. 830. b.
Vices, pro pugnis vel vulneribus, 371. 433. a.
Vice sermonum, 627. 535. b.
Vicia, quid, 83 75. a.
Vicinitas, in propinqua parte amicitiæ, 19. 53. a.
Victimæ, de majoribus animalibus; Hostiæ de minoribus dicebantur, 130. 146. a. b.
Victimæ numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur, 143. 330. a.
Victimarum ratio fit, pro qualitate numinum, 414. 118. a.
Victima duci debet, non trahi, 145. 395. b.
Victima fugiens, ubicunque inventa fuerit, occidatur. 339. 304. a. b.
Victor, pro voti compos, 338. 55. a. & propositi effector, 25. 156. a. 362. 325. a. 445. 435. a.
Victrix, 688. 544. a.
Victus, pro cibo, 258. 218. a.
Victu invigilare, pro victus, 200. 158. b.
Viduare urbem civibus, 753. 571. b.
Vigilasne Rex? vigila. verba sacrorum, 895. 228. a b.
Villa, olim vella dicta, 8. 83. b.
Villosa pectora semiferi, 727. 256. b.

Digitized by Google

Vimen, quid, 14. 72. b. pro caule, 198. 123. b.
Vimen quernum, 855. 65. a.
Viminea crates, quæ, 84. 95. a. b.
Vina, in plurali dici, 32. 36. a.
Vindicat, pro eripit, 491. 238. b.
Vinitor, cultor vinearum, 69. 36. a.
Vinum, an gelari possit? 179. 364. a.
Vina coronant, pro poculis, 322. 728. a. b.
Vini infundendi mos, capitibus victimarum, 476. 61. b.
Vinum, qui bibunt ex semiputata vite, mente sani non habentur, 14. 70. a. b.
Vindemia spumat plenis labris, 120. 6. b.
Vinclum iugale, pro matrimonio, 470. 16. a.
Vinctus, si flaminiam introisset, solvebatur, 334. 57. a.
Violæ pallentes, 12. 47. a.
Violaria, loca in quibus violæ nascuntur, 193. 32. a.
Viperenm genus, 702. 753. a.
Vir, nomen dignitatis, 15. 7. b.
Vir fortis, Achilles dicitur, 21. 79. a.
Vir gregis, caper, 45. 7. b.
Vir virum legere, 925. 612. b.
Virago, vira olim dicta, 971. 468. a.
Virbius Hyppolyti proles, 702. 761. b. 703. 777. b.
Virga, insigne potestatis, 493. 242. a. b.
Virgatum sagulum, 761. 660. b.
Virgilius XXVIII annorum Bucolica scripsit, 4. 29. 222. 565. b. in operibus suis, diversos secutus est poëtas. Theocritum in Bucolicis, &c. 72. pueros amasse dicitur. 8. 1. a. cum Vari uxore adulterium committere solebat, 16 20. b. stricto gladio insequutus, beneficio institoris servatus, 60. 1. a.
Virgo, pro Iustitia, & quare virgo dicta, 24 6. b.
Virgo, de matre, & unde dicta, 41. 47. a.
Virgo matura, 659. 73. b.
Virgula divina. Proverb. 493. 242. b.
Virgulta sonantia lauro, 973. 522. b.
Viri, ut mulieres componebant capillos, 875. 232. a.
Viris fortibus honoris ergo, publica agri particula dabatur, 728. 274. a.
Virtus ipsa pro præmio est, 308. 608. a.
Virtutem factis extendere, 649. 806. b.
Virus & bonum & malum est, 58. 129. b. tres tantum habet casus, ibid.
Vis, quid sit, 226. 3. a. pro possibilitate &c. 95. 198. b. 599. 533. a. pro virtute, pro magna copia.
Viscera dicimus, quicquid sub corio est, 258. 215. a. 6. 6. 253. a. propriè carnes sunt, 460. 622. a.
Viscum, auri imitatur colorem, &c. 603. 205. a. b.
Visco fallere, 90. 139. a.
Visus, pro visa, 403. 36. a.
Vita in ventos recessit, 534. 705. b.
Vitæ longinquitas hominibus sæpe obest, 60. 2. a.
Vitæ tempus breve, 854. 467. b.
Vita rusticorum, an philosophorum felicior? 150. 475. a.
Vites, arbores dici, 120. 1. a.
Vitisator, quis, 666. 179. b.
Vittæ, quibus victima coronabantur, 342. 133. a.
Vittæ deorum quæ. virginales quæ, &c. 345. 156. a. ibid. b.
Vittæ crinales, meretricibus non dabantur, 680. 403. a.
Vittæ mollis, pro lanea, 56. 65. a.
Vittis cur ramis prætendebantur? 727. 128. b.
Vitula, à viridiore ætate dicta, 17. 29. a. pro vacca, 17. 29. a. b.
Vitulus, & de equis & de bobus, 167. 157. a.
Vivendo vincere fata, 891. 160. b.
Vivida dextra, pro forti, 862. 609. b.
Vivite, pro valete, 55. 58. b.
Vivus amor, pro vehementi &c. 321. 725. b.
Vivum flumen, pro semper fluenti, 392. 719. b.
Vivum saxum, pro naturali, 252. 171. a.
Viva terra, 122. 27. a.
Vix, pro mox & statim, 233. 38. a.
Vixet, pro vixisset, 888. 118. b.
Vligo, humor terræ naturalis, 133. 184. a. b.
Vlmus, quid, 6. 59. a.
Vlmis mixta corylis, 29. 3. b.
Vlna, quid, 22. 105. a. & unde dicta, ibid. Græcè ὠλένη cubitus dicitur, 178. 355. a.
Vltimus author, pro primo, 659. 49. a.
Vltima iussa, deterrima, an superba? 521. 537. a. b.
Vltra placitum laudare, 47. 27. a.
Vltro, pro insuper, 344. 145. a. pro statim & mox, 349. 193. a.
Vlva herba palustris. Buda dicta, 342. 135. b. 619. 416. a.
Vlula, & unde dicta, 55. 55. a.
Vlulare, luctus & lætitiæ vocabulum, 486. 168 a. b.
Vlulata, pro ululatu quæsita, 526. 609. b.
Vlysses quis, quam uxorem & quos filios, habuerit, 331. 44. a.
Vlysses fandi fictor, 807. 6. 2. a. ut insaniam simularit, & ut à Palamede detecta &c. 337. 82. a.
Vlysseum commentum, 346. 164. b.
Vmber vividus, pro Tusco acerrimo, 985. 753. b.
Vmbo, pro scuto, 820. 810. a. 878. 884. a.
Vmbonum crates, 694. 633. a.
Vmbra gravis, & nocens frugibus, 71. 75. b. 88. 121. a.
Vmbra incerta, quare, 30. 5. a.
Vmbra ingens, clypei an mortis? 858. 541. b.
Vmbra magna, pro nocte, 334. 251. a.
Vmbra mortuorum ad sepulchra vocabantur, 259. 223. a. sanguine & lacte satiari dicuntur, 542. 78. a.
Vmbra silentes, 607. 261. a.
Vmbriferum nemus, 623. 473. a.
Vna, pro sola, 394. 743. a.
Vna salus victis, nullam sperare salutem. 364. 354. a.
Vnanimus & unanimis dicitur, 469. 8. a.
Vncis manibus prensare, 615. 160. a.
Vncta abies, 784. 91 b.
Vncta carina est pice delibuta, 508. 398. a.
Vndans Ætna, 817. 471. a. fumus, 383. 609. b.
Vndans bello Nilus, 859. 28. a.
Vndare, pro exundare, 681. 673. b.
Vno matrimonio contentæ, corona pudicitiæ honorabantur, 470. 19. b.
Vno ordine habere omnes, 339. 102. b.
Vnum, pro unius, 960 273. a.
Vnum cognoris, omnes noris, 335. 65. b.
Vocalem longam, cum vocalis sequitur, priori vires detrahit, 234. 45. a.
Vocari solebant, qui in aliena terra periissent, 259. 223. a.
Vocari, pro provocari, 895. 220. a.
Vocativus similis olim nominativo, 290. 455. b.
Volantes, pro volucres, 605. 239. a.
Volare, & involare, quid? 602. 199. b.
Volema dicta, quod volam impleant, 326. 88. a.
Volsca gens, 705. 803. b.
Volsci veruti, 132. 168. a. b.
Volvendis, pro volubilibus, 267. 273. a. b.
Volvenda dies, pro volubilis, 770. 7. a. b.
Volvere casus, pro casibus volvi, 228. 13. a.

Voluptas

Voluptas gemina, 13. 58. a.
Volutabra, loca in quibus apri se volvunt, 182. 411. a.
Volutare, pro *revolutare & cogitare*, 236. 54. a.
Vomis, *unde dicatur*, 92. 162. b.
Vomitoria in spectaculis, 149. 462. b.
Vorago Acherontis exaestuatio, 689. 569. a.
Vortex, *quid*, 246. 121. a.
Vota, *pro ludis funebribus*, 540. 53. a *pro sacrificiis & precibus*, 91. 157. b.
Vota laetissimis animis solvebant, 551. 236. b.
Vota vestes, *voto promissa*, 986. 769. b.
Vovere, *pro consecrare in ministerium alicujus*, 921. 558. b.
Vox, *corpus est*, 375. 488. a. *de quocunque sono dici potest*, 686. 519. a. *pro Iovis fato*, 864. 621. a. *pro oratione*, 285. 410. a. *pro remorum sonitu*. 463. 669. a.
Vpilio, *ovium custos*, 68. 19. a. b.
Vrbanus rusticum fastidit, 13. 56. b.
Vrbs, *ab orbe dicitur*, *vel ab urbo*, 229. 16. a. *pro civibus*, 356. 265. a. 710. 36. a.
Vrbis designandae mos, 578. 755. a.
Vrbis opus, 545. 119. b.
Vrbem quam statuo, *vestra est*. 305. 577. a. b.
Vrgere, *pro imminere & insistere*, 115. 443. a.
Vri, *sunt boves agrestes*, 143. 374. a. *unde dicti*, ibid. 189. 532. a.
Vrsa Libystidis pellis, *pro leonina*, 538, 37. b.
Vrsi informes dicti, *& quare*, 172. 247. a. b.
Vsque, *pro tam diu*, 385. 627. a. 624. 457. a.
Vsque, *e loco significat*, 208. 293. b.
Vsque eamus, *id est jugiter*, 65. 64. a.
Vt vidi, *ut perii*, *&c.* 54. 41. a.
Vterus & alvus ut diff. 330. 20. a.
Vva, *pro vite & vino*, 124. 60. a.
Vvidus, *pro pingui*, 61. 20. a.
Vulcania acies, *est vis ignis*, 150. 408. b.
Vulcanus quasi Volicanus, 743. 414. a. *cur claudus?* ibid *cur Veneris maritus fingatur?* 740. 389. b. *à Iove praecipitatus in Lemnum insulam: nutritus à Sinciis: petit Minervam in conjugem, repudiatur: quaerit parentes suos*, *fecit sedile: tandem in deorum numerum receptus*, 29. 62.
Vulcanii aruspicis, *praesagium*, *& mors*, 64. 47. a.
Vulgus, *tam masculini generis*, *quam neutri*, 332. 39. a.
Vulnificus chalybs, 745. 446. b.
Vulnus alte adactum, 876. 850. b. *caecum*, *quod?* 869. 731. b.
Vulnera, *pro ictibus*, 385. 630. a. 562. 433. a. *pro sagittis*, 687. 533. a.
Vulnera dirigere, 832. 140. a.
Vulnus, *pro telo*, 378. 519. a.
Vulnus mortale, *quod?* 981. 757. a.
Vulnera pudenda, *quae?* 184. 55. a. b.
Vulnus veniens, *quod?* 817. 746. a.
Vulpes jungere, 21. 91. b.
Vulturnus, *amnis vadosus*, 700. 728. b.
Vultus & facies ut diff. 786 251. a.
Vultus salis, 583. 848. a.
Vulva, *antea folliculus muliebris dicebatur*, 166. 136. a.
Vxores, *ab unguendo*, *quasi unxores*, 513. 458. a.
Vxorius quis? 496. 466. a.

X

XAnthus, *fluvius Trojae*, 293. 477. a. *an idem cum Scamandro?* 437. 350. b. 593. 88. a. 581. 808. b. *fl.* 826. 60. a.

Z

ZAcynthos, *insula Graeciae*, 428. 270 a.
Zonae quinque caelum tenent, 100. 233. a. b.

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

PAg: 44. lin. 48. a leg. *epulandum.* 60. lin. ult. a. *inopinata.* 75. 56. b. *prolatum.* 81 41. a. *tundendo.* 108. 28. a CORVSCA. 218. 9. *atque.* 247. Nota Salmasii ad Vers. 427. 269. 27. a. *mecum.* 272. 8. *lato;* 337. 8. *misit.* 361. 3. *Phoebique.* 362. 37. b. Πάϱ@. 366. lin. penult. a. *Synaeresis.* 367. 25. b. *superari.* 370. 2. *si quos.* 374. 2. *positu.* 379. 14. b. *jocus.* 381. 24. a. *vox.* 382. 16. b. *interitum.* 383. 5. *hebetat.* ibid. 52. *lateritiorum.* 387. 44. a. *Tactus.* 397. 41. b. *detineor.* 401. 49. a. *Aenum.* 416. 32 a. *focis.* 460. 9. *in.* 468. 38. *necessarium.* 488. 46. a. *lingua.* 491. 1. *famamque.* 506. 44. a. *Danaus.* 507. 32. a. *date vela.* 528. 36. b. *adduc.* 531. 22. *integrum.* 577. 16. b. *species.* 616. 35. a. *Lucanus.* 667. 9 *laevaque.* 675. lin. ult. a. *diceret.* 715. 6. *urbique.* 716. 47. a. *Sanè.* 765. 20. a *Romanus.* 768. 41. a. *Batavorum.* 775. 16. b. *pinus.* 782. 36. b. *maximas.* 823. lin. antep. b. *ademptam.* 850. 33. a. dele. &. 858. 10. *Insula.* 861. lin. antep. a. *suam ac-.* 908. 12. *contrà.* 938. 13. *ignoto.* 957. 6. *Matre.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google